# FRANCISCI
# SYLVII
## A BRANIA COMITIS,
## S. THEOLOGIÆ DOCTORIS

In Academia Duacena, ibidemque Regii ac Ordinarii Professoris, & Insignis Ecclesiæ S. Amati Canonici & Decani, eamque ob causam Universitatis Duacenæ Vice-Cancellarii,

## TOMUS SEXTUS

*COMPLECTENS EJUS COMMENTARIA*


In Genesim & Exodum jam pridem edita: Item in Leviticum & Numeros hactenùs inedita.

*Recensebat, & Notis quibusdam generalibus illustrabat*

## FR. NORBERTUS D'ELBECQUE

Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Doctor & ejusdem ac Sacræ Scripturæ Professor in per-antiqua & celeberrima Abbatia Rodensi Canonicorum Regularium Sancti Augustini propè Aquisgranum.

*Editio novissima prioribus emendatior & correctior.*



## VENETIIS, MDCCXXVI.

Ex Typographia Balleoniana.

*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.*

# FRANCISCI SYLVII COMMENTARIUS IN GENESIM.

*OPUSCULUM OCTAVUM.*

## LECTORI BENEVOLO.

SAcra ſcriptura tam eſt fœcunda & multis in partibus (ſecùs quàm hæretici noſtri ſentiant) tam obſcura, ut quamvis plurimi prodierint in eam & locupletes & docti commentarii, ſemper nihilominùs ſuperſit quod ex ea eruatur, quod explicetur, quodque lectorum captui accommodatè tractetur. Ne mirere igitur, Lector benevole, ſi poſt inſignes Geneſeos interpretes, brevem hunc in illam Commentarium prælo ſubjecerim.

Ipſum ſacrum textum ad ſingula capita addere viſum eſt, ne dum in Commentario quippiam omittitur vel ut ſatis clarum vel ut ſemel expoſitum, Lector non neceſſe habeat pro rerum verborumque cohærentia, ad alium librum recurrere, ſed eam in hoc ipſo, poſſit intueri.

Senſum hiſtoricum ſeu litteralem ex contextu, tum ex ſanctis Patribus, diverſorumque codicum verſionibus ſic indagare ſtudui, ut myſticum ac ſpiritualem non neglexerim, ſed multis in locis indicaverim, brevius tamen aut copioſius pro qualitate materiarum. Utere, Amice lector, & quod benè dictum reperies, Deo aſcribe cujus eſt totum quod eſt optimum: ſi quid perperam, meæ puſillitati. Interim mei in tuis ad Deum precibus memor eſto, ut alterum opus quod in manibus eſt, queam perficere, ſanctiſſimamque Trinitatem unum Deum una tecum laudare & benedicere in ſæcula ſæculorum. Amen.

### PRÆFATIO IN GENESIM

*A quo, ubi, & quando fuerit ſcripta.*

À Moyſe ſcripta eſt.

LIbrum Geneſeos à Moyſe ſcriptum fuiſſe tum ex perpetua traditione tam Judæorum quàm Catholicorum conſtat; tum ex eo quod Concil. Trid. ſeſſ. 4. & dudùm antea Innocentius hujus nominis primus ſacrorum librorum canonem texens in epiſtola ad Exuperium c. 7. quinque libros Moyſi nominat, & inter eos primo loco ponit Geneſim; ſicut etiam Auguſtinus lib. 2. de doctrin. Chriſtiana cap. 8. & alii de quibus diximus l. 1. Pontif. q. 1. art. 9. Quoniam verò Hebræis familiare eſt libros ſuos ab eorum primis verbis nominare, ideo hunc librum vocant Bereſith ſeu Bereſchit, hoc eſt, in principio; quia ab his vocibus incipit. At Septuaginta Interpretes, eoſque ſecuti Latini à libri argumento ſeu materia illum vocant Geneſim; propterea quòd in eo deſcribatur generatio ſeu creatio mundi, generationeſque & propagationes primorum hominum.

Cæterùm, ubi vel quando Moyſes hunc librum ſcripſerit, incertum eſt. Pererius præfatione in Geneſim opinatur ſcripſiſſe in Madian, quando illi oves paſcebat; tum quòd ipſe ibi eſſet in otio & ſolitudine, quæ ad ſcribendum opportuna ſunt; tum quòd iſte liber plurimum valeret ad conſolandum Iſraelitas in afflictione conſtitutos, utpotè continens egregias patriarcharum virtutes, & prædictionem peregrinationis, ac duræ ſervitutis poſterorum Abrahæ, illorumque liberationem & egreſſum; tum denique quòd Euſebius ita ſentiat l. 7. de præpar. l. 21. Verùm, ſi Moyſes hunc librum pro Iſraelitarum conſolatione ſcripſiſſet in Madian, non videtur ratio, quare dum ex Madian mittebatur ad Iſraelitas ex Ægypto educendos, diceret Exodi 4. *Non credent mihi*

*neque audient vocem meam*, *sed dicent*; *non apparuit tibi Dominus*: jam enim per istius libri scriptionem suis contribulibus innotuisset Moysi sapientia, ejusque cum Deo familiaritas; ac per consequens non fuisset causa timendi, quod statim essent talia ei objecturi. Quapropter etsi neque hoc argumentum omnino convincat, neque aliud efficaciter concludens occurrat: Verisimilius tamen videtur quòd Moyses librum Geneseos scripserit post egressum

Scripta fuit in deserto.

filiorum Israel de Ægypto, cùm versarentur in deserto, quemadmodum tradit Theodoretus quæst. 1. in Genes. Abulensi in cap. 13. Genes. quæst. 232. & alii.

Ad argumenta verò Pererii Resp. etiam in deserto Arabiæ fuisse Moysi otio ac solitudinem tantarum rerum scriptioni opportunam, nec defuisse occasionem præbendæ consolationis populo annis 40. vaganti per desertum.

Eusebius non dicit Genesim à Moyse scripta priusquam veniret in Ægyptum, inde gentem suam educturus, sed ejus verba sic habent: *Primus apud eos eximius ille Theologus Moyses scripta reliquit, cui divinitus antequam lege poneret, majorum vitas, animis hominum impressit, ita bonorum præmiis, & impiorum suppliciis ad amplexandam virtutem, & fugiendam impietatem exhortatus, leges tandem in medium proposuit*. Quibus verbis non aliud velle videtur, quàm quòd Genesim in qua majorum vitæ continentur, scripserit Moyses priusquam legem à Deo acceptam, ipse scripto mandaret, & à se descriptam populo proponeret.

---

# LIBER GENESIS,

## HEBRAICE BERESITH.

## CAPUT PRIMUM.

*Describitur Mundi per sex dies creatio, distinctio, & ornatus. Homini sexto die formato attribuitur dominium in alia animalia, reliquasque terrestres creaturas. Et tum ipsi tum bestiis cibus conveniens assignatur.*

℣. 1. [ *IN principio creavit Deus cælum & terram*. ] Per principium quidam veteres Verbum æternum seu filium Dei intelligunt; qui cum Joan. 8. interrogaretur, *tu quis es*, *respondit*: *principium qui & loquor vobis*. Verùm, & si sensus ille propter veterum authoritatem possit admitti tanquam mysticus, non videtur tamen esse literalis: ad literam enim sic dicitur Deus in principio creasse cœlum & terram, ut non possit similiter dici, in principio creasse omnia quæcumque postmodum fuerunt producta. Si verò per principium intelligeretur Dei filius, rectè diceretur in principio Deus creavit omnia, cum, ut Joannis 1. legitur, *Omnia per ipsum facta sunt*, *& sine ipso factum est nihil*. Quare per principium; potius mundi vel temporis initium intelligitur, juxta Aug. l. 12. confess. cap. 20. & 28. ut significetur quod ab initio temporis seu cum ipso temporis initio Deus cœlum & terram creaverit, quemadmodum loquitur Innocentius III. c. *Firmiter* de summa Trinitate, & ibidem B. Thom. in opusculo super illam Decretalem, ac etiam in 1. p. quæst. 46. art. 3. per hoc ostendens excludi errorem Aristotelis & aliorum docentium mundum semper fuisse, & tempus non habere principium. Possunt insuper hæc verba. *In principio*, sic exponi, ut idem valeant quòd, primò omnium, seu ante alia omnia, quem sensum habet etiam S. August. lib. 11. de Civit. cap. 6. & B. Thom. dicto artic. 3. sic excludens opinionem eorum, qui dixerunt

Mundus non est Angelis mediantibus factus.

corporalia esse à Deo creata, mediantibus Angelis: si enim Deus ante omnia quæ fecit, cœlum & terram creavit: ergo Angeli qui etiam creaturæ Dei sunt, non erant creati ante cœlum & terram, ac per consequens non potuerunt ea corporalia ipsis mediantibus fieri. Unde Isaiæ 44. dicit, *Ego sum Dominus faciens omnia*, *extendens cælos solus*, *stabiliens terram*, *& nullus mecum*. Plenior autem sensus erit, si utramque expositionem ita conjungamus, in ipso mundi exordio, sive quando mundus incepit esse, Deus primò omnium seu ante omnia alia creavit cœlum & terram, ita nimirùm ut ante hoc nihil omnino fecerit. Juxta quem sensum hoc initium Geneseos rectè convenit cum exordio Evangelii secundùm Joannem, *In principio erat Verbum*, quia & in primo temporis mundique exordio, & primum omnium, seu ante omnia quæ Deus fecit, Verbum erat, utpotè ab æterno existens; solaque hæc differentia est benè observanda, quòd Joannes non dicat in principio creavit Deus Verbum, sicut Moyses dixit. *In principio creavit Deus cælum & terram*: sed in principio erat Verbum; quia Verbum neque est factum, neque ab ullo temporis initio incepit esse, sed ab æterno fuit; cœlum autem & terra non semper fuerunt, sed à Deo facta sunt, idque ante omnia alia quæ Deus fecit. Atque his consentaneum est quod Proverb. 8. Sapientia significat se fuisse in initio viarum seu operationum Dei, antequam quidquam faceret à principio.

Creavit Deus: Prov. *Deus*. Hebr. est Elohim pluralis numeri; unde Magister lib. 1. sent. dist. 2. Burgensis in additionibus ad Liranum, August. Eusebius, & alii existimaverunt Moysen hic insinuasse personarum divinarum pluralitatem in unitate essentiæ. Cùm enim nomen Elohim non careat singulari, (quemadmodum indicavit B. Hieronymus epist. 136. inter decem Dei nomina ponens Elohim & Eloe: unde Job 36. ita exprimitur apud Hebræos singulare, adhuc habeo quod pro Eloah loquar; similiterque Habacuc 3. ubi nos legimus Deus ab Austro veniet, pro Deus, Hebræa habent Eloah) non apparet ratio cur Moyses verbo creavit, quod est numeri singularis, junxerit nomen Elohim pluralis numeri, nisi ut essentiæ unitatem denotaret per verbum singulare, & personarum pluralitatem per nomen plurale, perinde ac si diceret: Deus unus idemque in pluribus personis existens creavit.

Verùm, etsi hæc utcumque probabiliter dici possint apud orthodoxos; fatendum tamen videtur quòd divinarum personarum pluralitas non possit hinc efficaciter concludi, quòdque propterea dum agitur cum Judæis, non hoc argumento sit utendum; sed iis quæ 1. par. quæst. 30. artic. 2. solent adduci. Respondere siquidem possent id quod alii (etiam catholici) docent, Moysen propterea sic esse locutum partim quia nomen singulare non multum est in usu; partim quia consuetudo Hebræorum est, nomina illustrium personarum ponere in numero multitudinis, licèt subinde verba numerum singularem retineant. Unde Exodi 20. ubi textus noster dicit, *non habebis Deos alienos*, in Hebræo dicitur, non erit tibi Dii alieni; & Josue ultimo, ubi habemus, non poteritis servire Domino; Deus enim sanctus. Hebr. legitur, quia dii sancti ipse. Confirmatur, si iste modus loquendi non fuisset usitatus inter Judæos; Rabbini circa hoc aliquid fuissent commentati, nec rem tanti momenti plenamque mysterii & admirationis omnino suppressissent.

Ex hoc porrò quòd Deus dicitur in principio creasse cœlum & terram, manifestè sequitur mundum non casu vel fortuitò extitisse, sed à sapientissimo opifice, esse factum de quo ad Hebræos 3. dicitur, *Qui autem omnia creavit Deus est*. Et quamvis ex ipso verbo creavit sive Hebræo, sive Græco, sive Latino, si illud solitariè, & secundùm se præcisè consideretur, non possit efficaciter concludi cœlum & terram ex nihilo facta esse; est enim verbum generale significans productionem non minùs eam quæ fit ex materia præexistente, quàm quæ fit ex nihilo: unde infra cum dicitur. *Creavitque Deus cete grandia*, idem vocabulum habetur, etiamsi constet illa cete facta esse ex materia præexistente: Si tamen consideremus quòd non solùm dicatur creavit Deus cœlum & terram, sed quòd in principio ista creavit; ratione istius adjuncti dicendum est significari quòd Deus cœlum & terram propriè creavit, id est, ex nihilo produxit: si enim in principio seu primum omnium fecit cœlum & terram, sic ut antea nihil prorsus fecerit; ergo nulla præexistebat materia ex qua

Mundus non est fortuitò factus.

Mundus est ex nihilo factus.

illa

illa faceret, ac per conſequens ex nihilo fecit; nam ſi cœlo & terræ aliquid præextitiſſet ex quo iſta fierent, jam non cœlum & terra, ſed illud præexiſtens eſſet in principio creatum. Hinc ſancta illa mater 2. Machab. 7. *Peto nate, ut aſpicias ad cœlum & terram, & ad omnia quæ in eis ſunt, & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus.* Quæ in contrarium opponi poſſent, vel ex Sapientiæ 11. vel ex cap. 11. ad Hebr. expoſuimus 1. p. q. 45. art. 2. & q. 66. art. 1.

[ *Cœlum & terram,* ] Quid cœli nomine hic ſignificetur, ſcriptores valdè variant. Non pauci Empyreum, quod & ſupremum, & ſedes beatorum eſt, ſignificatum volunt, idque ſolum: ſed eis vehementer obſtare videtur quòd narratio Moyſi ſit planè hiſtorica, populoque rudi ad hoc propoſita, ut ei aperiret originem rerum omnium corporearum, quas oculis cernebant, & quarum magnitudinem, pulchritudinem, vim atque efficientiam magnopere mirabantur, & doceret nihil iſtarum rerum eſſe Deum; cultuvè divino dignum, ſed omnes illas eſſe veri Dei opera; ſicque ſuos Iſraelitas tum revocare ab errore gentilium, hujuſmodi res pro Deo colentium; tum per earum aſpectum & contemplationem, ad unius Dei omnium conditoris notitiam, cultum, & amorem provocaret: huic autem propoſito valdè alienum erat ſtatim ab initio non aliud cœlum eis tradere quàm quod omnem eorum aſpectum naturalemque cognitionem fugit, quemadmodum ratiocinatur Pererius, in hunc locum ſcribens. Accedit quòd ſicut Moyſes mundi primordia referens dicit in principio creavit Deus cœlum & terram; pariter David Pſalm. 101. ait, *Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli,* omninoque apparet utrumque de iiſdem cœlis, ſicut & de eadem terra loqui: Davidem verò non loqui de ſolo cœlo empyreo hæc verba ſubſequentia manifeſtè declarant, *ipſi peribunt tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur:* nam cœlum empyreum eſt prorſus immutabile, ita ut nec in ſæculi mutatione & conſummatione ſit mutandum vel innovandum. Neque refert quòd David terram præponat cœlo: hoc enim fecit, ut ſermonem continuaret de cœlis, ſicut Moyſes præpoſuit cœlum terræ, ut de terra ſermonem continuaret. Alii ergo per cœlum hic intelligunt totum corpus cœleſte, continens omnes orbes ſeu ſphæras, ita ut Deus in ipſo mundi exordio omnes cœlos, quotquot ſunt creaverit quantùm ad ſubſtantiam, quamvis ſine luce, ac ſine motu, & abſque ſiderum diſtinctione quæ poſtmodum acceſſerunt. Ita ſentiunt Baſil. hom. 1. in hexam. Ambroſ. lib. 2. cap. 4. Valentia tom. 1. quæſt. 2. de creaturis corporalibus, Banneſius 1. p. quæſt. 64. art. 4. Perexius, Leonardus Marius, Petrus Marzilla, & non pauci alii. *Per terram verò* id quod ipſum nomen ſignificat, hoc eſt, elementum terræ intelligitur; ſub quo tamen reliqua elementa comprehendi veriſimile eſt, ( niſi fortaſſis aer ſeu ſpatium aereum comprehendatur ſub cœlo, ſecundùm quod aves cœli dicuntur quæ verſantur in ſpatio aereo ) ita ut ſub cœlo & terra velut ſub duobus extremis, omnia quæ ſunt inter media intelligantur eſſe comprehenſa, perindèque ſit illud, *creavit cœlum & terram* ac ſi diceretur, creavit corpora cœleſtia & elementaria: unde ſtatim ſequitur ſermo de aquis tamquam quæ ſimul cum terra extiterint; de ignis verò & aeris elementis non ita ſit expreſſa mentio, quia non cadunt ſub aſpectum noſtrum. Quamvis autem nec de aqua hic exprimatur quòd Deus eam creaverit, exprimitur tamen Pſalm. 88. cum Deo dicitur, aquilonem & mare tu creaſti: & tam Pſalm. 146. quam Daniel. 3. aqua recenſetur inter opera Domini: ut proinde nequaquam audienda ſit hæreſis dicentium aquam non eſſe à Deo creatam, ſed fuiſſe Deo coæternam, cujus meminit Auguſt. hæreſi 75. Confer quæ ſcripſimus 1. p. quæſt. 68. art. 2.

Non videtur eſſe ſermo de ſolo cœlo empyreo.

De omnibus cœlis ſermo eſt.

Sub terra etiā reliqua elementa poſſunt intelligi.

Quæſt.

Duo hic quæri poſſunt. Prius, cum dubium eſſe non poſſit quin Deus Angelos creaverit: quare ipſorum creatio prætermittitur, ubi mundi primordia referuntur.

Reſp.

Reſp. non penitùs prætermitti: cùm enim dicitur Deus creaſſe cœlum; in eo & ſimul cum eo rectè intelliguntur creari eſſe ſpiritus cœleſtes, hoc eſt, Angeli, qui in ſuprema cœli parte, in cœlo ſcilicet empyreo tamquam in ſuo domicilio, ſi perſeveraſſent, erant permanſuri. Quos tamen Moyſes non expreſsè nominavit, quia propoſitum ei erat aperire originem mundi corporei ac rerum quæ in hominis obſequium factæ ſunt, conſerantur quæ diximus 1. p. quæſt. 61. art. 1.

Poſterius, quomodo Deus fecit cœlum & terram, an verbo & imperio ſuo, an aliter.

Reſp. feciſſe verbo & imperio ſuo: *verbo enim Domini cœli firmati ſunt,* ut Pſalm. 32. dicitur, ubi etiam poſt factam mentionem aquæ & terræ, additur. *Ipſe dixit & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt,* Quæ eadem referuntur Judith. 16. *Tibi ſerviat omnis creatura tua: quia dixiſti, & facta ſunt:* Pſalm. 148. Et propterea, ſicut lux, & firmamentum, & luminaria leguntur facta, Deo dicente, *fiat lux, fiat firmamentum, fiant luminaria;* ita cœlum & terra facta ſunt Deo dicente, fiat cœlum.

Neque tamen conveniebat Moyſen ſcribere, dixit Deus, fiat cœlum & terra; ne Iſraelitis qui rudes erant, data videretur occaſio exiſtimandi præextitiſſe aliquam materiam cui Deus talia dixerit, aut ex qua cœlum & terram fecerit, ſicut præexiſtebat materia quando dicebat, fiat lux &c.

[ ℣. 2. *Terra autem erat inanis & vacua.* ] Declarat qualis fuerit terra initio ſuæ productionis, atque adeò in primo mundi exordio, *erat inanis,* id eſt, inviſibilis ( ſicut aer dicitur inane ſpatium, eo quòd eum non videmus ) quia erat undique aquis cooperta; vel inanis, id eſt, inutilis, vel infructuoſa, habitationi ſcilicet hominum, propter quos facta erat, nondum idonea, neque ad fructum aliquando ferendum adhuc diſpoſita, *& vacua,* quia erat ſine luce, & ſine ullo ornatu, vacua hominibus, animantibus, & plantis. His conſentit verſio 70. quæ pro inanis & vacua, habet, inviſibilis & incompoſita, id eſt, non ornata. Poteſt etiam dici quòd terra erat informis, ſicut Sap. 11. orbis terrarum dicitur factus de materia inviſa; Græcè informitas, quaſi uimitùm vel terra vel materia fuerit omni forma ſubſtantiali deſtituta; ſed aliqua particularis, in quantum non habebat pulchritudinem & ornatum, qui poſteà erat ei acceſſurus. Confer quæ diximus 1. p. quæſt. 45. art. 2. & quæ B. Thom. habet quæſt. 66. art. 1.

Cur inanis.

Cur vacua.

Terra ut fuerit informis.

Si quæras, quare Deus initio creans cœlum & terram, non ſimul ea plenè exornaverit? Reſp. rationem eſſe ut intelligeremus cujuſque rei ornatum & perfectionem, eſſe ejuſdem authoris, cujus eſt creatio; neque rem ullam ſibi ornandæ ſufficere, ſed à Deo pendere quemadmodum ut fiat, ita etiam ut perficiatur & ornetur. Deinde ut nos non pigeat vel etiam non pudeat ab imperfectis ad perfecta procedere, dum cognoſcimus ita Dominum Deum initio mundi feciſſe.

[ *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* ] Abyſſus ſonat quaſi ſine fundo, & ſignificat magnam profunditatem aquarum ſeu ( ut Baſilius hom. 2. in hexam. tradit ) copioſam *aquam ad cujus fundum haud facile penetrari poterit deorſum verſus.* Unde Auguſt. in Pſalm. 41. *abyſſus eſt profunditas quædam impenetrabilis, incomprehenſibilis, & maximè ſolet dici in aquarum multitudine: ibi enim altitudo, ibi profunditas quæ penetrari uſque ad fundum non poteſt.* Neque ab his diverſa eſt eorum expoſitio qui per abyſſum hic intelligunt immenſam illam molem ex terra & aqua ſic conſtantem, ut aqua profundiſſima totam terram operiret.

Quid abyſſ.

Facies abyſſi eſt ſuperficies totius iſtius molis, ſeu aquarum profunditatis. Ergo tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, id eſt, omnem ſuperficiem molis & profunditatis illius tegebant tenebræ, tota moles terræ & aquæ eam ambientis, erat obſcura & caliginoſa, utpotè ſine luce. Hinc Job 38. Deus de mari dicit quòd ab initio *poſuerit nubem veſtimentum ejus, & caligine illud obvolverit.*

Ex hoc porrò quod dicitur, *tenebræ erant ſuper faciem abyſſi,* perperam collegerunt quidam hæretici apud Hugonem Cardinalem, tenebras eſſe æternas: Non

enim simpliciter dicitur, quòd tenebræ erant; sed quòd erant super faciem abyssi, quando nimirùm abyssus cepit esse, non verò ante abyssum, neque ante cœlum & terram.

Tenebræ, an creatæ.

Si quæras quando igitur creatæ sunt tenebræ Resp. eas non propriè esse creatas vel productas, cùm non sint aliquid positivum, sed sint privatio vel absentia perfectionis natæ inesse. Quamquam sicut Deus dici potest creasse tenebras, in quantùm vel non dat lumen, vel datum subtrahit illis corporibus quæ sunt luminis capacia, unde Isaiæ 45. dicitur *Deus formans lucem & creans tenebras*, ita dici potest creasse tenebras in mundi exordio, quandoquidem tunc fecerit corpora, capacia quidem luminis, & tamen lumen eis non dederit.

[ *Et Spiritus Dei ferebatur super aquas*. ] Non pauci codices habebant olim Spiritus Domini, sed meritò Romani correctores reposuerunt Spiritus Dei, quomodo & Hebræa, & Versio 70. habent, ac insuper Basilius & Ambros. in hexam. Chrysostomus & Hieron. in Genes. Augu. l. 1. de Gen. contra Manichæos; & lib. 1. de Genes. ad litt. Hic porrò Spiritus Dei, juxta veterum tam Græcorum quàm Latinorum ferè omnium Patrum expositionem, Spiritus Sanctus tertia in Trinitate persona intelligitur; quem intellectum Ecclesia in benedictione fontis baptismalis approbavit, dicens, *Deus cujus Spiritus super aquas inter ipsa mundi primordia, ferebatur, ut jam tunc virtutem sanctificationis aquarum natura conciperet*. Et in sequentia seu Prosa de Spiritu Sancto Missalibus, Leodiensi & Morinensi, *Quando machinam per Verbum suum fecit Deus cœli, terræ, marium, Tu super aquas futurus eas nomen tuum expandisti*.

Quis is Spiritus.

Ferebatur, vel ut est apud 70. superferebatur super aquas, non motu locali, sed intellectu & voluntate, sive ut loquitur August. lib. 1. de Genes. contra Manichæos cap. 5. *non per spatia locorum sed per potentiam invisibilis sublimitatis suæ*, eo scilicet modo quo voluntas artificis superfertur rebus fabricandis, ut idem ait c. 2. Alii proferebatur, ex Hebræo legunt, motans se, vel incubans aquis. Per aquas verò non nudum elementum aquæ venit intelligendum, sed aqua simul cum terra, sive aqua illa substantia quæ & quatenus operiebat terram totam, ita ut sensus sit quòd Spiritus sanctus aquam & terram disponeret ac præpararet ad futuram rerum germinationem; quòdque in similitudinem volucris ova quibus incubat suo calore foventis & animantis materiam illam foveret, vitalem ipsi præbens fœcunditatem, sive per auram calidam quam spargebat: sive aliter. Quamvis autem hæc præparatio & fœcundatio totius sit Trinitatis, specialiter tamen attribuitur Spiritui Sancto, ut sciamus Deum non propter aliquam necessitatem vel indigentiam fabricasse mundum, sed ex mera libertate voluntatis suæ, & propter suam bonitatem; nam voluntas & bonitas appropriantur Spiritui sancto.

Moralia.

Pro moribus hic observari potest quòd sicut terræ & aquæ moles tenebrosa fuit quamdiu sibi est relicta, ita homines in tenebris, tum peccati, tum ignorantiæ manent, quamdiu sibi relinquuntur, ut qui non suo sed alieno, divinitùs nimirùm superaddito lumine fulgere possit. Et quemadmodum Spiritus sanctus aquas fœcundavit ut ex illis orirentur ea quæ disposuerat deinceps facere; sic aquam baptismalem quodammodo fovet ac fœcundat, ut homines regenerari possint, non aquarum vi, sed virtute supernaturali.

[ ℣. 3. *Dixitque Deus fiat lux, & facta est lux*. ] Non voce aliqua sensibili dixit, sed verbo mentis, eoque non notionali vel personali, sed essentiali, quod toti Trinitati commune est. Nam, *Dixit*, hic idem valet quod jussit seu voluit ac volendo fecit, ut tunc fieret lux. *Et facta est lux*, sic inducitur Deus solo verbo seu imperio suo efficere, nunc quidem lucem, postmodum verò alia: partim ut authoritas & potestas Dei nobis insinuetur, qui quod vult fieri, statim facit; partim ad operationis Dei facilitatem nobis significandam; quam enim facile est homini verbo dicere quidquid mente concepit, Deo tam facile est (imò & facilius) facere quidquid vult, unde Psalm. 148. *ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt*; partim etiam ut ostendatur quòd Deus lucem & alia non produxerit ex necessitate naturali, sed ex ratione & libera voluntate: dicere enim & jubere solùm est ejus, qui cum ratione & libertate operatur.

Dubium. Resp.

Si quæras, cui dixerit Deus, fiat lux. In primis Resp. non esse necessarium quòd alicui dixerit seu jusserit, cùm illud ejus dicere seu jubere, idem sit quod efficaciter velle, & sic volendo facere. Si tamen velimus interpretari quod alicui dixerit, Responderi potest quòd dixerit luci quæ necdum erat, *vocat enim ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt*, ad Rom. 4. vel aeri, qui jam ante erat, faciendo ut lux in ipso oriretur, & reciperetur; vel etiam suæ potentiæ effectivæ quæ concipitur ut principium executivum, quamvis enim Deus semper habuerit potentiam faciendi ea quæ fecit, illa tamen non semper sunt facta, sed tunc demùm quando jussit ac voluit, perinde ac si ita dixisset: potui hactenus lucem facere, non tamen feci, quia non volui ut tunc fieret. Jam autem volo ut nunc fiat: *fiat* igitur lux, & statim *facta est*, subest enim ei cum voluerit, posse. Sap. 12.

Sermo est de luce corporali.

Sed ambiguum est quæ fuerit ista lux: Inter varias Doctorum sententias ea communior & probabilior est, quæ lucem illam dicit fuisse corporalem & sensibilem, sicut tenebræ quibus ea lux successit, corporales erant ac sensu perceptibiles, facta autem est non per se seu sine subjecto existens; cùm non oporteat in primis mundi initiis miracula quærere vel multiplicare; sed in corpore aliquo, eoque verisimiliter solari; quæ deinde diffundebatur per aerem. Huc facit quod Dionys. cap. 4. de divinis nominibus, parte 1. de solari luce disserens, *ipsa*, inquit, *est ea lux & si tunc erat informis, ut divinus Moyses dixit, quæ primus tres dies distinxit*, motu nimirùm circulari, quo simul cum solari corpore movebatur, quemadmodum diximus 1. p. q. 67. art. 4.

Mystica.

Ex hoc porrò quòd in isto mundo corporeo lux tenebris successit, discere possumus quid in homine fiat mysticè, nimirùm quòd è peccatorum tenebris per Christum veniat ad lucem justitiæ, secundùm ea quæ leguntur ad Rom. 13. *nox præcessit, dies autem appropinquavit*. Et 2. ad Cor. 4. *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris*, pellens scilicet tenebras erroris & peccati.

Quatuor unius scripturæ sensus.

In una hac sententia, *fiat lux*, observari possunt quatuor sensus ex B. Thom. lectio 6. in cap. 4. ad Galatas, *litteralis*, de luce corporali: *allegoricus*, de Christo, qui nasciturus erat lux Ecclesiæ militantis: *Moralis*, de fide Christi per dilectionem operante: *Anagogicus*, de luce gloriæ.

[ ℣. 4. *Et vidit Deus lucem quòd esset bona*. ] Inducit Moyses Deum humano more agentem, eumque velut artificem describit, opus suum contemplantem & examinantem; idque tum ut nos ejus exemplo discamus opera nostra videre & examinare, tum ut contra Manichæos pateat Deum omnia fecisse bona & benè, quod dicitur, *vidit*, non sic est accipiendum quasi lucem velut rem antea incognitam videre cœperit, aut jam viderit, sed vel quia videri fecit, seu demonstravit lucem esse bonam, secundùm eam scripturæ phrasim, qua Deo tribuitur illa actio quam in nobis ponit; sicut Spiritus sanctus ad Rom. 8. dicitur clamare, quia facit ut clamemus, ad Galat. 4. Vel *vidisse* hic dicitur Deus, quia lucem approbavit tamquam aliquid bonum ac pulchrum.

Quare lux bona.

Est autem lux bona, partim quia est ornamentum rerum omnium, & medium quod oculos humanos deducit ad intuitum eorum quæ sunt visibilia; partim quia est tamquam vehiculum caloris cœlestis quo omnia inferiora vegetantur, foventur, & nutriuntur; partim etiam quia est utilis ad opera hominum ac insuper jucunda. Similiter Sapientia & gratia quæ per lucem significantur, sunt ornamenta animarum, & media perveniendi ad conspectum Dei, & per eas tamquam per calorem spiritualem homo vegetatur ad bonum, & in amore cœlestium nutritur, suntque ad opera salutis, perutiles & jucundæ.

[ Et

[ *Et divisit lucem à tenebris* . ] Non quòd antea tenebræ fuerint luci permixtæ, sed quia separavit ac distinxit eas quoad locum, tempus, & causam suam. Quoad locum faciens ut in uno hemisphærio esset lux, Qualis divisio. & in alio tenebræ. Quoad tempus, quia fecit ut in eodem hemisphærio nunc esset lux, nunc tenebræ, ita ut vicissim tenebræ succederent luci, & lux tenebris. Quoad causam, quia alia est causa lucis, scilicet corpus lucidum; alia tenebrarum, nimirùm corpus opacum sibi relictum. Per istam divisionem lucis à tenebris intelligi potest adumbrata fuisse bonorum Angelorum separatio à malis, sive ea illo ipso instanti contigerit sive alio: id quod prorsus incertum est. Imò generaliter tam hominum quàm Angelorum, bonorum & malorum segregatio per hunc typum expressa potest intelligi. Mali enim ita per tenebras significantur, ut ad tenebras quoque sint damnandi; & regnum ipsorum, tenebræ & umbra mortis, unde ad Ephes. 6. dæmones vocantur rectores tenebrarum harum. Sicut è contrario justi ita significantur per lucem, ut dicantur fulgere, Sap. 3. & esse lux in Domino, ad Ephes. 5.

[ ℣. 5. *Appellavitque lucem diem, & tenebras noctem*, ] Quod hic dicitur *appellavit*, & posteà semel ac iterum vocavit, non de sensibili voce accipiendum est, qua Deus fuerit usus, sed appellavit seu vocavit, idem valet ac appellari seu vocari fecit; juxta illud hymni ecclesiastici. *Qui mane junctum vesperi diem vocari præcipis*, ut sensus sit, quòd Deus causam dederit, atque ita effecerit ut lux seu lucis præsentia & duratio vocaretur dies; & tenebræ, id est, absentia istius lucis, vocaretur nox.

[ *Factumque est vespere & mane dies unus* . ] Per vespere probabiliter intelligitur aut finis diei artificialis, aut initium noctis; & per mane, conformiter aut initium diei artificialis; aut finis noctis: à parte autem totum intelligitur, totus scilicet dies artificialis, & tota nox, & sensus est quòd ex die ac nocte, aut ex nocte ac die artificialibus completus est dies unus, nimirùm naturalis, de die namque dupliciter loqui contingit: uno modo prout est duratio 24. horarum ab ortu solis totum orbem circumeuntis, usque ad alterum ortum ejusdem, & vocari solet dies naturalis: alio modo prout dies contra noctem distinguitur, ita ut solis præsentia diem efficiat, & ejus absentia noctem, & hic dies à quibusdam artificialis, ab aliis dicitur vulgaris, juxta posteriorem hunc modum accipitur, cum legimus lucem appellatam esse diem; juxta priorem, cùm dicitur factus est dies unus, dies secundus &c. Utrùm porrò dies inceperit à nocte, an à luce, videri possunt quæ diximus 1. p. quæst. 74. art. 3.

[ *Dies unus*, ] Hoc est, dies primus, phrasi Hebraica etiam apud Latinos usitata, secundùm quam numerus cardinalis pro numero ordinali ponitur, sicut infra c. 2. cùm enumerantur fluvii dicitur, *Nomen uni*, id est, primo *Phison*, *nomen fluvii secundi Gehon*: & Aggæi 1. *in mense sexto in die una*, id est prima mensis. Similiter Marci 16. cùm dicitur una sabbathorum; & Joan. 20. Una sabbathi, una pro prima positum est. Fuit autem hic primus dies ille quem nos christiani à Christi Domini resurrectione vocamus Dominicum: nam septimus ab eo fuit sabbathum.

Hujus porrò diei multæ observari possunt pro concionatoribus prærogativæ: De ista siquidem die S. Leo epist. 81. cap. 1. scribit, quòd *tantis divinarum dispensationum mysteriis est consecrata, ut quicquid est à Domino insignius constitutum, in hujus diei dignitate sit gestum*: Ubi etiam quinque ejus diei prærogativas recenset; sed quoniam plures aliæ possunt addi: Ideò

Prima sit, quòd in ista die mundus sumpsit exordium, ut ex præsenti cap. potest haberi.

Secunda, quòd prima pluvia Mannæ tunc contigerit, quemadmodum c. 16. Exodi manifestat, ubi legitur quòd Israelitæ sex diebus collegerunt manna, & die septimo ab ejus collectione cessarunt, quia erat sabbathum.

Tertia, quòd in isto die Christus solemniter ingressus fuerit Jerusalem, Joan. 12.

Quarta, quòd tali die resurrexit, ita ut tunc & mors interitum, & vita acceperit initium, sicut ex Evangeliis notum est.

Quinta, quòd ejusmodi die à morte redivivus, quinquies se videndum exhibuerit, ac rursum die octava, ut ex Evangeliis declaravimus 3. p. quæst. 55. art. 3.

Sexta, quòd tunc dederit Apostolis potestatem remittendi peccata, & Thomæ apparuerit, Joan. 20.

Septima, quòd simili die Spiritus Sanctus Apostolis sit datus, Act. 2.

Octava, quòd S. Joannes Evangelista fuit in Spiritu dominica die, viditque tunc Apocalypsim, Apocal. 1. Aliæ, de quibus ex scriptura non constat, ex Patribus tamen aliquod habetur testimonium, sunt quòd in die Dominico, Israelitæ transierunt mare rubrum siccis pedibus, ab Ægyptiis liberati: quòd populus Israeliticus legem tunc acceperit: quòd Christus quinque panibus & duobus piscibus quinque hominum millia pavit: quòd in Jordane fuerit eo die baptizatus; quòd aquam in vinum converterit: Vide August. serm. 154. & 251. de Tempore. Addunt quidam Christum die Dominico fuisse natum: sed eis alii contradicunt qui feria sexta natum eum volunt ut illo die natus sit homo secundus, quo primus fuit plasmatus.

[ ℣. 6. *Dixit quoque Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.* ] Cum primo die aqua totam terram obtegeret, die secundo Deus eam digessit & in superiores ac inferiores: interposito firmamento, divisit.

Sed quid nomine firmamenti intelligitur, incertum est. Quidam cœlum illud octavum, in quo sunt stellæ fixæ, & quod à philosophis communiter vocari solet firmamentum, intelligunt: sed obstat, quòd in firmamento cujus hic fit mentio, non tantùm stellas Deus posuerit, sed etiam solem & lunam; quæ tamen luminaria non in octavo cœlo sunt, sed in quarto & primo.

Alii probabilius per firmamentum accipiunt omnes orbes cœlestes præter cœlum Empyreum, consequenter dicentes quòd veræ ac naturales aquæ sint super omnes cœlos, atque adeò super primum mobile, proximè sub cœlo Empyreo. Quia tamen Moyses rudi populo scribebat; ideò magis existimandus videtur loqui de firmamento quod sensibus percipitur, & de aquis quæ communiter noscuntur, hominumque utilitati serviunt, quàm de invisibilius & ignotis.

Et propterea aliorum sententiæ potiùs assentimur qui per firmamentum intelligunt spatium aereum, Quid hic firmamentum. non simpliciter, sed quatenus aquas superiores firmat ac continet ab aquis inferioribus separatas; seu quod idem est, totum illud spatium quod à terra sursum expanditur, usque quo aspectus hominum ferri potest. Cui expositioni non parum favet tum quòd vocabulum Hebræum pro quo nos habemus firmamentum significat expansionem; aer enim maximè aptus est expandi; tum quòd hoc firmamentum vocatum est cœlum, cœli autem nomine scripturam frequenter designare spatium aereum supra nos expansum, notissimum est; veluti cùm nominat aves cœli, cataractas cœli. Confirmatur, quando in sacris litteris mentio est aquarum superiorum vel aquarum cœli, constat per eas frequenter intelligi aquas illas quæ sunt in aliqua superiori parte spatii aerei; non constat autem quòd vel semel intelligantur aquæ super primum mobile existentes; cùm an aliquæ ibi sint aquæ, à doctis valdè dubitetur, ergo probabilius est per firmamentum intelligi spatium aereum quàm orbes cœlestes; quoniam juxta hanc expositionem certò habemus aliquas veras ac naturales aquas esse supra firmamentum, id quod scriptura hoc cap. indicat, juxta alteram verò non habemus certò. Hinc Psalm. 103. cùm dicitur Deus extendere cœlum sicut pellem, & aquis tegere superiora ejus, ne dubitaremus sermonem esse de aquis nubium; mox additur, *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum*. Similiter Psalm. 146. cùm dicitur Deus operire cœlum

lum nubibus, ut sciremus agi de nubibus propriè dictis, statim subditur *& parat terræ pluviam*, rursum quando agitur de grandi pluvia quam Deus est daturus, ipse dicitur aperire cataractas cœli, aut dare pluviam de cœlo, Jeremiæ 10. Malach. 3. & alibi. In his autem locutionibus non est sermo de aquis è nono cœlo delapsuris, sed è nubibus. Phrases autem illæ sunt conformes iis quæ in præsenti cap. leguntur, ergo neque hic est sermo de aquis super cœlum novum existentibus; sed de illis quæ sunt in ea parte aeris, ubi generantur nubes. Denique cùm Gen. 7. dicuntur cathatactæ cœli apertæ & facta esse pluvia quæ totum mundum inundavit, omninò videtur sermo esse de illo cœlo suprà quod aquæ superiores hic fuisse leguntur; illæ autem non venerunt ex nono cœlo, sed ex aereo. Hanc de firmamento expositionem tradunt Basilius hom. 3. in hexameron, Hieronymus epist. 83. Augustinus lib. 2. de Genesi cap. 4. B. Thomas 1. p. quæst. 68. art. 1. & 2. & quodlibet. 4. art. 3. Durandus in 2. d. 14. Bannesius & Cumel super 1. p. Pererius, Marzilla, Marius.

Cui non obstat quòd aer non sit corpus firmum ac solidum: hoc enim cœlum non sit corpus firmamentum, eò quòd sit crassum aliquod & solidum corpus aquas inferiores à superioribus separans, sicut muri, vel littora, vel aggeres separant aquas à terra, sed quia est firmus quidam terminus, & interstitium divina ordinatione firmiter eas ligans seu continens, ne subito lapsu, infimam mundi regionem occupent & obruant.

Non obstat etiam quòd non videantur initio mundi fuisse nubes: quamvis enim non fuerint statim in primo initio mundi, nihil tamen vetat aliquanto post fuisse, luce scilicet vapores sursum attrahente, sed etsi non fuerint, parum refert, quia sic Deus divisit aquas ab aquis, ut crassiores inferius reliquerit, subtiliores autem in parte superiori conservaverit, ubi & nubes pluviæ deinceps generarentur, firmo seu stabili, inter has & illas interstitio constituto.

[ ℣. 7. *Et fecit Deus firmamentum*. ] Non novum aliquid producendo, sed aeri novam perfectionem quam antea non habebat, tribuendo. Cùm enim aer hactenus fuisset ab aquis ferè indistinctus, aureis omnino permixtus, jam Deus fecit ut regionem inter aquas inferiores & superiores mediam occuparet, atque superiores ita contineret ut non pariter erumpant deorsum. Fecit ergo firmamentum quia nunc fecit ut aer acciperet rationem firmamenti seu firmi ac stabilis termini. Neque mirum videri debet, quòd dicatur secundo die nihil novum esse, productum quod antea non fuerit; nam nec quarto die aliquid novum est productum, juxta expositionem cœli versu 1. probatam. *In isto die factum sit firmamentum.*

[ *Divisitque aquas quæ erant sub firmamento*. ] Terrestres scilicet seu quæ terram irrigabant, eique conjunctæ erant.

[ *Ab his quæ erant super firmamentum*, ] in superiori nimirùm regione aeris, seu spatii aerei.

[ *Et factum est ita*, ] actualiter & in re sicut jussit aut voluit.

[ *Vocavitque Deus firmamentum, Cœlum*. ] Hoc est, fecit ut spatium illud aereum quod tamquam firmum ac stabilem terminum constituit, vocaretur cœlum. Vocabulum quo Hebræi cœlum significant, juxtà suam etymologiam, idem valet, ac, *ibi aqua*: cùm igitur in illo spatio quod firmamentum dicitur, aquæ sint, meritò illud vocatum est cœlum; hoc est, *ibi aqua*. Latinis autem cœlum dicitur, vel quasi *κοῖλον*, id est, cavum; vel à celando seu tegendo, quia tegit omnia; vel à celando quasi sculptum stellis & cælatum. Græcis dicitur *ὀρανὸς*, quia est ὅρος, id est, terminus eorum quæ super nos sunt, teste Philosopho libro de mundo.

Moraliter per aquas intelligi possunt tribulationes, juxta illud Psal. 68. *Salvum me fac Deus quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam*. Aquæ superiores sunt afflictiones vehementiores; inferiores sunt mediocres: separat eas Deus, dum non patitur fideles tentari supra id quod possunt, prior. ad Cor. 10. firmamentum quod inter eas ponit, vel est divina custodia & protectio, unde Psal. 17. *Dominus firmamentum meum & refugium meum*; vel est ipsa animæ fidelis constantia & firmitas, quam ei tribuit. Ad mores quoque spectat etimologia cœli; quia ad illud seu ad ejus inhabitatorem Deum, debemus tendere tamquam ad terminum ad finem nostrum: & anima nostra instar cœli debet virtutibus ornari & quasi sculpi, sicut cœlum, stellis. *Moralia.*

[ *Et factum est vespere & mane dies secundus*. ] Non est putandum sive in hoc, sive in aliis diebus Deum instar artificis vel toto die ad productionem operis, cuique diei respondentis eguisse, vel eo toto fuisse operatum: sed talis sermo adfertur ad significandum quòd Deo non plus placuit facere isto die.

Si quæras, quare Moyses, ad finem secundæ diei non dixerit sicut in opere aliorum dierum, vidit Deus quod esset bonum: Una Responsio est eum hoc dixisse, quandoquidem eam clausulam legerunt Basilius & Ambrosius, ut patet ex ipsorum comment. in hexam. eamdemque modò habent 70. ac etiam olim habuerunt, ut doceri potest ex Hiero. l. 1. adversùs Jovinianum cap. 9. ut propterea suspicio sit eam excidisse ex Hebræo.

Alia Responsio concedit non fuisse dictum; idque potissimum quia opus distinctionis aquarum secundo die ceptum, demum fuit die tertio absolutum; & tunc ea clausula exprimitur atque ad utriusque diei opus pertinet; vel etiam, quia distinctio aquarum superiorum ab inferioribus illo die facta non manifestè conspicitur à populo, vel quia id quod in aliis diebus fuit expressum, intelligi quoque debet in simili, etiamsi non exprimatur. Videri possunt quæ diximus 1. part. quæst. 74. art. 3.

[ ℣. 9. *Dixit verò Deus, congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum unum, & appareat arida*. Quasi dixisset, nolo ut aquæ inferiores amplius occupent & contegant totam terram, sed in unum locum congregentur, & reliqua terræ pars aquis discooperta, appareat arida id est exsiccata, ut & hominum & aliorum animantium habitationi fructibusque ferendis sit idonea. Arida ergo non est idem quod arenosa, neque sic vocatur ab arenarum congerie (sic enim fuisset infrugifera) sed juxta vocis Hebreæ significationem idem valet, quod sicca vel exsiccata.

[ *Et factum est ita*. ] recesserunt enim aquæ non solis ardore, nec vento valido, nec paulatim, sed sola Dei virtute ac voluntate cui cuncta obediunt, & statim: sicque quàm plurimæ partes terræ subitò apparuerunt aquis denudatæ & exsiccatæ. Non sic porrò intelligenda est terra fuisse exsiccata, quasi omni protsus humore aqueo destituta fuerit, sed quoniam ita fuit aquis discooperta & denudata, ut quamvis retineret humorem aqueum quem imbiberat, & quo velut glutine compacta consistit: juxta illud 2. Petri 3. *Cæli erant prius*, seu olim, Dei scilicet verbo conditi, *& terra de aqua*, extans nimirùm & velut emergens *& per aquam consistens*, compacta & solidata, tum ne deflueret in pulverem, tum ut productioni & conservationi corporum mixtorum apta esset, non tamen ampliùs tota cooperiretur aquis, sed denudata appareret, & aliquo usque exsiccata.

Petes, quomodo aquæ dicuntur congregatæ in unum locum, cùm experientia congregatæ in esse aquarum loca, diversa nimirùm maria, flumina, paludes, fontes &c. Quæst.

Resp. rectè id dici propter aliquot ex sequentibus rationibus prima est quia omnium aquarum unus tantùm locus fuerit, unitate continuationis; omnea enim aquæ unum terminum habent, scilicet mare in quod confluunt vel manifestis, vel occultis meatibus, ait B. Thom. 1. p. quæst. 69. artic. 1. ad 3. Secunda est, quia unus locus non est accipiendus strictè & propriè unus per oppositionem ad plura loca aquarum, sed comparatione loci quem habet terra, perinde ac si dictum esset, congregentur omnes aquæ in locum aliquem seorsum è terra sicca. Terra quia in ea sententia, *congregentur aquæ in locum unum*, locus unus non accipitur determinatè, sed confusè, velut si diceretur, singulæ aquæ seu singulæ aquarum congregationes congregentur in aliquem locum, unaquæque scilicet in suum: unde mox Resp.

sequi-

sequitur congregationesque aquarum appellavit maria, per quod apertè datur intelligi, fuisse plures aquarum congeries, quarum unaquæque suum particularem locum haberet.

Alia qu. Petes secundò, cùm elementum aquæ sit majus elemento terræ: quomodo fieri potuit quòd terra toti aquæ locum præberet, ac nihilominùs terra appareret arida.

Resp. Resp. facilè fieri potuisse, partim quia aqua dum terram circumdabat, erat rarior & tenuior; posteà verò naturali proprietate aquæ servata, fuit aliquo modo condensata, & sic minori loco eguit: partim quia licet usque ad tertium diem terra fuerit æqualiter in orbem compacta, & undequaque rotunda; hoc tamen die Deus fecit eam multis in partibus profundè subsidere, aliis item plurimis in sublimè efferri, sicque variæ tum valles, tum concavitates ortæ sunt, æquè profundissimæ ad aquas recipiendas; diversi quoque montes, qui & ipsi hiatibus occultis abundant aqua plenis.

Moraliter aquæ, ut ad versum 8. fuit dictum, significant tribulationes, Arida seu terra significat cor hominis quod & si tribulationum vel multitudine vel quantitate plenum sit ac obrutum, ad divinum tamen imperium denudatur, & è tribulationibus ita liberatur, ut moderata aquarum humiditate remanente, hoc est, retenta mediocri tribulationum memoria, juxta illud Ecclesiastici 11. *In die bonorum ne immemor sis malorum*, ut idoneum sit fructum boni operis facere.

[ ℣. 10. *Et vocavit Deus aridam, terram.* ] Terra Hebraicè derivatur à verbo quod significat calcare, ambulare, currere; atque ita sensus est, quòd eam quæ aquis denudata apparuit arida, Deus vocavit seu vocari fecit terram; eò quòd jam apta esset ab hominibus & jumentis calcari & habitari, possentque homines in ea & per eam ambulare & currere. Sic & Latinè terra, à terendo dicta est, eò quòd hominum pedibus teratur.

[ *Congregationesque aquarum appellavit maria.* ] Eò quod vocabulum Hebræum pro quo habemus maria, copiam seu multitudinem aquarum significet: unde consuetudinis Hebræorum est quamcumque magnam aquarum congregationem appellare mare, ut stagnum Genesareth, Lucæ 5. mare Galilææ, Matth. 4.

[ *Et vidit Deus quòd esset bonum.* ] Totum scilicet opus divisionis, quæ fuit triplex. Una, lucis à tenebris; secunda, aquarum superiorum ab inferioribus; Tertia aquarum à terra. Verisimile enim est Moysen ea clausula hìc expressa voluisse complecti omnia opera divisionis seu separationis facta primo, secundo, & tertio die; cùm neque post divisionem lucis à tenebris, eam legamus dictam; neque post separationem aquarum ab aquis. Accedit quod si de solo hujus tertii diei opere istam clausulam intellexisset, non opus erat hoc loco eam ponere, quandoquidem post totius diei opus rursum ponatur.

[ ℣. 11. *Et ait, germinet terra herbam virentem.* ] Germinet, hoc est, materiam suppeditet, ut jam nunc herba virens germinetur: si enim non certum, admodum tamen probabile est initio mundi terram non effectivè produxisse plantas, sed materialiter tantùm se habuisse, solum autem Deum sua virtute fuisse causam effectivam, cùm terra non potuerit naturali sua virtute statim producere herbas & plantas justæ magnitudinis & perfectionis, sicut hoc die fuerunt productæ; In prima autem rerum institutione non sunt quærendæ miraculosæ operationes creaturarum. Consimili eodem modo hic dicitur, *germinet terra*, quo posteà legimus dictum, *producant aquæ reptile animæ viventis; &, producat terra animam viventem*; certum est autem quòd nec aquæ reptilia, nec terra jumenta effectivè produxerit. Conferri possunt quæ diximus 1. p. q. 70. art. 1.

[ *Et facientem semen:* ] hoc est, quæ possit semen facere, seu seminare ad propagationem speciei.

[ *Et lignum pomiferum.* ] Idest, arborem fructus facientem seu fructiferam, quemadmodum alii ex Hebræo vertunt; phrasi enim Hebrææ lignum pro arbore ponitur; & pomum (quod in vocabulo pomiferum includitur) pro quovis arborum fructu.

[ *Cujus semen in semetipso sit super terram:* ] hoc est, quod in se habeat vim seminalem, atque adeò virtutem producendi sibi simile. Nec refert ubi habeat vim illam, utrùm scilicet in radice, vel in stipite, vel in fructu. Ideò verò semel & iterum hìc exprimitur semen, & non similiter, ubi de hominibus brutisque animantibus sermo est, quia herbis & arboribus ad producendum sibi simile sufficit semen, neque egent diverso sexu, sicut homines & bruta animantia, quibus non sufficit semen sine alio sexu. [ *Et factum est ita,* ] sicut Deus voluit ac jussit.

[ ℣. 12. *Et protulit terra herbam virentem.* ] Illo ipso scilicet momento quo Deus jussit: mox enim ut Deus dixit, germinet terra herbam virentem, hoc est, statim ac Deus jussit & voluit, ut terra germinaret; in terra materiam subministrante, omnes plantarum species ab eo sunt productæ eæque secundùm suam speciem perfectæ & adultæ; & quibusdam in locis cum fructibus maturis, veluti in eo terræ tractu in quo erat paradisus, & in quo homines post egressum è paradiso statim erant habitaturi; in aliis autem regionibus, cum fructibus ad maturitatem propinquis; in aliis cum floribus; ac rursum in aliis tantùm cum foliis, vel etiam sine foliis, pro natura scilicet qualitate & conditione, tum arborum, tum regionum. Verisimile enim est quòd Deus ab initio produxerit omnes plantas & arbores proportionaliter, seu consentaneè, tum naturis ipsarum, tum regionibus locorum. Quo in statu arbores productæ fuerint.

Ex his intelligi potest terram die tertio non solùm produxisse plantas virtute, idest, non solùm accepisse virtutem eas producendi, sed etiam produxisse actu, seu potius ipsas actualiter in terra & ex terra fuisse productas.

Et quamvis aliqui dubitarint de herbis venenatis, de spinis ac tribulis, num die tertio, ac per consequens ante hominis peccatum productæ fuerint: Verisimilius tamen loquuntur qui affirmant; pertinebant enim ad ornatum universi, & ad varias utilitates servire poterant vel hominibus vel bestiis, etiam secluso peccato.

Marmora quoque, metalla, & generaliter quæ vocari solent mineralia in terræ visceribus latentia, hoc eodem die creata fuisse supponere videtur B. Thom. 1. p. q. 69. art. 2. ad 3. etsi Moyses hoc reticeat; sive quia eorum origo hominibus est occulta & ignota; sive quia non habent manifestam distinctionem à terra, sed potius videntur esse quædam species terræ.

[ *Et facientem semen* ] hoc est, habentem virtutem producendi semen seu vim seminativam.

[ *Juxta genus,* ] idest, justa speciem suam.

[ *Lignumque faciens fructum, & habens unumquodque sementem secundùm speciem suam.* ] Idest, arbores fructiferas, quarum quælibet habent in se vim seminativam secundùm naturam suam specificam.

[ *Et vidit Deus quod esset bonum.* ] Pertinet ista clausula ad herbarum, aliarumque plantarum germinationem & productionem, significatque quòd ea Deo placuerit, ipsamque Deus approbaverit, velut ad multa utilem & ad universi decentiam pertinentem, & sic patet quare bis hæc clausula isto die fuerit dicta.

[ ℣. 13. *Et factum est vespere & mane, dies tertius.* ] Quasi diceret, his quæ dicta sunt factis, Deus non est eo die novum aliquid operatus, sicque dies mundi tertius fuit completus.

Pro moribus autem observa quòd in homine seu in hominis corde per terram significato, ad Dei jussionem producantur bonæ cogitationes, sanctæque voluntates, quæ sunt arbores bono fructui ferendo idoneæ, juxta illud Matth. 7. *omnis arbor bona fructus bonos facit*; ac insuper semen quod 1. Joannis 3. dicitur manere in eo qui natus est ex Deo. Ex eo porrò quòd neque argenti neque auri vel aliorum mineralium scriptura meminerit, ubi reliqua initio mundi producta exprimit, discimus Deum noluisse hominibus dare occasionem ea sollicitius quærendi vel amandi; neque digna esse ut quærantur, quæ nequidem digna fuerint, ut in prima rerum productione commemorarentur.

[ ℣. 14. *Dixit autem Deus:* ] Hactenus Moyses commemoravit opera creationis & distinctionis; nunc ad opera ornatus progreditur: & sicut creato cœlo, ejus distinctioni unum diem assignavit; secundum distin-

ctioni

ctioni aquæ, tertium distinctioni terræ: ita quoque ornatui tres dies attribuit, unum ornatui cœlorum, alterum aquarum, & alium terræ. Superius quidem positæ sunt herbæ & arbores in terra, non tamen ut pertinentes ad ejus ornatum, licèt eam exornent, sed ad distinctionem, quoniam omnia ejusmodi videntur esse quædam partes terræ, cum radicibus ei firmiter inhæreant; ornatus autem propriè sit aliquid extrinsecum adveniens, sicut sunt aves, pisces, jumenta, & homines.

[ *Fiant luminaria* ] non dixit Deus, producat cœlum luminaria, sicut dixit, germinet terra herbam; quia nec cœlo, nec sideribus cœli data est virtus seminalis ad producendum luminaria, quemadmodum terræ seu terrestribus plantis data fuit virtus ad producendum similes plantas secundùm speciem. Cum hic dicitur, *fiant luminaria*; & statim post, *fecitque Deus duo luminaria* &c. non est necessarium intelligere quòd astra fuerint hoc quarto die secundùm substantiam producta, & si hæc quorumdam intelligentia non sit tamquam improbabilis rejicienda; sed inhærendo explicationi superius indicatæ, verisimilius est luminaria dici esse facta hoc die secundùm eam qualitatem à qua habent quòd sint ac dicantur luminaria, & per quam alia ab aliis peculiariter distinguuntur, quia scilicet cuique cœlesti orbi qui primo die fuerat creatus, quantum ad substantiam & quantum ad perfectionem specificam, hoc quarto die data est sua lux in ea perfectione quam nunc singula astra habent; & quam eorum conditio postulat, ita ut orbis solaris qui primo die lucem aliquam sed exilem & imperfectam acceperat, similem scilicet luci auroræ; nunc perfectiorem & auctiorem acceperit, à qua posset vocari luminare majus. Data insuper nunc fuit cuique sideri virtus propria & determinata producendi varios effectus, secundùm quam alii sunt effectus radiorum solis, alii radiorum lunæ, & sic de reliquis; ac præter ea suus proprius motus, cum antea solùm moverentur eo motu qui toti cœlo est communis. Conferri possunt quæ diximus 1. p. q. 70. art. 1. & quæ scribunt Dionys. Carthus. & Perer. & alii.

*Ut luminaria sint facta die quarto.*

[ *In firmamento cœli*, ] sermo est transitivus pro intransitivo, perinde ac si diceretur in firmamento quod vocatur cœlum. Per firmamentum autem non intelligitur una aliqua sphæra, cum sol, luna, & stellæ, de quibus sermo est, sint in diversis sphæris, & non in una eademque; sed spatium illud quod à terra sursum expanditur usque quò aspectus noster ferri potest.

[ *Et dividant diem ac noctem*, ] non sic ut unum luminare faciat diem, & aliud noctem (cùm sicut lux non facit noctem, sed lucis absentia, ita neque luminare eam faciat sed luminaris absentia:) sed ut dividant, partim successivè lucendo, unum interdiu, scilicet sol, & aliud noctu, nimirùm luna, & stellæ: partim quoad diversa officia & diversos influxus: tempus enim diurnum aptius est ad laborandum, nocturnum verò ad quiescendum; & alias quoque qualitates causant luminaria tempore diurno, aliàs nocturno: partim denique quo ad situm & hemispherium, ut dum in uno lucet sol, & est dies; in alio sit luna, & nox.

Ob. Dices, ante hunc diem fuit divisio dierum & noctium, ergo luminaria inconvenienter dicuntur esse hoc die facta, ut dividant diem ac noctem.

Resp. Resp. neg. Conf. quoniam etsi hactenus lucis præsentia diem, & ejus absentia noctem fecerit; nullum tamen erat luminare perfectum quod die, nec ullum aliud quod nocte luceret, quodque diversis officiis deserviret, ac diversas haberet qualitates nocturno tempori accommodatas.

[ *Et sint in signa, & tempora, & dies, & annos:* ] Per hendiadim hæc dicta sunt, perinde ac si diceretur, sint signa temporum, dierum, & annorum. Sunt autem luminaria cœli signa temporum, quia suis motibus designant & efficiunt diversitatem temporum, veris & æstatis, autumni & hyemis. Faciunt præterea ut dignoscantur tempora plantandi, serendi, metendi, navigandi, aliorumque similium, & aliquo usque etiam tempora pluviæ, nivis, grandinis, serenitatis, gelu, frigoris, æstus, & aliorum hujusmodi quæ ex astris utcumque prænuntiari possunt, modò id non fiat longè antequam sint ventura, sed velut ex signis proximis, ut Matth. 16. *facto vespere dicitis, serenum erit, rubicundum est enim cœlum. Et mane, hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum.* Quibus conformia vide Lucæ 12. v. 55. Sunt insuper signa dierum & annorum, partim quia sol motu suo super nostrum hemisphærium, diem; & motu suo integro, annum facit ac indicat: partim quia à luna sumitur signum diei festi, ut Paschatis, Neomeniæ, & sabbathorum, quemadmodum ex Ecclesiast. 43. patet.

Non possunt autem qui astrologiæ judiciariæ vacant, erroris sui patrocinium hinc sumere: quia hic non agitur de signis eventuum ab humana libertate dependentium, sed de signis rerum naturalium: Ideo verò sic de luminaribus dictum est, *& sint in signa* &c. ne Judæi stellas putarent animatas, & divinum honorem eis tribuerent, sed potius agnoscerent eas in ministerium & utilitatem hominum esse conditas: Hinc Deut. 4. *Ne fortè elevatis oculis ad cœlum, videas solem & lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea & colas quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus.*

[ ℣. 15. *Ut Luceant* ] non dicitur, ut calefaciant, vel ut influant; quia lux est prima & præcipua qualitas cœlestium luminarium, & cæterarum quasi vehiculum, ideoque satis fuit eam nominasse.

[ *In firmamento cœli*, ] hoc est, in eo spatio quod à terra sursum expanditur, quo modo accipi potest vocabulum firmamenti in istis verbis Eccles. 43. *Vas castrorum in excelsis in firmamento cœli resplendens gloriose:* sive enim per vas castrorum intelligatur luna, quæ est præclarum Dei instrumentum inter astra quæ in scripturis vocantur Dei castra, & militia cœli; sive totus qui in cœlis videtur apparatus astrorum, instar castrorum pulchrè dispositus; significatur quòd gloriosè resplendeant in eo firmamento quod hominibus est conspicuum, idest, in spatio super terram expanso.

[ *Et illuminent terram.* ] Ac homines in ea degentes.

[ ℣. 16. *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare majus*, ] scilicet solem.

[ *Ut præesset diei, & luminare minus*, ] scilicet lunam.

[ *Ut præesset nocti: & stellas.* ] Non debet hinc colligi, vel quòd solùm duo magna luminaria fecerit Deus; vel quòd hæc duo cæteris omnibus sint majora; cùm de sole quidem concors sit sententia, ipsum reliquis astris esse majorem, luna verò sit omnibus (excepto mercurio) minor; & non solùm stellæ fixæ tota terra sint majores, verùm etiam plerique è planetis: sed ista luminaria duo peculiariter vocantur magna: partim quia ambo reliquis majora apparent secundùm aspectum oculorum nostrorum; partim quia majorem luminis abundantiam nobis effundunt, majoremque habent vim causativam in his inferioribus. *Cur sol & luna dicantur luminaria magna.*

Cæterùm, ex hoc quòd dicuntur facta ut præessent diei ac nocti: non est existimandum quòd sint animata; cùm non præsint jubendo, nec propriè gubernando: sed sol quidem præsit diei, ipsum præsentia sua causando, ornando, & hominum laboribus aptum reddendo, juxta illud quod orto sole fieri dicitur Psalm. 103. *exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam.* Luna autem præsit nocti, eam illustrando, venustando, & idoneos ei influxus præbendo, propter quæ Psalm. 135. legimus quòd Deus fecerit solem in potestatem diei: lunam & stellas in potestatem noctis. *Quo modo præsint diei & nocti.*

Observandum autem quòd luna non præsit nocti, eo modo quo sol præest diei: nam sol per lucis suæ præsentiam causat diem; sic ut ubicumque est sol, ibi sit dies: at luna non causat noctem per suæ lucis præsentiam; nec ubicumque est luna, ibi est nox, cùm aliquando luna sit super nostrum horizontem simul cum sole, sitque tunc dies, & non nox.

[ ℣. 17. *Et posuit eas in firmamento cœli*, ] Septuaginta habent posuit ea, ut etiam solem & lunam referat. Retinendo communiorem lectionem quæ tam in nostris bibliis quàm in aliis translationibus reperitur, idem sensus est, quòd Deus eas, scilicet stellas, aliaque luminaria posuit in firmamento cœli; neque enim hæc sententia potest referri ad solas eas stellas, quæ

sunt

sunt in octava sphæra; sed etiam ad solem & lunam pertinere debet, cùm statim subjungatur, ut lucerent super terram, & præessent diei ac nocti; nullum autem astrum præsit diei, nisi sol; nam dies per nullins astri lucem aut præsentiam causatur; præterquam solis. Posuit autem Deus omnia ista luminaria in firmamento cœli, non sic quasi prius ea fecerit, & alibi facta, ea deinde collocarit in firmamento; sed quoniam dum illa fecit, fecit seu creavit in ipso firmamento, hoc est in spatio illo sursum super nos expanso, quod totum sive secundùm superiorem sive secundùm inferiorem sui partem, firmamentum vocatur; & in cujus parte superiore ea luminaria sunt secundùm substantiam; aliqua quidem (nimirùm stellæ fixæ) in octava sphæra; aliæ verò (scilicet sol & luna) in diversis orbibus: in parte autem inferiori, lumen ipsorum est, & à nobis conspicitur, & ad terram usque pertingit, cùm ideo illic posita sint.

[ *Ut lucerent super terram;* ℣. 18. *Et præessent diei ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras.* ] Sol quidem præesset diei, ipsum causando & illuminando; luna autem & stellæ præessent nocti, eam non causando, sed illuminando & exornando: Dividunt verò lucem ac tenebras; divisim & successivè lucendo.

Monlia. Quoniam verò Pastores & Doctores lux sunt mundi, Matth. 5. debent verbo & exemplo lucere in firmamento, hoc est, in Ecclesia, quæ est columna & firmamentum veritatis, 1. ad Tim. 3. & præesse tum diei, hoc est, justis ut in justitia proficiant ac perseverent: tum nocti, idest, impiis ut ab impietate convertantur. Debent etiam esse in signa & tempora, quia debent significare seu annuntiare bona & mala, præmia & pœnas.

[ ℣. 20. *Et factum est vespere & mane dies quartus.* ] Hic Moyses, cœli ornatum describere absolvit.

[ *Dixit etiam Deus.* ] Transit Moyses ad referendum ornatum aquæ per productionem piscium.

Si quæras, quare ornatum aeris & ignis reticeat: Resp. quòd licèt aeris (propterea quòd, secundùm se sit insensibilis) expresse non meminerit, ejus tamen ornatum non reticeat, sed eum quod superiorem partem sub cœlo comprehendit, & quantum ad inferiorem in qua aves volitare noscuntur, sub aqua, eò quòd illa pars inferior exhalationibus aquæ ingrossatur. Cùm ergo describit stellas lucere in firmamento cœli, & aves esse super terram sub firmamento cœli, unde sequitur quòd in aliqua regione aeris volitent, aeris ornatum satis indicavit: ignis verò ornatum ideo subticet, quia neque est elementum vulgo notum, quod vix alium ignem novit, quàm eum quem in terra nutrit; neque in eo animalia vivunt, aut saltem nullum ex eo generatur.

[ *Producant aquæ reptile animæ viventis.* ] Pro, *Producant*, in Hebræo est verbum quod in abundanti copia ebullire & effundere significat. Sicut autem terra non effectivè arbores & aliàs plantas germinavit; ita non est existimandum quòd aquæ produxerint reptilia efficienter sed materialiter, hoc est, materiam & dispositiones subministrando.

[ *Reptile animæ viventis.* ] Est reptile vivens seu habens animam viventem; eoque nomine pisces significantur, quia in sua progressione quamdam habent proreptionis speciem: sicut enim serpentes in terra supra pectus rependo moventur; ita pisces in aqua quasi ad-

Ut pisces sint animalia reptilia. rependo natant. Neque refert quòd quædam animantia in aquis degentia pedes habeant; quia, dum in aquis sunt, illis non utuntur ad gradiendum, sed ad natandum. Hujus igitur sententiæ sensus est: in aquis, & ex aquis producatur omne genus piscium.

[ *Et volatile super terram.* ] In Hebr. est, & volatile volet super terram. Ex quo argumentantur nonnulli, volatilia non esse ex aquis producta, quandoquidem illud, *volatile*, non regatur à verbo producant,

Aves sunt ex aquis productæ. sed à verbo volet. Verùm à communiori veterum Patrum sententia, quæ non tantùm pisces, sed etiam aves dicit ex aquis esse productas, non est recedendum: Eam enim clarè indicavit noster textus, secundùm quem maximè obvium est intelligere nomen, *volatile*, regi à verbo producant: Cui sensui Versio 70. suffragatur, ita habens; producant aquæ reptilia animarum viventium, & volatilia volantia super terram.

In quem etiam sensum accipi potest lectio Hebraica, si phrasi Hebræis familiari qui sæpè subaudiunt relativum, quod, sic intelligatur, & volatile quod volet super terram. Eamdem hanc sententiam tenet Ecclesia, dum in hymno Vesperarum feriæ quintæ sic jam olim canere solet: *Magne Deus potentiæ, qui ex aquis ortum genus partim remittis gurgiti, partim levas in aera. Demersa lymphis imprimens, Subvecta cœlis irrigans: ut stirpe una prodita, Diversa rapiant loca.* Pro quibus in Breviariis novissimè emendatis, ita nunc eodem sensu legitur.

*Magnæ Deus potentiæ,*
*Qui fertili natos aqua.*
Partim relinquis gurgiti.
*Partim levas in aera,*
*Demersa lymphis imprimens*
*Subvecta cœlis erigens*
*Ut stirpe ab una prodita.*
*Diversa repleant loca.*

His non obstat quòd & pisces & aves sint corpora mixta, constentque idcircò quatuor elementis: Dicuntur enim ex aqua factæ; partim quia Deus assumpsit aquam tamquam primariam seu principalem materiam ex qua illas formaret; partim quia in eis magis dominatur aqua quantum ad complexionem & humorem, etsi non quoad substantiam corpulentam; in piscibus quidem aqua crassior, in avibus autem aqua subtilior, & qualitati aereæ magis contemperata. Vide quæ diximus 1. p. q. 71. ad 3.

[ *Sub firmamento cœli.* ] Hinc argumentum sumunt qui per firmamentum volunt non posse intelligi spatium supra nos expansum. Aves enim dicuntur esse ac volare sub firmamento: atqui non volant sub spatio supra nos expanso, sed tantùm sub orbibus seu sphæris cœlestibus: ergo firmamentum non est illud spatium, sed istud quo sphæræ cœlestes continentur.

Responderi autem potest negando subsumptum: ad hoc enim ut quidpiam dicatur esse sub aliquo vasto corpore multa continente, non est necesse quòd illud continens secundùm omnes suas partes ei supereminеat, sed satis est quòd secundùm aliquas, sub quibus alterum existit: Exodi enim 20. Deut. 4. & 5. quæ- Ut volatilia sint sub firmamento.
dam dicuntur esse in aquis sub terra, quæ tamen non sunt infra totam terram, sed tantùm sub aliqua parte terræ. Vulgò etiam quidam homines dicuntur natare sub aquis, quamvis ita sint in illis, ut non solùm habeant aquas supra se, sed etiam infra. Sic igitur volatilia rectè dicuntur esse, imò & volare sub firmamento cœli, etiamsi per firmamentum intelligatur spatium supra nos expansum, quia sunt ac volitant in eo spatio, sic ut aliquam ejus partem habeant supra se. Huc facit quod Ambrosius lib. 5. hexam. pro, *sub firmamento*, legit secùs firmamentum, & 70. secundùm firmamentum, idest, in superficie firmamenti.

[ ℣. 21. *Creavitque Deus Cete grandia.* ] Pro, *creavit*, idem hic est verbum Hebræum quod versibus 1. & 27. idem significans quod produxit. Per *Cete* non intelligitur una aliqua species piscis, sed omne genus magnorum piscium, cujuscumque sint speciei: Nam vox Hebræa generaliter significat dracones & omnia ingentia animantia; sive terrestria, sive aquatica; unde Malach. 1. & alibi dicitur de draconibus. Additur, *grandia*, quia magnitudinem habent tantam & tam prodigiosam, ut nusquam tanta reperiatur quanta in belluis marinis. Ideo autem cætorum grandium hic fit specialis mentio, ne quis eorum mole penè incredibili attenta suspicaretur quòd vel fortuitò, vel ex necessitate materiæ, vel aliàs præter Dei consilium essent producta.

[ *Et omnem animam viventem atque motabilem.* ] Hoc est, & omnes alios pisces qui vivunt & moventur in aquis: Nam de piscibus esse sermonem, ex contextu manifestum est.

[ *Quam produxerant aquæ.* ] Non est accipiendus hic ordo temporis, quasi pisces fuerint primò ex aquis producti, & deinde à Deo creati; cùm non fuerit nisi una eorum creatio seu productio: sed sensus est quòd omnes eos pisces quos aquæ produxerunt, materiam & dispositiones subministrando, Deus effectivè produxerit; ita ut illorum productio activa Dei, & eorumdem productio materialis & passiva ex aquis, om-

omno

nino simul fuerint. Unde pro, *produxerant*, quod nos habemus, apud 70. est produxerunt; atque ita etiam alii transtulerunt. Et ad textum nostrum dici potest B. Hieronymum usurpasse præteritum plusquam perfectum pro perfecto.

[ *In species suas*, ] Idest, secundùm diversas species ipsorum piscium:

[ *Et omne volatile secundùm genus suum*, ] idest, omnes aves cujuscumque sint speciei; sive aves omnis generis, unamquamque in sua specie.

[ *Et vidit Deus quod esset bonum.* ] Idest, approbavit Deus, gratumque fuit id quod hoc die fecit.

[ ℣. 22. *Benedixitque eis*, ] Piscibus & avibus.

[ *Dicens*, ] Non verbo aliquo sensibili, sed ipso facto, conferendo scilicet illis fecunditatem ad speciei conservationem & ad individuorum multiplicationem necessariam; nam benedicere Dei est benefacere.

[ *Crescite*, ] Non magnitudine, hanc enim omnes in prima sua creatione perfectam acceperunt, sed numero. Verbum Hebr. idem valet quod fructificate, vel prolificate: *& multiplicamini:* hoc est, in magno numero crescite. Quasi diceretur, fructum facite; neque hoc solùm, sed etiam in magna copia fructum facite.

[ *Et replete aquas maris*, ] magna multitudine individuorum cujusque speciei.

[ *Avesque multiplicentur super terram.* ] Non dicit aves multiplicentur in aere, qui est elementum per aves ornatum, sicut de piscibus dixit, ut repleant aquas maris: quia pisces in aquis morantur & habitant, nec inde exeunt; aves autem licèt in aere volent, magis tamen morantur in terra seu in rebus ad terram pertinentibus, in eaque generant.

[ ℣. 23. *Et factum est vespere & mane dies quintus.* ]

[ ℣. 24. *Dixit quoque Deus:* ] Hic describitur opus sexti diei quo terra fuit ornata: estque illud bipartitum. Primò enim ponitur productio brutorum, deinde formatio hominum: & quia homo est omnium animalium præstantissimum, ideò ejus productio specialiter declaratur.

[ *Producat terra animam viventem* ] Idest, producantur de terra animalia viventia: causa namque illorum effectiva fuit solus Deus; terra autem erat materia ex qua fieri deberent, ac insuper erat eorumdem susceptiva, & conservativa tamquam proprius & naturalis locus.

[ *In genere suo*, ] Genus pro specie ponitur, & sensus est, secundùm proprias singulorum species.

[ *Jumenta, & reptilia, & bestias terræ* ] Per *jumenta*, intelliguntur animalia bruta domestica, quibus homo juvatur in suis actionibus, ut equi, boves, oves, & alia hujusmodi; ideò enim vocantur jumenta, quasi juvamenta.

Per *Reptilia*, ea quæ sine pedibus reptant super terram, vel si pedes habent ita sunt parvi, ut eis aut non possint, aut vix possint super terram elevari ad gradiendum: quales sunt serpentes, vermes, formicæ.

Per bestias terræ, tum animalia sæva & sylvestria, ut leones, ursi, cervi, lupi; tum omnia brutorum genera à jumentis & reptilibus diversa.

[ *Secundùm species suas.* ] Hoc est, unumquodque eorum in sua specie.

[ *Factumque est ita.* ] Ab ipso Deo cuncta efficienter producente. Unde sequitur:

[ ℣. 25. *Et fecit Deus.* ] Statim & sine ulla mora.

[ *Bestias terræ juxta species suas, & jumenta & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum.* ]

Quæst. 1. Petes 1. quare Deus hìc refertur dixisse producat terra animam viventem, & non producat terra bestiam animæ viventis, aut quid simile, ut supra, cùm de piscibus sermo erat, narratur dixisse producant aquæ, reptile animæ viventis.

Resp. Resp. rationem esse, ut innueretur perfectior gradus vitæ in animalibus terrestribus quàm in piscibus, secundùm ea quæ diximus 1. p. q. 72. ad 1.

Quæst. 2. Petes 2. An omnes animalium terrestrium species fuerint sexto die mundi creatæ.

Resp. Responsio communis est, omnes illas species tunc fuisse creatas, quæ sunt perfectæ & homogeneæ, idest, quæ naturaliter produci possunt ex commixtione maris & fœminæ ejusdem speciei; quia hoc videbatur requirere perfectio universi. Unde sequitur animalia ejusmodi etiam illa quæ vel per venenum vel per voracitatem, aut sibi invicem, aut etiam homini sunt nociva, fuisse die sexto creata; homini tamen nequaquam nocitura si non peccasset. Quæ verò ex congressu diversarum specierum generantur, ut mulus, ex equa & asino; Leopardus ex leæna & pardo, non fuerunt sexto die creata nisi potentialiter seu causaliter, in quantum aliis animalibus tunc productis, data fuit vis ea producendi, quia talis commixtio est præter naturam. Unde & Judæis prohibitum erat Levit. 19. eam procurare. Minuta quoque animalia quæ ex animalium corruptione, putrefactione, aut eorum aliquo alio vitio nascuntur non actu fuere tunc producta sed solùm virtute. At quæ ex aquæ, terræ, ligni, vel plantarum corruptione generantur, probabiliter dici potest, etiam actu fuisse tunc producta.

Animalia omnia etiam die sexto creata.

Quænam non fuerint tunc producta.

Quæst. 3. Petes 3. cur Deus non legatur benedixisse animalibus terrestribus brutis, dicendo, crescite & multiplicamini, sicut legitur benedixisse piscibus & avibus.

Resp. Resp. rationem esse apud Aug. lib. 3. de Gen. ad litt. cap. 13. quia quod in uno expressum est, in altero simili debet subintelligi.

[ ℣. 26. *Et ait, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram:* ] Ex his observat B. Greg. lib. 9. moral. cap. 36. quantum cunctis animalibus, quantum rebus cœlestibus, sed tamen insensibilibus homo præferatur: De illis quippe legimus dictum, fiat, germinet, producat; sed cùm hominem facere decernit, *faciamus*, dicitur; ut quia rationalis creatura condebatur, quasi cum consilio facta videretur: verbum enim *faciamus*, est ejus qui se quasi cum diligentia & attentione componit ad operandum. Observant quoque sancti Patres, Ambrosius, Basilius, & alii eodem illo verbo, *faciamus*, indicatam esse personarum pluralitatem: nemo enim sibi ipsi ita loquitur. Et quod Judæi volunt esse sermonem Dei loquentis ad Angelos; haud difficulter refutatur; tum ex his subsequentibus, *ad imaginem & similitudinem nostram*, cùm neque sit una Dei & Angelorum imago, neque usquam legatur homo ad imaginem Angelorum factus, sed Dei; tum ex verbo faciamus, quia neque Angelis Deus legitur unquam dixisse, faciamus, sed facite; neque Angeli usquam leguntur fecisse hominem, sed solus Deus; idque sive quoad animam, sive etiam quoad corpus. Unde hoc cap. statim subditur, *Creavit Deus hominem*; Et cap. 2. *formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ:* ac rursum cap. 5. *in die qua creavit Deus hominem*. Et conformiter Job 10. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu*. Ex quibus redargui possunt Manichæi non agnoscentes corpus hominis à Deo factum, sed ab aliquo alio principio. Hæc igitur verba, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, hoc est, qui sit imago & similitudo nostra, sunt verba Patris ad filium & Spiritum sanctum; est autem homo Dei imago & similitudo, non secundùm corpus, sed secundùm animam, quia secundùm eam repræsentat & divinam naturam & personarum Trinitatem: naturam quidem, in quantum imitatur Deum, non solùm in hoc quod est & vivit, sed etiam in hoc quod intelligit: Trinitatem verò, in quantum in homine reperitur processio verbi & processio amoris, atque ita & principium verbi, & verbum, & amor. Secundùm corpus verò, homo non est imago Dei, sed habet similitudinem vestigii, sicut aliæ creaturæ: de quibus videri possunt quæ diximus 1. p. q. 45. art. 7.

Personarum divinarum pluralitas indicata.

Ut homo sit imago Dei.

Si dicas soli verbo divino convenire, esse imaginem Dei.

Resp. ipsum solum esse imaginem Patris univocam, & omnimodè perfectam; sed homo est imago Dei, hoc est, totius Trinitatis æquivoca, de qua 1. ad Cor. 11. habemus quòd *vir imago & gloria Dei est*. Neque tamen existimandum est quòd solus vir sit vel imago Dei; vel ad imaginem & similitudinem Dei; cùm dubium esse non possit, quin & mulier sit naturæ intellectualis, verbumque & amorem producentis: unde mox quando Deus dicitur creasse hominem ad imaginem suam; subjungitur, *Masculum & fœmi-*

Etiam mulier est imago Dei.

*nam*

Etiam Angeli sunt ad imaginem Dei.

*nam creavit eos*, Sed & Angelos esse ad imaginem Dei, idque perfectius quàm homines, rectè docetur 1. p. q. 93. art. 3. Utrùm verò differant imago & similitudo, quando homo dicitur factus ad imaginem & similitudinem Dei, non convenit. Probabile est similitudinem etsi aliquando latius pateat quàm imago; hic tamen quamdam imaginis determinationem & perfectionem innuere, ut sensus sit, quòd Deus fecerit hominem ad imaginem suam, non qualemcumque, sed valde similem, & suo exemplari probè respondentem. Unde Sap. 2. dicitur, *ad imaginem similitudinis suæ fecit illum*: ubi phrasi Hebræa imago similitudinis pro imagine admodum simili ponitur. Non pauci veteres hoc discrimen ponunt, quòd imago ad naturam naturæque dona pertineat; & similitudo ad dona gratiæ: quoniam tamen scriptura promiscuè usurpat nomina imaginis & similitudinis, modò unum exprimens, & modò alterum; imò & de Adam cap. 5. dicit quòd genuit Seth ad imaginem & similitudinem suam, ubi similitudo non potest referri ad dona gratiæ. Ideò dicendum videtur, quòd similitudo non immediatè pertineat ad dona gratiæ, sed tantùm ex consequenti, ita scilicet ut directè & immediatè significet perfectionem imaginis; quia verò illa perfectio quam Deus in Adam posuit, sita erat non tantùm in naturæ, sed etiam in gratiæ donis quibus eum ab initio exornavit; hinc est quòd veteres similitudinem referant ad dona gratiæ.

[ *Et præsit* ] in Hebr. & 70. habetur, & præsint, sive dominentur, ut hoc Dominium intelligatur pertinere non ad solius viri personam, sed ad utrumque sexum, ad Adamum & Evam, eorumque posteros. Quidam addebant *terræ*, in hunc modum, *& bestiis terræ*. At rectè omiserunt correctores, conformiter Hebræis & Græcis textibus, Latinisque melioribus.

[ *Piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, universæque terræ,* ] ita legendum universæque terræ, non ut aliqui codices mendosi, universæque creaturæ, ex Hebr. & Græco, nécnon ex Latinis emendatioribus certum est; unde non est locus quæstioni, an homines præsint Angelis: quæ alioquin moveri posset.

[ *Omnique reptili quod movetur in terra.* ] Quasi diceret, habeat dominium super omnes pisces, & aves, & bestias & reptilia terræ, ita ut omnia animalia ei subjiciantur & obediant; sitque etiam ipsius terræ Dominus, ut & ea tamquam propter ipsum condita, & eis quæ ipsa gignet, possit pro sua voluntate & absque impedimento uti.

[ ℣. 27. *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam:* ] Ut nimirùm sit imago Dei: unde sequitur.

*Ad imaginem Dei creavit illum:* quod idcireò videtur repeti, etsi alioquin satis antea expressum, ut homini magis inculcetur naturæ suæ dignitas, atque ita magis meminerit ea quæ rationis sunt agere; & quæ contra rationem, fugere. Quidam libri habebant in hujus versus initio, *& creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.* Sed alii velut superfluum rectius omittunt istud, *& similitudinem;* cùm nec in Hebr. nec in Græco hic habeatur, sed acceptum sit ex versu superiore. Ideo Romani correctores etiam omiserunt.

[ *Masculum & fœminam creavit eos.* ] Quando Deus virum creavit, non creavit simul fœminam, ut ex cap. 2. liquet, sed per anticipationem nunc dicitur masculum & fœminam formasse, quia Moyses intendebat statim facere mentionem multiplicationis quæ non potest fieri nisi per virum & fœminam: insulsè quidam hinc collegerunt Adamum creatum fuisse hermaphroditum, partim scilicet fœminam, partim virum, cùm textus non loquatur de uno singulari sed de duobus, *creavit eos*, Adamum scilicet & Evam, Adamum masculum, & Evam fœminam. Insulsè quoque fabulati sunt ex Hebræis aliqui, Adam & Evam initio ita factos esse, ut lateribus sibi invicem cohærerent, essentque quasi unum; postea verò illorum corpora fuisse à Deo separata. Et quia eis repugnare videtur, quod postea cap. 2. dicitur Deus tulisse unam de costis Adæ, & ædificasse illam in mulierem; dicunt vocabulum pro quo nos habemus costam, etiam significare latus, debuisseque sic transferri, tulit unum de lateribus ejus: hæc enim deliria sunt, tum sacro textui, tum rationi repugnantia: nam ex cap. 2. patet, quòd Adam solus fuerit ab initio creatus, quòdque *non inveniebatur adjutor similis ejus*. Neque verum est debuisse verti, tulit unum de lateribus, cùm non latus sed costam ædificaverit Deus in mulierem. Adde quod juxta illam positionem, non magis ædificasset mulierem quàm virum, quandoquidem separatio fuisset communis utrique, & æquè mansisset mulier post separationem integra, ac vir. Denique talis humanorum corporum formatio ad monstra pertinet; monstra autem per accidens eveniunt, & non sunt de prima institutione materiæ: cùm ergo dicitur, *masculum & fœminam creavit eos*, simul quidem eorum creatio refertur, non tamen dicitur quòd fuerit simul facta; imò quòd non simul facta fuerit, clarissimè in sequentibus deducitur.

Non datur hic præceptum.

[ ℣. 28. *Benedixitque illis Deus, & ait: crescite & multiplicamini,* ] Si quod præceptum hic contineretur, illud non singulos homines obligaret, sed ipsam hominum communitatem. Verius tamen est nullum contineri præceptum, sed benedictionem, collationem scilicet potestatis generandi & fecunditatis ad generandum, quemadmodum & verba ipsa indicant; & quòd similia piscibus & volucribus ante dicta fuerint, quæ non sunt capacia præcepti. Quoniam verò tum hæc, tum sequentia non ad solum virum dicuntur, sed etiam ad mulierem; ideo verisimile est ipsam quoque die sexto fuisse formatam post viri productionem, licèt ejus formatio demum posteà describatur.

[ *Et replete terram,* ] Vos & posteri vestri, filiis & filiabus:

[ *Et subjicite eam,* ] hoc est, eam liberè inhabitate; & ea in utilitatem vestram utimini.

[ *Et dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus quæ moventur super terram.* ] Quasi diceret, confero vobis potestatem dominandi & imperandi, omniaque animantia vobis subjiciendi. Quod dominium per peccatum est diminutum quoad usum seu exercitium, cùm bestiæ quædam sint homini rebelles; quoad jus tamen & potestatem mansit integrum, sequitur enim naturam hoc ipso quo est ratione prædita: imò etiam quoad exercitium aliquo modo manet, quatenus pœnè adhuc omnes bestiæ cogi possunt vi vel industria, subesse homini.

[ ℣. 29. *Dixitque Deus: ecce dedi* ] Seu do *vobis*: est enim præteritum pro præsenti.

[ *Omnem herbam afferentem semen super terram,* ] Idest, habentem virtutem seminalem ad causandum sibi similem.

[ *Et universa ligna.* ] Seu arbores,

De carnium esu.

[ *Ut sint vobis in escam:* ] Dantur hic homini pro cibo; herbæ & arbores seu arborum fructus. Et, quia nihil de carnibus exprimitur, ideò multis visum fuit quòd antediluvium homines non fuerint usi carnibus: quia tamen nulla facta fuerat prohibitio, & potestas dominandi terræ & terrestribus erat generalis, ideo non est dicendum quòd esus carnium fuerit illis illicitus, quamvis non passim esset usurpatus, præsertim apud religiosiores. Confer quæ in 2. 2. q. 64. art. 1. diximus, & infra ad cap. 3. vers. 18.

[ ℣. 30. *Et cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & universis quæ moventur in terra, & in quibus est anima vivens,* ] Hoc est, animalibus terrestribus quæ quoquo modo vivunt.

[ *Ut habeant ad vescendum.* ] Sive, ut unumquodque animal vesci possit ea herba, vel eo fructu qui naturæ ipsius est conveniens.

[ *Et factum est ita.* ] Non quòd ex nunc homines multiplicari vel animalia cibis illis vesci cœperint, sed quoniam ex hoc tempore habuerunt potestatem, quæ hìc significatur illis esse concessa.

[ ℣. 31. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat: & erant valde bona.* ] Singula quæ Deus fecit, erant bona; sed omnia simul, valde bona, idest, optima; quia omnia erant pulcherrimè ordinata & connexa, ipsumque universum homine (propter quem cætera erant creata) jam formato, completum & usquequaque perfectum.

Si dicas, Ecclesiastæ 1. significari omnem creaturam

bujus

hujus mundi esse vanam, imò vanissimam, cùm dicitur: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*: ergo non omnia quæ Deus fecit; erunt valde bona.

Resp. neg. C. quia vanum apud Ecclesiasten non est idem quod malum; sed quod caducum; fluxum, & instabile; quodque suum possessorem beare non potest. Etsi autem creaturæ sint ejusmodi, non idcircò desinunt esse bonæ secundùm se, & secundùm quod sunt à Deo creatæ.

Ex quibus intelligi quoque potest hujus scripturæ veritati non obstare, quod ad Rom. 8. Apostolus ait creaturam vanitati subjectam esse: Illi enim subjecta est, quia instabilis, & ob vicissitudines generationum & corruptionum, variis alterationibus obnoxia. Quamquam & ob hoc ita loquatur Apostolus, quod consideret ac complectatur eam instabilitatem creaturarum ac in deteriorem statum mutationem quæ invecta est per peccatum.

[ *Et factum est vespere & mane dies sextus.* ] Qui fuit ultimus dies productionis rerum. *Propterea autem sexta die fecit Deus hominem ad imaginem suam*, ait August. tract. 9. in Joan. *quia sexta ista ætate manifestatur per Evangelium reformatio mentis nostræ; secundùm imaginem ejus qui creavit nos.* Qui etiam lib. 12. contra Faustum cap. 8. conformiter iis quæ isto tract. 9. habet, ostendit sex primis diebus esse significatas sex ætates mundi. *Sex ætatibus*, inquit, *humanum genus hoc sæculo per successiones temporum Dei opera insigniunt: quorum prima est ab Adam usque ad Noe, secunda à Noe usque ad Abraham, tertia ab Abraham usque ad David, quarta à David usque ad transmigrationem in Babyloniam, quinta inde usque ad humilem Adventum Domini nostri Jesu Christi, sexta quæ nunc agitur, donec excelsus veniat ad judicium. Septima verò intelligitur in requie sanctorum, non in hac vita, sed in alia.* Conferat Lector quæ de ætatibus mundi notavimus 3. p. quæst. 1. art. 6. Pro morum informatione vide Bern. serm. 3. de Pentecoste.

## CAPUT II.

*Benedicit Deus diei septimo, seu sabbatho. Quædam per recapitulationem dicuntur, ac paradisus qui die tertio conditus fuerat, describitur. Adamo præceptum datur de non edendo fructu arboris scientiæ boni & mali. Ipse bestiis nomina imponit, & ex ejus costa Deus format Evam.*

[ ℣. 1. I*Gitur perfecti sunt cœli & terra.* ] Est hoc cap. quædam anacephalæosis, seu quorumdam quæ prius aut dicta aut facta sunt, repetitio, eaque cum explicatione copiosiore: Paradisus enim tertio die factus fuit; & tum Adami, tum Evæ formatio ante diem septimum contigit, quæ tamen copiosius hic explicantur. Per cœlos intelliguntur omnia corpora cœlestia; & per terram ipsum terræ elementum, sicut c. 1. versu 1. Cùm autem dicuntur esse perfecti, non intelligitur perfectio quoad solam substantiam, sed etiam quoad distinctionem & ornatum. Perfectum enim dicitur cui nihil deest.

Pro, *cœli*, 70. reddiderunt singulare, *cœlum*, eodem sensu: Illud enim accipiunt collectivè, pro omnibus sphæris cœlestibus. Observandum autem quòd vocem Hebræam, quia pluralis est numeri & vim habet singularis, ut ait Delrio, noster interpres promiscuè vertit modò in hoc, modò in illo numero; in singulari quidem cap. 1. v. 1. cap. 11. v. 4. cap. 15. v. 5. In plurali verò, hoc loco, & alibi.

[ *Et omnis ornatus eorum.* ] Pro ornatu Hebraicè habetur exercitus, & vox Hebræa utrumque significat. Non solùm autem Angeli, sed etiam stellæ & sidera sunt, tum ornatus, tum exercitus cœlorum; ornatus quidem, quia cœlos exornant, perinde ac aves aerem, pisces aquam, plantæ & animalia terram; exercitus autem, partim propter copiosam illorum multitudinem, eamque ordinatissimam: quod enim stellæ sint homini innumerabiles, ex hujus l. cap. 15. versu 5. manifestum est; ac nihilominus sic ad munia sibi à conditore destinata ordinatè procedunt, ut una aliam non impediat vel retardet, sed instar exercitus ordinatissimi pulchro ordine, summaque concordia, unaquæque suum officium peragit: partim quia Deus subinde astris sicut reges copiis utitur ad hostes debellandos: Legimus enim Judicum 5. versu 20. quòd *stellæ manentes in ordine & cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt.* Et hinc est quòd & Angeli & Sydera vocantur aliquando exercitus seu militia cœli; quòdque Deus appellari solet Deus exercituum. Maluit autem noster interpres hoc loco ornatum vertere, quòd homine in justitia & sanctitate condito, mundus ejusque partes tamquam habitaculum benè ornatum serviret ad delectationem, non tamquam exercitus adversarius ad formidinem; quòdque arma non nisi post peccatum fuerunt usurpata, si quis porrò istud ( *& omnis ornatus eorum* ) non tantùm ad cœlos referre velit, sed etiam ad terram; nihil improbabile sentiet; nam & cœlorum & terræ, ac per consequens etiam aeris & aquæ ornatus diebus sex fuit consummatus; idemque etiam exercitus vocari potest, eò quòd plantæ, aves, & pisces in maxima sint multitudine, & in optimo ordine.

[ ℣. 2. *Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat.* ] Hoc est, mundum ipsum, omnesque novas species ad eum pertinentes. Pro die septimo 70. habent diem sextum, & utrumque verum est: complevit enim Deus opus suum die sexto inclusivè, quia eo die absolvit ultimum opus; complevit autem die septimo exclusivè, quia illo die sic cessavit ab operando, ut nihil novi, neque secundùm substantiam, neque secundùm perfectionem adjiceret ad præcedentia, sicut fecerat in diebus anterioribus. Juxta quem sensum Esther nono de Judæis dicitur: quinto decimo die percutere desierunt, quia decimotertio & decimoquarto die in cæde versati sunt; die autem quinto decimo non percusserunt.

[ *Et requievit die septimo.* ] Non significatur quòd ex labore fatigatus quieverit; sed requievit, idem valet, quòd simpliciter quievit, seu cessavit, nimirùm ut sequitur.

[ *Ab universo opere quod patrarat.* ] Quomodo Apoc. 4. versu 8. de quatuor animalibus legitur quòd *requiem non habebant*, id est, non cessabant dicere, *Sanctus, Sanctus Sanctus.*

Petes, quomodo Deus dicitur die septimo quievisse ab universo suo opere; cùm quotidie creet novas animas rationales, legamusque de illo Joan. 5. versu 17. scriptum, quòd *usque modo operatur.* Quæst.

Respondetur Deum propterea dici quievisse die septimo; quia tunc nihil novi fecit, quod non aliqualiter præcessisset in operibus sex dierum, quemadmodum 1. p. quæst. 73. art. 1. fuit ostensum. Operatur autem usque modò, tum similia faciendo, tum ea quæ fecit, conservando & gubernando. Significat autem hæc Dei quies, Sanctorum in cœlesti beatitudine quietem; ac insuper est symbolum quietis Christi in sepulchro post opus redemptionis nostræ consummatum die sexto seu feria sexta. Resp.

[ ℣. 3. *Et benedixit diei septimo, & sanctificavit illum.* ] Possunt ista sic intelligi, ut unum sit explicatio alterius; ita scilicet ut *benedixit*, explicetur *per sanctificavit.* Possunt tamen etiam velut distincta exponi; quoniam enim benedicere diei, est benefacere, Deus intelligi potest benedixisse diei septimo, quia contulit ei quasdam insignes prærogativas, veluti quòd ab illo omnes alii dies denominarentur, scilicet prima sabbathi, secunda sabbathi, & sic consequenter; & quòd cum cæteri dies futuri essent dies operis ac laboris, iste esset dies quietis, optatissimus proinde servis & ancillis. Ita Hieron. ab Oleastro. Sanctificavit autem Deus diem septimum, quia separavit illum à reliquis, tamquam sacrum à prophanis, faciendo nimirùm ut esset sacer ac divino cultui dedicatus. Sabbathum ut dicitur sanctificatum fuisse.

Petes, an igitur statim in ipso mundi exordio quando dies septimus advenit, Deus instituerit illum esse sacrum, & præceperit ut tamquam sacer ab hominibus observaretur. Sunt qui affirmant nec improbabiliter; quia tamen complures sentiunt non fuisse primis hominibus in statu innocentiæ datum aliquod præceptum positivum, præterquam de non edendo fructu ligni scientiæ boni & mali; probabilius alii negant secundùm quos dicendum est Festum sabbathi non fuit præceptum initio mundi.

Moy-

Moysen hic scribere quòd Deus diem septimum sanctificaverit; vel quia sanctum & festivum haberi jusserat quando hæc scribebantur; vel quia in ipso mundi exordio rationem exhibuit ob quam vellet eum aliquando institui sacrum.

[ *Quia in ipso cessaverit ab omni opere suo quod creavit Deus ut faceret.* ] Id est, quod creavit Deus faciendo, ait Oleaster; sive quod creavit Deus & fecit.

[ ℣. 4. *Istæ sunt generationes cœli & terræ.* ] Conclusio est generalis eorum quæ superius fuerunt narrata; in qua simul fit transitio ad repetenda quædam de paradiso & de productione fœminæ. Vox, *generationes*, generaliter sumitur pro productiones, & sensus est: ita se habuit productio cœli & terræ.

[ *Quando creata sunt* ] Ita legendum, *creata*; non *creatæ sunt* Correctores Hebræa & Græca secuti nos docent. Septuaginta sic habent: hic est liber seu series generationis cœli & terræ, cum facta sunt.

[ *In die quo fecit Dominus Deus cælum & terram.* ] Argumentum hinc sumunt, qui cum B. August. opinantur septem primos dies fuisse unicum diem septempliciter repræsentatum menti Angelicæ. Sed quoniam scriptura expressè plures dies affirmat, tam in Genesi, quàm Exodi 20. nihilque vetat eam propriè sicut sonat, accipere; imò quædam est necessitas sic eam intelligendi, propterea quòd Moyses rudi populo scriberet, alios dies nescienti, quam vulgares & distinctos; cum Basilio, Ambros. Chrysost. & aliis sanctis potius videtur existimandum quòd primi dies mundi fuerint inter se distincti, quòdque sex veris & propriè dictis diebus factus fuerit mundus, & in septimo cessaverit Deus ab opere creationis mundi. Illud ergo, *in die*, idem valet quod in tempore, ut diximus 1. p. q. 74. art. 2. — *Sex fuerunt dies distincti.*

Observa hunc esse primum locum ubi in Hebræo repetitur nomen *Jehova*, Et in Latino, nomen Dominus: nam in anterioribus Deus semper vocatur fuit Elohim, quod est nomen Dei inquantum est creator, gubernator, inspector, judex ac vindex universorum: Jehova autem est nomen Dei ut per se & singulariter subsistentis, secundùm ea quæ notavimus 1. p. quæst. 13. art. 11. Aptè igitur postquam multæ res præter Deum esse cœperunt, & quidem per illum, ipse designatur nomine significante eum qui per se singulariter subsistit.

[ ℣. 5. *Et omne virgultum agri.* ] Pendent hæc à præcedente verbo, *fecit*, *antequam oriretur in terra*. Ex alio nimirùm sibi simili; sive, antequam naturali via & modo oriretur in terra.

[ *Omnemque herbam regionis priusquam* ] Ex vi seminis aut cujuscumque alterius virtutis præexistentis.

[ *Germinaret.* ] Assignat deinde causam quare virgulta, & herbas, & omnia terræ nascentia Deus sola sua potentia fecerit, priusquam naturali modo producerentur ex terra; quia nondum erant ea quæ necessaria sunt ad hoc ut naturaliter producantur, cœlorum scilicet pluviæ, & hominis cultura.

[ *Non enim* (inquit) *pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat qui operaretur.* ]

Seu excoleret *Terram*.

[ ℣. 6. *Sed fons ascendebat è terra, irrigans universam superficiem terræ.* ] Ne videlicet ea quæ à Deo producta erant, exsiccarentur. Si ad animam ista referantur, significare poterunt felicem illum (sed in hac certè vita rarissimum) statum: in quo etsi desit homo qui animam excolat, & desint etiam pluviæ externarum admonitionum; Deus tamen instar fontis copiosissimi, gratias suas liberaliter infundit, ut operationibus sanctis, maximè sit fœcunda. Sicut B. Paulo aliisque olim sancti eremitis contigit.

Si quæras, quomodo unus fons posset totam terram irrigare.

Resp. potuisse hoc facere paulatim & successivè perque varios fluvios & alveos ex illo prodeuntes. Quamquam quia scriptura non dicit, unus fons ascendebat de terra; sed ait, *fons*, pro numero plurali credibile est posuisse singularem, *ut sic intelligamus fontes multos universam terram, loca vel regiones proprias irrigantes, sicut dicitur miles, & plures intelliguntur*, ait Aug. l. 5. de Gen. ad litt. c. 10.

Sunt qui pro fonte nubem, vel nebulam, aut vaporem vertunt: Alii gurgitem vel Abyssum. Sed 70. nostro interpreti conformiter, fontem reddiderunt. Cumque tam ipsi, quàm S. Hieronymus linguam Hebræam exactissimè calluerint, fuerintque in sua translatione peculiariter à Deo adjuti; nomen fontis retinendum est; ac etiam per illum id quod propriè significat, intelligendum: adeò ut quamvis vocabulum Hebræum fortè sit æquivocum ad prædicta; hic tamen pro fonte positum fuerit. Consentit & Aquila sic vertens, Scaturigo abundans ascendit de terra.

[ ℣. 7. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* ] Redit ad formationem hominis sexto die factam, tum ut luculentius eam explicet; tum ut viliorem ejus partem describat: nam cap. 1. & brevissimè illum perstrinxit, nec alia quàm quæ ad animam spectant, explicuit. *Formavit*, tam in Hebræo, quàm in Græco est verbum artis practicæ, propriéque tribuitur operibus fictilibus. Unde sacri scriptores libenter Deum comparant figulo, & hominem luto. Ut Isai. 45. v. 9. & cap. 64. v. 8 Jerem. 18. v. 6. ad Rom. 9. v. 20. & 21. *Hominem.* Nomen istud non est hic commune utrique sexui, sicut c. 1. sed sumitur pro viro, nimirùm Adamo, & vel Synecdochicè ponitur pars pro toto, corpus scilicet hominis pro homine; vel si intelligitur de toto homine, non verificatur de illo, nisi secundùm partem. *De limo terræ.* Hebraicè sic legitur, formavit Deus hominem pulverem de terra, & quidam existimant in istis (*hominem pulverem*) esse appositionem. Alii ex Græco hunc sensum reddunt, accipiens pulverem, de terra formavit hominem. Cæterum quoniam pulvis non potest naturaliter cohærere & compingi ad unam massam unumve corpus efficiendum, nisi aliquo humore adhibito, pulvis autem humectus seu terra aquæ commixta est limus: Ideò noster interpres benè vertit, *de limo terræ*.

Notandum verò id quod nos dicimus de terra, in Hebræo dici de Adama; Hebræis autem Adama non est terra quælibet, sed certi coloris nempè rubra: unde multorum traditio est primum hominem fuisse formatum in loco, non urbis, sed agri cujusdam dicti Damasceni, juxta Hebron, ubi terra dicitur esse vel fuisse coloris rubri, & ex hujus terræ colore vocatum fuisse Adam.

Notandum prætereà quòd sicut primus Adam formatus est ex terra pura & nondum maledicta, quam Josephus vocat terram virginem; ita secundus Adam, id est, Christus formatus fuit ex terra virgine, nimirùm ex purissimo sanguine B. Virginis Mariæ. — *De quali terra formatus Adam.* — *Allegorica.*

[ *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* ] Hoc est, animam; quæ dicitur spiraculum vitæ seu vitale, aut vivificans, quia homo per eam vivit ac spirat. In Hebræo dicitur, spiraculum vitarum, ut hac voce, *spiraculum*, significetur unitas animæ in unoquoque homine; & per vocem pluralis numeri *vitarum*, designentur diversi gradus vitæ, diversæque operationes vitales, nimirùm vegetativæ, sensitivæ, & rationales: unica enim anima rationalis ad illas omnes sufficit, nec absque temeritatis nota dici potest plures esse animas in uno homine, ut ostendimus 1. p. q. 76. art. 3. — *Spiraculum vitæ est anima rationalis.*

Cæterum quòd illud spiraculum vitæ sit anima, non tantùm est communis Chrysost. Theodoreti, Aug. & aliorum interpretatio, sed etiam ex alio scripturæ loco fundamentum habet. Cùm enim Sapientiæ 15. reprehenditur fabricator Idoli, quòd *ignoravit qui se finxit, & qui inspiravit illi animam quæ operatur, & qui insufflavit ei spiritum vitalem*; non obscurè significatur animam humanam esse spiraculum à Deo proveniens. Ex eo autem quod dicitur, *inspiravit*, non est opinandum quòd Deus vel faucibus sufflaverit, vel de sua substantia quippiam emiserit, sicut hoc perversè intellexerunt Gnostici & postea Manichæi, dogmatizantes animam humanam esse partem divinæ substantiæ, sed (expositore August. lib. 7. de Gen. ad litt. cap. 1. 2. & 3. aliisque communiter) propterea dicitur inspirasse, quia fecit in homine spiritum, hoc est, animam: nam spirare, est facere spiritum seu animam, quæ est spiritus & per quam spiramus. Specialiter porrò post corporis humani formationem dicitur, quòd inspiraverit ei spiraculum vitæ, id est, animam; ut indicetur animam humanam non educi ex materia, instar aliarum formarum, sed extrinsecus advenire, — *Cur Deus dicitur inspirasse.*

& à

& à Deo creari ex nihilo, ac per consequens esse independentem à corpore, adeòque Immortalem. Utrùm verò corpus Adami aliquantisper formatum fuerit priusquam ei infunderetur anima, quemadmodum præsens hic textus significare videtur; incertum est. Probabiliter potest dici quòd sic, loquendo de corpore quantum ad suam materiam & figuram usque ad ultimas dispositiones exclusivè: Si autem loquamur de corpore cum ultimis dispositionibus humani corporis; sicut illæ fuerunt productæ eodem instanti temporis, quo anima fuit creata & corpori unita; sic & ipsum corpus illis affectum & prædirum fuit eodem instanti. Vide quæ ad 1. p. q. 91. art. 4. diximus.

[ *In faciem ejus.* ] Non est existimandum quòd anima solùm sit in facie, cùm dubium esse non possit, quin anima sit in toto corpore, sed Deus dicitur eam inspirasse in faciem hominis, partim quia in facie maximè se prodit anima per respirationem oris & narium, & per alias vitales sensuum actiones; partim quia facies humana naturaliter sursum tendens, signum est animæ, non qualiscumque, sed rationalis quæ ad superna tendere debet. Pro ( *in faciem.* ) Aquila & Symmachus vertunt in nasum vel in nares, eò quòd in naribus vigeat respiratio, quæ est signum animæ; idque etiam significat vox Hebræa. Melius tamen ac plenius noster interpres ( sicut & 70. ) vertit, *in faciem*; cùm plura sint in facie indicia vitæ, quam in naribus solis: & propterea qui nares legunt, Synecdochicè ponunt partem faciei pro tota facie.

Moralia. Observandum hic, quòd sicut corpus licèt sit formatum, tamen neque vivit neque agit, quamdiu non habet spiraculum vitæ, idest, animam; ita anima etsi potentias suas ( quæ sunt instar organorum ) habeat, tamen quamdiu abest ab ea spiritus vitæ seu gratia Spiritus sancti, neque spiritualiter vivit, neque ullas salutares agit operationes. [ *Et factus est homo in animam viventem:* ] idest, animal vivens, sive homo factus est animatus & vixit.

Quæst. Quæri hic potest, cur neque cap. 1. neque hic post hominis formationem, legatur dictum sicut in cæ-
Resp. teris rebus, *vidit Deus quod esset bonum*. Resp. rationem unam esse, quod satis contineatur in istis verbis. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam*; itemque in illis, *Dominamini piscibus maris* &c. S. Ambros. lib. de institutione Virginis cap. 3. aliam adfert, eamque luculentè explicat, hanc nimirum quòd cæteræ res ideò approbatæ fuerunt statim ut creatæ sunt, quia tota eorum pulchritudo apparet exterius; in homine autem id quod apparet, tantùm est portio ejus vilissima, & infima; ideoque differendam ejus laudationem donec appareant bona quæ in corde latent, idest, usque ad mortem.

[ ℣. 8. *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio:* ] In Hebr. & apud 70. pro, *paradisum voluptatis*, habetur hortus seu paradisus in Eden. Quoniam verò Eden etsi interdùm sit nomen proprium loci in regione orientali, aliàs tamen est vox appellativa, significans amœnitatem, lætitiam, & voluptatem: unde iidem 70. hoc ipso cap. versu 15. ubi in Hebræo eadem est phrasis, vertunt paradisum voluptatis seu deliciorum: ideoque rectè intelligi potest hic esse nomen appellativum, ita ut phrasi Hebraica interpres dixerit per substantivum id quod nos diceremus per adjectivum; nam paradisus voluptatis & amœnitatis, idem valet ac paradisus jucundus & amœnus, aut paradisus in loco jucundo & amœno.

Pro, *à principio*, In Hebr. & apud eosdem 70. legitur, *ad orientem*, & vox Hebræa utrumque significat, initium scilicet temporis, ac insuper regionem orientalem; quo modo etiam vox Latina, *principium*, potest accipi, ut significetur quòd Deus jam à mundi principio, die videlicet tertio paradisum deliciosum & amœnum plantaverat, idque in plaga orientali: cùm enim nihil vetet unius scripturæ plures esse sensus litterales, potest Spiritus sanctus utrumque velut seorsum litteralem intendisse, quòd scilicet paradisus, & ab initio temporis plantatus sit, & ad plagam orientalem.

Ex hoc porrò quod dicitur, *à principio*, non est consequens paradisum fuisse plantatum primo prorsus mundi initio, sive primo die: nam & de diabolo Joannis 8. dicitur: *Ille homicida erat ab initio*; quem tamen constat non fuisse homini authorem mortis, sive spiritualis sive corporalis ante sextum diem, quo demum die homo fuit conditus; sed à principio id rectè intelligitur fuisse, quod statim sub mundi initium fuit. Similiter, etsi pro *plantaverat*, Hebræi & 70. legant, *plantavit*; non propterea sequitur paradisum sexto demum vel septimo die fuisse plantatum; quia hic est recapitulatio quorundam quæ prius contigerunt. Unde noster interpres optimè reddidit præteritum plusquam perfectum, ut significaret jam antea fuisse plantatum.

Horum occasione

*Quæritur primò* ubinam fuerit paradisus voluptatis? Pro cujus resolutione statuendum est in primis istum paradisum non fuisse per totum terrarum orbem, ut voluit Ortelius in thesauro geographico, & quidam alii; sequitur enim hic, *In quo*; scilicet paradiso *posuit hominem quem formaverat:* unde colligitur quòd Adam erat extra paradisum formatus, quandoquidem postea fuerit positus in paradiso tamquam amœniore & digniore loco. Deinde, Adam post peccatum ejectus fuit è paradiso, nec tamen fuit ejectus è toto terrarum orbe. Cherubim quoque collocatus fuit ante paradisum voluptatis, id quod manifestè significat locum aliquem particularem fuisse, sicut etiam quod hic dicitur de fluvio qui *egrediebatur de loco voluptatis*. Secundò notandum est paradisum non fuisse in aliqua insula ab hac nostra terra seu continente separata; imò nec in aliqua regione aeris, ut facer textus satis indicat.

Tertiò statuendum, paradisum hunc non esse primo seu litterali sensu accipiendum spiritualiter & allegoricè; hoc enim esset ipsam historiam destruere: sed paradisus voluptatis fuit locus aliquis corporeus & terrestris, hortus scilicet valde amœnus in nostro continente situs, & quidem verisimiliter in oriente, aut versùs orientem; in qua tamen parte orientis, incertum esse diximus p. 1. q. 102. art. 1.

*Quæritur secundò* An etiam nunc existat ille paradisus. Resp. & hoc quoque incertum esse: quod tamen probabiliter dici possit aliqua ea parte superesse, ibidem ostendimus.

[ ℣. 9. *Produxitque Dominus Deus de humo* ] Idest, de terra humida,

[ *Omne lignum pulchrum visu & ad vescendum suave:* ] Hoc est, universas arbores speciosas & frugiferas, quarum fructus erant suaves ad manducandum. Hæc particula ( *& ad vescendum suave* ) non cohæret copulatim cum præcedente, quasi significaretur quòd omnes arbores quæ in paradiso erant, essent pulchræ visu ac simul suaves ad vescendum; cùm dubium esse non possit, quin ibi fuerint Cedri, Cipressi, Pini, aliæque multæ arbores pulchræ & amœnæ, ac nihilominus ad vescendum insuaves, imò infrugiferæ: sed est membrum ab altero distinctum, ut sensus sit, quòd utriusque generis arbores produxerit Deus, & eas quæ pulchræ sunt ad videndum, & eas etiam quæ suaves sunt ad vescendum. Quamvis autem nihil hic dicatur de animantibus; certum tamen est, quòd & animantia terræ, & volucres cœli fuerint in paradiso; cùm ista omnia pertineant tum ad loci amœnitatem, tum ad hominis voluptatem; cumque cap. 1. data fuerit homini potestas super illa, ut ipsi ad nutum obedirent.

[ *Lignum etiam vitæ in medio paradisi,* ] Seu, intra paradisum: istud namque ( *in medio* ) non est accipiendum de medio mathematico, cùm ea cap. sequenti constet etiam lignum scientiæ boni & mali fuisse in medio paradisi; non possint autem duæ distinctæ arbores simul esse in medio mathematico: sed phrasi communiter recepta, illud dicitur esse in medio alicujus, quod est intra illud: ut 1. Reg. 17. *tollebat arietem de medio gregis*, idest, ex interiorem in grege; & Josue 6. habitaverunt in medio Israel.

*Lignum vitæ* idem valet quod arbor vitalis seu vivifica, sic dicta quòd haberet virtutem conservandi & prorogandi vitam: unde non vocatur vitæ, quod esset signum vitæ, sed quoniam erat causa vitæ, nimirùm proro-

*Homo factus fuit immortalis.*

prorogandæ & conservandæ. Sciendum est ergo, quòd homo si fuerit conditus, ut quamvis haberet corpus ex contrariis compositum, ac per consequens si secundùm sola naturæ principia consideretur, mortale; simpliciter tamen secundùm illam naturæ conditionem in qua fuit conditus, habebat corpus immortale, & ipse erat immortalis; ita ut si non peccasset, numquam fuisset moriturus, ut in Concilio Milevit. can. 5. definitum fuit contra Pelagium dogmatizantem quòd homo sive peccaret sive non peccaret, esset moriturus; atque ita repugnantem scripturæ, quæ Sap. 2. testatur quòd *Deus creavit hominem inexterminabilem*, idest, immortalem; & quæ tum hoc cap. tum ad Rom. 5.6. & alibi, semper refert mortem hominis in ejus peccatum sicut in causam. Quoniam verò in corpore hominis secundùm suam naturam spectato, duplex reperitur defectus; unus, deperditio humidi radicalis per actionem caloris naturalis; ita ut hac ratione homo paucis diebus deficeret ac moreretur, nisi humidum illud restauraretur per alimenta exterius sumpta; alter, ipsius potentiæ nutritivæ, quæ per admixtionem alimenti extranei (eò quòd naturalis humidi bonitatem non adæquet) paulatim debilitatur, ita ut tandem non possit amplius alimenta (quamvis ea adhibeantur) in substantiam aliti convertere: utrique defectui provisum erat in primo hominis statu. Nam contra priorem dabantur variarum arborum fructus, optimi tum succi, tum alimenti, per quos humidum radicale poterat in sua sinceritate conservari: contra posteriorem, erat fructus arboris vitæ, ad hoc valens ut vis nutritiva non deficeret, imò nec debilitaretur, sed in vigore permaneret donec Deo placuisset hominem sine morte media transferre ad plenam beatitudinem, qualis nunc post gloriosam resurrectionem erit.

*Duplex in corpore humano defectus naturalis.*

Si quæras, An tum ligni vitæ tum aliarum arborum esus unus suffecisset. Responsio negativa est communis: quia namque virtus cujuscumque corporis est finita, *non poterat virtus ligni vita ad hoc se extendere, ut daret corpori virtutem durandi tempore infinito*, ait B. Thom. 1.p.q.97. art.4. & propterea fructus istius ligni semel sumptus præservabat quidem à corruptione usque ad tempus determinatum; sed eo tempore finito, rursum debuisset sumi: & sic semper donec homo fuisset in aliam vitam translatus sine morte & corruptione: Temporibus illis intermediis alii cibi debuissent sumi, & quidem sæpius; cùm & illi haberent virtutem solùm finitam.

*Non suffecisset semel in statu innocentiæ.*

Dices, quid si homo noluisset vel de ligno vitæ vel de aliis cibis sumere? Resp. quòd tunc fuisset mortuus, utpotè è statu innocentiæ excidens per peccatum; peccasset enim contra præceptum juris naturæ, quo jubebatur vitam propriam conservare.

Si præterea quæras, qualis fuerit virtus ligni vitæ, naturalis, an supernaturalis. Resp. probabilis est fuisse naturalem; partim quia nulla est necessitas agnoscendi in corpore naturali virtutem supernaturalem; partim, quia si post peccatum alii cibi virtute sua naturali conservaverunt homines 900. & ampliùs annis: quare ante lapsum quando homo tota corporis dispositione erat temperatior, fructus ligni vitæ non potuisset naturaliter conservare longè diutiùs?

Si tertiò quæras, quare Deus qui præscius erat peccati hominis, lignum vitæ creaverit? Respond. quòd ad universi perfectionem; ac insuper ut suæ in nos bonitatis specimen exhiberet, ostenderetque quanta pro nobis fecit. Observandum porrò quòd contra nociva exteriora, cujusmodi sunt, incendia, aquarum voragines & submersiones, grandium arborum lapsus & oppressiones &c. provisum erat homini de custodia particulari Angelorum, ac insuper data illi magna tum scientia, tum prudentia ut illa posset vitare & avertere.

[ *Lignumque scientia boni & mali.* ] Hoc lignum, sive hanc arborem quidam ficum opinantur fuisse, alii pomum, alii aliam: sed nihil potest certo adfirmari, nisi quòd esset de genere earum, quarum fructus non habent duros cortices. Vocata autem videtur arbor scientiæ boni & mali, non solùm ab Adamo post peccatum, sed etiam à Deo, priusquam homo peccaret: sicut enim nominatim designavit homini lignum vitæ; ita etiam nominatim illi designavit eam arborem cujus fructum prohibebat; nec apparet quo alio nomine designaverit, quam isto. Unde infra versu 17. legimus Deum ita præcepisse homini: *de ligno scientiæ boni & mali ne comedas*. Sic verò Deus illam arborem appellavit, non propter vim aliquam naturalem acuendi ingenii vel scientiæ ingenerandæ; sed partim ab eventu quem præsciebat, quia scilicet futurum erat quòd ad hujus arboris esum homines experimentaliter & actualiter agnoscerent quid boni peccando amisissent, & quid mali incurrissent; partim ab experientia quam Deus intendebat facere, ut juxta phrasim usitatam qua scire ponitur pro experiri, sicut Christus Isaiæ 53. dicitur (*sciens infirmitatem;*) arbor scientiæ idem valeat quòd arbor experientiæ boni & mali, seu arbor ad quam Deus volebat experiri utrùm homo permaneret bonus, an fieret malus.

*Quare arbor scientiæ boni & mali dicta.*

[ ℣. 10. *Et fluvius egrediebatur ex loco voluptatis* ] Hebr. ex Eden,

[ *Ad irrigandum paradisum*, ] Hinc opinantur nonnulli fluvium istum non in paradiso ortum fuisse, sed in vicina regione, Eden dicta; atque inde influxisse in paradisum. Sed nihil urget. Cùm enim Eden possit accipi tamquam nomen appellativum, per Eden rectè locus voluptatis intelligitur, & per locum voluptatis, paradisus, ita ut fluvium egredi de loco voluptatis, sit fluvium scaturire de paradiso, ejusque fontem seu primam scaturiginem in paradiso incipere, & ibi enasci ad ipsum paradisum irrigandum per diversos alveos & rivulos, aut varios flexus aut reflexus.

[ *Qui inde dividitur in quatuor capita.* ] Inde, hoc est, ex paradiso, illi enim diversi alvei & rivuli, sic per ipsum paradisum sparsi erant, ut ad extremos fines paradisi venientes, quodammodo coirent, & in quatuor capita seu fluvios è paradiso effunderentur ad varias mundi regiones.

[ ℣. 11. *Nomen uni* ] hoc est, primo; utuntur enim Hebræi numero Cardinali, pro ordinali. Et hanc expositionem confirmant quæ statim sequuntur de aliis fluviis nomen secundi, nomen tertii &c.

[ *Phison:* ] Ignotus nunc hoc nomine est iste fluvius, à veteribus tamen communiter dicitur esse Ganges, celeberrimus Indiæ fluvius ut à Josepho lib. 1. antiq. cap. 2. Ambr. lib. de Paradiso cap. 3. Hieronymo in quæst. Hebraicis, Aug. lib. 8. de Gen. ad litteram cap. 7. Isidoro l. 13. originum cap. 21. Damasceno lib. 2. de fide cap. 9. quos sequuntur aliqui recentiores, aliis licèt contradicentibus, eò quòd quatuor flumina quæ hic memorantur, debeant esse sibi invicem vicina; Ganges autem plus minus quater mille ducentis milliaribus distat ab Euphrate & Tigri. Verùm responderi potest in primis quòd veteres patres hanc difficultatem benè agnoverunt, neque propterea sententiam mutaverunt. Deinde dici potest Gangem non procul à Tigri & Euphrate oriri, loquendo de subterraneo & occulto ejus meatu, etsi post tractus prolixarum regionum alibi demum manifestè erumpat, ut S. Thom. 1. p. q. 102. art. 1. ad 2. scribit, secutus S. Augustinum. Præterea, non improbabile est Gangem olim fuisse vicinum apertæ origini Euphratis & Tigris, nunc tamen non oriri (saltem evidenter) nisi loco à fontibus Euphratis & Tigris remoto, quia tum per diluvium, tum per alios casus, fluviorum fluxus (sicut & regionum situs) multum sunt immutati.

*Phison est Ganges.*

[ *Ipse est qui circuit omnem terram Hevilath*, ] Circuit, idest, decurrit & prolabitur: non enim significatur quòd iste fluvius propriè circumeat istam terram ambiendo & cingendo; sed quòd eam peragret, per ipsam decurrendo. Ita sumitur verbum circuire pro peragrare, Matth. 23. *Circuitis mare & aridam*. Porrò sicut duo reperiuntur Hevila, unus filius Chus Genes. 10. vers. 6. & 7. alter filius Jectan, ibidem versu 29. ita fuerunt duæ diversæ regiones, idem nomen ab illis sortitæ. Nam à priore Getulia Africæ nomen accepisse putatur, & à posteriore Hevilath probabiliter regio Indiæ, de qua hic est sermo: ut proinde eadem sint, circuire omnem terram Hevilath, & circuire omnem Indiam. Unde Josephus; *Qui Phison nominatur*, (ea vox multitudinem significat) *ad terram Indiam delatus, in illud se Pelagus exonerat, Græcis Ganges appellatus.*

[*Ubi nascitur aurum.* ] Hæc terra Hevilath juncta est terræ Ophir, ut colligi potest ex cap. 10. sequenti; Ophir autem esse feracem auri, ex 3. Reg. 9. patet, adeò ut quidam putent aurum excellens, vocari Obritum, quasi Ophiritium. Quibus si addas Gangem ramenta auri devehere, ut Plinius lib. 33. cap. 4. & alii scribunt, etiam hinc non improbabile fiet, Phison esse Gangem.

[℣. 12. *Et aurum terræ illius optimum est:* ] Hebræus dicit, *bonum*, neque tamen noster interpres malè reddidit optimum. Cùm enim Hebræi careant comparativo & superlativo; necesse habent uti positivo, etiam quando volunt aliquid excellentissimum significare. Bonum igitur quod hìc legitur in Hebræo, idem valet quod valde excellens, idest, optimum.

Hebræi ignorant vera nomina arborum, lapidum &c.

[*Ibique invenitur Bdellium*, ] De hac, ut & aliis quibusdam vocibus, observandum est recentiores Hebræos fateri se animalium, avium, arborum, ac lapidum pretiosorum vera nomina nominumque significationem ignorare, ut scriptum reliquit Oleaster tam hoc loco, quàm in canon. 2. Unde & Marius idem & ipse referens, duo hinc consectaria infert. Prius, summo jure postponi recentiorum Rabbinorum authoritatem interpretibus antiquioribus. Posterius, nos in ejusmodi explicandis non posse sine periculo erroris, imò sine temeritate istos recentiores sequi: quis enim vel prudenter vel tutò sequitur duces cæcos? itaque cùm 70. interpretes pro *Bdellium* posuerint carbunculum, eosque secutus sit B. Hieronymus tam in quæst. Hebr. quàm epist. 4. c. 1. & Procopius; etiam nos sequi possumus.

Si dicas, eosdem 70. interpretes pro eadem voce posuisse crystallum Num. 11. vers. 7. ubi in textu nostro adhuc est *Bdellium:* Resp. potest per carbunculum generaliter intelligi gemmam lucentem & fulgurantem (quomodo comprehendit carbunculum propriè dictum, & crystallum, & uniones.) Bdellii etiam meminit Plin. lib. 12. c. 9. ubi describit qualisnam sit arbor, ejusque fructus, inter genera lachrymarum, seu gummi refert.

[*Et lapis onychinus.* ] Qui si strictè accipiatur, est gemma à colore unguis humani sic dicta. Interpretes 70. & Hieronym. in qq. Hebr. habent lapidem prasinum. Non est improbabile poni speciem pro genere, ut regio Hevilath significetur esse plurium gemmarum fecunda mater.

[℣. 13. *Et nomen fluvii secundi Gehon.* ] Communis veterum interpretatio est per Gehon intelligi Nilum Ægypti fluvium: unde 70. ubi nos habemus Jerem. 2. *quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam*; pro aqua turbida habent aquam Gehon. Et Josephus lib. 1. antiquit. c. 2. *Gehon Ægyptum mediam secat (id nobis ab oriente exortum signat) quem Græci Nilum appellant.* Sunt è recentioribus qui fortiter negant Gehon esse Nilum; sed non est cur ab antiquorum sententia recedamus.

Gehon est Nilus.

[*Ipse est qui circuit omnem terram Æthiopiæ.* ] Utrùm terra Æthiopiæ Asiaticæ, an Africæ, dubitatur. Præcedentibus magis consentaneum est intelligere Æthiopiam Africæ; per hanc enim devolvitur Nilus circa ultimas meridionalis Africæ oras exortus; cùm in alia Æthiopia quæ & orientalior est, & Arabiæ Palestinæque vicinior, non sit aliquis notabilis fluvius.

Dices, si Gehon est Nilus, quare Moyses illum describit per Æthiopiam & non per Ægyptum? ratio esse potest quia Israelitis satis erat notum, Nilum præterfluere Ægyptum; quòd autem vastam Æthiopiæ regionem præterflueret, eis erat ignotum; quod idcircò Moyses voluit explicare.

[℣. 14. *Nomen verò fluminis tertii Tigris:* ] Qui sic à celeritate, vel animalis Tigridis, vel sagittæ vocatur, quia velocissimè currit: Oritur (inquit) Plin. lib. 6. cap. 27. In regione Armeniæ majoris, fonte conspicuo in planitie.

[*Ipse vadit contra Assyrios.* ] Idest, ex opposito Assyriorum: ante ipsorum terram præterfluit.

[*Fluvius autem quartus, ipse est Euphrates:* ] Ita dictus, quòd terras quas inundat, mirum in modum faciat fertiles: Nam Euphrates interpretatur frugifer: Plin. lib. 5. cap. 24. scribit Euphrateo oriri (ortu scilicet manifesto) in majore Armenia: transit autem per Babyloniam, & est unus terminus terræ promissionis, ideoque Moyses non exprimit per quam terram decurrat, quia id satis notum erat Israelitis quibus hæc scribebat. Quòd verò frequenter appellatur flumen magnum, propterea videtur factum, vel quòd sit unum ex maximis fluminibus populo Judaico notis; vel quia in Babylone ubi diu commorati fuerunt Judæi, sit maximè latum, adeò ut Nilus nusquam se in tantam latitudinem diffundat.

Quoad sensus mysticos observandum est quòd per paradisum allegoricè significetur Ecclesia, quam irrigant quatuor Evangelia per quatuor fluvios significata; lignum vitæ est Christus: lignum scientiæ boni & mali, nostrum liberum arbitrium sibi relictum; ligna fructifera sunt justi; & fructus, bona opera. Mystica.

Moraliter Paradisus est anima humana, initio variis donis & virtutibus ornata: quatuor fluvii, quatuor virtutes cardinales: lignum vitæ, Dei gratia: lignum scientiæ boni & mali, liberum hominis arbitrium: ligna fructifera, ejusdem potentiæ naturales à Deo adjutæ.

Anagogicè, idem paradisus est cœlum, sedes beatorum: quatuor flumina, quatuor dotes corporis gloriosi.

[℣. 15. *Tulit ergo Dominus Deus hominem & posuit eum in paradiso voluptatis*, ] vocula rationalis *ergo*, cohæret cum iis quæ in præcedentibus de paradisi amœnitate dicta sunt; periode ac si diceretur, quoniam igitur paradisus erat tam amœnus, tulit Deus hominem qui extra paradisum formatus fuerat, & posuit eum in paradiso, tamquam in loco dignitati status innocentiæ convenienti. Tulit autem vel ei inspirando, ipsumque interius instruendo, movendo, ac ducendo; cùm alioqui nec locum sciret, nec viam ad illum: vel per Angelum ipsi apparentem ac ducentem: vel Angelico, sed invisibili ministerio, ipsum assumendo, & brevissimo tempore transferendo. Ideò autem Adam fuit extra paradisum formatus, ut dignitatem quam habebat, Dei gratiæ attribueret, & non velut sibi suæque naturæ debitam arbitraretur, quemadmodum indicat B. Thom. 1. p. q. 102. art. 4. ac etiam ut sciret se non esse paradisi filium sed colonum. Adam cur extra paradisum creatus.

[*Ut operaretur & custodiret illum.* ] Quidam (inter quos Aug. lib. 8. de Gen. ad litteram cap. 11. & 12.) istud referunt ad Deum, quasi diceretur, ut ipse, Deus operaretur hominem, beneficiis suæ gratiæ ipsum perficiendo, illumque in ea custodiendo, & ab omni exteriori læsivo tutum reddendo, quamdiu non peccaret. Sed sensum hunc ait Leonardus Marius lectio Hebr. excludit. In qua vox, *illum*, fœminini generis est, adeòque referri debet ad paradisum. Ea propter Chrysost. homil. 14. in Gen. & aliorum, atque etiam ipsius Aug. lib. 2. de Gen. contra Manichæos cap. 11. & l. 8. de Gen. ad litt. cap. 8. communior interpretatio refert ad hominem, hoc sensu, ut homo paradisum operaretur seu excoleret, non opere laborioso vel ad victum necessario; sed facili jucundo, & voluntario ad experientiam & ad suæ virtutis exercitium: item ut paradisum custodiret, tum ab injuria bestiarum sive quæ intra paradisum erant, sive quæ extra; idque non molesta & laboriosa cura & attentione, sed suo imperio, cui bestiæ erant pariturae: tum ne à decore & ornatu suo primo paradisus deficeret; ad quod cavendum arbores & vineæ debuissent putari, duci, & convenienter disponi: quamvis enim omnia essent producta in perfectione & vigore, potuissent tamen sordescere, & marcescere, si homo nihil circa illa fecisset; cum non sit existimandum quòd ista irrationalia fuerint melioris conditionis quàm corpus humanum, quod in statu innocentiæ conservari debuisset per cibum & potum, & per ligni vitæ usum. Hinc duo discere licet: unum, quàm curæ sit Deo, ut homines labore honesto se exerceant, ne alioquin otio torpentes, malo suo experiantur illud, Eccles. 33. *Multam malitiam docuit otiositas:* Alterum, quòd non satis sit bona agere, nisi studeamus ea custodire. Quo modo Adam operaretur paradisum.

[℣. 16. *Præcepitque ei*, ] Deus scilicet in specie corporali apparens, ut exponit Aug. lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 18. conformiter scripturæ quæ cap. 3. refert primos parentes audivisse vocem Domini Dei, deambulantis in paradiso.

[*Dicens*,

[ *Dicens, ex omni ligno paradisi comede.* ] Tibi concedo ut ex cujusvis arboris quæ in paradiso est, fructu comedere possis, salva tamen exceptione quæ sequitur.

[ ℣. 17. *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas,* ] Septuaginta, Chrysost. & Aug. legunt, *ne comedatis*, nempe tu & uxor tua, vel tu & posteri tui.

Utrùm verò Eva jam esset creata, quando istud præceptum datum est, ejusque creatio per recapitulationem narretur in sequentibus, an solùm postea Deus eam creaverit, meritò dubitat Aug. dicto lib. 8. c. 17. Utrumvis dicatur, duo sunt notanda.

Prius, quòd hæc verba, *ex omni ligno paradisi comede*, probabiliter non contineant præceptum, sed concessionem; ita ut illud, *præcepitque ei*, ad sola subsequentia pertineat, hoc sensu: Deus homini præcepit, ne de fructu arboris scientiæ boni & mali comederet, concedens nihilominùs ut de cujusvis alterius arboris fructu comedere posset. Hunc sensum indicant Aug. lib. dicto cap. 17. & Gregor. lib. 35. Moralium c. 13.

Posterius, quòd hoc præceptum, *de ligno scientiæ boni & mali ne comedas*, etsi fortassis soli Adamo fuerit immediatè à Deo dictum, sicut editionis vulgatæ textus insinuat, pertinuerit non solùm ad Adam, sed etiam ad Evam; cui proinde Adamus illud retulit; imò & ad alios quosque qui fuissent ex iis geniti. Unde mulier c. 3. *de fructu ligni quod est in medio paradisi præcepit nobis Deus ne comederemus*. Ideo autem Deus tale præceptum primis hominibus dedit, ut se ipsorum dominum esse ostenderet, ab iisque exigeret positivi alicujus præcepti obedientiam velut homagium seu fidelitatis Deo tamquam supremo Domino debitæ recognitionem. Unde consequens est hujus præcepti materiam, etsi secundùm se videatur levis, gravem tamen fuisse, & sufficientem ad obligandum sub mortali, prout illud à Deo ferebatur. Quòd si præceptum istud soli Adamo fuerit immediatè datum, qui postea referret mulieri; ratio ejus esse potuit quam B. Aug. dicto c. 17. indicat, ut in agendis mulier disceret domi virum suum audire.

*Cur præceptum primis hominibus datum.*

[ *In quocumque enim die* ] Hoc est, quocumque momento vel tempore.

[ *Comederis ex eo, morte morieris.* ] 70. habent, in plurali *comederitis, moriemini*, ad significandum quòd præceptum vel utrique, viro scilicet ac mulieri datum fuerit, vel saltem pro utroque. *Morte morieris*, phrasis est Hebræa, idem significans quod certissimè morieris; sive, mortis obeundæ necessitatem incurres: seu (ut Symmachus vertit) mortalis eris. Unde hujus sententiæ veritati non obstat, quòd tam Adamus quàm Eva non statim à manducatione fructus vetiti mortem oppetierint, sed annis multis supervixerint: quia tunc mortales facti fuerunt & mortis necessitati obnoxii; imò & quodammodo cœperunt mori, quatenus non tantùm secundùm animam sed etiam secundùm corpus in deterius commutati, cœperunt habere dispositionem quæ ad mortem tendebat. Sermonem autem hìc esse de morte corporis, tamquam effectu seu pœna peccati notiore, sic tamen ut mors animæ non excludatur sed includatur; certum est ex Concil. Milevit. can. 1. Arausicano can. 2. Trid. sess. 5. can. 1. Confirmarique potest ex iis quæ infra c. 3. Deus dicit de Adam in pulverem revertendo, & ex iis quæ Apost. ad Rom. 5. differit. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*, &c. & mox. *Regnavit mors ab Adam*. Ubi clarum est de morte corporali sermonem esse.

*De morte corporali sermo est.*

[ ℣. 18. *Dixit quoque Dominus Deus.* ] Quæ sequuntur de formatione mulieris, non est necessarium accipere tamquam dicta vel facta die septimo, etsi non desint qui ita acceperunt: sed rectè per recapitulationem hìc posita intelliguntur; cùm satis probabile sit mulierem die sexto formatam, quemadmodum 1. p. quæst. 73. ostendimus.

[ *Non est bonum esse hominem solum.* ] Homo hìc ponitur pro viro, scilicet Adamo, & sermo est de bono speciei; perinde ac si diceretur, non est conveniens virum hunc solum remanere, quoniam ad propagationem humani generis formatus est, si autem solus permaneat non poterit ea propagatio fieri, cùm naturaliter fieri non possit absque fœmina. Hinc patet contra scripturam sentire eos qui propter verba capitis 1. *Masculum & fœminam creavit eos*, dixerunt Evam fuisse formatam simul cum Adamo: hæc enim scriptura clarè significat Adamum fuisse aliquo tempore solum. Patet etiam sectarios perperam his verbis abuti, ad impugnandum clericorum ac religiosorum cœlibatum: dicta enim fuerunt pro illo tempore quo genus humanum nondum erat propagatum: post sufficientem verò ejus propagationem, *bonum est homini mulierem non tangere*; &, *non nuptis & viduis bonum est si sic permaneant* imò mulier non nupta, *beatior erit si sic permanserit*, prioris ad Cor. 7. Plura videri possunt in nostris comment. ad 2. 2. q. 152. art. 4. & in Supplem. q. 41. art. 2.

[ *Faciamus ei adjutorium simile sibi.* ] Idest, ejusdem naturæ specificæ, cum illo. Pro, *simile sibi*, seu ei, alii vertunt juxta eum, vel coram eo: alii è regione vel ex adverso ejus, hoc est, ipsi præsens & ad manum quo uti possit, eique contrapositum seu correspondens, nimirùm in natura. Unde noster interpres benè ad sensum vertit, *simile sibi*.

Si cum Juliano Apostata dicas mulierem non fuisse viro adjutricem, sed ruinæ ac perditionis occasionem: Resp. ipsam fuisse adjutricem in eo ad quod Deus illam formavit, scilicet in propagatione generis humani: quamvis per accidens, & ex suo vitio fuerit ei occasio peccati.

[ ℣. 19. *Formatis igitur, Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus cœli,* ] Aves non de terra esse formatas, sed de aqua, communis habet sententia, eamque secuti fuimus 1. p. q. 71. Illud igitur, *de humo*, vel solùm referendum est ad priorem sententiæ partem; hoc sensu, formatis de humo cunctis animantibus terræ seu animalibus terrestribus, ac etiam formatis universis volatilibus cœli; sive postquam Deus formasset tum animalia terrestria de terra, tum volatilia: vel per humum, intelligenda est terra aquosa, seu aquæ mixta.

[ *Adduxit ea ad Adam:* ] Non sola mentali (ut quibusdam visum est) sed vera ac reali præsentia fuerunt animalia ad Adam adducta; idque non per aliquam violentiam, neque etiam per verba sensibilia quorum intelligendorum bestiæ (utpotè irrationales) non erant capaces; sed per ministerium Angelorum, ut docet August. lib. 9. de Gen. ad litt. cap. 14. Hujus adductionis prima eaque potissima ratio fuit, ut Adam naturas & proprietates animalium considerando, imponeret eis nomina, ipsorum naturis & proprietatibus congrua: hoc enim est, quod in textu sequitur.

*Cur animalia ad Adam adducta.*

[ *Ut videret quid vocaret ea.* ] Secunda ratio fuit, ut videret in cunctis animalibus non esse ullum ei simile, quod posset esse in adjutorium generationis; ideò enim postea subditur. *Adæ verò non inveniebatur adjutor similis ejus*. Tertiò, ut videndo ipsa animantia cognosceret eorum figuras, magnitudines, proprietates, & operationes naturales. Adducta sunt autem omnia animantia terræ, & omnes volucres cœli; hoc est, de singulis speciebus bina, masculus & fœmina, sicut jam ante fuerant creata.

An & pisces adduxerit Deus ad Adam, quæstio est: videturque quòd sic, tum quia & pisces fuerant sub Dominio Adæ, juxta illud cap. 1. *præsit piscibus maris*; & mox, *Dominamini piscibus maris:* tum quia hìc sequitur, *Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus*.

Nihilominùs communior sententia est, nec pisces fuisse ad Adam adductos, nec Adam eis nomina imposuisse. Ita post Sanctum Aug. dicto lib. 9. cap. 12. Abulensis, Pererius, Delrio, Marius, & alii. Confirmatur, quoniam scriptura expressè meminit animantium terræ, & volatilium cœli; de piscibus verò nihil dicit. Deinde, pisces non possunt absque miraculo vivere extra aquam, suntque ab hominum consortio remoti.

Ad primam rationem oppositam Resp. quòd etsi pisces essent sub Dominio Adæ, non propterea debuerint adduci ad Adam, quia non omnia quæ Adæ subjecta erant, adduci debebant, ut patet de rebus insensibilibus.

Ad secundam Resp. istius sententiæ,

[ *Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus.* ] Ita sensum reddi posse, non ut per eam significetur, quòd Adam imposuit nomen omni viventi, sed quòd omne nomen ab Adamo impositum rei viventi sit nomen ejus verum, naturam scilicet aut proprietatem ejus revera significans. Quamquam & hic sensus dari possit, omne animal vivens eo nomine vocatur, quod Adam illi imposuit. Intelligendo tamen solùm de illis animalibus ad quæ sententiam suam restrinxit Moyses, dicens.

[ ℣. 20. *Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia & universa volatilia cœli, & omnes bestias terræ.* ] Hoc est, de solis animantibus terræ & volatilibus cœli,

His non obstat, quòd Adam Hebraicè loquens non vocaverit ullam bestiam hoc nomine Latino, *equus*, satis enim est quòd vocaverit eam tali nomine Hebræo, cui respondet istud latinum, equus, & sic de reliquis,

Moralia. Ad mores hic observandum est, quòd sicut ad magnam Adami sapientiam pertinuit, animalibus imponere nomina juxta illorum naturas & proprietates; ita oportere, quòd nos unamquamque creaturam appellemus seu æstimemus tanti, quanta est secundùm rei veritatem, & non amplius, quemadmodum illi omnes pluris æstimant, quicumque creaturam aliquam nimis amando, Deum offendunt,

[ *Adæ verò non inveniebatur adjutor similis ejus.* ] Quasi diceret, cunctis animalibus benè perspectis nullum inveniebatur animal ejusdem speciei cum Adamo, quod posset ei esse adjumento ad suam speciem propagandum, & adsocialiter convivendum. Ex quo sequitur Adam fuisse creatum, imò & animalibus indidisse nomina priusquam Eva esset formata,

[ ℣. 21. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam.* ] Pro sopore, Aquila & Symmachus eas dictiones habent quæ altum & profundum somnum significant: Septuaginta reddiderunt Ecstasim, ad significandum sopori conjunctam fuisse mentis supra se elevationem & propheticam illuminationem. Adamus namque ita fuit tunc soporatus, & à functionibus sensuum ac corporis abstractus, ut nihilominùs mente videret costam sibi eximi, carnem suppleri, & ex costa mulierem formari; intelligeretque mysterium eo facto significatum: unde consequens est Adamum fuisse primum prophetam, Iste autem sopor gravis admodum ac profundus fuit, ita ut nec detractionem costæ, nec dolorem ullum sentiret: Non fuit tamen naturalis, hoc est, ex naturalibus principiis profectus, sed divinus, seu divinitùs immissus, quemadmodum textus noster significat, dicens, *immisit*, pro quo alii vertunt ex Hebræo cadere fecit Dominus Deus soporem. Causæ porrò cur Deus soporem ejusmodi voluerit immittere in Adam; variæ sunt. Una, quam Chrysostomus hom. 15. in Gen. & Epiphanius hæresi 48. adferunt, ut quod in Adamo facturus erat, sine ullo ejus tum horrore, tum dolore fieret, nobisque esset magis intelligibile sine illis factum esse. Altera, ut per eum soporem significaretur sopor secundi Adam, idest, Christi, quem passurus erat quando ex ejus in cruce dormientis latere formanda esset Ecclesia per Evam significata. Ita insinuat August. tractatu nono in Joannem, Beda in c. 2. Gen. & alii.

Tacita ob. Neque refert quòd Ecclesia potius videatur formata ex Christo vivente; cùm certum sit Christum sive per effusionem sanguinis ex latere, sive per aliud quodcumque opus mortem subsecutum, nihil meruisse, sed benè antequam moreretur, Qui enim dicunt ex latere Christi dormientis formatam esse Ecclesiam, non hoc volunt quòd Christus per illam sanguinis ex latere per lanceam aperto fusionem meruerit aut formationem Ecclesiæ, aut applicationem suæ virtutis ad Ecclesiam, sed quòd ex latere Christi dormientis ea fluxerint, per quæ significantur illa mysteria, quibus Ecclesia formatur, sustentatur, & nutritur, scilicet pretium nostræ redemptionis, & ejus applicatio quæ fit per baptismum & per alia Sacramenta.

[ *Cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus,* ] quæ de formatione mulieris sequuntur, non parabolicè, vel allegoricè sicut voluit Cajetanus, sed historicè & quemadmodum ipsa verba sonant, accipi debent; tum quòd ille sit unanimis sanctorum Chrysost. hom. 15. in Gen. Hieronymi in epist. ad Philæmonem, Ambros. lib. de Parad. cap. 11. Aug. lib. 9. de Gen. ad litt. cap. 16. & aliorum patrum consensus, quem in sacris litteris interpretandis sequi oportet; tum quòd scriptura non tantùm hoc loco, sed etiam alibi mulierem ex viro, Evam ex Adamo formatam asserit, ut prioris ad Cor. 11. *Non vir ex muliere, sed mulier ex viro:* Et Eccles. 17. cum dictum esset, *Deus creavit de terra hominem, & secundùm imaginem suam fecit illum;* postea subditur; *creavit ex ipso adjutorium simile sibi.* Eodemque referri potest quod Actorum 17. legimus Deum fecisse: *ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ:* Nam si Eva non est ex Adamo formata, consequens est non omnes homines ex illo uno esse. Quapropter Deus revera tulit seu abstulit unam de costis Adæ, & ex ea formavit mulierem, addita videlicet quantùm opus erat, alia materia. Ex quo tamen non sequitur Evam potius ex illa alia materia fuisse formatam quàm ex costa; quoniam licèt ista alia materia esset major, quàm costa; erat tamen solùm secundaria & accessoria ad costam, quæ erat prima & principalis seu fundamentalis materia. Verè de Adami costa formata fuit Eva.

[ *Et replevit carnem pro ea.* ] Pro Costa, eaque carnosa seu carne vestita, qualem ut verisimile est, Deus Adamo abstulerat, carnem reposuit, non nudam, sed suffultam costa; ex illis enim quæ ipse Adam postea dixit, *hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea*, obvium est intelligere quòd non solùm os fuerit ex Adam assumptum, unde mulier formaretur; sed etiam caro adhærens costæ,

[ ℣. 22. *Et ædificavit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam, in mulierem:* ] Hoc est, ex costa illa condidit ac formavit mulierem, ipse scilicet per seipsum, & non per aliquem Angelum, Utitur hic sacer scriptor verbo, *ædificavit;* sive quoniam Eva præternaturali modo condita, quasi ædificium Dei est, sive quia ut S. Ambros. eodem cap. 11. ait, quia in viro & muliere videtur esse quædam plena perfectio domus, sive etiam, quia mulier est quasi domus prolis conceptæ, eam continens, protegens, ac fovens.

Circa hæc

Quæritur 1. quare Adam non est censendus fuisse monstruosus, vel habuisse unam costam superfluam,

Respondetur in primis rationem esse, quia monstruositas non est nisi ex defectu aut superfluitate corporis exteriùs apparente, in Adam verò nihil tale apparebat. Deinde, costa illa putatur à quibusdam fuisse una de necessariis. Cùm autem in ejus locum statim alia fuerit suppleta, Adamo neque aliquid fuit superfluum, neque quicquam defuit. Quòd si non fuerit una de necessariis, quemadmodum alii non improbabiliter dicunt, quamvis fuerit ei superflua in quantum erat unus homo particularis unaque persona, non erat tamen superflua ipsi considerato ut erat persona talis, idest, in quantum erat caput & seminarium aliorum hominum, quia ut sic erat instar seminis: Semen verò etsi superfluum sit individuo secundùm se considerato, in quantum tamen generationi prolis deservit, non est ei superfluum ut ad speciei propagationem ordinato. Confert 1. p. q. 92. art. 3. & Suppl. q. 80. art. 4. ad 2.

Quæritur 2. quomodo materiam aliam Deus addiderit costæ, an per creationem, an per conversionem sive aeris circumstantis, sive aquæ & terræ, vel limi præexistentis.

Resp. apertam esse B. Thomæ sententiam, quòd non per creationem, sed per conversionem, 1. p. q. 92. art. 3. ad 1. 3. p. q. 44. art. 4. ad 4. in 2. d. 1. q. 1. art. 1. quia ut Gregorius allegatus 1. p. q. 119. art. 1. ait, omnia simul sunt creata secundùm substantiam materiæ, licèt non secundùm speciem formæ.

Quæritur 3. quare in humana specie, mulier facta fuerit ex viro, cùm in aliis animalibus non ita sit factum.

Respondetur unam rationem esse, ut in hoc quædam dignitas primo homini servaretur, ut nimirùm esset secundùm Dei similitudinem principium totius

speciei

speciei humanæ, seu omnium aliorum hominum, sicut Deus est principium totius universi.

Secunda est, ut vir magis diligeret mulierem, magisque inseparabiliter ei adhæreret, dum cognosceret eam ex se esse productam, quemadmodum 23. & 24. versibus seqq. indicatur. Et hoc maximè necessarium fuit in specie humana, in qua vir, & uxor commanere debent per totam vitam; id quod non contingit in aliis animalibus.

Tertia, quia mas & fœmina conjunguntur in hominibus non solùm propter necessitatem generationis, sicut in cæteris animalibus, sed etiam propter vitam domesticam; in qua alia sunt opera viri, alia fœminæ, & in qua vir est caput mulieris: unde convenienter ex viro formata est sicut ex suo principio.

Quarta, ad significandum quòd Ecclesia sumpserit principium à Christo. Vide S. August. lib. 12. de Civit. cap. 21. & 26. & B. Thom. 1. p. q. 92. art. 2.

Quæritur 4. quare mulier facta sit de latere & costa viri, potius quàm ex aliqua alia parte.

Resp. rationem esse, quam B. Tho. dicta q. 92. art. 3. adducit, ad significandum quòd inter virum & mulierem debet esse socialis conjunctio. Neque enim mulier debet dominari in virum, & ideò non est formata de capite, neque debet à viro despici tamquam serviliter ei subjecta, & ideò non est formata de pedibus. Addi potest & alia ratio sacramentalis, quia de latere Christi fluxura erant Sacramenta, idest, sanguis & aqua, juxta ea quæ ad versum 21. diximus.

[ *Et adduxit* ] Ipsemet Deus per Angelum in corpore assumpto

[ *Eam* ] scilicet mulierem,

[ *Ad Adam*. ] Sponsam videlicet ad sponsum, ut eos matrimonio copularet. Hinc probabile fit Deum tulisse costam Adæ in locum nonnihil ab eo separatum (intra paradisum tamen) & ex ea illic formasse mulierem; quam deinde adduxit ad Adam eique præsentavit, accipiendam in uxorem.

[ ℣. 23. *Dixitque Adam:* ] Visa muliere, intellectoque modo ac mysterio formationis ipsius:

[ *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea:* ] Nunc, idem valet quod jam tandem, & est antithesis ad sententiam superiorem, *Adæ verò non inveniebatur adjutor similis ejus*, quasi diceret hactenus cætera animalia habebant simile sibi in adjutorium propagationis, solusque ego nullum habebam adjutorium ejusdem speciei mecum; sed quod jam video, est os ex ossibus meis, & caro de carne mea; sive, est ejusdem speciei mecum, formatum scilicet de osse meo, & de carne mea; ponitur enim numerus pluralis pro singulari, cùm dicitur ex *ossibus meis*.

[ *Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est*. ] Virago secundùm propriam significationem significat mulierem, non quamcumque sed animo virili præditam: Interpres autem non solam significationem attendit, verùm etiam vocis ethymon, juxta quod vox illa derivatur à vocabulo viri, sicut mulier derivata seu sumpta est de viro. Quæ tamen vocis derivatio clarius significatur in Hebræo, ubi vir denominatur Isc. & mulier Isca.

[ ℣. 24. *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem suam*, ] hæc verba esse Adami sermonem cœptum prosequentis contextus indicat: quoniam tamen ea non ex se dixit, sed ex divina inspiratione, etiam sunt Dei inspirantis. Unde Matth. 19. Christus illa tribuit Deo, ita dicens: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos; & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem?* ex cujus loci collatione cum hoc præsenti, apparet illam particulam, *quamobrem*, quæ æquivalet huic, propter quod, non esse referendam ad id solùm quod proximè præcedit, *de viro sumpta est*, sed etiam ad alia præcedentia, quibus Deus dicitur tulisse unam de costis Adæ, & ex ea formasse mulierem eamque formatam adduxisse ad Adam; ut sit sensus: Cùm igitur Deus unam mulierem & quidem de substantia viri formaverit, eamque unam uni dederit in uxorem, tanta debet esse viri ad uxorem conjunctio, ut si necesse sit, patrem & matrem deserat quoad habitationem, & vitæ consortium, ut uxori possit convivere. Quoad habitationem dico: nam quòd in pari casu ne-

Eadem verba sunt & Dei & Adami.





cessitatis magis subveniendum sit parentibus, quàm uxori, B. Thom. 2. 2. quæst. 26. art. 11. & q. 31. art. 3. docet, eique communiter consentiunt Doctores. Conferri possunt quæ ibi scripsimus.

[ *Et adhærebit uxori suæ:* ] Vinculo scilicet indissolubili: quod ut perfectius significarent 70. pro *adhærebit*, dixerunt, *agglutinabitur*, verbum summam adhæsionem importans. Per hoc quod dicitur, *adhærebit suæ*, excluditur adulterium, & ostenditur quòd uxorum pluralitas non sit ex primæva institutione matrimonii.

[ ℣. 25. *Et erunt duo in carne una*. ] Sive, ut alii vertunt, in carnem unam, perinde ac si diceretur, erunt una caro: quo modo Christus explicuit Matth. 19. ubi cùm dixisset, *erunt duo in carne una;* mox infert: *itaque jam non sunt duo, sed una caro*. Sicut igitur supra dictum est hominem factum esse in animam viventem, quia factus est animal vivens; ita nunc dicitur, *erunt duo in carne una*, pro eo quod est, hi duo erunt una caro. Vocula, *duo*, non est in Hebræo, sed eam ad sententiæ plenitudinem addiderunt 70. Ex quibus quoque Christus eam expressit, dum locum hunc allegavit dicto cap. 19. & Marci 10. Quidam tamen putant illam fuisse olim in Hebræo, sed Hebræorum oscitantia excidisse.

Dicuntur autem vir & mulier conjugati, esse una caro: primò propter mutuum amorem quo vir debet diligere uxorem ut corpus suum, & vicissim uxor virum, secundùm ea quæ leguntur ad Ephes. 5. Secundò, propter jus quod habet vir in corpus uxoris, & uxor in corpus viri, ita ut caro unius jure sit caro alterius, quemadmodum prioris ad Corinth. 7. indicat Apostolus dicens, *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier:* & hac ratione caro utriusque est quodammodo una.

Ut mas & uxor sint una caro.

Tertiò, quia ad prolis generationem conveniunt seu convenire possunt velut una caro, hoc est, ut unum totale principium: sicut enim. *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur*, prioris ad Cor. 6. ita (& multò melius) qui adhæret uxori. Ex his intelligi potest conjuges esse unam carnem, non tantùm per matrimonii consummationem, sed etiam ante illam; per ipsum scilicet vinculum matrimoniale.

[ *Erat autem uterque nudus, Adam scilicet & uxor ejus:* ] Cùm enim nullis corporalibus incommodis essent obnoxii, nullo vestium tegmine indigebant. Et quoniam nulla in eorum membris erat rebellio, nec ullus contra rationem motus, nihilque propterea pudendum: ideò additur.

[ *Et non erubescebant*. ] Ubi namque nihil est indecens, nulla est causa erubescentiæ, quemadmodum ex dictis 1. 2. q. 41. art. 4. & 2. 2. q. 144. art. 1. & 2. clarum est. Istam primorum parentum nuditatem impudenter sequi voluerunt hæretici, adamitæ dicti; cùm tamen Adam in solo innocentiæ statu nudus manserit, post lapsum verò suum statim quæsierit operiri propriam nuditatem, infra cap. 3.

## CAPUT III.

*Serpens tentat Evam. Ipsa peccat, & post ipsam Adamus. Unde increpantur à Deo. Serpens maledicitur; & Christus significatur esse venturus. Primi parentes puniuntur & ex paradiso pelluntur.*

[ ℣. 1. SEd & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Hæ particulæ, *sed &*, simul sunt adversativæ & copulativæ: quasi diceretur. Ista quidem fuit tum sapientia tum felicitas primi status; at non secura, neque diuturna: nam & serpens callidissimus erat, & per eum homines de illo statu fuerunt deturbati.

Cæterùm, quando hæc deturbatio contigerit, variè disputatur. Multorum sententia est, quòd eodem die, quo fuerunt creati, hoc est sexto die mundi: Alii tamen non improbabiliter censent primos homines non ipso suæ creationis die, sed aut uno vel altero post, aut certè octavo peccasse, paradisoque ejectos fuisse: quæ enim tum hoc, tum præcedenti cap. de ipsis narrantur, ut quòd Deus virum fecit extra paradisum: quòd eum postea in paradiso posuit, eique concessit

fructus arborum paradisi, præter quam illius cujus esum sub pœna mortis ipsi prohibuit: quòd omnia animantia terræ, & volatilia cœli Deus adduxit ad Adam; quòd illis omnibus Adam nomina imposuit: quòd Deus ex costa Adæ Evam formavit, Adamque protulerit ea quæ sub finem cap. 2. habentur: quòd Adam & Eva quamvis nudi, non erubescerent; ad quorum alteram, deinde venit serpens, colloquiumque cum ea miscuit; & ipsa postmodum cum viro: majus quàm unius diei spatium videntur requirere. Accedit conveniens fuisse quòd primi parentes paradisi amœnitatem & delitias, saltem aliquantulum experirentur, ut postea magis noscerent qualem locum peccando perdidissent. Unde Aug. lib. 11. de Gen. ad litt. c. 31. scribit, quòd jam ante in aliis arboribus sensissent poma sibi innoxia: & c. 34. probabile ait solere Deum per creaturam tali actioni congruam, in forma humana primis illis hominibus apparere; qui modus loquendi aliquorum (saltem paucorum) dierum tempus præsupponit; sicut & quod lib. 2. de peccatorum meritis cap. 21. dicit de alimentis diversorum arborum in statu innocentiæ sumptis. Eadem est Joseph. 1. antiquit. c. 2. Damasc. lib. 2. de fide cap. 16. & Greg. l. 4. dial. c. 1. sententia: nam Gregorius ait, quòd in paradiso assueverat homo verbis Dei perfrui, beatorum Angelorum spiritibus, cordis munditia & celsitudine visionis interesse. Hos sequitur Pererius, lib. 6. in Genes. eique consentit Delrio & Bonfrerius.

Non videtur Adam ipso suæ creationis die peccasse.

[ *Serpens* ] Veterum recentiorumque sententia communiter recepta habet de vero, corporeo, & naturali serpente esse sermonem; idque verba ista indicant, *erat callidior cunctis animantibus terræ:* quod ita dicitur, sicut dicere solemus leonem esse fortissimum omnium animalium, comprehendentes utique ipsum inter vera animalia. Deinde & genus pœnæ quo postea multatus est serpens, requirit ut de vero ac corporeo serpente sermonis seriem accipiamus; cum experientia constet veros & naturales serpentes super pectus gradi; & terram comedere, non autem incorporeos.

Verus fuit serpens.

[ *Erat callidior,* ] seu astutior,

[ *Cunctis animantibus.* ] Sunt qui prærogativam calliditatis inter bestias, aut vulpi, aut apibus, aut elephantis, aut aliis animalibus tribuunt, volentes eam non hìc tribui serpenti secundùm se, sed tantùm quatenus erat instrumentum diaboli; quomodo dicimus aliquam linguam esse dolosam, non quòd ei dolus insit, sed quòd eam moveat mens dolosa.

Verùm quia hoc sensu cuilibet animali quod diabolus assumeret, posset tribui maxima calliditas; & quia scriptura naturalem rationem indicare videtur ob quam à diabolo serpens potius quàm aliud animal assumptus fuerit; communior interpretatio est serpentem naturaliter esse callidiorem cæteris animalibus, si non quantum ad omnia, saltem quantum ad aliqua, veluti ad vitam propriam conservandam; & quantum ad occultè insidiandum ac nocendum; quod posterius sacrum scriptorem hìc præcipuè spectasse verisimile est: quamvis enim vox Hebræa sumi possit tum in bonam, tum in malam partem; hìc tamen potius in malam sumitur; eodemque modo sumendum est quod pro *callidior,* 70. vertunt *prudentissimus;* vel (sicut plures Latini codices habebant tempore S. August. ut ipse testatur lib. 11. de Gen. ad litt. c. 2.) sapientissimus. Unde Hieron. lib. de traditionibus seu quæst. Hebr. *in Hebræo,* inquit, *habetur arum, quod Aquila & Theodotion, πανοῦργον interpretati sunt, hoc est nequam & versipellem;* tum addit: *Magis itaque ex hoc verbo calliditas & versutia, quàm sapientia demonstratur.* Habet quidem serpens illud prudentiæ, ut dum in periculo versatur, caput occultet; ut bibiturus, venenum expuat ac deponat; ut aurem contra incantationes obturet: sed ad occultè insidiandum ac nocendum homini, est astutissimus: quod scriptura variis in locis significat. Veluti Gen. 49. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro.* Deut. 8. *Serpens flatu adurens:* Psal. 139. *acuerunt linguas suas sicut serpentes.* Proverb. 23. *Mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Eccles. 10. *si mordeat serpens in silentio.* Jerem. 8. *mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebit eos.*

Serpens ut sit callidissimus.

Cæterum quis seu cujus speciei fuerit ille serpens de quo hìc agitur, an vipera propterea quòd Judæi Matth. 3. vocantur genimina viperarum; incertum est: certum tamen, quòd eum (qualiscumque fuerit) diabolus sit ingressus sicut solet energumenos; in cujus deinde ore quasi in suo organo vocem humanam seu humanæ similem ut potuit, effinxit, non vitali actioni, sed artificiali.

*Si quæras,* Unde constet diabolum hoc serpente fuisse usum: Resp. ex eo, quòd scriptura primum hominis peccatum (quod sine dubio ad serpentis tentationem commissum fuit) invidia diaboli contigisse ait Sap. 2. eumque propter ea vocat homicidam ab initio, Joan. 8. & serpentem antiquum, Apocal. 20.

*Si præterea quæras.* Quare diabolus serpente potius quàm alio animali usus fuerit: Resp. unam rationem esse ex parte ipsius diaboli, quòd sciret serpentem maximè idoneum esse ad fallendum: Altera est ex parte Dei, quia Deus non permisit eum uti alio animali; tum ut sic appareret vilitas & abjectio dæmonum; tum ut tortuosi animalis aspectu Eva posset facilius fraudem detegere.

Cur diabolus serpente usus.

[ *Qui* ] Serpens scilicet

[ *Dixit* ] diabolo per eum loquente.

Quare mulier non exhorruerit ad præsentiam serpentis; ratio esse videtur quòd sciret omnia animalia sibi esse subjecta, nec ullum eorum posse nocere homini in tali statu in quo erat, existenti.

Quòd nec ad serpentis loquelam timuerit, non fuit ex eo quòd existimaret serpentem naturaliter esse præditum facultate loquendi; tale enim judicium (cùm sit falsum) non consistebat cum rectitudine status in quo erat: sed quia cogitabat eum spiritu aliquo movente seu occulta aliqua vi sermonem proferre, non discutiendo an vis illa esset boni, an mali spiritus, secundùm ea quæ diximus 1. p. q. 94. art. 4.

[ *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi?* ] Quasi diceret: estne verisimile, quòd Deus vobis præceperit? aut, non est quòd existimetis Deum vobis præcepisse ne comederetis ex fructibus omnium arborum paradisi; quare enim hoc præciperet, cùm omnium earum fructus optimi sint & salutares?

Dubitari solet, num iste sit sensus verborum serpentis, *ut non comederetis ex omni ligno paradisi,* id est, ut de nullo ligno paradisi comederetis; an ille, ut de uno aliquo particulari ligno non comederetis. Sed nihil vetat verba ambiguè esse prolata, sic ut tum uno, tum altero sensu possent accipi; cùm diabolo familiare sit, ambiguo sermone uti, ad facilius decipiendum. Unde mulier huic ambiguæ interrogationi cum distinctione respondet.

[ ℣. 2. *De fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur:* ] Seu vesci nobis licet:

[ ℣. 3. *De fructu verò ligni quod est in medio paradisi præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud,* ] quorumdam opinio est Evam ex odio præcepti calumniosè istud addidisse *(& ne tangeremus illud:)* cùm ex verbis scripturæ non appareat Deum aliquid dixisse de tactu. Quia tamen adhuc erat innocens & sancta, neque apparet quòd primum ejus peccatum fuerit mendacium, secundùm ea quæ 2. 2. q. 163. art. 1. diximus: ideò verisimilius videtur quòd in illa præcepti relatione nullum mendacium commiserit, sed intellexerit eum tactum à Deo fuisse vetitum, quo fructus arboris decerperetur ad edendum; hunc autem tactum eo ipso præcepto Deum vetuisse, quo vetuit esum arboris, non est dubium.

[ *Ne fortè moriamur.* ] Cùm Deus absolutè dixerit, *morte morieris* Gen. 2. quidam opinantur quod Eva dicendo, *ne fortè moriamur,* dubitaverit de pœna per Deum comminata, oppositum tamen est verius: Nam & viri & mulieris primum peccatum fuit superbia, ut ex scriptura & Patribus eodem art. 1. ostendimus in 2. 2. non autem diffidentia, vel dubitatio de verbis Dei. Sicut ergo adverbium, *fortè,* in scriptura non semper est dubitantis, sed aliquando est asserentis, ut Matth. 11. *fortè mansissent:* Lucæ 20. *forsitan verebuntur,* & alibi; ita hìc censemus habere vim assertionis; illudque ( *ne fortè* ) idem valere quod, ne utique, aut ne certè.

[ ℣. 4. *Di-*

Varia diaboli mendacia.

[ ℣. 4. *Dixit autem serpens ad mulierem : nequaquam morte moriemini.* ] Observanda serpentis in ordine tentandi astutia. Postquam proposuit objectum, nunc removet pœnam, ut timorem excutiat; & promittit utilitatem, ut excitet delectationem. Sunt autem quinque aut sex in paucis ejus verbis mendacia. Primò enim negat hominem moriturum etiamsi de fructu quem proponit, comedat: Secundò tribuit arbori vim quam non habebat: Tertiò promittit oculos aperiendos: Quartò pollicetur quòd erunt *sicut dii, scientes bonum & malum*; Quintò affirmat Deum scire quòd ista sint vera; simulque, aut ipsum insimulat invidiæ si eos re tam bona privare voluerit, quemadmodum ex Aug. lib. 11. de Civit. c.42. diximus 2.2. q. 163. art. 1. aut significare vult Deum non seriò prohibuisse illius arboris esum, sed vel joco tantùm, vel alicujus mysterii gratia, quod modò non scirent, scituri autem essent postquam comedissent. Hunc posteriorem explicandi modum colligunt quidam ex Aug. dicto lib. 11. cap. 30. ubi tamen ipse non aliud dicit quàm quòd mulier non credens posse se ex istius arboris esu mori, *putaverit Deum alicujus significationis causa dixisse, si manducaveritis morte moriemini.*

[ ℣. 5. *Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo,* ] quasi diceret, Deus novit utilitatem istius arboris, & ideò illam vobis prohibuit, nolens vos esse ipsi similes in sapientia.

[ *Aperientur oculi vestri:* ] Non est sermo de oculis corporeis, qui usque tunc clausi fuerint, cùm ex versu 6. constet, Evam vidisse arborem, fructumque ex ea decerpsisse, priusquam ederet: & cap. 2. habeamus adducta esse animalia ad Adam, *ut videret quid vocaret ea;* neque sit verisimile vel adductam esse mulierem ad Adam non videntem; vel ipsum de ea quam non videbat, dixisse: *hoc nunc os ex ossibus meis*; vel eos cæcos fuisse creatos, & accepisse præceptum de non comedendo fructum arboris quam nec viderent, nec videre possent: sed figurata locutio est; perinde ac si diceret, eritis tam clari ingenii, tamque perspicacis intelligentiæ, ut meritò judicare possitis vos ante hac fuisse quasi cæcos, & nihil intelligentes.

Adam non fuit oculis clausis ante peccatum.

[ *Et eritis sicut dii,* ] non natura; sed similitudine: in quo autem consisteret ista similitudo, statim indicat serpens dum addit:

[ *Scientes bonum & malum.* ] Idest, habentes exactissimam omnium cognitionem. Cùm enim omne quod est, vel bonum sit vel malum; commodum vel incommodum; scire bonum & malum, ponitur pro scire omnia. Similitudo ergo Dei quam diabolus primis parentibus promittebat, quamque ipsi appetiverunt, consistebat in omni scientia, ut scilicet per seipsos seu virtute suæ naturæ & ingenii omnia cognoscerent, sibique sufficerent, tum ad se in omnibus sua scientia dirigendum; tum ad bonum à malo discernendum, & ad felicitatem consequendam; ac proinde non indigerent ab ullo gubernari, neque ulli subjici; sed essent tamquam dii, independenter ab ullo alio viventes. Atque hæc fuit primorum parentum superbia: de qua videri possunt articuli 1. & 2. q. 163. in 2.2.

Quam Dei similitudinem promitteret diabolus.

[ ℣. 6. *Vidit igitur mulier,* ] etiam antea viderat, sed absque concupiscentia; nunc verò postquam serpentis promissionem audivit, animi elatione permota, ipsi credidit putansque vera esse quæ ipse promittebat, desideravit illa consequi, & ideò attentius aspiciens cùm inordinato appetitu vidit

[ *Quod bonum* ] seu conveniens

[ *Esset lignum* ] hoc est, fructus arboris,

[ *Ad vescendum,* ] id quod ex colore & odore poterat cognoscere:

[ *Et pulchrum oculis, aspectuque delectabile:* ] Hebræa quibus 70. consentiunt, habent concupiscibile seu pulchrum ad intelligendum, hoc est, ad faciendum intelligere, sive ad acquirendam sapientiam, ut quidam exponunt referentes hæc ad verba serpentis, quibus sapientiam promiserat.

Verùm huic expositioni obstat, quòd contextus satis indicet sermonem hic esse de visione corporali & externa, per quam non potest videri an fructus aliquis idoneus sit ad acquisitionem scientiæ seu sapientiæ quæ est in intellectu: ideò illud, ad intelligendum, potius accipi debet pro fruendum; ea phrasi qua intelligere, seu scire aliquando ponitur pro experiri: ut Isai. 53. *scientem*, idest, expertum infirmitatem. Vatablus & alii censent verbum Hebræum hic significare contemplationem, sicque accepit noster interpres, & sensus est quòd ista arbor talis fuerit, ut in ejus aspectu & contemplatione seu attenta consideratione perciperetur magna delectatio.

[ *Et tulit* ] idest, abstulit, seu decerpsit

[ *De fructu illius, & comedit:* ] Sola primùm: alios verò insuper fructus decerpsit:

[ *Deditque viro suo,* ] ei scilicet ostendens pulchritudinem fructus istius arboris, & ex ordine referens quanta serpens bona promiserat, ipsis ex manducatione eventura. Aliquanto namque spatio videtur abfuisse Adam ab Eva, nec vidisse nec audivisse serpentem cum ea loquentem. Postquam verò Eva comedit, vel ipsa ad virum ivit, vel vir supervenit, cui deinde rem gestam aperuit: Ille verò audiens promissum fuisse quòd essent sicut dii; in superbiam efferri cepit; & videns mulierem quæ de fructu comederat, non esse mortuam, sed vivere sicut antea, cupiensque tum similitudinem promissam consequi, tum uxori placere; de eodem fructu ipse comedit. Ad illud, *deditque viro suo*, Hebr. addunt, *secum*; hoc modo, & dedit etiam viro suo secum: eisque consentiunt 70. Ex quibus proinde colligitur Evam bis comedisse de fructu vetito: semel solam, ac deinde simul cum viro: quod apertius indicaverunt 70. qui pro & *comedit*; habent, & *ederunt*; sicut & Basilius hom. 9. Ambros. lib. de Parad. cap. 13. Chrysost. hom. 16. in Gen. Aug. lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 31.

Eva videtur bis comedisse de fructu vetito.

Quæ moveri hic possent. Num Adam verbis serpentis sibi per Evam relatis crediderit: Uter peccaverit gravius, vir an mulier: quot peccata in primo peccato reperiantur; petenda relinquimus ex nostris Comment. in 2. 2. q. 163. Monemus autem quòd moraliter per serpentem intelligatur vel diabolus, vel cognitio sensitiva proponens objectum peccati: per mulierem verò inclinatio appetitus sensitivi vel etiam ratio inferior; & per Adam ratio superior. De quibus videri possunt quæ diximus 1. 2. q. 74. art. 7. & 8.

[ ℣. 7. *Et aperti sunt oculi amborum:* ] Non quòd antea fuissent clausi, sed quia nunc ceperunt videre id quod prius non viderant, motus scilicet in carne contra rationis & voluntatis imperium exurgentes, suamque nuditatem sibi jam esse turpem ac pudibundam: mox enim, ut Dei præceptum transgressi sunt, gratia quæ intrinsecus erat ipsos deserente nudati, in sua membra oculos injecerunt, eaque motu quem non noverant, moveri senserunt ac viderunt. *Ad hoc ergo aperti sunt oculi*, ait August. dicto c. 31. *ad quod antea non patebant, quamvis ad alia paterent.*

[ *Cumque cognovissent se esse nudos,* ] etiam in statu innocentiæ sciebant se esse nudos; sed id non sciebant eo modo, quo post peccatum, quia non cognoscebant suam nuditatem sibi esse confusibilem & inhonestam, sicut nec revera erat, ut in fine capitis 2. dictum est: at post peccatum ea nuditas propter rebellionem carnis contra spiritum, fuit eis verecunda & turpis, atque ita cognoverunt cum erubescentia se esse nudos.

Si quæras, utrùm Eva statim post peccatum suum, seu antequam Adam peccaret cognoverit hoc modo suam nuditatem.

Quando Eva senserit motus inordinatos.

Respond. quòd non; sive quia Deo sic disponente, non statim exorti fuerunt in ea motus libidinosi, sive quia fructus decerpti delitiis intenta, & ut ejus comestionem viro persuaderet occupata, illos motus non advertit. Hinc de ipsa simul & de Adamo nunc dicitur quòd *aperti sunt oculi amborum, & quòd cognoverunt se esse nudos.*

[ *Consuerunt folia ficus,* ] Non acurato opere, neque acu & filo, sed rudi modo folia foliis connectentes.

Quare folia ficus potius, quàm alterius arboris. Resp. quòd varias ob causas. Prima est, quia verisimile est eam arborem illis motus verecundos expertis primam seu maximè obviam occurrisse. Secunda, ficus habet lata folia, ad latitudinem scilicet scuti Amazonum ut tradit Plin. lib. 12. c. 5. sicque pauciora poterant sufficere. Tertia, quoniam ista folia, cum sint

scabra & aspera, pungunt & stimulant, atque ita conveniunt agendæ pœnitentiæ. Videri possunt Irenæus lib. 3. contra hæreses cap. 37. & Ambros. de paradiso cap. 13.

[ *Et fecerunt sibi perizomata.* ] Idest, lumbaria seu ventralia subligacula, quibus partes inhonestas contegerent. Augustinus legit *campestria*, sic dicta quòd palestritæ in campo se exercentes, solerent similiter se velare.

[ ℣. 8. *Et cùm audissent vocem Domini Dei* ] ista vox putatur à quibusdam non aliud fuisse, quàm ingens fragor & strepitus arborum paradisi, ad Dei velut à longè venientis majestatem, ejusque præsentiam significandam excitatus, ea phrasi qua scripturæ sonos ingentes vocare consueverunt voces, ut cùm dicunt, *vox tonitrui*, *vox aquarum*, *vox catharactarum*, *vox tubæ:* sicque Deus qui antea solebat pacatè & blandè apparere Adamo, jam ei se formidabilem, & quasi omnia quæ in paradiso erant, suo adventu concutientem repræsentat. Alii non improbabile putant fuisse non solùm arborum sonum, sed vocem Dei seu Angeli personam Dei repræsentantis, & terribiliter loquentis, ac irati, & fortè inclamantis, *Adam*, etsi nedum dicentis, *ubi es.* Eam porrò esse Dei Adamus agnovit. Primò, quòd esset vox Deo digna: Secundò, quia Dei (quamvis non ita terribiliter loquentis) vocem solitus erat audire: Tertiò, quia & Deus & propria conscientia ejus menti suggerebat esse vocem Dei.

Qua Dei vox.

[ *Deambulantis in paradiso* ] erat Angelus in forma humana apparens, Deumque repræsentans, & in ejus persona loquens. Et idcircò quæ Deus per eum fecit ac dixit, Deo ascribuntur.

[ *Ad auram post meridiem*, ] Variam hic esse lectionem notat Hieronymus in quæst. Hebr. satis tamen convenit designari tempus pomeridianum ad vesperam declinans, quando & lenes Zephiri solent spirare, & ab hominibus defatigatis, aura captari.

Observa quòd sicut ad vesperam diei venit Deus seu Angelus in persona Dei, ad increpandum parentes nostros peccatores, & promittendum Redemptorem; ita Redemptor venerit ad vesperam mundi. Sed & hoc observa, quòd quotidie nobis adest Deus, non solùm post crimen ut judex, sed etiam in ipso mali nostri consilii momento, ut inspector & testis; *& auris zeli ipsius audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur ab eo*, secundùm ea quæ Sap. 1. legimus. Homo tamen tunc ferè obsurdescit ad interiorem Dei vocem, usque dum patrato crimine reus esse cœpit ac timet.

[ *Abscondit se Adam & uxor ejus à facie Domini Dei* ] non ignoraverant Deum ubique præsentem esse, & neminem propterea posse præsentiam ejus effugere; sed pudore confusi & metu perterriti ac turbati, nescientes quid agerent, absconderunt se. Neque hoc valde est mirandum, cùm experientia notum sit homines multum pavidos ac turbatos interdum facere ea, quæ similia sunt dementiæ, ut scribit Aug. lib. 11. de Gen. ad litt. c. 33.

[ *In medio ligni* ] seu lignorum, idest, inter arbores & frutera paradisi, illa scilicet quæ erant densiora, ideoque aptiora ad latendum.

[ ℣. 9. *Vocavitque Dominus Deus* ] voce sensibili.

[ *Adam*, ] hunc potius vocat nominatim quàm Evam; quia ipse erat caput fœminæ, ipsique mandatum immediatè dederat. Est autem hic Adam, non appellativum nomen, sed proprium.

[ *Et dixit ei: Ubi es?* ] Non ex ignorantia quærit, sed ut ex responsione convenientior fiat increpatio. Quasi diceret, Adam nonne in paradiso constitui te, ut ibi coram me gloriosè incederes, & mecum familiariter versareris? ubi jam es? quo in loco, & quo in statu es? familiare namque est Deo vel interrogatione, vel commemoratione tum loci, tum miseriæ & conditionis peccatorem docere, & ad pœnitentiam hortari: ut Jeremiæ 3. *Vide ubi non prostrata sis?* Matth. 26. *amice ad quid venisti?* Prædicta igitur interrogatio, sicut & adventus Dei ad Adam, non solùm est Dei ut judicis, sed etiam ut patris commiserantis.

[ ℣. 10. *Qui ait, vocem tuam* ] de qua sup. v. 8.

[ *Audivi in paradiso: & timui* ] seu erubui in conspectum tuum venire,

[ *Eo quòd nudus essem:* ] Pudenda quidem velaverat, sed toto reliquo corpore nudus erat: non solùm verò pudendorum nuditas (etsi hæc maximè) pudorem adfert, sed etiam residui corporis; præsertim si coram magnis venerabilibusque personis sit comparendum: Cùm ergo semper in præsentia Dei simus, semper oportet nos abstinere non tantùm à re vel actione turpi, sed à corporis quoque nuditate. Qualis timor Adæ.

Quòd timoris sui causam non assignet peccato, signum est eum necdum illius gravitatem agnovisse; alioquin propter illud magis erubescere debuerat, quàm propter corporis nuditatem.

[ *Et* ] (Seu ideò)

[ *Abscondi me.* ] Copulativam (&) frequenter habere vim causalis, ea sequenti cap. 14. v. 18. cap. 20. v. 3. cap. 30. v. 27. facilè est intelligere.

[ ℣. 11. *Cui dixit Deus:* ] Ejus responsionem redarguens.

[ *Quis enim* ] vocula enim, non est in Hebr. neque apud 70. sed lucis & connexionis gratia fuit addita.

[ *Indicavit tibi quòd nudus esses?* ] Sive, quòd corporis tui nuditas sit erubescenda. Non enim interrogationis sensus est, quis indicaverit ei quòd simpliciter esset nudus; sed quòd sic nudus ut nuditatem propriam erubescere debeat.

[ *Nisi quod ex ligno de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti?* ] Quasi diceret. Non aliunde hoc accidit quàm quòd præceptum tibi datum fuisti transgressus, & ita spoliatus donis gratuitis quæ faciebant nuditatem tuam esse inconfusibilem.

Docemur hic cùm in miserias & calamitates incidimus, non vana quærere subterfugia, sed respicere ad primam & præcipuam earum causam seu originem, idest, ad peccata nostra, eaque promptè confiteri.

[ ℣. 12. *Dixitque Adam*, ] Seipsum inaniter excusando, sicque peccatum peccato addendo.

[ *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* ] Proverb. 18. legimus quòd *justus prior est accusator sui:* At parens noster postquam peccavit, seipsum excusat, & culpam rejicit in uxorem, imò & in Deum; hoc aut simili sensu: Comedi quidem de fructu arboris vetitæ, sed non comedissem, nisi dedisses mihi talem vitæ sociam, quæ comestionem mihi persuasit: quare eam tam ad persuadendum idoneam mihi adjunxisti? Ab hoc facto exemplum sumunt peccatores, ut quærant excusationes in peccatis, cùm deberent peccata sua statim agnoscere, & veniam precari.

[ ℣. 13. *Et dixit Dominus Deus ad mulierem:* ] Adæ excusationem ut frivolam, & pœna quam responsione digniorem præteriens, ad mulierem convertitur, experiri volens an & ipsa istac mariti culpam sit in aliquem rejectura.

[ *Quare hoc fecisti?* ] Calvinus vult, vertendum fuisse, quomodo non autem, *quare*. At vox Hebr. non significat quomodo, sed cur aut quare: unde tam Septuaginta quàm alii ex Hebr. reddunt, quid, seu cur hoc fecisti?

[ *Quæ respondit: serpens decepit me, & comedi.* ] Commune malum est culpam excusare. In Hebr. sonat serpens ille, quod partim demonstrativum esse potest serpentis illic præsentis; ex sequentibus enim liquet eum non procul abfuisse: partim emphaticum; quasi diceret, serpens ille quem creasti, & quem inter nos degere permisisti.

[ ℣. 14. *Et ait Dominus Deus ad serpentem: quia fecisti hoc*, ] sive, quoniam tantæ nequitiæ instrumentum fuisti:

[ *Maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ:* ] Seu, præ omnibus animantibus & bestiis terræ. Nullum hic est serpentis examen ante inflictionem pœnæ, sicut in Adamo & Eva, tum quòd brutum examinari non poterat, uti nec respondere; tum quòd diabolus nullo suggerente ipsum assumpserat. Verum naturalemque serpentem Deus alloquitur; Ita tamen ut simul diabolum redarguat eique maledicat; idque sensu etiam vel litterali, vel saltem spirituali. Nec iniquum videri debet hoc judicium in bestiam ratione destitutam: Ipsa enim fuit organum diaboli; beni- Ut rectè feratur judicium in bestiam.

gnus

gnus autem pater etiam gladium quo filius suus fuit interemptus, solet execrari; & sapientes judicea omnia scelerum instrumenta quantumvis irrationalia, subinde flammis adjudicant, vel aliter disperdunt, ad majorem facinorum detestationem demonstrandam: ut de bove cornupeta legimus Exodi 21. de pecore quo fuerit quispiam turpiter usus, Levit. 20. De idolis Deut. 7. de suppellectili Achan Josue 7. & de Ficulnea per Christum maledicta, Matth. 21.

[ *Super pectus* ] seu ventrem

[ *Tuum gradieris*, ] hoc est, repes ac serpes:

[ *Et terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* ] Pro, *terram*, alii pulverem vertunt, sicut etiam noster interpres vertit Isai. 65. *Leo & bos comedent paleas, & serpenti pulvis panis ejus*. Et Mich. 7. *Lingent pulverem sicut serpens*. Non est ex hoc loco consequens serpentem aut aliquando erectum incessisse, aut victu suavi ex optimis terræ frugibus nutriri solitum; Verius enim est quòd & reptatio, & terræ comestio naturaliter ei conveniant; sed quæ illi à natura competebant, hæc eadem Deus illi vertit in quamdam pœnam seu supplicium. Hac igitur maledictione factum est, ut quæ sine ullo probro & ignominia vel infamia serpenti conveniebant, nunc ei fiant maximè probrosa & ignominiosa; ipseque serpens propterea fit animal infame, abjectum, & odiosum.

Possunt hæc eadem ad diabolum referri, qui super pectus & ventrem graditur, quatenus ad peccata superbiæ & luxuriæ homines inducit: vel quia ipsos ad cogitationes & actiones libidinosas tentat, aut ad gulam & luxuriam. Terram quoque comedit, quia peccatores quærit ac depascitur, eisque ut cibo gaudet: Terræ autem vel pulveris nomine significari peccatores ostendit B. Gregorius lib. 12. Moral. cap. 3. ex verbis infra sequentibus, *pulvis es & in pulverem reverteris*. Vide eumdem lib. 21. cap. 2.

[ ℣. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem*, ] ad literam significantur inimicitiæ inter veros naturalesque serpentes ex una parte, & homines sive viros sive mulieres, ex altera. Nominatur tamen potius mulier quàm vir, eò quòd serpens immediatè mulierem aggressus fuerit ac deceperit, non virum. Sensu etiam litterali vel allegorico, eoque principaliter intento sermo est de inimicitiis quæ sunt inter diabolum per serpentem significatum, & inter B. Virg. Mariam.

Quod semen diaboli.

[ *Et semen tuum & semen illius*; ] Semen diaboli sunt infideles & impii, de quibus illud usurpari potest, *vos ex patre diabolo estis*; Joan. 8. semen mulieris seu B. Virginis Mariæ est Christus Dominus; & per Christum, moraliter omnis justus. Christus enim est is per quem fit quod Apost. ad Rom. 16. precatur, *Deus pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter*; & in justo completur illud Psalm. 90. *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*.

Neque tamen hinc est consequens Deum vires aut aliquid aliud diabolo daturum, quo justos oppugnet, iisque insidietur (id quod ad hominum miseram pertineret potius quàm ad serpentis maledictionem quæ hic describitur) sed significatur quòd Deus sit homini tamquam mulieris semini daturus hostilem animum erga diabolum, ac vires ad resistendum ejus conatibus.

[ *Ipsa* ] Magna hic est varietas codicum: aliqui enim habent, *ipse*, alii *ipsum*: Latini ferè omnes, *ipsa*. Et hanc lectionem Ecclesia Romana semper fuit secuta. Vocabulum Hebr. sine punctis scriptum (quomodo codices Hebræi primitus fuerunt scripti, & adhuc temporibus nostri interpretis legebatur) tam usitatè est fœmininum quàm masculinum, ut probat Leonardus Marius.

Neque huic lectioni obstat quòd verbum *conteret*, dicatur esse masculinum; frequenter enim Hebræi verbum masculinum ponunt pro fœminino, præsertim ubi significatur aliquis actus fœminæ masculus seu heroicus, sicuti hic.

Ut ut sit, sive uno sive alio modo legamus; Sensus eodem redit: nam & Christus qui B. Mariæ Virginis semen est, propria virtute diabolum vicit; & ipsa B. Virgo eumdem vicit virtute sui filii.

[ *Conteret* ] Verbum Hebr. significat observare, seu insidiari, ac etiam calcare seu conterere: sed optimè noster interpres pro exigentia loci, hic utitur verbo conterendi; & paulo post, verbo insidiandi. Cùm enim fœmina hic prænuncietur calcatura serpentem qui repit, convenienter usus est hac voce, *conteret* caput tuum, quasi ipsa pede imposito serpentis caput esse calcatura & contritura. Quoniam verò serpens humi reptans, & ab aliquo calcatus, in promptu habet calcantis plantam petere potiùs quàm aliam corporis ipsius partem; idcircò aptè postea utitur verbo insidiandi, cùm ad serpentem dicitur. *Insidiaberis calcaneo ejus*.

Quod sit caput diaboli.

[ *Caput tuum*, ] quoniam serpens dum impetitur, diligentissimè caput suum occultat; velut ex quo tota ejus vita dependet: ideo qui serpentem vult superare & conterere, caput ejus debet petere. Ad diabolum referendo, per caput significatur ejus astutia & potentia contra nos; sive omne id per quod contra nos est potens. Moraliter autem nomine capitis significantur initia malarum suggestionum & quarumcumque tentationum. Unde Augustinus in Psalm. 48. concio. 1. loquens de diabolo, *Quod est*, inquit, *caput illius? initium malæ suggestionis illius. Quando incipit mala suggerere, tunc repelle antequam surgat delectatio, & sequatur consensus: & tunc vitabis caput ejus*. Quibus conformia videri possunt apud Gregorium lib. 1. Moral. cap. 30.

[ *Et tu insidiaberis calcaneo ejus*. ] Notum est serpentem dum pede conculcatur, calcaneum mordere si possit, eique venenum offundere. Et similiter dum in pratis vel nemoribus latitat, pedes ambulantium ex insidiis aggreditur, ut incautos mordeat.

Allegorica & moralia.

Diabolus autem calcaneo B. Virginis insidiatus est, quando semen ejus Christum occultè fuit persecutus usque ad mortem.

Nostro quoque calcaneo insidiatur, dum extremum vitæ nostræ callidiùs & acriùs oppugnat.

[ ℣. 16. *Mulieri quoque dixit*: ] Propriam sexus fœminei pœnam jam decernit, in tribus præcipuè consistentem, scilicet in conceptu, in partu, & in reliquo vitæ decursu.

[ *Multiplicabo* ] in Hebr. & 70. habetur cum geminatione, multiplicando multiplicabo: per quam significatur certitudo & frequentia. Quasi diceret, certò certius & frequentissimè multiplicabo.

[ *Ærumnas tuas, & conceptus tuos*; ] Hoc est, phrasi Hebraica ærumnas seu molestias conceptuum tuorum; sive, quæ in prolis conceptione interveniunt: quas recenset Philosophus lib. 7. historiæ animalium cap. 4.

Dolores partus, maximi.

[ *In dolore paries filios*, ] tam gravis est dolor partus, ut scriptura proverbialiter sæpè dolores parturientis ponat, quando de vehementibus & acutissimis cruciatibus loquitur. Ut Psalm. 47. *Ibi dolores ut parturientis*: Isaiæ 13. *quasi parturiens dolebunt*: Oseæ 13. *dolores parturientis venient ei*. Oritur autem hic dolor in mulieribus, majorque est in eis quàm in reliquis animalibus, tum propter angustiorem uteri meatum; tum propter difficiliorem ac violentam partium continuarum divulsionem seu ruptionem. Quoniam porrò mulieres in statu innocentiæ nullam ad pariendum passuræ erant violentam ruptionem, sed fuisset tunc muliebrium viscerum facilis apertio & dilatatio; ideireò sine omni dolore tunc & concepissent, & peperissent, ut declaravimus 1. p. q. 98. art. 2.

Non futuros dolores partus in statu innocentiæ.

[ *Et sub viri potestate eris*, ] etiam secluso peccato fuisset mulier sub potestate viri, sed subjectione sociali & amicabili, non dura & molesta, neque voluntati repugnante, qualis nunc est.

[ *Et ipse dominabitur tui*. ] Etiam cùm noles, & etiamsi gemas. Ante peccatum fuisset quoddam dominium viri in uxorem; sed in volentem se sponte, ideoque facile & non onerosum, quale nimirùm lex naturæ postulat, secundùm ea quæ diximus 1. p. quæst. 96. art. 4. post peccatum verò est dominium asperum & imperiosum, etiam in invitam ac repugnantem.

Pro illo, *sub viri potestate eris*, in Hebræo sonat, ad virum tuum appetitus seu desiderium tuum. 70. Habent, ad virum tuum conversio tua. Quæ licèt à

qui-

quibusdam explicentur de copula quam mulier sit post dolores partus appetitura: verisimilius tamen & vulgatæ lectioni conformius alii exponunt de recursu ad virum, tamquam ad superiorem, ut significetur quòd mulier ita sub viri potestate sit futura, ut ad eum converti, suumque desiderium sub ipso, seu sub ejus judicio & nutu habere debeat, hoc est, ut in agendis tota ab ipso pendeat. Hinc apud Romanos fœmina dicebatur capite diminuta, eò quòd non posset seipsam ex suo capite regere, sed regi debeat à viro qui (ut Apostol. 1. ad Cor. 11. ait) est *caput mulieris*. Quòd autem mulieres quædam interdum viris suis dominentur, vel ex earum superbia & præsumptione; vel ex virorum pusillanimitate aut judicii infirmitate procedit.

[ ℣. 17. *Adæ verò dixit: quia audisti* ] Ceu obaudisti,

[*Vocem*] sive ut in Hebr. habetur, quia paruisti voci uxoris tuæ,

[ *Et comedisti de ligno* , ] seu de fructu arboris.

[ *Ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo:* ] Quidam observant terram à Deo maledici, non simpliciter, sed in opere Adæ; & per opus intelligunt culturam seu laborem qui in agris excolendis impenditur. Alii tamen voculam; *in*, pro propter existimant esse positam, & per opus intelligunt peccatum: quasi diceret, maledicta terra propter peccatum tuum; Unde Hieron. in tradit. Hebr. ita legens cum 70. maledicta terra in operibus tuis; *opera* (inquit) *non ruris colendi ut plerique putant, sed peccata significant, ut in Hebræo habetur*: & Aquila non discordat dicens, *maledicta humus propter te*: & Theodotion, *maledicta Adama in transgressione tua*. Quamvis autem terra nihil peccaverit, maledicitur tamen, eò quòd sit res pertinens, ad hominem seu hominis usum; ita ut ista maledictio sit homini pœnalis & nociva, non ipsi terræ: consistit enim in eo quòd terra careat quibusdam bonis, quibus ante peccatum non carebat, nimirùm ornatu & fœcunditate, necnon eam colendi ac fœcundandi facilitate; adeò ut ad illam colendam multo difficilique labore opus sit; & etiam sic exculta non ferat tantos fructus ac tam bonos, quàm tulisset si homo non peccasset. Unde sequitur in sextu.

Terram maledicunt.

[*In laboribus comedes ex ea*] Ubi, *in*, sumitur pro, eum; & per labores, significantur labores pleni molestiis, defatigationibus, doloribus. Ex ea, hoc est, ex ejus proventu & fructu.

[ ℣. 18. *Spinas & tribulos germinabit tibi*; ] Non paucas & paucis in locis, sicut ante peccatum, sed copiosè & passim, etiam ubi noles; & hoc, *tibi*, id est, propter te & ad pœnæ ac miseriæ tuæ cumulum,

[ *Et comedes herbam terræ* . ] Loco suavissimorum fructuum paradisi, vesceris tritico, legumine, & aliis herbis, quas terra laboriosè exculta proferet. Quoniam verò nulla hic est mentio carnium, probabile est primos parentes eorumque pios successores, ab earum usu abstinuisse usque post diluvium: an & impii abstinuerint; est incertum. Sententiam negantem indicavimus 2. 2. q. 64. art. 1.

[ ℣. 19. *In sudore vultus tui vesceris pane*, ] in quibusdam libris additur, *tuo*: quod meritò est omissum. Sensus autem est, & Panis & reliqua alimenta tibi deinceps comparanda erunt per sudorem, id est, labores & molestias ferendo usque ad sudorem. Exprimitur vultus, etiamsi laborantibus toto corpore fluat sudor; tum quòd manifestior est sudor in vultu quàm in aliis partibus corporis; tum quòd ibi est copiosior; quia *quæ laxa, humida, solutaque maxime sunt, sudori se pervia exhibent*, ait Philosophus in problematibus sect. 2. num. 10.

[*Donec reverteris in terram de qua sumptus es:*] Donec moriaris: sive ut versu 17. habetur, *cunctis diebus vitæ tuæ*.

[ *Quia pulvis es & in pulverem reverteris* . ] Est & hæc pœna utrique sexui communis, de qua Apostol. ad Rom. 5. ad Hebr. 9. & alibi. 70. habent, quia terra es & in terram ibis. Vox Hebr. potest reddi, humus, lutum; terra, pulvis. Est autem homo pulvis, quia de pulvere factus, eoque non simplici & nudo, sed aqua mixto; qui proinde & lutum, & limus terræ dici potest.

Observanda hic proportio pœnæ ad culpam: Serpentis ambitio punitur contemptu: gula mulieris, dolore corporis: & similitudinis divinæ affectatio, inordinata subjectione sub viro: viri facilitas ad consentiendum uxori, labore & molestia: ejus, sicut & mulieris, superbia, morte.

[ ℣. 20. *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ, Heva*: ] Verisimile est Adam non imposuisse nomen istud mulieri nisi postquam peccassent, cùm antea non fiat ulla istius nominis mentio; imò non nisi postquam ejecti essent è paradiso; statim enim post peccatum, & ob peccatum latam à Deo sententiam ejecti fuerunt: hic tamen narrata per prolepsim seu anticipationem, eò quòd facta esset mentio mortis. Sciendum namque quòd

[ *Heva* ] Significat vitam, ut vertunt 70. aut vivificantem: unde Moyses pro nominis ratione subdit,

[ *Et quòd mater esset* ] (seu futura esset)

[ *Cunctorum viventium*, ] Et sic perinde est, ac si Adamus dixisset: sumus quidem nostro vitio jam mortales effecti, amboque morituri; illud tamen solatii superest, quòd gignemus posteros qui deinceps victuri sunt; in quibus & nos quodammodo vivemus: tu enim eris mater omnium deinceps viventium;

In hoc Heva B. Virginem Mariam præfiguravit, quæ omnium spiritualiter viventium est mater. *Hæc est*, ait Epiphanius hæresi 78. *quæ per Hevam significatur, quæ per ænigma accepit, ut mater viventium vocetur*. Plura ibi videat lector, & conferat Iren. l. 5. cap. 10. August. l. 3. de symbolo cap. 4.

[ ℣. 21. *Fecit quoque Dominus Deus, Adæ & uxori ejus* ] Angelorum scilicet ministerio: vel phrasi scripturæ, Deus fecisse dicitur, quia per ipsos homines curavit fieri, eos instruendo, & monendo ut facerent.

[ *Tunicas pelliceas*, ] quidam hæc ad solam allegoriam referunt: alii de corticibus arborum interpretantur. At vox Hebræa non minus quàm Latina pellem animalis significat: & de hujusmodi pellibus sine dubio intelligenda sunt quæ hic dicuntur. Habitæ aut sunt istæ pelles ex animalibus sacrificii causa, vel aliter Dei jussu mactatis. Admiranda hic est Dei clementia, nequitiæ diaboli prorsus opposita. Diabolus enim, quando aliquos in peccatum induxit, eos in suis pœnis & calamitatibus relinquit; quinimò calamitates auget, ipsos affligendo, eisque insultando: Deus autem suipsius contemptores vestit, & adversùs miseriam quam peccando incurrerunt, remedia subministrat: illas enim vestes tribuit non solùm ad pudorem tegendum vel arcendum, sed insuper ad frigoris, æstus, pluviæ ventorumque injurias, seu potius pœnas justas aliquo usque auferendas. Sed quare pelliceas? tum ut mortalitatis memoriam haberent continuam; tum ut scirent vestes non ad ornatum, sed ad necessitatem esse datas; tum ut monerentur frugalitatis & modestiæ.

Allegoricè Adam pelliceis indutus; est figura Christi qui carnis peccati similitudinem erat induendus.

[ ℣. 22. *Et ait: ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum*: ] Verba sunt Dei Patris ad Filium & Spiritum sanctum; atque ita personarum Trinitas hic indicatur, ut tradit Tertullian. contra Praxeam. cap. 12. & B. Augustin. lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 39.

Adam hic quamvis accipi possit pro nomine proprio primi parentis, rectè tamen intelligitur esse nomen appellativum, ac idem valere quod homo, prout virum & fœminam comprehendit: uterque enim, & primò quidem mulier appetiverat Dei similitudinem. Est hic ironia, non quidem ad insultandum, sed ad superbiæ turpitudinem demonstrandam, & ad pœnitentiam de peccato excitandam. Quasi Deus diceret, Ecce homo qui voluit nobis esse similis, appetiitque scire bonum & malum sicut Deus, quàm benè hoc est consecutus, jam mortalis, miseriaque & ignorantia plenus redditus.

[ *Nunc*

[ *Nunc ergo* ] sicut iratorum sermo subinde continet aposiopesim, seu reticentiam, ut aliquid subaudiendum relinquatur; ita hæc Dei contra hominem irati verba per aposiopesim dicta sunt, & subaudiendum est, arceamus illum à paradiso; aut quid simile.

[ *Ne forte mittat manum suam & sumat etiam de ligno vitæ & comedat, & vivat in æternum.* ] Juxta scilicet stultam suam quam habere posset persuasionem. Sciendum enim quòd fructus ligni vitæ non poterat quidem homini in peccatum lapso afferre immortalitatem, cùm jam ei deesset justitia originalis, ac per consequens etiam illa corporis dispositio quæ præter virtutem istius ligni, necessaria erat ut homo præservaretur à morte, secundùm ea quæ diximus 1. p. quæst. 97. art. 4. potuisset tamen homo immortalitatem ex esu illius ligni sibi promittere, & ea spe ipsum sumere: ad quod avertendum è paradiso ejectus fuit. Unde sequitur.

[ ℣. 23. *Et emisit* ] sive, cum ignominia expulit,

[ *Eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram de qua sumptus est.* ] Sive, ut terram extra paradisum existentem (nam extra paradisum formatus fuerat) coleret.

[ ℣. 24. *Ejecitque Adam*, ] Angelico scilicet ministerio. Quo die fuerit ejectus Adam de paradiso, non constat. Fuit quidem illo ipso die ejectus, quo peccavit: At quo die peccaverit, incertum est. Vide ad præsentia c. vers. 1. Repræsentatur hæc ejectio, quando excommunicati ejiciuntur ab Ecclesia.

[ *Et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim*, ] aliter 70. & ejecit Adam, & collocavit eum contra paradisum voluptatis, & ordinavit Cherubim; Quæ tamen lectio nostræ vulgatæ non repugnat; cum benè consistant, & Cherubin fuisse collocatum ante paradisum, & etiam Adamum, ita nimirum ut Cherubim proximior fuerit paradiso, medius inter paradisum & homines ejectos. Per Cherubim non sunt intelligenda monstra vel spectra horribili sua specie hominem terrentia, sed veri Angeli, aut de ordine Cherubim, si verum est quòd omnes spiritus Angelici mittantur in exterius ministerium; aut alii, nomen istud sortiti ex eo quòd Cherub scientiæ plenitudinem significat; illic autem collocabantur contra eos qui scientiæ plenitudinem appetiverant volentes esse sicut dii scientes bonum & malum. Plures Angelos ibi fuisse collocatos Hebræa, vox, *Cherubim*, quæ pluralis est numeri indicat, verisimileque est eos, vel unum eorum fuisse in humana specie tenentem ac vibrantem gladium, quem sacer scriptor vocat

[ *Flammeum*, ] id est, splendidissimum, & maximè fulgurantem, & quasi flammas vomentem,

[ *Atque versatilem*, ] hoc est, aptum verti in omnem partem, ut qui esset anceps & utrimque secans.

Qualis fuerit hic gladius, non omnino constat. Probabile est aut verum fuisse gladium ex ferro, calibe, vel ære Dei jussu formatum; aut fuisse flammam instar veri gladii.

[ *Ad custodiendum viam ligni vitæ.* ] Hæc est causa cur Deus ante paradisum collocaverit Angelos, & gladium ut tum homines, tum dæmones arcerent ab introitu paradisi; dæmones quidem, ne ingressi fructus ligni vitæ decerperent eosque hominibus porrigerent, spe æternitatis ipsos fallentes, & ad sui cultum allicientes; homines verò, ne fructibus illis ipsi vescerentur immortalitatem sibi stultè promittentes.

Quæri solet, sintne etiam nunc Angeli cum gladio ante paradisum. Ad quod affirmativè respondendum videtur, si paradisus adhuc extet, illaque arbor vitæ; quia etiam nunc arceri expedit homines ac dæmones ab ista arbore. Negativè autem, si vel paradisus penitùs desierit, vel saltem arbor illa perierit: qua in re nihil est certum. Vide quæ diximus 1. p. quæst. 102. art. 1.

## CAPUT IV.

*Nascuntur duo primi Adæ filii, Cain & Abel, Cain ex invidia fratrem suum Abel occidit. Quam ob causam à Deo reprehensus ac punitus, vitam profugus agit. Genealogia Cain texitur; & Adam generat Seth.*

℣. 1. [ ADam verò cognovit uxorem suam Hevam.] Honesto vocabulo vir uxorem cognoscere dicitur, quando cum ea conjugalem actum exercet. Sicut enim Hebræis virgo dicitur alma, id est, abscondita & viro incognita; ita virginem corrumpere, est eam revelare & cognoscere: quæ enim sunt abscondita, tunc cognosci solent, quando revelantur. Contigit hæc cognitio, postquam è paradiso fuerunt ejecti, quemadmodum contextus indicat, & confirmari potest ex eo quòd non diu post formatam mulierem in paradiso manserint, nec ante peccatum ulla incontinentia laboraverint, ut dicantur cito in mutuam cognitionem exarsisse.

[ *Quæ concepit & peperit Cain*, ] sunt qui Hevam singulis partubus gemellos peperisse volunt, ut futurus maritus uxori futuræ congigneretur: sed incerta res est; potuit enim alternis partubus filios & filias gignere, quæ Deo sic volente & propagationis necessitate tunc urgente; initio mundi copularentur ad invicem.

Cain idem valet quòd possessio vel acquisitio. Unde ratio cur Heva hunc filium vocaverit Cain, verbis subsequentibus redditur.

[ *Dicens, possedi hominem* ] id est, acquisivi hominem: Natus est mihi homo tamquam nova possessio.

[ *Per Deum.* ] Hæc verba non sunt jurantia, sed beneficium & beneficii authorem agnoscentia; idemque valent, quòd Dei munere ac beneficio. Quomodo eadem phrasis accipitur ad Gal. 4. ibi, *heres per Deum*, Hinc docendæ sunt puerperæ suas proles Deo tamquam datori ascribere & offerre.

[ *Rursumque peperit fratrem ejus* ] Quoniam in Hebræo sic habetur, *& addidit ut pareret*, nullaque fit conceptionis mentio; Calvinus hinc colligit Cain & Abel fuisse gemellos; prius tamen prodiisse Cain. At non est ea vis istius phrasis, quæ non aliud significat, quàm quòd iterum peperit: quomodo in scriptura dicitur. *Addidit Deus ut appareret* 1. Reg. 3. Adjecit Dominus loqui Isaiæ 7. *Addidit Job & dixit*, Job 27. & 29. pro eo quòd aliter diceretur, Deus iterum apparuit, Dominus iterum locutus est, Job iterum dixit. Exprimendo autem partum præsupponitur conceptus, cùm nulla mulier pariat, nisi antea conceperit: & frequenter scripturam de aliqua muliere dicere, quòd peperit nulla conceptionis facta mentione, manifestum esse potest ex hujus cap. v. 25. ex cap. 20. v. 17. ex cap. 25. v. 28. ex cap. 36. v. 4.

[ *Abel.* ] Ista vox prout nunc Hebr. scribitur, vanitatem significat: prout alii olim legerunt, luctum; estque propterea in isto nomine vel quædam prophetica prædictio luctus quem ex istius filii cæde mater esset aliquando habitura; vel generale testimonium humanæ conditionis, secundùm quam *vanitas est omnis homo vivens*. Psal. 38.

De Abel quærunt nonnulli an uxorem & liberos habuerit: omninoque est verisimilius quòd non; quare enim scriptura uxoris & liberorum ejus non meminisset, sicut de Cain?

Ad mores, duo hic notanda. Unum quod piis (quorum figura Abel) totus hic mundus sit Abel, id est, vanitas: impiis verò, quos significat Cain, iste mundus est Cain, id est, possessio quia quærunt hic possidere, & non in cœlo. Alterum, quod sicut Abel est frater Cain; ita vanitas & instabilitas est conjuncta possessionibus hujus mundi.

[ ℣. 3. *Factum est autem post multos dies*, ] seu annos. Ita enim frequenter dies ponuntur pro annis. Contigerunt autem quæ sequuntur, quando Abel & Cain adoleverant, jamque vacabant, ille pascendis ovibus, iste agriculturæ.

[ *Ut*

[ *Ut offerret Cain de fructibus terra munera Domino.* ] In Hebr. Adduxit Cain de fructu terræ oblationem Domino; Non dubium est sermonem esse de oblatione quæ est sacrificium propriè dictum; id enim & septuaginta his verbis exprimunt: obtulit Cain ex fructibus terræ sacrificium Domino; & ita intellexit totius antiquitatis consensus. Unde observandum quòd verba quæ ex prima sua institutione generaliter significant oblationem, ex usu restringuntur ad oblationem sacrificatoriam, interdum quidem quando absolutè seu per se sunt posita; alias verò, quando rerum circumstantiæ id postulant. Quoniam verò scriptura simpliciter ait quòd Cain obtulit *de fructibus terra*, & non dicit quòd de primis vel de primitiis, sicut postea cùm loquitur de Abel: Ideò hujus loci translatores communiter exponunt Cain obtulisse fructus secundos vel viliores, melioribus sibi reservatis.

[ ℣. 4. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui*, ] per primogenita vel intelliguntur optima quæque, vel etiam quæ revera erant primogenita, ideòque potiora. Quamvis enim lex de offerendis primogenitis instituta demum fuerit Exod. 13. in memoriam beneficii quod occisis Ægyptiorum primogenitis, Deus tunc suo populo præstitit ipsius omnia primogenita servando, potuit tamen Abel tum lumine fidei instructus, tum magna in Deum reverentia & devotione accensus, id ante legem latam præstare, quod postea lege sancitum fuit.

[ *Et de adipibus eorum*: ] Hoc est, pinguissima & selectissima; Adipis enim nomine significari solent optima & selectissima: unde Psal. 147. *adipe frumenti satiat te*, & Apostolus ad Hebr. 11. scribit Abel obtulisse plurimam, id est, majorem seu præstantiorem hostiam quàm Cain.

Si quæras unde hi fratres scíverint offerendum esse Deo sacrificium Resp. quòd tum ex fide, ex rationis naturalis dictamine, secundùm ea quæ dicuntur 2. 2. quæst. 85. art. 1. ac insuper ex instructione parentis eorum, ut tradit B. Athanasius ad illud. *Omnia mihi tradita sunt à patre meo*: unde fit consequens primum qui Deo sacrificium obtulit fuisse Adam; cujus tamen rei scriptura non meminit, quia in illius sacrificio neque aliquid specialiter memorabile divinitùs accidit, neque quicquam fuit singulare alicujus rei præfigurativum.

[ *Et respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus.* ] Id est, Deus sibi complacuit in Abel, & in ejus muneribus.

[ ℣. 5. *Ad Cain autem & ad munera ejus non respexit*: ] Sive nec Cain offerentem nec ejus sacrificia grata habuit.

Si petas, unde hæc apparuerint: Resp. quòd ex signo divinitùs dato. Ignis enim de cœlo missus fuit qui sacrificium Abelis absumpsit; sacrificium verò Cain mansit intactum. Rident quidem ista nostri hæretici: sed perperam. *Unde scire poterat Cain* (ait B. Hieron. in quæst. Hebr.) *quòd fratris ejus munera suscepisset Deus, & sua repudiasset, nisi ea interpretatio vera esset quam Theodotion posuit: & inflammavit Dominus super Abel, & super sacrificium ejus; super Cain verò & super sacrificium ejus non inflammavit? ignem autem ad sacrificium devorandum solitum venire de cælo, & in dedicatione templi sub Salomone legimus, & quando Elias in monte Carmelo construxit altare*, scilicet 2. Paral. 7. & 3. Reg. 18. estque hæc interpretatio aliorum etiam sanctorum Patrum communis, fundamentum habens in Apostolo ad Hebr. 11. ubi de hostia quam obtulit Abel, scribit *per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo.*

Notandum, prius exprimi quòd Deus respexit ad Abel, quàm ad ejus munera; quoniam munera ex sanctitate & devotione offerentis grata fiunt, sicut ingrata ex eorum impietate Isai. 1. quando nimirùm non valent ex opere operato, quemadmodum erat in proposito.

[ *Iratusque est Cain vehementer*, ] Septuaginta habent, contristatus est valdè, scilicet tristitia quæ ex invidia & indignatione nascebatur.

[ *Et concidit vultus ejus*: ] Hebr. habent in plurali, *& conciderunt*, verisimiliter propter geminum lumen oculorum, qui sunt in facie, & qui vultu concidente concidunt. Vultum concidere, est eum in terram dejici seu demitti: quod tribus potissimum de causis contingit fieri. Prima est ad reverentiam alteri præstandam, sicut 3. Reg. 1. *Submissoque Bethsabee in terram vultu adoravit regem*, & Isaiæ 46. *vultu in terram demisso adorabunt te*. Secunda causa est tristitia cordis. Unde Baruch cap. 2. describens animum tristem dicit quòd *incedit curva & infirma, & oculi deficientes*: quibus conforme est quod dicitur Deus oculos superborum humiliare Psalm. 17. Tertia est invidia & ira vel indignatio, quando quispiam ex ea vel simili passione machinatur aliquod malum; tales enim à Deo & cœlo aversi, *oculos suos statuerunt declinare in terram*, Ps. 16. *declinaverunt oculos suos ut non videant cælum*, Daniel 13. In præsenti vultus demissio ad secundam & tertiam causam pertinet; notaturque in illo Cain, qui cùm videret se suumque sacrificium non placuisse Deo, non convertit se ad pœnitentiam, sed ad dolorem, invidiam, & indignationem de bono fratris sui.

[ ℣. 6. *Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es?* ] Hinc videmus ut solet Deus justorum defensionem suscipere, & improbos increpare, sicut etiam cap. 12. & 20. defendit Abraham contra Pharaonem, & Abimelech; & cap. 31. Jacob, contra Laban.

Lutherus interpretatur Deum hæc dixisse ad Adam, & per eum ad Cain, ut nimirùm elevet authoritatem eorum quæ mox sequuntur de libertate arbitrii, quasi ea non sint Dei, sed hominis verba. At textus clarè significat eumdem ista nunc dixisse ad Cain, qui postmodum plura ipsi locutus fuisse introducitur, ipsum scilicet Dominum Deum, vel immediatè, vel potius eo modo quo primis parentibus loqui solebat, per subjectam scilicet creaturam in aliqua forma visibili, ut tradit S. Augustinus lib. 15. de civit. cap. 7. hoc est, per Angelum visibiliter apparentem & personam Dei repræsentantem.

[ ℣. 7. *Nonne si benè egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit?* ] Cùm dicit, *recipies*, subintelligendum est præmium. Per *peccatum* verò, peccati pœna seu vindicta intelligitur. Sermone proverbiali, quidpiam in foribus adesse, est ipsum proximè imminere seu in propinquo esse: unde Marci 13. *scitote quòd in proximo sit in ostiis*: & Jacobi 5. *Judex ante januam assistit.*

[ *Sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* ] Id est, appetitus peccati seu concupiscentia te ad peccatum sollicitans erit in tua potestate; & tu habebis dominium illius, sive appetitus, sive peccati, sic ut ei consentire vel non consentire, in tua sit libera facultate.

Duo hic notare licet pro libertate arbitrii quòd ea sit *Pro libertate arbitrii.*
in homine etiam post peccatum. Prius, quia benè agenti proponitur præmium, malè autem viventi prædicitur pœna: præmium autem & pœna solùm redduntur liberè operantibus. Posterius, quia manifestè significatur Cain habere potestatem consentiendi, vel non consentiendi peccato, quod sine libertate arbitrii esse non potest. Neque enim audiendus est Calvinus, qui cùm dicitur, *appetitus ejus*, relativum *ejus*, vult referendum esse ad Abelem, & non ad peccatum: nam Abelis nulla præcedit mentio, ut ad ipsum referri possit: eamque relationem jam olim explosit B. August. lib. 15. de civit. cap. 7. ut statim videbitur. Nec refert quòd pronomen, *ejus*, sit masculinum, & peccatum in Hebræo sit fœmininum. Benè siquidem probat Leonardus Marius, vocem Hebræam aliquando etiam esse masculinam, ut Amos 5. ubi nos habemus, *fortia peccata vestra*, & specialiter in præsenti loco talem esse, propter participium masculinum ipsi adjunctum. Vide & Delrionem hic

Apud 70. hic versus ita habetur: *nonne si rectè offeras, non autem rectè dividas, peccasti? quiesce: ad te conversio ejus. Et tu principatum habebis ipsius.* Quomodo etiam multos veteres legisse certum est. *Quiesce* (inquit) Ambros. lib. 2. de Cain, cap. 7. *quoniam non habes quod excuses. Culpæ ipsius ad te conversio est: Non enim frater ei adjicitur, sed error adscribitur, cujus ipse sibi author est.* Et August. dicto cap. 7. *quiesce*: inquit: *ad te enim conversio ejus, & tu dominaberis illius. Numquid fratri?*

*trià abſit. Cujus igitur? niſi peccati?* Similiter & B. Proſper de prædictionibus cap. 6. *Dicitur ad Cain, peccaſti, quieſce, ad te converſio ejus, & tu dominaberis ejus, id eſt, ut peccato ſuo ipſe dominaretur, nec fieret ſervus peccati.* Lectionis igitur 70. ſenſus noſtræ vulgatæ non contrarius hic reddi poteſt. Nonne ſi rectè offeras (id quod fit, cùm Deo offertur cui ſoli ſacrificium offerri poteſt) non rectè autem dividas, utporè nec teipſum nec meliora Deo offerendo, ſed ea tibi retinendo, peccaſti? quieſce, tum ab ira adversùs fratrem, tum à peccato quod mente agitas, nec peccatum peccato addas. Et ſi appetitus ſeu concupiſcentia peccati te ſollicitet, tamen ad te eſt converſio ejus, hoc eſt, ipſum peccatum ſeu peccati concupiſcentia debet ad te converti, ut conſenſum tuum habeat, & tu habebis poteſtatem renuendi conſenſum, ac tam peccato quàm ejus concupiſcentiæ dominandi.

[℣. 8. *Dixitque Cain ad Abel fratrem ſuum:*] Vultu & verbis ad fraudem compoſitis:

[*Egrediamur foras.*] Septuaginta habent tranſeamus in agrum; ſed tum jam dicta noſtræ vulgatæ editionis, tum iſta verſionis ſeptuaginta verba modò abſunt ab Hebræis codicibus, putantque nonnulli ſemper abfuiſſe, adeò ut B. Hieron. in quæſt. Hebr. dicat eſſe ſuperflua, intelligentes propterea quòd Cain dixerit ad Abel, non quæ ſequuntur, ſed ea quæ ſuperius referuntur ipſi dicta fuiſſe à Deo: Verum illa non ſemper abfuiſſe, ſed eſſe de textu, pertinereque ad ſacram ſcripturam ſatis poſtea indicavit S. Hieronymus, dum Geneſim ex Hebræo transferens, ea non omiſit, ſed retinuit. Fuiſſe etiam olim in Hebræo argumentum eſt, quòd & Septuaginta interpretes, & volumen Samaritícum, & Targum Jeroſolymitanum qui Romæ eſt, ea habeant; ſicut & Tertullianus adversùs Judæos cap. 5. Ambr. lib. 2. de Cain. c. 8. Chryſoſt. homil. 19. in Gen. Cyrillus Alex. lib. 1. glaphyrorum cap. 15. omninoque conſentiunt his quæ proximè ſequuntur.

[*Cumque eſſent in agro, conſurrexit Cain adversùs fratrem ſuum Abel,*] nihil tale opinantem. Quidam ſuſpicantur Cain in agro cœpiſſe conqueri de Dei providentia & juſtitia; Abel verò ſuſcepiſſe patrocinium Dei, & reprehendiſſe fratrem malè de Deo loquentem; ſicque Cain inſurrexiſſe in Abel: ſed ſuſpicio eſt dumtaxat. Satis autem certum eſt Cain fuiſſe permotum invidia boni fraterni, & odio fratris, iſti invidiæ conjuncto, ſicut ſuperior contextus indicat, & S. Joannis 1. ſuæ epiſtolæ cap. 3. dicens, *Propter quid occidit eum? quoniam opera ejus maligna erant; fratris autem ejus, juſta.*

[*Et interfecit eum.*] Incertum, quo inſtrumento: certum tamen ex verſu 10. quod tali, per quòd funderetur ſanguis, unde conſequens eſt quòd non ſuffocavit, vel ſtrangulavit, ſed ferro, lapide, aut mandibula, aut aliquo inſtrumento ad agriculturam pertinente occidit.

Tria hic notanda. Primum quòd Abel geſſerit figuram Chriſti à Judæis interfecti. Secundum quòd Abel primus omnium mortuus, primus etiam ad limbum patrum deſcendit. Tertium quòd verus martyr fuerit, utpotè propter juſtitiam & innocentiam occiſus, ut indicant verba jam ex 1. Joannis 3. allata.

Opinati ſunt aliqui quòd Cain occiderit quartam partem mundi, hoc eſt, unum è quatuor hominibus qui ſoli tunc erant in mundo. At non videtur: Cain enim & Abel erant iſto tempore adulti, ſatiſque provecti; non eſt autem veriſimile parentes eorum nullos toto illo tempore intermedio genuiſſe liberos; cùm ſcirent ſe ad hoc à Deo conſtitutos eſſe, ut genus humanum propagarent. Confirmatur, non diu poſt hæc, Cain dicitur cognoviſſe uxorem ſuam: ergo illa debuit eſſe nata, imò & adulta, quando Abelis mors contigit. Adde, quòd verba Cain dicentis, *omnis qui invenerit me, occidet me*, ſatis clarè ſignificant alios tunc in mundo fuiſſe, quàm ejus patrem & matrem.

[℣. 9. *Et ait Dominus*] per Angelum viſibiliter apparentem, Deique perſonam repræſentantem.

[*Ad Cain: ubi eſt Abel frater tuus?*] Non ignarus interrogat, ſed occaſionem confeſſionis & pœnitentiæ dare cupiens.

[*Qui reſpondit: neſcio.*] Impudens mendacium, cùm & Deo loqueretur qui omnia novit, & crimen eſſet omnino recens.

[*Num cuſtos fratris mei ſum ego?*] Indignantis ſunt verba, perinde ac ſi diceret, teneorne ego habere curam fratris, & eum cuſtodire?

[℣. 10. *Dixitque ad eum, quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me, de terra.*]

Hebr. *Vox ſanguinum:* ſed eſt plurale pro ſingulari. Dicitur autem vox ſanguinis, ſeu ſanguis ipſe clamare ad Deum, vindictam ſcilicet expetens; quia homicidium, imò & parricidium ita voluntarium, propter inſignem ſuam malitiam evidentiſſimamque injuriam, ſic compareт in conſpectu Dei, ut celerem vindictam videatur expoſcere. Eſt proſopopeja, qua vel ſanguini, vel peccato injuſtæ effuſionis ſanguinis tamquam perſonæ alicui vox & clamor attribuitur. Quoniam porrò ſacra ſcriptura quatuor peccatorum meminit, quæ ad Deum clamant pro vindicta ſumenda, ſcilicet homicidii, hoc loco, Lucæ 18. & Apoc. 6. peccati ſodomorum, infra cap. 19. oppreſſionis viduarum & pupillorum, Exod. 22. fraudationis mercedis operariorum, Jacobi 5. Ideò Theologi communiter ſtatuunt quatuor genera peccatorum, quæ dicuntur clamantia in cœlum: primum eſt homicidium voluntarium, ſecundum Sodomia, tertium oppreſſio viduarum & pupillorum, quartum fraudatio mercedis operariorum. Apoſtolus autem ad Hebr. 12. huic clamori peccatorum opponit clamorem ſanguinis Chriſti, eumque dicit melius loquentem, quia ſcilicet pro eo quòd ſanguis Abel clamavit vindictam, ſanguis Chriſti clamat, imò & impetrat veniam.

*Quatuor peccata in cœlum clamantia.*

[℣. 11. *Nunc igitur maledictus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua.*] Hoc eſt, quæ intra ſe recepit ſanguinem fratris tui, ſceleratiſſimè per te effuſum: quaſi ipſa, licèt inſenſibile elementum, exhorreſceret facinus quod tu non horruiſti committere. In quo autem hæc maledictio conſiſteret, verbis ſequentibus declaratur, nimirùm quòd in duobus. *Unum eſt.*

*In quo conſiſtet maledictio Cain.*

[℣. 12. *Cùm operatus fueris;*] ſive, cùm colueris eam.

[*Non dabit tibi fructus ſuos:*] Hebr. vim aut virtutem ſuam, ſed quoniam virtus terræ, ſunt fructus copioſi & vigoroſi: ideò idem eſt ſenſus, nempè quòd Deo terræ fœcunditatem reprimente, ipſa non eſſet datura fructus neque tam abundantes, neque tam bonos, quàm alioquin ex ejus cultura potuiſſet expectari. *Alterum,*

[*Vagus & profugus eris ſuper terram.*] Quaſi diceret, ex continuo remorſu conſcientiæ per varias ſedes vagaberis, & quidlibet metuens huc illucque ab hominum conſortio profugies. Pro, *vagus & profugus*, 70. habent, gemens & tremens; quod cum dicta explicatione benè convenit: nam ex conſcientiæ vexatione, metus ac gemitus, & ex metu tremor ac pallor oriri ſolent: unde non pauci arbitrantur Cain, ita fuiſſe vagum & profugum, ut ſimul eſſet tremulus & nutabundus.

Petes, qualis maledictio eſt, eſſe vagum & profugum, cùm etiam bonis ac à Deo benedictis conveniat, juxta illud Chriſti ad Apoſtolos Matth. 10. *Cùm perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam.* Unde ad Hebr. 11. commendantur in *ſolitudines errantes.* Reſp. quia longè aliter his convenit, quàm Cain: nam boni quamvis interdum vagari debeant ac fugere, ubique ſecuro & tranquillo animo, propter pacatæ conſcientiæ teſtimonium: at Cain nullibi tutum ſe credebat, ubique timebat & tremebat propter malam conſcientiam.

[℣. 13. *Dixitque Cain ad Dominum: major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear.*] Juxta communem ſanctorum Patrum expoſitionem noſtræ verſioni vulgatæ conformem, verba ſunt deſperantis, & ex deſperatione pronuntiantis peccatum ſuum eſſe gravius, quàm ut ejus veniam mereri poſſit.

Si quæras, quo modo verba illa ſint deſperantis; cùm juxta veram Theologiam, de qua 1. 2. quæſt. 113. & q. 114. verè ita ſit, quòd peccatores non poſſunt vel ſuam juſtificationem, vel ſuorum peccatorum remiſſionem

pró-

propriè dicto merito, sive de condigno, mereri? Resp. quoniam verba Cain non procedunt de tali merito; sed *quàm ut veniam merear*, idem valet ac, quàm ut veniam consequi possim, vel consequar. Et cum hoc sensu convenit quod in Hebr. ad verbum sonat, *major est iniquitas mea, quàm ut tu mihi parcas*. Non sumitur ergo hic iniquitas pro punitione, vel pœna peccati, etsi id quibusdam placuerit; sed pro ipso peccato propriè, seu pro culpa peccati, quemadmodum & veteres intellexerunt, & significat illa phrasis, *quàm ut veniam merear*, seu obtineam; consentientibus 70. qui pro iniquitate, habent causa mea, vel factum meum.

[ ℣. 14. *Ecce ejicis me hodie à facie terræ*, ] quasi diceret, meritò veniam despero, nam video quòd mei curam abjicias, priv esque solita tua providentia: ecce enim violentè simul & ignominiosè me expellis è terra natali, nec usquam locorum pateris me consistere, vel ullam requiem capere. Nec moveat quod pro ejicis, Hebr. legatur, ejecisti: ibi enim præteritum pro præsenti positum est.

[ *Et à facie tua abscondar*, ] exponi potest per hypallagen, ut idem sit quòd abscondes faciem tuam à me; seu non vultu benevolo ac savente me aspicies. Sicut enim Deum ostendere alicui faciem suam, est claris indiciis præbere se illi benevolum; ita eumdem abscondere ab aliquo faciem, est ostendere se illi durum & adversum. Potest nihilominus & sine hypallage exponi, quòd ipse Cain pavidus, nulloque loco tutus, sit latebras quæsiturus, quasi posset fugere oculos ejus quem nihil latere potest.

[ *Omnis igitur qui invenerit me, occidet me*. ] Ex his benè apparet quòd Cain non animæ mortem timeret, sed tantùm vitæ præsentis miseriam; quòdque non de Deo offenso doleret, sed de incommodis corporalibus.

[ ℣. 14. *Dixitque ei Dominus: nequaquam ita fiet*, ] non significat ipsum omnino non occidendum, sed respondet ad præcedentia ipsius verba, & eum non occidendum sicut metuebat, statim scilicet à quolibet obvio; imò nec impunem futurum eum qui privata authoritate occiderit Cain, verbis subsequentibus affirmat.

[ *Sed omnis qui occiderit Cain, Septuplum punietur*. ] *Septuplum* phrasi sacris litteris usitata idem valet quòd valde graviter. Sicut Psal. 11. *purgatum septuplum*, id est perfectissimè. Psalm. 77. *Redde vicinis nostris, septuplum*, id est, gravissimè affige vicinos nostros. Eccles. 7. *Non metes ea septuplum*, id est, abundanter. Sæpe etiam ista vox septuplum præter copiam significare solet excessum supra id de quo prius actum est, & secundùm hoc significaretur eum qui occiderit Cain, admodum graviter esse puniendum, imò gravius quàm ipse Cain; sed nihil cogit ut hîc ita accipiatur comparativè, præsertim si consideretur versus 24.

[ *Posuitque Dominus Cain, signum:* ] Cain est tertii casus; sicque nostra lectio quoad sensum convenit cum aliis editionibus quæ habent, in Cain signum, vel signum in Cain, vel Cain in signum. Significatur autem quòd Deus signum aliquod externum ac sensibile Caino posuerit.

[ *Ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum*, ] id est, ut non statim eum interficeret quilibet obvius: vel absolutè ut nullus eum interficeret: hanc enim contradictoriam non omnis, poni pro nullus, in scriptura frequens est, ut Exodi 20. *Non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem*. Psalm. 118. *non dominetur mihi omnis injustitia*, & alibi. Voluit autem Deus ut Cain in sua miseria diu viveret, quatenus ejus exemplo alii discerent quàm exosum Deo sit homicidium voluntarium, quàm detestandum fratricidium, & quàm abominandum, aliis invidere divinam gratiam; quòdque propterea sit ab iis seriò cavendum. Sed quodnam fuit signum ei positum? Resp. multos variare. Probabilissimè verò loquuntur qui dicunt fuisse vel corporis vel saltem capitis tremorem cum quadam mentis & vultus consternatione; non quòd hoc esset naturale signum indicans Cain non debere occidi, sed quòd simul per continuam traditionem hoc divulgaretur.

[ ℣. 16. *Egressusque Cain à facie Domini*, ] id est, à Domino, qui tunc in specie corporea cum eo præsens locutus fuerat, ac etiam è patria & loco ubi Deus solebat visibiliter apparere.

[ *Habitavit profugus in terra* ] Hebr. habitavit in terra *Nod*. Vox Hebræa Nod, tam potest esse nomen appellativum quàm proprium, noster interpres accepit ut appellativum, quo modo idem valet quod profugus & vagus. Si sumatur ut proprium, sensus est, quòd Cain à Domino egressus primo venerit ad locum, qui postea ab hoc ejus adventu dictus est Nod, id est, vagus, fluctuans, & profugus; non quòd terra solita esset fluctuare ubicumque Cain pedem poneret, sed quia homo singulariter profugus eò se recepisset ut terra Nod idem valeat ac terra profugii vel profugi.

[ *Ad orientalem plagam Edem*. ] Eden non paradisum voluptatis hic significat, sed locum certæ regionis; sicut & 4. Reg. 19. & Isaiæ 37. ubi nominantur filii Eden qui erant in Thelassar. Vide etiam cap. 27. Ezechiel. significatur autem quòd Cain habitaverit ex adverso istius loci, sive ante illum, in plaga quæ respectu Judææ est orientalis: sic enim orientalem plagam solet scriptura accipere. Unde Balaam qui Num. 23. dicitur venisse de montibus orientis, Deut. 23. scribitur venisse de Mesopotamia, ex eo scilicet quòd Mesopotamia esset Judææ orientalis.

[ ℣. 17. *Cognovit autem Cain uxorem suam*, ] quæ eisdem cum Cain orta parentibus, erat etiam ejus soror, sed scriptura sororem non vocat, propter honestatem. Jure quidem naturæ illicitum ac irritum est matrimonium in primo gradu consanguinitatis, ita ut nec summus pontifex super hoc dispensare possit: at necessitas humanæ originis, authorisque naturæ voluntas faciebat ut initio mundi etiam licitum & validum esset. Vide quæ scripsimus Supplem. q. 54. art. 3.

[ *Quæ concepit & peperit Henoch:* ] Quod idem valet, ac dedicatio vel dedicatus. Fortè ideò sic vocavit, quòd ad ejus utpotè primogeniti (quemadmodum putatur) generationem suum matrimonium quasi dedicasset, eo tunc primùm utendo.

[ *Et ædificavit civitatem*, ] non statim ab istius filii nativitate, sed quando tot posteros habere cepit qui constituendæ civitati sufficerent. Pro se namque solo suisque posteris ædificavit Cain, cùm ipse à suis parentibus eorumque alia progenie esset profugus. Ædificationis causa fuisse dicitur, quòd omnia essent Caino suspecta & metu plena, tum à bestiis, tum ab hominibus; ideoque voluerit habere civitatem ad quam homo vagus aliquando posset divertere: nam quòd alii existimant eum ædificasse civitatem ad rapinarum & latrociniorum receptaculum, haud magno fundamento nixum apparet, cùm in terra quam inhabitabat, nulli manerent nisi de suo semine; non sit autem argumentum aliquod efficax ad probandum quòd erga filios & nepotes suos, voluerit exercere rapinas & latrocinia.

[ *Vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui, Henoch;* ] non suum ei civitati nomen imposuit, quia sciebat illud esse exosum; sed filii, ut in illo sui memoria conservaretur.

Notandum hic cum B. Gregorio lib. 16. Moralium c. 6. malos ædificare in terris, cùm bonorum conversatio sit in cœlis.

[ ℣. 18. *Porrò Henoch genuit Irad, & Irad genuit Maviael*, ] non est existimandum hanc esse lineam primogenitorum, sed est eorum qui sive primò sive secundò, vel tertiò geniti fuerint, quibus descendit Lamech, de quo sequitur.

[ ℣. 19. *Qui accepit duas uxores*, ] primus hic est bigamus, sed cujus factum, utpotè contra legem naturæ, & absque ulla Dei vel revelatione vel authoritate attentatum improbant Tertull. de exhortatione castitatis cap. 5. B. Hieron. epist. 9. cap. 6. epist. 11. cap. 4. lib. 1. adversùs Jovinian. Nicolaus Papa ad regem Lotharium scribens 26. quæst. 3. cap. *An non*, & alii communiter. Legimus post diluvium etiam sanctos fuisse polygamos, idque sine ulla reprehensionis nota: at Dei dispensatione id contigit, quando solus Noe cum suis filiis superstes manserat, vitaque homi-

num

rum longè brevior solito erat, & propterea lentè admodum propagari potuisset genus humanum, si monogamia debuisset servari; quæ tamen postea in usum rediit, quando genere humano sufficienter multiplicato, Christus polygamiam abrogavit.

[ ℣. 20. *Genuitque Ada Jabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis atque pastorum.* ] Patris vocabulo significare solent Hebræi non solùm eum qui verè ac propriè genuit, sed quemvis alicujus artis inventorem vel magistrum valde industrium & excellentem. Unde Jabel dicitur *pater habitantium in tentoriis, atque pastorum*; quia ipse invenit modum conficiendi tentoria, non qualiacumque (nam & Adam & alios in aliquibus tentoriis hactenùs habitasse vix dubium esse potest) sed ejusmodi, quæ & ex pellibus fieri solent, & præsertim pastoribus ovium conveniunt, utpotè de loco facilè portatilia. Unde ista, *habitantium in tentoriis, atque pastorum*, conjunctim accipienda videntur, non divisim, conformiter Versioni 70. ubi sic legitur, habitantium in tabernaculis, pascentium pecora: quasi diceretur Jabel invenisse modum faciendi tabernacula, in quibus pastores pecora pascentes habitent.

[ ℣. 21. *Et nomen fratris ejus Jubal, ipse fuit pater canentium cithara & organo.* ] Frater intelligitur ex iisdem patre & matre. Pro, *canentium cithara & organo*, Hebraicè est, apprehendentium seu tractantium citharam & organum; significaturque quòd Jubal fuerit inventor omnium instrumentorum musicorum quæ feriuntur aut inflantur. Ea verò Dei nutu excogitasse putatur vir jucundus & jubilosus, ut pastorum otia tædiosa levarentur. Atque ab hoc opinantur nonnulli latinos sumpsisse suum jubilare & jubilum.

[ ℣. 22. *Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri.* ] Hæc Sella erat secunda uxor Lamech quam simul habuit cum Ada. Æs aliquando significat omne genus metalli, alias verò peculiarem ejus speciem: & isto posteriori modo hic sumitur, quia distinguitur contra ferrum. Dicitur autem Tubalcain malleator, quantum ad primam compactionem & depurationem metallorum: quia cùm de terra extrahuntur, per malleationem depurantur, & in unum corpus compinguntur. Vocatur etiam faber, quia invenit artem fabricandi de ferro, ære, aliisque similibus metallis rudibus & impolitis, ac etiam fabricavit varii generis instrumenta.

[ *Soror verò Tubalcain, Noema.* ] Solæ quatuor fœminæ suis propriis nominibus exprimuntur ante diluvium, idque propterea quia in eis aliquid singulare invenitur. Hæ sunt, *Heva* quæ fuit mater omnium viventium, Ada, & Sella, quæ fuerunt uxores primi polygami & habuerunt filios ab artium inventione celebres: & Noema, idem valens quòd venusta seu decora, quæ putatur inventrix lanificii & texturæ, ut qui hactenus indui solerent pellibus, deinceps usi fuerint vestibus ex lana linoque contextis.

[ ℣. 23. *Dixitque Lamech uxoribus suis Ada & Sella: audite vocem meam uxores Lamech,* ] hoc est, uxores meæ: More siquidem Hebræo, de se in tertia persona loquitur.

[ *Auscultate sermonem meum:* ] Hac repetitione ostendit magni momenti esse quæ dicturus est, sicut etiam fecit Jacob cap. 40. & 49. v. 2.

[ *Quoniam occidi virum* ] non redditur ratio, sed est simplex narratio, & *quoniam*, pro quòd ponitur. Hujus autem narrationis causam aliqui dicunt fuisse, ut uxores metu perculsas consolaretur; Alii, ut criminis sui pœnitentiam ostenderet. Quis fuerit iste vir quem occidit Lamech, ambigitur. B. Hieronymus ex traditione à majoribus accepta vult fuisse Cain, epist. 125. eumque sequuntur permulti, ut videre est apud Abulensem, Delrionem, Pererium, Marium, & alios, qui referunt quòd cùm Lamech ad venationem ivisset cum ministro, isque audito inter arbusta strepitu ac motu suspicaretur esse feram, hero suo id indicavit: Ille autem missa sagitta occidit Cain ibi latitantem. Quo cognito in ministrum excandescens, fuste vel arcu ita eum contudit ut exinde sit postea mortuus. Cum ergo istis cædibus auditis, uxores Lamech metuerent, ne quid mali viro suo accideret; ipse pro illarum consolatione putatur hæc ad eas dixisse. Huic porrò opinioni tametsi incertæ non obstat quòd Deus videatur superius promisisse Cain à nullo esse occidendum: revera enim id non promisit; quinimò illa comminatio, *omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur*, potius videtur oppositum innuere. Posuit quidem signum, vel ut non statim à quolibet obvio interficeretur, vel ut nemo de industria & ex destinata voluntate eum occideret, at non spopondit quòd nullus qui signum istud non videret, vel non adverteret, eum occideret; Lamech autem dicitur occidisse Cain inadvertenter, etsi illa ejus inadvertentia crassa fuerit & culpabilis. Cæterum licèt incertum sit, quem Lamech occiderit, utrùm Cain, an alium: certum tamen est quòd occiderit aliquem; imò verius & sacro textui conformius, quòd duos; unum scilicet virum, & unum alium adolescentulum: dicitur enim.

[ *Occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum* ] (seu puerulum: ut Hebr. sonant)

[ *In livorem meum.* ] Ubi præpositio, *in*, rectè pro *per*, accipitur; ut sit sensus: Per vulnus quod intuli, occidi virum; & per livorem quem inflixi, interfeci adolescentulum: Ita namque illum percusserat & contuderat Lamech, ut ex livore contusionis illato, tandem mortuus fuerit.

[ ℣. 24. *Septuplum ultio dabitur de Cain:* ] Nimirum occiso: hoc est, gravis ultio sumetur de morte Caino illata seu de illo qui occiderit Cain. Quasi Lamech uxoribus suis diceret: Scio quidem, quòd non manebo impunitus, cùm Deus prædixerit eum qui occiderit Cain, graviter esse puniendum (in quo intelligi etiam potest graviter puniendum esse quemlibet homicidam voluntarium;) verumtamen ne de nece mihi per quemlibet inferenda sitis admodum sollicitæ; quoniam ab illo facinore deterrebuntur, ex eo quòd multò gravius sit puniendus, si quis me occiderit. Hoc quippe est quod sequitur.

[ *De Lamech verò Septuagies septies.* ] Sensus est, de Lamech interfecto septies ultio dabitur, sive longè gravius punietur si quis occiderit Lamech. Cujus ratio esse potest, quòd Cain multò gravius peccaverat: omnino enim de industria occiderat, & quidem fratrem suum germanum, Lamech verò non sic; sed virum quidem, quasi fortuitò, etsi non absque culpa; adolescentulum autem, quando volebat eum solùm percutere. Si ergo interfector Cain qui majus peccatum commisit, graviter est puniendus; multò gravius erit puniendus, qui occiderit Lamech, non tanti criminis reum. Sunt qui ista exponant de punitione ipsorum; & Cain & Lamech. At verius videtur sermonem esse de punitione illorum qui Cain & Lamech occiderint, quia superius vers. 15. cùm Deus diceret, *omnis qui occiderit Cain septuplum punietur*; sine dubio loquebatur de pœna non inferenda ipsi Cain, sed ejus occisori: ergo similiter hic; nam ad illa verba respicit Lamech: nec est ratio aliter explicandi ista, *de Lamech verò septuagies septies*, quàm de pœna etiam inferenda illi qui occiderit Lamech. Et hanc explicationem juvat textus Hebræus qui sic habet septempliciter vindicabitur Cain, & Lamech septuagies septies: nam vindicabitur Cain & Lamech, perinde est, ac si diceretur vindicta sumetur de nece Caino & Lamech illata. Quomodo dicitur Deus vindicare martyres, quando vindictam sumit de Tyrannis, sive quando punit tyrannos qui martyres occiderunt. Illud porrò, *septuagies septies*, non sic debet accipi, ut unus numerus multiplicetur super alterum; sed ut numerus certus intelligatur esse positus pro incerto, eoque valde magno. Sicut Matth. 18. *non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies:* quamquam non sit hic tam numerus pœnarum considerandus, quàm earum gravitas, ut supra exposuimus. Hic Moyses sepelit memoriam Cain & posteritatis ejus, nisi quòd adhuc semel c. 6. meminerit posterorum ejus, obiter tamen.

[ ℣. 25. *Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam:* ] Quoto à nece Abelis anno, id fuerit; non constat; quia tamen filius ex hac cognitione natus, dicitur positus esse loco Abelis, verisimile est non valde diu

post

post ejus necem, contigisse: & consequenter cum iste filius cap. sequenti dicatur natus anno 130. Adæ, Abel occisus fuisse videtur circa annum 129. sui patris, atque adeò mundi.

[ *Et peperit filium, vocavitque nomen ejus Seth*, ] suppositum verbi, *vocavit*, non est Adam, sed ejus uxor, ut patet ex Hebr. ubi est verbum fœminini generis.

[ *Seth*, ] idem valet ac positio vel fundamentum, unde rationem nominis mox indicat

[ *Dicens: posuit mihi semen aliud pro Abel*, ] divino igitur instinctu nomen istud huic filio imposuit, ad significandum quòd ipse esset futurus fundamentum totius deinceps suæ sobolis ac posteritatis, imò & civitatis Dei ac figura Christi, qui prioris ad Cor. 3. vocatur fundamentum, sicut etiam antea Isai. 28.

His non obstat cap. sequenti de Adam legi, quòd vocaverit nomen istius sui filii, Seth: Quamvis enim Heva hic legatur istud nomen imposuisse, non tamen excludi debet Adam; & idcircò idem attribui potest Adæ, etiam non exclusa Heva.

Enos idem valet quod homo.

[ ℣. 26. *Sed & Seth natus est filius quem vocavit Enos*: ] Seth est tertii casus. Enos prout est nomen appellativum, significat hominem, tribuiturque toti humano generi, sicut Adam; cùm hac differentia quòd Adam respicit materiam ex qua corpus humanum fuit formatum, scilicet terram rubeam, ut Adam vocetur ab Adama, quod terram rubeam significat, sicut homo dicitur ab humo: Enos verò respicit hominis miseriam & imbecillitatem; deducitur enim à vocabulo Hebræo, quod significat dolere & miserum esse; ac proinde *Enos* secundùm totum quod importat, significat hominem miserum & ærumnosum.

[ *Iste cœpit invocare nomen Domini.* ] Septuaginta aliam derivationem verbi Hebraici considerantes, pro *cœpit*, habent *speravit*; sensu tamen non diverso; ex spe enim divini auxilii oritur invocatio, tamquam actus à spe imperatus. In Hebræo pro, *iste cœpit*, legitur, *tunc cœptum est*; quod etiam nostræ versioni vulgatæ non repugnat; quoniam ita isto tempore cœpit invocari nomen Domini, ut ejus invocationis author & magister fuerit Enos.

Cæterum, cùm dubium esse non possit, quin Adam, Abel, Seth Deum coluerint, ejusque nomen, hoc est, ipsum Dominum Deum invocaverint:

Quæri potest, quomodo hic dicatur, quòd Enos cœpit invocare nomen Domini seu Dominum.

Quomodo Enos cœpit invocare nomẽ Domini.

Resp. quia ipse fuit author, ut homines passim & publicè Deum colerent quibusdam ritibus & cæremoniis, tum ad pietatem tum ad divini cultus decorem pertinentibus, quibus antea non colebatur: veluti cœtus fidelium instituendo, eosque statis temporibus in locum unum congregando, partim ad sacrificia, partim ad alias preces publicas, partim ad audiendum verbum Dei.

Quæ interdũ dicuntur incipere.

Hujus rei gratia observandum est sæpè aliquid dici incipere, quando incipit perfici & compleri, etiamsi dudum antea aliquo modo fuerit, quia incipit esse subnovo decore & modo. Sic infra c. 6. dicitur. *Cùm cœpissent homines multiplicari*; nec tamen dubium esse potest, quin longo antea tempore homines fuerant multiplicati: Et cap. 10. de Nemrod legitur, *ipse cœpit esse potens in terra*, cùm etiam ante illum, imò & ante diluvium fuerint multi potentes, nominatim illi de quibus cap. 6. *isti sunt potentes à seculo*. Pro Domini hic in Hebr. est nomen tetragrammaton *Jehova*, quod tamen quia demum postea indicatum fuit Moysi, Exodi 6. verisimile est non fuisse cognitum fidelibus hujus primi sæculi; sed Moysem habito respectu ad tempus in quo scribebat, illud posuisse.

Quod autem aliqui hic ita vertunt, tunc prophanata est invocatio nominis Domini; itemque alii, tunc cœptum est prędicare in nomine Domini; prius quorumdam Rabbinorum; posterius hæreticorum est commentum, nec ex isto loco probari possit sacras cæremonias laudabiliter ad cultum divinum adhiberi.

## CAPUT IV.

*Genealogia Adami per Seth usque ad Noe, annique vitæ singulorum.*

[ ℣. 1. H*Ic est liber generationis Adam*. ] Liber hic, sicut & Matth. 1. significat catalogum & seriem seu enumerationem; generatio autem sumitur hic activè, pro iis quos genuit Adam, cùm apud Matth. ubi dicitur, *Liber generationis Jesu Christi*, sumatur passivè, pro iis ex quibus genitus est Christus. Præsenti igitur loco significatur quòd hic est catalogus eorum quos genuit Adam, sive Adam accipiatur pro nomine proprio primi parentis ut vers. 3. sive pro communi & appellativo, sicut vers. 2. Vocabulum enim *Adam*, ex vi suæ primævæ significationis ita est apud Hebræos commune viro & mulieri, sicut apud Latinos vocabulum homo; nisi quòd Adam non infrequenter usurpetur ut proprium primi viri. Et quoniam apud septuaginta ita legitur, hic est liber generationis hominum, ideò probabiliter accipi potest prout est commune. Quod sequitur,

[ *In die qua creavit Deus hominem*, ] Hebræi jungunt verbis proximè præcedentibus, & hinc colligunt primos parentes in paradiso genuisse illo ipso die quo fuerunt creati. Sed ista collectio nullius est momenti, cùm non agatur hic de generatione primorum filiorum Adæ (quamquam & ipsos extra paradisum fuisse genitos, ex initio c. 4. satis sit clarum) sed de generatione Seth & posterorum ejus usque ad Noe: Seth verò natum fuisse anno Adæ 130. sacer textus affirmat vers. 3. verior igitur interpretatio est illic, *in die*, diem sumi pro tempore, sicut cap. 3. v. 4. & alibi frequenter. Verius quoque dicendum, istud, *in die qua creavit*, non præcedentibus, sed subsequentibus debere jungi, quemadmodum jungunt septuaginta Interpretes, & biblia editionis nostræ vulgatæ: ut significetur quòd eo tempore quo creavit Deus hominem,

[ *Ad similitudinem Dei* ] (seu suam, solent enim Hebræi nomen quod præcessit, ponere pro relativo)

[ *Fecit illum:* ] Hoc est, Deo similem, ut cap. 1. versu 26. fuit explicatum.

[ ℣. 2. *Masculum & fœminam creavit eos*, ] scilicet in diverso sexu; unum, in virili; aliam in muliebri.

[ *Et benedixit illis*, ] conferendo fœcunditatem.

[ *Et vocavit nomen eorum* ] (viri ac mulieris)

[ *Adam*, ] id est, homo: Adam enim est hic nomen appellativum, tam mulieri quàm viro conveniens: & revera uterque ab Adama vocatur Adam, sicut ab humo uterque dicitur homo: uterque enim ex humo factus est; vir quidem immediatè, mulier autem mediatè, mediante scilicet viro ex cujus costa fuit formata. Pro relativo *eorum*, versio 70. Romæ impressa habet, *ejus*; alia tamen versio habet, *eorum*, quemadmodum etiam legunt August. lib. 15. de civit. cap. 21. & Hieronymus in traditionibus Hebraicis, imò prædicta versio Romana ter habet in plurali *eos*: *Masculum & fœminam fecit eos, benedixit eos, qua die fecit eos*; ut propterea satis evidens sit sermonem esse de viro & fœmina. Observant aliqui hic in Hebræo poni nomen Adam sine articulo; sicuti & cum statim sequitur, *dixit Adam*; indeque colligunt fallere regulam eorum qui volunt nomen hoc quoties sine articulo ponitur, esse proprium.

[ ℣. 3. *Vixit autem Adam centum triginta annis*, ] Adam hic est nomen proprium primi viri. Anni quorum sacer textus meminit, non sunt intelligendi esse triginta vel triginta quinque dierum, ut quibusdam placuit; quoniam juxta ejusmodi computationem consequens esset Cainan, qui genuit anno suæ ætatis septuagesimo: & Malaleel qui cùm esset annorum sexaginta quinque genuit, generasse cùm solùm vixissent quinque vel sex annis nostræ computationis. Imò, cùm cap. 11. Arphaxad legatur genuisse, cùm vixisset triginta quinque annis: & tum Sale; tum Phaleg, & Satug, cum vixissent annis triginta; & Nachor, cùm vixisset anni viginti novem, sequeretur illos generationi aptos fuisse, ac etiam generasse paulò post secundum vel tertium annum Anni his quales fuerint.

æta-

ætatis, cùm triginta sex anni juxta computum illorum, sint triginta sex menses, aut aliquantò ampliùs, ac per consequens tres anni, vel paulò plus. Quòd autem isti antiqui in ætate tam tenera genuerint, nullam habet speciem probabilitatis. Confirmatur, infra cap. 7. & 8. exprimuntur menses, primus, secundus, septimus, decimus; ac etiam primus, decimus, septimus, & vigesimus septimus dies mensis. Zachar. 1. exprimitur mensis undecimus. Esther 3. 9. 13. 16. mensis duodecimus, neque inveniri potest origo, ubi anni ceperint numerari per plures menses quàm numerati fuerint ab initio. Dicendum ergo annos quorum hic in textu mentio est, fuisse nostris annis similes, & continuisse duodecim menses; menses autem habuisse dies tum viginti novem, tum triginta. Pro annis centum triginta, versio 70 Interpretum habet ducentos triginta, sed per errorem, de quo postea ad vers. 27.

[ *Et genuit ad imaginem & similitudinem suam.* ] Hoc est, aliquem procreavit qui erat ejus imago, per omnia ipsi similis quantum ad naturam.

[ *Vocavitque nomen ejus Seth.* ] Suppositum verbi, *vocavit*, est Adam, qui idem nomen quod mater huic filio dederat, dedit & ipse, illud ratificando seu confirmando. Scriptura hic non meminit Cain, quia cum nulli ex ipso post diluvium superfuerint, sufficiebat ejus posteros sup. c. 4. recensuisse. Non meminit etiam Abelis, quia ipse nullos habuit liberos, ut per eos generationum series posset describi. Et quamvis alios insuper filios & filias genuerit Adam, ut versu 4. dicitur, quia tamen illi omnes diluvio perierunt, nec serviunt vel chronologiæ vel genealogiæ describendæ; ideò scriptura eos hic non nominat.

Seth ergo est is per quem totius humani generis genealogia texitur usque ad Noe, & deinceps.

[ ℣. 5. *Et factum est omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta*, ] Longævitatis Adæ, aliorumque primi sæculi duplex fuit causa: una efficiens, scilicet bona corporum temperies, victus sobrius, terræ fructuumque ejus vigor: alia finalis, ut commodius propagarentur tum homines, tum artes quas suis posteris tradere debebant.

Si quæratur, quare Adam non diutiùs vixerit quàm aliqui ejus posteri. Resp. partim tristitiam propter suum peccatum, hujus rei causam fuisse; partim ut ostenderetur quòd longævitas in hoc mundo non est potissimum bonum quod à patribus & principibus spectari oporteat. Nullus verò pervenit ad annum millesimum, ut discamus etiam longissimam hujus sæculi vitam, ne punctum quidem esse ad æternitatem; *quoniam mille anni ante oculos Dei sunt tamquam dies hesterna quæ præteriit*; Psal. 89. quid igitur esse potest vita longissima, sed infra mille annos.

Pro salute Adami.

[ *Et mortuus est.* ] Hæc est omnium hominum clausula omnibusque idcirco meditanda. Locus sepulturæ corporis Adami non exprimitur. Eum verisimiliter fuisse montem Calvariæ, ostendimus 3. p. q. 46. art. 10. Sed quid de salute animæ? ex Sap. 10. constat ipsi remissum fuisse suum peccatum; quatenus nimirùm erat personale. Et quamvis neque illic, neque alibi scriptura neget ipsum in aliquo alio mortali peccato mansisse: ex eodem tamen loco Sap. haud difficulter colligi potest non mansisse, ponitur enim tamquam laus divinæ Sapientiæ quòd ipsa *illum qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, eduxit à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia*, seu dominandi omnibus, esset autem exigua laus sapientiæ, si solùm eduxisset illum è primo delicto, ac deinde reliquisset eum in delictis mortalibus si qua fortassis postea commiserit, sicut nec magnæ laudis esset, dedisse illi virtutem dominandi omnibus, & non sibi ipsi. Unde concors est omnium ferè patrum sententia, Adamum esse salvatum: & inter hæreses Tatiani hanc recensent, quòd saluti Adæ contradixerit, Iren. lib. 1. contra hæreses cap. 30. & 31. Eusebius lib. 4. historiæ cap. 27. Tertullianus lib. de præscriptionibus c. 52. Epiphanius hæresi 46. Aug. Niceph. & alii. Neque refert Gelasium dist. 15. capitulo *Sancta Romana*, rejecisse librum, qui inscribitur pœnitentiæ Adæ ut apocriphum: librum enim rejicit, at non pœnitentiam.

Pro intelligentia sequentium generationum observandum est scripturam in commemoratione filiorum, neque omnes primogenitos numerare, neque etiam solos; cum non sit verisimile quòd nulli parentes genuerint ante illam ætatem quæ hic refertur fuisse in aliquibus multum provecta; sed eos tantum recenset in præsenti c. ex quibus omnes homines post diluvium fuerunt propagati.

[ ℣. 22. *Et ambulavit Henoch cum Deo*, ] ambulare cum Deo, est Deum in omnibus actionibus habere præsentem, ipsi benè consentire & placere, ejusque præcepta exactè servare: unde 70. reddiderunt, *placuit Deo*: & de Noe c. sequenti eodem sensu dicitur quòd *fuit vir justus atque perfectus, cum Deo ambulavit*: & cap. 17. de Abraham, *ambula coram me, & esto perfectus.*

Fuerunt quidem Seth, Enos, & alii quidam viri pii, Deo placentes, & perfecti: At huic demum Spiritus sanctus, testimonium perhibet quòd cum Deo ambulavit; sicut & postea Noe, propter raram ejus, valdeque singularem sanctitatem.

[ ℣. 23. *Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni*; ] quibus scilicet in hominum societate & conversatione vixit, vitam degens cum aliis mortalibus, & more ipsorum. Unde intelligitur, quòd ipse tot annis hic vixerit quot in anno dies computantur.

[ ℣. 24. *Et non apparuit*: ] In Hebr. *& non ipse*. Quæ verba cùm sint imperfecta, variè suppleri possunt. Uno modo, sic: & non ipse amplius inter vivos. Atque ita quidam cum Judæo Aben esra, & hæretico Calvino, asserunt Henoch verè esse mortuum ac deinde translatum à Deo in aliud sæculum. Verùm si Moyses voluisset dicere Henoch esse mortuum; quare non scripsisset sicut de omnibus aliis, *& mortuus est*? Alio modo suppleri possunt addendo participium, mortuus est: quasi diceretur, Henoch id privilegii habuit præ aliis, quòd cùm omnes tamdem mortui fuerint; ipse tamen non est mortuus. Et hunc esse genuinum sermonis Hebraici sensum facilè apparebit consideranti quod Eccles. 44. scribitur de translatione Henoch, & quod Apostol. ad Hebr. 11. scribit Henoch esse translatum *ne videret mortem*, id est, ne experiretur mortem, sive ne moreretur, est enim usitata phrasis scripturæ sacræ ut videre mortem pro mori ponatur: ut Psalmus 88. v. 49. Lucæ 2. v. 26. Joannis 8. v. 51. Propter quæ loca, B. Hieron. epist. 61. c. 10. & l. 3. contra Pelagianos c. 4. affirmat Henoch necdum esse mortuum. Et S. Aug. l. de peccato originali c. 23. de Henoch & Elia disserens; *quos* ( ait ) *non dubitamus in quibus nati sunt corporibus vivere*. Estque hæc communis sanctorum Patrum doctrina, Henoch à Deo translatum esse sine morte; & hoc in præsenti cap. significari, cùm pro ratione quare deinceps non apparuerit, dicitur.

Henoch necdum est mortuus

[ *Quia tulit eum Deus.* ] In locum scilicet ab hominum consortio separatum; sive ( ut Eccles. 44. ) legitur, *in paradisum*. Neque refert quòd hæc verba *in paradisum*, hodie non reperiantur in Græcis exemplaribus libri Ecclesiastici: sufficit enim tum quòd inveniatur in vulgata nostra versione quam nullatenus licet rejicere; tum quòd Græci veteres videantur eam invenisse, quandoquidem dicant Henoch fuisse translatum in paradisum, ut Athanasius in epistola, *quod Nicena Synodus &c.* & alii plures apud Iræneum lib. 5. contra hæreses c. 5. in scholiis citati. Accedit certum esse, quòd tempore hujus translationis extaret paradisus: quid ergo prohibet dicere Henoch fuisse eò translatum, quando transtulit eum Deus?

Ad illam phrasim Hebræam ( *& non ipse* ) quod attinet: observandum præterea est, eam non de solis mortuis dici, sed etiam de vivis qui quoquo modo suis locis absunt. Gen. enim 42. de Joseph quem pater mortuum existimabat, & de Simeon quem sciebat vivum; dicit ipse pater v. 36. juxta lectionem Hebraicam, *Joseph non ipse, & Simeon non ipse*. Ubi etiam nos Psal. 72. habemus *in labore hominum non sunt*, Hebraicè dicitur, *in labore hominis non ipsi*. Similiter Jerem. 31. de Israelitis qui viventes abducebantur in captivitatem, pro eo quod habemus, *quia non sunt*, in Hebræo est, *quia non ipsi*; supple, aderant matri, neque erant in terra habitationis suæ.



Caven-

Cavendum hic ne quis istum Henoch confundat cum alio qui (ut c. 4. v. 17. legit) fuit filius Cain: aut Lamech, de quo hic sequitur cum Lamech primo bigamo.

Varia quæri possunt de Henoch, cujus in præsenti capite fit mentio. Primum ubi nunc degat. Secundum, quos habeat socios. Tertium, An sit viator, & in statu merendi. Quartum, An videat divinam essentiam. Quintum, An alatur cibo corporeo. Sextum, An habeat corpus mortale variis alterationibus subjectum, sicut sunt nostra. Septimum, An agat vitam animalem. Octavum, An sit confirmatus in gratia. Nonum, An possit invocari à nobis: Decimum, In quem finem sit translatus.

Ad quæ sic breviter potest Responderi. Ad 1. quidem quòd in loco aliquo amæno degat Henoch, sive is sit paradisus terrestris in quo fuit Adam, sive alius.

Ad 2. Respondetur Henoch habere socium vitæ, Eliam, (de cujus raptu habemus 4. Reg. 2. & Ecclesiast. 48.) eumque solum, ut ostendimus in Supplem. q. 73. art. 1. quæsito 3.

Ad 3. Respondetur Henoch & Eliam neque nunc esse viatores, neque in statu merendi; quia per raptum constituti sunt extra hominum conversationem, & consecuti statum quemdam medium inter statum beatum, & eorum qui mortalem hanc vitam agunt: Ita ut quamvis corpora sua habeant, similes tamen sint animabus quæ olim detinebantur in limbo: Redituri autem sunt in fine mundi, ad statum merendi, & tunc futuri viatores, veluti si quis de limbo fuisset suscitatus, & ad statum viatorum revocatus.

Ad 4. neuter eorum videt divinam essentiam, cum neque sint Beati, neque comprehensores, sed adhuc eis restet mors obeunda.

Ad 5. Respondetur cum Epiphanio hæresi 64. & Hieron. epist. 61. ipsos vivere sine cibo corporeo, Deo ipsos ita conservante sicut conservavit Moysen & Eliam per dies 40. vel aliquo alio modo. Et ab hac etiam responsione alienus non est B. Aug. l. 1. de peccatorum meritis cap. 3. quando sic scribit: Neque enim Enoch & Helias per tam longam ætatem senectute marcuerunt, nec tamen credo eos jam in illam spiritalem qualitatem corporis commutatos, qualis in resurrectione promittitur, quæ in Domino prima præcessit: nisi quia *isti fortasse nec his cibis egent qui sui consumptione reficiunt; sed ex quo translati sunt, ita vivunt ut similem habeant satietatem illis quadraginta diebus, quibus Elias ex calice aquæ, & ex collyride panis sine cibo vixit*: Aut si & his sustentaculis opus est, ita fortasse in Paradiso pascuntur, sicut Adam, priusquam propter peccatum exinde exire meruisset.

Ad 6. Respondetur ipsos necdum esse consecutos plenam immortalitatem, qualis erit corporum gloriosorum post resurrectionem, sed simpliciter esse mortales, in quantum revera mori possunt & aliquando morituri sunt, etsi quadam restricta ratione possint dici immortales, quatenus durante eo statu quem obtinent, non sunt morituri. Alterationibus autem hujus mundi quæ & morbos, & alios corporis defectus causare possunt, non sunt obnoxii; cùm nec morbo nec senectute deficiant, ut loquitur Aug. lib. 9. de Gen. ad litt. cap. 6. habeantque corpus more spiritali (ut ait Epiph. dicta hæresi 64.) quòd non his rebus opus habeat; quibus cùm in mundo essent, indigebant.

Ad 7. Respondetur jam dictis conformiter, quòd non vivant vitam prorsùs animalem, sed partim animalem, quia necdum sunt absolutè immortales; partim spiritualem, quia non egent alimentis, & à plerisque corruptibilis hujus corporis conditionibus absoluti sunt, sicque habent vitam quodammodo mediam.

Ad 8. Respondetur utrumque confirmatum esse in gratia: cùm enim hìc Deo placuerint, & ad quietam ac tranquillam vitam ab eo translati sint, divinorum contemplationibus intenti; consentaneum videtur quòd peccare non possint.

Ad 9. Respondetur Eliam posse à nobis invocari ut patet ex Martyrolog. Rom. die 20. Julii, & ex notis Baronii ibidem. Eademque est ratio de Henoch, cùm sit in eodem statu. Neque refert quòd nondum videant divinam essentiam: fundamentum enim invocationis sanctorum, non est ipsorum beatitudo jam possessa; sed amicitia cum Deo. Cognoscunt autem preces eorum qui ipsos invocant, vel per ministerium Angelorum, vel Deo ipsis dante gratiam cognoscendi cogitationes cordium, vel per aliquam aliam revelationem.

Ad 10. Respondetur utrumque esse translatum, ut aliquando veniant prædicaturi contra Antichristum, & tum ab eo seductos, tum alios conversuri ad pœnitentiam, secundùm ea quæ dicuntur Ecclesiastici 44. de Henoch, & 48. de Elia, & de utroque, Apoc. 11. & quæ diximus nos Supplementi quæst. 73. art. 1.

[ ℣. 26. *Et vixit Mathusala centum octoginta septem annis, & genuit Lamech.* ] Septuaginta habent, centum sexaginta septem, sicuti & infra v. 28. pro centum octoginta duobus, ut habet nostra editio, ipsi habent centum octoginta octo: sed per errorem, ut mox videbitur.

[ ℣. 27. *Et facti sunt omnes dies Mathusala nongenti sexaginta novem anni, & mortuus est.* ] Hic est, qui omnium mortalium diutissimè vixit.

Quamvis autem Græci codices ab Hebræis ac Latinis multum differant in enumeratione annorum; conveniunt tamen omnes in his annis Mathusalæ. Ita porrò differunt, ut quamvis in vers. 25. Græci pauciores habeant annos; & in versu 18. conveniant in numero annorum; in reliquis tamen quibus quisque dicitur generasse, plerumque excedunt de centum annis. At in annis vitæ singulorum aliquando quidem discrepant, sed non in tanto numero.

Si quæras, utris potius quantum ad annorum discrepantiam sit fides adhibenda, Hebræis an Græcis codicibus: Respondetur quòd Hebræis; tum quòd illis consentiat nostra vulgata Latina editio, quam pro authentica haberi, sic ut nemo illam quovis prætextu rejicere audeat, decretum est sess. 4. Concil. Trid. tum quia secundùm enumerationem Græcorum, Mathusala supervixisset diluvio annis quatuordecim, ut deducit B. Hieronymus in qq. seu traditionibus Hebr. & alii post eum: quod tamen esse non potest, cùm ex cap. 7. constet omnes homines mortalem hanc vitam degentes diluvio periisse, præter Noë & eos qui cum ipso fuerunt in arca, hoc est, præter octo, ut 1. Petri 3. dicitur, inter quos certum est non fuisse Mathusalam: at verò juxta Hebræorum ac Latinorum codicum supputationem Mathusala non supervixit diluvio, sed ipso diluvii anno mortuus est, paucis (quidam scribunt septem) diebus ante diluvium: Ab initio namque mundi usque ad diluvium fluxerunt anni mille sexcenti quinquaginta sex: Mathusala verò natus fuit anno mundi sexcentesimo octogesimo septimo; cui numero si addantur anni nongenti sexaginta novem, quibus ipse vixit, reperietur solùm vixisse ad annum millesimum sexcentesimum quinquagesimum sextum, qui fuit annus diluvii. Paulò quidem aliter ex diversorum codicum varietate supputat S. Augustinus lib. 15. de civit. cap. 13. & in qq. super Gen. sic ut Mathusala inveniatur esse mortuus sex annis ante diluvium: sed jam dicta nostra supputatio est B. Hieronymi, quem communiter hìc sequuntur sacræ scripturæ tractatores.

Si ulterius quæras unde potuerit universaliter irrepere error in codices Græcorum 70. Interpretum. Respondetur cum B. Aug. eodem cap. 13. id contigisse per errorem illius qui de bibliotheca regis Ptholomæi codicem describendum primus accepit; ex quo deinde in subsequentes codices dimanavit.

[ ℣. 28. *Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis & genuit filium:* ℣. 29. *Vocavitque nomen ejus Noë*, ] hic Noë, eorum per quos genealogia texitur, decimus est ab Adam. Neque refert quòd 2. Petri 2. dicatur octavus; non enim dicitur octavus ab Adam, sed octavus eorum qui per arcam salvati fuerunt; illos enim fuisse octo dixerat cap. 3. prioris epist.

[ *Dicens, iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum*, ] Septuaginta; *iste requiescere nos faciet*. Quibus conformiter B. Hieronymus dicit quòd *Noë requies interpretatur*. Hæc autem varietas orta est ex eo quòd vocabulum Hebraicum secundùm unam radicem à qua derivatur, significat consolari; & secundùm aliam, requiem præstare.

La-

Lamech Pater Noe fuit propheta.

Lamech divinitùs edoctus atque ita rei futuræ præscius & verus propheta, prædicit hunc filium suum, fore instauratorem generis humani mox diluvio absumendi; eumque reconciliatum mundum Deo, propter scelera hominum irato, tum ne universum mundum deleat, tum ne postea aliud generale diluvium inducat: quæ omnia erant magna Lamech & aliorum Patrum quies & consolatio. Huc pertinet quod Eccles.44. Noè dicitur *in tempore iracundiæ factus esset reconciliatio, & quod ideò dimissum est reliquum terræ cùm factum est diluvium*; itemque quod Gen. 8. legitur de holocaustis per Noè oblatis, & nono de arcu fœderis. Prævidit insuper Lamech in isto filio, & quòd messias ex ipso esset nasciturus, mundumque restauraturus; & quòd ipse ejus figura singularis existeret.

Noè Christi figura.

Observandum igitur Noè gessisse figuram Christi. Primò quoad nomen, sive illud requiem, sive consolationem interpretemur; quia Christus ad se vocaturus erat omnes qui laborant & onerati sunt, Matth.11. & solatium futurus afflictis juxta illud Isai. 40. *Consolamini, consolamini popule meus, dicit Deus vester*; & istud Angeli Luc. 2. *Evangelizo vobis gaudium magnum*. Secundò, quia Noè fuit præco justitiæ 2. Petri 2. Tertiò, quia ædificavit arcam quæ fuit typus Ecclesiæ per Christum ædificandæ. Quartò, quia reconciliatio, Eccles. 44. & obtulit sacrificium propitiatorium Genes. 8. Quintò, quia fuit pater omnium qui post diluvium vixerunt, sicut Christus pater est omnium qui post peccatum spirituale vivunt. Sextò, quia plantavit vineam, & dormiens irrisus fuit à filio, sicut Christus Ecclesiam fundavit, & in cruce dormiens irrisus fuit.

[ ℣. 31. *Noè verò cum quingentorum esset annorum genuit Sem, Cham, & Japhet.* ] Utrùm antea quosdam filios aut filias genuerat, incertum est, sicut etiam quo tempore præcisè jam dictos tres genuerit; convenit tamen inter tractatores quod anno circiter quingentesimo illos genuerit, hoc est gignere cœperit, annis scilicet successivis, uno anno Sem, alio Cham, postea Japhet: neque enim putandum est quòd omnes eodem anno genuerit. Quibusdam videtur Sem natus esse anno patris quingentesimo secundo, eo quòd cap. 11. dicatur fuisse centum annorum biennio post diluvium: sed an scriptura ibi ponat ætatem ejus adæquatam, an verò tacitis numeris minoribus, solùm exprimat majorem, non liquet. Hujus ergo scripturæ sensus est, quòd Noè non ante quingentesimum ætatis suæ annum illos tres filios genuerit; sub tempus autem illud eos generare incœperit. *Sem* idem valet quòd nominatus, in quo insigniter Christum ex se nasciturum præfiguravit, qui nominatissimus est in universo mundo. *Cham*, calidum significat; *Japhet*, latitudinem. Vide B.Aug. lib.16. de civit.cap.2.

## CAPUT VI.

*Deus multa hominum impietate offensus, justum Noè admonet futuri diluvii, arcamque præscribit, in qua ipse cum suis, & cum cunctorum animantium, & reptilium terræ, volucrumque cœli speciebus conservetur.*

[ ℣. 1. *Cumque cœpissent homines multiplicari super terram,* ] hæc circa septimam generationem facta esse indicat Josephus lib. 1. Antiquitatum cap. 4. scilicet sub Henoch, qui (ut Sapientiæ 4. legitur) *raptus est ne malitia* (quæ tunc universum mundum occupare incipiebat) *mutaret intellectum ejus*. Redit ergo sacer scriptor à Noè, cujus aliquam superius mentionem fecerat, ad tempora anteriora quæ dederunt causam diluvio. Dicitur autem quòd homines tunc multiplicari cœperint, non quòd antea non essent multiplicati, sed quia jam in immensum multiplicari cœperunt.

[ *Et filias procreassent,* ] antea quoque natæ illis fuerunt filiæ; specialiter tamen id nunc factum notatur, sive quòd debilitatis libidine maribus; majori jam numero nascerentur filiæ quàm filii, sive quòd earum pulchritudo fuerit occasio sequentis historiæ.

[ ℣. 2. *Videntes filii Dei filias hominum* ] quidam codices 70. interpretum olim pro *filii Dei*, habebant, Angeli Dei: unde factum quòd nonnulli veros Angelos hic intelligentes, præsentem historiam exposuerunt de commixtione Angelorum cum mulieribus. Quæ tamen expositio si de bonis Angelis accipiatur, hæretica est; Cùm fide certum sit, quòd ipsi neque nubunt neque nubuntur, Matth. 22. si de malis, est improbabilis; quoniam etsi ex dœmonibus incubis homines generari possint, ut 1.p q.51. art.3. diximus, in eos tamen competere non possunt ea quæ hic referuntur, cùm dœmones mulierum pulchritudine non capiantur; neque uxores ducant; hìc autem sermo sit de filiis Dei qui uxores duxerunt, deque virorum ac fœminarum peccatis. Sciendum igitur non omnes codices 70. habuisse olim *Angeli Dei*; sed quidam habebant sicut nostra vulgata, & sicut 70. editio nunc habet, *filii Dei*, quemadmodum testantur Cyrill.l.9.in Julian.Chrys. homil.22. in Genes. Theodoret. q. 47. Aug.l. 15. de civit.cap.23.

Qui hic filii Dei. Quæ filiæ hominum.

Filii autem Dei juxta communem sententiam intelliguntur posteri Seth, propter cultum & pietatem, qua (priusquam hæc acciderent) Deo adhærebant ex avita paternaque institutione; & filiæ hominum sunt fœminæ ex Cain descendentes quæ & terrena sapiebant & Deo neglecto secundùm hominem, hoc est, malè vivebant. Si dicas Symmachum pro filii Dei, reddidisse, filii potentum: Resp. posteros Seth quamvis nullum opprimerent, fuisse potentes sive propter corporis robur & opulentiam, sive propter liberorum fœcunditatem, sive propter authoritatem qua Deo ipsis propitio valebant. Filiæ autem hominum juxta hanc interpretationem intelligerentur filiæ plebejorum. Sed prior expositio tenenda est.

[ *Quod essent pulchræ,* ] Septuaginta bonæ. *Sed consuetudo scripturæ hujus est* (ait Aug. dicto cap.23.) *etiam speciosos corpore, bonos vocare*. Bonæ ergo dicuntur, quæ erant bono ac speciosо corporis habitu ac decore; significaturque primò quòd ratio initi inter tam dispares matrimonii fuerit, tum species mulierum, tum libido virorum. Et quoniam ardor libidinis ubi cætera sunt paria, facit ad robur & magnitudinem prolis. Secundò significari videtur hæc fuisse una ex causis, propter quas ex ejusmodi matrimoniis nati sunt gigantes. Moraliter autem discimus, quàm periculosum sit mulierum speciem intueri, & quàm noxium, filios bonorum matrimonio jungi cum filiabus improborum.

[ *Acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant.* ] Verisimile est à Deo & parentibus præceptum fuisse posteris Seth ut quemadmodum separati erant à posteris Cain, propter maledictionem parenti illatam; ita cum eis non miscerent connubia: sed etsi præcepto positivo non fuisset prohibitum, ipsa ratio naturalis eis prohibebat, propter evidens corruptionis periculum, quæ etiam fuit secuta: nam ex matrimoniis tam disparibus, diversi generis scelera fuerunt in mundum invecta, idque universum præter paucos, eosque de stirpe Henoch. Significatur autem tanta fuisse illorum hominum intemperantia, ut uxores ipsi eligerent non ex parentum consilio, neque ex prolis desiderio, sed ad explendam libidinem.

[ ℣. 3. *Dixitque Deus: non permanebit spiritus meus in homine in æternum,* ] per spiritum Dei hic intelligitur spiraculum vitæ seu anima, quam Gen.2. Deus legitur inspirasse *in homine*. Est singulare pro plurali, In hominibus istis, ut habent 70. nempè qui nunc vivunt.

*In æternum* hoc est tam longo tempore quàm permisi manere in eorum majoribus q. d. non sinam hos homines diu vivere, citò educam animas eorum de corporibus.

Quid hic caro.

[ *Quia caro est:* ] 70. quia carnes sunt, id est, carnaliter & corruptè ac flagitiosè vivunt. Nam caro pro corruptione carnis ponitur, sicut 1.ad Cor.15. *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*, qua ratione de justis secundùm rectam rationem, & non secundùm corruptæ carnis desideria viventibus dicitur ad Rom. 8. *Vos autem in carne non estis*. S. Hieronym. paulò aliter explicat & in partem benigniorem interpretatur; per spiritum Dei iram ejus intelligens, & per carnem,

fragilitatem, hoc sensu. Indignatio mea contra homines non perseverabit in æternum, nec eos ad pœnas æternas reservabo, sed hic eos puniam quia fragilis est hominum conditio. Hieronymum sequuntur Author Glossæ & Liranus. Prior tamen expositio est Chrysostomi hom.22. Gregorii lib.14. Moral. c. 31. Rupert. lib.4. in Gen.c.13. & communior aliorum.

[ *Eruntque dies illius centum viginti annorum* .] Recepta est Hieronymi, Chrysostomi, Augustini, & aliorum veterum sententia non hic statui terminum vitæ hominum deinceps nasciturorum, cùm ex c. 11. constet post hæc tempora quosdam post diluvium natos vixisse plus quam ducentis, trecentis, & quadringentis annis; sed prædicitur tempus quod hominibus perversi istius sæculi daturus erat Deus ad agendam pœnitentiam priusquam induceret diluvium, sicque Noë constituitur præco pœnitentiæ. Nec refert quòd juxta fin. cap. præcedentis, hæc verba videantur esse dicta cum Noë quingentorum esset annorum; diluvium autem sit inductum anno sexcentesimo vitæ Noë, quemadmodum habetur, cap.7. unde apparet non amplius quam centum annos intercessisse. Dupliciter enim ad hoc responderi potest: vel Deum cum experiretur eos pœnitentiam negligere totis centum annis, noluisse tempus promissum expectare, sed amputato viginti annorum spatio, diluvium induxisse; vel verba allegata fuisse dicta quando Noë erat annorum quadringentorum octoginta, priusquam Sem, Cham, & Japhet nascerentur; ita ut quæ in fine cap.5. leguntur per prolepsim ibi sint posita. Priorem responsionem adferunt Hieronym. in qq. Hebraicis, Chrysost. hom.25. Rupertus dicto cap.13. Posteriorem Aug. l.15. de civit. cap.24. Liranus, & plerique hujus loci tractatores.

Qui hic dicantur gigantes.

[ ℣. 4. *Gigantes autem erant super terram in diebus illis:* ] Gigantes intelliguntur viri admodum procera statura, robore forti, simul & animo crudelissimi. Quorum propterea fit hic mentio, tum ut ostendatur fructus nuptiarum quas contraxerunt filii Dei cum filiabus hominum, tum ut significetur duplicem potissimum fuisse causam diluvii, libidinem de qua prius dictum; & injustitiam, quæ per gigantum potentiam indicatur. Unde Baruch 3. describuntur gigantes *statura, magna scientes bellum*: Et Sap.14. *superbi, sive*, ut Eccles.16. *Confidentes sua virtuti*. S. Augustinus dicto l.15. cap.23. (& alii post eum) docet fuisse gigantes in terra priusquam filii Dei ad filias hominum ingrederentur, idque vult significatum esse in editione 70. quæ sic habet: *Gigantes autem erant super terram in diebus illis*. Et post illud, *cum intrarent filii Dei ad filias hominum & generabant eis. Illi erant gigantes à sæculo homines nominati*. Idem Hebræa lectio clarè exprimit ita habens. *Gigantes fuerunt in terra in diebus ipsis. Et etiam posteaquam ingressi sunt filii Dei ad filias hominum*. Quapropter quod in nostro textu sequitur;

[ *Postquam enim ingressi sunt filii Dei* ] idem valet, ac si diceretur, præsertim postquam ingressi sunt; ita ut significetur quòd post congressum filiorum Seth cum filiabus Cain, maximè multiplicati fuerint gigantes.

[ *Isti sunt potentes à sæculo* ] sensus est, isti qui ex tali copula nati fuerunt, sunt potentes, hoc est, robusti, superbi, & contemptores. Per potentiam enim & robur corporis intelligitur simul violentia seu tyrannis qua alios contemnebant & opprimebant. *A sæculo*, jam olim, ferè à mundi initio, & Baruch 3. significatur.

[ *Viri famosi.* ] A mole, & fortitudine, necnon à sævitia & tyrannide passim celebres, & nominati, quemadmodum Baruch eos vocat.

[ ℣. 5. *Videns autem Deus quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore*, ] multa erat hominum malitia quantum ad numerum peccantium & peccatorum quæ committebantur, & quantum ad eorum gravitatem seu enormitatem & quantum ad continuationem. Pro, *& cuncta cogitatio* &c. in Hebr. habetur, & omne figmentum cogitationum cordis ejus tantum malum omni die; unde sectarii nostrum Interpretem carpunt: primò, quòd non verterit figmentum. Secundò quòd non dixerit malum, sed intenta ad malum. Tertiò, quòd non reddiderit exclusivam tantùm.

Verùm ad hæc ita responderi potest. Ad primum quòd cuncta cogitatio idem est ac figmentum cogitationum, sive ut aliis verbis diceremus, formatio conceptuum aut conceptus.

Ad 2. istud (*malum*) ita esse intelligendum ut perinde sit ac figmentum cogitationum eorum erat qualiter facerent malum, hoc autem, id est, quod intentum erat ad malum. Et his consentiunt 70. ita reddentes, *unusquisque cogitat in corde suo diligenter super maligna omnibus diebus*; pro quibus B. Cyprianus ad Novatianum dicit quòd omnes in malum recordarentur à principio dierum suorum.

Ad 3. Resp. exclusivam verisimiliter non fuisse originaliter in Hebræo: nam neque tempore S. Hieron. videtur ibi fuisse, cùm in sua versione illam non posuerit; neque dudum antea, cùm Septuaginta quoque illam non habeant: Ut proinde verisimilius sit in textum Hebræum irrepsisse, quàm è nostro excidisse. Quamquam & dici possit exclusivam satis esse significatam per istud, *cuncta cogitatio, &, omni tempore*. Ille enim cujus cogitatio omnis & omni tempore est ad quippiam intenta, quodammodo censetur tantùm ad illud esse intentus. Unde si de aliquo diceretur cuncta ejus cogitatio semper est de suo ventre, perinde foret quod tantùm cogitat de ventre.

Neque verò hinc rectè inferunt sectarii, omnia nostra opera, etiam sancta esse aliquo vitio maculata, ideòque mala: nam scriptura non loquitur de hominibus justis sed de impiis, ut patet ex eo quòd statim postea illis opponat justum Noë.

Sed neque sequitur omnia impiorum opera esse peccata: Contra quem errorem disseruimus 2. 2. q. 10. art.4. quoniam sermo hujus loci est hyperbolicus, ita ut per eum significetur quòd plurima istorum hominum cogitatio præcipuumque illorum studium erat ad malum, sicut cùm dicimus; *Iste* homo non aliud cogitat quàm libros: Aut omni tempore ad suos dumtaxat libros est intentus, non volumus dicere quòd nullam habeat aliquando cogitationem de amicis, de rebus ad vitam necessariis aut de aliis, sed sermone hyperbolico significamus ipsum valde frequenter & valde multum de libris cogitare, suamque præcipuam curam esse de illis.

Denique non sequitur id quod Marloratus hæreticus intulit, liberi arbitrii vires planè hinc prosterni: quia nullius momenti est consequentia, ab actu ad potentiam negativè, semper cogitat malum: ergo non potest cogitare bonum; cùm nec ipsi Calvinistæ hanc consequentiam admitterent, Lutheranus semper cogitat de Lutheranismo; ergo non potest cogitare de Calvinismo, sive ut illum impugnet, sive ut ad illum transeat.

[ ℣. 6. *Pœnituit eum quòd hominem fecisset in terra*. ] Dicitur Deus pœnitere, non propriè seu secundùm affectum, quasi vel passionibus moveatur, vel incipiat alia cogitare quàm ab æterno cogitavit; sed secundùm effectum, quando id facit vel declarat se id facturum quod nos facere solemus quando prioris facti nos pœnitet: hoc est, quando aliud agit vel acturum se dicit quàm prius egerit; Aut quando destruit quod antea fecit. — Quo modo Deum pœniteat.

His non repugnat illud cap.11. ad Rom. *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei*: quia Apostolus ibi non loquitur universim de Dei operibus, sed de illis tantùm promissionibus ac donis quæ absolutè & sine ulla conditione ipse dedit aut promisit. Quæ quia autem talia sint sine pœnitentia, hoc est, irretractabilia; multa nihilominus alia Deus retractat & in irritum deducit, peccatis hominum id promerentibus.

[ *Et tactus dolore cordis intrinsecus*. ] non ita hoc est accipiendum, quasi Deus id passus sit quod patiuntur illi quorum corda tangit dolor; sed vel quia id facit quod tales facere solent; vel etiam quia tanta est in peccatis malitia, ut si possibile esset Deum dolore cordis tangi, maximè propter peccata tangeretur. Quidam hæc verba præponunt; alii postponunt, *& præcavens in futurum*: Sed meritò sunt expuncta, quoniam nec Hebræi, nec Græci, nec Latini codices antiquiores illa habent.

[ ℣.7. *Delebo, inquit, hominem quem creavi à facie terræ*, ] seu de terra: Imò non solum hominem, sed & ea quæ pro servitio & usu hominum facta sunt in terra, videlicet.

[ *Ab*

[ *Ab homine uſque ad animantia, A reptili uſque ad volucres cœli:* ] Quaſi diceret, ſimul cum homine delebo omnia animalia terreſtria, reptilia, & volatilia.

Piſcium non meminit, quia illi non perierunt diluvio: Diluvium enim inducendum erat propter flagitia hominum qui peccando terram quidem infecerant, ſed nondum aquas maris cum necdum incepiſſent navigare, ut notat Petrus Marsilla. Loquitur autem hic Deus ad ſimilitudinem hominis valde irati, qui peccati gravitate offenſus, comminatur & peccantem & omnia quæ ſunt peccantis diſperdere.

Obſervandum porrò quòd ea quæ tum præcedenti verſu dicit Deus, non repugnent illi quæ Prov.8. divina Sapientia affirmat; *delicias meas eſſe cum filiis hominum*: Hæc enim ſententia poſterior intelligitur vel de hominibus ante peccatum, vel de illis ſecundùm quod Dominus ipſorum redemptionem diſponebat: aut etiam quando peccator per Dei gratiam convertitur.

Quid invenire gratiam coram Deo.

[ ℣. 8. *Noë verò invenit gratiam coram Domino.* ] Antitheſis eſt ad præcedentia, ſignificaturque quòd & ſi Deus reliquis hominibus fuerit graviter offenſus; Noë tamen coram eo gratiam ſeu favorem & complacentiam obtinuerit, ipſique pergratus fuerit. Hebræa ſiquidem phraſi invenire gratiam coram aliquo, idem valet, ac ei placere ſeu gratum & acceptum eſſe, ut infra cap.18. v.3. cap.19. v.19. Exod.33. verſ. 12. Luc.1. verſ.30.

[ ℣. 9. *Hæ ſunt generationes Noë :* ] Quaſi diceret, generationes Noë quibus ipſe generavit, ita ſe habuerunt.

[ *Noë vir juſtus atque perfectus fuit* ] ea ſcilicet tum juſtitia tum perfectione quæ hominibus adhuc mortalibus poteſt obtingere, & quæ partim in aſſiduo virtutum ſtudio; partim in gratia habituali virtutibuſque divinis, & in peccati mortalis carentia, non verò in immunitate ab omnibus venialibus conſiſtit; cùm S. Jacobus cap.3. ſuæ epiſt. clamet *in multis enim offendimus omnes ; & ſi dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*, 1. Joan.1. quare ex hoc loco benè catholici contra noſtros ſectarios colligunt hominem in hac vita poſſe eſſe verè juſtum & perfectum: malè autem Pelagiani hinc olim concludebant juſtos abſque omni peccato etiam veniali poſſe hìc vivere.

[ *In generationibus ſuis*, ] hoc eſt, inter homines ſui ſæculi, vel toto ſuæ vitæ decurſu. Poteſt & intelligi ſicut iſtud Luc.1. *Benedicta tu inter mulieres*, ſeu præ omnibus aliis mulieribus: Ex quo tamen ſenſu non erit conſequens Noë fuiſſe juſtiorem ac perfectiorem quàm Enoch; quia ſolùm comparatur cùm hominibus ſui ævi; Enoch verò ante nativitatem Noë fuerat raptus ut patet ex cap.5.

Quo [illegible] Deum [illegible].

[ *Cùm Deo ambulavit.* ] Illum ſemper præſentem habens, ſecundùm ejus beneplacitum vixit, ſemperque ei adhæſit.

[ ℣. 10. *Et genuit tres filios, Sem, Cham, & Japhet.* ] Hic nominantur, tanquam qui reliquis propter peccata pereuntibus, à diluvio ſint præſervandi.

[ ℣. 11. *Corrupta eſt autem terra* ] quaſi diceret, tanta eſt hominum in terra degentium corruptio, ut ab eorum peccatis, ipſa quoque terra meritò dici poſſit eſſe corrupta. Nam peccatis, præſertim enormioribus, iiſque frequentibus non tantùm homines terræ incolas; ſed ipſam quoque terram aliquo modo contaminari ſcriptura indicat: ut Pſalm.105. *Infecta eſt terra in ſanguinibus & contaminata eſt in operibus eorum*: Et Iſai.24. *Terra infecta eſt ab habitatoribus ſuis, quia tranſgreſſi ſunt leges, mutaverunt jus.* Quibus etiam ſimilia invenire eſt Levit. 18. verſ. 25. Num. 35. v.33. Conſiſtit autem hæc terræ contaminatio in eo quòd cùm omnia quæ Deus in terra poſuit, quædam ſint terræ ornamenta, ac ſpecialiter homo; tunc ſolùm homo terram exornat, quando in ea verſatur ſicut eſt à Deo conſtitutum: vice autem verſa illam contaminare cenſetur, quando aliter quàm Deus poſtulat, in ea vivit, hoc eſt, quando ſeipſum peccatis præſertim gravioribus fœdat & contaminat.

[ *Coram Deo,* ] Id eſt, verè: veriſſimè enim res dicuntur eſſe tales, quales ſunt coram Deo qui non poteſt falli.

[ *Et repleta eſt iniquitate.* ] Fraudibus, violentiis, oppreſſionibus & rapinis.

[ ℣. 12. *Cumque vidiſſet Deus terram eſſe corruptam ( omnis quippe caro corruperat viam ſuam )* ]

Eſt Synecdoche cum auxeſi. Nam caro pro homine ponitur, ſicut Iſai.40. videbit omnis caro pariter quòd os Domini locutum eſt; cui reſpondet iſtud Luc.3. videbit omnis caro ſalutare Dei: ſicut etiam Joan.1. Verbum caro factum eſt, & alibi. Omnis autem ponitur pro pleriſque, nam paulò ante exceptus fuit Noë.

*Corruperat viam ſuam*, hoc eſt, ſuam vivendi rationem ſuaque opera. Diſtinguunt quidam inter viam & vias, quòd via in ſingulari ſignificet modum ac rationem vivendi ſeu ipſum vitæ decurſum; viæ autem pluraliter, ipſa opera: frequenter tamen idem ſignificari, ſive ſingulariter exprimatur ſive pluraliter, ex ſcriptura patet. Nam 3. Reg.15. & 16. pro eodem ponitur ambulare in viis & ambulare in via Jeroboam: Jerem.2. Vide vias tuas: & poſtea. Quid niteris bonam oſtendere viam tuam: Ezech.7. judicabo te juxta vias tuas; & in fin. Secundùm viam eorum faciam eis. Senſus igitur ſcripturæ eſt, quòd ferè omnes impiè viverent.

Si quæras, an igitur omnes qui tunc perierunt diluvio, ſint damnati: Reſp. id non videri; cùm omnino ſit veriſimile quoſdam illorum antequam expirarent, pœnituiſſe & peccatorum ſuorum remiſſionem obtinuiſſe. Id enim ſignificari videtur 1. Petri 3. ubi Chriſtus dicitur poſt mortem ſuam prædicaſſe illis qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam, in diebus Noë cùm fabricaretur arca: Iſtud enim, qui increduli fuerant aliquando, innuit eos non ſemper manſiſſe incredulos, ſed fuiſſe tandem converſos. Confer cap.4. ejuſdem epiſtolæ verſ.6.

[ ℣. 13. *Finis univerſæ carnis* ] Septuaginta, *tempus omnis hominis*, paucis nimirùm exceptis. Deus enim ipſe jam ante verſ.8. excepit Noë, & v.18. ejus uxorem & filios filiorumque uxores.

[ *Venit coram me.* ] Jam inſtat tempus à me conſtitutum quo omnes penè homines diſperdere decrevi; quia.

[ *Repleta eſt terra iniquitate à facie eorum*, ] ſive ut 70. vertunt, *ab ipſis.* Quod relativum refert homines, non quidem expreſsè antea nominatos, ſed implicitè in vocabulo carnis.

[ *Et ego diſperdam eos cum terra.* ] Non quòd terra eſſet deſtruenda ſecundùm ſubſtantiam, ſed partim quantum ad ornatum qui eſt in ipſius ſuperficie, proveniens ex decore plantarum & ædificiorum; partim quantum ad fertilitatem.

[ ℣. 14. *Fac tibi arcam* ] ad tui tuæque familiæ conſervationem, arcam conſtrue. Hæc fabrica quæ jubetur fieri, potius vocatur arca quàm navis, quia non in formam navis facta fuit, ſed ad modum arcæ ſeu capſæ, ſupernè videlicet ac infernè lata & clauſa, ut firmius conſiſteret, ſimulque eſſet magis idonea arcendis aquis tum inferioribus, tum ſuperioribus è cœlo præcipitandis. Unde & ipſum nomen latinum arcæ, deductum videtur ab arcendo, ea nimirùm quæ forent noxia. Sic porrò fuit arca supernè lata, ut tamen modicè in culmen aſſurgeret, quemadmodum ex verſ. 16. colligitur. Hæc arca Sap.14. vocatur ratis, propter planitiem ac latitudinem, infernam præſertim: nam rates propriè dicuntur trabes ad invicem connexæ & compactæ quæ per aquas trahuntur, etſi naves non rarò vocari ſoleant rates.

[ *De lignis levigatis :* ] Id eſt, dolatis & politis, ut commodius illinerentur, & arctius conjungerentur ac cohærerent. Pro *levigatis*, 70. reddiderunt *quadratis*. Chaldæus, & alii quidam vertunt, *ex lignis Cedri*. Hieronymus in Hebræo legi dicit *ex lignis bituminatis* ſeu bituminoſis. Quæ varietas vel ex diverſa lectione, vel ex varia ſignificatione vocis Hebraicæ orta putatur; poteſt autem ſic ad unum ſenſum revocari, quòd Arca fabricata fuerit ex lignis cedrinis, quæ in aquis durant, iiſque dolatis & aliquo modo in quadrum ſeu in quatuor latera coaptatis, & bituminoſis ſeu quæ bitumen emittunt, ſumendo bitumen generaliter pro liquore ſpiſſo, pingui, & viſcoſo, ut reſinam complectatur, quæ & eſt liquor ad liniendum idoneus, & etiam è cedro defluit.

[ *Manſiunculas in arca facies.* ] Per manſiunculas intelliguntur loca diverſa, eaque anguſta quæ ſufficiant ad manendum, etſi non ad latè exſpatiandum vel diſcurſandum. In Hebræo & 70. legitur, *Nidos facies arcam*, q. d. Ita facies arcam ut ſit inſtar multorum nidorum; ſive ut ſit multis nidis ſeu manſiunculis referta. S. Ambroſius l. de Noë & arca legit, Nidos facies in arca.

[ *Et bitumine linies* ;] bitumen eſt gluten ferventiſſimum ac tenaciſſimum, pulchrum & odoriferum; quod ſi excellens ſit, & neque picis neque alicujus alterius mixtione ſit adulteratum, maximè ſplendet. Ejus virtutes varias refert Plinius l. 35. c. 15. Hæretici pro bitumine picem vertunt, ſed malè; cùm & diverſæ ſint naturæ, & vox tam Græca quàm Hebræa non picem ſignificet ſed bitumen. Aptius autem hic conveniebat bitumen, tum ut decori ſeu ornatui ſerviret, tum ut per illud non ſolùm conglutinarentur & connecterentur tabulæ, ſed etiam impediretur fœtor & graveolentia, ex diverſitate ac multitudine animalium in arca concluſorum; huic enim reſiſtit bitumen.

[ ℣. 15. *Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius*. Ita ut longitudo ſit ſexcupla ad latitudinem, ſicut trecenta ad quinquaginta; decupla verò ad altitudinem ut trecenta ad triginta, cujuſmodi eſſe proportionem humani corporis videre eſt apud S. Ambroſium l. de arca cap. 6. & Aug. lib. 15. de civit. cap. 5. ita ut humani corporis per omnia benè formati latitudo ſumatur à latere ad latus: altitudo ex linea metiente profunditatem pectoris hominis proni vel ſupini jacentis; longitudo à vertice ad plantam pedis. Quoniam verò illa arcæ dimenſio quibuſdam viſa eſt nimis anguſta ut omnium beſtiarum & alimenti eorum capax foret: Ideo Origenes cujus expoſitionem laudat Aug. d. lib. 15. cap. ult. per cubitum hic non accipit communem & uſualem qui continet pedem cum dimidio, ſive ſex palmos; ſumiturque à flexu brachii hominis juſtæ magnitudinis uſque ad extremitatem medii digiti; ſed cubitum geometricum qui continet ſex cubitos uſuales ſeu vulgares, ac per conſequens novem pedes. Quæ tamen cubiti acceptio non parum eſt difficilis; cùm veriſimilius ſit Moyſen eo modo cubitum hìc accipere quo in ſequentibus libris accipit; in his autem non de geometricis cubitis loquitur, ſed de uſualibus: veluti cùm Exod. 27. ſcribit juſſum fieri altare quod haberet quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, & tres cubitos in altitudine, & cùm Num. 11. dicit quòd *coturnices volabant in aere duobus cubitis altitudinem ſuper terram*; cum Deut. 3. ait lectum Og regis Baſan habuiſſe novem cubitos longitudinis, & quatuor latitudinis ad menſuram cubiti virilis manus, & alibi. At neque in aliis divinæ ſcripturæ libris cubiti geometrici ſignificantur, ſed vulgares. Quapropter Pererius l. 10. in Gen. diſp. 5. Marius, Marzilia, & alii interpretes vulgares ſeu uſuales: ſecundùm quos, ſi computetur tota capacitas arcæ à ſummo ad infimum, & à latere ad latus, invenietur fuiſſe quadringentorum quinquaginta millium cubitorum, quod ſpatium abundè ſuffecit omnibus quæ in arca eſſe debebant. In ea ſiquidem non oportebat eſſe piſces, neque illa animalia quæ in aquis poſſunt degere, neque ea quæ oriuntur vel ex commixtione diverſorum ſexuum, vel ex putredine: præter hæc autem vix inveniri poſſunt, pluſquam triginta ſpecies reptilium; quadrupedum vel terreſtrium centum triginta; avium centum quinquaginta; è quibus non multæ ſunt ſpecies magnæ quantitatis, longè plures minoris.

Quid cubitus communis, quid geometricus.

Non agitur de cubitis geometricis.

[ ℣. 16. *Feneſtram in arca facies* ] quoniam videtur difficile quòd una feneſtra ſuffecerit illuminandi tanto ædificio, præſertim in diverſas manſiunculas diſtincto; probabiliter exiſtimat Liranus, ut & alii poſt eum, plures feneſtras in arca fuiſſe. Secundùm quam ſententiam dicendum eſt hìc vel numerum ſingularem poſitum eſſe pro plurali, vel unam feneſtram exprimi, partim quòd eſſet præcipua & reliquis notabiliter major; partim quòd ejuſdem facienda rurſum eſſet mentio pro dimiſſione corvi, cap. 8. ex qua materia fuerit facta, incertum eſt: ſatis certum quòd ex aliqua utcumque forti ac tranſparente, veluti cryſtallo, lapide ſpeculari, aut ſimili, quæ & cœli injuriam repelleret, & lucis radios admitteret. Si dicas apud 70. interpretes nullam fieri mentionem feneſtræ: Reſp. ipſos quidem hoc loco nihil dicere de feneſtra; ejus tamen meminerunt cap. 8. ut ibi videbitur. Alii autem interpretes etiam hoc c. feneſtram legerunt. Unde Hieronymus in qq. Hebr. ad præſentem locum ita ſcribit. *Pro eo quod eſt apud 70. ſcilicet colligens facies arcam, in Hebræo habet, meridianum facies arca, quod manifeſtius interpretatus eſt Symmachus dicens διαφανῆ, hoc eſt, dilucidum facies arca, volens feneſtram intelligi.*

[ *Et in cubitu conſummabis ſummitatem ejus:* ] Scilicet arcæ. Cùm enim vocabulum quod Hebræus pro feneſtra ponit, ſit generis maſculini, & pronomen fœminini; pronomen non poteſt referre feneſtram, ſed arcam: quod & neceſſariò poſtulat verſio 70. quæ facta mentione ſolius arcæ, ſic habet: Colligens facies arcam, & in cubito conſummabis eam deſuper. Senſus eſt, ſummitatem ſive faſtigium vel tectum arcæ facies non omnino planum ſed ferè, ita ſcilicet ut à lateribus uſque ad medium, paulatim elevetur ad altitudinem unius cubiti.

[ *Oſtium autem arcæ pones ex latere:* ] Cùm eſſent quatuor latera arcæ, duo longitudinis, & duo latitudinis; incertum eſt in quo fuerit oſtium. Probabiliter dici poteſt fuiſſe in uno latere latitudinis. Sic autem erat diſpoſitum, ut infernè quatuor aut quinque cubitis à terra, cardines haberet, & quando erat apertum, eſſet inſtar pontis per quem tranſirent omnia animalia; qui deinde funibus aut catenis poſſet elevari.

[ *Deorſum, cœnacula & triſtega facies in ea.* ] Iſtud, *deorſum*, non debere jungi præcedentibus hoc modo Oſtium autem arcæ pones ex latere deorſum, liquet tum ex Hebræo quod ita habet inferiora, & ſecunda, & tertia facies eam ſeu in ea; tum ex 70. qui legunt, inferiora, bicamerata, & tricamerata facies eam: ſed conſtituit membrum ſententiæ ſequentis, & locum arcæ ab aliis diſtinctum, ut ſit ſenſus: in arca *facies deorſum*, hoc eſt, infimum tabulatum, quod nimirum mediante aliquot pedum intervallo ſuper jaceat fundo arcæ: facies deinde cœnacula, id eſt, tabulata media quoniam enim in mediis tabulatis ſolebant fieri cœnacula, ideò per cœnacula rectè intelliguntur tabulata media; Denique in arca etiam facies triſtega id eſt tertia tabulata. Erant enim in arca tres contignationes, ſeu tria tabulata quæ continebant quatuor ſpatia. In imo ſpatio quod à fundo ad infimum tabulatum extendebatur, erat arena craſſior navibus ne in hanc vel in illam partem fluctuent neceſſaria, & ſentina quæ ſordes è ſuperioribus exciperet ac emitteret. In ſecundo ſpatio quod ab infimo tabulato uſque ad medium tabulatum erat extenſum, in varias tamen cellas diſtinctum, erant animalia reptilia, & gradientia, cùm vaſis ad cibum ac potum illorum neceſſariis. In tertio ſpatio quod protendebatur à medio tabulato uſque ad tertium, erant pabula pecorum, & annona hominum. In quarto quod à tertio tabulato aſcendebat uſque ad tectum arcæ, erant hominum diverſæ manſiones, & nidi avium.

Arcæ Noë diſpoſitio qualis.

[ ℣. 17. *Ut interficiam omnem carnem in qua ſpiritus vitæ eſt ſubter cœlum*; ] Hoc eſt, omnem hominem viventem hic ſub cœlo. *Univerſa quæ in terra ſunt*, conſumentur exceptis illis quæ in arca erunt, & præter piſces qui naturaliter in aquis vivunt.

[ ℣. 18. *Ponamque fœdus meum tecum:* ] Paciſcar tecum de tua tuorumque ſalute. Quando pactum illud inierit, non exprimitur: Nam illud quod cap. 9. refertur, diverſum eſt.

[ *Et ingredieris arcam tu & filii tui, uxor tua, & uxores filiorum tuorum tecum.* ] Dices, Noë demum genuit filios ſuos Sem, Cham, & Japhet circa annum ætatis ſuæ quingenteſimum, & hæc de fabricanda arca ipſi dicta fuerunt circa idem tempus, in quo proinde ipſius filii necdum uxores habere poterant: quo modo igitur hic nominantur uxores filiorum ejus. Dupliciter reſponderi poteſt: vel non omnia quæ hìc referuntur dicta ad Noë, ſimul dicta fuiſſe; ſed primò quidem Deum mandaſſe arcam conſtrui, & ejus conſtruendæ modum ac formam præſcripſiſſe; poſteà verò cùm ejus filii eſſent adulti, & ad generis humani propaga-

tionem

tionem Deo ſic inſpirante ac fortaſſis etiam jubente, matrimonio juncti, vel proximè jungendi, Deus eum inſtruxit de perſonis quæ in arca ſalvandæ erant ab aquis diluvij. Vel ſi omnia circa ann. Noë quingenteſimum dicta fuere, intelligi poteſt Deum fuiſſe locutum de ejus filiis, non quales tunc erant, ſed quales futuri erant inſtante diluvio: Intererat enim Noë iſta ſcire, ne alioquin de filiis ſuis eſſet ſollicitus, & abſterreretur à dando ipſos in matrimonium. Et ſecundùm hæc ſalvari poſſunt ea quæ communiter dicuntur de centum annis in arcæ fabricationem impenſis. Quæ confirmari poſſunt ex eo quod non eſt veriſimile Noë illam fabricationem diſtuliſſe diu poſt præceptum ipſi datum.

[ ℣. 19. *Et ex cunctis animantibus univerſa carnis*, ] terreſtribus nimirum ſive illa ſint fera & indomita, ſive manſueta vel domita. Nam de piſcibus nulla hìc mentio ob cauſam verſu 7. dictam.

[ *Bina induces in arcam*, ] non præſcribitur hîc numerus inducendorum de quo demum cap. 7. ſed eorum combinatio. Quaſi diceretur non tantùm mares nec tantùm fœminas induces in arcam, ſed de utroque ſexu; ſive; ut ſequitur) *Maſculini ſexus & fœminini.*

[ ℣. 20. *Ingredientur tecum*, ] In Hæbr. & 70. pro tecum legitur ad te. Senſus eſt. Sponte (Dei videlicet nutu, vel etiam Angelorum miniſterio ſicut ſupra cap. 2. ad Adamum) ad te venient, & tecum ingredientur arcam.

[ ℣. 21. *Tolles igitur tecum de omnibus eſcis quæ mandi poſſunt*, ] tum ab homine, tum à beſtiis. Unde fit conſequens quòd animalibus carnivoris, etiam proviſum fuerit de carnibus, quas in arca comederent. Fuit autem Noë divinitùs inſtructus quinam cibi eſſent cunctis animalibus opportuni, & quanta eorum quantitas eſſet comparanda.

Arcæ Noë diſpoſitio qualis.

Allegoricè arca eſt Eccleſia, quam Chriſtus per Noë figuratus fabricavit de lignis levigatis, id eſt, ex hominibus per tunſiones & preſſuras politis, ut dicitur in hymno dedicationis Eccleſiæ; ac etiam quadratis; quia firmis & ſtabilibus; cedrinis & bituminoſis, quia in æternum victuris & charitatis gluten ſtillantibus. Hæc arca in cubito conſummatur, quia in unitate perficitur. Oſtium quod in latere poſitum fuit, eſt baptiſmus habens vim à pretio ſanguinis Chriſti ſignificato per ſanguinem ex ejus latere fuſum. Feneſtra eſt fides per quam lumen habetur. Bitumen quo linitur interius & exterius eſt charitas ex qua oportet tolerare malos intus & foris. Manſiunculæ ſunt diverſi hominum ſtatus. Omnis generis animalia munda & immunda ſunt homines ex omnibus gentibus, boni & mali. Arca natans firmaque conſiſtens in fluctibus, eſt Eccleſia in perſecutionibus ſtabilis. Nulla mortalibus erat ſalus extra arcam, ſic neque extra Eccleſiam. Noë cùm ſuis ſalvatus tum per aquam quæ ſuſtinebat ac levabat arcam; tum per lignum ex quo arca erat fabricata; ſic & fideles per aquam baptiſmi ſigno ac virtute crucis collati. In arcam illatæ ſunt eſcæ omnis generis; & in Eccleſia ſunt pabula ſpiritualia pro quovis fidelium ſtatu.

Moraliter per Arcam anima fidelis intelligitur, per dolores, & ærumnas dolata. Longitudo arcæ, eſt fides; altitudo, ſpes; latitudo, charitas: Aquarum inundatio eſt tentationum, afflictionum, & perſecutionum impetus. Volucres arcæ ſunt cœleſtes cogitationes. Animantia ſunt opera & curæ circa terrena.

## CAPUT VII.

*Noë cum ſuis arcam ingreditur, ac etiam beſtiæ munda & immunda, deinde terra diluvio inundatur, cunctaque animantia quæ extra arcam erant, ſubmerguntur.*

[ ℣. 1. D*ixitque Dominus ad eum, ingredere tu & omnis domus tua in arcam:* ] Anno ſexcenteſimo vitæ Noë die decimamenſis ſecundi, ut ex verſibus 4. & 11. poteſt colligi, hæc ad Noë locutus eſt Deus, vel per Angelum in corpore aſſumpto apparentem, vel per inſtinctum interiorem. Per domum Noë, intelligitur ejus familia; ita tamen ut eo nomine non comprehendantur hic ſervi & ancillæ, quamvis alias ſoleant comprehendi; ſed uxor tantùm cùm filiis & filiorum uxoribus, ut patet ex verſ. 7. & 13. hujus, & ex verſu 18. cap. conſtatque ex 1. Petri 3. tantùm octo homines in arca fuiſſe; ob quam etiam cauſam 2. Petri 2. Noë vocatur octavus. Ergo omnis domus hoc loco ſignificat totam familiam ex proximè conſanguineis & affinibus conſtantem.

[ *Te enim vidi juſtum coram me* ] hoc eſt, veraciter juſtum.

[ *In generatione hac.* ] Sive, inter homines hujus temporis.

[ ℣. 2. *Ex omnibus animantibus mundis tolle ſeptena, & ſeptena*, ] hoc eſt, ſeptem ex una ſpecie, & ſeptem ex altera, atque ita ex omni ſpecie mundorum animalium ſeptem, tres ſcilicet fœmellas & quatuor mares, ita ut unum par maris & fœminæ eſſet ad propagationem, ſecundùm par ad ſacrificia paſſim poſt diluvium offerenda, tertium, ad eſum hominum etiam poſt diluvium; maſculus verò qui ſolus reſtabat erat pro ſacrificio ſtatim à fine diluvii offerendo.

[ *De animantibus verò immundis duo & duo*, ] id eſt, de una ſpecie duo, maſculum & fœminam; & de alia ſpecie ſimiliter duo. Pauciora de his jubentur induci, quia ob unam tantùm cauſam ſervari debebant, nimirùm ad propagationem ſpeciei, non verò ad eſum neque ad ſacrificia. His non obſtat quòd *diſcretio* animalium mundorum ab immundis præſcripta demum fuit ſub Moyſe Levit. 11. Quamvis enim ita ſit; nihilominus etiam ſub lege naturæ quædam fuit animalium diſcretio, non quidem per aliquod præceptum Dei poſitivum hominibus datum, ſed partim ex interiori inſtinctu Dei, partim ex majorum traditione. Quomodo ante legem Moyſi obſervatum fuit Geneſ. 38. id quod Deut. 25. fuit poſtea ſancitum, ut frater fratri ſine liberis morienti ſuſcitaret ſemen. Munda ergo animalia cenſebantur ea, quæ ſancti prædeceſſores divinitùs illuminati idonea judicaverant ad ſacrificium de ipſis Deo offerendum: immunda verò quæ reputaverant non eſſe apta ut Deo offerrentur in ſacrificium. Hinc B. Thomas 1. 2. q. 103. art. 1. ad 4. *Diſtinctio mundorum animalium & immundorum non fuit ante legem quantum ad eſum, cùm dictum ſit* Gen. 9. *Omne quod movetur & vivit erit vobis in cibum: ſed ſolum quantum ad ſacrificiorum oblationem, quia de quibuſdam determinatis animalibus ſacrificia offerebantur.* Tum addit, *Si tamen quantum ad eſum, erat aliqua animalium diſcretio; hoc non erat, quia eſus illorum reputaretur illicitus, cùm nulla lege eſſet prohibitus: ſed propter abominationem, vel conſuetudinem, ſicut & nunc videmus, quod aliqua cibaria ſunt in aliquibus terris abominabilia, quæ in aliis comeduntur.*

Quæ ante legem animalia munda: quæ immunda.

Si quæras, quænam animalia ante legem Moſaicam reputata fuerint munda quantum ad oblationem ſacrificiorum.

Reſp. veriſimile eſſe, quòd omnia illa quæ per legem Moyſi decreta fuerunt eſſe munda tum quoad uſum ſacrificiorum, tum quoad eſum; quoniam omnia hujuſmodi animalia ſimpliciter ſunt munda: licèt enim in lege Moſaica neque præciperentur ſacrificia de feris animantibus, quia hæc difficilius haberi poterant; neque permitterentur, quia oportebat ſacrificiorum victimas eſſe omnino determinatas: probabile tamen eſt quòd ante legem latam poterat de feris illis ſacrificium offerri, quæ poſtea fuerunt declaratæ eſſe mundæ ad eſum, ſicut ſunt cervus, caprea, & alia hujuſmodi, quæ per legem poterant edi, etſi non offerri in ſacrificium.

[ ℣. 3. *Sed & de volatilibus cœli ſeptena & ſeptena*, ] hinc opinantur quidam non fuiſſe ante diluvium diſcrimen ullum volatilium mundorum ab immundis. Sed ejus oppoſitum eſt veriſimilius. Nam apud 70. ſic legitur, de volatilibus mundis ſeptem ſeptem, maſculum & fœminam; & ab omnibus volatilibus immundis duo duo &c. ut proinde illud de mundis & immundis volatilibus, quod tum in Hebræo tum in noſtro textu tacetur, relinquatur intelligendum ex verſu præcedenti; quemadmodum obſervavit Pererius l. 11. diſp. 4.

[ *Ut ſalvetur ſemen ſuper faciem univerſæ terræ.* ] Iſte eſt finis conſtructionis arcæ & introductionis animalium in eam, ut & humanæ & cunctarum aliarum ſpecierum ſeminarium ſupereſſet. Ex his Pererius, Marius

rius & alii colligunt Phœnicem qualis describi solet, non fuisse in arca Noè, quia animalia cujusvis speciei ingressa in arcam fuerunt cum compare, masculus nimirùm & fœmina; Phœnix autem dicitur non habere comparem. Imò volunt nullam ejusmodi avem extare, cùm & Plinius l.10. c.2. dubiè de illa loquatur, & nullus fide dignus asserat se aliquando eam vidisse. Neque oppositum convincit quòd veteres ejus meminerunt, & ad resurrectionis mysterium illustrandum ea utuntur, ac specialiter S. Ambros. tum in orat. de fide resurrectionis, tum l.5. hexameron cap.23. id enim faciunt, partim ex aliorum scriptis & relatione; partim ex suppositione quæ propter plurium narrationem communiter admitti solet à vulgo.

Si quæras, utrùm in arca fuerint vultures. Resp. fuisse. Quòd enim quidam volunt omnes illas esse fœminas & vento concipere, fabula potius quàm historia est. Unde Ambr. l. 5. hexamer. cap.20. dubitanter de ea loquitur, & ex opinione illorum qui eam admittunt, ratiocinatur. Vide Philosophum lib.6. de historia animal. cap.5.

[ ℣. 4. *Adhuc enim, & post dies septem.* ] Sensus est, ideo nunc jubeo te arcam ingredi, quia post septem ab hinc dies.

[ *Ego pluam* ] addit, ego; ad Emphasim; quasi diceret, non aliqua vi siderum, neque aliis causis naturalibus continget pluvia; sed sola mea voluntate ac potentia illam mittam, & ad hoc illis causis utar quas ipse eligam.

[ *Et delebo omnem substantiam quam feci, de superficie terræ.* ] Per substantiam intelligitur omne vivens ac subsistens, ab homine usque ad pecus inclusivè. Additur, de superficie terræ; ad excludendum aquatilia.

[ ℣. 5. *Fecit ergo Noè omnia quæ mandaverat ei Dominus.* ] Hic sicut & versu 22. cap.6. commendatur perfecta obedientia Noè, qui & eorum quæ jussa erant nihil prætermisit, & omnia eo modo fecit quo mandatum erat.

[ ℣. 8. *De animantibus quoque mundis & immundis &c.* ]

[ ℣. 9. *Duo & duo ingressa sunt ad Noè in arcam:* ] Hoc est, tam munda quàm immunda animalia ingressa sunt in arcam per paria, seu bina, masculus & fœmina. Confer quæ ad versum 15. notamus.

[ ℣. 10. *Cùm transissent septem dies,* ] ab ingressu Noè cum suis arcam. Vide misericordiam Dei: post tot annos, insuper adhuc concedit hebdomadam dierum, ut qui ad prædicationem Noè compuncti non fuerant, ejus saltem exemplo nunc compungerentur; dum viderent ipsum uti refugio, quod multis annis paraverat. Credibile est his septem diebus cuncta animalia ingressa fuisse in arcam: & Noè sua loca eis distribuisse. Hebræi putant eosdem dies fuisse dies luctus Mathusalem recens defuncti, atque in hoc honoratum à Deo propter suam justitiam.

[ ℣. 11. *Anno sexcentesimo vitæ Noè,* ] utrùm anno illo finito, an solùm cœpto & currente, dubitatur; Probabilius est, quòd solùm currente, tum quòd juxta consuetum morem loquendi id quod narratur factum anno vigesimo, vel trigesimo alicujus, intelligitur factum anno illo currente & nondum præterito: tum quòd diluvium duravit unum annum; cessavit autem anno sexcentesimo primo Noè, mense secundo, ut habetur cap.8. v. 13. & 14. tum quòd alioquin sequeretur Noè vixisse, nongentis quinquaginta uno annis quod est contra finem cap.9. scilicet sexcentis ante diluvium expletis, & uno quo diluvium duravit, & trecentis quinquaginta post diluvium. His conformiter, quando hujus cap. v.6. dicitur quòd Noè *erat sexcentorum annorum quando diluvii aquæ inundaverunt*, seu inundare cœperunt, intelligi debet de annis illis secundùm inchoationem, non verò quòd illos explevisset, perinde ac si diceretur: Noè agebat annum ætatis suæ sexcentesimum.

[ *Mense secundo,* ] anni mundi tunc currentis, qui mensis respondebat nostro partim Aprili, partim Majo, ut diximus 1.p.q.74. art.3. & vocatur ab Hebræis Zio, vel Ijar.

[ *Septimo decimo die mensis.* ] Apud 70. legitur dies vigesimus septimus: sed nostra lectio communis est aliorum interpretum, & respondet textui Hebræo.

[ *Rupti sunt omnes fontes* ] etsi diluvii causa non fuerit naturalis, sed supernaturalis & ex absoluta Dei potentia; tres tamen causas memorat scriptura quibus tamquam aptissimis mediis uti voluit.

Prima est quòd rupti sunt omnes fontes seu scaturigines.

[ *Abyssi magnæ,* ] Abyssus magna est profundissima & maxima illa vorago seu congeries aquarum subterranea, ad quas undequaque confluunt aquæ. Et quamvis variæ sint abyssi, unde quidam hic vertunt abyssi multæ, alii abyssorum multarum; omnes tamen censeri possunt una totalis vorago seu abyssus magna, propter occultos meatus quibus vel Oceano vel alteri aquarum vastissimæ congregationi junguntur. Dicuntur autem omnes fontes abyssi magnæ fuisse rupti; quoniam aquæ in maxima copia latentes in visceribus terræ partim prioribus meatibus multum dilatatis, partim novis factis, ipso quoque mari limites suos egrediente, maxima vi sursum eruperunt. Si quæras, quid repleverit loca subterranea istis aquis vacua: Resp. quòd aer.

Secunda causa est, quòd

[ *Cataractæ cœli apertæ sunt.* ] Cœli seu aeris qui frequenter cœlum vocatur, cataractæ, nubes densæ ac copiosæ intelligi possunt, quæ vapores & aquas intra se continebant: & dicuntur nunc fuisse apertæ, quia ex illis maxima vis aquarum in terram est effusa, ut non guttatim, sed fluviorum furentium more fluctus effundere viderentur. Non ergo oportet existimare aliquam in cœlestibus orbibus fuisse rupturam vel aperturam, sed sermo est de cœlo aereo quod usitata scripturæ phrasi dicitur aperiri, quando pluit; & claudi quando longo tempore non pluit. Isa. 24. Malach. 3. Luc.4.

Tertia causa fuit duratio tantæ pluviæ: Ut enim sequitur.

[ ℣. 12. *Et facta est pluvia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* ] Planè continuis, & sine ulla prorsus intermissione. Tantæ porrò tamque diuturnæ pluviæ materiam subministrabat vaporum qui jam ante in aere erant, & quotidie, tum ex mari, tum ex aere corrupto nascebantur, assidua multiplicatio, & in liquorem resolutio. Ideo autem ista dierum productione uti voluit Deus, cùm omnes uno momento perdere potuisset, ut qui vellent, adhuc haberent tempus pœnitendi; sicut & quosdam pœnituisse diximus cap.6. vers.12.

[ ℣. 13. *In articulo diei illius.* ] quis dies designetur, incertum est. Non improbabiliter intelligitur designari dies decimus septimus mensis secundi, in quo aquæ diluvii cœperunt cadere, & quando jam completus fuit ingressus animalium antea inceptus. Probabilius tamen est designari diem octavum ante diluvium; videtur enim significari quòd Noè cum suis eo ipso die ingressus fuerit; quo jussionem accepit. Pro, *in articulo* Hebr. habetur *in corpore diei illius*, hoc est, ut 70. verterunt, in hac die, sive ut Pagninus, in ipsomet die. Idemque valet istud, in articulo, ad significandum quòd nequaquam distulerit, sed illo ipso die arcam intraverit.

[ *Ingressus est Noè, & Sem, & Cham, & Japhet filii ejus: uxor illius, & tres uxores filiorum ejus cum eis in arcam:* ] Ex eo autem quòd dum sermo est de ingressu propter diluvium imminens, tam hoc quàm supra vers. 7. & cap.6. vers. 18. seorsim nominentur viri, & seorsim uxores, Patres rectè observarunt significatum esse quòd toto tempore diluvii continenter vixerint.

[ ℣. 14. *Ipsi & omne animal* ] hoc est, quædam de omni specie animalium, per animalia intelligendo feras & reptilia: de aliis quippe subjungitur.

[ *Universaque jumenta in genere suo,* ] id est, quædam de omni specie animalium domesticorum seu domitorum, homines juvantium.

[ *Et omne quod movetur super terram in genere suo,* ] hoc est, aliqua de omni genere quorumque viventium, quæ super terram moventur.

[ *Cunctumque volatile secundùm genus* ] seu secundùm speciem suam, Volatile est omne illud vivens, quod sursum elevatur motu proprio sive alis, sive pinnulis, aut membranis.

[ *Uni-*

[*Universa aves omnesque volucres*, ]volatilium sacer scriptor duo ponit genera. Unum avium, quæ utuntur alis penneis: Aliud volucrum, quæ utuntur membranulis seu alis membranceis, quales habet vespertilio. Paruerunt autem omnes bestiæ Noè, toto tempore diluvii, & sic ipse quoad hoc pervenit ad aliquod privilegium status innocentiæ.

[℣. 15. *Ingressa sunt in arcam, bina & bina ex omni carne, in qua erat spiritus vitæ.* ]Sensus est, ex omni genere animalis in quo erat spiritus vitalis, intraverunt arcam duo unius speciei, masculus & fœmina, & similiter duo cujusque alterius speciei. Neque his obstat quòd de mundis animalibus ingressa fuerint septem unius speciei, & septem alterius, Verum enim nihilominus est quòd de omni illorum specie intraverint masculus & fœmina, atque ita duo de una specie & duo de altera.

[℣. 16. *Et inclusit eum Dominus deforis.* ]Per aliquem Angelum Deus ostium arcæ clausit extrinsecus, ac verisimiliter bitumine linivit, ne aquæ per aliquas rimas ingredi possent, atque Noè cum suis intelligeret non sua prudentia, sed Dei virtute se ab aquis & naufragio conservari. Cum autem Noè intus existens ita ostium claudere non posset, hinc etiam videmus quòd ubi humanum subsidium non suppetit, adest divinum, Tanta est Dei erga suos bonitas.

[℣. 17. *Factumque est diluvium quadraginta diebus super terram:* ] Sermo est de diebus naturalibus: Ideo vitandæ ambiguitatis causa 70. dixerunt, & noctibus. Hoc autem quadraginta dierum naturalium tempore.

[ *Multiplicatæ sunt aquæ, & elevaverunt arcam in sublime à terra.* ] Quæ deinde licèt vasta, plurimisque animalibus onusta, ut sequitur.

[ ℣. 18. *Ferebatur super aquas*, ] Ex his intelligi potest quo modo 1. Petri 3. dicitur quòd *octo animæ salvæ factæ sunt per aquam*, in quantum scilicet octo isti homines erant in arca quàm aquæ sic in sublime elevaverunt & elevatam sustinuerunt; ut ipsi nihil mali paterentur neque à diluvio, neque à ruina ædificiorum vel arborum annosarum & procerarum.

[℣. 19. *Et aquæ prævaluerunt nimis.* ]Ita ut domos, & urbes everterent; arboresque eradicarent etiam altissimas,

[ *Opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cælo.* ] Tam sidereo quàm aereo: Unde patet contra scripturam loqui eos qui non omnes montes volunt fuisse aquis coopertos, eo quòd aliqui sint tam alti ut nubes ac tempestates superent, Nam scriptura omnes montes exprimit: & ne liberum esset de montibus minoribus eam interpretari, addit *montes excelsi*. Quæ autem scribuntur ab aliquibus de Olympo & Atlante quòd ad mediam aeris regionem pertingant, fabulæ sunt Poeticæ.

[ ℣. 20. *Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat.* ] Ut nec gigantes longissimi nec volucres, vel alia animalia possent in montibus salvari, sed omnia quæ extra arcam erant, interirent juxta comminationem cap.6. factam.

[℣. 23. *Remansit autem solus Noè & qui cum eo erant in arca.* ] Si quæras, quo modo cum hac sententia & cum aliis quæ tam isto quàm præced. cap. referuntur, consistat quòd Henoch non fuit in arca, & tamen diluvio superstes manserit,

Resp. consistere, quia scriptura in his capitibus solùm loquitur de hominibus qui vitam more & modo humano, seu hominibus usitato agebant inter homines, Henoch autem ex quo ab hominum consortio fuit sublatus, non more humano vivit, & propterea Moyses illum perinde ac si non esset in terra tacitum præterivit; quem tamen Deus vel in Paradiso vel alibi miraculosè conservavit.

[ ℣. 24. *Obtinueruntque aquæ terram centum quinquaginta diebus.* ] Primò inundandi terram campestrem, deinde montanam. Duraverat enim pluvia & cum ea incrementum aquarum diebus quadraginta; post quos cessavit quidem pluvia, aquæ tamen necdum cœperunt decrescere, sed terram obtinuerunt & obtexerunt in universum centum quinquaginta diebus.

Difficultas autem est unde hi dies centum quinquaginta computentur: Utrùm à fine quadraginta dierum, quando pluvia cœpit cessare; an ab initio quando cœpit diluvium, hoc est, à septimo decimo die mensis secundi, ita ut quadraginta dies pluviæ comprehendantur intra illos centum quinquaginta. Nobis videtur quòd ab initio diluvii: quia si computatio fieret ab eo tempore quo pluvia desiit; arca non requievisset mense septimo, ut habetur cap.8. sed demum mense octavo vigesima septima die mensis: Si enim à decima septima die mensis secundi, quando cœpit diluvium, computentur quadraginta dies, & postea adhuc centum quinquaginta, tot menses ac dies invenientur. Allegoricè arca significat Ecclesiam variis persecutionum fluctibus agitatam; ac nihilominus firmam ac stabilem permanentem. At pro moribus observandum quòd Noè in arca super aquas natante typus sit hominum etiam electorum in periculis & tribulationibus existentium, de quibus David Psal.68. intraverunt aquæ usque ad animam meam. Arca significare potest crucem Christi, sine cujus virtute non possent evadere. Nisi quia Dominus adjuvit me paulò minus habitasset in inferno anima mea, Psal 93. Ad crucem Christi nobis ita fabricandam ut totaliter nos illi committamus, annis multis opus est, & ab impiis deridemur. At postquam eo devenerimus, etsi mirabiles elationes maris superveniant, Deus mittit manum suam de alto & liberat nos de aquis multis. Qui verò ad crucem non confugiunt, miserè moriuntur.

## CAPUT VIII.

*Imminutis paulatim aquis diluvii, post corvi & columbæ emissionem, Noè cum universis quæ in arca erant, egreditur, & altare construit, in eoque offert holocausta.*

[℣. 1. Recordatus autem Deus Noè cunctorumque animantium, ]non propriè Deus recordatur, cùm ipse nullius possit oblivisci, sed impropriè, ad hominum videlicet similitudinem, qui dum amicos suos in afflictionibus relinquunt, neque ipsos è periculis eripiunt cùm possint, dicuntur eorum oblivisci: Contra verò illorum recordari, quando eis præbent auxilium & nituntur eripere de periculis & calamitatibus, quibus detinentur, Deus ergo videbatur quodammodo oblitus Noè, quando ipsum tanto tempore relinquebat clausum: At cum incipit ipsum liberare, ejus recordatus dicitur.

[ *Et omnium jumentorum.* ] Ex hac aliisque similibus scripturis docemur Deo curam esse de bestiis. Ac proinde cum Apostolus 1. ad Cor. 9. dicit, *Numquid de bobus cura est Deo?* non vult significare nullam esse Deo curam de bobus, sed non esse tantam de illis, quanta est de hominibus, secundùm ea quæ diximus 1. p. q.22. art.2. ad 5.

[*Adduxit spiritum*]id est, ventum, eumque vehementem & urentem, seu siccandi vim habentem. Solere Deum uti ministerio venti ad exsiccandum liquet ex cap. 14. Exod. v. 21. cap. 43. Eccles. v. 22. & 23. Ezech. 19. v. 12. Quoniam verò aquis tam altè terram tegentibus non potuit naturaliter esse tanta vis venti, ut tam brevi tempore illas tum exiccaret, tum absumeret: Ideo agnoscenda est virtus divina, naturali superaddita. Unde in Hebr. pro adduxit spiritum, legitur, *transire fecit ventum*, hoc est, vento quem adduxerat, dedit vim penetrandi totam aquarum congeriem ipsiusque terræ viscere. Ex hac virtute divina factum etiam est quòd mali humores ita consumerentur, ut nulla lues vel pestilentia ex diluvio orta fuerit.

[ *Et imminutæ sunt aquæ.* ]Quando hoc sit factum, exprimitur versu 3.

[ ℣. 2. *Et clausi sunt fontes abyssi & cataractæ cæli:* ] Quatenus scilicet erumpere desierunt. Observandum tamen quòd non omnes fontes seu scaturigines aquarum clausi fuerint, sed illi tantùm qui cùm prius essent clausi, ad solam impiorum vindictam se effuderunt: qui autem ad terræ irrigationem, & ad potum animalium desiderabantur, non fuerunt clausi, sed permissi sunt fluere. At cataractæ cœli omnes fuerunt clausæ, ut sudum ac serenum cœlum esset, in perpetuum quidem respectu diluvii universalis; respectu autem pluviæ naturalis & ordinariæ, ad tempus, quoadusque scilicet iterum plueret.

[Et

[ *Et prohibita sunt pluvia de cælo* . ] Jam ante post 40. dies cessasse pluvias diluvii, ex cap. 7. vers. 17. patet: At nunc, quando Deus misit ventum, quo exsiccarentur & imminuerentur aquæ, nimirùm post 150. dies, prohibitæ sunt omnes pluviæ, etiam illæ quæ naturaliter solent decidere, idque tam diu donec terra esset exiccata, scilicet à decimo septimo die mensis septimi in quo cepit aqua decrescere, ut minimum usque ad mensis secundi diem 27. anni sequentis quo arefacta est terra, ut dicitur versu 14. Sunt qui aquarum decrementum incæpisse volunt statim post 40. dies diluvii: sed eis obstat quod conferendo fin. cap. 7. cùm principio hujus octavi Deus demum significatur fuisse recordatus Noe & induxisse ventum per quem aquæ minuerentur, post 150. dies. Obstat etiam quòd textus clarè dicit aquas cepisse minui post 150. dies.

[ ℣. 3. *Reversaque sunt aqua de terra.* ] In Hebr. desuper terram; sive, quæ super terram erant. Reversæ sunt, id est, cœperunt reverti, & ad loca sua sive aperta sive subterranea refluere.

[ *Euntes & redeuntes.* ] Hoc est; fluctuantes, & huc illuc dilabentes, venti nimirùm vehementia agitatæ.

[ *Et cœperunt minui post centum quinquaginta dies.* ] Scilicet decima septima die mensis septimi. Unde apparet non esse dicendum quòd minui cœperint post quadraginta dies diluvii.

[ ℣. 4. *Requievitque arca mense septimo* , ] non diluvii, sed vel anni mundi tunc currentis, vel anni vitæ Noe, ut colligere est ex versibus 13. & 14. etsi non desint qui à diluvio computent.

[ *Vigesimo septimo die mensis,* ] in Hebræo legitur decimo septimo; & propterea quibusdam visum est textum nostrum esse corruptum: sed Hebræos potius codices fuisse post B. Hieronymi tempora corruptos, argumento est, partim quod & 70. interpretes, & Chrysostomus in Genesim, Ambrosius l. de Noe, Aug. l. 12. contra Faustum cap. 19. aliique veteres habent diem vigesimum septimum: partim quòd aquæ cœperunt decrescere decimo septimo die mensis septimi, non fit autem verisimile quòd cùm essent quindecim cubitis altiores quàm montes etiam altissimi, uno die sic decreverint, ut arca posset super illos montes requiescere: Nam sensim & lentè aquas decrevisse liquet ex versibus 5. 6. & seqq. Dicendum igitur est aquas post centum quinquaginta dies, hoc est, decimo septimo die mensis septimi ita cœpisse minui, ut decimo die post, id est, vigesimo septimo die ejusdem mensis, arca requieverit seu resederit.

[ *Super montes Armenia.* ] Non significatur quòd ab his montibus tota aqua jam recessisset, eorumque acumina apparerent; ( id enim decimo demum mense contigisse versus quintus clarè indicat ) sed quòd licèt montium cacumina necdum essent aquis denudata, sic tamen aquæ erant imminutæ; ut arca aliquot cubitis in aqua existens posset illis cacuminibus insidere. Cæterum utrùm essent plures montes ita vicini, ut arcæ fabrica quæ vasta erat, posset super illos requiescere, an verò numerus pluralis ( ut sæpè aliàs ) ponatur pro singulari, incertum est. Pro Armeniæ, in Hebr. & 70. legitur Ararat. alii aliter. Significantur autem montes illius regionis quæ ab Aram filio Sem, infra cap. 10. dicta putatur Armenia.

[ ℣. 5. *At verò aqua ibant & decrescebant.* ] Hoc est, magis magisque decrescebant.

[ *Usque ad decimum mensem:* ] Vel anni mundi, vel anni vitæ Noe tunc currentis. Non est existimandum quòd mense decimo fuerit omnino finitum decrementum aquarum; sed significatur quòd usque ad hunc mensem aquæ in tantum sint diminutæ, ut jam incœperit apparere arida, cùm ante illum etsi multis diebus aquæ decrevissent, nihilominùs adhuc operirent universam terram, etiam super montes altissimos.

[ *Decimo enim mense prima die mensis apparuerant cacumina montium* . ] Aquis scilicet denudata. Dicuntur apparuisse, non quòd Noe illa viderit, cùm ipse necdum aperuisset fenestram arcæ; sed, quia jam cœperunt aquis eminere, atque ita esse conspicabilia.

[ ℣. 6. *Cùmque transissent quadraginta dies* , ] A prima die mensis decimi, ac per consequens mensis undecimi die undecima vel duodecima.

[ *Aperiens Noe fenestram arca quam fecerat* , ] illam scilicet de qua cap. 6. vers. 16. 70. conformiter habent. Aperuit Noe fenestram arcæ quam fecerat. In quibusdam editionibus 70. legitur *ostium*; sed ostium pro fenestra sumitur, ut patet tum ex eo quòd Deus ostium arcæ clauserat deforis, ideoque non posset aperiri per Noe; tum ex eo quod S. Ambros. li. de Noe c. 17. modò ostium, modò fenestram nominat.

[ *Dimisit corvum:* ] Ut per eum exploraret, num terra esset aquis nudata & exiccata.

[ ℣. 7. *Qui egrediebatur , & non revertebatur* , ] Inventis nimirùm cadaveribus quæ aqua nondum consumpserat, insidens, iisque velut cibo congruo immorans.

[ *Donec siccarentur aqua super terram* . ] Non significatur quòd post exiccatas aquas sit reversus, sed tantùm quòd ante illarum exiccationem non redierit. Ejusmodi phrasis est Psalm. 109. *Sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* . Et Matth. 1. *Non cognoscebat eam donec peperit*, ut diximus 3. p. q. 28. art. 3. Hebræa quæ modo extant, absque negatione sic de corvo legunt, *exiit egrediendo & redeundo* . Quæ tamen lectio intelligi potest non repugnare editioni vulgatæ; quia non dicit quòd rediret ad Noe intra arcam ( id quod negat vulgata nostra editio ) sed significat quòd corvus ex arca emissus vago volatu modò avolaret, modò ad arcæ tectum vel cacumen advolaret, longius à fenestra quàm ut Noe posset eum apprehendere. Cæterùm, sitne ista Hebræorum lectio germana, meritò dubitaveris: Nam Hieron. in qq. Hebraicis satis declarat se in Hebræo legisse non revertebatur, quo modo etiam legitur apud 70. Ita namque ait illic Hieronymus: *Pro ostio* ( quòd in quibusdam editionibus 70. legi diximus v. 6. ) *fenestra scripta est in Hebrao. Et de corvo aliter dicitur: Emisit corvum , & egressus est , exiens , & non revertens, donec siccarentur aqua de terra*. Quibus conformiter in dialogo contra Luciferianos cap. 8. scribit: *emittitur itaque de arca corvus, & non rediit.*

[ ℣. 8. *Emisit quoque columbam post eum* , ] quidam existimant, quòd septimo vel octavo die ab emissione corvi, columbam emiserit, propterea quòd v. 10 legitur, Noe expectasse septem diebus aliis. At in oppositum facit quòd nulla septem dierum mentio præcesserit, ad quos illi alii septem dies vers. 10 expressi referantur; neque ulla sit urgens ratio ob quam corvo non redeunte, tot dies expectasse dicatur. Sed potius verisimile est quòd Noe videns corvum à se emissum non reverti, eodem vel sequenti die columbam emiserit *post eum*. In Hebræo, à se. Utrumque verum: Nam à se emisit, sed post corvum.

[ *Ut videret* ] Seu exploraret & cognosceret,

[ *Si jam cessassent aqua* , ] Hoc est, si omnino recessissent.

[ ℣. 9. *Qua cùm non invenisset , ubi requiesceret pes ejus,* ] quoniam etsi montium cacumina jam apparuerant aquis nudata, ac verisimiliter etiam in eis aliqua gigantum vel aliorum cadavera; omnia tamen adhuc erant lutulenta, & idcircò columbæ incommoda: quæ nec cadaveribus oblectatur, nec locis multum lutulentis, sicut corvus.

[ *Reversa est ad eum in arcam:* ] Corvum & columbam potius quàm alia animalia ideò Noe videtur emisisse, quòd corvus si sit cicuratus, non facilè obliviscatur suæ domus; columba quoque si sine indigentia fuerit enutrita, ordinariè redeat, nec facilè compatem deserat.

[ *Aqua enim erant super universam terram* : ] Planam seu campestrem. Quod ideò addimus; quoniam ex vers. 5. constat quòd deseruerant altos montes.

[ ℣. 10. *Expectatis autem ultra septem diebus aliis,* ] vox, *aliis*, non cadit super numerum, septem; de quo nihil præcessit, sed super dies, & relatio est ad dies

v. 6.

v. 6. expreſſos, q. d. expectatis diebus aliis, iiſque numero ſeptem.

[ *Rurſum dimiſit columbam ex arca*. ]

[ ℣. 11. *At illa*, ] cùm per diem paſta eſſet,

[ *Venit ad eum ad veſperam portans ramum olivæ virentibus foliis*. ] In Hebræo folium olivæ, quod ſynecdochicè pro parvo ramulo frondoſo poſitum eſt. 70. folium olivæ feſtucam, id eſt, frondoſam feſtucam ſeu ſurculum tenuiorem rami olivæ. Ex his datur intelligi quòd licèt diluvium pleraſque arbores ſtraverit, aliquas tamen ſive inter petras ſive aliter firmius radicatas non evulſerit. Quoniam verò folia oleæ per hiemem nec decidunt nec virorem amittunt teſte Plinio. l. 16. c. 20. ideò potuit anno integro ſub aquis ſervare ſuorum foliorum decus & virorem.

[ *Intellexit ergo Noë quòd ceſſaſſent aquæ ſuper terram*. ] Non eſt ſenſus quòd intellexerit ceſſaſſe pluvias; quia hoc jam ante noſſe potuerat, audiendo eas non ampliùs cadere. Non ſignificatur etiam quòd intellexerit aquas penitùs deſiiſſe eſſe ſuper terram; demum enim verſu 13. id innuitur: Sed ſenſus eſt quòd intellexit aquas ita decreviſſe, ut & terra appareret, & arbores paſſim eſſent diſcoopertæ. Nam columba attulit ramum virentem, cùm foliis ita ſiccis, ut facilè colligi poſſet eum non fuiſſe deceptum ſub aquis. At dices ſi ita eſt, quare igitur columba fuit reverſa in arcam, quandoquidem haberet ubi extra arcam requieſceret. Reſp. rationem eſſe partim quòd terra adhuc erat nimium mollis & lutea; partim quòd Deus ita voluit mittere ſymbolum pacis.

[ ℣. 12. *Expectavitque nihilominus ſeptem alios dies*: ] Ut majorem acciperet certificationem de exiccatione terræ.

[ *Et emiſit columbam*, ] tertia jam vice.

[ *Quæ non eſt reverſa ultra ad eum*. ] Propterea quòd inveniret terram ſatis ſiccam & ſolidam, ut in ea maneret & pabula colligeret.

[ ℣. 13. *Igitur ſexcenteſimo primo anno, primo menſe, prima die menſis imminutæ ſunt aquæ ſuper terram*. ] Ita ſcilicet quòd jam totaliter receſſerunt à terra ad habitandum deſtinata, quæ proinde iſto demum die fuit omninò aquis denudata.

[ *Et aperiens Noë tectum arcæ*, ] non totum, ſed ex parte, amotis nimirùm tot tabulis quot ad explorandum terræ ſtatum ſufficiebat. Si quæras quare non exploraverit per feneſtram. Reſp. quia feneſtra erat in latere arcæ, ſicque non potuiſſet ex ea undequaque proſpicere, ſicut ex aperto tecto. Sed quare antea non aperuit potius tectum quàm corvum & columbam emitteret. Reſp. quia non fuerat certificatus de ſtatu aquarum ſicut modò, ideoque non exiſtimavit tutum, facere aperturam in tecto quam non potuiſſet forinſecus claudere & clauſam bituminare, ſi neceſſitas ita poſtulaſſet.

[ *Viditque quòd exiccata eſſet ſuperficies terræ*. ] Non eſt tamen adhuc ex arca egreſſus; tum quòd terra nondum eſſet ſatis dura & ſolida pro hominum cæterorumque animalium habitatione: quamvis enim terræ ſuperficies ſeu cruſta ſuperior eſſet exiccata, ipſa tamen terra infra illam ſuperficiem non erat perfectè ſicca, ſed talis demum fuit quinquageſimo ſeptimo ab hinc die, nimirum vigeſimo ſeptimo die menſis ſecundi, ut ex verſ. ſeq. liquet: tum quòd expectanda erat Dei juſſio, ut juxta illam egrederetur ſicut ſecundùm eam fuerat ingreſſus.

[ ℣. 14. *Menſe ſecundo, ſeptimo & vigeſimo die menſis areſacta eſt terra*. ] Hoc eſt, perfectè exiccata, ſatiſque indurata ad habitandum & operandum in ea.

[ ℣. 15. *Locutus eſt autem Deus* ] hoc ipſo die vigeſimo ſeptimo menſis ſecundi.

[ *Ad Noë dicens*: ]

[ ℣. 16. *Egredere de arca*. ] Cùm dubium eſſe non poſſit; quin Noë ſicut ei juſſum eſt; egreſſus fuerit, dicendum eſt, ſi Moyſes loquatur de annis ſolaribus qui conſtant 365. diebus, quod ab initio diluvii uſque ad egreſſum ex arca, fuerit annus unus, ac inſuper dies decem. Cœpit enim diluvium anno ſexcenteſimo vitæ Noë, menſe ſecundo; 17. die menſis, ut dicitur cap. 7. Noë autem egreſſus eſt de arca anno ſexcenteſimo primo, menſe 2. 27. die menſis. Si autem loquatur de annis lunaribus qui conſtabant diebus 354. ſicque undecim diebus minores erant, quàm anni ſolares; ab initio diluvii uſque ad egreſſum de arca fuit unus annus lunaris & dies decem vel undecim, hoc eſt unus integer annus *ſolaris*, ita ut eodem die contigerit egreſſus, quo initium diluvii anno evoluto. Et hunc poſteriorem modum ſequuntur Chartuſianus, Abulenſis, Pererius, Marzilla, Tyrinus, & alii, eò quòd Judæi communiter uterentur annis lunaribus.

[ *Tu & uxor tua, filii tui & uxores filiorum tuorum tecum*: ] Nominantur nunc, ubi de egreſſu ſermo eſt, non ſeorſim viri & ſeorſim mulieres; ſed quiſque vir cum ſua uxore, ad ſignificandum quòd cum egreſſi fuerint, vacandum erit generationi, quemadmodum videri poteſt apud Ambroſ. l. de Noë cap. 21.

[ ℣. 17. *Cuncta animantia quæ ſunt apud te &c. educ tecum*. ] Quid opus hoc præcepto? an non ſponte fuiſſent egreſſa? Certum eſt quòd ſic, maximè quando defeciſſent omnia pabula. Sed oportebat oſtendi egreſſum omnium non minùs ex Dei mandato pendere quàm ingreſſum: & divinæ quoque eſſe potentiæ, quòd omnia animalia obedirent Noë etiam in egreſſu.

[ *Creſcite & multiplicamini ſuper terram*: ] Hæc verba ſignificant futurum jam tempus amplexandi, & per ea dedit Deus tam hominibus quàm beſtiis benedictionem ſeu virtutis ſeminalis ac per conſequens fœcunditatis augmentum.

Pro allegoria obſervandum quòd poſt Chriſti Domini paſſionem, quæ per diluvium ſignificatur, Deus Spiritum ſanctum viſibiliter miſerit, qui paulatim exiccat aquas tribulationum & concupiſcentiæ; quòdque arca primò requievit ſuper montes, quoniam Eccleſia poſt miſſionem Spiritus ſancti principaliter ſubſtitit in Apoſtolis. Corvus qui emiſſus non rediit, figura eſt hæreticorum, qui carnalibus intenti ad Eccleſiam non redeunt. Trina emiſſio columbæ ſignificare poteſt triplicem gratiæ Spiritus ſancti dationem. Una eſt quæ per baptiſmum intratur in Eccleſiam; ſecunda quæ datur in aliis Sacramentis; tertia eſt beatitudo, poſt quam non reditur ad labores Eccleſiæ, ſicut nec columba in arcam rediit.

[ ℣. 18. *Egreſſus eſt ergo Noë & filii ejus; uxor illius & uxores filiorum ejus cum eo*. ] Ex his colligi poteſt quòd etſi paulò ante fuerit ſignificatum inſtare jam tempus amplexandi, abſtinuerint tamen uſque dum eſſent egreſſi de arca. Ideò nunquam ſignificantur ſeorſim egreſſi viri, & ſeorſim uxores.

[ ℣. 19. *Sed & omnia animantia*, ] hoc eſt, aves & quadrupedia hominum ſervitio non deſtinata.

[ *Jumenta*, ] ſeu animalia quæ ad hominem juvandum ſerviunt.

[ *Et reptilia quæ reptant ſuper terram*. ] Illud, *ſuper terram*, ad diſtinctionem eorum ponitur quæ in aquis repunt, id eſt, piſcium: Nam hos in arca non fuiſſe ſupra dictum eſt.

[ *Secundùm genus ſuum, egreſſa ſunt de arca*, ] Genus pro ſpecie ponitur, & ſignificatur quòd quæ erant de una ſpecie, ſimul exierunt, & quæ de alia, ſimiliter.

Quæri poteſt quo modo animalia præſertim noxia quæ nemo facilè ſecum tranſvehit, in inſulas ac terras mari ſeparatas devenerint. Reſp. quòd partim natando, partim per hominum induſtriam, qui vel lucri vel novitatis, aut magnificentiæ, aut alterius rei cauſa, in caveis & navibus illa aſportarunt.

[ ℣. 20. *Ædificavit autem Noë* ] ſtatim atque eſt de arca egreſſus.

[ *Altare Domino*: ] Sicut enim Deus arcam fieri juſſerat homini in qua ſalvaretur homo, ita dignum erat ut homo altare Deo faceret, in quo ſalvator hominis ab homine adoraretur. Prima hæc eſt altaris mentio, etſi non dubium ſit Abelem qui c. 4. ſacrificaſſe legitur, aliquod altare erexiſſe ſuper quod ſacrificaret.

[ *Et tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis*, ] ſeptimum videlicet quod erat ſine compare, idemque maſculum.

[Obtu-

[ *Obtulit holocauſta ſuper altare.* ] Holocauſtum idem valet quod totum incenſum, & eſt præcipuum genus ſacrificiorum. Non juſſit Deus peculiari aliquo præcepto ut Noe ſibi ſacrificium offerret, neque juſſionem talem ipſe expectavit; tum ne Deus videretur tamquam avarus Dominus mercedem gratiæ poſtulare; tum quia fide, imò & natura duce, ac etiam traditione à majoribus accepta Noe ſciebat offerendum eſſe Deo ſacrificium; tum denique quia is qui magnum beneficium accepit, non debet differre gratiarum actionem donec benefactor jubeat; ſed grati animi eſt, gratiam mox referre. Qui enim debitum gratiæ ut à ſe exigatur, expectat ingratus eſt, ait S. Ambr. lib. de Noe cap. 22.

[ ℣. 21. *Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis.* ] Seu bonæ fragrantiæ. Eſt antropopatos, figura ſcilicet illa per quam humana aliqua paſſio tribuitur Deo. Et ſenſus eſt, Deo grata fuerunt illa holocauſta ſicut grata eſſe ſolent homini illa quæ bonum ac ſuavem odorem emittunt. Pro, *odorem ſuavitatis*, in Hebræo eſt, *odorem quietis*, quo ſignificatur iſta ſacrificia ſic Deo placuiſſe, ut ipſum antea generi humano iratum quietaverint ſeu placatum reddiderint, propter offerentis ſcilicet devotionem.

[ *Et ait:* ] Quidam ſubjiciunt *ad eum*. In Hebræo legitur, ad cor ſuum, quo ſignificatur Deus in corde ſuo, ſeu maturo firmoque conſilio ſtatuiſſe ac dixiſſe; niſi fortè *ſuum* pro *ejus* dictum ſit, quo modo ſenſus eſſe poteſt, quòd Deus locutus ſit ad cor Noe, id eſt, quòd ſit eum conſolatus & dixerit ea quæ cordi ejus grata erant. Obſervandum tamen biblia Romanæ correctionis nihil iſtorum habere, ſed hoc ſolùm.

[ *Et ait: nequaquam ultra maledicam terræ propter homines.* ] Id eſt, non ampliùs malefaciam toti terræ, nec eam univerſali diluvio deinceps perdam, propter peccata hominum, ſed mitius cum eis agam.

[ *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua:* ] Videantur, quæ de hujuſmodi phraſi diximus cap. 6. ad verſ. 5. *Senſus* pro appetitu ſenſitivo ponitur. *Cogitatio* humani cordis ſignificat machinationes, adinventiones, & conſilia quæ homines ſibi fingunt ac formant. Quæ dicuntur prona eſſe in malum ab adoleſcentia, ſeu ab eo tempore quo uſum rationis habere incipit homo; quia ex tunc in malum tendunt, non quidem ex naturæ qualis à Deo facta fuit, conditione; ſed ex ejus quæ per peccatum contracta eſt, corruptione. Continet igitur hæc ſententia rationem præcedentis, perinde ac ſi Deus diceret: Quia homines ſunt infirmi, debiles, & in peccata proni, miſericordius deinceps cum illis agam, neque propter illorum peccata, generaliter ipſos diſperdam, ſed mitiorem pœnam eis inferam, infirmitatis eorum miſertus ac volens humani generis propagationem; quæ retardaretur, vel etiam impediretur, ſi quoties peccata hominum merentur, vellem eos univerſali diluvio conſumere.

[ *Non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, ſicut feci.* ] Omnem, collectivè accipitur; & ſenſus eſt; Non occidam omnes homines & omnia animalia, ſicut jam factum fuit in diluvio; quoaduſque nimirùm veniat mundi conſummatio, quando non propter hominum peccata, ſed propter mundi renovationem omnes morientur, & quæ in terra ſunt omnia conſumentur.

[ ℣. 22. *Cunctis diebus terræ,* ] non quibus terra ſtabit; terra enim in æternum ſtat, Eccleſiaſtæ 1. ſed quibus terra ſerviet hominum aliorumque animalium generationi & corruptioni.

[ *Sementis & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hyems, nox & dies non requieſcent.* ] Id eſt, non deſinent ſibi mutuò ſuccedere, q. d. non erit amplius talis annus qualis fuit is qui jam præteriit, carens viciſſitudine opportunitatis ad ſerendum & metendum, & in quo propter abundantiam pluviarum partim decidentium partim terram operientium nullus fuit æſtus, nulla æſtas, & omnia nocti potius quàm diei ſimilia; ſed erunt opportunæ viciſſitudines ſerendi & metendi, frigoris & æſtus, æſtatis & hyemis, noctis & diei. Prima combinatio dividit annum ſecundùm labores agrarios, qui maximè pertinent ad vitam ſuſtentandam. Secunda eumdem partitur ſecundùm eas qualitates primas quæ ſunt primariæ, & tam ſenſu quàm effectu notabiliores, quarum etiam operationes ad mixtorum generationem ſunt præcipuæ. Tertia annum quoque dividit, ſecundùm partes ejus potiſſimas, eaſque extremas & planè oppoſitas. Quarta dividit diem naturalem in noctem & diem qui vocari ſolet artificialis.

## CAPUT IX.

*Benedicit Deus Noe, ejuſque filiis. Cuncta animantia unà cum piſcibus conceduntur in eſcam, prohibito tamen eſu ſanguinis. Homicidium ſeverè prohibetur; Deus cum homine init pactum de non inducendo ulterius generali diluvio, & pacti illius ſignum ſtatuit arcum cœleſtem: Noe inebriatur, nudatur, à Cham ridetur, ab aliis filiis tegitur; Cham maledicitur in Chanaan, Sem & Japhet benedicuntur.*

[ ℣. 1. B*Enedixitque Deus Noe & filiis ejus.* ] Tribuens ipſis bona ſimilia iis quæ primis parentibus contulerat Gen. 1. fœcunditatem videlicet ad celerem, ac multiplicem generis humani propagationem, & quamdam excellentiam imperii ſuper beſtias, necnon abundantiam ciborum ad vitam ſuſtentandam.

[ *Et dixit ad eos: creſcite & multiplicamini,* ] quæ verba non ſunt præcipientis, ſed conferentis jam dictam fœcunditatem, ac etiam poteſtatem generandi.

[ *Et replete terram.* ] Veſtra poſteritate, ita ut inhabitatio hominum ſuper terram ſit multùm populoſa.

[ ℣. 2. *Et terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cæli, cùm univerſis quæ moventur ſuper terram.* ] Quaſi diceret, omnia animalia terræ quadrupedia, ſive fera ſive manſueta, & omnes volucres cœli, etiam crudeliſſimæ, omniaque alia quæ ſuper terram moventur, ſive repando, ſive quocumque alio modo, vos metuent, ipſis inſtinctum quemdam dabo quo hominem velut dominum ſuum formident ac revereantur. Quod & fieri docet experientia. Omnia enim animalia etiam fera ſua natura relicta pavent ad hominis aſpectum, neque ipſum invadunt, niſi vel laceſſita, vel fame compulſa, vel metu aut aliqua alia perturbatione concitata, vel peculiari inſtinctu divino acta, ſicut motus fuit Leo 3. Reg. 13. ad occidendum prophetam inobedientem, & urſi ad lacerandos quadraginta duos pueros 4. Reg. 2. & piſcis ad devorandum Jonam Jonæ 2.

Neque his obſtat quod Prov. 30. legimus de leone, *Ad nullius pavebit occurſum*: Vel enim ſermo eſt de leone concitato; vel ſignificatur quòd ad nullius beſtiæ occurſum pavebit; præcedit enim, *Leo fortiſſimus beſtiarum*. Obſervandum autem non hic eſſe dictum ſicut cap. 1. *dominamini*; quia licèt poſt peccatum manſerit homini dominium ſuper beſtias, non tamen eſt tam plenum & perfectum quoad uſum, ſicut erat ante peccatum: tunc enim omnia ipſi obediebant ad nutum, nunc autem ſæpè rebellant. Vide quæ diximus cap. 1. & 2. 2. qu. 66. art. 1. quæſito 7. concl. 2.

[ *Omnes piſces maris manui* ] ſeu poteſtati.

[ *Veſtræ traditi ſunt.* ] Ut ad libitum iis uti poſſitis; modò tamen abſit fraus & omnis injuſtitia, intemperantia, & alii abuſus.

[ ℣. 3. *Et omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum:* ] Illud omne, commodam habet acceptionem pro omni eo quod eſui aptum eſt, & humanæ complexioni conveniens, ne quis putet vel oportere vel licere veſci animalibus venenatis, niſi pro quanto ex illis fieri poteſt medicina. Non ſunt autem illa verba præcipientis, ſed concedentis: q. d. permitto ut de omni eo quod vivit, ſi naturæ & eſui veſtro conveniat, veſci poſſitis: Et in hac permiſſione, quemadmodum in aliis ſimilibus, intelligendæ ſunt circumſtantiæ loci, modi, temporis, & diſcretionis. Clarum enim eſt non licere veſci carni-

bus vel

bus vel cum evidenti fratris scandalo, vel contra necessarium medici præscriptum; vel cum certo vitæ aut sanitatis periculo. Simili autem ratione iis vesci non licet contra Ecclesiæ præceptum vel votum proprium. Unde patet nec eos Religiosos qui semper, nec alios fideles qui certis temporibus abesu carnium abstinent; neque Ecclesiam quæ statis diebus eam abstinentiam jubet, ullo modo peccare contra hanc scripturam.

[ *Quasi olera virentia tradidi* ] seu trado

[ *Vobis omnia.* ] id est, tam liberè potestis comedere pisces & reliqua animalia, sicut olera. Ex quibus refellitur error Manichæorum qui dicebant non licere occidere ulla animalia. Utrùm porrò ante diluvium esus carnium fuerit in usu, ex dictis 2. 2. q. 64. art. 1. petendum relinquimus. Non passim & communiter in usu omnium fuisse, sed religiosiores eo abstinuisse propterea quòd non extaret aperta Dei declaratio, verius est. Confer quæ notavimus cap. 1. ad vers. 29. Hìc autem declarat esum carnium esse licitum, idque partim propter hominum infirmitatem ex peccato causatam cui conveniens erat & provideri & clarè significari esse provisum de cibo solidiore; partim propter plantarum vim debilitatam, & terræ fœcunditatem diluvio imminutam.

[ ℣. 4. *Excepto, quòd carnem cum sanguine non comedetis.* ] Hebr. carnem in anima sua, in sanguine suo non comedetis: hoc est, non comedetis carnem cum anima seu vita sua. Et quia carnis, id est, animalis anima sive vita, est sanguis, in quantum scilicet in sanguine consistit, perinde est ac si diceretur. Non comedetis carnem cùm sanguine: ut propterea hæc duo, in anima sua, in sanguine suo quæ textus Hebræus exprimit, unum idemque valeant, sicut noster interpres benè advertit, ideòque non illa duo reddidit, sed utrum. Dicitur autem anima carnis esse in sanguine, quia vita animalis causatur, sustentatur, & declaratur per sanguinem, cùm ipse sit necessaria dispositio ut anima corpus informet, alimentumque proximum quo anima in corpore fovetur ac conservatur. Conferatur cap. 17. Levit. ejusque interpretes.

Si quæras, num hoc præceptum fuisset transgressus, qui sanguinem comedisset, at non simul cum carne sed purum ac solum: Omnino est affirmandum; quia hujus præcepti, *Carnem cum sanguine non comedetis*, sensus est: Nolo quòd non contenti esu carnis quem vobis concedo, etiam sanguinem velitis comedere. Quoniam ergo sanguis animalis interdum est adhuc in ipso animali, sive illud sit vivum, sive suffocatum aut morticinum; interdum est ab animali separatus, sicut quando est ex illo vel ante vel post ejus mortem effusus; duplex intelligi potest modus comedendi sanguinem: Unus, quando sanguis est in animali: alter, quando est ab animali separatus, sive sit in escam coagulatus, quomodo nunc comeditur in farciminibus & lucanicis; sive liquidus & potabilis. Et utrumque illum modum hic prohiberi verisimile est, ob eamdem rationem. Est porrò hoc præceptum, non naturale, sed positivum. Cujus ratio fuit, tum ut alicujus præcepti observatione Deus post diluvium experiretur hominum obedientiam; tum ut homines deterreret à crudelitate, eosque maximè alienos faceret ab effusione sanguinis humani. Quod præceptum Israelitis postea renovatum fuit Levit. 3. & 17. Ac rursum per Apostolos Act. 15. quoad Gentiles Judæis mixtos vel vicinos, & pro eo tempore quo ejus observatio erat necessaria ut suavius coadunarentur Judæi & Gentiles in unam Ecclesiam: nunc verò dudum est exoletum tam Judæorum quàm Gentilium respectu.

[ ℣. 5. *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum:* ] Quo modo hæc sententia cum præcedentibus cohæreat, non satis convenit. Sunt qui voculam enim impropriè accipiunt pro adversativa, Verumtamen, aut simili, quemadmodum videre est apud Oleastrum, Pagninum, Ariam montanum, Robertum Stephanum; hoc sensu, dum comesturi estis carnes bestiarum, volo quidem ut sanguinem earum effundatis; verumtamen videte ne vobis licitum existimetur etiam hominum sanguinem fundere & homines occidere: adeò enim detestor homicidium ut ipsas quoque bestias si hominem occiderint, velim puniri & occidi. Potest nihilominus retenta propria significatione voculæ rationalis, *enim*, esse sensus; ideo vobis inhibeo bestiarum sanguine vesci, ne illum comedendo vel bibendo, paulatim in beluinam feritatem degeneretis, & humanum quoque sanguinem sitiatis, qui adeò mihi est pretiosus ut eum etiam à bestiis requisiturus sim si fortè hominem aliquem occiderint: & hoc, non quia bestiæ peccent, si hominem aliquem occidant; sed partim quia etiam illæ debent hominem revereri, partim ut ostendam quantum mihi displiceat hominis occisio, quæ fit absque legitima authoritate. Sanguinem animarum vestrarum dicit pro sanguinem vestrum. Requirere sanguinem de manu occisoris est punire occisorem. Unde huic prædictioni conformiter, Exod. 21. statutum legimus. *Si bos cornu percusserit virum aut mulierem, & mortuus fuerit, lapidibus obruetur*, &c. legibus quoque civilibus cautum est, ut si bestia hominem occiderit, ipsa in facinoris detestationem occidatur.

[ *Et de manu hominis, de manu viri & fratris ejus requiram animam hominis.* ] Ubi tria dicit, quæ meritò deberent omnes ab homicidio avertere. Primò namque vocat hominem, quem nomen & natura, humanitatis memorem esse jubet, atque ita non occidere alium, sed defendere potius & juvare. Secundò virum vocat, quem iræ dominari decet, non autem robore abuti. Tertiò dicit fratrem, quem proinde ut arctissimo vinculo junctum amare oporteat, non interficere. Sensus est, requiram sanguinem hominis occisi de manu cujuslibet occidentis; sive, puniam quemlibet homicidam quisquis ille fuerit.

Hinc concludunt Anabaptistæ nemini, ne magistratui quidem, licere quempiam quantumvis criminosum morte damnare. At perperam: significat enim hoc loco Deus se pœnas exacturum ab eo qui privata sua authoritate atque adeò indebitè hominem occiderit, non ab eo qui vel homicidam vel alium Reipublicæ noxium interfecerit, authoritate legitima munitus, de quo videantur Exod. cap. 21. Levit. 24. Deut. 13. 17. 21. Unde & hic sequitur.

[ ℣. 6. *Quicumque effuderit humanam sanguinem:* ] Sive, qui hominem quempiam sine publica authoritate occiderit.

[ *Fundetur sanguis illius:* ] Dignus est ut fundatur & volo ut per judices ita fiat. In Hebr. sic legitur, qui effuderit sanguinem hominis in homine seu qui est in homine; fundetur sanguis illius. Alii tamen sic ex Hebr. vertunt & distinguunt: Qui effuderit sanguinem; in homine seu per hominem, id est, per judicem fundetur ejus sanguis. Quæ omnia cum nostra versione benè conveniunt, sicuti & quod 70. reddiderunt, *pro sanguine hominis, ejus effundetur.*

[ *Ad imaginem quippe Dei factus est homo.* [ Continet hæc verba rationem quare ab iniqua hominis occisione oporteat abstinere. Quasi diceretur, Si vos non movet communitas ejusdem naturæ, ut ab effusione mutui sanguinis abstineatis, moveat saltem humanæ naturæ dignitas, moveat etiam quòd innocentem occidendo, Deo quodammodo estis injurii: Nam homo imago Dei est. Confer quæ diximus 2. 2. q. 64. art. 2.

[ ℣. 7. *Vos autem crescite & multiplicamini.* ] Videtis me hac prohibitione homicidii velle consulere conservationi & propagationi generis humani; illi (præsertim in hoc renovandi mundi tempore & in ista hominum paucitate) incumbite, & ita crescite ac multiplicamini, ut quàm citissimè possitis quaqua versum terram ingredi, eamque occupare & replere.

[ *Hæc quoque dixit Deus ad Noë & ad filios ejus cum eo.* Assecurat eos de universali diluvio deinceps non inducendo: quod quidem paulò ante verbis promiserat sub fin. c. 8. at nunc etiam signo sensibili promittit & confirmat.

[ ℣. 9. *Ecce ego statuam,* ] seu statuo: licèt enim verbum istud sonet in futurum, juxta sensum tamen habet vim præsentis: Nam hæc dicendo actualiter pactum eum eis inibat. In Hebr. est participium, ecce ego statuens.

[ *Pa-*

[ *Pactum meum*, ] in Hebr. eſt Berith, quod extenditur ad quæcumque fœdera vel promiſſiones, etjam ſpontaneas & non mutuas: cujuſmodi eſt hoc fœdus, quod conſiſtit in mera Dei promiſſione, & non in contractu quo ad certas fœderis conditiones utraque pars alteri ſe obligat.

[ ℣. 10. *Et ad omnem animam viventem*, ] In Hebr. ſonat, cum omni anima vivente; ſeu cum omni animali irrationali, non quòd propriè poſſit iniri pactum aut fœdus cum beſtiis, ſed quia tunc dicitur cum illis fœdus iniri, quando pro ipſis ſeu in earum utilitatem aliquid promittitur.

℣. 11. *Et nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii*, ] hoc eſt quòd Deus promittit Noe ac poſteris ejus, non futurum unquam diluvium univerſale, quo omne animal vivens interficiatur; ſed conſervandos deinceps eſſe homines ac etiam beſtias ne generali diluvio intereant, ſicut jam interierunt. Hujus etiam pacti mentio eſt Iſai. 54. ubi Deus ita loquitur: *Sicut in diebus Noe iſtud mihi eſt, cui juravi ne inducerem aquas Noe ultra ſupra terram*, &c. Neque his obſtat quòd diluvia quædam etiam magna contigerint de quibus Auguſt. lib. 18. de civitat. cap. 8. & Iſidorus lib. 13. originum cap. 22. nulla enim fuerunt neque futura ſunt univerſalia. Unde ſequitur.

[ *Neque erit deinceps diluvium* ] ( ſcilicet univerſale. )

[ *Diſſipans terram*. ] Nimirùm univerſam. Tunc terra dicitur diſſipari, quando omnia quæ in ea ſunt deſtruuntur, quemadmodum in diluvio Noe accidit.

[ ℣. 12. *Hoc eſt ſignum fœderis quod do inter me & vos &c. in generationes ſempiternas*. ] Hoc eſt, uſque ad finem mundi ſeu hujus ſæculi. Vocantur generationes ſempiternæ, non quòd abſolutè ſint ſemper duraturæ, ſed quia ſemper durabunt quamdiu durabit hoc ſæculum.

[ ℣. 13. *Arcum meum ponam in nubibus & erit ſignum fœderis inter me & inter terram*. ] In Hebr. *Arcum meum dedi*, pro dare decrevi. *Inter terram*, hoc eſt, inter terræ incolas. Arcus ille eſt Iris, quæ vocatur arcus, quia eſt ſemicirculus, & habet figuram arcus. Eam Deus vocat arcum ſuum. Primò, propter eximiam ipſius pulchritudinem. *Valde enim ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo*, ſicut dicitur Eccleſ. 43. quæ autem magnam excellentiam præ ſe ferunt, dicuntur eſſe Dei; unde montes Dei, id eſt, altiſſimi, Pſalm. 35. cedri Dei Pſal. 79. exercitus Dei, id eſt, maximus 1. Paralip. 12. Secundò, quia Deus Iridem aſſumit in peculiare ſignum fœderis de diluvio nunquam futuro.

Si quæras, utrùm arcus cœleſtis ſeu Iris non apparuerit ante diluvium. Reſp. prorſus eſſe veriſimile quòd apparuerit, cùm ſit effectus naturalis & ex cauſis naturalibus proveniat: ſed tunc non fuit ſignum hujus fœderis quale ſignum jam ſtatuitur. Unde fit conſequens quòd non ſit hujus fœderis ſignum naturale, ſed ex divino inſtituto, ſicut ſi lapis qui jacet in agris & nihil ſignificat, ex hominum poſtea voluntate aſſumeretur ut eſſet ſignum ex humano inſtituto diſtinctivum unius hæreditatis ab altera.

Si præterea quæras, quare Deus ſignum diluvii non futuri voluerit dare in nubibus. Reſp rationem eſſe, quia diluvium Noe magna ex parte provenit ex nubibus. Deus ergo voluit metum diſcutere, unde generatio diluvii poterat timeri.

[ ℣. 14. *Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus*: ] Quod non ita eſt accipiendum quaſi arcus ille ſemper ſit appariturus, quotieſcumque cœlum erit nubiloſum, ſed quòd aliquando, tunc nimirùm quando erunt nubes roridæ quæ recipiunt radios ſolis.

[ ℣. 15. *Et recordabor fœderis mei vobiſcum*, ] Hoc eſt, declarabo me eſſe memorem fœderis quod vobiſcum pepigi, promittens non inducere deinceps aquas diluvii, faciamque id quod homines, qui dicuntur recordari amicorum, facere ſolent, hoc eſt, vobiſcum clementer agam.

[ *Et cum omni anima vivente quæ carnem vegetat*: ] Id eſt, cum omni animali.

[ ℣. 16. *Et recordabor fœderis ſempiterni* ] Illud fœdus dicitur ſempiternum, quia eſt pro toto illo tempore quo mortales futuri ſunt ſuper terram. Unde obſervanda Dei bonitas qui tempus quidem ſupplicii facit in hoc ſæculo breve, tempus autem miſerationis perpetuum, juxta illud Iſai. 54. *In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui*. Ad ſenſum myſticum quod attinet, B. Gregor. homil. 8. ſuper Ezech. oſtendit Iridem in qua color aquæ & ignis apparet, habere ſignificationem duorum judiciorum, unius per aquam facti, nec amplius futuri; & alterius aliquando per ignem futuri. Intelligi etiam poteſt ſignificare baptiſmum qui datur per aquam & ignem, id eſt, Spiritum ſanctum. Sed eſt inſuper ſymbolum divinæ miſericordiæ, cùm ſit arcus ſine ſagitta, & ſuis coloribus hominem recreet, fueritque ſignum fœderis Dei ad hominem. Accedit quòd ſicut Iris imbrem mittit; ita divina miſericordia gratiam nobis largitur. Et quemadmodum Iris in noſtro tantùm hemiſphærio apparet, ſic Dei miſericordia in hoc tantùm ſæculo expectanda eſt à peccatoribus. Huc pertinet illud Apoc. 4. *Iris erat in circuitu ſedis*. Præterea poteſt per Iridem ſignificari Chriſtus qui habet duas extremitates, id eſt, duas naturas, & inſtar arcus fuit extenſus in cruce, habens colorem rubeum ſanguinis in paſſione fuſi, & aquam quæ de latere fluxit: ſed & in Pentecoſte miſit imbrem gratiæ.

[ ℣. 17. *Hoc erit ſignum fœderis quod conſtitui inter me & omnem carnem ſuper terram*. ] Quaſi diceret: iſte arcus qui apparebit in nubibus, erit ſignum fœderis quod inter me & omne animal hic in terra vivens, poſui de generali diluvio non amplius inducendo. Carnem nominat, tam hic quàm in præcedentibus, ad diſtinctionem eorum animatorum quæ carnem non habent, cujuſmodi ſunt arbores & plantæ; quia fœdus prædictum non ita concernit iſta animata, ſicut animalia quæ in terra degunt, cùm hæc per diluvium deſtituantur & intereant, non ſimiliter illa.

[ ℣. 18. *Erant ergo filii Noe qui egreſſi ſunt de arca, Sem, Cham, & Japhet*: ] Hæc dicuntur per recapitulationem, ad declarandam hiſtoriam de inebriatione Noe.

Quoniam verò iſti tres non ſimpliciter dicuntur filii Noe; ſed cum additio, *qui egreſſi ſunt de arca*; quidam eo additamento inſinuatum volunt Noe habuiſſe alios filios qui de arca non fuerunt egreſſi, ſed poſt illum egreſſum nati. Quod etiam confirmant ex illis verbis, *Creſcite & multiplicamini*, quæ in tanto humani generis defectu non debent accipi ut ſolùm contineant benedictionem, ſed etiam ut præceptum, idque non minùs ad Noe directum, quam ad ejus filios. Inter hos porrò filios Noe, quos dicunt poſt diluvium genitos, unum vocant Tuiſconem à quo Germani & Teutones deſcendant. Verùm hæc neque ſatis conſentanea ſunt iis quæ in hoc cap. ſequuntur, nec benè concludunt: Illa enim verba *qui egreſſi ſunt*, non habent vim determinationis reſtringentis, ſed explanantis. Neque major eſt ratio exiſtimandi quòd hæc ſententia, *Creſcite & multiplicamini*, poſt diluvium dicta, contineat præceptum potius quàm eadem cap. 1. pronunciata ad Adam & Evam, ſed tam uno quàm altero loco ſignificat ſicut verba ſonant benedictionem, fœcunditatis ſcilicet collationem.

[ *Porrò Cham ipſe eſt Pater Chanaan*. ] Chanaan nondum natus erat in egreſſu Noe & filiorum ejus de arca, ſed naſciturus ſolum: quem tamen hic Moyſes nominat, tum ut mirum non videatur cur infra verſ. 25. ipſe maledicatur; tum ut ſibi ſternat viam narrandæ maledictionis in ipſum latæ; tum ut Iſraelitæ propter quos iſta ſcribebantur, conſiderarent ſe conſecuturos terram Chananæorum ſibi promiſſam, cùm audirent Chananæos tam impii patris eſſe filios.

[ ℣. 19. *Tres iſti ſunt Noe, & ab his diſſeminatum eſt omne genus hominum ſuper univerſam terram*. ] Hoc eſt, ab iſtis tribus univerſi homines in toto mundo propagati ſunt. Non eſt ergo ſcripturæ conſentaneum

dicere,

dicere, quòd Noè alios adbuc filios babuerit à quibus genus humanum ſit etiam propagatum.

[ ℣. 20. *Cœpitque Noè vir Agricola exercere terram,*] in Hebr. *Cœpit Noè vir terra*, ſcilicet eſſe; ſeu cœpit eſſe agricola & colere terram: Nam, *vir terra*, eſt Hebraiſmus quaſi diceretur vir cultui terræ addictus, ſicut Pſ. 54. viri ſanguinum pro viri ſanguinis effuſioni deditii, & Pſ. 75. viri divitiarum, id eſt, divitiis congerendis dediti. Non ſignificatur quòd Noè omnium primus terram coluerit: ex cap. enim 4. v. 15. ea cap. 3. verſ. 17. & aliundè facilè eſt intelligere, quòd aliqui antea eam coluerint; ſed primus cœpit eam colere poſt diluvium.

[ *Et plantavit vineam:* ] Non produxit Noè vineam aut vitem, imò nec Deus nunc de novo illam fecit, ſed facta fuit cum reliquis plantis in ipſo mundi principio; nec enim novas rerum ſpecies fecit Deus poſt ſex primos dies mundi. Sed plantavit vineam; quia renaſcentes & repullulantes variarum vitium radices plantavit, in vinea diſtribuit, ac diligenter excoluit: poſtquam verò adoleverunt; liquorem inde expreſſit, eumque bibit. Unde ſequitur.

[ ℣. 21. *Bibenſque vinum inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo,* ] Utrùm hæc ebrietas fuerit illa quæ vitium eſt, ad intempeſantiam pertinens, non liquet. Verbum enim inebriandi ſubinde accipi pro copioſa & hilari, honeſta tamen potus ſumptione; doceri poteſt ex fine cap. 43. hujus libri, ubi de fratribus Joſeph à ſancto viro tractatis dicitur: *Biberuntque & inebriati*
Ut Noè ſit à peccato ebrietatis excuſandus. *ſunt cumeo:* & ex 1. Machab. 16. ubi legimus, *Cùm inebriatus eſſet Simon & filii ejus*; conformiter ei quod Pſal. 35. babetur; *inebriabuntur ab ubertate domus tua* & quod Proverb. 5. *ubera ejus inebrient te*. Atque ita intelligi poſſe ebrietatem Noè tradunt Chryſoſtomus homil. 29. in Geneſ. Janſenius in cap. 31. Eccleſiaſtici, Eſtius & Marius hic. Juxta quem ſenſum inebriatio Noè neque pertinuit ad intemperantiam, neque fuit peccatum. Ejus quoque nudatio non eſt aſcribenda turbationi rationis, quæ ſequitur ebrietatem vel in ea includitur, ſed tum naturali motui dormientis, tum caſui: facilè namque contingit, ut dormientes, præſertim ſi ea vino tametſi non exceſſivè ſumpto, vel alia ex cauſa incaluerint, operimenta à ſe abjiciant. Si cui tamen videatur quòd Noè non tantùm hilariter fuit vino ſatiatus, ſed verè ac propriè inebriatus; eſt nihilominus à peccato ſaltem mortali excuſandus, ſicut eum excuſant Chryſoſtomus, Theodoretus, Cyrillus Alex. Hieronymus epiſt. 22. cap. 4. Alcuinus, Liranus, Dionyſ. Chartuſ. Abulenſis, Pereſius, & communiter alii orthodoxi contrà Calvinum alioſque hæreticos: quia inexpertus ac neſciens vim vini, illud bibit quemadmodum antea ſolebat aquam bibere, ſicque deceptus fuit. Neque refert quòd uſus vini videatur fuiſſe ab initio, juxta illud Eccleſ. 31. *Vinum in jucunditatem creatum eſt, & non in ebrietatem ab initio*. Multorum enim ſententia negat fuiſſe vini uſum antequam Noè ex vitibus à ſe plantatis & excultis illud expreſſiſſet, ut Chryſoſtomi & ferè communis aliorum. Rectè tamen dicitur vinum fuiſſe ab initio creatum in jucunditatem; quia à mundi exordio creata eſt vitis, ex qua vinum exprimi poteſt.

Si dicas, non videri probabile quòd toto tempore diluvium antecedente nemo fructum vitis guſtaverit: Reſp. fructum vitis fuiſſe guſtatum, quia tunc ſervivit hominum eſui, licèt necdum potui.

Vinum non fuit potatum ante diluvium. At dices, ſi hæc ita ſe habent, qui factum eſt quòd ſolus Noè legatur inebriatus & non ejus filii; cùm ſit valdè veriſimile ipſos quoque bibiſſe vinum. Reſp. rationem eſſe, quia ſenes citius inebriantur ob paucitatem ac debilitatem ſui caloris qui à calore ex vino proveniente facilè vincitur; filii autem Noè ætatis robore, caloreque prævalentes adversùs vinum, ejus vim frangere ac ſuperare potuerunt.

Si præterea dicas, ſaltem culpandum eſſe Noè quòd ſeipſum fœdè nudaverit; In Hebr. quippe ſic legitur, *inebriatus eſt; & diſcooperuit ſe*. Reſp. Neg. Aſſ. quamvis enim verbum Hebræum activè ſonet, non niſi tamen ad caſualem & quæ in ſomno contigerit nudationem pertinet; quo modo dormientes rectè dicuntur ſe diſcooperire, quamvis hoc non voluntate, ſed caſu faciant.

Si quæras, quoto poſt diluvium anno hæc contigerint. Reſp. id non liquere; quoniam tamen Chanaan qui tum ſeq. cap. tum 1. Paralip. 1. quartus numeratur inter filios Cham, erat jam non ſolùm natus, ſed etiam doli & malitiæ capax, quemadmodum ex ſequentibus intelligi poteſt: ideo probabile eſt quòd anno poſt diluvium decimo vel undecimo acciderint.

[ ℣. 22. *Quod cùm vidiſſet Cham* ] monitus ut multi exiſtimant à filio ſuo Chanaan: Ideo namque in ipſum Chanaam jacitur ſtatim maledictio, & hic additur:

[ *Pater Chanaan*, ] Quid viderit; ſequitur

[ *Verenda*, ] ſcilicet,

[ *Patris ſui eſſe nudata*, ] Ex his Liranus, Abulenſis, Salianus, & alii hic obſervant viros hactenus non fuiſſe uſos fœmoralibus; ſed nec multis poſtea ſæculis iis uſos eſſe Judæos, ex cap. 20. Exod. intelligitur, ubi Deus ſic jubet. *Non aſcendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua*; Non fuiſſet enim locus iſti periculo ſi habuiſſent fœmoralia, unde ad idem periculum avertendum cap. 28. præſcribitur ut Aaron & ejus filii iis utantur; quando appropinquant ad altare. Verenda vocantur partes illæ corporis quæ naturaliter generationi prolis deſerviunt; eò quòd ratione utens maximè de illis verecundetur propter ſingularem earum inobedientiam ad rationem; nullæ enim partes corporis minùs obediunt rationis imperio quàm illæ. Has porro partes corporis vidit Cham in patre ſuo nudatas, non fortuitò & velut involuntariè, ſed ſciens ac volens aſpexit, attentè conſideravit; patremque propterea irriſit; nec hoc tantùm, ſed & fratribus quoque irridendum propoſuit. Ideò enim, ut ſequitur.

[ *Nuntiavit duobus fratribus ſuis foras.* ] Ut incitaret eos ad irriſionem patris. Veriſimile eſt quod Hebræi tradunt, & poſt ipſos Thodoretus, Liranus, Cajetanus, Torniellus, & alii ex orthodoxis, Chanaan primùm vidiſſe avum ſuum nudatum, eumque deriſiſſe, ac deinde Cham patri ſuo nunciaſſe. Hic autem non ſolùm non reprebendit filium pront muneris ejus erat, ſed & ſpectavit & ſpectandum irridendumque ſuis fratribus exhibere voluit.

[ ℣. 23. *At verò Sem & Japhet pallium impoſuerunt humeris ſuis, & incedentes retrorſum operuerunt verenda patris ſui:* ] Non voluerunt ponere pallium ante oculos & antorſum incedere, ne aliqua occaſione viderent patris nuditatem; ſicque exemplum omnibus ſæculis memorandum præbuerunt tum inſignis reverentiæ paternæ ac officii pietatis, tum caſtiſſimi animi & pudoris laudatiſſimi.

[ ℣. 24. *Evigilans autem Noè ex vino*, ] ſeu ex ſopore quem vis vini illi cauſaverat.

[ *Cum didiciſſet* ] ex Sem & Japhet. Videns namque ſe nudatum propria veſte, & alterius filiorum ſuorum pallio coopertum, cauſam ab iis inquiſivit: qui cum veritatem negare non poſſent, rem ſicut geſta erat narraverunt.

[ *Quæ fecerat ei filius ſuus minor*, ] non dicit minimus, ſed *minor*; quia Cham de cujus facto agitur, erat minor natu quàm Sem, etſi major eſſet quàm Japhet poſtremus filius Noè. Hic enim ordo perpetuus eſt tam hoc cap. 9. & ſeq. quàm præcedentibus 5. 6. 7. & 1. Paral. 1. B. quoque Hieronymus epiſt. 126. Cham vocat filium medianum, & Aug. lib. 16. de civit. cap. 2. eum appellat medium filium Noè.

[ ℣. 25. *Ait, maledictus Chanaan.* ] Subauditur, erit: Cur maledicitur Chanaan.
Non enim maledicendi animo, ſed ſpiritu prophetico prædicit Noè, quid in pœnam hujus peccati paſſurus eſſet Cham: loquiturque de maledictione temporali, non de ſpirituali. Ideo autem maledicit Chanaan, & non expreſsè Cham. Primò, ſecundùm Chryſoſtom. & Theodoretum, ne videretur præjudicaſſe benedictioni quam Deus ſtatim poſt egreſſum de arca, dederat Cham ſimul cum Sem & Japhet. Secundò, quia ſi maledictio fuiſſet expreſsè prolata in Cham, viſi fuiſſent omnes ejus poſteri maledici, cùm tamen Chus & Meſraim & Phur qui ex Cham nati ſunt, non

eſſent

essent maledicendi. Tertiò, quia verisimile est ut supra diximus, Chanaan fuisse paterni criminis participem, imò & quadam ratione authorem, nuditatem scilicet Noè prius videndo, irridendo, & patri suo nunciando. Accedit quòd hoc modo punitus fuit non tantùm Chanaan, sed etiam ejus pater Cham, cùm filiorum pœnæ redundent in parentes, quemadmodum pulchrè declarat Chrysost. hom. 29. in Genes.

[ *Servus servorum erit fratribus suis* . ] Servus servorum phrasi Hebraica idem valet quòd servus vilissimus, sicut Sanctum sanctorum, pro loco vel re sanctissima ponitur, & canticum canticorum pro cantico excellentissimo: substantiva enim geminata augent significationem. Impleta reperitur hæc maledictio Josue 9. quando Gabaonitæ qui erant de gente Chananæorum sub maledictione positi & in servitutem sunt redacti; Itemque postea quando Hebræis qui ex Sem progeniti erant servierunt Chananæi partim facti tributarii, partim possessionibus, urbibus, regnis, imò & vita privati, in libris Josue & Judicum; ac rursum sub Salomone 2. Paralip. 8.

Duo hìc observa. Prius, servitutem (duram scilicet ac violentam) esse pœnam peccati, de qua videantur quæ diximus, 2. 2. q. 66. art. 1. quæsito 7. concl. 3. Posterius, quàm impiè Calvinus Romanum Pontificem irrideat, quòd hujus maledictionis verba sibi assumat dicens se servum servorum. Non enim Pontifex simpliciter scribit se servum servorum, sed servum servorum Dei, idque ad animi submissionem; & ut Gregorius quem isto titulo primum fuisse in epistolarum suarum principio usum tradit Surius in ejus vita, ait l. 9. epist. 38. propter onera Episcopatus, qui servitutem quamdam seu potius ministerii officium incindit, sed honorabilis & ad spiritualem æternamque salutem ducentis, non verò servitutem abjectam & cum vilibus operibus conjunctam.

[ ℣. 26. *Benedictus Dominus Deus Sem*. ] hoc est, Dominus Deus Sem sit benedictus; sive laudetur & glorificetur Deus pro donis tam spiritualibus quàm temporalibus quæ daturus est Sem ejusque posteris. Benedictionem incipit à Sem tamquam à natu maximo; & Deum potius benedicit seu collaudat quàm Sem; quia Deus erat futurus author omnium bonorum quæ in Sem erant conferenda. Discamus & nos Deum de omni bono laudare.

[ *Sit Chanaan servus ejus*. ] Posteritas Chanaam serviat posteritati Sem, secundùm ea quæ adversum præced. diximus.

[ ℣. 27. *Dilatet Deus Japhet*, ] sive, numerosam posteritatem donet Deus Japhet, ita ut per multas & amplas regiones se extendere debeat, ad eas inhabitandum, Japhet significat dilatatum, estque propterea hìc allusio; perinde ac si latinum *dilatatus*, esset nomen proprium, & diceremus dilatet Deus dilatatum; sive illum qui appellatur dilatatus, Deus sic in posteris dilatet ut eventus omnino respondeat nomini.

[ *Et habitet in tabernaculis Sem* . ] hoc est, ita multiplicentur posteri Japhet, ut aliquando sint habitaturi in terra posteris Sem promissa. Id quod factum est, partim dum Romani & alii gentiles Palæstinam expulsis Judæis incoluerunt, partim dum Gentiles in veram Dei Ecclesiam successerunt, Judæis nolentibus ad Christum converti.

[ *Sitque Chanaan servus ejus*. ] Etiam posteris Japhet serviant posteri Chanaan seu Chananæi. Quod factum est dum Alexander magnus Tyrios & Sidonios qui de Chanaan erant, domuit; dumque Imperatores in Europa habuerunt sibi subditas Chananæorum reliquias. Observandum quòd gentilitas rectè significetur per Japhet, etsi Chananæi fuerint Gentiles; quia longè maxima pars Gentilium, eorumque præsertim qui ad Christi Ecclesiam venerunt ac veniunt, sunt ex Japhet.

[ ℣. 28. *Vixit Noè post diluvium trecentis quinquaginta annis*. ] *Ex quo perspicuum est* ) ait B. Hieron. ) *centum viginti annos generationi illi ut supra diximus* ( cap. 6. ) *ad pœnitentiam datos*, *& non vita mortalium constitutos*. Quia verò non hìc additur, & genuit filios & filias, sicut c. 11. fit in aliis, omnino verisimile est, Noè pro sanctioris vitæ exercitio & divinorum contemplatione, abstinuisse ab usu conjugii, nec ullam prolem genuisse post diluvium, quemadmodum etiam indicatur vers. 18. & 19. & traditur ab Epiphanio l. 1. contra hæres. Chrys. hom. 24. & 29. in Genes. & communiter ab aliis.

[ ℣. 29. *Et impleti sunt omnes dies ejus nongentorum quinquaginta annorum*, *& mortuus est*. ] Post peractam vitam omnium mortalium, exceptis Jared & Mathusala, longissimam, ut ex collatione cap. 5. potest haberi. Pro allegoria observandum, quòd Christus per Noè figuratus plantavit vineam, scilicet Synagogam, Allegorice. de qua Isai. 5. *Vinea Domini Sabaoth domus Israel est*: cujus amore inebrians, nudus jacuit in cruce, fuitque irrisus à principibus sacerdotum, & scribis, & aliis; cùm è contrario fideles ac timorati Christum ejusque passionem honorent, incedendo retrorsum, id est, recolendo memoriam passionis præteritæ & pallio nuditatem ipsius operiendo, hoc est, ab incredulorum reprehensionibus & irrisionibus per prædicationes & aliter defendendo. Videantur Hieron. epi. 126. Aug. l. 16. de civit. cap. 2. & l. 12. contra Faustum cap. 23. Dionysius Carthus. & alii super hunc locum. Pro moribus possent hìc perpendi mala ebrietatis: sed ea petenda relinquimus ex Chrys. hom. 29. in Genes. & ex Aug. serm. 231. & 232. de tempore. Hoc autem obiter monemus ex maledictione Chanaan & benedictione fratrum ipsius, observandum esse, quòd sedulò celare oporteat proximorum & maximè Prælatorum errata, quemadmodum hinc deducunt Chrysost. eadem hom. & Gregor. l. 25. Moral. c. 22. Unde Vincent. Lirin. c. 11. contra hæres. docet hæreticos cùm libenter sancti alicujus viri erratum produnt, sequi vestigia auctoris sui Cham.

## CAPUT X.

*Texitur genealogia filiorum Noè, à quibus orta ac nominata sunt gentes post diluvium.*

[ ℣. 1. HÆ *sunt generationes filiorum Noè, Sem, Cham, & Japhet*: ] Id est, isti sunt filii geniti à filiis Noè, Sem, Cham, & Japhet. Nam generatio sæpè hìc intelligitur proli pro se genita. Ex Sem descenderunt Judæi, ac proinde Christus Dominus; ex Cham, Chananæi: ex Japhet, reliqui gentiles. Ab his tribus eorumque posteris ita fuit mundus inhabitatus. Japhetani incoluerunt Europam, & partem Asiæ septemtrionalem: Chananæi partem Asiæ meridionalem, & Africam ipsas scilicet Syriæ provincias: Semæi, partem Asiæ orientalem, sed qui expulsa gente Chanaan, ejus regiones occupaverunt, Deo sic volente.

[ *Natique sunt eis filii post diluvium*. ] Nam antea filiis caruerant. Hi porrò filii nomina *locis & gentibus reliquerunt*, *è quibus immutata sunt plurima*, *cætera permanent ut fuerunt*, ait B. Hieron. in qq. Hebr. ideo autem observari debent ejusmodi vocabula, ut cum in prophetis & in aliis libris inveniuntur, sciri possit unde tales gentes ortum habuerint.

[ ℣. 2. *Filii Japhet*: ] Quoniam filii Japhet prius recensentur, quidam existimant Japhet fuisse primogenitum Noè, Sem secundum, Cham tertium. At communior sententia habet ipsos eo ordine genitos esse, quo scriptura solet eos referre dicens Noè genuisse *Sem*, *Cham*, *& Japhet*: unde vers. 21. Sem vocatur frater Japhet major. Et alioquin si Japhet propterea primogenitus est habendus, quia ejus filii primò recensentur, consequens foret Sem fuisse ultimogenitum, quia ipsius filii recensentur ultimo loco: id tamen quod non concedunt Abulensis & Oleaster, qui Japhet primogenitum faciunt.

Vera igitur causa cur Moyses primo loco referat filios Japhet, illa esse videtur, ut incipiendo ab ultimo gradatim perveniret ad eum cujus generationem deinceps prosequi intendebat, eò quòd ab ipso orti sint Hebræi, propter quos hi libri scribebantur, hoc est, ad Sem.

[ *Gomer*, *& Magog*, *& Madai*, *& Javan*, *& Thubal*, *& Mosoch*, *& Thiras*. ] *A Gomer*, secundùm B. Hieron. in qq. Hebr. orti sunt Galatæ. Quos enim Græci Galatas vocant, Gomarenses olim dictos tradit Josephus lib. 1. Antiq. cap. 7. A *Magog*, Schytæ descenderunt: A *Madai*, Medi: A *Javan*, Jones, qui & Græci.

ei. Unde Jonia usque hodie, Græcia vocatur, ait Oleaster. A *Thubal*, Iberi occidentales, qui & Hispani, ac fortè etiam Iberi Asiati & Aquilonares. Nam Ezechiel. 38. Thubal recensetur cum Aquilonaribus. A *Mosoch*; Cappadoces, vel ut alii, Moscovitæ. A *Thiras*, Thraces.

[ ℣. 3. *Porrò filii Gomer: Ascenez, & Riphath, & Thogorma.* ] Ab Ascenez ortum habent Rhegini, vel Germani: Aut ut aliis videtur, populi Asiatici, de quibus Jerem. 51. habetur quòd illorum auxilio Babylon sit à Medis expugnata. A *Riphat*, orti sunt Paphlagones, & *Thogorma*, secundùm S. Hieron. Phryges; secundùm alios, Turcæ. Unde recentiores Hebræi, Regem Turcarum dicuntur vocare Togar.

[ ℣. 4. *Filiis autem Javan; Elisa & Tharsis; Cetthim & Dodanim.* ] Ab Elisa prodierunt Elisæi, qui & Æolides, Græci populi: Unde & quinta lingua Græciæ Æolis appellatur, ait Hieron. Alii ab hoc Elisa deducunt insulas fortunatas, inde Elisias dictas. A *Tharsis*, Tharsus Ciliciæ, & vicini Cilices derivantur. A *Cetthim*, Cythii vel Cyprii: unde apud eos urbs est nomine Cytium. Verisimile est hunc Cetthim occupasse Cyprum, & Italiæ partem, & Macedoniam & Græciam: Nam Alexander Magnus 1. Machab. 1. scribitur egressus de terra Cetthim, & cap. 8. legimus Philippum & Persen Cetæorum regem qui omnes fuerunt Græci & Macedones. Sed & Numer. 24. ubi nos habemus; *Venient in trieribus de Italia*. Hebræa habent, & naves de littore Cetthim. Et Ezech. 27. pro eo quod nostri codices habent, *de Insulis Italiæ*, in Hebræo est de insulis Cetthim. Similiterque Dan. 11. pro Romanis, quod nostra biblia habent, Hebr. est Cetthim. A *Dodanim* Rhodii veniunt. Ita enim 70. interpretes transtulerunt, quasi in Hebr. legerint, Rhodanim.

[ ℣. 5. *Ab his divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis:* ] Insula propriè dicitur terra quæ undique cingitur aquis, & præsertim mari. At Judæi nomine insularum non solùm terras mari cinctas intelligunt, sed etiam omnes illas regiones ad quas ex Judæa non potest commodè sine navigio iter institui, sive sint in mari sive in terra, cujusmodi sunt Græcia, Macedonia, Italia, Epirus. Unde Jerem. 25. scribitur, *de regibus terræ insularum qui sunt trans mare*, Et Sopho. 2. *Adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium*. Abulensis insulas gentium hic interpretatur vocari, ad distinctionem insularum Judæorum, eò quòd Judæi omnes populos vocarent gentes.

[ *Unusquisque secundùm linguam suam, & familias suas in nationibus suis.* ] Sensus est, A præfatis filiis Japhet eorumque nepotibus facta est partitio insularum maris mediterranei, & locorum transmarinorum in Europa, ita ut unusquisque eam provinciam occupaverit quæ tam suo populo quam suæ linguæ conveniebat. Narrantur hæc per prolepsim; demum enim post confusionem Babel acciderunt.

[ ℣. 6. *Filii autem Cham: Chus, & Mesraim, & Phut, & Chanaan.* ] *Chus* est pater Æthiopum: Nam usque hodie Æthiopia ab Hebræis vocatur Chus, & Æthiopes, Chusim. *Mesraim* est Ægyptiorum pater. Unde in scriptura, pro Ægypto frequenter ponitur Mesraim. Et quia Mesraim fuit filius Cham, Ægyptus interdum vocatur terra Cham, ut Psalm. 104. ubi conjunctim, & per ejusdem rei repetitionem dicitur, *intravit Israel in Ægyptum, & Jacob accola fuit in terra Cham*. A *Phut* qui Lybiam incoluit, Lybies & Mauritani sunt derivati. *Nam & Mauritaniæ fluvius usque in præsens Phut dicitur*, ait Hieron. Suffragatur his quod Ezech. 30. ubi nos habemus *Æthiopia & Libia*; in Hebr. est, Chus & Phut similiter Jerem. 46. A *Chanaan*, derivati sunt Chananæi, ut cap. 9. patuit. Sumitur autem terra Chanaan in sacris litteris dupliciter. Primò generatim pro omni regione quæ inter Jordanem, mare mediterraneum, montem Libanum, & rivum Ægypti continetur, idque propterea quia Chanaan fuit pater omnium gentium quæ terras illas incoluerunt. Secundò, pro ea parte quam ipse Chanaan separatus à filiis inhabitavit. Porrò quia Chanaan inter cætera significat negotiari; idcircò Chanaan aut Chananæus interdum ponitur pro negotiatore, ut Prover. 30. *tradidit Chananæo*.

[ ℣. 7. *Filii autem Chus, Saba & Hevil,* ] ab hoc Saba Sabæi dicti sunt. Diversus autem est hic Saba, ab eo qui statim legitur filius Regma & in Hebræo aliter scribitur, tradit enim B. Hieron. Saba filium Chus scribi per Samech, filium verò Regma per Schin; ita ut pronuntiari possit Scheba. Quibus conformiter Psal. 71. pro *Reges Arabum & Saba*, bis ponitur Saba; primò per Schin; secundò per Samech; Reges Scheba nimirùm Arabicæ, & Seba scilicet Æthiopicæ. Ab *Hevila, Getuli Africæ populi descendunt*.

[ *Et Sabatha,* ] à quo Sabathæi;

[ *Et Regma, & Sabathacha.* ] Quos Hieron. scribit paulatim sua nomina perdidisse, & quæ nunc pro veteribus habeant, ignorari.

De isto Regma seu de ejus posteris habemus Ezech. 27. *Saba & Reema* (qui idem est cum Regma) *negotiatores tui*, unde colligitur quòd vicini fuerint Sabæis.

[ *Filii Regma, Saba & Dadan.* ] Hunc Dadan incoluisse Æthiopiam in occidentali plaga scribit B. Hieron. & de illo sermonem esse Ezech. 27. probabile est. Alium Dadan habemus infra cap. 25. qui juxta Idumæos consedit, cujus posterorum mentio est Ezech. 25. & Jerem. 49.

[ ℣. 8. *Porrò Chus genuit Nemrod:* ] Ideo ab aliis fratribus seorsim narratur genitus esse Nemrod, quia ob peculiaria ejus facta Moyses volebat fusiùs de illo agere. Nomen habuit ei convenientissimum: Nemrod enim significat rebellem & oppressorem; ipse autem propriis viribus confidens, Dei fuit contemptor, & primus tyrannidem invasit, & iniquo jugo libertatem aliorum oppressit.

[ *Ipse cœpit esse potens in terra,* ] Septuaginta, cœpit esse gigas. Cœpit nimirùm esse potens opibus & usurpatione dominii, sicque alios primus opprimere, quod gigantes postea fecerunt.

[ ℣. 9. *Et erat robustus venator,* ] non tam ferarum quàm hominum, quos vi, dolo & per insidias captabat neci vel servituti eos tradendo. Venator enim hic pro latrone, & hominum persecutore, vel tyranno ponitur, quemadmodum & Psalm. 90. *Liberavit de laqueo venantium*: Psalm. 123. *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium*. Ezech. 32. *Ibi principes Aquilonis omnes & universi venatores*.

[ *Coram Domino.* ] Hoc est, revera, utpotè in oculis Dei qui rem omnem prorsus talem qualis in veritate est, judicat.

[ *Ob hoc exivit proverbium, quasi Nemrod robustus venator coram Domino.* ] Hoc est, propter maximam hujus viri feritatem, tyrannidem & oppressionem, factum est, ut cum homines vellent designare aliquem insigniter crudelem, magnumque oppressorem ac tyrannum, dicerent: Iste est quasi Nemrod robustus venator coram Domino: sive, iste est alius Nemrod.

[ ℣. 10. *Fuit autem principium regni ejus Babylon,* ] seu ea urbs quæ post linguarum confusionem dicta est Babylon. Nemrod juxta communiorem sententiam, est is qui alio nomine dicitur Belus, pater Nini. Babylon verò est urbs Chaldeæ, vel provinciæ Babyloniæ, quæ idem nomen habet cum sua metropoli, idque ab eventu, quia illic in ædificatione civitatis & turris, linguæ fuerunt confusæ. Hanc urbem primus omnium condidit Nemrod: sed cùm Ninus ejus filius sedem regni fixisset in Ninive atque ita negligeretur Babylon, eam Semiramis uxor Nini reparavit, auxit, & ornavit. Cumque Monarchia ad Assyrios translata, Ninive longo tempore esset florentissima, Babylon verò usque ad tempora Nabuchodonosoris penè collapsa, ipse Babylonem restauravit, eamque in domum seu in urbem regni primariam ædificavit, monarchia Assyriorum ad Chaldæos translata. Ex his conciliari possunt diversorum scriptorum sententiæ, quorum aliqui dicunt quòd Nemrod seu Belus, alii quòd Semiramis, alii quòd Nabuchodonosor Babylonem ædificaverit; si-

mulque intelligi ista verba Nabuchodonosoris Dan. 4. *Nonne hæc est Babylon magna quam ego ædificavi in domum regni?* Istam Babylonem sunt qui hodie vocari scribant Baldach: sed longè probabilius est eam totaliter fuisse destructam, neque postea reædificatam, juxta prædictionem Isai. 13. descriptam: *Erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subvertit Dominus Sodomam & Gomorrham. Non habitabitur usque in finem* &c. Quibus conformiter Jerem. 50. dicitur *quòd novissima erit in gentibus, deserta, invia, & arens*. Ea verò quæ hodie Baldach dicitur, diversa est ab antiqua Babylone & loco diverso, tametsi non admodum longè dissito ædificata, sicut ex Joanne Catonico qui Syriam locaque ei finitima non ita pridem visitavit, refert Leonardus Macins.

Observandum hic superest, à prædictis Belo & Nino idololatriam sumpsisse initium: Nino videlicet jubente ut Belus pater suus defunctus divinis honoribus coleretur, quemadmodum diximus 2. 2. q. 94. art. 4. Cujus rei indicium est quòd pleraque idola Gentium, aut Bel vocata fuerint, ut patet Isai. 49. Jerem. 50. Baruch. 6. Dan. 14. aut à Bel denominata, ut Baalberith Judic. 9. Baalim in libris Judic. Regum, Paralipp. Beelphegor, in Numeris, Deuter. & alibi; Beelzebub, in l. 4. Regum & in Evangeliis.

[ *Et Arach*, ] Nemrod primò regnare cœpit in Babylone, eamque regni sui caput constituit, statim tamen etiam regnare cœpit in aliquot aliis urbibus, ut in Arach, hoc est in edissa Celesyriæ, cujus rex Abgarus qui ad Christum in tarris agentem scripsisse fertur.

[ *Et Achad*, ] quæ nunc dicitur Nisibis, ait Hier. nimirùm in Mesopotamia ad fluvium Tigrim.

[ *Et Chalanne*, ] quæ est Selencia vel Ctesiphon.

[ *In terra Sennaar*. ] ita vocatur ager longè latèque Babyloni circumjacens, & complectitur Mesopotamiam, partem Persidis, Syriæ, & Arabiæ.

[ ℣. 11. *De terra illa* ] (Sennaar scilicet)

[ *Egressus est Assur*, ] quis fuerit hic Assur, incertum est. Quidam existimant esse istum filium Sem, cujus mentio habetur infra v. 22. ut Josephus lib. 1. Antiquit. c. 7. Hieron. in qq. Hebr. August. lib. 16. de civit. cap. 3. & post eos Liranus, Chartusianus, Abulensis, & Marius; voluntque hoc loco sermonem de ipso fieri occasione Nemrod. Dicitur namque quòd hic Assur impietatis Nemrod pertæsus, ab eo longius recesserit, quæsieritque sibi sedes alias, & in his pro præsidio suo ædificaverit Niniven, id est, civitatem tunc quidem necdum vocatam Niniven, sed quam non multò post Ninus filius Nemrod seu Beli, à se captam & plurimum auctam, ex suo nomine appellavit Ninum seu Niniven. Aliorum opinio est hunc Assur non esse Filium Sem, sed esse ipsummet Ninum filium Nemrod seu Beli, qui vocetur Assur non quòd istud nomen ab initio habuerit, sed quòd sic nunc vocetur per anticipationem quia fuit postea primus rex & monarcha Assyriorum, postquam scilicet expugnavit Assyriam sic ab Assur filio Sem dictam. Ita sentiunt Marzilla, Oleaster, Delrio, Menochius, & quidam alii recentiores. Secundùm quos Ninus qui postea vocatus est Assur, non contentus regno paterno volensque alia regna capessere, exivit de regione Babyloniæ & subjugata Assyria extruxit civitatem à se dictam Niniven.

[ *Ædificavit Niniven & plateas civitatis*, ] in Hebr. legitur ædificavit Niniven & Rechoboth vel Roboboth civitatem; istudque Rechoboth quidam volunt esse nomen proprium civitatis, sicut est infrà c. 36. v. 37. Verumtamen B. Hieron. vult non esse hic nomen proprium sed appellativum; juxta quem, sensus est quòd Assur ædificavit Niniven, & ejus plateas amplas ac latas fecit.

[ ℣. 12. *Resen quoque inter Niniven & Chale*: ] Quæ sint istæ civitates ignoratur nisi quòd Chale putetur à quibusdam esse Metropolis Chalenæ regionis in Assyria; & Resen oppidum in Mesopotamia.

[ *Hæc est civitas magna*. ] Scilicet Ninive; eam enim refert pronomen relativum, tametsi propter ipsius excellentiam primo loco nominata fuerit: Nam quòd civitas magna sit epitheton Ninive, liquet ex Judith. 1. ex Jonæ 1. 3. & 4. scribuntque interpretes ex Diodoro Siculo ambitum murorum ejus fuisse milliarium Italicorum sexaginta; altitudinem eorumdem centum pedum; latitudinem quæ tres currus caperet; turres centum quinquaginta, singulas altitudinis ducentorum pedum.

[ ℣. 13. *At verò Mesraim genuit Ludim*, ] à quo Lydii, non illi minoris Asiæ quorum rex fuit Crœsus; sed alii in Africa, vicini Ægypto, de quibus Isai. 66. Jerem. 46. Exech. 30. Quæ sint gentes ab aliquot seqq. denominatæ, ignotum est; quia *bello Æthiopico subversæ usque ad oblivionem præteritorum nominum pervenere*, ait Hieron. nisi quòd ab

[ *Anamim*, ] putentur derivari vel Mesammones vel Hamanientes, de quibus Plinius lib. 5. cap. 5.

[ *Et Laabim*. ] Lybies qui prius Phutæi vocabantur: A

[ *Nephthuim*. ] Vel Æthiopes suo Ægypto, vel Numidæ:

[ ℣. 14. *Et Phetrusim*. ] incolæ Arabiæ petreæ cujus metropolis fuit Petra, de qua Isai. 16. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de Petra deserti*, ac rursum Jerem. 48. vers. 28. De his etiam gentibus forsitan loquitur Isaias, quando Phetros nominat. cap. 11.

[ *Et Chasluim*: ] Philistini: hoc enim est quod dicitur

[ *Et Chaslaim, de quibus egressi* ] seu orti

[ *Sunt Philistiim*, ] Sive Philistini, illi scilicet cum quibus perpetuum Judæis bellum fuit. Quamvis enim Philistini non essent ex Chanaan; terra tamen Philistinorum inter terras populo Israelitico sub nomine terræ Chanaan promissas numeratur, eò quòd originaliter pertinuerit ad Chananæos, & Philistæi per vim eos expulerint eorumque loca occupaverint. Unde Sophon. 2. *Chanaan terra Philistinorum*.

[ *Et Caphtorim*. ] Seu Cappadoces, non illi qui Cappadociam Asiæ incoluerunt & erant de stirpe Japhet, sed qui Cappadociam Ægypto vicinam habitarunt, de quibus Deut. 1. legimus quòd Hevæos (qui erant Chananæi) expulerunt.

[ ℣. 13. *Chanaan autem genuit Sidonem primogenitum suum, Hethæum*, ℣. 16. *& Jebusæum* &c. ] Ponuntur hic filii descendentes de Cham per lineam Chanaan, quorum postea terram utpotè sibi promissam occupaverunt Israelitæ. Observandum tamen quòd Sinæi de quibus v. 17. sermo est, incoluerint loca vicina monti Sina, & diversi sint à Cinæis de quibus Judic. 1. 4. & alibi.

[ ℣. 18. *Et Amathæum*, ] ab hoc denominata putatur terra Emath, in qua fuit Reblatha 4. Reg. ult. quæ aliter dicitur Antiochia.

[ ℣. 21. *De Sem quoque nati sunt, patre omnium filiorum Heber, fratre Japhet majore*. ] Hinc intelligi potest Sem fuisse maximum natu inter filios Noe: Cùm enim cap. 9. versu 24. Cham vocetur filius minor, & in præsenti cap. Sem nominetur frater Japheti major, nullus est qui maximus natu dici possit præter Sem. Neque refert 70. sic habere, *fratre Japhet majoris*; quia vocabulum Hebræum est ambiguum, vertique potest non minùs *majore*, quàm *majoris*. Cùm ergo vulgata nostra versio constanter habeat, *majore*; ab ea nequaquam est recedendum; tum quòd per Ecclesiam sit probata; tum quòd verisimile sit antiquam lectionem 70. interpretum olim fuisse conformem nostræ vulgatæ. Sanctus enim August. eorum versionem secutus lib. 16. de civit. cap. 3. ita habet: *Et Sem natus est etiam ipsi patri omnium filiorum Heber fratri Japhet majori*. Accedit quòd Scriptura tam cap. 5. 6. 7. 9. quàm hic & 1. Paralipp. 1. continuò numerat Sem primo loco, Cham secundo, Japhet tertio. Sem fuit primogenitus.

Si dicas, Sem biennio post diluvium (quod anno sexcentesimo vitæ Noe contigit) fuisse centum annorum, ut cap. 11. v. 10. legitur; Noe autem cœpisse generare cùm esset quingentorum annorum, quemadmodum dicitur in fin. cap. 5. ac proinde oportere quòd Noe

ge-

genuerit Japhet anno ſuæ ætatis quingenteſimo, & Cham anno quingenteſimo primo; denique Sem, anno quingenteſimo ſecundo.

Reſp. id non ſequi: Notum enim eſt ſcripturam ſolere numeros integros ac rotundos exprimere, tacitis minoribus; quo modo dicimus 70. Interpretes, & Domini diſcipulos 70. licèt fuerint 72. Quapropter dicimus aut Noe fuiſſe quingentorum & duorum annorum, quando cœpit generare; aut Sem fuiſſe centum & duorum annorum, biennio poſt diluvium, etiamſi minor iſte numerus reticeatur. Cur bis non obſtent verba cap. 5. vide ibi eorum explicationem.

[ ℣. 22. *Filii Sem : Ælam, & Aſſur, & Arphaxad, & Lud, & Aram.* ] Ab Ælam deſcendunt Ælamitæ principes Perſidis, juxta B. Hieronymum in qq. Hebr. Unde Iſai. 21. & 22. de Perſis agitur ſub nomine *Ælam*: ſimiliterque Jerem. 25. & 49. & alibi. Ab hoc quoque nomine deductum videtur nomen Elimias quæ eſt urbs Perſidis, de qua 1. Machab. 6.

Ab *Aſſur* derivati ſunt Aſſyrii, ſecundùm ea quæ ad v. 11. notavimus.

Ab *Arphaxad*, Chaldæi, juxta Joſephum, Hieronymum, & alios. Si quæras quo modo Arphaxad potuit habitare in Chaldæa, cùm Babylon quæ eſt metropolis Chaldæa, fuerit ſedes Nemrod: Reſp. cum Leonardo Mario, Arphaxad egreſſum fuiſſe de Chaldæa propter tyrannidem Nemrod, & abiiſſe in Suſianam quæ eſt provincia inter Aſſyriam & Perſidem ſita; priùs tamen habitaſſe in Chaldæa, gentique nomen reliquiſſe; Nemrod verò in ea remanſit, ſicut & ejus ſucceſſores qui ſimul cum ſtirpe Cham, animi barbariem & feritatem ac vitiorum colluviem eò invexerunt: quo factum ut ſcriptura ſemper Chaldæos deſcribat tamquam gentem bellicoſam quidem, ſed crudelem ſimul ac barbaram, ut videre licet Iſai. 5. verſ. 7. cum ſeqq. & Abacuc 1. verſ. 6. Jerem. 5. verſ. 15.

*A Lud*, Lydi Perſis finitivi, *Ab Aram* Aramæi ſeu Syri, Paleſtinæ vicini; quorum metropolis eſt Damaſcus. Obſervandum verò quòd Syria valde latè pateat & comprehendat Armeniam & Meſopotamiam.

[ ℣. 23. *Filii Aram : Hus*, ] qui condidit Thraconitidem & Damaſcum, à quo ſeptuaginta interpretes in libro Job, ubi in Hebræo ſcribitur terra Hus, regionem Auſitidem quaſi Huſitidem tranſtulerunt:

[ *Et Hul*, ] A quo Armenii. Si dicas Armeniam Ab Aram fuiſſe occupatam. Reſp. Syriæ & Armeniæ tantam eſſe amplitudinem, ut non duobus ſolùm populis, ſed etiam pluribus ſufficiat.

[ *Et Gether*, ] Bactrianorum qui ſunt ſupra Perſidem, & Margianum vel Arcaniorum pater eſt.

[ *Et Mes.* ] A quo Meones vel Meſanei.

[ ℣. 24. *At verò Arphaxad genuit Sale*, ] de Cainan hic prætermiſſo, dicendum c. ſeq.

[ *De quo ortus eſt Heber.* ] Fuit hic omnium Hebræorum parens, primævæque linguæ conſervator; & nomen non tam regioni quàm poſteritati reliquit: per quod ſignificabatur quòd ejus poſteri futuri erant tranſitores & peregrini.

[ ℣. 25. *Natique ſunt Heber filii duo : nomen uni Phaleg, eò quòd in diebus ejus diviſa ſit terra :* ] Pronomen ejus non ad Heber, ſed ad Phaleg, (quod nomen Hebraicè idem valet ac diviſio) pertinet, eique nomen iſtud impoſitum fuit ab eventu, à diviſione ſcilicet linguarum & regionum, ſive illa diviſio facta fuerit circa tempus nativitatis ejus ut non pauci poſt Aug. lib. 16. de civit. cap. 11. volunt; ſive ut aliis, poſt Chryſoſt. & Hieron. placet, non in ipſo nativitatis ejus tempore, ſed circa annum vitæ ipſius ſeptuageſimum, ita ut Heber ejus parens ſpiritu prophetico præſcius quòd ejuſmodi diviſio futura eſſet vivente iſto filio, ab ea diviſione nomen ei impoſuerit. Priorem tamen expoſitionem magis ſuadere videtur, quòd alioquin idem nomen imponendum etiam fuiſſet alteri filio qui Jectan eſt cognominatus; cùm & eo vivente facta fuerit illa diviſio.

[ ℣. 26. *Qui Jectan genuit Elmodad*, ] filios Jectan prius enumerat, vel quia de ipſo nihil poſtea erat dicturus, vel quia ſecundùm Auguſt. Jectan fuit primogenitus. Quibus verò gentibus Elmodad & ſequentes ejus fratres nomina dederint, ignotum eſſe ſcribit Hier. Probabile tamen eſt Ophir nomen dediſſe regioni illi quæ ut ex libris Regum habetur, eſt ferax auri, ſive in India ubi etiam fuit Hevilath ab Hevila filio Jectan cognominata, ſive in Africa vel in Aſia, ut alii volunt.

[ ℣. 31. *Iſti ſunt filii Sem ſecundùm cognationes & linguas* &c. ] Ex his voluerunt quidam quòd ante ædificationem Babel, variæ linguæ fuerint, ſed quas omnes & ſinguli tunc intelligerent. Quoniam tamen hæc non benè conſentiunt cum cap. 11. verius eſt id quod de linguis hic dicitur, per prolepſim ſeu anticipationem dici; ita ut nominentur hic linguæ, non quæ erant eo tempore, ſed quæ mox erant futuræ; & quæ etiam tunc erant quando Moyſes ſcribebat.

[ ℣. 32. *Hæ familiæ Noe juxta populos & nationes ſuas.* ] Nam quòd non plures filii Sem, Cham, & Japhet, fuerint, quàm ſupra ſunt commemorati; ſed quia alii non conſtituerunt nec denominaverunt diverſas gentes; Naſcendo quippe accedebant uni prædictarum, novam verò gentem non faciebant.

[ *Ab his diviſæ ſunt gentes in terra poſt diluvium.* ] Ex c. 4. præcedenti conſtat aliquam gentium diviſionem fuiſſe ante diluvium. At ne de illa putaremus hic eſſe ſermonem; conſultò additum fuit, *poſt diluvium*. Senſus ſententiæ eſt, quòd omnes diviſiones gentium quæ in toto mundo reperiuntur poſt diluvium, ab his familiis trium filiorum Noe, Sem, Cham, & Japhet, natæ ſunt; ita ut nullæ ortum aliunde habeant, quàm ab iſtorum filiorum familiis.

## CAPUT XI.

*Turris Babel extruitur, ſuperborum faſtus & lingua confunditur, Sem genealogia texitur uſque ad Abram : qui juſſu Dei ex Chaldæa migrat in Meſopotamiam.*

[ ℣. 1. E*Rat autem terra labii unius*, ] Oratio eſt dupliciter figurata: Nam & terra pro terræ incolis ſeu pro hominibus in terra degentibus ponitur: & labium pro lingua vel idiomate ſeu ſermone. Quoniam enim ſermo formatur lingua & labiis; ideò tum lingua tum labium frequenter ponitur pro ſermone; ſicut etiam manus pro litteris vel ſcriptura uſurpatur, cùm de illa dicimus quòd ſit manus hujus aut illius.

[ *Et ſermonum eorumdem.* ] Hæc pars eſt expoſitio prioris, homines enim eſſe unius labii, eſt eſſe eorumdem ſermonum. Unde ſenſus eſt quòd omnes homines qui ſuper terram erant, habebant eamdem linguam ſeu idem idioma, & eodem ſermone loquebantur. Dico omnes, quia iſtam univerſalitatem exprimunt 70. dicentes quòd *erat omnis terra labium unum, & una vox omnibus*; eamdemque implicitè ſignificat noſtra editio vulgata: ſi enim non de omni terra ſermo eſſet, non diceret ſimpliciter quòd terra erat labii unius, ſed quòd una terra erat unius, & altera alterius. Ex his intelligi poteſt non eſſe ſacræ ſcripturæ conſentaneum, id quod quibuſdam placuit, diu ante conſtructionem turris Babel magnam fuiſſe inter homines linguarum & ſermonum varietatem: Hujus enim loci ſententia oppoſitum clarè ſignificat. Neque expoſitio quam adferunt volentes Moyſen ideò dixiſſe quòd terra erat labii unius, quia omnes ſe invicem intelligebant, probabilitatem habet; tum quòd ipſa phraſis longè aliud importet; tum quòd nemo dixerit Germaniam, Angliam, Galliam eſſe unius labii & ſermonum eorumdem, etiamſi iſtarum nationum homines invicem loquentes intelligerent.

Non fuerunt plures linguæ ante diluvium.

Si quæras, quodnam fuerit idioma quod unum habebant omnes ante conſtructionem turris Babel. Reſp. juxta Hieron. epiſt. 142. ad Damaſum, Auguſt. lib. 16. de civit. cap. 11. & alios communiter fuiſſe Hebræum: quia nomina quæ in primis capitibus leguntur,

in nulla lingua significant id quod ibi dicuntur significare, nisi in Hebræa. Quod tamen idioma non vocabatur antea Hebræum, cùm omnium hominum commune esset, sed ita vocari cœptum est facta confusione linguarum, eò quòd tunc manserit purum & incorruptum in sola familia Heber, à quo proinde ut ab aliis distingueretur, dictum est Hebræum: Scribit verò August. quòd non in universam progeniem suam illud transmiserit, sed in eam tantùm cujus generationes producuntur ab Abraham; qui etiam non in omnes filios seu posteros suos illud transfudit, sed in eos tantùm qui propagati per Jacob & insignius, aliisque eminentius in Dei populum coalescentea Dei testamenta & stirpem Christi habere potuerunt,

[ ℣. 2. *Cumque proficiscerentur de oriente*, ] Orientem appellat Armeniam, quæ Babyloni est orientalis juxta Abulensem, Delrionem, Pererium & alios non paucos. Cùm enim arca finito diluvio requieverit super montes Armeniæ, ut dicitur cap. 8. verisimile est Noe cum suis filiis aliisque posteris habitasse in locis Armeniæ per illos centum annos qui à diluvio fluxerunt usque ad hunc egressum. Tamdem verò cum valdè multiplicarentur, ita ut terra illa montosa nec multum fœcunda difficulter videretur posse omnes capere & alere; aliud solum quæsierunt quod fertilius & planius commodiusque esset ad habitandum, ut sibi invicem quodammodo essent contigui ac vicini.

[ *Invenerunt campum* ] Hebr. vallem, hoc est, terram non montosam nec situ asperam sicut in Armenia, sed planam, latam, & amplam, habitationique commodam

[ *In terra Sennaar*, ] non quòd hæc terra fuerit antea vocata Sennaar, cùm ad eam nemo hactenus venisset, sed quia sic postmodum vocata est ab eventu: Nam Sennaar uno modo idem valet quod excussio dentium; ibi verò censeri possunt excussi dentes, saltem secundùm effectum, ubi excussa fuit prioris linguæ consuetudo. Nam dentes non parum juvant ad loquendum. Alio modo significat idem quod fœtor eorum. Et quia Nemrod sociorumque ejus feritas ac tyrannis erat multis ingrata; boni quidam inter quos Assur cum suis inde egressi, causam sui abitus, nomine loci expresserunt, eumque horridum ac fœtidum appellarunt. Erat autem hæc terra Sennaar in Chaldæa seu Babylonia. Unde Zachar. 5. pro in terra Sennaar, 70. habent, in terra Babylonis.

[ *Et habitaverunt in eo*. ] Loci amœnitate & fertilitate, aquarumque copia illecti ibi substiterunt & aliquamdiu habitaverunt: postea verò incessit eos cupido civitatem & turrim admirandæ celsitudinis ædificandi. Non enim quando moverunt sedes de oriente, ea intentione venerunt ut civitatem & turrim illam excelsam ædificarent; imò nec statim ut campum terræ Sennar invenerunt, eam ædificare cœperunt, sed constructis primùm variis hinc inde mansionibus, ibi habitaverunt & postea demum de civitate & turri præcelsa ædificanda cogitaverunt. Quinam porro egressi fuerint de Oriente & in terra Sennaar habitarint, non liquet. Si egressionis causa fuisset sola hominum multiplicatio quos omnes una Orientis terra deinceps non caperet; probabile foret id quod quibusdam visum est, aliquos ibi remansisse, alios autem egressos fuisse. At verisimile est illam non fuisse solam causam egressionis: sed alia eaque potissima fuit, ut quærerent solum & commodius quoad situm, & fertilius quoad fructus, & communi habitationi opportunius. Et propterea, Abulensi, Delrioni, Pererio, Marzillæ & aliis pluribus assentimur existimantibus omnes omnino homines qui tunc erant, atque adeò etiam Noe cum filiis egressos fuisse, & venisse in terram Sennaar. Si enim aliqui non essent egressi, remansisset in eis lingua Hebræa, quandoquidem non fuissent in Sennaar ubi linguarum confusio facta est & non alibi; & tamen communis receptaque sententia est linguam Hebræam puram & incorruptam remansisse in sola familia Heber, à quo & vocata est Hebræa: Quòd autem Heber ejusque familia cum cæteris exierit de oriente, non est dubium, cùm post linguarum divisionem habitaverint in Chaldæa.

*Omnes videntur egressi de oriente.*

Moraliter per terram orius labii intelliguntur homines concordes & unanimes, qui cum egrediuntur à Christo qui Zachar. 3. 6. & Luc. 1. vocatur Oriens; sive quando lumen rationis deserunt, inveniunt campum, viam scilicet latam & spatiosam quæ ducit ad perditionem Matth. 7. & hoc in terra Sennaar, hoc est, in abundantia & fœtore vitiorum, ibique habitant vacantes libidini propriæque voluntati: justi autem quibus vitia fœtent, Sennaar seu Babylonem deserunt, sicut fecit Assur memores ejus quod Zach. 2. legimus *Fugite de terra Aquilonis*: Et iterum, *O Sion fuge qua habitas apud filiam Babylonis*.

[ ℣. 3. *Dixitque alter ad proximum suum:* ] Seu alter ad alterum. Posteaquam aliquanto tempore in terra Sennaar habitarunt, cœperunt cogitare de magnis quibusdam operibus construendis ac de illis inter se deliberaverunt, non tamen omnes, sed superbi quibus fuit ea cupido & qui aliorum cupidini consenserunt. Unde August. l. 16. de civit. cap. 11. ait, etiamsi non evidenter sit expressum, fuisse tamen aliquod pium genus hominum quando ab impiis Babylonia condebatur. Et postea docens illam linguam quæ fuit ante communis, in ea gente remansisse, à cujus nomine nomen accepit, addit *hoc justitiæ gentis non parvum apparuisse vestigium quod cum aliæ gentes plecterentur mutatione linguarum, ad istam non pervenit tale supplicium*. Accedit quòd ex Sap. 10. satis manifestum est improbos fuisse eos qui ad ædificationem turris Babel convenerunt; de Sapientia namque sic ibi legitur. *Hæc & in consensu nequitiæ cum se nationes contulissent*: hoc est, Cùm homines nequam inter se conspirassent, unanimiterque in scelus turris ædificandæ consensissent, *scivit justum & conservavit sine querela*. Quapropter neque Noe, neque Heber, aut alios qui cum ipsi pii erant, cooperatos fuisse vel consensisse constructioni turris Babel, omnino est existimandum. Consenseritne Abram, si quæris: Negativè est respondendum; vel quia nondum erat natus, ut verisimilius est, si linguarum confusio contigerit circa tempus nativitatis Phaleg; cùm postea Phaleg genuerit Reu, & Reu Sarug, & Sarug Nachor, & Nachor Thare, & Thare Abram, vel quia etsi juxta aliorum calculum admitteretur Abram tunc fuisse natus, justus erat, ideòque iniquorum superbiæ & nequitiæ non consentiens.

[ *Venite, faciamus lateres*, ] alii ex Hebr. vertunt, Da, laterificemus lateres; ita tamen ut dare accipiatur pro agere: Unde in bibliis Ariæ Montani sic habetur, Agite, laterificemus lateres. Verba autem sunt se invicem exhortantium. Horum porrò ducem, totiusque superbi consilii authorem fuisse Nemrod scribit Josephus lib. 1. Antiquit. cap. 5. & postea S. Augustinus lib. 16. de civitat. cap. 4. Unde licèt Abulensis istos ædificatores à peccato excuset; communiter tamen ei contradicitur. Primò propter finem quem habebant sibi propositum, qui erat superba & ambitiosa sui nominis æternandi cupiditas, quemadmodum illa eorum verba indicant, *cujus culmen pertingat ad cælum*; itemque ista, *& celebremus nomen nostrum*. Secundò, quia Deus non tantùm impedivit successum, sed etiam usus refertur phrasi quam usurpare solet dum peccati alicujus gravitatem vult ostendere: *Descendit* enim *ut videret*: ac dixit: *Venite, descendamus*, sicut postea cap. 18. *Descendam & videbo utrùm clamorem qui venit ad me, opere compleverint*. Tertiò, quia Deus illos ædificatores punivit confusione linguarum: consequens igitur est eos graviter peccasse. Idemque probat locus Sapient. 10. supra citatus. Et est hæc sententia Philonis lib. de confusione linguarum, Josephi lib. 1. Antiq. cap. 5. Chrysostomi homil. 30. in Genes. August. lib. 16. de civitat. cap. 4. & 11. Ruperti lib. 4. super Genes. cap. 41.

*Ædificatores peccaverunt.*

[ *Et coquamus eos igni*. ] Hebr. comburamus ad combustionem, quasi dicerent, faciamus lateres fortissimos, quos igne coquamus quantum coqui possunt.

[ *Habueruntque lateres*. ] Igni coctos,

[ *Pro saxis*, ] hoc est, pro lapidibus nativis & silicibus,

bus, qui ex terra ſponte proveniunt, coquente ſole. Cur lateribus uſi fuerint, cauſa eſſe putatur, quòd ibi non ſatis magna eſſet copia lapidum.

[ *Et bitumen pro cæmento.* ] Bitumen eſt gluten quoddam tenaciſſimum, maximè aptum ad conglutinandum; cujus in ea regione naſcebatur maxima abundantia. Cæmentum eſt rudis illa materia ex qua ædificia conſurgunt, ac etiam ipſi lapides cæſi ac ad ædificandum aptati. At hic ſumitur pro materia molli ac tenaci qua lapides aut lateres ad invicem connectuntur & conglutinantur: ſive, pro calce, aqua, & ſabulo ſimul commixtis. In Hebr. eadem eſt vox, quam noſter interpres primò vertit, bitumen, poſtea cæmentum. Sed tum ex re ipſa, tum ex ejus circumſtantiis clarum eſt non debuiſſe reddi unam eamdemque vocem latinam. Quoniam verò de facto ita eſt, quòd turris Babel & muri urbis Babylonis bitumine ſunt coagmentati, totuſque ille tractus bitumine abundat; optimè priori loco redditum eſt bitumen; optimè quoque loco poſteriori redditum fuit cæmentum, quia fabri ordinariè utuntur cæmento quando ædificant. Conferri poſſunt Theodoretus, Eugubinus, Marius. Septuaginta hic habent bitumen priori loco, & lutum poſteriori: ſed intelligendo lutum ex calce & ſabulo, ſenſus in idem redit; cæmentum quippe eſt quoddam genus luti. Unde Iſraelitæ Exod. 1. dicuntur fuiſſe gravati operibus lateris & luti.

Quid cæmentum.

[ ℣. 4. *Et dixerunt, Venite, faciamus nobis civitatem & turrim,* ] ſermo eſt Nemrod, & ejus ſociorum ſuperbo iſti conſilio conſentientium. Ex his porro ſatis liquet, quòd non tantùm turrim, ſed & civitatem extruere vellent: An verò unam ſolùm turrim ædificare cuperent, an plures, & inter eas unam reliquis celſiorem; ſitque numerus ſingularis poſitus pro plurali, ſicut dicitur miles venire, & militum multitudo intelligitur, eſt incertum.

[ *Cujus culmen pertingat ad cœlum:* ] Locutio eſt hyperbolica pro eo quod diceremus, faciamus turrim altiſſimam. Si quis tamen opinari velit eos tam ſtultos fuiſſe ut vellent ſibique perſuaderent poſſe turrim ædificare cujus culmen revera pertingeret uſque ad cœlum nihil dicet improbabile: ſuperbia enim & ignorantia excæcati potuerunt ſtultam illam perſuaſionem habere.

[ *Et celebremus nomen noſtrum.* ] Hæc eſt vera cauſa conſtructionis civitatis ac turris Babel., ambitioſa cupido nominis æternandi per aliquod opus prodigioſæ magnitudinis. An etiam tam ſtulti fuerint ut hac via ſe munire vellent contra novum diluvium quod non obſtante pacto Dei eum Noe metuerent, ſicut indicat Joſephus lib. 1. Antiquit. c. 5. non liquet.

[ *Antequam dividamur,* ] Hebr. ne fortè diſpergamur, priuſquam ſcilicet aliquid memorabile geſſerimus: non enim ſunt verba dubitantium de diſperſione, ſed nolentium diſpergi, nullo ſuæ famæ vel potentiæ relicto monumento. Sciebant quippe mundum eſſe conditum ut ab hominibus incoleretur, & videbant hominum multitudinem ita augeri ut non diu poſſet una regio illos omnes capere: ex quo manifeſtè poterant intelligere ipſos in regiones varias eſſe diſpergendos. Obſervari hic poteſt quòd qui ſua ſorte contenti non ſunt, neque intra ſuos limites volunt conſiſtere ampliora ſemper & majora quærentes, facilè in ſuperbiam & in ſtulta quædam opera prolabuntur quæ mergunt homines in interitum. Et ſicut civitas hæc Babylon ortum habuit ex ſuperbia; ita hæreſes quibus maximè ædificatur Babylon ſpiritualis ſeu civitas diaboli, ex ſuperbia oriuntur.

[illegible]

[ ℣. 5. *Deſcendit autem Dominus ut videret civitatem & turrim,* ] non locum mutando atque adeò non propriè deſcendit Deus, cùm certa fide conſtet ipſum ubique eſſe, nec loco moveri poſſe; uti nec aliquid de novo videre poteſt, cùm omnia nuda & aperta ſint oculis ejus; ſed ad ſimilitudinem hominum talia ipſi tribuuntur. Sicut enim homo in ſublimi conſtitutus ad hominem deſcendit, quando ad eum accedit fitque illi propinquus; ita Deus ad homines & ad hominum opera deſcendere dicitur, quando ſecundùm aliquem effectum fit eis propinquus, ſecundùm quæ antea propinquus non erat, cum ante quamvis propinquus eſſet, talem tamen effectum non operaretur. Tunc autem quippiam videre dicitur, quòd prius etſi videret, non tamen dicebatur videre; quando oſtendit ſe illud cognoſcere, ſive pœnas minando, ſive afflictos conſolando, ſive adjuvando miſeros, ſive bonos præmiando ſive malos puniendo, vel eorum opera deſtruendo. Conſuetudinis porro ſcripturæ eſt, quando vult indicare Deum lento gradu, maturaque & certa cognitione prævia procedere ad ultionem ſumendam de hominibus, dicere quòd Deus deſcendat, ut infra cap. 18. v. 21. Exod. 3. v. 8. Mich. 1. v. 3. Per quod diſcere licet quanta cautione & circumſpectiono uti debeamus, priuſquam de aliorum dictis aut factis judicemus.



[ *Quam ædificabant filii Adam,* ] ſeu ut 70. filii hominum: Adam enim hic eſt nomen appellativum; Continetque iſte ſermo ironiam, quòd cum ſint de Adamia ſed de terra orti, ſuperbè tamen ſapere & in cœlum ædificare audent.

[ ℣. 6. *Et dixit: Ecce unus eſt populus & unum labium,* ] ſeu unus ſermo & una lingua

[ *Omnibus: nec deſiſtent.* ] Si nimirùm permittantur agere. Quidam volunt iſta per recapitulationem hic inſeri, cùm dicta fuerint, priuſquam Deus deſcenderet; quæ autem hactenus de Dei deſcenſu audivimus, per anticipationem dicta fuiſſe. At verius eſt duplicem Dei deſcenſum deſcribi; unum ut videret: alium ut linguas confunderet; & quæ Deus hic dixiſſe legitur, ſunt poſteriora deſcenſu primo, ſed antecedunt ſecundum; Hanc interpretationem ſuadet vocula igitur, quæ eſt nota proſequentis potius quàm recapitulantis.

[ ℣. 7. *Venite igitur, deſcendamus,* ] Julianus apoſtata hinc probabat eſſe multos deos, exiſtimans hæc eſſe verba unius Dei ad alios. Judæi & ex Chriſtianis aliqui volunt eſſe verba Dei loquentis ad Angelos. Sed vera eſt expoſitio B. Cyrilli l. 4. in Julian. Chryſoſtomi hom. 30. Procopii, & plurium aliorum eſſe *verba* unius perſonæ Summæ Trinitatis ad alias, ſicut illa cap. 1. *Faciamus hominem*; tum quòd linguarum in mente humana confuſio cum oblivione linguæ primitivæ, tam ſubita non eſt opus Angelicum, ſed divinum: tum quòd Deus nuſquam reperiatur ſic ad Angelos locutus, ut dicat, Faciamus hoc aut illud, ſed potius ſolet eis præcipere ut faciant. Hinc ergo ſtatui poteſt unum eſſe Deum, & plures, imò tres in deitate perſonas. Qui enim dicit, *Venite, Deſcendamus*, ad aliam, imò ad duas alias perſonas ſermonem dirigit.

[ *Et confundamus ibi linguam eorum,* ] Confundere non valet hic idem quod pudefacere, ſed ſignificat commiſcere & commiſcendo perturbare: quo modo confunditur cantus philomelæ, quando ei multarum aliarum avium garritus admiſcentur.

[ *Ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui.* ] Hoc eſt, ut qui ſunt de una cognatione ſeu familia, loquentes non intelligant eos qui ſunt alterius familiæ: nam audire hic pro intelligere ponitur: & tot fuerunt linguæ, quot diverſæ familiæ; non verò quot diverſæ perſonæ; ſic enim non potuiſſet eſſe ulla hominum ſocietas. Ita autem iſta linguarum confuſio facta eſt, ut pro una Hebræa quam omnes callebant, & quæ incorrupta manſit in ſola familia Heber, ſubitò multæ eſſent, Deo reliquis familiarum capitibus inducente oblivionem prioris linguæ, delendo ex eorum animis habitum ipſius, & indente uni habitum unius, alii alterius, & ſic conſequenter; ita ut non amplius intelligerent invicem, ſed petenti ligonem alter daret bitumen, & petenti bitumen porrigeret ligonem vel ligna vel quippiam aliud; ſicque mutuo irridentes & iraſcentes, ſeparati fuerunt ab invicem. Quemadmodum enim linguæ unitas fecerat cohabitationem; ita linguarum diverſitas fecit ſeparationem. Quot porro fuerint novæ linguæ, incertum eſt. Epiphanius initio Panarii, Hieron. in cap. 26. Matth. Auguſt. lib. 16. de civit. cap. 3. & 11. Proſper l. 2. de vocat. Gent. c. 14. & alii veteres, ſeptuaginta duas faciunt juxta numerum familiarum Noe quæ cap. 10. recenſentur. Recentiores autem non pauci volunt ſolùm fuiſſe quinquaginta quinque familias, ac per con-

sequens etiam 55. linguas, eò quòd è numero capitum septuaginta duorum tolli debeant omnes primi parentes singularum familiarum, cùm non possint constituere familiam seu gentem diversam à suis filiis: Deinde tolli etiam debent omnes quorum filii non commemorantur; non enim soli gentem constituebant. Verùm an hæc ita convincant ut veterum sententiam deserere oporteat, non immeritò quis dubitet. Responderi siquidem potest cum Leonardo Mario, certum esse quòd ex posteris Noe plures tunc essent nati, quàm 72. atque adeò facilè in eis poni posse 72. capita familiarum: Nam parentes primi familiarum constituerunt familias per eos ipsorum filios minores qui hic non recensentur: & similiter illi quorum filii reticentur omnino, constituunt familiam cum omnibus suis filiis hic tacitis. Cæterum, An aliquod idioma de ibi datis, gente pereunte, perierit: & an omnia quæ nunc sunt, ibi data fuerint, an verò humana industria, aliqua invenerit, incertum esse ait Abulensis.

[ ℣. 8. *Atque ita divisit eos Dominus* ] quia quisque recessit ab eo quem non valebat intelligere, & aggregavit se illis quos intelligebat:

[ *Ex illo loco*, ] In quo omnes antea volebant habitare.

[ *In universas terras*, ] Abierunt scilicet in varia orbis loca quæ ab eis deinde fuerunt cognominata.

[ *Et cessaverunt ædificare civitatem*. ] Nemrod tamen qui principari volebat, ibi mansit cum eis qui poterant ipsum intelligere, & dominatus fuit super eos. Quamvis autem esset regnandi cupidissimus, non fuit tamen ausus excelsam turrim imò nec urbem consummare nimio timore perculsus, ne vel Deus eum à suis divideret, vel pejus aliquid ei immitteret, sicque intermissa fuit hæc ædificatio usque ad Semiramidem quæ civitatem perfecit, sed non turrim. Observandum quòd superbia linguarum divisionem meruit, humilitas autem earum unionem obtinuit Act. 2.

[ ℣. 9. *Et idcirco vocatum est nomen ejus*, ] Nimirùm civitatis de qua sermo præcessit.

[ *Babel*, ] non igitur à Belo cognominata est ea civitas, quam Belus seu Nemrod cœpit ædificare, sed ab eo quòd tam in ejus quàm in turris ædificatione contigit, hoc est à confusione linguarum. Nam Babel confusionem vel mixtionem significat. Unde ratio istius nominationis mox sequitur.

[ *Quia ibi confusum est labium universæ terræ:* ] Sive quia ibi confusa est omnium hominum lingua. Si quæras quis eam civitatem primò vocavit Babel. Resp. probabiliter fuisse Noe vel Heber, à quibus deinde ista appellatio ad alios dimanavit: Ab hac autem urbe tota regio postea dicta est Babylonia.

[ *Et inde*, ] Id est, ex eo loco ubi linguæ fuerunt confusæ, *dispersit eos Dominus*.

[ ℣. 10. *Hæ sunt generationes Sem:* ] Sive hi sunt quos Sem genuit. Solius Sem deinceps genealogiam texit, idque in recta linea Abrahæ, quia ex Sem per Abraham descenderunt Hebræi, propter quos scribebat, & ex eodem ac etiam per eumdem nasciturus erat Christus.

[ *Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad biennio post diluvium*. ] Si (ut probabile est) intelligatur Sem fuisse tunc centum annorum præcisè, consequenter dicendum est quòd Noe quando ipsum genuit, erat annorum quingentorum duorum; qui tamen duo anni reticentur cap. 5. ubi dicitur Noe cum quingentorum esset annorum genuisse Sem, Cham, & Japhet; quia mos Hebræorum sicut & aliarum nationum est, numerum plenum, ac rotundum exprimere, imperfecto suppresso; prout supra monuimus cap. 10. ad v. 21.

[ ℣. 11. *Et genuit filios & filias* ] Quorum nomina tacentur, quia sunt extra lineam Messiæ.

Si petas, quare hic non additur sicut cap. 5. *& mortuus est*? Resp. rationem esse, tum quòd hoc satis intelligitur ex præsentis cap. serie, attento præsertim quòd ex cap. 5. ac deinceps manifestè patet pœnam mortis quæ cap. 3. fuit in universum genus humanum fulminata, omnibus esse communem; tum quod nemo est ex omnibus his generationibus, de quo tamquam ex cæteris mortalibus excepto dici possit id quòd illic de uno dumtaxat fuit dictum, *& non apparuit, quia tulit eum Deus*.

[ ℣. 12. *Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale*. ] Omnia tam Hebræa quàm Latina exemplaria, tum hoc & præcedenti cap. tum 1. Paral. 1. constanter habent quòd Arphaxad genuit Sale: Codices autem 70. interpretum semper dicunt quòd Arphaxad genuit Cainan, & Cainan genuit Sale. Et hos interpretes secutus fuit B. Lucas sui Evangelii cap. 3. dicens; *Qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad*.

*Unde quæritur*, fueritne revera Cainan medius inter Arphaxad & Sale, an non. Si sic. Unde ista varietas orta sit.

*Ad prius Resp.* Cainan fuisse revera medium inter illos, atque ut talem esse agnoscendum: quia dici non potest vel interpretes 70. errasse, recensendo Cainan, vel eorum textum esse corruptum; partim quia in omnibus editionibus 70. repetitur quòd Arphaxad genuit Cainan; partim quia nullo modo existimandum est B. Lucam (cum Spiritu sancto inspirante & dictante scripserit) secutum fuisse vel errorem interpretum, vel textum corruptum; hoc enim esset ipsi Spiritui sancto errorem ascribere. Confirmatur, nulla proferri possunt exemplaria Evangelii secundùm Lucam, quantumcumque sint antiqua, modò catholica; in quibus non habeatur Cainan: ergo semper in eo fuit, ac per consequens non est ibi ex corruptione alicujus exemplaris, sed à scriptore originario illic fuit positus. Accedit quòd è patribus nemo in textu B. Lucæ vel omittit Cainan, vel notat textum esse corruptum; sed si qui aliquando omittunt, hoc faciunt secuti Hebræum vel vulgatum textum Latinum Genesis aut Paralipomenon. Denique Conc. Trident. vult omnes libros Sacræ scripturæ integros cum suis partibus suscipi prout in Ecclesia catholica legi consueverunt: Cùm igitur Evangelium S. Lucæ semper in Ecclesia legi consueverit cum hac parte, *qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad*; ita suscipiendum est.

*Ad posterius* duobus modis Responderi potest. Uno, cùm Toleto & Estio dicendo Moysen scripsisse quòd Arphaxad genuit Cainan, & Cainan genuit Sale; interpretesque 70. sic in Hebræo textu Moysi legisse; sed generationem Cainan postea è textu Hebræo, excidisse, & mansisse in Græco. B. ergo Hieronymus quia Genesim ex Hebræo vertebat, non meminit Cainan, ubi generationem ejus non invenit; Meminit autem S. Lucas, ac etiam Hieronymus Lucæ 3. quia ille Græcos codices sequebatur; iste Evangelium ad fidem Græcorum codicum emendabat; in his autem expressus erat Cainan. Alio modo Resp. & Moysen consultò omisisse Cainan, & Septuaginta interpretes consultò illum expressisse, diversa ratione. Moysen quidem omisisse, quia statuerat à Noe usque ad Abraham decem generationes seu decem personas recensere, sicut recensuerat decem ab Adam usque ad Noe: si autem nominasset Cainan, redundasset una persona. Sicut ergo S. Matthæus, cùm sui Evangelii cap. 1. vellet Christi genealogiam in tres quaterdenas generationes distribuere, in secunda omisit tres Reges, Ochoziam, Joas, & Amasiam quos ex 4. Reg. 9. 11. & 12. constat intercessisse; ita dici potest Moysen, cùm vellet in duas decades distribuere genealogias ab Adam usque ad Abraham, in secunda omisisse unum, scilicet Cainan. Quare autem hunc potius quàm alium omiserit: & quare sic in decades distribuerit, haud facilè est affirmare. An fortè hoc quia denarius est numerus perfectus; & illud, in detestationem facinoris Cain, cui affine est vocabulum Cainan? Quoniam verò Septuaginta non attendebant ad numerum illum denarium, sed statuerant exactum catalogum omnium generationum exprimere, ideò non omiserunt sed posuerunt generationem Cainan. Et quia S. Lucas Græcis Græcè scribebat, græcosque interpretes 70. sequebatur, Cainan expressit.

Sed unde 70. sciverunt addendum esse Cainan, si

illum

illum non repererunt in Hebræo? Resp. quòd vel ex traditione, vel ex veterum Hebræorum historiis, vel ex inspiratione divina. His conformia scribunt Melchior Canus. lib. 2. de locis cap. 18. Delrio & Marzilla super hoc cap. Franciscus Lucas partim in notationibus, partim in comment. super Lucam, Salianus & Torniellus ad ann. mundi 1604. Mennochius in Lucam, Tirinus ibidem, & in chronico sacro cap. 13. Leonardus Marius hic.

Si dicas, non minoris esse periculi, dicere Moysen esse mutilum, quàm Lucam esse redundantem. In primis Resp. Lucam non redundare, cùm nihil habeat, nisi quod in veritate erat habendum. Deinde Resp. plus periculi esse dicere Lucam ponere alicujus generationem quæ non esset ponenda; quam dicere Moysen eam omisisse; quia Moyses illam omittendo, non negat ipsam fuisse; Lucas verò eam exprimendo, asserit ipsam fuisse. Asserere autem id quod non est, est crimen falsi; at omittere id quod est, quando rationabilis causa est illud tacendi seu omittendi, ad nullam falsitatem pertinet. Et propterea quamvis concederetur quòd Moyses omiserit Cainan, neque tamen falsum scripsit neque est mutilus; non magis quàm Matthæus omittendo tres reges possit dici esse mutilus aut falsum scripsisse, quia rationes habuerunt sic omittendi. Adde sanctos Evangelistas ita suos Evangeliorum libros concinnasse ut frequenter unus taceat id quod alius exprimit; nec tamen ideo possunt dici esse mutili.

Si prætereà dicas Epiphanium in hæresi 55. non meminisse Cainan, dum ea 70. recitat seriem generationum ab Abraham usque ad Sem; ideòque signum evidens esse quòd isto tempore apud interpretes 70. non extaret generatio Cainan, sed à sciolis quibusdam fuerit postea eis inserta, ac deinde etiam Evangelio S. Lucæ. Resp. de illa sciolorum audacia nihil hactenus haberi: Epiphanius autem isto loco nominat Cainan, tum quod non pertineret ad suum institutum quo impugnare volebat Samaritas dicentes quòd Melchisedech esset Sem filius Noe; tum quòd Samaritæ versione 70. non utebantur, sed Hebræa tantùm lectione. Alias autem disertis verbis exprimit generationem Cainan, ut ante hæresim 5. & hæresi 66. ac deinde bis in Ancorato.

Neque est quòd quispiam hic B. Augustini regulam objiciat ex lib. 15. de civit. cap. 3. (pro cap. 13.) ubi ait quòd si translatio ab originali dissentit, ei linguæ potius credendum est unde in aliam per interpretationem facta est translatio; unde infert Moysi Hebræo credendum potius quàm interpretibus 70. Quoniam ista regula solùm obtinet in iis ubi translatio repugnat originali, non autem ubi una supplet alteram. At quòd unus quippiam taceat quod alter exprimit, nullam importat contradictionem ut ex Evangelistis patet. Confirmari hæc possunt ea ipsa B. Augustini regula, quæ non habet, Si translatio ab originali dissentit, sed *cum diversum aliqui in utrisque codicibus invenitur*; diversum autem intelligit quòd tale est ut unum alteri repugnet, sive ut loquitur, quando non potest utrumque esse verum.

Neque objiciendum est constare quòd apud interpretes 70. sit error in numeris annorum: quia vitium annorum facile est, in eis præsertim linguis quæ cifris aut litteris numerant; intrusio autem genealogiarum non est ita facilis. Deinde error annorum non plus valere debet ad excludendam generationem Cainan, quàm ad excludendas alias, maximè cum S. Lucas eam sicut aliquas habeat ex 70. interpretibus. Non est etiam opponendum quòd si 70. habuissent tempore S. Hieronymi generationem Cainan, ipse hoc non tacuisset; quandoquidem in qq. Hebr. & alibi diligenter notet ubi 70. discrepant ab Hebræo. Constat enim S. Hieronymum non omnes illas diversitates annotasse, sed quasdam præteriisse, ut patere potest conferenti cap. 12. Genesis, ubi Hebræa sic habent, *& fuit ei pecus & bos, & asini, & servi, & asinæ, & cameli*: pro quibus apud 70. sic legitur: *& fuerunt ei oves, & vituli, & asini, & pueri, & ancillæ, & muli, & cameli*. Cap. quoque 23. v. 15. Septuaginta discrepant ab Hebræo, quemadmodum & cap. 49. & alibi variis in locis, quorum tamen varietatem Hieronymus non notat, sed præterit.

Difficultas superest, quomodo verum esse possit quòd Arphaxad triginta quinque annorum existens genuerit Sale, quemadmodum habet textus noster, si ipse genuit Cainan, & postea Cainan genuit Sale. Resp. hoc eo sensu verum esse, quo Matth. 1. dicitur *Joram genuisse Oziam*, scilicet mediatè. Sicut enim Joram tunc incœpit generare Oziam, quando genuit ejus parentes; ita Arphaxad tunc cœpit generare Sale, imò & ipsum in principio ejus effectivo genuit, quando genuit Cainan ejus parentem, quod fuit anno ætatis ejus 35.

[ ℣. 13. *Vixitque Arphaxad postquam genuit Sale.*] Seu postquam cœpit illum generare, generando Cainan.

[ *Trecentis tribus annis.* ] Non consentiunt huic numero codices Hebræi, imò nec omnes Græci: ubi autem ejusmodi est varietas, nostræ versioni standum est, cùm neque Hebræa neque Græca ita sit authentica sicut nostra vulgata. Si quæras, quoto anno Cainan genuerit Sale. Resp. quòd anno 30. licèt enim editio 70. habeat 130. satis tamen constat eam in numeris annorum esse mendosam, idque non uno sed pluribus locis, non quidem ipsorum interpretum vitio aut errore, sed scribarum.

[ ℣. 14. *Sale quoque vixit triginta annis, & genuit Heber.*] Hoc etiam loco editio 70. habet annos centum triginta, sed mendosè.

[ ℣. 20. *Vixit autem Reu triginta duobus annis, & genuit Sarug.* ] Sarug irritationem significat, & revera juxtà nomen suum hic Deum irritavit, quia idololatriam mirificè propagavit.

[ ℣. 26. *Vixitque Thare septuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran.* ] Quidam existimant Abram primo loco nominari, eò quòd esset primogenitus. At ipsum non fuisse primogenitum, Lirani, Procopii, Abulensis, & aliorum sententia verisimilior est, posito id quod communiter ponitur ac tenetur, Saram fuisse filiam Aram fratris Abræ. Ut enim cap. 17. legitur, Sara erat nonagenaria, quando Abraham erat centenarius, atque ita solùm erat decem annis junior, quàm Abraham. Si ergo Aran fuisset genitus post Abram, oporteret quòd Aran anno suæ ætatis nono vel decimo genuisset Saram: id quod nullo modo est credibile, illis præsertim temporibus, quando tardius generare incipiebant. Causæ igitur ob quas Abram primus nominatur, aliæ sunt. Prima, quam S. Aug. q. 25. in Genes. indicat, clarè autem asserunt Lyranus & Procop. est, quia Abram erat omnibus filiis Thare dignior, celebrior, & honoratior. Secunda, quia ipse erat pater populi Israelitici, cui hæc scribebantur. Tertia, quia Moyses deinceps descripturus erat prosapiam & gesta Abræ; adeò ut etiam propter ipsum, ejus fratres, Nachor & Aran hic recenseat. Nachor quidem, quia Isaac filius Abrahæ, uxorem accepit Rebeccam de stirpe Nachor; Aran verò, quia Sara ejus filia, fuit uxor Abrahæ. Hunc porrò ultimo loco nominat, eò quòd statim esset sermonem de illo continuaturus. Communior igitur sententia habet filiorum Thare, primum fuisse Aran, secundum Nachor, tertium Abram.

Abraham non fuit primogenitus.

Sed quoto anno patris sui natus fuerit Abram, valde ambigitur. Quod anno septuagesimo, Delrio, Pererius, Cornelius, & alii quidam omnino asserunt, propter textum hujus c. ubi cùm dicitur Thare vixisse septuaginta annis & genuisse Abram, significatur quòd cùm esset 70. annorum seu quòd anno suæ ætatis septuagesimo genuerit Abram. Et confirmant, quia alioqnin chronologia esset incerta & dubia, si Abram non sit natus anno patris septuagesimo.

Opposita tamen sententia Lirani, Procopii, Cajet. Tornielli, Saliani, Marzillæ, Marii, quam & S. Aug. quæst. 25. in Genes. indicavit, eumque secutus Hugo Victorinus, videtur probabilior. Primò quoniam ex cap. seq. constat Abram suæ ætatis 75. Dei jussu exiisse de Haran; & ex Actor. 7. habetur quòd inde exierit post mortem patris: Cùm ergo Thare pater ipsius vixerit ducentis quinque annis, ut in fin. præsentis c. exprimitur; consequens est quòd Abram natus fuerit circa ann. patris centesimum trigesimum. Si enim septuaginta quinque annis jungantur centum triginta, invenientur anni 205.

Abram fuit natus circa ann. patris 130.

Secundò, Si Abram natus est anno patris sui septuagesi-

mo; ergo moriente patre agebat ann. centesim. trigesim. quintum,; ac per consequens genuerat Ismaelem, & Isaac; genuit enim Ismaelem anno suæ ætatis octogesimo sexto, ut dicitur infra cap. 16. & Isaac, cum centum esset annorum cap. 21. Sed ex cap. 7. Act. liquet Abram non habuisse ullum filium vivente patre. Ibi enim dicitur, quòd *postquam mortuus est pater ejus Deus transtulit illum in terram Chanaan, & repromisit dare illi eam in possessionem, & semini ejus post ipsum, cùm non haberet filium*: ergo non videtur posse subsistere quòd Abram natus sit anno patris septuagesimo.

Ad arg. in contrariam partem allatum Resp. istorum verborum *Vixitque Thare septuaginta annis, & genuit Abram Nachor & Aran*, sensum non esse quòd Thare genuerit Abram anno septuagesimo; sed quòd septuaginta annis vixerit, ac tum demum illos tres filios gignere cœperit, ita ut anno septuagesimo vel septuagesimo primo genuerit primum, alios autem annis sive paulò sive multò post sequentibus Aran scilicet anno septuagesimo, Nachor anno centesimo, Abram anno centesimo trigesimo.

Si objicias Abraham cum magna admiratione cap. 17. dicere. *Putasne centenario nascetur filius?* non potuisse autem hoc ita mirari, si ipsemet natus fuisset anno patris centesimo trigesimo. Resp. potuisse mirari, quia non tantùm ipse erat centenarius, sed insuper habebat corpus emortuum, ad Rom. 4. nec ignorabat uxoris suæ grandævam ætatem quam etiam allegat cap. isto 17. ejusdemque sterilitatem, de qua tum hoc cap. tum cap. 16. & ad Hebr. 11. Ad confir. Resp. chronologiam esse obscuram, nec minùs in aliorum quàm in hac sententia dubiam; cùm nec in ea cèrtò & evidenter constet de anno nativitatis Abrahæ, & tam probabiliter, imò probabilius colligi possit natus esse anno patris centesimo trigesimo quàm septuagesimo. Ac proinde non magis vitiatur chronologia juxta hanc sententiam, quàm juxta alteram, quia scriptura dat fundamentum eam rectè constituendi.

[ ℣. 27. *Porrò Aran genuit Lot*, ] ac etiam duas filias quæ infra nominantur. Unde patet quòd Abram non fuerit frater Lot propriè dictus (etiamsi cap. 13. illum vocet fratrem) sed patruus.

[℣. 28. *Mortuusque est Aran ante Thare patrem suum.*] Hoc est, coram Thare patre suo, ipso scilicet præsente ac vidente. Nam in Hebr. est, *in conspectu Thare*, & apud 70. *coram Thare.* Quo modo etiam legit August. lib. 16. de civit. cap. 32. Nec infrequens est in scriptura præpositionem, *ante*, idem valere quòd, *coram*; ut Psalm. 37. *Ante te omne desiderium meum.* Psal. 49. *ploremus ante Dominum.*

Ur est nomẽ urbis. [ *In terra nativitatis suæ in Ur Chaldæorum.* ] *Ur* ignem significat: omnino tamen videtur hic esse nomen proprium loci seu urbis in Chaldæa siti. Cùm enim Moyses dixisset Aran esse mortuum in terra suæ nativitatis, apparet quòd voluerit deinde significare in quo loco istius terræ sit mortuus. Nam quod Judæi narrant Abram, & Aran quòd ignem adorare nollent, in ignem conjectos fuisse à Chaldæis, & Abram quidem illæsum exisse, Aran verò velut minoris fidei, igne extinctum, fabula potius videtur quàm historia: non enim tantum miraculum, tantumque beneficium Abræ collatum taciturus fuisset Moyses, cùm hoc maximè pertinuisset ad commendandum Abraham, & ad Judæos ab idololatria avertendos. Accedit quod necesse est versu 31. accipere *Ur* pro nomine proprio loci, cùm etsi ea Judæorum narratio admitteretur, *non* sit tamen ulla apparentia quòd Thare eduxerit Lot & Saram de igne. Cùm ergo dicatur eduxisse illos de Ur Chaldæorum, per Ur oportet intelligi locum seu urbem Chaldææ. Neque his obstat quòd 2. Esdræ 9. legamus Deum eduxisse Abraham de igne Chaldæorum. Ita enim ipsum eduxit de urbe quæ Ur vocabatur, ut simul eduxerit de afflictionibus & persecutionibus quæ per ignem significantur, & quibus eum vexabant Chaldæi. Petes, quo modo supradictum est non addi hoc cap. istam clausulam, *& mortuus est*, quandoquidem ea nunc dicatur de Aran. Resp. non nudè ac simpliciter de illo dici, sicut cap. 5. de aliis dicitur; sed cum hac determinatione, coram patre; & cum ista, in terra nativitatis suæ in Ur Chaldæorum.

[ ℣. 29. *Duxerunt autem Abram & Nachor uxores: nomen uxoris Abram, Sarai.* ] Hanc eamdem esse cum Jescha tradunt Josephus lib. 1. antiquit. cap. 7. Hieron. in qq. Hebr. & ferè communiter alii. Observandum ergo quòd Aran qui in isto cap. vocatur pater Melchæ & pater Jeschæ, duas habuit filias, quarum singulæ nupserunt suis patruis, Melcha quidem nupsit Nachor, & Jescha (aliter Sarai dicta) nupsit Abræ. Quamvis enim hoc tempore nefas esset fratrem cum sorore matrimonio copulari; (unde ne Sarai putaretur esse uxor Abræ, rogata fuit dicere se sororem ejus esse, & Abimelech ut cognovit esse illius sororem, natura duce mox intulit non esse uxorem; ) non erant tamen prohibita matrimonia inter patruos & fratrum filias, ut ait Hieron. & Aug. lib. 22. contra Faust. c. 35. Sarai aliter vocata fuit Jescha. & erat filia Aran.

[ ℣. 30. *Erat autem Sarai sterilis.* ] Id etiam ex cap. 16. seq. & ex cap. 11. ad Hebr. liquet.

[ ℣. 31. *Tulit itaque Thare Abram filium suum.* ] Deo afflictionem quam ab Idololatris sustinebant, in Chaldæa miserante, divinitùs moniti sunt inde exire, quemadmodum habetur Judith. 5. & quamvis Thare cum reliquis Chaldæis aliquando coluerit Idola, (Thare namque pater Abraham & Nachor dicuntur Josue 24. servisse diis alienis;) post susceptum tamen Abraham, ejusque ut verisimile est, tum exemplo, tum monitione, veri Dei cultum fuit amplexus. Et cum deos patrum suorum amplius sequi nollet, Deus ei (forte per Abram) præcepit ex Chaldæa exire & habitare in Charan, ut isto c. 5. legitur, sicque idololatriæ cæremonias deserens & idololatrarum persecutionem fugiens, assumpsit.

[ *Abram filium suum, & Lot filium Aran filium filii sui, & Sarai nurum suam.* ] Ubi notandum quòd Sarai non vocatur filia Thare, quomodo vocanda erat, si revera fuisset vera & propria ejus filia, sed nurus seu uxor sui filii.

[ *Et eduxit eos de Ur Chaldæorum.* ] Hoc est, de illa civitate Chaldææ quæ habebat nomen, *Ur.*

Utrùm Nachor in hoc comitatu fuerit, eumque cum aliis eduxerit Thare, ambigitur, Cum Aug. lib. 16. de civit. c. 13. putamus eum superstitioni Chaldæorum adhærentem tunc in Chaldæa mansisse, (quare enim alioquin hic reticeretur, ubi & Lot filius Aran, & Sarai uxor Abræ exprimitur?) postea tamen inde sive pœnitentia ductum, sive persecutionem passum quòd suspectus haberetur emigrasse, sedesque constituisse in Mesopotamia, ubi cum patre suo habitaverat vel adhuc habitabat Abram, hoc est, in Haran: nam infra cap. 24. describitur urbs Nachor in Mesopotamia, & quidem in Mesopotamia Syriæ, ut patet ex cap. 28. imò quod amplius est, urbs Nachor ipsa est Haran ad quam Thare cum Abram perrexit, ut haberi potest ex cap. 27. & 28. ubi de Laban nepote Nachor agitur.

[ *Ut irent in terram Chanaan.* ] Non repugnat his quod ad Hebr. 11. legitur Abraham exiisse *nesciens quò iret*: quamvis enim illorum intentio fuerit longè à Chaldæa recedere, & in terram Chanaan quæ vastissima erat proficisci, Deus tamen necdum eis designaverat, vel eam terram, vel ejus terræ locum aliquem certum in quo vellet ipsos habitare; neque Abram adhuc sciebat an iret habitaturus in ista terra, & in qua ejus parte, an in aliqua alia. Unde infra cap. 12. indefinitè ei dicitur, *veni in terram quam monstrabo tibi*,

[ *Veneruntque usque Haran.* ] Quæ est civitas Mesopotamiæ & Act. 7. dicitur Charan, apud 70. Charran.

[ *Et habitaverunt ibi*, ] longi itineris pertæsi, ut quidam interpretantur. Veram autem causam existimamus esse divinum præceptum: dicitur enim Judith. 5. quòd *Deus præcepit eis ut exirent è Chaldæa, & habitarent in Charan.*

[ ℣. 32. *Et facti sunt dies Thare*, ] non habitationis in Haran, sed totius vitæ.

[ *Ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haran.* ] Ubi notandum non nudè dici, *& mortuus est*, sed cum determinatione loci, *in Haran.*

CA-

## C A P U T XII.

*Abram Dei mandato parens, promissionesque accipiens patriam suam relinquit, ac postea in Sichem Deo sacrificat. Propter famem vero Ægyptum ingressus, uxorem suam vocat sororem: eam deinde in domum regis sublatam, postea ditatus recipit.*

[ ℣. 1. D*ixit autem Dominus ad Abram:* ] Ubi hæc dixerit Deus, non liquet. Quorumdam sententia est quòd in Chaldæa, existimantium Moysen hysterologia hic uti, ac referre ea quæ prius (sub finem scilicet cap. præcedentis) acciderunt. Et confirmari potest ex Act. 7. ubi quæ hic leguntur ad Abram dicta, Deus scribitur dixisse Abrahæ cùm esset in Mesopotamia priusquam moraretur in Charan: Ante illud verò tempus Abram solùm habitaverat in Chaldæa. Cæterum quamvis hæc sententia non videatur velut improbabilis rejicienda, probabilius tamen loqui videntur qui ajunt Deum hæc dixisse in Haran; & hanc monitionem seu vocationem non pertinere ad primam migrationem de qua cap. 11. sed ad secundam, qua nimirùm Abram migravit ex Haran.

*Hæc in Haran sunt dicta.*

Primò, quia hic jubetur exire de domo patris; In prima autem migratione non exivit de domo patris, cùm pater eum tulerit, ac cum reliqua sua familia eduxerit.

Secundò, quia dum hujus monitionis executio mox describitur, Abram dicitur egressus de Haran, & quidem cum Sarai uxore sua, & cum Lot filio fratris sui, nec ulla fit mentio Thare, utpotè jam mortui: At in prima migratione nominatur Thare tamquam is qui reliquos educebat; & dicuntur exiisse de Ur Chaldæorum, ac venisse in Haran.

Denique additur hic quòd sint egressi cum animabus quas fecerant in Haran; priusquam verò exirent de Ur Chaldæorum (quod fuit in ea migratione quæ describitur cap. 11.) nullas animas fecerant seu acquisierant in Haran, cùm necdum habitassent in Mesopotamia, cujus oppidum est Haran.

Ad Confirm. ex Actor. 7. Resp. vocationem & jussionem Dei quam B. Stephanus refert initio istius cap. esse quidem similem ei quæ hoc cap. 12. describitur; verisimiliter tamen est diversa, eadem nimirùm cum illa propter quam cap. 11. Abram suo patre & aliis comitatus legitur exivisse de Chaldæa. Ita enim dicit Sanctus Stephanus, *Tunc exiit de terra Chaldæorum & habitavit in Charan*; in præsenti autem cap. jussionem Dei exequens dicitur esse egressus de Haran seu Charan. Neque refert vocationem illo cap. 7. descriptam dici factam esse in Mesopotamia: quoniam Mesopotamia ibi non accipitur pro Mesopotamia Syriæ, quo modo Geographi accipiunt quando eam distinguunt ab Assyria & Babylonia seu Chaldæa, sicut enim sumitur infra c. 28. sed generaliter prout sub se comprehendit Chaldæam. Idque satis patet ex contextu, ubi clarè dicitur istam vocationem Abrahæ contigisse in Mesopotamia priusquam moraretur in Charan; antequam verò Abraham moraretur in Charan, certum est quòd non habitaverat in Mesopotamia strictè accepta, sed in Chaldæa. Et hoc generali modo verisimile etiam est usurpari Mesopotamiam Josue 24. v. 3. 14. 15. Nec repugnat significatio nominis: Mesopotamia namque idem valet ac provincia inter fluvios media, Euphratem videlicet ac Tygrim; inter hos autem fluvios non sola illa provincia continetur quæ strictè vocatur Mesopotamia, sed etiam bona pars Chaldeæ, ipsaque ejus metropolis Babylon. Ex his intelligi potest, Abram bis fuisse à Deo vocatum. Primò, cùm esset in Chaldæa, quod præceptum intelligens Thare pater ipsius, eum cum aliis eduxit in Haran. Secundò, cùm esset in Haran, postquam ejus pater erat mortuus, & inde exiens venit in terram Chanaan.

*Abram bis fuit jussus exire. Semel de Chaldæa: & postea de Haran.*

Si dicas, hanc duplicem Abrahæ vocationem vel monitionem sine fundamento asseri: Negandum est. Ejus enim qua vocatus fuit cum esset in Chaldæa, & jussus ab ea exire, satis aperta mentio est hujus l. c. 15. *Ego Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum*; & 2. Esdræ 9. *Tu ipse Dominus Deus qui elegisti Abram, & eduxisti eum de igne Chaldæorum:* Ac rursum Judith 5. ubi de Abraham ejusque comitibus dicitur quòd Deus *præcepit eis ut exirent de terra Chaldæorum & habitarent in Charan*. Quæ omnia consentanea sunt iis quæ tum c. 11. Genes. tum c. 7. Actor. leguntur v. 3. & 4. Aliam verò vocationem qua vocatus est cum esset in Haran seu Charan, habemus hoc c. 12. descriptam, Ubi pro executione vocationis & jussionis sibi factæ, Abram cum suis dicitur exivisse de Haran, sicut etiam Act. 7. post habitationem Abrahæ in Charan seu Haran, dicitur v. 4. quòd postquam mortuus est pater ejus inde, hoc est, ex Charan Deus *transtulit illum in terram* in qua tempore S. Stephani habitabant, sive in terram Chanaan. Et hujus duplicis vocationis meminerunt Chrysost. hom. 30. in Genes. Ambrosius, Hugo Victor. & Gagnæus ad cap. 7. Act. Marius hic.

[ *Egredere de terra tua,* ] Terra quidem tum nativitatis tum primæ habitationis Abræ; fuit Chaldæa: sed conformiter ad superiora, terra de qua hic jubetur Abram exire; intelligenda videtur Mesopotamia Syriæ, seu Charan vel Haran istius Mesopotamiæ oppidum. Quæ vocatur terra Abræ; quia Abram post egressum suum de Chaldæa, simul cum patre patrisque familia habitabat in Haran, ut patet ex cap. 11. v. 31.

[ *Et de cognatione tua, & de domo patris tui,* ] hoc est, exi à cognatis & consanguineis tuis, & de familia paterna.

[ *Et veni in terram quam monstrabo tibi.* ] Necdum ei exprimitur determinatus locus futuræ habitationis, ut fides ejus exerceatur, quam idcirco commendat Apostolus ad Hebr. 11. quòd *exivit nesciens quò iret.*

[ ℣. 2. *Faciamque te in gentem magnam,* ] faciam ut ex te gens valde magna oriatur; magna inquam, non solùm numero quem respicit Deus Isaiæ 51. *Unum vocavi eum, & benedixi ei, & multiplicavi eum:* sed & opibus, dignitate, variisque privilegiis, de quibus Deut. 4. ad Rom. 3. & 9. Unde sequitur.

[ *Et benedicam tibi,* ] bona plurima tum naturæ, tum gratiæ tibi conferam: Hæc enim benedictio bonorum omnium affluentiam importat, non modò corporalium, sed & spiritualium; atque adeò etiam posteritatis tam spiritualis quàm carnalis.

[ *Et magnificabo nomen tuum,* ] dabo tibi nominis & gloriæ celebritatem. Faciam ut cunctis seculis & toto orbe nomen tuum nobile sit ac gloriosum. Quod per eventum sufficienter patet, dum & Judæi gloriantur se esse semen Abrahæ, Joan. 8. & pater omnium credentium dicitur esse Abraham, ad Rom. 4. & ad Galat. 3.

[ *Erisque benedictus.* ] Hebr. & sis benedictio. Imperativus pro futuro, causa certitudinis; & abstractum pro concreto, quod in benedictionibus est nota copiæ & perfectionis bonorum futurorum.

[ ℣. 3. *Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi,* ] sicut in sacris litteris verbum haud infrequenter pro re; & dicere, pro facere ponitur; ita benedicere, sæpè idem valet quod benè facere. Et sensus est. His qui te honorabunt tibique benefacient, ego benefaciam; eos autem qui te affligent affligam. Ita similis phrasis exponitur Exod. 23. v. 22.

Ex his observandum primò quòd qui mundum, patriam, & parentes propter Deum deserunt, fiunt magni & celebres, & inducuntur in locum quem Christus monstravit, pandens iter ante eos, Mich. 2. secundò, quòd non tantùm gratiæ, sed etiam naturæ & quæ vocantur fortunæ bona, omnia sunt à Deo. Tertiò, quòd salutare sit bonis benefacere; maximè autem noxium, eos affligere. Vide cap. 2. Sap.

[ *Atque in te benedicentur universæ cognationes terræ.* ] Quidam ex Hebræo vertunt, in te benedicent se omnes gentes, quasi dicerent, omnes gentes aut apprecabuntur sibi felicitatem hac vel simili forma, Utinam Deus ita mihi benefaciat sicut benefecit Abrahæ, aut se beatas ac felices agnoscent & prædicabunt propter Abram. Sed alii affirmant verbum Hebræum habere significationem merè passivam, ideoque vertendum sicut est in nostro textu, & apud 70. benedicentur, quomodo etiam habet Apostolus hunc locum citans, ad Gal. 3. Neque refert per ejusmodi phrasim significari quòd ille in quo alii benedicuntur, sit causa principalis effectiva istius benedictionis; Abram

verò

verò talis causa esse non potuerit: quoniam etsi promissio hæc dirigatur ad Abram, non erat tamen implenda in ejus persona, sed in illo qui ab Abram erat descensurus & futurus, causa principalis effectiva benedictionis ac donorum quæ in ea includuntur, hoc est in Christo. Sensus enim est: in te, hoc est, in semine tuo seu per semen tuum quod est Christus, omnes cognationes, idest, omnes familiæ, tribus, & gentes terræ benedicentur. Patet hic sensus ex seq. cap. 22. v. 18. & ex cap. 3. ad Gal. v. 14. & 16. Est autem hæc benedictio spiritualis, & complectitur dona gratiæ & gloriæ quæ Christus sufficienter est promeritus omnibus gentibus seu omnium gentium hominibus, & efficaciter cunctis illis tribuit quibus dicturus est, Venite benedicti Patris mei, Matth. 25.

[ ℣. 4. *Egressus est itaque Abram*, ] de Haran nimirùm, seu Charan.

[ *Sicut præceperat ei Dominus*, ] exactè servavit divinum præceptum quoad omnes ejus partes, estque propterea insigne exemplum obedientiæ.

[ *Et ivit cum eo Lot:* ] Abræ ut verisimile est, monitu & suasu.

[ *Septuaginta quinque annorum erat Abram, cum egrederetur de Haran.* ] Et tunc mortuus erat Thare pater ipsius, quemadmodum dicitur Act. 7. v. 4. unde supra c. 11. colligimus Abram non fuisse natum anno patris (qui ducentis & quinque annis vixit) septuagesimo: quod & concludit Marzilla hìc Annot. 3.

[ ℣. 5. *Tulitque Sarai uxorem suam, & Lot filium fratris sui*, ] Aran,

[ *Universamque substantiam quam possederant, & animas quas fecerant in Haran.* ] Abutebantur hac scriptura inter alias, qui animam hominis à parentibus traduci sentiebant. Sed eis dupliciter potest Responderi. Primò frequentem esse istam Synecdochen, qua pars pro toto, anima pro homine ponitur. Secundò, verbum fecerant, non hic sumi propriè, pro creaverant, genuerant, vel produxerant; sed pro acquisierant, ita ut per animas quas Abram & Lot fecerant in Haran, intelligendi veniant non homines quos ipsi genuerant (nam hucusque Abram nullos generasse liberos ex cap. 15. & 16. evidens est; & idem omnino existimandum de Lot filio fratris ejus) sed aut homines quos in Haran acquisierant, emendo in servos & ancillas, vel ex servis & ancillis generantibus suscipiendo; aut tum pecora tum homines quos illic sibi acquisierant. Quamvis enim per substantiam quam possederant, rectè accipi possint pecora in quibus præcipuæ veterum opes consistebant, nihil tamen vetat intelligere opes à pecoribus diversas; & per animas, tam pecora quàm homines.

Sed quæres, quomodo potuerunt in Haran acquirere homines & pecora, cum ibi paulisper tantum substiterint, nullam trahentes moram. Resp. partim ex verbis quæ nunc tractamus, *quas fecerant in Haran*; partim ex cap. 11. *Veneruntque usque Haran, & habitaverunt ibi*, partim ex Judith 5. satis colligi, quod Abram & Lot justo aliquo tempore morati fuerint in Haran. Dicitur enim illo cap. 5. quòd *Deus præcepit ut habitarent in Charan*. Et ex Act. 7. vers. 4. habetur quòd Abram ibi habitavit usque ad mortem patris; neque ulla est scriptura quæ significet Abram non traxisse moram in Haran. Causa porrò illic trahendi moram erat; tum quia præceptum habebat ibi habitandi, nec sciebat ulteriorem Dei voluntatem quoad iter in Chanaan; tum quia cum necdum esset ipsi dictum, egredere de domo patris, cùm eo manere poterat. At patre mortuo mandatum à Deo accepit, ut & de Haran, & de domo patris exiret. Cui quoniam mox obedivit, hic sequitur.

[ *Et egressi sunt ut irent in terram Chanaan.* ] Nesciebat Abram determinatè quò iret, ivit tamen in Chanaan, sed multa ejus loca pertransire debuit, prius quàm posset erigere tabernaculum.

[ *Cumque venisset in eam*, ] terram Chanaan; eò quòd nusquam permitteretur sedem figere.

[ ℣. 6. *Pertransivit Abram terram usque ad locum Sichem*, ] hoc est, usque ad locum, ubi postea ædificata fuit Sichem.

[ *Usque ad convallem illustrem:* ] Septuaginta, ad quercum altam, ponentes contentum pro continente, quercum scilicet pro querceto seu loco quercubus consito; & numerum singularem pro plurali. Probabile enim est non unam duntaxat arborem designari, sed plures: Quod cum B. Hieronymus intelligeret, reddidit continens pro contento, scilicet convallem illustrem, significare volens magnam planitiem undique inter montes sitam, quercuum proceritate, locique amœnitate insignem & conspicuam. His nullo modo repugnat quod alii ex Hebræo pro alta vel illustri, vertunt, More: nam More conspicuum seu spectabile atque adeo illustre significat. Differt autem hic locus à convalle Mambræ quæ erat in Hebron de qua cap. 13. v. 18. cùm hæc convallis esset juxta Sichem.

[ *Chananeus autem tunc erat in terra.* ] Quasi diceret, terra illa jam incolebatur à Chananæo sive à Chananæis, Chananæi aliquando sumuntur generaliter, & significant omnes illos undecim populos, qui sunt oriundi ex Chanaan: At hic specialiter accipiuntur pro populis distinctis ab Hævæis, Pheresæis, Jebusæis &c.

[ ℣. 7. *Apparuit autem Dominus Abram*, ] Per Angelum in corpore assumpto qui personam Dei repræsentabat, & vice Dei loquebatur. Apparitionis causa fuit, partim præcedens sancti Patriarchæ obedientia, partim ut ejus animus nova promissione adversùs impendentem famem & futuram peregrinationem firmaretur.

[ *Et dixit ei: semini tuo.* ] Seu posteris ex te secundùm carnem nascituris.

[ *Dabo terram hanc.* ] Quæ à Chananæis inhabitatur.

Anagogicè terra promissa est cœlum; & semen Abrahæ sunt fideles Deo obedientes.

[ *Qui ædificavit ibi altare Domino*, ] ut pro beneficiis promissis gratias ageret, ac sacrificium gratiarum actionis offerret. Ad hoc altare & ad sacrificii in eo oblationem advocatam convenisse totam Abræ familiam, ipsumque illic veri Dei fidem ac præconia celebrasse, non potest esse dubium.

[ ℣. 8. *Et inde transgrediens ad montem*, ] qui verisimiliter est Garizim & Hebal, de quo Deut. 27. Erat autem unus mons qui duobus verticibus assurgebat; quorum unus Garizim, alter Hebal vocabatur, quemadmodum scribunt Masius in cap. 8. Josue, & Adricomius in Theatro terræ sanctæ.

[ *Qui erat contra Orientem Bethel*, ] hoc est, à parte orientali urbis Bethel. Huic urbi per prolepsim tribuitur nunc nomen Bethel, cùm prius vocata fuerit Luza, eamque appellationem retinuerit donec Jacob cap. 28. illam appellavit Bethel, quod domum Dei sonat.

[ *Tetendit ibi tabernaculum suum*, ] Portatile videlicet, ut sub pellibus è quibus tentoria fieri solebant, aliquantisper ibi habitaret.

[ *Ab Occidente habens Bethel*, ] In Hebr. & 70. pro, ab Occidente, est, à mari vel ad mare; eodem sensu; quia mare mediterraneum, quod & mare magnum vocatur de quo apud eos est sermo, erat toti Judeæ occidentale: & hinc est quòd Judæi soliti fuerint designare Occidentem per mare. Si quandoque autem aliquod mare ponant ad Orientem Judææ, tunc intelligitur mare mortuum.

[ *Et ab Oriente Hai:* ] Quæ fuit civitas pulcherrima donec Josue 8. fuit succensa. Inter hæc igitur duo loca tentorium suum erexit Abram.

Similiter Christus per Abram figuratus ita suum fixit tabernaculum, ut ab Occidente, ubi Deus videtur per speculum, & in ænigmate, habeat Bethel, Ecclesiam scilicet militantem, & ab Oriente ubi Deus facie ad faciem videtur, habeat Hai, quod oculum vel fontem significat, idest, Ecclesiam triumphantem.

[ *Ædificavit quoque ibi altare Domino & invocavit nomen ejus.* ] Invocare nomen Domini est invocare Dominum tam hoc quàm seq. cap. frequens enim est ut nomen Domini pro Domino ponatur, ut Psalm. 112. ad Rom. 10. &c. Hinc patet fervor devotionis Abram, & quo modo ut Ambr. loquitur l. 1. de Abraham c. 2. *Ipse memor sui, totum Deo deputet, nihil sibi vendicet*. Addit Ambros. *Ubi Bethel idest domus Dei; ibi & ara. Ubi ara, ibi & invocatio Dei nostri*. Quomodo igitur sectarii nostri jactare possunt se habere domum Dei, qui aram non habent?

Quid invocare nomen Dei.

[ ℣. 9. Per-

[ ℣. 9. *Perrexitque Abram vadens, & ultra progrediens.* ] Non ex animi levitate ita sedem mutat patriarcha, sed ex divino instinctu; idque tum ut ejus fides & constantia probetur; tum ut terram sibi versu 7. promissam lustret.

[ *Ad Meridiem.* ] Hoc est, ad eam partem terræ Chanaan seu Judææ, quæ est versus Ægyptum: quia terra Ægypti est ad meridiem respectu terræ promissionis, ait Liran. Pro, *ad meridiem*, 70. legunt in deserto: & vox Hebræa ambiguæ est significationis. Aquila & Symmachus habent ad Austrum, nostræ versioni conformiter. S. Hieronymus in qq. Hebr. notandum monet, quòd *& in præsenti, & in plurimis aliis locis, pro deserto, ad Austrum scriptum est in Hebræo.*

[ ℣. 10. *Facta est autem fames in terra:* ] Chanaan scilicet, ubi nunc morabatur Abram.

[ *Descenditque Abram in Ægyptum,* ] quia Ægyptus est demissior quàm terra Chanaan, ideo qui ex Chanaan proficiscuntur in Ægyptum, dicuntur descendere; & contra qui ex Ægypto eunt in terram Chanaan, dicuntur ascendere, infra cap. 13. v. 1.

[ *Ut peregrinaretur ibi:* ] Non ut habitaret; spem enim terræ sibi promissæ numquam abjecit. Ideo verò in Ægyptum est profectus, tum quòd ibi fames non erat, tum quòd nec in Chaldæam nec in Haran licebat reverti, obstante divino præcepto: quod de Chaldæa quidem extat Judith. 5. v. 9. & Act. 7. v. 3. & 4. de Haran autem, initio hujus cap. & Act. 7. v. 4.

[ ℣. 11. *Cumque propè esset ut ingrederetur Ægyptum,* ] Cùm jam Ægypto appropinquaret, de vita sua sollicitus,

[ *Dixit Sarai uxori suæ: novi quòd pulchra sis mulier.* ] Ipsa tunc erat annorum ut minimum sexaginta quinque, & non obstantibus peregrinationibus itinerumque laboribus speciosa perseverabat.

[ ℣. 12. *Et quòd cum viderint te Ægyptii,* ] nisi prudenter ipsis hoc occultetur:

[ *Dicturi sunt: Uxor illius est: & interficient me,* ] tamquam videlicet æmulum & vindicem uxoris,

[ *Et te reservabunt.* ] In Hebr. vivificabunt. Hoc est à morte eximent & non occident. Ita se nosse seu moraliter scire dicit Abram, quia sciebat illius populi audaciam & effrænam incontinentiam; idque vel fide dignorum relatione, vel communi fama. Similia non timuit quando venit in Chanaan; tum quòd tanta non erat Chananæorum quanta Ægyptiorum feritas & libido; tum quia pulchritudo Sarai non erat tam rara apud Chananæos quàm apud Ægyptios, cùm terra Chanaan decoras haberet mulieres, ut patet Judith. 10. non sic Ægyptus.

[ ℣. 13. *Dic ergo,* ] his qui de nobis inquirent:

[ *Obsecro te, quòd soror mea sis:* ] Non suadet mentiri: (quomodo enim esset soror, cap. 20. patebit,) sed tantùm taceri verum, quòd nimirùm esset uxor.

At quæri potest 1. Quomodo Abram potuit existimare quòd Ægyptii ipsum interficerent, si scivissent Sarai esse ipsius uxorem, cùm antea promissionem à Deo accepisset de terra Chanaan ejus semini danda, & jam necdum haberet semen. Resp. quia sicut prædestinationem, ita & promissiones suas quandoque Deus non implet sine interventu mediorum humanorum, quæ scilicet ipsemet præscivit ac decrevit esse adhibenda per homines, secundùm ea quæ S. Prosper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 36. scribit, ac etiam B. Thom. 1. p. q. 19. art. 5. & 8. q. 22. art. 4. q. 23. art. 8. Ad implendam verò promissionem superius Abræ factam, inter alia media Deus elegerat, per istam Abræ sollicitudinem & cautelam, eum liberare de morte ab Ægyptiis alioquin ipsi inferenda. Non absimiliter David, quamvis non ignoraret se jussu Dei unctum in regem, sæpè tamen timuit, sibique per media humana consuluit, 1. Reg. 19. 20. 21. & alibi. Sic & Apostolus ex divina revelatione dicens, Actor. 27. *Amissio nullius animæ erit ex vobis*, addit tamen postea, *Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis*, quia sciebat Deum constituisse quidem illos servare, sed non sine opera nautarum.

Deus vult humanis mediis utatur.

Quæritur 2. quare Abram non peccavit, exponendo uxorem periculo adulterii. Resp. quia in præsenti periculo constitutus, quidquid humanitus facere potuit, hoc fecit; & quod non potuit ipse facere, Deo reliquit. Cùm enim duo pericula ei imminerent, nimirùm, pudicitiæ conjugis, & suæ mortis; utrique sicut jure potuit, providit: Conjugis namque pudicitiam tueri ipse non poterat, etiamsi constaret illam esse sibi uxorem; & ideo eam tuendam committit Deo, prorsus confidens, quòd non pateretur ipsam violari: Mortis autem suæ periculum cavere poterat, reticendo quòd esset uxor; & hoc medio fuit usus.

Quæritur 3. Quare Abram non pariter soli Deo commisit vitam suam, sicut uxoris pudicitiam. Resp. ne Deum tentaret; quia in uno habebat quod ageret, & non in altero: pertinet autem ad sanam doctrinam, ut quando habet homo quod agat, Deum non tentet. Vide Aug. lib. 22. contra Faust. cap. 36. & q. 26. in Genes. Addi potest Abram propter perspectam longa experientia continentiam Sarai, certò persuasum habuisse quòd numquam consentiret in Ægyptiorum libidinem.

[ *Ut benè sit mihi propter te,* ] ut Ægyptii benè mihi faciant, ac mecum benè agant, propterea quòd sim frater tuus.

[ *Et vivat anima mea ob gratiam tui,* ] Et ego ab ipsis non interficiar, dum tibi utpotè sorori meæ cupient placere.

[ ℣. 14. *Cùm itaque ingressus esset Abram Ægyptum, viderunt Ægyptii mulierem quòd esset pulchra nimis.* ] Valde speciosa, dicunt septuaginta.

[ ℣. 15. *Et nuntiaverunt principes* ] seu primores regni

[ *Pharaoni,* ] hoc est, regi Ægypti. Omnes enim reges Ægypti jam inde ante tempora Abræ usque ad captivitatem Babylonicam communi nomine vocari fuerunt Pharaones, sicut reges Syriæ vocati sunt Antiochi; Armeniæ, Tygranes; Philistiim, Abimelech. Cujus ratio putatur esse quòd Pharao lingua Ægyptiaca regem significet.

[ *Et laudaverunt eam apud illum:* ] Velut regio matrimonio dignam.

[ *Et sublata est mulier in domum Pharaonis.* ] Non ad stuprum, sed ad matrimonium suo tempore cum illa ineundum, ut ex vers. 19. liquet. Benè autem dicitur sublata; quoniam Sarai non spontè ivit vocata, sed reluctans abducta est, & ab ejus quem vocabat fratrem, consortio separari nolens, avulsa.

[ ℣. 16. *Abram verò benè usi sunt propter illam:* ] In Hebr. est in singulari, intelligiturque de Pharaone quòd existimans Abram esse fratrem Sarai, benè illi tamquam sororio suo futuro fecit propter illam. Noster interpres, quemadmodum & 70. reddidit in plurali, ut significaret non solùm Pharaonem, sed alios quoque Ægyptios Abram benefecisse, Regis videlicet exemplum secutos.

[ *Fueruntque ei oves & boves, & asini & servi, & famulæ, & asinæ, & cameli.* ] Quæ Pharao honoris gratia illi dabat; ac verisimiliter etiam alii ex primoribus aulæ Regiæ. Non est autem scribendum *familiæ*, pro *famulæ* quod est ancillæ: nec omittendum, *asinæ*, fœmininum, licèt præcesserit masculinum, *asini*.

[ ℣. 17. *Flagellavit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum,* ] seu familiam *ejus*. Quæ fuerint plagæ istæ, non liquet. Communis ferè sententia est, fuisse gravem sterilitatem, qua mulieres impotentes reddebantur tum concipere, tum conceptum antea fœtum parere. Hac enim pœna in simili crimine punitus legitur Abimelech cap. 20. Ipsum tamen Pharaonem aliquo insuper morbo seu corporis cruciatu fuisse percussum, ex Theodoreto q. 61. in Gen. & ex iis quæ in Abimelech contigerunt, probabile est. Quare non solus Pharao fuerit flagellatus, ratio est quòd alii quoque peccaverant, tum peccato ejus consentientes & cooperantes, tum causa ejus primaria existentes.

Quo modo flagellatus Pharao.

At quo peccato, quandoquidem nescirent esse uxorem? Resp. inde benè sequi quòd non peccarint peccato adulterii, peccaverunt tamen peccato violentiæ & raptus: non enim licebat invitam (etsi conjugata non fuisset) trahere ad matrimonium, præsertim nolente etiam fratre, sub cujus cura conspiciebatur esse, eoque tali qualis erat Abram.

Ex his porrò intelligi potest Sarai apud Pharaonem

mansisse

mansisse castam: Qui enim tam severè ultus est injuriam sancto viro illatam per uxoris raptum, haud dubiè servavit ei uxorem intactam, & sic impleri cœpit id quod postea David Psal. 104. cecinit, *Non reliquit hominem nocere eis & corripuit pro eis reges.*

Si quæras, quare scriptura hic non exprimit quòd Pharao non tetigit Sarai, sicut cap. 20. expressit de Abimelech. Resp. quia non hic erat eadem ratio, quæ illic. Tunc enim Sara erat proximè paritura Isaac. Ne igitur semen Abrahæ suspectum esset, expediebat scripturam manifestè declarare quòd Abimelech illam non tetigerat. Talis autem ratio nulla hic suberat.

Si præterea quæras, quid causæ potuerit esse, cur Pharao prima vel secunda nocte qua in domum ejus inducta fuerat Sarai, eam non attigerit? Resp. quia non statim introducta fuit in regis cubiculum, sed primùm tradita est præposito seu custodi mulierum regiarum, usque dum Pharao eam vocaret. Quo modo Esther 2. legimus. Ipsam diu postquam introducta erat in aulam Assueri, expectasse, & parari ac ornari debuisse antequam accederet ad Regem. Mos erat regius (ait post Hieron. Augustinus q. 26. in Genes.) vicibus ad se admittere mulieres suas, & nisi fomentis & unguentis diu prius accurato corpore, nulla intrabat ad regem. Quæ dum fierent, afflictus est Pharao manu Dei, ut viro reddi juberet intactam, quam Ipsi Deo maritus commiserat. Huic responsioni consentiunt Glossa ordin. Delrio, Marzilla, Marius, & alii hic.

[ *Propter Sarai,* ] Hebr. propter verbum in Sarai. Verbum autem pro facto ponitur: & sensus est, propter facinus contra Sarai commissum, sicut facinus Davidis in Uriam commissum vocatur *sermo Uriæ* 3. Regum 15.

[ *Uxorem Abram.* ] Hoc additur, ut cum videmus in gratiam mariti missum flagellum, cogitemus eam à stupro servatam.

[ ℣. 18. *Vocavitque Pharao* ] supradictis plagis flagellatus.

[ *Abram, & dixit ei: Quidnam est hoc quod fecisti mihi?* ] Quare sic mecum egisti?

[ *Quare non indicasti quod uxor tua esset?* ] Unde jam scivit Pharao Sarai esse uxorem Abræ. Resp. quòd vel ex divina revelatione, vel ex narratione ipsius Sarai. Verisimile quippe est Pharaonem tantis plagis de repente punitum, suspicatum fuisse quòd occasione istius mulieris hoc fieret, ideoque ab illa petiisse, esset ne celebs, an conjugata, & coi; ipsam verò sicut res erat, retulisse.

[ ℣. 19. *Quam ob causam dixisti esse sororem tuam?* ] Nullum in sacro textu legitur responsum Abræ, sed non improbabile est hoc aut simile dedisse: Timui ne si Ægyptii scivissent meam esse uxorem, interficerent me, ut eam liberè sibi haberent.

[ *Ut tollerem eam mihi in uxorem?* ] Non vult Pharao significare quòd Abram ea intentione celaverit uxorem, & dixerit sororem, ut ipse illam in uxorem assumeret; sed sensus est, quare dixisti esse tuam sororem, ex quo cum intelligerem non esse conjugem, occasionem accepi eam tollendi, futuram mihi uxorem? Itaque vocula, *ut*, non finem vel intentionem, sed eventum & consecutionem significat, quemadmodum cap. 40. *ut conjectoris veritas probaretur*, & alibi sæpè.

[ *Nunc igitur ecce conjux tua, Accipe eam,* ] à me intactam,

[ *Et vade.* ] Non dicit quemadmodum Abimelech cap. 20. *terra coram vobis est, ubicumque placuerit, habita;* quia noverat Ægyptiorum insolentiam & incontinentiam, timebatque propterea, ne si diutiùs illic habitaret Abram, aliquis de populo ipsum ejusve uxorem aut familiam offenderet, & sic adhuc graviorem sustineret flagellationem.

[ ℣. 20. *Præcepitque Pharao super Abram viris:* ] Seu ministris, ut videlicet salvum eum cum uxore, familia, & possessionibus deducerent, ne ab ullo vim aliquam aut injuriam pateretur.

[ *Et deduxerunt eum, & uxorem illius, & omnia qua habebat.* ] Absque eo quòd ullus auderet quidquam mali ipsis inferre.

Ex his concludi potest Abram non longam in Ægypto traxisse moram, ac per consequens Ægyptios non ab eo mathesim didicisse, ut quibusdam placuit, sed potius à Joseph Patriarcha, qui Psalm. 104. dicitur constitutus *ut erudiret principes, & ut senes prudentiam doceret.* Quod tamen aliqui volunt secunda vespera redditam Sarai suo marito, non est verisimile, propter illa quæ versibus 16. & sequentibus leguntur, quæ majorem temporis moram requirunt.

Allegoricè Sarai Ecclesiam præfigurabat, cujus pulchritudo Cant. 4. & 5. describitur; & quæ inter alienigenas integra servatur. Vide Aug. lib. 22. contra Faustum cap. 38. & 39.

## CAPUT XIII.

*Abram & Lot de Ægypto egressi, propter rixas pastorum separantur ab invicem. Lot Sodomam eligit, Abram terram Chanaan, ubi rursum accipit promissiones de ea sibi danda, & de multiplicando semine.*

[ ℣. 1. A*Scendit ergo Abram de Ægypto,* ] in terram scilicet Chanaan, de qua utpotè altiore, antea descenderat in Ægyptum, ut cap. 12. v. 10. dictum est.

[ *Et Lot cum eo,* ] hinc liquet quòd Abram descendens in Ægyptum, habuerit Lot in suo comitatu, quandoquidem simul inde redeunt.

[ *Ad Australem plagam.* ] Locus terræ promissæ ad quam nunc pergit Abram erat Bethel, quæ non erat respectu Ægypti Australis, sed Aquilonaris: Erat tamen Australis respectu Jerusalem, ac etiam respectu quarumdam aliarum partium terræ Chanaan. Et propter hujusmodi respectum hic vocatur Australis.

[ ℣. 2. *Erat autem dives valde,* ] in Hebr. *gravis valde:* quod idem est, quia divitiæ multa secum adferunt onera & impedimenta, solentque subinde virum, etiam justum onerare.

[ *In possessione auri & argenti.* ] Hebr. *in pecore, in argento, & in auro.* Significatur in quo divitiæ quas Abram de Ægypto deducebat, consisterent; simulque docetur nec divitias esse malas, nec prohiberi viros justos eas possidere.

[ ℣. 3. *Reversusque est per iter, quo venerat,* ] (In Ægyptum scilicet.)

[ *A meridie.* ] Seu à parte quæ Palestinæ est Meridionalis,

[ *In Bethel,* ]

[ ℣. 4. *In loco altaris quod fecerat prius,* ] quia non dicit, ad altare, sed in loco vel (ut 70. & alii vertunt ex Hebræo) ad locum altaris; probabile est quòd altare cap. 12. v. 8. erectum, jam non extabat, utpotè vel ab incolis post discessum Abram, vel ab ipso Abram discedente dirutum, ne idololatræ illud contaminarent.

[ *Et invocavit ibi nomen Domini.* ] Hoc est, Dominum, gratias agendo quòd ipsum multis bonis locupletaverat, ac cum tota familia illæsum conservaverat. Quidam ex Hebræo vertunt, *invocaverat:* Sed 70. & alii legunt, sicut editio vulgata, *invocavit.*

[ ℣. 5. *Sed & Lot* ] etiam ipsi Lot dicunt Hebræa; unde (sicut & ex 70.) constat quòd Lot hic est tertii casus, quem casum quoque manifestè requirit contextus subsequens.

[ *Qui erat cum Abram, fuerunt greges ovium & armenta,* ] significatur quòd Lot propter societatem Abræ fuerit benedictus & ditatus. Ponuntur autem distinctè greges ovium, & armenta, quia grex ab armento differt: nam grex est aggregatio minorum animalium, ut ovium, porcorum, caprarum; armentum, majorum, ut camelorum, boum, equorum. Unde Poeta, Grex ab armento differt.

*Mille greges illi, totidemque armenta per herbas. Pascebant.*

[ *Et tabernacula.* ] Hoc est, papiliones seu tentoria in quibus cum sua familia habitabat Apostolus ad Hebr. 11. ea casulas vocat. Pro tabernaculis quidam jumenta legunt; sed vera lectio est, quam exhibent vetustiicod. Græci & Hebræi, sicut etiam S. Ambros. lib. 2. de Abram cap. 5. hi enim omnes pariter legunt tabernacula.

[ ℣. 6. *Nec poterat eos capere terra ut habitarent simul:* ]

*mul:* ] Quasi diceret, illa portio terræ Chanaan ubi tentoria fixerant, non sufficiebat tantæ multitudini animalium, quantam habebant Abram & Lot; nam eis necessaria erant pascua latissima.

[ *Erat quippe substantia eorum multa.* ] Substantia hic significat omnes res possessas, sive animatas sive inanimatas. Si autem substantia cujuslibet eorum erat magna, quantò magis utriusque conjuncta possessio?

[ *Et nequibant habitare communiter.* ] Non poterant pacificè simul habitare, sic ut tentoria unius essent juxta tentoria alterius, quia necesse erat sua cuique pecora esse vicina: id quod loci exiguitas non patiebatur, in quo neque pascua neque putei poterant gregibus utriusque sufficere.

[ ℣. 7. *Unde & facta est rixa,* ] Quia quisque volebat præoccupare suis pecoribus meliora pascua & meliores adaquationes.

[ *Inter pastores gregum Abram & Lot.* ] Non inter Dominos, qui animum ad altiora erigebant, nimirùm ad patriam cœlestem, sed inter ipsorum famulos. Greges, hic latè accipiuntur, ut etiam armenta comprehendant. Ex his cum B. Ambros. observa sæculare vitium esse, ut divites terra non capiat, & ut divitiæ sint occasio dissidiorum.

[ *Eo autem tempore Chananaus & Pherezaus habitabant in terra illa.* ] Varias ob causas scriptura id exprimit: Una est, ad declarandum, quare terra illa non sufficeret alendis Abræ & Lot pecoribus, nempè quia isti populi ante præoccupaverant partes illius terræ præcipuas. Secunda, ut ostendatur quòd Abram etiam scandali evitandi causa separationem elegerit. Si enim simul mansissent, scandalizari potuissent isti Gentiles de familia Abræ, auditis pastorum ejus riais & litibus; periculumque erat, tum ne Abram & Lot debuissent pro earum decisione coram judicibus infidelibus comparere, id quod veræ fidei cultores minimè decet, & reprehenditur 1. ad Cor. 6. tum ne cognitis eorum dissidiis infideles illi provocarentur ad utrumque opprimendum. Chananæi hic intelliguntur strictè dicti, quandoquidem condistinguuntur à Pherezæis, qui erant eis in habitatione vicini, ut ex Judic. 1. colligi potest: ubi etsi de bello contra Chananæos disceptetur, bis tamen simul dicitur quòd percussi fuerunt Chananæi & Pherezæi. Habitabant autem Chananæi juxta mare & circa fluenta Jordanis, Num. 13. v. 30. in terra scilicet campestri, Josue 17. v. 16. Pherezæi verò incolebant loca sylvosa & montana, ibidem, & v. 15.

[ ℣. 8. *Dixit ergo Abram ad Lot, ne quaso sit jurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos:* ] Nullum adhuc inter Abram & Lot jurgium fuerat: sed quia servorum dissensionibus, illis præsertim quæ oriuntur pro rebus ad dominos pertinentibus frequenter ipsorum dominorum concordia solvitur; fieri vix poterat quin aliquando lites eis nascerentur nisi per separationem illarum occasio tolleretur. Ideo dicit Abram: ne quæso suboriatur aliquando jurgium inter me & te.

[ *Fratres enim sumus.* ] Abram non erat frater Lot velut ea iisdem patre vel matre genitus, sed erat ejus patruus. Nam Lot erat filius Aran fratris Abræ, cap. 11. & 14. ac per consequens Abræ nepos ex fratre.

Quæritur ergo quomodo tam hoc quàm 14. cap. sequenti, Abram & Lot dicantur fratres.

Qui fratres in scriptura.

Pro responsione notandum est ex B. Hieron. epistola contra Helvidium c. 8. fratres dici quatuor modis: natura, ut Jacob & Esau: gente, ut omnes Israelitæ; affectu, ut omnes homines: cognatione, ut qui sanguine propinqui sunt. Quo modo Laban qui Gen. 29. vers. 10. dicitur avunculus Jacob, vers. 15. vocatur ejus frater: & Tob. 8. Tobias junior Saram Raguelis & Annæ conjugum filiam vocat sororem, cùm ipse ex aliis parentibus esset natus, nimirùm propter consanguinitatem. Hac ratione docet ibi S. Hieron. ac etiam alii communiter, & Sarai dictam esse sororem Abræ, & Abram fratrem Lot, quia scilicet erant sanguine propinqui.

[ ℣. 9. *Ecce universa terra coram te est:* ] Tota terra Chananæorum in qua jam versamur, in arbitrio & potestate tua est. Eam partem regionis elige quam volueris. Supponit autem quod incolæ facilè sint eam elocaturi, cùm vasta esset & non plenè habitata. Coram aliquo esse dicitur quod in ejus potestate est, ut c. 20. *Terra coram vobis est, ubicumque tibi placuerit, habita:* Et cap. 24. *En Rebecca coram te est, tolle eam & proficiscere.*

[ *Recede à me obsecro.* ] Subauditur alterum; si nolis ipse recedere, me recedentem ne sequaris. Dat enim nepoti optionem, vel manendi vel in quam velit partem recedendi, ita tamen ut ab invicem separentur quoad habitationem. Hinc discendum, seminaria dissensionum tollere, cùm non simus fortiores patriarcha Abram.

[ *Si ad sinistram ieris, ego dextram tenebo &c.* ] Per sinistram intelligit partem Aquilonarem; per dextram, Meridionalem. Conversio enim ad Orientem velut ad præcipuam orbis partem, à sinistris est Aquilo; à dextris, Meridies. Hinc nata videtur consuetudo veterum, ut quando dividenda erat hæreditas inter fratres, senior quasi prudentior divideret; junior autem eligeret, ut sic neuter posset conqueri se deceptum. Vide S. Ambros. lib. 1. de Abraham c. 3. & Aug. lib. 16. de Civit. cap. 20. & Rupertum lib. 5. in Gen. cap. 9.

[ ℣. 10. *Elevatis itaque Lot oculis,* ] Ut faceret quod Abram proposuerat. Unde sicut Abræ humilitas, mansuetudo, & æquitas ex jam dictis commendationem habet, qui etsi superior, nepoti tamen suo electionem relinquit; ita vicissim nepotis obedientia qui patrui dictis sine mora & sine ulla contradictione acquiescit, laudem meretur.

[ *Vidit omnem circa regionem Jordanis,* ] sive, contemplatus est omnem circumcirca se regionem Jordanis. Ista regio est Pentapolis in qua erant quinque Civitates, scilicet Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim, & Segor.

[ *Qua universa irrigabatur,* ] Aquis nimirùm ex Jordane fluentibus, ideoque erat valde fertilis & amœna, non tunc quidem quando Moyses ista scribebat, sed

[ *Antequam subverteret Dominus Sodomam & Gomorrham,* ] has solas nominat sacer scriptor, etsi non solæ fuerint subversæ, tamquam præcipuas.

[ *Sicut paradisus Domini,* ] Potest hic per paradisum intelligi vel paradisus terrestris, qui cùm à solo Deo conditus fuerit initio mundi, rectè vocatur paradisus Domini. Vel generaliter locus amœnissimus & deliciosissimus, plenusque voluptatis ad oblectandum hominem; qui ideo dicitur Domini, quia quæ sunt eximia, Dei esse dicuntur, quemadmodum ostendimus c. 9. v. 13. Et sensus est, quòd illa regio circa Jordanem ita irrigabatur & sic erat amœna, ut præ se ferret similitudinem paradisi terrestris, aut loci cujusvis amœnissimi & deliciosissimi.

[ *Et sicut Ægyptus venientibus in Segor.* ] Quidam verba illa, *venientibus in Segor*, jungunt cum istis, *sicut Ægyptus*, quasi sensus sit quòd illa regio erat sicut Ægyptus seu sicut ea pars Ægypti qua ea Ægypto itur in Segor. Sed huic expositioni obstat quòd Segor multùm distet ab Ægypto, quòdque propterea potius nominanda erat alia civitas Judææ, quæ est Ægypto vicinior si talis sensus fuisset à scriptore sacro intentus. Aliis ergo placet hæc verba, *venientibus in Segor*, conjungi istis præcedentibus, *universa irrigabatur*, quasi diceretur: illa regio circa Jordanem seu Pentapolis venientibus in Segor tota irrigabatur sicut paradisus, & sicut Ægyptus hoc est, qua parte ex reliqua Judæa vel ex eo loco ubi tunc erant Abram & Lot venitur in Segor, tota erat flumine ac rivulis irrigua sicut paradisus irrigabatur fluvio egrediente de loco voluptatis & sicut Ægyptus irrigatur Nilo qui eam fecundat. Ita ferè August. q. 27. in Genes. Delrio, Pererius, Marius, Marzilla, & alii.

[ ℣. 11. *Elegitque sibi Lot regionem circa Jordanem,* ] quidam accusant Lot quòd non obstante pessima hominum regionis illius vita, elegerit habitare inter ipsos, addentes eum idcirco pejorem factum. Sed his manifestè adversatur quod 2. Petri 2. legitur *aspectu & auditu justus* fuisse habitans apud eos qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant. Verisimile ergo est quòd regionem illam elegerit propter ejus amœnitatem & fertilitatem, nesciens quanta esset hominum istorum improbitas & innaturalitas. Si enim

Cur Lot istam regionem elegerit.

hoc

hoc scivisse, Abram quoque non ignorasset qui proinde habitationem talem ei dissuasisset. Permisit autem Deus sanctum Lot eam habitationem eligere; partim ut ejus exemplo & admonitione Sodomitæ provocari possent ad pœnitentiæ aliarumque virtutum opera; partim ut ipsius probitas exercitaretur & magis eluceret; partim ut disceremus amœniora non semper esse meliora, vel aliis præferenda.

[ *Et recessit ab Oriente* : ] Ex initio hujus cap. constat Abram ex parte australi seu meridionali venisse usque ad locum inter Bethel & Hai; illic autem cum eo mansit Lot usque ad hoc tempus: quæritur ergo quomodo Lot nunc recedens ab Abram, dicitur recedere ab oriente, cùm Jordanis fluvii & Pentapolis quo jam tendebat, esset in oriente respectu Palestinæ, & non in occidente. Resp. non dici quòd Lot recesserit ab oriente in occidentem, sed tantùm quòd recessit ab oriente; & oriens non sumitur hic respectu Jordanis vel Pentapolis, sed respectu loci unde exibat & in quo hucusque moratus fuerat cum Abram, scilicet juxta Hai; iste autem locus magis erat orientalis ad Palestinam comparatus, quàm Pentapolis: quamvis enim hæc etiam esset orientalis, non tamen ita directè, sed magis versùs angulum meridiei.

[ *Divisique sunt alterutrum à fratre suo* . ] Hoc est, alter ab altero, frater à fratre. Quæ divisio quòd salva charitate & concordia, ad evitandas nimirùm occasiones discordiarum facta sit, & ex præcedentibus liquet, & pulchrè traditur ab August. lib. 16. de civit. cap. 20. & 21.

[ ℣. 12. *Abram habitavit in terra Chanaan* . ] Strictè dicta, prout distinguitur ab aliis regionibus terræ promissionis, atque etiam à Pentapoli, cùm alioquin generaliter accipiendo terram Chanaan pro universa terra à filiis Chanaan possessa, & postmodum semini Abræ promissa; etiam Pentapolis contineretur intra terram Chanaan; Abram ergo longius à Jordane habitavit, quàm suus nepos, de quo sequitur.

[ *Lot verò moratus est in oppidis quæ erant circa Jordanem* , ] tetendit scilicet tabernaculum & mansiones suæ familiæ suisque gregibus accommodas divisit transiens per varia oppida, donec Sodomam perveniret, ubi sedem fixit. Unde dicitur.

[ *Et habitavit in Sodomis* . ] Quæ civitas putatur fuisse intra terminos regionis Pherezæorum.

[ ℣. 13. *Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis* . ] Quasi diceret, verè ac simpliciter erant gravissimi peccatores: Nam nimis, idem valet quòd vehementer seu gravissimè; & phrasis illa, *coram Domino*, æquivalet ei quod diceretur, verè ac simpliciter. Cùm enim Deus non cognoscat res aliter quàm sint, coram Deo esse, est verè ac simpliciter esse In Hebr. legitur *& peccatores Domino valde*, quod eumdem sensum habet; sicut enim esse justum Deo, vel robustum Deo, significat verè ac simpliciter esse valdè justum, valde robustum; ita esse peccatores Domino, idem valet quod esse simpliciter ac verè ingentes peccatores. Illud, *nimis*, aut istud, *valde*, non superfluè additur, etiamsi absque illo rectè significaretur quòd erant valde magni peccatores: quia valet ad auxesim & habet singularem emphasim, quemadmodum & Matth. 2. cum dicitur, *gavisi sunt gaudio magno valde*. Quæ porrò fuerint Sodomitarum peccata, partim ex cap. 19. hujus lib. partim ex Ezech. 16. intelligi potest.

[ ℣. 14. *Dixitque Dominus ad Abram, postquam divisus est ab eo Lot:* ] Cùm per eam divisionem amputata esset dissensionum occasio, possetque Abram quietius Deo vacare; Deus ipsi apparet, magnaque ipsum consolatione afficit. Unde contemplativi hinc possunt discere. Deum apparere spiritualibus ab omni mundanorum strepitu vacuis.

[ *Leva oculos tuos, & vide à loco in quo nunc es* ; ] fuisse tunc Abram in vertice montis Hebal seu Garizim probabile putat Abulensis; tum quòd ad radices ejus montis fixerat tabernaculum circa Bethel; tum quia locus ille erat altus, ut ex eo posset circumquaque multa videre.

[ *Ad Aquilonem & Meridiem, ad orientem & occidentem* . ] Ad quatuor plagas terræ Chanaan.

[ ℣. 15. *Omnem terram quam conspicis* , ] promittit hic Deus non eam solùm terram quæ strictè vocatur terra Chanaan, sed universam illam quæ cùm à multis gentibus incoleretur, Amorræis, Hetæis, &c. tota nihilominùs denominabatur Chanaan velut à præcipuo filio Cham: quæritur ergo quomodo dicat Deus, *omnem terram quam conspicis*, cùm ex uno loco non posset universam terram illam conspicere.

Ad quod variæ possunt dari responsiones. Una, Deum promittere omnem terram quam Abram videbat, non tamen solam, sed etiam regiones ei adjacentes, quas ut perambulet statim monetur. Secunda, Abram, hic vidisse omnem terram quam ejus posteri erant possessuri, at non distinctè, sed confusè solùm, spectando scilicet situm quatuor partium ejus secundùm quatuor positiones cœli, Orientem, Occidentem, Meridiem, & Aquilonem. Tertia, quòd Abram distinctè viderit totam terram, sed vel ejus oculis divinitus ad hoc elevatis & confortatis, vel objecta ipsi per Angelorum ministerium imagine, quæ graphicè & perfectè repræsentaret omnia quæ in ea terra erant conspicienda.

[ *Tibi dabo & semini tuo* , ] Quoniam B. Stephanus Act. 7. dicit Deum non dedisse Abrahæ hæreditatem in terra promissionis, nec passum pedis: vocula, & accipi potest exegeticè seu expositoriè, pro, id est: quasi diceretur; Tibi, hoc est, semini tuo dabo, vel tibi dabo in tuo semine. Semen autem ad litteram carnale intelligitur, seu posteri ex Abram oriundi per Isaac.

[ *Usque in sempiternum*. ] Ne quis objiciat Judæos Abrahæ posteros jam dudum non possidere terram promissam: sciendum est ista phrasi, *usque in sempiternum*, vel in æternum, non semper significari durationem omnino interminabilem, sed quandoque valde longam, cujus etsi terminus aliquis sit futurus, nullus tamen determinatur, sed ignotus relinquitur. Ita sumitur infra c. 17. v. 7 & 8. necnon 1. Paralip. 15. v. 2. & 1. Mach. 2. v. 54. & alibi sæpè; sicque etiam potest hoc loco accipi: potest tamen & aliter exponi, ut istud, usque in sempiternum, significet usque ad finem mundi, sed promissio intelligatur cum hac conditione, nisi graviter peccando mereantur ejici: Nam Levit. 26. comminatur Deus Hebræis si legem non servent, quòd terram eorum disperdet, ipsosque de illa ejiciet; sicut & Deut. 19.

Allegoricè promittitur Abræ quòd ejus semen spirituale; id est, fideles & electi, possessuri sint terram seu patriam cœlestem, in omnem æternitatem.

[ ℣ 16. *Faciamque semen tuum sicut pulverem terræ* , ] hoc est, faciam ut posteritas tua sit numerosissima: hæc enim comparatio non refertur ad contemptum, sed ad multitudinem; continetque hyperbolen in scriptura frequentem, ad designandam ingentem multitudinem. Vide Num. 23. vers. 10. Oseæ 1. vers. etiam 10.

[ *Si quis potest hominum numerare pulverem terræ, semen quoque tuum numerare poterit* . ] Subauditur. Sed nullus hominum potest numerare pulverem terræ: ergo nec ullus semen tuum numerare poterit.

[ ℣. 17. *Surge & perambula terram* ] non est præceptum, sed permissio cum exhortatione & congratulatione, q. d. Vis scire quantum bonum sit ea terra quam tibi seu posteris tuis promitto, per illam spatiare & illam considera. Miraberis & gaudebis.

[ *Quia tibi* , ] seu semini tuo.
[ *Daturus sum eam* . ]

[ ℣. 18. *Movens igitur tabernaculum suum Abram* , ] quod hucusque fixerat inter Bethel & Hai.

[ *Venit & habitavit juxta convallem Mambre* , ] Hebr. in quercubus Mambre: 70. juxta quercum Mambre. Erat scilicet vallis seu planities variis quercubus consita quæ à viro, Mambre nominato, cujus mentio est cap. sequent. convallis Mambre dicta est.

[ *Quæ est in Hebron* ; ] sive juxta Hebron, vel in territorio civitatis Hebron. Nam quòd convallis Mambre non esset intra muros illius urbis, satis colligi potest ex eo quòd urbs esset in monte, ut patet ex Josue 20. v. 7. & 21. v. 11. convallis autem quercubus consita non videtur fuisse in monte. Porrò Hebron aliter dictam esse Cariath Arbe, ex Josue 15. liquet.

[ *Ædificavitque ibi altare Domino* . ] Ad sacrificium ipsi offerendum. Cùm Abraham qui pater omnium credentium prædicatur ad Rom. 4. tam frequens ac sedulus fuerit in ædificandis Deo altaribus, videant sectarii nostri quomodo fideles ac credentes jacta-

jactare ſe poſſint, qui altaria ubicumque poſſunt, demoliuntur.

## CAPUT XIV.

*Inito prælio, quinque reges ab aliis quatuor regibus vincuntur. Lot cum multis aliis captivus ducitur. Sed Abram victores perſequens eos cadit captivoſque & ſpolia reducit: A Melchiſedech cui decimas offert, benedicitur; ac regi Sodomorum quæ ablata ei fuerant, reddit.*

[ ℣. 1. F*Actum eſt autem in illo tempore*, ] quo Abram habitabat in territorio civitatis Hebron. Bellum ſequens referre videtur Moyſes, ut occaſionem habeat deſcribendi tum inſignem Abræ ſollicitudinem & amorem erga nepotem ſuum Lot; tum Melchiſedech ſacerdotium, ſacerdotii Chriſti figuram eximiam.

[ *Ut Amraphel rex Sennaar*, ] ſeu Babylonis: terram enim Sennaar fuiſſe in Chaldæa ſeu Babylonia, ex dictis c. 11. patet, fuitque hic Amraphel rex Babylonis, tertius quartuſve à Nemrod. Nec movere debet quòd Joſephus lib. 1. Antiquit. c. 20. eum regem Aſſyriorum faciat: poſtquam enim Ninus filius Nemrod expugnavit Aſſyriam, idem fuit Chaldæorum ſeu Babyloniorum, & Aſſyriorum ſeu Ninivitarum rex.

[ *Et Arioch rex Ponti*, ] utrùm Helleſponti, an Ponti Euxini, vel cujus alterius, incertum eſt. 70. & alii ex Hebræo pro, *rex Ponti*, vertunt *rex Ellaſar*, conſentitque Hieron. in locis Hebr. Non improbabile eſt Hellaſar fuiſſe urbem Cæleſyriæ, ab aliis Hellas vocatam, quæ alio nomine dicebatur Pontus,

[ *Et Chodorlahomor rex Ælamitarum*, ] ſeu Perſarum, ſecundùm ea quæ c. 10. v. 22. dicebantur.

[ *Et Thadal rex gentium*, ] imperabat hic non uni certæ genti; ſed variis undequaque collectis, & ad ejus territorium, ſive pro aſylo, ſive pro loci amœnitate confluentibus.

[ ℣. 2. *Inirent bellum contra Bara regem Sodomorum*, ] & contra alios quatuor reges qui in textu recenſentur: hoc eſt, contra quinque reges Pentapoleos.

[ ℣. 3. *Omnes hi* ] novem reges,

[ *Convenerunt in vallem Sylveſtrem*, ] quæ nimitùm ante exuſtionem erat nemoroſa ſeu inſtar nemoris, pulchris arboribus conſita & amœna: & quoniam erat æquabilis & plana, alii campeſtrem vocant: 70. reddiderunt vallem ſalſam vel quia talis fuit poſt conflagrationem Sodomæ, taliſque erat quando ſcripſerunt; vel etiam quia ſalſugine & bitumine abundabat quando reges illi eò convenerunt, quemadmodum ex verſu 10. patet.

[ *Quæ nunc*, ] poſtquam Pentapolis conflagravit,

[ *Eſt mare ſalis*. ] Seu ſalſum: Salſarum enim aquarum colluvie ſic obruta fuit iſta regio poſt incendium, ut nullum animal poſſit in eis vivere: quam ob cauſam etiam mare mortuum vocari ſolet, ac lacus aſphaltites ſeu ſtagnum bituminis; tum quòd bitumine vel aquis bituminoſis plena ſit iſta vallis, tum quòd phraſi Hebræa congregationes aquarum appellantur maria. Quidam opinantur hoc fuiſſe primum bellum inter mortales. Sed ab eis haud immeritò diſſentit Eſtius: Nam ſi Cain fratrem occidit, quis putet in ejus poſteritate nulla fuiſſe bella ante diluvium? Quæ porrò cauſa fuerit præſentis belli, ſequitur in textu.

[ ℣. 4. *Duodecim enim annis ſervierant*, ] hi quinque reges,

[ *Chodorlahomor*, ] tributa illi ſolventes.

[ *Et tertiodecimo anno receſſerunt ab eo*. ] Rebellarunt, nolentes amplius ei ſubjici.

[ ℣. 5. *Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahomor*, ] qui v. 1. dictus eſt rex Ælamitarum,

[ *Et reges qui erant cum eo:* ] Ex his colligi poteſt primum hujus belli ducem & ſuperiorem non fuiſſe (ut quibuſdam placuit) Amraphel, ſed Chodorlahomor: phraſis enim illa, *& qui erant cum eo*, ſignificat eum cum quo alii erant, eſſe iſtorum aliorum ducem, ut cap. 7. *Noe, & filii ejus &c. cum eo*. cap. 50. *ierunt cum eo omnes ſenes domus Pharaonis:* & alibi ſæpe.

Et confirmatur, quia quinque reges qui bello impetuntur, propterea quòd nollent deinceps ſervire ſicut prius, non leguntur ſerviiſſe Amraphel, ſed regi Chodorlahomor: ſignum eſt ergo Chodorlahomor magnum ac potentem; imò aliis tribus potentiorem fuiſſe, ut qui reges quinque haberet ſibi tributarios, & credibile eſt alios tres ſcilicet Amraphel, Arioch, & Thadal fuiſſe fœderatos & clientelares regi Chodorlahomor tamquam tunc præcipuo. Si contra dicas gentem Perſarum uſque ad Cyri tempora fuiſſe ignobilem & obſcuram ac aliis ſervientem. Benè negat Marius; quia neque obſcuri neque ſervi ſemper, qui jam tum, tempore Abræ, imperii ſui fines uſque in Paleſtinam protulerant, ut ex verſu 4. conſtat; neque ignobiles, qui & reges habebant ſibi ſubjectos ſeu tributarios; & fortiſſimos Syriæ populos, de quibus jam ſequitur, ſubjugarunt.

[ *Percuſſeruntque Raphaim*, ] narrat quid Chodorlahomor cum regibus ſibi fœderatis egerit priuſquam perveniret in Pentapolim, quòd ſcilicet ne quid hoſtile relinquerent à tergo vel ad latera, quatuor vicinas gentes debellaverint, *Raphaim*, *Zuzim*, *Emim*, & *Corrhæos*. Pro, *Raphaim*, 70. vertunt gigantes, eò quòd poſteri Rapha, à quo cognominati ſunt Raphaim, eſſent ſtaturæ gigantææ. Habitarunt autem in Baſan, quæ idcirco vocata eſt terra gigantum Deut. 3. v. 13.

[ *In Aſtarothcarnaim*, ] ſic uno verbo eſt legendum, non verò, ut quidam in Aſtaroth & Carnaim. Aſtarte fuit gentilibus dea quæ aliter Juno vel etiam Diana vocabatur. Et quoniam plura erant hujus vel illius deæ ſimulachra, ſæpe in plurali effertur, Aſtaroth. *Carnaim* Bicornem ſignificat: unde Aſtarothcarnaim, perinde eſt ac Juno vel Diana bicornis; ſive quòd eſſet in monte bicorni, ſive quòd pingeretur cum luna bicorni in fronte. Ab hoc autem idolo civitas in qua illud colebatur, nomen accepit, ita ut Aſtarothcarnaim, eſſet civitas Junonis vel Dianæ bicornis. *Et Zuzim*. Deſignatur gens robuſta, ſcriptoribus nunc ignota, niſi quòd aliqui putent eſſe illos gigantes, qui Deut. 2. vocantur Zonzommim.

[ *Cum eis*, ] Hieron. in qq. Hebraicis, atque etiam alii ex Hebræo, pro, *cum eis*, vertunt *in Ham*, & volunt nomen loci eſſe ſignificatum. Varietas ex diverſitate lectionis vocabuli Hebræi orta dicitur: quod uno modo lectum ſignificat *in Ham*; alio modo ſignificat, *cum eis*. Et hanc lectionem noſtram eſſe retinendam non ſolùm probat quòd Eccleſia vulgatam noſtram editionem vult cum omnibus ſuis partibus eſſe recipiendam, ſed etiam quòd ipſe Hieronymus, vertendo Geneſim ita reddidit.

[ *Et Emim*. ] Populus erat fortis & terribilis, de quo legimus Deut. 2. quod erat *tam excelſus ut de Enacim ſtirpe quaſi gigantes crederentur*.

[ *In Save Cariathaim*, ] Save quando ſumitur appellativè, ſignificat planitiem; & ita hic eam vocem aliqui accipiunt, quaſi diceretur. In planitie urbis dictæ Cariathaim. Alii malunt eſſe nomen proprium loci ſeu planitiei quæ peculiariter ſic vocaretur, unde verſu 17. ponitur tamquam nomen vallis. Hujus ergo ſententiæ ſenſus eſt, In planitie urbis Cariathaim vocata Save: Nam quòd Cariathaim ſit nomen urbis, ſatis inter ſcriptores convenit, & manifeſtum eſt ex Jerem. 48. Quoniam verò Cariathaim Hebraicè ſignificat duas urbes; ideo veriſimile eſt quòd urbs illa eſſet in duas diviſa, ut cenſeri poſſet quaſi duæ urbes, ſicut Atrebatum, vel Lovanium, & quædam aliæ.

[ ℣. 6. *Et Corrhæos in montibus Seir*, ] hi ſunt qui propter ſimilitudinem litterarum aliàs vocantur Horrhæi, ut infra cap. 36. habitaverunt autem in montibus qui vel poſteà dicti ſunt Seir, quando ſcilicet filii Eſau, expulſis Horrhæis, eos incoluerunt, quemadmodum Deut. 2. refertur; vel etiam prius à duce Horrhæorum cui nomen fuit Seir, juxta illud hujus lib. cap. 36. *Iſti ſunt filii Seir Horræi*.

[ *Uſque ad campeſtria Pharan*, ] pro campeſtria, alii ex Hebræo vertunt planitiem, eodem ſenſu: Juxta montem enim Pharan erant campeſtria, ſeu planities quæ cum longè lateque ſe extenderet, & inculta eſſet ac deſerta, ideo dicitur eſſe in ſolitudine, & vocari ſolet ſolitudo vel deſertum Pharan, Num. 10. 13. & alibi; in quo Iſraelitæ multis annis peregrinati ſunt poſtquam egreſſi fuerunt de deſerto Sinai. Septuaginta reddunt *uſque ad terebinthum Pharan*, alludentes veri-

verisimiliter ad aliquam famosam arborem istius generis, quæ ibi erat.

[ ℣. 7. *Reversique sunt*, ] cùm isti quatuor reges longius progressi essent in solitudine Pharan ut delerent nationes jam dictas, illis deletis seu exterminatis redierunt.

[ *Et venerunt ad fontem Misphat*, ] Septuaginta, usque *ad fontem judicii*, quod idem est, quia Misphat judicium significat. Iste fons est vicinus urbi Arabiæ quæ dicitur Petra; vocaturque hic fons judicii per anticipationem. Non enim sic vocabatur quando quatuor reges illuc venerunt, sed postea demum ita fuit vocatus, quando (ut Num. 20. refertur) jurgati sunt filii Israel contra Dominum. Et hujus nominis ratio est, partim quia illic Israelitæ sic murmuraverunt quasi vellent contra Deum lite seu judicio expostulare; partim quia Deus ibi tulit judicium de Moyse & Aaron non ingressuris terram promissionis, quia non crediderunt ei ut eum sanctificarent coram filiis Israel. Idem locus vocatus quoque fuit aqua contradictionis, propter populi murmur & contradictionem.

[ *Ipsa est Cades:* ] Hinc patet eumdem locum fuisse etiam vocatum Cades, quod sanctificationem sonat; ex eo scilicet quòd Deus edito miraculo ibi sanctificatus seu glorificatus fuerit.

[ *Et percusserunt omnem regionem Amalecitarum*, ] hoc est, regionem quæ postea cessit Amalecitis. Nam Amalecitæ cum ab Esau descendant, hoc tempore nondum erant, sed fuerunt postea, regionemque hanc incolebant quando Moyses scripsit Genesim 70. vertexunt, *principes Amalec*, seu principes illius regionis quæ tempore Moysi vocabatur regio Amalec. Versionis varietas putatur esse orta ex mutatione codicum Hebræorum.

[ *Et Amorrhæum*, ] isti ex Chanaan descendebant per Amorrhæum ipsius filium, de quo c. 10. vers. 16.

[ *Qui habitabat in Asasonthamar*. ] Hoc oppidum est, quod postea dictum fuit Engaddi, ut testatur B. Hieron. in qq. Hebr. conformiter ei quod 2. Paralip. 20. legitur, *Ecce consistunt in Asasonthamar, quæ est Engaddi*. Erat autem locus ille balsami & palmarum fertilis, teste B. Hieronymo. Valet porrò Asasonthamar idem quod urbs palmarum: Thamar quippe palma dicitur. Etiam erat urbs illa circa Jericho & circa Pentapolim. Unde sequitur.

[ ℣. 8. *Et egressi sunt rex Sodomorum & rex Gomorrhæ, rexque Adama, & rex Seboim, necnon & rex Bala*, ] ista sunt nomina quinque civitatum regionis Pentapoleos.

[ *Quæ est Segor:* ] Postquam Lot prætensa parvitate hujus urbis in eam se recepit cap. 19. quæ prius vocabatur Bala, id quod devorationem & absorptionem significat, cognominata fuit Segor, idest, parva; ac etiam Isa. 15. vitula conternans, idest, trima vel triennis; sive quòd tertio motu terræ absorpta sit; sive quòd instar vitulæ triennis lasciva evaserit.

[ *Et direxerunt aciem contra eos*, ] hoc est, contra quatuor reges supra nominatos,

[ *In valle sylvestri:* ] De qua versu 3. ita ut essent hi

[ ℣. 9. *Quatuor reges adversus quinque*. ] Per quod intelligi potest significatum, passiones (quæ licèt multæ sint, quatuor tamen principales assignantur 1. 2. q. 25. art. 4.) insurgere adversus nostros quinque sensus.

[ ℣. 10. *Vallis autem sylvestris habebat puteos multos bituminis*. ] In Hebr. *& vallis Siddim putei bituminis:* per quam phrasim eodem sensu significatur quòd locus ille plenus erat puteis bituminis: Illa enim geminatio apud Hebræos, indicium est augmenti, idque vel in multitudine vel in magnitudine, pro varietate circumstantiarum. Cur Moyses hoc expresserit, ratio esse videtur, ut indicaret quare isti quinque reges eum locum pugnæ elegerint, nimirùm quia periculosus erat aliis quatuor regibus horum puteorum ignaris. Sed Deus qui punire solet malos per malos, quique volebat *dare Sodomitis occasionem redeundi* ad cor & agendi pœnitentiam (solet enim vexatio dare intellectum Isa. 28.) ea cautela non obstante permisit illos quinque reges superari.

[ *Itaque*, ] non est hic ea vocula rationalis, sed copulativa.

[ *Rex Sodomorum & Gomorrhæ terga verterunt, cecideruntque ibi:* ] Cadere idem hic valet quod succumbere, victoriam amittere, & cædi; nec præcisè importat casum in puteos bituminis, etsi non improbabile sit quosdam ex animi consternatione & perturbatione in illos cecidisse: Petes, quomodo rex Sodomorum dicitur cecidisse, cùm infra v. 17. scribatur venisse in occursum Abræ. Resp. ipsum non occubuisse, neque cecidisse in persona sua, sed in suis militibus quorum multi fuerunt occisi, alii verò in montana fugerunt, ipseque etiam rex fuga sibi consuluit. quomodo 2. Mach. 1. Antiochus legitur fuisse percussus, cùm solùm ejus milites percussi fuerint.

[ ℣. 11. *Tulerunt autem* ] quatuor reges victores

[ *Omnem substantiam Sodomorum & Gomorrhæ*, ] ac etiam aliorum trium regum qui cum ipsis erant, licèt tantum illi duo nominentur, tamquam præcipui. Omnino autem verisimile est, quòd non eam solùm substantiam quinque regum & militum ipsorum abstulerint quæ in castris inveniebatur, sed urbes quoque præsidiis vacuas diripuerunt. Quis enim credat quòd devicto fugatoque adversariorum exercitu, abierint sine urbium ditione & nova tributi impositione? Adde quòd ut ex versu 16. liquet, secum abduxerunt mulieres & populum; hi autem non in castris esse solent, sed in urbibus & pagis.

[ ℣. 12. *Necnon & Lot* ] vel in prælio captum, vel potius inermem in urbe inventum: quemadmodum enim sequitur, etiam ejus substantiam abstulerunt, nec admodum probabile est, quòd homo peregrinus cum Sodomitis iverit ad prælium. Permisit autem Deus justum Lot apprehendi; partim ut levia ejus peccata quibus non carent in hoc mundo viri quantumcumque justi, sic castigarentur; partim ut doceretur bonos eum malis pati si ab eis non recedant. Ideo namque Deus Apoc. 18. monet, *exite de illa* (Babylone) *populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis*.

[ ℣. 13. *Et ecce unus qui evaserat*, ] Incertum quis,

[ *Nuntiavit* ] quæ in prælio gesta, & quòd Lot captus esset.

[ *Abram Hebræo*, ] hic primùm invenitur cognomen Hebræi, quod postea mansit in Israelitis: Unde autem dicti sint Hebræi; ambiguum est. Quidam putaverunt quòd ab Abram, ut Hebræi dicti fuerint tamquam Abræi. Quam derivationem cum secutus esset Aug. lib. 1. de consensu Evangelistarum cap. 14. ab ea recedit lib. 2. Retract. cap. 16. & quidem meritò, cùm ipsemet Abram hic legatur vocatus esse Hebræus, non sit autem apparentia quòd à suo nomine sic fuerit cognominatus, cumque in Hebræo Abram incipiat per litteram Aleph, & Hebræus per litteram Ain. Probabilius est Hebræos ab Heber cujus mentio fit cap. 10. & 11. dictos esse; partim quia ab eo descendebant; partim quia idioma retinebant quòd in sola familia Heber purum & incorruptum manserat, quòdque ab illo vocabatur Hebræum. Ita sentiunt Hieron. in qq. Hebr. ad cap. 10. Genes. Josephus lib. 1. Antiquit. cap. 7. Eusebius initio Chronici, Lyranus, Eugubinus, Dionys. Carthus. Abulensis, Delrio, Marius, & alii super hoc cap. eamdemque sententiam amplexus est Aug. l. 2. Retract. cap. 16. lib. 16. de Civit. cap. 3. & 11. & confirmatur, quoniam non sine causa Moyses dicens cap. 10. de Sem quoque nati sunt, addidit: patre omnium filiorum Heber, cujusmodi Epitheton cum neque alteri filiorum Noe respectu eorum qui ex ipsis nati sunt, neque ipsi Sem respectu aliorum quam Heber, tribuatur; signum est ab ipso Heber celebrem aliquam gentem denominatam esse Hebræam, propter quam hæc laus in Sem quoque transferatur. *Hebræi unde dicti*

Dices, si ab Heber vocati sunt Hebræi, cur non omnes qui ex Heber nati sunt, vocantur Hebræi? At pari ratione quæri potest, si ab Abram transitore denominati fuerunt Hebræi, cur non omnes posteri Abræ idem sunt sortiti cognomen? Quæ ad istud posterius vera est responsio, etiam responsio est ad prius, scilicet eos solos sive ipsius Heber, sive ipsius Abræ posteros esse dictos Hebræos, qui retinuerunt usum linguæ Hebrææ. His addendum videtur, posteros Heber, qui linguæ istius usum retinebant, ita vocatos fuisse Hebræos ab Heber ipsorum progenitore, ut etiam sic vocati sint

sint à voce Heber quæ trans vel transitum significat, ex eo scilicet quod Abram (& in eo ipsius posteri) fluvium Euphratem transiverit, cùm ex Chaldæa veniret in Palæstinam. Hinc enim factum est ut Chananæi inter quos habitabat, ipsum utpotè alienigenam appellarent Hebræum idest, transitorem; quomodo nunc aliqui vocantur transmontani, transmarini, transalpini. Et huc respexerunt 70. qui pro Abram Hebræo, verterunt transitori.

[ *Qui habitabat in convalle Mambre.* ] Quæ convallis est propè Hebron, unde ipsa urbs Hebron vocatur Mambre cap. 23. cum alioquin ex illo addito,

[ *Mambre Amorrhæi, fratris Escol, & fratris Aner:* ] Satis liqueat quòd Mambre sit nomen proprium viri, à quo tamen etiam convallis & civitas Hebron, potuit vocari Mambre.

[ *Hi enim pepigerant fœdus cum Abram.* ] Illi tres Amorrhæi, Mambre, Escol, & Aner, fratres, erant cum Abram fœderati.

[ ℣. 14. *Quod cùm audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem* ] idest, consanguineum, utpotè nepotem suum.

[ *Numeravit,* ] idest, delectu habito recensuit & eduxit: significatur enim non quosvis fortuitò assumptos & in pugnam eductos, sed delectos fuisse eos qui ad arma erant magis idonei: unde additur,

[ *Expeditos* ] seu probè instructos.

[ *Vernaculos* ] hoc est, servos domi natos.

[ *Trecentos decem & octo,* ] ex quo patet quàm magnus & potens fuerit Abram. Si enim tantus fuit vernaculorum qui ad bellum apti erant, numerus, quantus fuit omnium simul, juvenum, senum & aliorum pro gregum & armentorum custodia relictorum? Præter illos vernaculos, Abram secum habuit tres fratres, Aner, Eschol, & Mambre, ut ex fin. cap. liquet, nec dubium est quin & ipsi de suis familiis bonum numerum assumpserint; Mysterio tamen non vacat, quod e domesticis trecentos decem & octo legatur eduxisse: Ita namque præfiguratum esse numerum patrum qui in Syn. Nicena, hæresim Arii condemnaverunt & Christi divinitatem asseruerunt, Rupertus lib. 5. in Gen. cap. 16. & alii quidam scripto reliquerunt. Et si ea quæ ex Hebræo in Græcum sunt translata, secundùm Græcos characteres considerentur, Clemens Alexandr. lib. 6. strom. Ambros. lib. 1. de Abram cap. 3. & lib. 1. de Fide cap. 1. Rupertus dicto cap. 15. allegoricè significatum interpretantur Abram non militum numero, sed fidei merito vicisse, illosque esse ejus domesticos qui ad crucem & ad Christum confugiunt: Nam T quod Græcè trecenta significat, est signum crucis, & I. cum H quæ decem & octo significant, sunt litteræ initiales nominis Jesu.

[ *Et persecutus est* ] (Quatuor reges qui antea fuerant victores) [ *usque Dan.* ] Locus est in extremitate terræ promissionis in parte septemtrionali. Ubi est altera scaturigo Jordanis, qui vivente Moyse vocabatur Lais aut Lesen Josue 19. & Judic. 18. sed postquam tribus Dan illic possessionem accepit, ab ea cœpit vocari Dan; Moyses autem spiritu prophetico nomen istud expressit. Non procul distabat hic locus ab eo qui Cæsarea Philippi dictus est, ubi Petrus Apostolus Christi divinitatem apertè fuit confessus Matthæi 16.

Petes, quare hoc bellum non fuit injustum ex parte Abram, defectu authoritatis? Resp. quia Abram erat supremus princeps non habens in terris superiorem, & læsus erat in nepote suo Lot.

At dices, isti quatuor reges jure invaserant regem Sodomorum & alios, utpotè excutientes servitutem qua annis duodecim fuerant subjecti: ergo non licuit Abræ istos quatuor reges bello aggredi. Resp. Neg. Ant. quoniam illa servitus non erat justa, sed tyrannica. Quidam respondent quòd vindicaverit injuriam in Lot commissam, cùm ipse esset advena, & non de gente Pentapolitarum. Sed benè ait Estius, eos non satisfacere: quia Abram non solùm Lot ejusque familiam liberavit, sed etiam alios, eorumque substantiam reduxit.

[ ℣. 15. *Et divisis sociis,* ] in plures turmas, ita specimen præbens prudentis militis: Quò enim pluribus turmis hostes invadebat, eò numerosior videbatur ejus exercitus, hostilisque turbatior.

[ *Irruit super eos nocte,* ] ut sic inopinatos opprimeret.

[ *Percussitque eos,* ] & postquam cepit percutere,

[ *Et persecutus est eos,* ] ut hoc modo plura recuperaret rerum illarum quas hostes prædati fuerant.

[ *Usque Hoba.* ] Putatur esse idem locus qui Soba Damasci, aliàs Hobal Syriæ, postea Chobaa; favetque quod sequitur.

[ *Quæ est ad lævam Damasci.* ] Meritò hic omittitur quod alii addunt, usque Hoba, & Phœnicem.

[ ℣. 16. *Reduxitque omnem substantiam.* ] Tam hoc quàm undecimo versu, pro *substantiam,* 70. habent equitatum. Sed sicut vox Hebræa utrumque potest significare, ita per substantiam utrumque significatur, scilicet & equitatus & reliquæ facultates quas hostes tulerant.

[ *Et Lot fratrem,* ] idest, consanguineum suum, filium scilicet Aran fratris Abram. Vide cap. 13. v. 8. 70. hic non habent fratrem, sed fratris filium, idest, nepotem.

[ *Mulieres quoque & populum.* ] Hoc est, & mulieres, & universum alium populum Pentapolitanum qui fuerat abductus.

[ ℣. 17. *Egressus est autem rex Sodomorum.* ] Vel ex montanis ad quæ confugerat vel ex urbe Sodoma ad quam direptam redierat.

[ *In occursum ejus,* ] Abræ, ut ei de parta victoria congratularetur, & de suorum liberatione ac hostium percussione gratias ageret, suosque qui liberati erant, reciperet.

[ *Postquam reversus est* ] (Abram)

[ *A cæde Chodorlahomor & regum qui cum eo erant in valle Save.* ] Istud, *in valle Save,* non sic debet construi quasi significetur quòd in ista valle cæsus fuerit Chodorlahomor cum suis, sed construendum est, vel cum verbo *erant,* ut sensus sit Chodorlahomor & reges ei confœderatos fuisse in illa valle, id quod ex versu 5. notum est: vel cum illo, *egressus est,* ut significetur quòd rex Sodomorum venerit in occursum Abræ ad istam vallem. Et hunc sensum clarius indicant Hebræa quæ commate interjecto habent, *ad vallem Save.* Quid illa sit vers. 5. dictum.

[ *Quæ est vallis regis.* ] Seu regia, sic dicta quòd reges ibi solerent aut venari aut aliter recreari. Quidam codices 70. addunt, regis Melchisedech: At 70. Romæ correcta & impressa omittunt Melchisedech: & ita habent, *hic erat campus regum.*

Moraliter hinc discimus quòd quatuor reges de quinque regibus victoriam reportantes, sunt quatuor animi passiones, quæ quinque corporis sensus aliquando captivant: Ubi autem fides quæ per dilectionem operatur, & quæ per Abram significata est, has passiones superaverit, ac interiorem hominem ab illarum captivatione liberaverit, laudabiliter triumphat.

[ ℣. 18. *At verò Melchisedech.* ] Interpretante Apostolo ab Hebr. 7. Melchisedech idem significat quod rex justitiæ, sed in sacris litteris est nomen proprium. Quis autem vel qualis fuerit Melchisedech, non per omnia liquet.

Author quæstionum veteris & novi testamenti apud August. tom. 4. q. 109. contendit esse Spiritum sanctum. Sed cum ipse Aug. lib. ad Quod vult Deum hæresi 34. ob hoc Melchisedecianos recenseat inter hæreticos, quod Melchisedech non hominem sed virtutem Dei esse arbitrarentur, uti ex multis aliis, ita ex hoc argumento liquet illas quæstiones non esse Augustini. Ob eamdem causam Epiphan. hæresi 55. Melchisedecianos, & hæresi 67. Heracitas hæreticis annumerat. Quis fuerit Melchisedech.

Origenes & Didymus apud Hieron. epistola 126. ad Evagrium, senserunt Melchisedech esse Angelum. Sed neque hæc sententia fidei catholicæ congrua est; non enim convenit sacerdotio & regno, quæ scriptura tribuit Melchisedech.

Catholica igitur veritas est, Melchisedech verum ac purum hominem fuisse, quemadmodum asserunt Cyrill. Alex. lib. 2. glaphyrorum in Genes. Epiphanius, Hieron. & alii orthodoxi, tam veteres quàm recentiores; idemque patebit ex seqq.

Neque refert quòd Apostolus dicto cap. ad Hebr. scribat Melchisedech sine patre, sine matre, sine Melchisedech quo modo sine patre.

genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habentem: Id enim non sic est accipiendum, quasi absque patre, & matre, aliisque progenitoribus fuerit; sed quoniam sic in sacris litteris introducitur, ut nullam parentum progenitorum ejus memoriam, nullumque vitæ ipsius initium aut finem sit in illis reperire: sive, sicut ipse Apostolus explicat, *cujus generatio non annumeratur*.

Quòd Suidas in verbo Melchisedech, ait ipsum fuisse quidem hominem, sed ex scorto natum, eamque ob causam genus ejus non referri, merum est figmentum ab aliquibus Rabbinis in contemptum sacerdotii adinventum. Quasi verò scriptura ideo reticuerit genus Pharea, quia sit ea incestu natus Gen. 38. 1. Para. 2. Matth. 1. Aut genus Jephte, quia sit ex meretrice genitus Judic. 11.

Plus habet verisimilitudinis quod quidam Hebræi, nonnullique catholici opinantur, Melchisedech fuisse Sem filium Noe. Quæ tamen sententia non videtur esse vera; partim quia Palæstina in qua hæc contigerunt, non fuit occupata à filiis Sem, sed à filiis Cham, nimirùm à Chananæis; partim quia non suppetit ulla ratio dicendi quòd Sem sacerdotio functus fuerit extra suam familiam; partim denique quia Sem non fuit sine patre, sine matre, & sine genealogia; cùm scriptura & in Genesi & in Paralip. genealogiam ejus recenseat. Nec satisfacere videntur, qui respondent non describi parentes Sem, sub nomine Melchisedech: Sicut enim etsi scriptura non describat genus Jacob sub nomine Israel, nemo tamen verè diceret in scriptura neque patrem, neque matrem, neque genealogiam Israel describi, quia scilicet sub nomine Jacob quod ei proprium fuit, describitur; ita ad Paulinæ sententiæ veritatem non sufficit quòd Pater & genealogia Melchisedech non describitur sub nomine Melchisedech, si sub alio nomine quod ipsi proprium sit, describatur. Quapropter sententia Irenæi, Hyppoliti, aliorumque veterum quos refert Hieron. epistola 126. quosque sequuntur Epiphanius, Theodoretus, & plerique recentiorum, probabilior est Melchisedech fuisse genere Chananæum & gentilem, divinæ tamen gratiæ beneficio fidelem, & eximium unius veri Dei cultorem.

*Melchisedech nō est Sem.*

*Melchisedech fuit Chananæus.*

[ *Rex Salem*. ] Hieronymus dicta epistola 126. ait hanc Salem esse oppidum juxta Scytopolim, quod & Salem Sichimorum, & Salim appellatur, de quo infra c. 33. & Joan. 3. partim quia suo adhuc tempore ibi ostendebatur palatium Melchisedech, partim quia Abrahæ de Dan reverenti occurrebat istud oppidum, & non urbs Jerusalem.

*Melchisedech fuit rex Salem seu Jerusalem.*

Verumtamen alii complures ipso illic teste Hieronymo, imò & ipse Hieronymus epistola 17. quam sub nomine Paulæ, & Eustochii scripsit ad Marcellam, ac rursum in qq. Hebr. docent, Salem cujus rex fuit Melchisedech, esse illam quæ tria hæc nomina habuit, Jebus, quod calcatam: Salem, quod pacem; & Jerusalem quod visionem pacis significat: estque hæc sententia communiter recepta. Quod autem de palatio Melchisedech opponitur, incerto nixum est fundamento, popularibus nimirùm relationibus: unde Josephus locorum Judææ spectator & habitator lib. 1. Antiquit. cap. 11. & lib. 7. de bello Judaico cap. 18. asseverat Melchisedech fuisse regem Salem, quæ postea Jerusalem fuit dicta. Ad alterum Resp. quòd Abrahæ de Dan revertenti in Hebron, ubi ipse tunc habitabat, non minùs recto itinere, aut certè, non magna deflexione occurrebat Jerusalem, quàm Sichem. Adde quod textus non significet Abraham venisse in Salem; sed quòd rex Salem seu Jerusalem ei obviaverit ad Hebr. 7. Id quod facilè potuit facere, aliquantulum fines suos egrediendo ad congratulandum de victoria contra hostes, quorum etiam impetum non immeritò alioquin formidabat.

[ *Proferens*. ] Verbum Hebræum significat proferre seu educere; eodemque ut rituali in sacrificio utitur textus Hebræus Judic. 6. v. 18. ubi noster interpres vertit, *portans sacrificium & offerens tibi*.

[ *Panem & vinum*, ] qualia solebat offerre in sacrificium, quemadmodùm testantur Euseb. lib. 5. demonstr. Evangelicæ cap. 3. Isidor. Pelusiota lib. 1. epistola 431. & lib. 3. epist. 152. Theodoret. in Psalm. 109. Ambr. lib. 5. de sacram. cap. 1. Hieron. epistola 126. & unanimiter alii orthodoxi. Quamvis autem refragentur hæretici, certò nihilominus asserendum est quòd Melchisedech panem & vinum protulit ad ea offerendum Deo in sacrificium gratiarum actionis pro victoria per Abram de hostibus reportata, etsi probabile sit quòd post oblatum sacrificium, illa ipsa seu illorum partem proposuerit Abræ in sacrum epulum, secundùm ea quæ diximus 3. p. q. 22. art. 6.

*Melchisedech obtulit panem & vinum in sacrificium.*

Confirmatur, etiamsi aliàs scriptura meminerit sacerdotii Melchisedech, nusquam tamen tradit qua materia in sacrificando usus fuerit, præterquam hoc in loco: ergo quæ hic traditur, credenda est fuisse materia sacrificii ipsius, tum quia sic locum hunc intellexit tota sanctorum patrum antiquitas, tum quia necessarium fuit scire materiam sacrificii Melchisedech, ut sciri posset eam habuisse similitudinem cum materia sacrificii Eucharistiæ cujus illud sacrificium erat typus. Accedit quod pro ratione quare Melchisedech protulerit panem & vinum, mox sequitur.

[ *Erat enim sacerdos Dei Altissimi*, ] quasi diceretur quòd ideo panem & vinum protulit ad offerendum in sacrificium, quia erat sacerdos Dei Altissimi.

Neque refert in Hebr. non haberi voculam rationalem *enim*, sed copulativam, *&*: ista enim copulativa, ut alibi sæpè, ita hic habet vim rationalis, quemadmodum B. Hieron. Hebraicè peritissimus benè intellexit qui hic vertit per rationalem. Nec dissentiunt 70. qui verterunt, *erat autem sacerdos*, adversativam ponentes pro causali. Ita sumitur eadem copulativa c. 20. ubi Hebræa dicunt, *& ipsa habens virum*; cap. 27. *& supplantavit me*; cap. 30. *& benedixerit*; quibus locis nos habemus; *habet enim virum*, *supplantavit enim me*, *quia benedixerit mihi*.

Non refert etiam vel quòd panis & vinum Hebræis omne genus ciborum significat; vel quòd vocabulum sacerdos pro principe seu primario aulæ regiæ positum inveniatur 2. Reg. 8. fin. quia certum nihilominùs est panem & vinum frequenter sumi propriè, pro certa specie cibi & potus, etiam apud Hebræos; & ita hic sumi tota antiquitas intellexit: sicut etiam cum Apostolo ad Hebr. 7. intellexit vocabulum; sacerdos, propriè accipi. Confirmatur tum quia aliàqui ista ratio, *erat enim sacerdos*, nihil momenti haberet; tum quia Apostolus in illa epistola figuram Melchisedech Christo applicavit, non ea tantùm ratione quia Melchisedech fuit rex, sed præcipuè quia sacerdos & sacerdotio levitico major. Accedit quòd David Psalm. 109. prædixit Christum futurum sacerdotem secundùm ordinem seu ritum & more Melchisedech. Sed Christum fuisse verum sacerdotem & de vero ejus sacerdotio tum prophetare Davidem, tum loqui Apostolum in dicta epistola, certum est: ergo similiter debemus præsentem Moysi locum accipere: alioqui frivola esset Apostoli ratiocinatio, qui & ad Psal. 109. & ad hunc locum Gen. respexit.

[ ℣. 19. *Benedixit ei*, ] ut major minori, nimirùm ut sacerdos typum gerens æterni sacerdotii, ei qui solùm temporarii sacerdotii pater erat, ac per consequens ut major Levi & sacerdotibus Aaronicis, quemadmodum argumentatur Apostolus ad Hebr. 7. Ex qua argumentatione & hoc deduci potest, verbo, *Benedixit*, non significari nudam laudationem vel gratulationem; sic enim non esset verum quod ait *sine contradictione quod minus est à meliore* seu majore, *benedici*: sed significatur benedictio solemnis, qua quis ea officio vel authoritate alteri benè precatur, sicque benedicit.

[ *Et ait: benedictus Abram Deo excelso*, ] Abram sit à Deo excelso benedictus, & ab eo bonis omnibus cumuletur.

[ *Qui creavit cœlum & terram*, ] etiam 70. reddunt verbum, *creavit*, cùm alii ex Hebræo vertant, possedit: sed sciendum verbum Hebræum quod propriè significat possidere, interdum poni pro creare, ex eò quòd creatio sit causa possessionis: Ideo enim Deus possidet cœlum & terram quia illa ipse creavit. Hinc est quod Proverb. 8. ubi 70. habent *condidit*, vel *creavit me*, noster interpres dederit, *possedit me*.

[ ℣. 20. *Et benedictus Deus excelsus*, ] Deum ex celsum laudent omnes.

[ *Quo protegente hostes in manibus tuis sunt*. ] Hostes

ſtes ſubjugaſti, & da illis victoriam reportaſti. Sic oportet referre in Deum felicem conflictum, ipſamque victoriam, & prorſus omnia bona.

[ *Et dedit ei.* ] Abram ſcilicet ſacerdoti Malchiſedech. Ad Abram anim referri verbum, *dedit*; & relativum, *ei*, ad Malchiſedech tum ex unanimi veterum conſanſu conſtat, tum ex cap. 7. ad Hebr. ubi Apoſtolus ait, Cui ( nimirùm Malchiſedech ) *etiam decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha:* & mox de eodem Melchiſedech ſcribit quòd *decimas ſumpſit ab Abraham*. Unda quid Abram ſacerdoti Melchiſedech dederit, textus proſequitur.

[ *Decimas ex omnibus.* ] Ea tota præda quam hoſtibus ademerat, ac fortaſſis & ex bonis Pentapolitarum in hoc libenter conſentientium.

Quidam nomine decimarum non intelligunt partem decimam, ſed tantùm in genere, aliquotam. At ca veterum ſententia & ex Apoſtoli ad Hebr. 7. ſenſu, pars decima intelligi debet: ex decimarum quippe acceptione infert dignitatem ſacerdotii Melchiſedech ſupra ſacerdotium Levitarum qui erant in lumbis Abrahæ. Quia enim ut B. Tho. ratiocinatur 3. p. q. 31. art. 8. ille qui decimas dat, novem ſibi retinet & decimam alii tribuit, quod eſt perfectionis ſignum, in quantum denarius eſt quodammodo terminus omnium numerorum qui procedunt uſque ad decem; inde eſt quòd ille qui decimas dat, proteſtatur ſe imperfectum, & perfectionem alii tribuere, ſeu agnoſcere quòd perfectio ſit in alio. Obſervandum autem quòd ſermo ſit de illa decimarum ſolutione quæ ſit intuitu ſacerdotii & ſacri miniſterii, quem intuitum habebat Abram erga Melchiſedech.

Similitudo Melchiſedech ad Chriſtum. Ex hujus loci cum cap. 7. ad Hebr. collatione obſervari poteſt in quibus Malchiſedech fuerit typus Chriſti. Primò, in ſignificationa nominis, quod dicimus ſignificare regem juſtitiæ. Secundò, in myſterio urbis cujus erat rex, Salem enim pacem ſignificat; Chriſto autem nemo vel magis juſtus vel magis pacificus. Tertiò, quòd introducatur ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, nec initium nec finem habens, Chriſtus verò nec patrem habuit in tempore, nec matrem in æternitate, verèque caret durationis principio & fine. Quartò, quia ſimul fuit rex & ſacerdos, & quidem ( ſicut canon Miſſæ habet ) ſummus. Quintò, quia nec legitur ulli ſucceſſiſſe in ſacerdotio, nec ullus ipſi, quod eſt ſymbolum ſacerdotii æterni. Sextò, quòd non fuerit ſacerdos unius familiæ ſicut primogenitus vel paterfamilias, ſed publicus, & peculiari ſacerdotio divinitùs inſtitutus. Septimò quòd fuerit major Abrahamo, Levi, & Aarone. 8. Quòd panem & vinum obtulerit. Nonò, quòd in ea civitate ſacerdotio functus ſit, in qua Chriſtus panem & vinum conſecravit.

[ ℣. 21. *Dixit autem rex Sodomorum ad Abram da mihi animas, cætera tolle tibi.* ] Specimen præbet gratitudinis, rogans ſibi reddi animas ſeu homines qui ab hoſtibus abducti fuerant, & velut in compenſationem officii ab Abramo præſtiti, libenter ei cedens omnia ſpolia tam quæ hoſtium fuerant, quam quæ hoſtes abſtulerant.

Moraliter obſerva diabolum hoc unum à ſuis exigere ut ſe animaſque ſuas finaliter ei dent, de bonis temporalibus parum ſollicitus.

[ ℣. 22. *Qui reſpondit ei: Levo manum meam ad Dominum Deum,* ] Hoc eſt, juro per Deum: Vetus enim cæremonia eſt, hodie quoque uſitata, qua is qui jurat manum levat ad Deum, ita profitens Deum ſibi præſentem, quem & ut veritatis teſtem, & ut perjurii vindicem invocat.

[ ℣. 23. *Quod à filo ſubtegminis uſque ad corigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt,* ] Proverbialis locutio eſt, qua per duas res viliſſimas ſignificare intendit quòd nihil, ne minimum quidem, ſit accepturus ex iis quæ Sodomorum fuerant, atque in iis etiam comprehendit illa quæ fuerant aliorum Pentapolitarum. Filum ſubtegminis ſive ſubtegmen dicitur filum quod ſub ſtamine texitur, ſtamen verò quidquid in colo ponitur ad nendum: unde patet filum ſubtegminis eſſe quid viliſſimum in re textoria. Caliga veteribus erat genus calceamenti, quod aliquam tibiæ partem tegebat, poniturque hic pro calceamento, ſicut Actor. 12. *Calcea te caligas tuas.* Corigia caligæ eſt ſubligaculum quo calceamenta ligantur & adſtringuntur, his conſonat quod in Hebræo & 70. legitur; Si à filo uſque ad corigiam calceamenti &c.

[ *Ne dicas. Ego ditavi Abram:* ] Quaſi diceret, ne jactes quòd ego ex bonis tuis ſim dives factus, quòdque bonorum illorum amore hoſtem ſim aggreſſus & inſecutus. Cujuſmodi periculum cum ex muneribus Pharaonis cap. 12. & Abimelec cap. 20. nullum ſubeſſet, ea accepit. Sciendum porro quòd non ſuperbè iſta dixerit Abram, ſed ut certo argumento manifeſtaret quòd pietatis & non ſpoliorum affectu ſuſcepiſſet bellum contra hoſtes victores.

[ ℣. 24. *Exceptis his, quæ comederunt juvenes,* ] Digni enim fuerunt mercenarii cibo ſuo.

[ *Et partibus virorum qui venerunt mecum, Aner, Eſchol, & Mambre: iſti accipient partes ſuas.* ] Quæ ſtipendii loco eis debentur. Quia namque illi non ſuberant Abræ, ſed ſola fœderis & amicitiæ ratione ipſum comitati erant, non poterat eos vel abſentes fortaſſe, vel præſentes quidem ſed invitos privare portione ſpoliorum quæ jure belli ad eos ſpectabat.

Hinc diſcimus non accipere quidquam à rege Sodomorum, id eſt, à principe hujus mundi diabolo; & cavere ne bona opera faciamus ut videamur & ut remuneremur ab hominibus. Si qui tamen debitam mercedem accipiant, non malè agere.

## CAPUT XV.

*Deus Abræ filium promittit, cui credens Abram juſtificatur, & in ſignum poſſidendæ terræ quæ promiſſa fuerat, offert ſacrificium à Deo præſcriptum, auditque ſuæ poſteritatis futuram peregrinationem.*

[ ℣. 1. *His itaque tranſactis,* ] Quæ ſuperiori capite ſunt deſcripta, poſtquam ſcilicet Abram de hoſtibus victor rediens decimas ſacerdoti Dei obtuliſſet, ac regia munera reſpuiſſet.

[ *Factus eſt ſermo Domini ad Abram per viſionem* ] Deus volens remunerare fortitudinem & pietatem Abræ, ipſi apparet ac per viſionem loquitur. Vox Hebræa abſolutè ſignificat viſionem, etiam illam quæ fit vigilanti. Et ſermonem hic eſſe de illa quæ vel per Deum interius loquentem, vel per Angelum in corpore apparentem, vigilanti Abræ fuit exhibita, ſequentia uſque ad verſ. 12. clarè indicant, tametſi noctè accidiſſe, ex v. 5. ſatis appareat, quando nimirum, nocturno licèt tempore, Abram vigilabat.

[ *Dicens: noli timere Abram,* ] Poterat vir ſanctus cogitare hoſtium arma renovanda; & cum varii ſint eventus belli, diverſæque viciſſitudines, ſiniſtrum aliquid metuere: ſed metum hunc ab eo Deus excutit.

[ *Ego protector tuus ſum,* ] In Hebr. *ego tibi ſcutum.* Pronomen *ego*, emphaſim habet, quaſi diceret: ego ille qui toties te ex periculis eripui, vice ſcuti te protegam. Sic Pſalm. 5. *Domine ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos:* Et Pſalm. 90. *Scuto circumdabit te veritas ejus.* Tutiſſimum eſſe, Deum habere protectorem & res ipſa clamat, & ſcriptura teſtatur. Pſalm. 22. *Etſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala quoniam tu mecum es.* Confert Pſalm. 26. Pſalm. 90. Pſalm. 117.

[ *Et merces tua magna nimis.* ] Priori parte promiſſa fuit defenſio contra adverſa: hic promittitur merces pro adverſis patienter ſuſceptis, & pro omnibus benè actis; ſignificaturque quòd ipſe Deus ſit futurus illa merces magna valde. *Oculus* enim *non vidit quæ præparavit Deus expectantibus ſe*, Iſa. 64. *& quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, 2. ad Corinth. 4. Unde patet quàm turpiter fallantur qui Malach. 3. dicunt, *Vanus eſt qui ſervit Deo, & quod emolumentum quia cuſtodivimus præcepta ejus?* Obſervandum porro bonum hinc contra ſectarios argumentum duci pro meritis bonorum operum, ut ex iis quæ 1. 2. q. 114. diximus intelligi poteſt, cum meritum & merces ſint correlativa. Pro meritis bonorum operum.

[ ℣. 2. *Dixitque Abram, Domine Deus,* ] Quaſi diceret, credo quòd multa bona, ac tandem teipſum mihi ſis daturus: ſed

[ *Quid dabis mihi?* ] Quod beneficium in hoc mundo

mihi dabis, qui non das aliquem filium, futurum mecum hæredem?

Ire, pro mori fumitur.

[ *Ego vadam?* ] Seu moriar.

[ *Absque liberis,* ] Nam ire feu dimitti, pro ex hac vita recedere ac mori fumitur, ut Matth. 26. *Filius hominis vadit.* Luc. 2. *Nunc dimittis Domine fervum tuum.*

[ *Et filius procuratoris domus meæ* ] In Hebr. pro *procuratoris*, eft *Mefec*, quod 70. retinentes ita legunt, filius Mafech vel Mefec vernaculæ meæ, quafi illud, *Mefec* fit nomen proprium ancillæ Abræ: Melius autem nofter interpres accepit ut appellativum, fignificans œconomiam feu procurationem. Et quoniam fæpè abftractum ponitur pro concreto, idque videbatur poftulare præfens contextus, rectè vertit *procuratoris* feu œconomi.

[ *Ifte Damafcus Eliezer.* ] Erit nimirum hæres meus. Damafcus ponitur ut nomen proprium, ficuti & Eliezer; at hoc in fecundo cafu; perinde ac fi diceretur. Ifte Damafcus Eliezeri filius. Totius fententiæ fenfum hunc reddit Hieronymus: ego fine liberis moriar: & filius procuratoris mei vel vilici, qui univerfa difpenfat, & diftribuit cibaria familiæ meæ, vocaturque Damafcus Eliezer, hic meus hæres erit.

Petes, quare Abram hic non peccavit per incredulitatem, cum ex cap. 13. conftet promiffum ei fuiffe femen. Refp. rationem effe: partim quia necdum ei conftabat cujufmodi femen promififfet Deus; utrùm fpirituale, an carnale; utrùm per generationem, an per adoptionem: partim quia ut jufti femper de fe funt pavidi, timere poterat ne qua fua culpa effet commeritus promiffionem effectu fruftrari, ficut accidit in promiffionibus conditionatis.

[ ℣. 3. *Addiditque Abram: Mihi autem non dedifti femen:* ] Seu filium ex me procreatum. Parethica eft repetitio ejus quod jam infinuaverat.

[ *Et ecce vernaculus meus,* ] Ifte fervus domi meæ genitus.

[ *Hæres meus erit.* ]

[ ℣. 4. *Statimque fermo Domini factus eft ad eum,* ] Prope eft Dominus invocantibus eum, nec patitur fuos diu effe anxios, nifi forte id eis melius effe noverit: quo cafu, patienter expectandum effe monemur Abac. 2.

[ *Non erit hic hæres tuus, fed qui egredietur de utero tuo,* ] Seu de intima fubftantia tua.

[ *Ipfum habebis hæredem.* ] Paulatim Deus, & velut per gradus Abræ manifeftat fecreta fua cap. 13. promifit femen, hic determinat quòd ex ipfo gignendum; at nondum, utrùm ex Sara, id quod demum cap. 17. fpecificat.

[ ℣. 5. *Eduxitque eum foras,* ] Extra tentorium in quo hactenus apparuerat, in locum ubi fereno cœlo poffet ftellas confpicere.

[ *Et ait illi: Sufpice cœlum, & numera ftellas fi potes.* ] Stellas à nullo hominum poffe numerari conftans eft fcripturæ facræ affertio, quæ Deo peculiariter tribuit quòd *numerat multitudinem ftellarum & omnibus eis nomina vocat*, Pfalm. 146. & difertis verbis ait, quòd *enumerari non poffunt ftellæ cœli*, Jerem. 33. Neque refert aftrologos communiter numerare ftellas mille viginti duas: Loquuntur enim de ftellis infignibus & vifu magis notabilibus; cum alioquin de omnibus loquendo, longè fint plures, de quibus Auguft. lib. 16. de civit. cap. 23. fcribit, non omnes videri poffe. Nam *quantò quifque acutius intuetur, tanto plures videt.* Unde & acerrimè cernentibus aliquas occultas effe meritò exiftimatur.

Semen Abræ ut ftellis fimile.

[ *Sic erit femen tuum.* ] Partim carnale quod fecundùm carnem ea te nafcetur; partim fpirituale quod fidem fpiritumque tuum imitabitur; Nam de utroque loquitur Deus, fignificare volens femen Abræ futurum inftar ftellarum feu fimile ftellis. Fuit autem fimile. Primò, quoad numerum, juxta illud Deut. 1. *Eftis hodie ficut ftellæ cœli, plurimi.* Secundò quoad magnitudinem. *Nulla* enim *eft natio tam grandis quæ habeat Deum appropinquantem fibi*, ficut illi qui femen funt Abrahæ, Deut. 4. 3. quoad celfitudinem, fpirituale quippe femen Abrahæ converfationem habet in cœlis, ad Philipp. 3. & confidet in cœleftibus, ad Ephef. 2. quartò, quoad æternitatem in qua beati perfiftunt. Quintò, quoad lucem & fplendorem. Jam enim jufti *lucent tamquam luminaria magna in mundo*. Ad Philipp. 2. & ftella è ftella differt in claritate, fic & refurrectio mortuorum, 1. ad Corinth. 15.

[ ℣. 6. *Credidit Abram Deo,* ] Apoftolus hunc locum citans ad Rom. 4. non Abram, fed Abraham vocat, quia attendit tempus in quo fcribebat; Moyfes autem refpexit tempus in quo hæc funt dicta. In Hebr. habetur, *credidit in Deum:* fed hoc eft Hebræis idem quod credidit Deo. Nam Exod. 14. ubi nos habemus, *crediderunt Domino & Moyfi fervo ejus*, Hebræi legunt, crediderunt in Dominum & in Moyfen fervum ejus: Similiterque 1. Reg. 27. pro, *credidit Achis David*, habent, credidit Achis in David. Cæterum, etfi fcriptura Hebræa non diftinguat credere Deo & credere in Deum: Scholaftici tamen B. Auguftinum fecuti rectè illa diftinguunt, fecundùm diverfam relationem ad objectum fidei, caufa majoris diftinctionis 2. 2. quæft. 2. art. 2. Confer quæ illic habeat nofter commentarius.

[ *Et reputatum eft illi ad juftitiam.* ] Hebr. & reputavit illud ei juftitiam: fed familiare eft Hebræis verba activa paffivè exponere, præfertim ubi non variatur fenfus ficut hic, cum ifta fint eadem, Deus reputavit Abræ fidem ad juftitiam, & fides à Deo reputata eft ei ad juftitiam. Unde non folùm Hieron. paffivè vertit, fed etiam 70. interpretes, & Apoftoli ad Rom. 4. ad Galat. 3. Jac. 2. Senfus eft, Abram credidit Deo ipfi promittenti femen ficut ftellas cœli, & illa ejus fides eft ei reputata (nimirum à Deo) ad juftitiam, feu juftitiæ augmentum: conftat enim tum ex hujus cap. initio, tum ex cap. 12. & 13. quòd Abram erat juftificatus antequam Deus hanc illi promiffionem faceret; ideòque fides qua huic promiffioni credidit, reputata eft ei ad juftitiam, non qua ex impio fieret juftus, quæ vocatur prima juftitia, fed ad illam qua ex jufto fieret juftior, quæ dicitur juftitia fecunda.

Fides Abrahæ ad juftitiam valuit.

Dices, quo modo ifta fides valuit Abræ ad juftitiam, cum fides quæ juftificat, debeat effe in Chriftum: Refp. in primis non oportere, quòd omnis actus fidei juftificantis feratur immediatè in Chriftum. Deinde, Abram ita Deo promittenti femen credidit, ut etiam crederet in Chriftum qui ex femine ejus erat nafciturus. Vidit quippe diem Chrifti, & gavifus eft Joan. 8. Hinc Ambrofius l. 1. de Abraham c. 3. ad hunc locum fcribens. *Quid credidit? Chriftum fibi per fufceptionem corporis hæredem futurum. Ut fcias quia hæc credidit, Dominus ait, Abraham diem meum vidit & gavifus eft.*

Perperam hinc colligunt fectarii nos fola fide juftificari, cum fides quæ Abræ dicitur effe reputata ad juftitiam, non fuerit fola; fed cum fubmiffione & obedientia, cumque reverentia in Deum imò cum variis operibus bonis ex fpiritu fidei profectis, quemadmodum patere poteft conferenti hoc caput cum præcedentibus, & cum cap. 2. epiftolæ S. Jacobi: peculiariter tamen hic exprimitur fides, quia quòd fine ulla hæfitatione crederet Deo repromittenti pofteritatem, cum in contrarium fuppeterent varia ex naturali ratione argumenta, nempe grandæva ipfius ætas, uxoris fterilitas, diuturna ejusdem rei antea promiffæ dilatio, fuit actus valde excellens.

Non poteft etiam hinc peti efficax argumentum pro juftitia quam hæretici vocant imputativam: quia quempiam reputari à Deo juftum, eft ipfum in Dei cognitione & judicio juftum effe: Impoffibile autem eft Dei five cognitionem five judicium falli: ergo quemcumque Deus reputat juftum, is revera juftus eft, ac per confequens habet in feipfo veram juftitiam. Vide quæ diximus 1. 2. q. 113. art. 2.

[ ℣. 7. *Dixitque ad eum: ego Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum,* ] Benè facis quòd mihi credas: Ego enim ille ipfe fum qui de Chaldæa te eduxi. Quid Ur Chaldæorum, cap. 11. fuit explicatum.

[ *Ut darem tibi terram iftam & poffideres eam.* ] Nimirum per tuos pofteros. Firmat Deus animum Abræ, refricando antiquam promiffionem, ante hac ipfi factam.

[ ℣. 8. *Unde fcire poffum,* ] Non dubitantis vel hæfitantis eft interrogatio, fed inquirentis modum, tempus, & ordinem, ac etiam fignum qua ejus pofteritas per-

persuadeatur. Vide Aug. lib. 16. de Civit. cap. 24. qui post 70. legit, *secundum quid sciam?* B. Thom. 2. 2. q. 97. art. 2. ad 3. scribit Abram ex instinctu divino signum petiisse.

[ ℣. 9. *Et respondens Dominus: sume inquit, mihi*, ] Ut mihi post fœdus initum sacrifices, utque tibi per ea significem quæ posteris tuis eventura sunt, priusquam ineant possessionem terræ promissæ.

[ *Vaccam triennem*, ] Quidam hæbraizantes non ad ætatem referunt, sed ad numerum, ac pro trienni vertunt triplicem: sed melius noster interpres ad ætatem retulit, sicut etiam 70.

[ *Et capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam.* ] Hebr. pipionem seu pullum columbæ. Quadrupedia pro fœdere & sacrificio parari jubentur: Aves tantùm pro sacrificio: cuncta simul statum & conditionem futuram posterorum significant, & horum animalium usus tacet mansit sub lege; cum non nisi ex illis (dempto leprosorum sacrificio quod passere fiebat:) sacrificia in lege offerrentur.

Jubentur autem assumi tria genera quadrupedum, eaque singula trima: partim quia ejusmodi animalia dum sunt trium annorum, sunt perfecta in robore & statura: partim ad significandum tres gradus vel status quibus posteri Abræ futuri erant in Ægypto. Sicut enim vacca triennis est indomita & delicata; ita Israelitæ in Ægypto egerunt, primò satis liberè & delicatè: Deinde aliquid servitutis subierunt in utilitatem Ægyptiorum, sicut capra Domino suo fructificat; ac denique toti fuerunt in servitutem redacti, quemadmodum aries totus est Domino suo utilis.

Designatæ insuper hic fuerunt tres generationes, quibus post mortem Joseph ac fratrum ejus duravit illa servitus, sub Aram videlicet, Aminadab, & Naasson in tribu Juda; sub Caat, Amram, & Moyse, in tribu Levi. Duæ aves designabant partim exitum de Ægypto, partim possessionem terræ promissæ, turtur quidem exitum in desertum & quamdam in eo peregrinationem: columba verò quæ est animal sociale, tempus quo fixerunt tabernacula in terra promissionis. Conferri possunt Aug. lib. 16. de Civit. cap. 24. Theodoret. & alii super Genes. & ex B. Thoma 3. p. q. 31. art. 2. observari quòd rectè hinc colligitur Abram fuisse sacerdos, quo modo etiam vocatur in canone Missæ.

[ ℣. 10. *Qui tollens universa hæc, divisit ea per medium*, ] Hoc est; illa omnia assumens & jugulans, divisit ea per medium, à capite ad caudam. Erat hic ritus feriendi fœderis, quo tacitè significabatur eos qui fœdus frangerent, dignos esse qui tali pœna mulctarentur a Deo. Vide cap. 34. Jerem. & quæ notamus infra ad vers. 17.

[ *Et utrasque partes contra se altrinsecus posuit.* ] Relicto scilicet inter quadrupedum medietates, spatio ad transeundum.

[ *Aves autem non divisit.* ] Quia tantùm destinatæ erant sacrificio, & non fœderi. Illa quadrupedum sectio repræsentabat diversas afflictiones in Ægypto Abræ posteris eventuras: Aves verò integræ finem earum afflictionum.

[ ℣. 11. *Descenderuntque volucres*, ] Scilicet carnivoræ,

[ *Super cadavera, & abigebat eas Abram.* ] Per quod significabatur quòd afflictiones illæ tandem erant avertendæ per Dei providentiam, & propter meritum Abræ.

Moraliter autem significantur distractiones quæ in oratione superveniunt, & abigendæ sunt, apud Greg. lib. 6. Moral. cap. 20.

Septuaginta pro abigebat eas; legunt *consedit illis*, attendentes diversam vocis Hebr. radicem: eosque sequitur Aug. lib. 16. de Civit. cap. 24. Aquila conformiter legit nostræ lectioni, quæ & vera & omnino retinenda est; cum qua sic conciliari potest altera lectio, ut dicatur Abram post abactas volucres, procul sedisse cum eis, adhuc anhelantibus redire ad victimas.

[ ℣. 12. *Cumque sol occumberet*, ] Prior visio nocte contingit, orto autem die Abram ruit & paravit ea quæ jussus fuerat, obtulitque prædictum sacrificium: Dum verò in illis peragendis diu versatur, tandem sol cœpit ad occubitum declinare.

[ *Sopor irruit super Abram*, ] Partim naturalis ex labore in dicta sacrificia impenso, partim divinitus immissus, unde 70. ecstasim vertunt.

[ *Et horror magnus & tenebrosus invasit eum.* ] Tenebrosus, idest, qualis accidere solet homini in densis tenebris comprehenso, & nescienti quò se vertat. In sopore intellexit Abram quid per suas victimas significaretur, & quanta passuri erant sui posteri in Ægypto: unde factum est quòd ingenti horrore correptus fuerit.

Solis occasum interpretari licet significasse mortem Josephi, & cessationem felicitatis Israelitarum in Ægypto, post ejus obitum. Sopor figura erat metaphoricæ dormitionis seu dissimulationis Dei permittentis Israelitas opprimi. Horror symbolum fuit duræ afflictionis in Ægypto.

[ ℣. 13. *Scito prænoscens*, ] Hebr. scito sciens, hoc est, certò scias.

[ *Quod peregrinum futurum sit semen tuum* ] Isaac, & ejus posteri. Nam in Isaac vocabitur tibi semen, cap. 21.

[ *In terra non sua*, ] Partim in Chanaan, partim in Mesopotamia, partim in Ægypto, prius quam ingrediantur possessuri terram promissam. Si dicas Isaac & Jacob natos fuisse in Chanaan. Resp. eam nihilominus non fuisse terram illorum; quia ne vestigium quidem pedis ibi possederunt ut suum, sed solùm ut peregrini eam incoluerunt.

[ *Et subjicient eos servituti & affligent quadringentis annis.* ] Non significatur quòd totis 400. annis futuri sint vel in servitute vel in afflictione Ægyptiaca, cum satis constet quòd non tam diu manserint in Ægypto, sed annis solum ducentis quindecim; & ex illis in servitute fuerint vel centum viginti, vel nonaginta circiter annis. Vide ad cap. 1. Exodi. Sed vel cum Aug. q. 47. in Exod. dicendum est hic esse hyperbaton, sic ut illa (*& subjicient eos servituti & affligent*) intelligantur velut parenthesi inclusa, & sensus sit: Semen tuum erit peregrinum in terra non sua annis quadringentis, & intra hos annos incolæ regionis ubi habitabunt, servituti eos subjicient & affligent. Quali etiam parenthesi utendum est Joh 10. v. 21. Act. 9. v. 12. Vel sine parenthesi sensus est. Intra quadringentos annos ab eo tempore computando, quo semen accipies, sive quo nascetur Isaac; hæc evenient, semen tuum erit peregrinum, servituti subjectum, & variè afflictum. Observandum quòd hi anni quadringenti non nisi à nato Isaac computandi sunt; quoniam verba expressè loquuntur de peregrinatione seminis Abræ; hoc autem semen fuit Isaac.

Si dicas, ab eo tempore usque ad egressum Israelitarum de Ægypto fluxisse annos quadringentos & quinque: Resp. frequens esse quòd expresso magno & perfecto numero reticeant minor; quomodo dicimus 70. interpretes & 70. discipulos, cum fuerint 72.

Si præterea dicas, Exod. 12. ita legi. *Habitatio filiorum Israel qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum:* ergo non benè dictum est, quòd non manserint in Ægypto quadringentis annis. Resp. neg. Cons. quia nomine Ægypti subintelligitur etiam terra Chanaan, unde 70. legunt, *in terra Ægypti & in terra Chanaan.* Ideo autem sola Ægyptus tam in Latinis quàm in Hebræis codicibus nominatur, partim quia ibi & diutissima & miserrima & ultima pars mansionis exacta est, atque ita à potiori parte ponitur nominatio; partim quia statim à prima promissione facta Abræ, ipse in Ægyptum peregrinari debuit, supra cap. 12. Cum ergo & initium & terminus peregrinationis fuerit Ægyptus, totus incolatus rectè ab Ægypto denominari potuit. Hujus igitur numeri quadringentorum triginta annorum, principium non sumitur à nativitate Isaac, sicut de numero 400. diximus, sed à promissione facta cum Abram esset ann. 75. cap. 12. & finitur quando Israelitæ exiverunt de Ægypto. Confer cap. 3. ad Galat.

Anni autem quadringenti quinquaginta, de quibus Act. 13. legitur, computantur etiam ab illa promissione, sed finem accipiunt quando Josue divisit populo terram promissionis: usque ad quod tempus reperiuntur anni plures quàm quadringenti quinquaginta, scilicet quadringenti septuaginta vel septuaginta

quinque. Et ideo textus Actorum dicit *quasi* seu circiter *post quadringentos & quinquaginta annos*, ut significetur non exprimi præcisè numerum.

[ ℣. 14. *Verumtamen gentem cui servituri sunt, ego judicabo,* ] Seu puniam, & quidem plagis maximis, ut patet ex cap. 7. Exod. cum sequentibus.

[ *Et post hæc egredientur cum magna substantia.* ] Seu cum multis bonis partim eorum industria acquisitis partim ex Ægyptiorum spoliis. Hujus prophetiæ veritas liquet ex cap. 12. Exod. & ex Sap. 10.

[ ℣. 15. *Tu autem ibis ad patres tuos in pace.* ] Morte placida & quieta morieris.

[ *In senectute bona.* ] Non morte præmatura, sed plenus dierum & provectæ ætatis, expletis scilicet centum septuaginta quinque annis, cap. 25.

[ ℣. 16. *Generatione autem quarta revertentur huc* ] Generatio hic propriè accipitur pro procreatione unius ex alio, ut prima generatio sit filii, secunda nepotis, & sic deinceps. Computantur autem hæ quatuor generationes ex eo tempore quo Israelitæ ingressi sunt Ægyptum usque dum ab ea exiverunt, atque ita si respiciamus ad principalem seu regiam tribum Juda, quatuor generationes inveniuntur. Nam Esron, qui Gen. 46. intravit Ægyptum, in ea genuit Aram (ecce prima generatio:) Aram genuit Aminadab, (ecce secunda) Aminadab genuit Naasson, (ecce tertia) Naasson genuit Salmon, (ecce quarta) & tempore Salmonis egressi fuerunt de Ægypto, ita ut ipse fuerit unus eorum parvulorum qui Num. 14. dicuntur introducendi in terram promissionis, qui etiam accepit Raab in uxorem. Septuaginta Exod. 13. habent quinta generatione: Sed computant & comprehendunt eum qui genuit Esron.

Quæ generationes quatuor.

[ *Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum.* ] Hoc est, Amorrhæi nondum impleverunt mensuram peccatorum, ob quæ decrevi eos de sua terra expellere. Amorrhæos solos nominat, quia potentissimi & sceleratissimi fuerunt, sub eis tamen reliquos Chananæorum populos comprehendit. De iniquitatibus eorum vide Levit. 18. Deut. 9. & 12.

[ ℣. 17. *Cum ergo occubuisset sol,* ] Et Abram in sopore perseveraret; (hæc enim omnia sunt illi repræsentata in ecstasi seu visione, juxta Aug. lib. 2. Retract. cap. 43. & alios communiter.

[ *Facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans,* ] Seu ardens valdèque incensus, & ab igne qui intro cernebatur, magnum fumum emittens.

[ *Et lampas ignis* ] Hoc est, fax seu facula ignita.

[ *Transiens inter divisiones illas.* ] Sive inter partes animalium supra v. 11. divisas. Per caliginem & clibanum significabatur servitus Ægyptiaca, & labores illic in coquendis lateribus futuri: per fumum, lachrymæ: & per transitum, fœdus quod statim erat Deus cum Abram initurus, fuit enim quondam consuetudo, ut ferientes fœdus transirent inter partes animalium causa fœderis occisorum: juxta illud Jerem. 34. *Dabo viros qui prævaricantur fœdus meum, & non observaverunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter divisiones ejus.* Ubi Theodoretus testatur quòd olim ita jurare consueverant. Ita autem in præsenti Deus feriens fœdus cum Abram, loco sui facit in visu flammam transire, & Angelum in ea flamma apparentem, omninoque verisimile est Abram quoque inter partes divisas transivisse seu transire sibi visum fuisse; cum ista in visione contigerint.

Si quæras, An vel clibanus vel lampas consumpserit animalia in sacrificium oblata, Respondeo ita quosdam opinari; illis tamen qui negant potius videtur assentiendum; quia non verus ac realis fuit clibanus vel ignis, sed imaginarius, utpotè in visu & ecstasi repræsentatus. Consumptio autem hostiarum facta fuit aut per ignem cœlitus immissum, aut per eum quem Abram adhibuit. Ideo autem Deus hic in lampade seu facula ignea voluit apparere; tum quòd Deus optimè per ignem figuratur, cum ipse sit ignis consumens Deut. 4. & ad Hebr. 12. tum quia talem se voluit exhibere Abræ, qualis postea futurus erat ejus filiis. Illos enim prius transire fecit per clibanum laborum & per fornacem ferream Ægypti, ut Deuter. 4. vocatur; & postea multis prodigiis & miraculis, quasi lampade divinæ claritatis illustravit. Simul etiam ita præfiguravit ducatum columnæ igneæ dandum Israelitis post egressum de Ægypto. Allegoricè eadem facula ardens & transiens significabat gloriam Dei, fidem nimirum & gratiam, à Judæis ad gentes esse transferendam.

[ ℣. 18. *In illo die* ] Durante adhuc eodem die naturali.

[ *Pepigit Dominus fœdus cum Abram,* ] Cap. 12. Deus promissionem fecerat, sed nullo eam sensibili signo confirmaverat, quod modò facit postquam Abram evigilasset & ecstasis ejus finem accepisset.

[ *Semini tuo dabo terram hanc, à fluvio Ægypti* ] Hunc fluvium non esse Nilum benè ostendit Abulensis; sic enim magna pars Ægypti, & Arabia tota, & Median, aliaque gentium regiones promissæ essent semini Abræ, quod dici non potest, sed intelligitur parvus quidam fluvius dividens Ægyptum & Palæstinam, qui ab urbe vicina vocatur Isa. 27. apud 70. Rhinocorura. Ab aliis appellatur torrens deserti, Amos 6. & torrens Ægypti Numer. 34. & Josue 15. Ac etiam rivus Ægypti 3. Reg. 8. & torrens occidentis Amos 6. juxta 70. quia scilicet fluit in confinio Ægypti qua parte Ægyptus vergit ad occasum.

[ *Usque ad fluvium magnum Euphratem,* ] Duos exprimit fines seu terminos terræ promissionis ab Aquilone, unum scilicet Euphraten de quo Genes. 2. Ab Austro seu Meridie, dictum torrentem seu fluvium Ægypti. Reliquos terminos videat Lector Num. 34. v. 6. & 26.

[ ℣. 19. *Cinæos, & Cenezæos, Cedmonæos,* ] *Cinæi* erant populi Palæstinæ sic dicti, vel à Cina urbe quæ postea cessit in possessionem tribus Juda Josue 15. vel à civitate Ceni, de qua 1. Reg. 27. *Cenezæi* non sunt illi qui à Cenez filio Eliphaz filii Esau ita sint nuncupati, tum quia Esau necdum erat natus, imò nec Isaac; tum quia filii Esau non habitarunt in Palæstina, sed in monte Seir, infra cap. 36. tum quia terram filiorum Esau non dedit Deus filiis Israel. Deut. 2. Verùm alii sunt populi ad Septemtrionalem partem terræ promissæ habitantes. Cedmonæi, à Cedimoth urbe, non verò à Cedma filio Ismaelis, quia non promittitur Abræ quòd sui posteri expellent suos fratres, sed quòd Chananæos.

[ ℣. 20. *Et Hethæos, & Pherezæos,* ] *Hethæi* sic vocati fuere ab Hethæo, filio Chanaan supra cap. 10. *Pherezæi* unde dicti, incertum, forte ab aliquo tempore cujusdam notabilis divisionis gentio.

[ *Raphaim quoque,* ] Hujus nominis origo est à Rapha, de stirpe gigantum 1. Paralip. 20. unde in scriptura eadem est vallis Raphaim, & vallis gigantum, 2. Reg. 23. & 1. Paralip. 11.

[ ℣. 21. *Et Amorrhæos, & Chananæos, & Gergesæos, & Jebusæos.* ] Illi tres, Amorrhæi, Gergesæi, Jebusæi à tribus filiis Chanaan qui cap. 10. nominantur, denominati sunt. Chananæi vocantur hic qui patris nomen peculiariter retinuerunt. Ex his patet scripturam isto loco numerare decem gentes quarum terra semini Abræ est promissa: quibus si addantur Hevæi, quos soli quidem 70. hic exprimunt, Hebræi tamen ac Latini codices Exod. 3. 13. & alibi nominant; reperientur undecim.

Unde quæritur quo modo hæc consistant cum cap. 7. Deut. Act. 13. & aliis, ubi expresè agitur de septem gentibus propter Israelitas subversis: Quidam respondent septem gentium terram Hebræis promissam, aliarum verò quatuor gentium regiones fuisse pro Idumæis, Moabitis, & Ammonitis. Sed in contrarium facit quòd isti nusquam vocentur semen Abræ, ac præsertim Moabitæ & Ammonitæ, ex Lot nati; hanc autem promissionem semini Abræ factam esse scriptura disertè affirmat.

Verisimilior est Augustini q. 21. super Josue, Responsio, septem gentium terras promissas fuisse Hebræis, quas deletis illarum incolis, statim post liberationem de Ægypto & egressum de deserto essent occupaturi, reliquarum verò terram eisdem fuisse promissam, ut eam imperio suo subjicerent sibique tributariam facerent sicut sub Davide factum legimus 2. Reg. 8. & sub Salomone 3. Reg. 4. non autem ut eam ipsi, veteribus incolis exterminatis atque deletis, inhabitarent. Addunt alii etiam istarum quatuor gen-

tium

tium terram fuisse promissam ad inhabitandum, sed conditionatè, si nimirum, dum ita multiplicarentur ut amplior possessio esset eis necessaria, constantes in unius Dei cultu perseverarent, quæ conditio exprimitur. Deut. 19. v. 9. Verùm ab Israelitis servata non fuit, Interdum sex dumtaxat gentes recensentur, ut Exod. 3. sed Gergesæi illic omissi quia pauciores & viliores, comprehenduntur sub aliis. Et similiter quando quinque exprimuntur ut Exod. 13. aut tres, Exod. 23. aut una, subintelliguntur aliæ.

## CAPUT XVI.

*Agar à Sarai domina sua datur Abræ uxor. Quæ ubi concepit, heram contemnit; & ob id afflicta, fugam init: Sed jussu Angeli redit, & postea Ismaelem parit.*

[ ℣. 1. *Igitur Sarai* ] Conjunctio, igitur, non ponitur hic ut illativa, sed ut sermonis inchoativa; unde ex Hebræo alii vertunt, *& Sarai: 70. Sarai autem.*

[ *Non genuerat liberos:* ] Quidam libri habent, non genuerat *sibi*: sed illud reciprocum meritò Correctores omiserunt, cum neque sit in Hebr. neque in Græco, Ubi legitur pronomen *ei*, quod ab Abram referri debet, ac in Latino facilè subintelligitur.

[ *Sed habens ancillam Ægyptiam nomine Agar*, ] Agar erat Ægyptia genere, donata videlicet Abræ dum in Ægypto versaretur, sive à Pharaone, sive ab aliquo alio, juxta illud quod cap. 12. legimus Ægyptios benè usos esse Abram propter Sarai, fuisseque ei oves & boves, & asinos & servos, & famulas; At religione erat Hebræa, ait Philo in lib. de Abraham, conversa nimirum ad fidem postquam in Abræ familiam transiverat. *Agar quomodo Ægyptia.*

[ ℣. 2. *Dixit marito suo: Ecce conclusit me Dominus*, ] Hoc est, sterilem me fecit: claudere enim fœminam aut vulvam ejus, est illam reddere infœcundam, ut infra cap. 20. num. 18. & 1. Reg. 1. v. 5. sicut aperire vulvam sæpè ponitur pro fœcundare, ut infra cap. 29. v. 31. & cap. 30. vers. 22. Hinc discimus naturæ incommoda non casui vel fortunæ, sed Deo ascribere, & quidem sine ulla murmuratione.

[ *Ne parerem*, ] Si ut diversa sumantur, claudere mulierem ne concipiat, & eam claudere ne pariat, illa clauditur ne concipiat, quæ non potest concipere; illa ut non pariat quæ cum conceperit, non potest fœtum emittere, aut certè non sine vitæ periculo. Sed quoniam parere est naturaliter consequens ad concipere, ideo hic dicitur Sarai fuisse conclusa ne pareret, sub quo intelligitur etiam conclusa ne conciperet.

[ *Ingredere ad ancillam meam*, ] Inito scilicet prius cum ea matrimonio; quemadmodum patet ex vers. 3.

[ *Si fortè saltem ex illa suscipiam liberos.* ] Quos pro meis habeam velut filios meos adoptivos. In Hebr. legitur, *si quo modo ædificer ex ea.* Unde observandum quòd ædificare domum alicui mulieri, sit ipsi dare liberos & suscitare prolem: Aut, si ipsa mulier dicatur ædificare domum, perinde est ac filios concipere & parere, ut Exod. 1. v. 21. Deut. 25. vers. 9. Ruth. 4. v. 11. Cujus locutionis ratio est quia familia fit, conservatur & augetur per liberos, tamquam viva domus quæ etiam liberis extinctis desinit. *Quid ædificare domum.*

[ *Cumque ille acquiesceret deprecanti*, ] Patet hinc Abram non animo libidinis accepisse Agar, sed spe prolis, nec nisi precibus Sarai ex eadem spe deprecantis inductum. Atque, ut scribit Josephus lib. 1. Antiquit. cap. 11. Sarai hoc deprecata fuit, Dei monitu: Cui conformiter Aug. lib. 22. contra Faust. cap. 32. ait Abram credidisse quòd Sara ex Dei nutu hoc vellet.

[ ℣. 3. *Tulit* ] Sarai videlicet.

[ *Agar Ægyptiam ancillam suam, post annos decem quam habitare cœperant in terra Chanaan:* ] Erat ergo tunc Abram annorum octoginta quinque (nam septuagesimo quinto ætatis exiverat de Haran cap. 12.) Sarai verò erat 75. annorum, decennio nimirum minor, quàm Abram, c. 17. Quare istud decem annorum spa-

*Franc. Sylvis Tom. VI.*

tium hic notet Moyses, ambigitur. Ratio esse videtur ut ostenderet mirabilem Abræ modestiam, continentiam, & fidem. Statim namque ut ipse venit in Chanaan non semel Deus ei promisit semen, neque tamen tot annorum curriculo carens omni prole infirmatus est fide ad Rom. 4. & quamvis uxoris sterilitatem diu esset expertus, nihil contra illam asperum dixit, nec de alia cogitavit nisi à Sarai rogatus & quasi coactus.

[ *Et dedit eam viro suo uxorem.* ] Non concubinam quæ pro mera voluntate assumitur, similiterque rejicitur, imò & rejici debet; sed uxorem veram ac propriè dictam. Neque refert eam aliquando vocari concubinam: Solet enim scriptura eo nomine significare uxorem minùs principalem, quæ non esset domina & materfamilias, ut cap. 25. explicabitur; & hujusmodi fuit Agar. Licitum porro ac validum fuisse hoc Abræ cum Agar matrimonium, sancti patres unanimiter docent: quoniam etsi polygamia sit contra jus naturæ, non est tamen contra primaria ejus principia, sed solùm contra secundaria; super qua proinde potuit Deus dispensare, ac etiam dispensavit, generaliter loquendo de dispensatione, secundùm ea quæ diximus 1. 2. q. 94. art. 5. & Suppl. q. 65. art. 2. *An licuit Abræ ducere Agar.*

Petes, quare non est culpandus Abram quòd non fuerit contentus solam Sarai habere uxorem, quandoquidem ex cap. 15. sciret promissum sibi hæredem ex sua substantia gignendum. Resp. cum Aug. lib. 22. contra Faustum cap. 32. quia necdum erat ei significatum, utrùm esset illum procreaturus ex Sarai, an ex alia; quod illi Deus occultare voluit, donec prius ex ancilla vetus testamentum figuraretur.

[ ℣. 4. *Qui ingressus est ad eam.* ] Ita Hebræi carnalem copulam honestè exprimunt. Confer cap. 29. v. 21. & 24. cap. 30. v. 3. & 4. cap. 38. v. 2. & 8.

[ *At illa concepisse se videns, despexit dominam suam.* ] Velut à Deo repudiatam & indignam semine quod fuerat Abræ promissum, sperans quòd in prole quam conceperat, implendæ essent promissiones sancto viro factæ. Sic nesciunt quidam uti felicitate quam Deus eis mittit, verificaturque quod Proverb. 29. legimus: *Qui delicatè à pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem*; itemque illud Poetæ:

*Asperius nihil est humili, cum surgit in altum.*

[ ℣. 5. *Dixitque Sarai ad Abram: Iniquè agis contra me;* ] In Hebræo; Injuria mea (quæ nimirum ab ancilla mihi irrogatur) super te est, sive tibi imputanda est, nisi insolescentem cohibeas & castiges.

[ *Ego dedi ancillam meam in sinum tuum*, ] Ut esset tibi uxor, atque ita posses ejus tamquam uxoris contubernio uti. Agar erat ancilla non solùm Sarai, sed & Abræ; Sarai tamen illam vocat suam, quia secundùm Philosophum lib. 8. Ethic. cap. 10. quædam pars regiminis domestici pertinet ad virum, & quædam ad uxorem: Ancillarum autem dispositio magis pertinet ad uxorem quàm ad virum.

[ *Quæ videns quòd conceperit, despectui me habet, judicet Dominus inter me & te.* ] Ejusmodi locutio interdum est petentis ut Deus nocentem puniat: sed non est verisimile quòd Sarai vindictam expetierit, & ideo sensus est, Rem hanc committo Dei judicio ut ipse sicut voluerit judicet, an æquum sit me injuriam pati ab ancilla, & te eam dissimulare.

[ ℣. 6. *Cui respondens Abram: Ecce, ait ancilla tua in manu.* ] Seu potestate

[ *Tua est, utere ea ut libet.* ] Non permittit sævitiam, sed modestam ac rationabilem correctionem, quasi diceret, fac de illa quod tibi juxta dictamen rectæ rationis visum fuerit esse faciendum.

[ *Affligente igitur*, ] Seu coercente & castigante.

[ *Eam Sarai, fugam iniit.* ] Non quòd Sarai modum excederet, sed quoniam animus Agar ad familiæ dominatum aspirantis non volebat ferre jugum herile; sicque quod justum erat, ipsi videbatur crudele. Ita hæretici Ecclesiæ judicium & censuras crudelitatem esse criminantur. Correctionem porro Sarai fuisse moderatam, ex verbis Angeli v. 9. haud difficulter intelligi potest.

[ ℣. 7. *Cumque invenisset eam Angelus Domini* ] Meritis Abræ missus, ut consuleretur proli ac magnæ ejus posteritati. Hæc est in scripturis prima visio Angeli.

[ *Juxta fontem aquæ in solitudine*, ] Iste fons vocatur puteus v. 14. qui tameo rectè etiam dicitur fons; quia in puteis est fons & scaturigo aquarum, adeò ut Aug. tract. 15. in Joan. scribat. *Omnis puteus fons; non omnis fons puteus*. Ubi enim aqua de terra manat, & usui præbetur haurientibus, fons dicitur: Sed si in promptu & superficie sit, fons tantùm dicitur; si aotem in alto & profundo sit, ita puteus vocatur ut fontis nomen noo amittat.

[ *Qui est in via Sur in deserto*, ] Pronomen, *qui*, refert fontem: & sensus est: Qui fons est in ea parte deserti Sur, qua itur in Ægyptum ex Chanaan. Scribit B. Hieron. in locis Hebr. Sur esse desertum inter Cades & Barad, quod usque ad mare rubrum extenditur & pervenit ad confinia Ægypti. Volebat ergo mulier Ægyptia in Ægyptum reverti. Hoc est desertum in quod filii Israel de Ægypto egressi venerunt, Exod. 15. Syri desertum istud vocant Agaram ab Agar, à qua etiam ii populi dicuntur Agareni, qui ab Ismaele vocantur Ismaelitæ, aliàs Saraceni, ooo à Sara, ( sic enim Sarani fuissent vocandi ) sed à Saraca urbe Arabiæ, quemadmodum probat Covar. lib. 4. variarum cap. 9. tom. 2.

[ ℣. 8. *Dixit ad illam: Agar ancilla Sarai*, ] Ancillam vocando, eam suæ conditionis admonet, ut humiliter de se sentiat, erroremque suum agnoscat & facilius se submittat.

[ *Unde venis? & quò vadis?* ] Non quærit quasi oesciret, sed ut errati confessionem eliciat.

[ *Quæ respondit: à facie Sarai Dominæ meæ ego fugio*. ] Facies pro persona ponitur; nam à facie Dei vel hominis idem valet quod a Deo vel homine: ut Dan. 2. v. 18. Jonæ 1. v. 3. 1. Machab. 5. v. 21. Quamquam & sensus esse possit, à facie Sarai, idest, propter Sarai ego fugio.

[ ℣. 9. *Dixitque ei Angelus Domini: Revertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius*. ] Submittas te illius correctioni & potestati.

[ ℣. 10. *Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum*, ] Hoc est, plurimum multiplicabo tuos posteros ex filio quem concepisti. Id Abrahæ meritis factum patet, ex c. 17. v. 20. Loquitur autem nunc Angelus non in sua, sed in Dei persona, cum promittat se id facturum, quod omoes creaturæ vires excedit.

[ ℣. 11. *Ecce ait, concepisti, & paries filium: vocabisque nomen ejus Ismael*, ] Quod idem significat, ac auditio Dei, unde pro nominis hujus ratione subditur;

[ *Eo quòd audierit Dominus afflictionem tuam*. ] Subaudi, & in afflictione orationem: quamvis enim noo disertè exprimatur oratio; in eo tamen quòd Deus dicitur audivisse seu exaudivisse afflictionem, seu sitim, laborem, lassitudinem, & anxietatem prægnantis ac fugientis Agar, includitur ejusdem oratio ad Deum pro solatio & auxilio. Notandum, Ismaelem esse primum eorum quorum oomina sunt io veteri testamento prænnnciata antequam nascerentur. Secundus fuit Isaac, infra c. 17. v. 19. Tertius fuit Josias 3. Reg. 13. v. 2. Quartus, Cyrus rex Persarum, Isa. 44. & 45. in novo autem testameoto fuerunt duo, Unus, Joannes Baptista, Luc. 1. v. 13. secundus Jesus Christus, Matth. 1. v. 21. Luc. 1. v. 31.

Quorum nomina fuerunt prænunciata.

[ ℣. 12. *Hic erit ferus homo*, ] Septuaginta vertunt, rusticus seu agrestis. Hieronym. in qq. Hebr. scribit in Hebræo haberi, phere quod significat onagrum seu asinum *sylvestrem* qui libertate & solitudine gaudet, hominumque societatem fugit. Metaphoricè autem significat hominem durum, intractabilem, ioca solitaria diligentem, & jugi impatientem. Cujusmodi fuisse posteros Ismael seu Saracenos, patris nimirum sui imitatores, luculentè doceri potest ex B. Hieron. in hoc cap. & io vita S. Malchi.

[ *Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum:* ] Hiperbolicè significatur quòd tum Ismael tum ejus posteri futuri essent valde bellicosi & inquieti, omnesque gentes sibi vicinas infestaturi, & ab omnibus etiam infestandi.

[ *Et è regione universorum fratrum suorum figet tabernacula*. ] Juxta fratres suos habitabit, è regione namque Isaac & filiorum Ceturæ habitavit Ismael in deserto Pharan, & quidem io tabernaculis quod etiam hodie faciunt multi Arabum quorum pars fuerunt Ismaelitæ.

[ ℣. 13. *Vocavit autem nomen Domini* ] Suppositum verbi vocavit, sive ut alii reddunt, invocavit, est Agar quæ iovocavit nomen Domini, idest Dominum.

[ *Qui loquebatur ad eam:* ] Per Angelum, Dei personam repræsentantem. Invocavit autem, agendo gratias quòd eam esset consolatus, ac dicendo

[ *Tu Deus qui vidisti me*. ] Tu es Deus, qui me, afflictionemque meam respexisti, & misertus es mei.

[ *Dixit enim: Profectò hic vidi posteriora videntis me*. ] Quasi diceret, Mioùs mirarer si Deum seu Angelum in persona Dei apparentem vidissem & propitium habuissem in domo Domini mei Abram; sed obstupesco quòd etiam hic in deserto eum viderim. Posteriora videntis vocat tergum Dei seu Angeli io specie humana apparentis, Deumque repræsentantis. Quod tergum ipsa vidit & non faciem; vel quia claritatem vultus ferre non potuisset, vel quia Angelus faciem non exhibuit conspicuam. Significatur autem quòd Angelorum, ac multò magis Dei ootitia quam hic habent homines, obscura sit & confusa seu imperfecta. Vide cap. 33. Exod. fin.

[ ℣. 14. *Propterea appellavit* ] ( Agar scilicet )

[ *Puteum illum*, ] Qui vers. 7. fons dictus est verèque fons erat, sed quoniam aqua in profundo latebat, nec nisi per funem aut situlam vel quid simile hauriri poterat: ideo etiam erat puteus.

[ *Puteum viventis & videntis me*. ] Puteum ejus qui semper vivit, & qui humilitatem afflictionemque meam vidit. Unde si ista participia referantur, ut verisimile est esse referenda, ad Deum, designantur duæ ipsius proprietates, vivere, & videre: Ipse enim solus ex se ac per se vivit omnibusque aliis viventibus vitam tribuit; apud eum namque est fons vitæ Psalm. 35. & solus habet immortalitatem 1. ad Tim. 6. Solus quoque omnia videt, Esther 14. qui idcirco Deus scieotiarum vocatur 1. Reg. 2. & solus etiam sic hominum afflictionem respicit ut per se possit eorum misereri. Si quis tamen velit referre ad Angelum, ipse hominum comparatione potest peculiariter dici vivens & videns; quia non est mortalis sicut homines; & longè altiorem perfectioremque habet scientiam quàm ipsi.

[ *Ipse est inter Cades & Barad* ] Cades est locus in deserto Sin ubi Moyses aquam de petra excussit, Num. 20. Barad est locus non valdè remotus à Cades.

[ ℣. 15. *Peperitque Agar Abræ filium:* ] Postquam Angeli monitis obtemperans domum redierat.

[ *Qui vocavit nomen ejus Ismael:* ] Hic dicitur Abram vocasse filium istum Ismael, aut ab Angelo videlicet edoctus, aut ex relatione Agar, sciens quid Angelus ei dixisset: & tamen supra dictum est quòd ipsa Agar filium suum eo nomine esset vocatura. Ubi nulla est contradictio; sive quia uterque parens sic vocavit; sive quia Abram ex monitu Agar.

[ ℣. 16. *Octoginta & sex annorum erat Abram, quando peperit ei Agar Ismaelem*. ] Undecim scilicet annis ab egressu Abræ de Haran, ut patet ex cap. 12. v. 4. Allegoricè Agar est Synagoga, & Sarai, Christi Ecclesia: Dum verò synagoga Christum ejusque Ecclesiam despicit, à catholicis principibus coercetur, ac interdum vexatione intellectum dante, Deoque miserante, quidam ex synagoga veniunt ad Ecclesiam. Moraliter observa quòd sicut Agar beneficiorum dominæ suæ immemor fuit, & in eam procax donec ab Angelo reprehensa rediit ad illam, ita frequenter homines sua prosperitate insolescant, & prioris suæ vilis conditionis immemores facti nec Deum nec homines reverantur, donec reprehensi vel castigati ad mentem revocentur, & verificetur in eis illud Psalm. 118. *Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas*.

CA-

## CAPUT XVII.

*Promissiones Abræ factas Deus repetit, cum aliqua immutatione nominum Abra, & Sarai præcipitur circumcisio: quam exequitur Abram postquam audivit nasciturum sibi ex Sara filium.*

[ ℣. 1. *Postquam verò nonaginta & novem annorum esse cœperat*, ] Abram videlicet. Inter nativitatem Ismael, & verba hic sequentia de circumcisione, fluxerunt anni tredecim. Ne igitur Abram videns in tot annorum spatio nullus alios liberos sibi nasci arbitraretur istud capitis. 15. *Qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis heredem*, impletum fuisse in filio ex ancilla suscepto:

[ *Apparuit ei Dominus*: ] Seu Angelus vice Dei, Deumque repræsentans. Quæ apparitio quòd in vigilia, & in specie sensibili ( in corpore nimirum quod Angelus assumpsit ) facta fuerit; colligitur tum ex adorationibus vers. 3. & 17. relatis; sensuum enim externorum usus qui ad prostrationem intervenit, testatur Abram non fuisse à sensibus abstractum; tum ex ascensu Dei ab Abram v. 22. qui importat motum localem.

[ *Ego Deus omnipotens* : ] Orditur ab omnipotentia, ut spem ac fidem Abræ fulciat. Unde ad Rom. 4. Abraham dicitur *plenissimè scivisse quia quæcumque promisit Deus, potens est & facere*: Nam Dei potentia fulcrum est fidei: Qua ratione, & Apostoli, & Patres Constantinopolitani statim initio symboli Deum vocarunt omnipotentem. Pro, *Deus omnipotens*, in Hebr. est El Saddai, quæ sunt duo ex decem Dei nominibus in scriptura celebratis, & ab Hieron. epistola 136. explicatis. *El* Deum significat; *Saddai* idem valet quòd robustus & ad omnia perpetranda sufficiens, ideoque omnipotentiam importat.

[ *Ambula coram me*, ] In omnibus intuere me præsentem & stude mihi in omnibus placere. Unde 70. legunt, *Place in conspectu meo*, eisque consentit August. lib. 16. de civit. cap. 26. Vide quæ diximus cap. 5. v. 22.

[ *Et esto perfectus*. ] Inculpabilis dicunt 70. August. sine querela. Satage sic vivere & omnia opera tua sic facere, ut juxta præsentis vitæ modulum perfectus sis, & nulla de te possit esse justa querela.

[ ℣. 2. *Ponamque fœdus meum inter me & te*, ] Pro, *fœdus* 70. habent, testamentum. Notat autem Hieronym. in qq. Hebr. quòd ubicumque in Græco legitur testamentum, ibi in Hebræo sermone sit fœdus sive pactum, id est, *Berith*. Fœdus de quo hic agitur, non est aliquid novum, sed illud ipsum quod cap. 12. & 15. Deus pepigit cum Abram (eadem enim promissa hic & illic commemorantur) quodque hic renovatur & servandum esse asseritur; ita ut sensus sit vel conditionatus, Si perfectus fueris ponam seu stabiliam & executioni mandabo fœdus meum: Vel absolutus, Quia statui firmum facere & exequi fœdus inter me & te initum, ideo conari debes ut sis perfectus. *Ponam* ergo, hic idem valet quòd stabiliam seu firmum faciam, & executioni mandabo.

Tria continebat fœdus Dei cum Abram. Fœdus porro illud tria valde notabilia continebat ac promittebat scilicet seminis Abrahæ multiplicationem, terræ Chanaan possessionem; & semen benedictum, id est, Christum ex Abraham venturum.

[ *Et multiplicabo te vehementer nimis*. ] Hebr. in plurimum, q. d. supra modum, & quasi in immensum: Id enim valet ista ejusdem adverbii repetitio.

[ ℣. 3. *Cecidit Abram pronus in faciem*. ] Adorans & gratias agens.

[ ℣. 4. *Dixitque ei Deus: Ego sum*, ] In Hebr. sine verbo substantivo sic legitur, *Ego ecce*, seu *Ecce ego*; quod tamen verbum rectè subintelligitur, quemadmodum, Luc. 22. cum Græcè & Syriacè dicitur, hic calix, hoc poculum; subauditur verbum est quod à nostro interprete expressum fuit, Perinde ergo est ac si Deus dixisset. Ego sum incommutabiliter, idque non solùm quoad naturam, sed etiam quoad voluntatis constantiam & perpetuitatem, & quantum ad fidelitatem in promissis; unde subdit.

[ *Et pactum meum tecum*, ] Supple, constans erit & immutabile, dignum scilicet eo qui natura sua est immutabilis.

[ *Erisque pater multarum gentium*. ] Quæ ex filiis tuis nascentur partim secundùm carnem, ad Rom. 9. vers. 4. 5. partim secundùm spiritum, ad Rom. 4. vers. 16.

[ ℣. 5. *Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram*: ] Quod interpretatur pater excelsus; *Ab*, enim est Latinè pater; *Ram* autem est excelsus: esse verò patrem excelsum convenire potest cuilibet magnati, etiamsi non sit pater diversarum gentium.

[ *Sed appellaberis Abraham* : ] Quod teste Hieronymo transfertur *pater multarum*: Nam quod sequitur *gentium non habetur* ( inquit ) *in ipso nomine*, *sed subauditur*: Datur ergo sancto patriarchæ nomen, idem valens quòd pater magnæ & excelsæ multitudinis: Unde hujus nominis rationem subiiciens Deus, ait:

[ *Quia patrem multarum gentium constitui te*. ] Certissimâ mea præordinatione decrevi ut multæ gentes ex te oriantur mediantibus tuis filiis, atque ita sis illarum pater secundùm carnem, quales in primis fuerunt duodecim tribus Israel, ac insuper Saraceni, Idumæi, Madianitæ, & alii ex Cetura oriundi: Similiter quoque decrevi ut non tantùm secundùm carnem sis pater horum aliorumque ejusmodi populorum; sed etiam secundùm spiritum pater sis omnium credentium, dicto cap. 4. v. 11.

Observanda hic duo. Unum: istud nomen Abraham ante circumcisionem dari, ut significaretur illos quorum præcipuè futurus erat pater, non ex circumcisione fore, sed ea imitatione fidei quam ipse habuit cum adhuc esset in præputio, ut patet ex eodem 4. cap. vers. 11. & 12. Alterum, nos quoque si perfecti fuerimus, habituros aliquando nomen novum quod os Domini nominabit, Isai. 66. vers. 6.

[ ℣. 6. *Faciamque te crescere vehementissimè, & ponam te* ] Ut sis pater multitudinis, non tantùm in uno populo Judæorum, sed etiam

[ *In gentibus*, ] Quarum multæ ex te orientur secundùm carnem; & multò plures per imitationem fidei & spiritus.

[ *Regesque ex te egredientur*. ] Ex Isaac per Jacob, reges Juda & Israel, ut patet ex libris Regum, ac tandem Rex Regum, Christus; per Esau, reges Idumæorum, infra cap. 36. 4. Reg. 3. & alibi; Amalecitarum, 1. Reg. 15. Quibus addendi sunt ex Cetura reges Madian, Num. 31. v. 8. & alii ex aliis filiis.

[ ℣. 7. *Et statuam pactum meum inter me & te; & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno* : ] Statuam hic idem valet, quòd stare faciam & stabiliam. Sempiternum autem rectè accipitur pro tempore valde longo, cujus non determinatur ullus terminus, in quantum de semine carnali sermo est; in quantum verò, etiam de spirituali semine agitur, intelligi potest sempiternum seu æternum propriè.

[ *Ut sim Deus tuus, & seminis tui post te*. ] Id est ut nec tu nec posteri tui ullum alium Deum habeatis vel colatis præter me: & ego vicissim speciali cura & beneficentia vos prosequar, velut filios & amicos, ac populum cultui meo specialiter addictum. Hinc argumentatur Calvinus non esse opus ut filii fidelium baptizentur, eò quòd Deus sit peculiariter ipsorum Deus, tamquam ex Abraham descendentium. Sed Resp. ejus argumentationem nihil concludere; quia Deus non habet pro filiis & amicis suis, ac per consequens non est peculiari ratione Deus illorum qui sunt carnale semen Abrahæ, nisi habeant ejus fidem & spiritum, sine quibus non sunt etiam Abrahæ semen spirituale: Filii autem fidelium non habent sine baptismo fidem, Vide quæ diximus 3. p. quæst. 68. art. 1. ad 2.

[ ℣. 18. *Daboque tibi & semini tuo*. ] Non per-

tinet

tinet ista promissio ad universum semen Abrahæ, sed ad ejus partem nobiliorem quæ per Isaac erat propaganda, hoc est, ad Israelitas sive Judæos, juxta illud cap. 21. *In Isaac vocabitur tibi semen.*

[ *Terram peregrinationis tuæ,* ] In qua hucusque peregrinaris; non tamen prorsus totam, non enim terram Ægypti; sed

[ *Omnem terram Chanaan in possessionem æternam,* ] Seu valde diuturnam, & quamdiu eorum status & Respublica durabit, si fidem & virtutes tuas imitentur, neque à meo cultu declinent. Confer dicta cap. 13. v. 16.

[ *Eroque Deus eorum.* ] Speciali cura ipsos prosequendo, juvando, & benedictionibus replendo.

[ ℣. 9. *Et tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis.* ] *Custodies*, hoc est, custodire debes pactum quod ego ex parte vestra requiro, nec solùm tu, sed etiam posteri tui suis temporibus illud debent custodire. Hoc autem pactum est illud quod mox de masculorum circumcisione sequitur.

[ ℣. 10. *Hoc est pactum meum* ] Oleaster, Delrio, & alii non pauci sic interpretantur: Hoc est signum pacti mei. Cæterum, etsi certum sit Circumcisionem fuisse signum pacti vel fœderis quod pepigit Deus cum Abraham, quemadmodum vers. seq. exprimitur, ac insuper ab Apostolo ad Rom. 4. ibi, *signum accepit circumcisionis*; id est, accepit circumcisionem quæ pro signo data fuit illi & ejus posteritati: Nihil tamen vetat, ista verba sic interpretari, ut ipsa circumcisio seu circumcisionis præceptum, sit pactum illud quod nunc Deus init cum Abraham, & ex ejus parte requirit observari, q. d. Pactum quod à te & à semine tuo volo deinceps observari, est hoc quod jam jubeo. Interpretationem istam indicant Dionysius Carthus. Abulensis, & Marzilla. Quare autem Deus Circumcisionem præceperit:

*[Margin: Causæ circumcisionis.]* Prima ratio, ut esset signum fœderis quod Deus antea (cap. 12. & 15.) iniérit cum Abraham, quodque superius hoc cap. renovaverat.

Secunda, ut esset signaculum seu sigillum justitiæ quam ex fide habuit Abraham ante circumcisionem. Has Apostolus ad Rom. 4. significavit.

Tertia, ut esset professio fidei in Christum, semen Abrahæ.

Quarta, ut esset signum peccati originalis quod generatione contrahitur.

Quinta, ut posteris Abrahæ esset Sacramentum quoddam ad remissionem peccati originalis.

Sexta, ut esset continua expressaque significatio circumcisionis spiritualis, atque ita meminissent amputanda esse superflua, & circumcidendum cor, Deut. 10. & ad Rom. 2.

Septima, populus isto signo sensibili consignaretur, divinoque cultui deputaretur.

Octava, ut esset signum distinguens Judæos à Gentibus, eosque quasi frænum cohibens ne cum eis miscerentur. Confer quæ diximus 3. p. q. 70. art. 1. Quamvis enim teste Hieron. in cap. 9. Jeremiæ multarum gentium populi circumcisionem observaverint, etiam usque ad ejus tempora, & præcipuè Ægyptii, Idumæi, Moabitæ, Saraceni; nulli tamen præter Judæos illam à Deo acceperunt in testimonium pacti vel fœderis cum ipsis initi; imò nec communis fuit universim omnibus qui de populis illis erant, cum Achior dux filiorum Ammon non esset circumcisus Judith 14. testeturque Josephus lib. 13. Antiquit. cap. 17. Idumæos jussu Hircani fuisse circumcisos. Unde Jeremias cap. 9. dixit quòd omnes gentes habent præputium. Adde quòd isti populi non recipiebant circumcisionem ut protestationem fidei mediatoris, neque ut sacramentum legis veteris, neque ut professionem legis Mosaicæ quo modo sub Moyse fuerat jussa, ideòque ad legem illam non se obligabant, sed servabant ex humana consuetudine ad imitationem vel parentum, vel Israelitarum.

[ *Circumcidetur ex vobis* ] Hoc est inter vos, quasi dicat, Non omnibus gentibus ista lex ponitur, sed vobis vestrisque posteris.

*[Margin: Circumcisio nõ erat puellarum.]* [ *Omne masculinum:* ] Unde interpretes meritò reprehendunt Strabonem, quòd putaverit etiam fœminas debuisse circumcidi. Si quæras quare non fuerit datum aliquod signum masculis & fœminis commune. Resp. quia distinctiones populorum & Rerumpublicarum non sumuntur à mulieribus sed à viris. Circumcisio autem dabatur in signum distinctivum Abrahamidarum ab aliis gentibus. Quod nihilominus puellæ Judaicæ non fuerint sine remedio contra peccatum origin. diximus 3. p. qu. 61. art. 3.

[ ℣. 11. *Et circumcidetis carnem præputii vestri,* ] In membro generationis jussa est fieri circumcisio; tum quia effectus peccati originalis quod per generationem trahitur, maximè in illo membro se prodit; tum quia circumcisio erat signum fidei de Christo ex Abraham nascituro; tum etiam ut significaretur amputanda & refrænanda esse concupiscentia. Confer quæst. 70. art. 3. in 3. p. ubi etiam diximus Circumcisionem non debuisse fieri cultro lapideo, neque ad illam fuisse necessarium ministerium sacerdotis: Quo modo autem valeret ad gratiam & ad peccati originalis remissionem, scilicet non ex opere operato sicut baptismus, art. 4.

[ *Ut sit in signum fœderis inter me & vos.* ] Sicut v. 10. fuit explicatum, sicque posteri Abrahæ intelligerent Deum specialiter præ aliis gentibus sibi esse conjunctum, & se Deo.

[ ℣. 12. *Infans octo dierum circumcidetur* ] Præcisè determinatus fuit dies octavus, & non anterior; quia infans ante illum diem est nimium tenellus; neque posterior, partim quia nec peccati remedium nec signum adunativum ad Dei populum, est differendum; partim quia Deus volebat ut Circumcisio illa carnalis significaret naturam peccati vetustate exuta esse renovandum; hoc autem beneficio Christi qui hebdomada completa, hoc est, post sabbathum, die octava resurrexit, sumus consecuti, quam rationem reddit August. lib. 16. de civitate cap. 20. & antea Cyprian. epist. 59. ubi etiam rationem adfert quare baptismus non sit ad diem octavum limitatus, quia spiritualis circumcisio quæ est per baptismum non debet impediri per carnalem quæ erat illius imago. Addi potest plenam perfectamque omnium vitiorum & superfluitatum circumcisionem cujus hæc typus fuit, futuram post septimanam hujus sæculi, *in generali scilicet Resurrectione, aut post* sex dies laboriosos vitæ præsentis & post septimum quietis animarum, ideoque die octava.

Quæres, an octavus dies potuerit præveniri. Communis sententia est non potuisse, ex magna tamen causa licuisse ultra eumdiem differri, ut declaravimus dicta quæst. 70. art. 3. Qui verò ante diem octavum moriebantur, salvari poterant sicut puellæ, adhibito eis remedio legis naturæ. *[Margin: Non poterat dies octavus præveniri.]*

Sed quid si de facto prævenissent diem octavum. Resp. tales fuisse graviter peccaturos; ipsum tamen sacramentum Circumcisionis fuisset validum, nec sine fructu in parvulis, utpotè peccato circumcidentium non cooperantibus.

[ *Tam vernaculus,* ] Hoc est tam servus domi ex parentibus servis natus:

[ *Quàm emptitius* ] Qui pretio emptus est ad vobis serviendum.

[ *Circumcidetur,* ] Difficultas oritur, quosnam lex Circumcisionis obligaverit: &, Utrùm servi Abrahæ sive vernaculi, sive emptitii ad eam fuerint obstricti.

Ad prius Resp. quòd obligabat solum Abraham ejusque posteros, Isaac & Jacob, & ex his oriundos, ut probavimus 3. p. q. 70. art. 2.

Ad posterius sunt qui affirmativè respondeant, consequenter dicentes quòd Abraham illos etiam invitos circumcidere potuerit, vel etiam debuerit; partim quia de utroque genere illorum in Heb. dicitur, *circumcidendo circumcidetur*, quod perinde valet, ac omnino volo, quòd circumcidatur; partim quia servi seu mancipia sunt possessio Domini, de quibus propterea Dominus facere potest, quod ei placet.

Aliorum tamen sententia negativa nobis probabilis visa est dicto art. 2. & traditur etiam à Pererio & Marzilla in hunc locum, à Suarez & Nugno in 3. p. & prius à Dominico in 4. d. 2. quæst. 1. art. 2. quia Circumcisio erat solemnis protestatio fidei. Sicut autem nemo est ad fidem cogendus, ita nec ad illius professionem, præter eos quibus legem Circumcisionis dabat Deus. Accedit

quod

quòd illa verba, *tam vernaculus quàm emptitius circumcidetur*, non pertinent ad solam familiam Abrahæ, sed ad totam ejus progeniem; præcedit enim, *in generationibus vestris*; non est autem apparentia quòd servi Judæorum tenerentur circumcidi, nisi sub conditione expressa cap. 12. Exod.

Ad 1. verò rationem in contrarium allatam Resp. illud præceptum, *circumcidendo circumcidetur*, non dirigi ad servos, nisi vellent in Abrahæ coloniam & religionem transire, secundùm ea quæ leguntur Exod. 12. sed ad Abraham, qui tenebatur eos ad Circumcisionem admittere, si eam cuperent.

Ad secundam Respondet Pererius Dominum posse de servis facere quod ei placet quantum ad corporalia obsequia, non quantum ad fidem ac religionem. Unde B. Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 8. docet infideles qui numquam fidem susceperunt, nullo modo esse ad eam compellendos.

[ *Et quicumque non fuerit de stirpe vestra* ;] Subaudi, juxta Liran. Marsillam, & alios, si voluerit in consortium & ritum vestrum transire. In Hebr. & 70. non legitur copulativa, &; sic enim habent, ab omni alienigena, qui non est de semine tuo; ut sermo sit de servo empto etiam ab alienigena; nihil tamen vetat ibi copulativam subintelligi, *& qui non est de semine tuo*.

[ ℣. 13. *Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum*.] Quasi diceret. Hoc pactum de circumcisione carnis vestræ, erit fœdus in æternum servandum. Nequidtamen sequitur quod Judæi volunt, etiam nunc servandam esse circumcisionem; quia *æternum* non sumitur propriè pro eo quod numquam habebit finem, sicut dicimus animas humanas in æternum duraturas; sed impropriè, juxta tamen frequentem loquendi modum, quo æternum poni solet pro tempore valde longo, præsertim cujus non constituitur aliquis finis.

[ ℣. 14. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit*, ] Non pauci interpretantur, hic agi de adultorum dumtaxat circumcisione; tum quòd Hebræa sonent activè, *Præputiatus masculus cum non circumciderit carnem præputii sui*; tum quòd parvulus incircumcisus non merebatur pœnam quæ hic intentatur, sicut etiam non poterat dici quòd pactum circumcisionis violasset, cum non esset compos rationis.

Sermo est etiã de parvulorum circumcisione. Probabiliter tamen sustineri potest sermonem esse de circumcisione eorum quos lex Circumcisionis in verbis anterioribus comprehendebat, non tantùm scilicet adultorum, sed etiam parvulorum: Ita enim intellexerunt August. lib. de pecc. orig. cap. 30. Fulg. l. de Incarn. cap. 13. & alii; quibus adhærens Delrio, Sequor, ait, eos qui censent sensu literali tam de adultis quàm de infantibus agi. Et hanc expositionem indicat textus vulgatæ nostræ editionis: cui re vera non adversatur Hebræa lectio; sive, quia etiam passivè sonat, quemadmodum eam reddiderunt 70. Interpretes, Hieronym. Pagninus, & Arias Montanus; sive quia etsi solùm activè sonaret, frequens est Hebræis, uti verbis activis in significatione passiva, ut diximus cap. 1. ℣. 6. Quare cætera huic expositioni non obstent, ex verborum textus explicatione patebit.

[ *Delebitur anima illa de populo suo*: ] Hoc est, iste homo non habebit partem in sorte justorum, sed ab ea excludetur & in æternum peribit. Scimus quosdam velle hic significatum quòd Masculus non circumcisus esset morte puniendus à judice, vel à Deo, eumque sensum à scripturæ phrasi non esse alienum; nihil tamen vetat quo minus cum August. & aliis, per populum suum, intelligamus justos ejusdem gentis qui degebant in limbo; & deleri de populo isto idem sit, ac non admitti in sortem ejusmodi justorum: sicut justi quando moriuntur, dicuntur apponi ad populum suum, eò quòd accedant ad cœtum sanctorum.

De quo pacto sit sermo. [ *Quia pactum meum irritum fecit*. ] Pactum rectè intelligitur circumcisionis, non sic quasi infans præceptum istud violaverit, & ob eam violationem sit pœna dignus; sed quia circa illum non fuit servatum pactum circumcisionis, qua sola tamquam sacramento ad hoc instituto posset perditionem evadere, quemadmodum hodie dicitur perire infans eò quòd non sit baptizatus, hoc est, eò quòd non fuerit ei collatus baptismus, quo solo velut unico ad peccati originalis deletionem remedio divinitus instituto poterat salvari. Quamquam Patres subinde intelligunt sermonem hic esse de pacto quod Gen. 2. datum fuit primo parenti quodque parvulus irritum fecit, quando in primo parente peccavit, in quo ut habetur ad Rom. 5. omnes peccaverunt. Ita frequenter August. ac nominatim lib. 16. de civitat. cap. 27. ubi priorem quoque expositionem admittit.

[ ℣. 15. *Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram*.] Sarai idem est quod domina mea; Sara verò idem, quod domina absolutè. Quasi ergo diceretur, Uxorem tuam non amplius vocabis dominam tuam seu tuæ domus tuæque familiæ, sed dominam simpliciter; quia non unius tantùm familiæ vel gentis futura est mater & domina, sed gentium plurimarum, imò & omnium fidelium, per semen videlicet quod ei dabo, ex quo nascetur Christus. Hieronymus in qq. Heb. reprehendit eos qui putant mutationem hujus nominis ita esse factam, ut cum prius vocaretur Sara, per unum *r*, postea fuerit vocata Sarra addito altero *r*; Et docet primum vocatam esse Sarai, per jod, i, in fine; sublato autem jod, id est, i, elemento, vocatam esse Sara, quod dominam sonat, cum Sarai sonet dominam meam. Qualis fuerit nominis mutatio.

Allegoricè, per uxorem Abrahæ designatur Christi Ecclesia, quæ poterat dici Sarai quamdiu vigebat in sola Judæa, quasi tunc unius familiæ domina: At cum toto orbe cœpit diffundi, & undique promulgari, ac dominari, rectè vocata est Sara, seu domina & princeps absolutè.

[ ℣. 16. *Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium* ] Tandem hic exprimitur quòd Abraham sit ex Sara filium habiturus, quòdque Deus sit a Saræ benedicturus, id est, fœcunditatem collaturus. Ex quo fideles discere debent patienter expectare Dei beneficia, etiamsi contingat ea non statim dari, sed in annos multos differri; sicut præsens promissio dilata fuit annis viginti quatuor donec specificè exprimeretur, ab anno scilicet Abræ septuagesimo quinto, ad nunagesimum nonum.

[ *Cui benedicturus sum, eritque in nationes, & reges populorum orientur ex eo*. ] Quoniam Hebraicè pronomina sunt fœminina, quidam hæc referunt ad Saram, absque tamen ulla contradictione, cum nationes & reges isti non essent orituri ex Sara, nisi per filium jam promissum. Nihilominus tam 70. quàm noster interpres manifestè referunt ad filium, per enallagen Hebraicam intelligentes fœminina pro masculinis posita, sicut contextus videtur requirere; tum quòd sic referuntur ad proximè præcedens; tum ne sit verborum eorumdem repetitio eaque inutilis.

Nationes & reges ex Isaac ortum habentes, sunt in primis duodecim tribus Israel earumque reges per Jacob; Idumæi, per Esau; Amalecitæ per Eliphaz filium Esau, & alii multi populi quorum duces numerantur infra c. 36.

[ ℣. 17. *Cecidit Abraham in faciem suam, & risit*, ] Non dubitando de Dei promissione, vel de ipsius adimpletionis modo; sed gaudendo, sibique congratulando, & obstupescendo ad tantæ rei novitatem.

[ *Dicens in corde suo: putàsne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* ] Congratulantis & seipsum alloquentis verba sunt, q. d. Unde hoc mihi ut tantum tamque insperatum beneficium consequar? Et quòd non sint dubitantis, ex Apostolo ad Rom. 4. colligitur, ubi ad præsentem historiam respiciens, scribit quòd *Abraham non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum ferè centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ*. Omnis autem qui dubitat, infirmatur in credendo eo de quo dubitat.

At dices, ex præsenti loco clarum est Abraham suam & uxoris ætatem & conditionem considerasse. Resp. non considerasse sic ut diffideret vel dubitaret, sed solùm ad majorem beneficii admirationem. Abraham nõ dubitanter loquitur.

[ ℣. 18. *Dixitque ad eum: Utinam Ismael vivat coram te*.] Verba sunt se humiliantis, & cum de filio ex Sara nascituro sit securus, etiam rogantis pro filio antea nato ex Agar. Quoniam verò Deus istam petitionem Abrahæ exaudivit, hinc colligunt Hebræi pœnitentiam & salutem Ismaelis, sed inefficaciter: quidquid enim sit

dcip-

de ipsius salute, ex versu tamen 20. apparet oon esse hic sermonem de tali exauditione.

[ ℣. 19. *Et ait Deus ad Abraham: Sara uxor tua pariet tibi filium*, ] Non tantùm vivet tibique supervivet Ismael, sed revera Sara uxor tua pariet tibi filium.

[*Vocabisque nomen ejus Isaac*, ] Quod risum significat. Sic vocatus fuit propterea quòd Abraham riserit audita de isto filio promissione, non autem propter risum Saræ, quæ hactenus necdum riserat, quamvis postea propter risum suum hoc nomen iteratit & confirmarit. Fuit Isaac manifestus typus Christi, qui nascendo gaudium attulit omni populo Luc. 2.

[ *Et constituam pactum meum illi* ] Pactum quod ego c. 12. & 15. tecum inivi, quodque boc cap. renovavi, de terra Chanaan tibi seu posteris tuis danda, de multiplicatione tuorum posterorum, & de benedicendo omnes geotes in semine tuo quod est Christus, stabile faciam & execution mandabo in Isaac; sicque omnia promissa in eo pacto cootenta isti filio tuo cedent, ejusque posteris. Confer c. 26. v. 3. 4. 5.

[ ℣. 20. *Super Ismael quoque exaudivi te;* Sicut me rogasti,

[ *Ecce, benedicam ei*, ] Dando illi prosperitatem,

[ *Et augebo*, ] In bonis seu opibus,

[ *Et multiplicabo eum valde:* ] Magno numero posterorum.

[ *Duodecim duces generabit*, ] Seu principes suarum tribuum qui cap. 25. recensentur.

[ ℣. 21. *Pactum vero meum statuam ad Isaac*, ] Seu cum *Isaac*, illud videlicet de quo dictum vers. 19. Quare Deus elegerit Isaac in quo sua promissa compleret potius quàm Ismaelem, ex cap. 9. ad Rom. & ex 1. 2. q. 98. art. 4. intelligi potest non aliam fuisse rationem quàm gratuitam Dei voluntatem.

[ *Quem pariet tibi Sara tempore isto, in anno altero.* ] Quasi diceret, sub hoc tempus, anno proximè sequenti, ut scias id meo beneficio fieri qui hoc tempore illud promisit.

[ ℣ 22. *Ascendit Deus ad Abraham* . ] Postquam Angelus io specie visibili apparens & in persona Dei loquens sermonem suum absolvit cum Abraham, ab eo versus cœlum abiit desiitque videri, quemadmodum & Judi. 13.

[ ℣. 24. *Tulit autem Abraham* ] Postquam ipsemet erat circumcisus.

[ *Ismael filium suum, & omnes vernaculos:* ] Et cætera.

[ *Et circumcidit carnem præputii eorum statim in ipsa die*, ] Prompta Abrahæ obedientia, illo ipso die quo præceptum circumcisioois manc acceperat, statim post recessum præcipientis, illud integrè implevit. Magna quoque servorum ejus erga ipsum reverentia, qui licèt non simpliciter obligarentur ad circumcisionem, quemadmodum supra diximus esse probabile, suasu tamen Abrahæ, in eam mox consenserunt, & quidem omnes, quamvis magno admodum essent numero, nimirum supra quadriogentos: Si enim cap. 14. habebat 318. veroaculos ad pugnam idoneos, quot putamus fuisse in universum vernaculos, emptitios, eorumque parvulos?

[ *Sicut proceperat ei Deus.* ] Vide quæ supra ad v. 12. diximus, & quæ 3. p. q. 70. art. 2. ad 1.

[ ℣. 25. *Et Ismael filius tredecim annos impleverat tempore circumcisionis suæ.* ] Hanc Ismaelis ætatem sequentes Saraceni, malunt se suosque decimo tertio ætatis anno circumcidi, quàm die octavo juxta divinum præceptum. In cujusmodi errore sunt Anabaptistæ qui nolunt baptizari ante annom trigesimum, quia Christus anno trigesimo fuit baptizatus: cum tamen baptismus sit medium omnibus etiam parvulis necessarium ad salotem, statimque propterea exhibendus, ut probavimus 3. par. quæst. 68.

## CAPUT XVIII.

*Angeli ab Abraham excipiuntur hospitio. Rursum ei promittunt Filium ex Sara, eamque ob id ridentem increpant, ac mox Sodomorum excidium prædicunt, pro quibus Abraham sæpius deprecatur.*

[ ℣. 1. *APparuit autem ei* ] ( Nimirum Abrahæ )

[ *Dominus* ] Tanquam iter faciens, cum duobus viæ comitibus, ut ex vers. 2. patet. Dominus dicitur, quia is erat qui repræsentabatur. Facta enim fuit hæc apparitio etiam per Angelos, eosque in specie visibili trium viatorum, sed qui Deum repræsentabant. Quo tempore acciderit, non est omnino certum; ex versu tamen 10. & seqq. dubitari non potest, quin paucis diebus ( forte sex aut septem ) post circumcisionem expletam, quando Abraham ex ejus vulnere ac dolore jam convaluerat. Et quamvis ex improviso facta fuerit, quemadmodum indicat verbum apparendi repetitum; rectè tamen B. Thomas in 2. d. 8. art. 4. & 1. p. quæst. 51. artic. 3. ad 5. tradit sanctum patriarcham existimasse quòd qui apparebant, essent veri homines, utpotè viatores: id enim omnino suadet cibi, quem illis paravit, appositio pedumque lotio. Unde & Apostolus ad Hebr. 13. huc respiciens docet Abraham latenter seu ignoranter excepisse Angelos. Non autem hic describuntur duæ apparitiones, una Domini, alia trium virorum, sed una eademque Dei per Angelos io specie virili, quemadmodum habet Aug. lib. 16. de civit. c. 29. & communis aliorum sententia. Quo loco facta sit, mox additur. Abra[illegible] qui a[illegible] ba[illegible] bat esse [illegible] mines.

[ *In convalle Mambre* ] Ubi Abraham habitavit, postquam Lot fuit ab eo separatus, cap. 13.

[ *Sedenti in ostio tabernaculi sui*, ] Ibique juxta morem suum præstolanti peregrinos, ut illos hospitio exciperet ac reficeret. De hospitalitate videantur Chrysost. & Ambros.

[ *In ipso fervore diei.* ] Sive, ut 70. reddiderunt, in meridie, quando ob fervorem diei magna est itinerantibus fatigatio & necessitas refocillationis.

[ ℣. 2. *Cumque elevasset oculos*, ] Quoniam via altior erat, quàm locus, in quo ipse sedebat, sedebat enim in convalle, ideo attollendi erant Abrahæ oculi, ut ad viam illam aspiceret.

[ *Apparuerunt ei tres viri* ] Seu tres Angeli in habitu & specie virorum, quos ipse nondum sciebat esse Angelos.

[ *Stantes prope eum:* ] Septuaginta & alii ex Heb. vertunt, super eum; sed eodem sensu: significatur enim quòd non longè, sed juxta eum starent: Nam & alias in sacris litteris super pro juxta ponitur, ut Psalm. 136. Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus.

[ *Cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi*, ] Tantus in Abraham erat hospitalitatis affectus, ut non habita ratione senilis ætatis & propriæ imbecillitatis, ad viatores excipiendos, non tantùm esset intentus, eos expectando, nec solùm illos invitaret vel ad eos iret, sed etiam obviam curreret.

[ *Et adoravit in terram.* ] Civilem & orientalibus usitatam exhibuit eis reverentiam, profundè se terram versus inclinando, sicut filiis Heth fecit cap. 23.

[ ℣. 3. *Et dixit: Domine*, ] Hebr. Domini mei: sed quoniam pronomina quæ sequuntur tam in Hebr. quàm in nostro textu, sunt singularia, *oculis tuis*, *servum tuum*, similiterque verbum *transeas*; clarum est, quòd hoc versu tantùm uni loquitur, etsi versu 4. & 5. loquatur pluribus; & ideo noster interpres prudenter hic servavit sensum sermonis Hæbraici, vertens in singulari Domine: dum verò sanctus patriarcha uni loquitur; ad eum loqui censendus est, qui & medius erat, & cæteris illustrior honoratiorque apparebat. Hinc natum est illud, quod de Abraham in quinquagesima cani solet: *Tres vidit & unum adoravit:* per quod non significatur eum hoc loco vel tres personas divinas vel tres Angelos vidisse & unum Deum adorasse; quia necdum aliud quàm homines eos existimabat; sed sensus est

quòd

quòd tres viros vidit, & ex eis unum velut honoratiorem peculiariter honoravit. Ubi quidem repræsentabatur mysterium S. Trinitatis in qua sunt tres personæ unus Deus, sed istam repræsentationem non cognoscebat Abraham in principio bujus visionis quando putabat ipsos esse homines viatores, sanctos tamen & Deo charos. Videri potest August. lib. 16. de civit. cap. 29. & observari, non esse audiendos eos qui dixerunt unum istorum fuisse Christum Dominum, nisi intelligatur quoad repræsentationem: nullæ enim fuerunt apparitiones Dei secundùm se apparentis ante Incarnationem, sed solùm per subjectam creaturam; quam etsi Deus non assumeret sicut Angeli assumunt corpora, ipsa tamen seu Angelus ipsam assumens, Deum repræsentabat. Vide dicta ad 1. p. q. 51. art. 2.

[*Si inveni gratiam in oculis tuis*, ] Hoc est, si tibi gratus sum: Invenire enim gratiam in oculis alicujus, phrasi Hebr. est esse illi gratum; eò quòd gratia seu complacentia qua quis alteri placet, maximè oculis declarari solet.

[*Ne transeas servum tuum*:] Velut recusans meum obsequium. Magni quippe beneficii loco sum habiturus, si ad me divertere digneris. Deinde conversus ad duos comites illius cui jam est locutum, & cupiens etiam ipsi obsequium præstare; ait.

[ ℣. 4. *Sed afferam pauxillum aquæ, & lavate pedes vestros*, ] Orientalibus familiare fuit, hospitum pedes lavare, tum ad sordes abstergendas, tum ad lassitudinem refocillandam: quia tamen non ipsi hospites pedes suos sibi lavabant, sed domesticorum aliquis; Ideo *lavate*, idem est ac sinite vobis lavari. Et in proposito Abraham per seipsum lavisse horum peregrinorum pedes, Aug. ser. 70. de tempore significat; apertius autem Hieron. epistola 26.

[ *Et requiescite sub arbore*. ] Ad captandum flatum auræ, qui calentibus ex itinere solet esse gratissimus.

[ ℣. 5. *Ponamque buccellam panis*, ] Seu cibi: Nomine enim panis obsonium quoque intelligit, quo modo frequenter in scriptura panis pro quovis genere cibi positus invenitur: ut infra cap. 31. *vocavit fratres suos ut ederent panem*: & cap. 43. *Audierant quòd ibi comesturi essent panem*: Similiterque Exod. 18. v. 12. Job. 42. v. 11. Jerem. 41. v. 1.

[ *Et confortate cor vestrum*, ] Reficite vos cibo, & vires resumite. Dicitur per cibum confortari cor, quia cor tantæ est caliditatis, ut si ei non subveniretur per cibi humectationem, præcordia desiccarentur & spirituum multiplicatio cessaret, viresque deficerent; cibo autem assumpto reficiuntur.

[ *Idcirco enim declinastis ad servum vestrum*. ] Non vult dicere ipsos ea intentione venisse ut apud eum comederent, sed sensus est: Dei enim nutu ac providentia factum existimo quòd hac prandii hora transiretis, ut ego possem vobis cibum apponere.

[ *Qui dixerunt*: ] Uno loquente pro omnibus,

[ *Fac ut locutus es*. ] Parcum & non exquisitum cibum appone.

[ ℣. 6. *Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram*, ] Commendatur Abrahæ diligentia qui non aliquam ancillarum vocavit, sed ipsemet ivit, epuli præparationem commendaturus uxori Saræ; cujus etiam modestia proponitur imitanda, quæ hospitibus advenientibus, & cum viro suo sermonem miscentibus, non est ad illos egressa, ut curiosis in more est, sed mansit in tabernaculo.

[ *Dixitque ei: Accelera*, ] Festinato quippe ad peregrinorum solatium & refocillationem opus esse noverat.

[ *Tria sata similæ commisce*, ] Satum est mensura aridorum, eaque non admodum magna, quandoquidem pro tribus viris Abraham parari jubet tria sata, hoc est, unum Ephi: Nam Ephi, quòd putatur facere 43. libras, & aliquot uncias, continebat tria sata. Simila est flos farinæ purissimus.

[ *Et fac subcinericios panes*. ] Panes subcinericii, sunt qui vel in sartagine vel in tabulis æneis aliisve hujusmodi vasis optimè contecti, calidis cineribus subjectis & superjectis coquebantur extra clibanum.

[ ℣ 7. *Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum*, ] Per quem allegoricè significabatur Christus qui est Agnus immaculatus. Per similam quidam mysticè intelligunt purissimam Christi humanitatem; & per sata tria, tres virtutes theologicas per quarum conjunctionem debemus facere panes subcinericios, id est, humiles mentis affectiones.

[ ℣. 8. *Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum*, ] Quem integrum coxerat per ministrum; etsi verisimiliter non integrum apposuerit, sed ejus optima quæque.

[ *Ipse verò stabat juxta eos sub arbore*. ] Ministrans & humanè invitans.

[ ℣. 9. *Cumque comedissent*, ] Quantum ad externam apparentiam: Verè enim Angeli non comedunt, eò quòd neque formam quæ corpus informet, habeant, neque instrumenta naturalia corporis animati ad comestionem ordinata; sed quemadmodum dixit Raphael Tob. 12. videntur comedere.

Petes, si Angeli non comedunt, quo igitur devenit cibus ab eis sumptus. Resp. illum virtute nobis occulta converti in aerem subtilissimum. Confer quæ diximus 1. p. q. 51. art. 3.

[ *Dixerunt ad eum: ubi est Sara uxor tua?* ] Cum scirent nomen uxoris Abrahæ, locum quoque in quo ipsa erat, non ignorabant: sed quærendo, dicendi viam sternunt; & nominando Saram, fidem conciliant.

[ *Ecce in tabernaculo est*. ] Hoc ad verecundiam & honestatem Saræ pertinet.

[ ℣. 10. *Cui dixit*: ] Ille qui cæteris illustrior apparebat;

[ *Revertens veniam*, ] Hebr. revertendo revertar, pro, certissimè revertar,

[ *Ad te tempore isto*, ] Id est, hoc eodem tempore anni sequentis.

[ *Vita comite, & habebit filium Sara uxor tua*. ] Illud vita comite, posset intelligi conditionatè, pro si vixeris, sicut 4. Reg. 4. v. 16. Sed melius accipitur absolutè, ita ut hic sit duplex promissio, eos tempore illo victuros, ac insuper filium habituros. Quòd autem aliqui ista referant ad loquentem, quasi sensus sit, si vixero, revertar: improbabile est, non solùm quia Angeli sunt immortales, sed etiam quia sic loquendo fidem verbis suis derogasset. Observandum istud bonum nuncium fuisse quamdam mercedem hospitalitatis Abrahæ & laborum Saræ.

[ *Quo audito, Sara risit post ostium tabernaculi*. ] Ubi ipsa erat, & ea quæ dicebantur audiebat. Hic risus non fuit similis risui Abrahæ, de quo cap. 17. vers. 16. sed ex aliqua parva diffidentia aut dubitatione processisse videtur: Id enim illa ejus verba significant. *Num verè paritura sum anus*; ac etiam pudor ob quem non fuit ausa fateri quòd risisset, Unde ab Angelo reprehensa est. Risit ergo Abraham admirans in gaudio; At Sara risit dubitans præ gaudio. Neque tamen gravis fuit ejus culpa, cum non sciret esse Angelos qui talia loquebantur, sed putaret esse homines. Si petas, quare igitur non totaliter excusanda sit? Resp. quia ex majestate & gravitate loquentium, suspicari saltem poterat ipsos esse fide dignos, nec ejusmodi sermones sine aliquo fundamento proferre.

[ ℣. 11. *Erant autem ambo senes provectæque ætatis*, ] Scriptor sacer non satis esse putavit dicere quòd erant senes, quia senectus valde latè extenditur; sed addidit alterum ad significandum quòd erant valde senes. Id autem voluit notare, ut ostenderet ipsos fuisse naturaliter impotentes ad generandum.

[ *Et desierant Saræ fieri muliebria*. ] Seu fluere menstrua, quæ apud Hebræos vocantur via vel consuetudo mulierum. Sara proinde hac etiam ex causa inepta erat ad concipiendum: Ubi enim præ senio non est fluxus menstruus, signum est deesse sanguinem concipiendo fœtui sufficientem.

[ ℣. 12. *Quæ risit occultè*, ] Heb. intra se, nimirum sine cachinno, & modestè ne à viris illi audiretur.

[ *Di-*

[ *Dicens: postquam consenui & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* ] Quasi diceret, inhonestum ac inutile futurum quòd in tali ætate resumerent amplexus conjugales qui non senibus conveniunt, sed juvenibus. Non allegat Sara suam naturalem sterilitatem quæ perpetua illi fuerat, ac etiamnum erat causa cur generare non posset; partim ex verecundia, partim afferre volens causam extrinsecùs manifestam & notoriam. Notat B. Petrus primæ suæ epistolæ cap. 3. id quod hic cernimus Saram vocasse Abraham dominum suum: ex quo mulieres doceri debent reverentiam & subjectionem exhibere maritis.

Etsi porrò constet Saram fuisse naturaliter impotentem ad generandum, tum ex sterilitate, tum ex senio & menstruorum defectu: non convenit tamen, An & ipse Abraham esset naturaliter impotens, cum plures postea filios ex Cetura genuerit cap. 25. cumque homines illius sæculi adhuc generarent post centesimum annum ætatis. Ad quod dupliciter potest responderi: Vel cum August. lib. 16. de civit. cap. 28. & quæst. 35. in Genes. Abraham non simpliciter fuisse impotentem, sed solùm respectivè; quoniam ex fœmina quæ juvencula esset ac fœcunda, potens erat generare, at non ex Sara, quæ vetula & sterilis erat. Secundùm quam responsionem, corpus Abrahæ ad Rom. 4. ideo intelligendum esset fuisse emortuum, quia vis generativa in eo erat extincta respectu mulieris vetulæ, etsi non respectu juvenculæ. Vel cum B. Thoma in cap. 4. ad Rom. dicendum est, Abrahamum fuisse in ista ætate omnino inhabilem ad naturaliter generandum ex quacumque muliere; Id enim magis significare videtur quod Apostolus scribit Abraham non considerasse *corpus suum emortuum*: Nam emortuum illic idem valet quòd viribus effœtum & ineptum ad generandum. Deinde, non apparet alioqui quare tam hoc quàm super cap. negetur senilis ætas non tantùm Saræ, sed etiam Abrahæ. Accedit quòd si vir aliquis annorum 40. uxorem haberet vel sterilem vel anum ex qua non posset liberos procreare, posset tamen ex juvencula; nemo diceret ipsum habere corpus emortuum ad generandum, sicut dicitur de Abraham, ad Rom. 4.

Sara & Abraham erant illo tempore naturaliter impotentes ad generandum.

Ad contraria autem motiva, & Ad prius quidem Resp. cum B. Thoma Abrahæ restitutam fuisse per miraculum virtutem generativam, ut non tantùm ex Sara sed ex qualibet etiam alia non infœcunda posset generare, quemadmodum & S. August. dicto cap. 28. indicavit.

Ad posterius Resp. Abrahamum non tam diuturna vi generativa naturali fuisse præditum, quàm alii quidam sui ævi; quia propter multiplices frequentesque peregrinationes & labores, citius ad decrepitam venit ætatem.

Si dicas, Apostolum scribere virtutem generandi non utrique donatam esse, sed tantùm Saræ, quando ad Hebr. 11. ait: *Fide & ipsa Sara sterilis, virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis*. Resp. Neg. Ass. Illic enim Apostolus nihil de Abraham dicit; sed verbis sequentibus haud obscurè significat ipsi quoque donatum divinitus ut quod per naturam non poterat, posset per gratiam, scilicet generare: Docens enim plurimos ex Abraham descendisse, dicit *quòd ab uno orti sunt, & hoc seu*, & quidem hoc *emortuo*, relinquens idcirco intelligendum divinitus ei datum fuisse id quod corpus emortuum alioqui non poterat.

[ ℣. 13. *Dixit autem Dominus* ] Hoc est, Angelus ille reliquis præstantior qui Deum peculiariter repræsentabat; Unde id quod isto cap. prædicit, c. 21. v. 2. Deus prædixisse dicitur.

[ *Quare risit Sara, dicens: Num verè paritura sum anus?* ] In Hebr. *quare hoc risit Sara*; hoc nimirum quod dixi de partu ejus futuro. Quæ verba sunt reprehendentis Saram, quòd suo risu prædictionem aliquo modo contempserit, seu de ea dubitaverit. Quoniam verò Angelus occultum Saræ risum, secretaque ipsius verba prodidit, quæ non poterat naturaliter scire si verus homo fuisset, hic ostendit se esse Angelum aut saltem aliquid supra hominem.

[ ℣. 14. *Numquid Deo quidquam est difficile?* ] Hebr. numquid abscondetur à Domino quidquam? q. d. numquid aliqua res tantæ est difficultatis, ut quasi sit à Deo abscondita, potentiam ipsius effugiat? Nam quæ ab aliquo fieri non possunt, dicuntur ei abscondita vel occulta.

[ *Juxta condictum* ] Ut jam promisi.

[ *Revertar ad te hoc eodem tempore,* ] Anni sequentis, [ *vita comite,* ] id est, & vita comitabitur vos, sive & vivetis:

[ *Et habebit Sara filium.* ] Hæc promissio similis cum illa quæ cap. 17. fuit relata, paucis tamen diebus post illam facta est. Etsi autem non legamus rediisse; ex hac nihilominus promissione credendum est rediisse.

[ ℣. 15. *Negavit Sara dicens, non risi: timore perterrita.* ] Imprudentiæ & verecundiæ mendacium ex timore locuta est, ob quod statim reprehenditur.

[ *Dominus autem: non est, inquit, ita: sed risisti.* ] Quid ad hæc responderit Sara, textus non dicit: Credibile est verecundè confusam tacuisse.

[ ℣. 16. *Cum ergo surrexissent inde viri,* ] Illi tres, de quibus v. 2.

[ *Direxerunt oculos contra Sodomam:* ] Iverunt versus Sodomam.

[ *Et Abraham simul gradiebatur, deducens eos.* ] Ut solent qui hospites dimittunt, aliquantulum eos comitari.

[ ℣. 17. *Dixitque Dominus:* ] Idem ille Angelus cæteris illustrior qui Deum repræsentabat.

[ *Num celare potero* ] Decerne ut celem

[ *Abraham quæ gesturus sum:* ] Indicatur hic quàm Deus sit suis amicus, dum secreta consilia cum ipsis communicat.

[ ℣. 18. *Cum futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ?* ] Argumentum est hujusmodi: cum Abrahæ tantum contulerim ut futurus sit parens numerosissimæ & potentissimæ multitudinis, sintque in illo per ipsius semen quod est Messias, benedicendæ omnes nationes terræ: æquum non est ut ipsi celem ea quæ sum gesturus.

[ ℣. 19. *Scio enim quòd præcepturus sit filiis suis & domui suæ post se,* ] Hæc est altera ratio propter quam Deus judicat non convenire quòd abscondat ab Abraham ea quæ facturus est erga Sodomam; quia noverat ipsum esse tam eximium Dei veræque pietatis cultorem, quòd filiis totique suæ familiæ præcepturus erat divinorum mandatorum observationem: Hoc enim est quod ait.

[ *Ut custodiant viam Domini, & faciant judicium & justitiam:* ] Id est, & rectè ac justè vivant. Quo fiet,

[ *Ut adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ad eum.* ] Sive, ut intuitu Abrahæ, & propter ejus merita Deus adimpleat omnia quæ Abrahamo promisit, sive illa personam ejus concernant, sive ipsius posteros. Hæc autem dicit Angelus Deum repræsentans, tamquam si eum non repræsentaret, sed in sua tantùm persona loqueretur. Observandum hic quàm Deo sit gratum quòd parentes solliciti sint filios in vera religione sanctisque moribus educare; & quo modo propter eximia Abrahæ merita Deus ejus posteris præstet beneficia ipsi promissa.

[ ℣. 20. *Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis.* ] Est prosopopeia qua peccatis tamquam si essent personæ quædam, clamor ascribitur: & sensus est, peccata Sodomorum & Gomorrhæorum sunt tam multa tamque gravia, & tanta impudentia passim committuntur ut in cœlum clamare videantur ad celerem ac horribilem vindictam. Clamor peccati dicitur, juxta B. August. in Locutionibus super Genes. quando tanta impudentia & libertate peccatur, ut nec verecundia nec timore abscondantur. Idemque judicium est, si tanta sit aliorum injuria & oppressio, ut ipsi gemant, Deumque gemituum & miseriarum suarum liberatorem invocent, quemadmodum Jac. 5. patet. Imò generatim ea peccata dicuntur clamare in cœlum, quæ sua enormitate celerem vindictam videntur

Peccatum quomodo in cœlum clamare dicitur.

tur

tur à Deo exposcere, quæ quòd quatuor sint numero, diximus ad v. 10. cap. 4. Duas porro gentes, seu duarum tantùm urbium populos nominat; quia ut aliis erant celebriores; ita præ illis abundant luxu, opibus, & peccatis. Fuere autem Sodomorum peccata præcipua, ea quæ vocantur contra naturam, ut ea cap. seq. liquet, superbia, inhospitalitas, immisericordia. Vide cap. 16. Ezech.

] ℣. 21. *Descendam & videbo, utrùm clamorem qui venit ad me, opere compleverint:* ] Hoc est, utrùm revera tot tantaque flagitia perpetrarint, figurata locutio est: Cum enim Deus ubique sit & omnia impleat, non potest descendere: & cum ab æterno omnia sciat, non eget inquisitione: sed Angelus Deum repræsentans ac in specie humana apparens, hæc more humano loquitur; Ex hoc loco Patres Concilii Triburiens. cap. 22. & Conc. primi Lateran. c. 8. notant judices non debere esse præcipites in sententiis ferendis, sed exactam prius inquisitionem esse faciendam, ut postea judicent.

[ ℣. 22. *Converteruntque se inde,* ] Non omnes Angeli qui ab initio apparuerant, sed duo tantùm ex illis: Nam tertius mansit cum Abraham.

[ *Et abierunt* ] Duo illi,

[ *Sodomam: Abraham verò adhuc* ] ( Post duorum illorum discessum. )

[ *Stabat coram Domino.* ] Id est, coram eo Angelo qui Deum repræsentabat. Stabat autem habitu & gestu orantis ac supplicis, ut ex sequentibus patet. Unde partim ex his, partim ex iis quæ à versu 17. præcedunt, omnino apparet quòd Abraham agnoverit eum qui sibi loquebatur; esse Angelum Dei personam repræsentantem.

[ ℣. 23. *Et appropinquans ait: Numquid perdes justum cum impio?* ] Quoniam Sodomitarum causa pessima erat & inexcusabilis, ejus patrocinium non simpliciter suscipit, sed artificiosè procedens, duo petit. Unum, ne perdat justos cum impiis: Alterum, ut intuitu justorum velit iniquis parcere.

[ ℣. 24. *Si fuerint quinquaginta justi in civitate,* ] Sodoma videlicet: Nam de illa quærere Abrahamum liquet ex responsione quæ datur versu 26. & quoniam ipsa erat maximè criminosa, ex ejus liberatione, cæterarum quoque liberatio pendere videbatur. Adde quòd Lot habitabat in Sodoma, pro quo Abraham erat sollicitus.

[ *Peribunt simul? Et non parces* ] Loco illi propter quinquaginta justos, si fuerint in eo? Adverbium, *simul* non est in Hebr. sed sensu exigente, illud addidit interpres.

[ ℣. 25. *Absit a te ut rem hanc facias, & occidas justum cum impio,* ] Non esse insolitum, neque injustum quòd pœnis temporalibus aliquando Deus involvat bonos cum malis, justos cum impiis notum est tum ex Ezech. 21. ubi Deus dicit, *occidam in te justum & impium*; tum ex diluvio in quo parvuli una cum majoribus perierunt; tum ex captivitate Assyriorum, in qua Tobias; & Babylonica, in qua Ezechiel, Daniel, & alii quidam justi fuerunt passi. Nam Deus vitæ & mortis est Dominus, quam ab unoquoque potest quando ei placet exigere: Deinde viri justi non carent peccatis levibus quæ temporali pœna puniantur; neque Deo desunt rationes affligendi justos temporaliter cum injustis etsi non per hoc semper intendat eorum peccata punire; sed vel in exemplum virtutis eos proponere, vel illustriores facere, & majoris meriti occasionem dare.

Deus aliquando hic affligit bonos cum malis.

Quæritur ergo quo modo Abraham hic à Deo velut rem ipso indignam removet, justos occidere cum impiis. Quidam Respondent, Abraham loqui de suppliciis æternis sub figura pœnarum temporalium, videns nimirum in spiritu illam Sodomorum eversionem mox futuram, esse figuram & imaginem æterni incendii. Quoniam ergo suppliciis æternis, justum cum impio pariter involvi, non patitur ratio divinæ justitiæ; ideo sanctus patriarcha dedecere censebat, quòd justi cum impiis interirent ex temporali calamitate Sodomorum quæ peculiariter figurabat æternum incendium. Aliter tamen Responderi potest Abrahamum ita loqui non omnino assertivè, quasi Deo sit prorsus indignum affligere justos cum impiis in hoc sæculo: sed partim deprecativè, partim fiducialiter, attendendo solam Dei misericordiam, q. d. quæso Domine, ne rem hanc facias, ne occidas justum cum impio, & in calamitate quam es illaturus, ne sit par justi & injusti conditio.

[ *Non est hoc tuum: qui judicas omnem terram,* ] Id est, te qui omnium judex es, non decet; sive, non est te dignum ut justos paris facias conditionis cum injustis, omnes pariter delendo: non decet inquam, non quasi sit prorsus à Deo alienum sic ut nullo modo possit ei convenire; sed ita loquitur instanter deprecans ut propter aliquos bonos, omnibus velit parcere ac facere potius id quod misericordem, quàm quod severum decet judicem.

[ *Nequaquam facies judicium hoc.* ] Non credo quòd velis justos subvertere cum impiis, atque ut hoc facias, rogo.

[ ℣. 26. *Dixitque Dominus ad eum: Si invenero Sodomis quinquaginta justos in medio civitatis,* ] Hoc est, in ipsa civitate,

[ *Dimittam omni* ] Seu toti.

[ *loco propter eos,* ] Non statuit hic Deus generalem regulam secundùm quam semper esset parciturus cuilibet loco, in quo reperirentur quinquaginta justi; sed est specialis promissio, propriè pertinens ad solam gentem Sodomorum, sub qua tamen tamquam sub metropoli, rectè intelliguntur aliæ civitates Pentapoleos.

[ ℣. 27. *Quia semel cœpi,* ] Loqui ad te Domine & ex tua responsione ingentem tuam misericordiam agnovi, iterum confidenter.

[ *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis.* ] Hoc est, etiamsi sim vilissimus & abjectissimus, utpote pulvis & cinis (quemadmodum ex Gen. 2. & 3. patet) ideoque indignus loqui ad te.

[ ℣. 28. *Quid si minus quinquaginta justis, quinque fuerint? delebis, propter quadraginta quinque, universam urbem?* ] Cum Deus non soleat propter justos delere urbes, sed conservare, scopusque Abrahæ esset, ut propter 45. justos Deus vellet omnibus parcere; non est hujus loci sensus quem verba videri possunt præ se ferre; sed iste Numquid ideo delebis urbem universam, quoniam in ea tantùm sunt quadraginta quinque justi, & non quinquaginta? Qui sensus convenit cum lectionibus Hebræa & Græca, & quibusdam Latinis, quæ omisso majori numero, sic habent, *Delebis propter quinque universam urbem*, id est, propter defectum quinque justorum. Quo modo Psal. 108. rectè accipitur illud, *caro mea immutata est propter oleum*, id est, propter olei defectum. Et huic sensui quadrat responsio Domini dicentis.

[ *Non delebo, si invenero ibi quadraginta quinque.* ] Et postea.

[ ℣. 32. *Non delebo propter decem.* ] Hoc est, si illic fuerunt decem justi. Duo sunt addenda. Prius, Abraham non descendere infra denarium, partim ex verecundia & timore reverentiali; partim quia paulò ante significaverat se non amplius de ista re locuturum dicens.

[ *Ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel:* ] Hebr. tantùm hac vice: partim ut mysticè designaretur quòd infra observationem decalogi, nullus potest esse locus justitiæ. Posterius, quòd Abraham non hic dicitur rogasse pro nepote suo Lot, sive quia integritatem vitæ ejus noverat, sicque de ipsius liberatione prorsus confidebat; sive quia pro illo supplicavit quidem, sed Moyses non judicavit commemorandum, quia non magni fuisset æstimatum, quòd justus pro justo, eoque sibi consanguineo rogaret: ex cap. tamen sequenti v. 29. constat Abrahæ potissimùm gratia & merito, liberatum esse Lot.

[ ℣. 33. *Abiitque Dominus, postquam cessavit loqui ad Abraham:* ] Dominus, hoc est Angelus illi qui Deum repræsentabat & talis hucusque solus cum Abraham locutus fuerat recessit finito colloquio, & postea disparuit.

[ *Et ille* ] Scilicet Abraham,

[ *Reversus est in locum suum.* ] In convallem Mambre, ubi habebat suum tabernaculum.

CA-

## CAPUT XIX.

*Lot Angelis, quos homines esse existimabat, hospitio susceptis, à Sodomitis vim patitur: Cum uxore & utraque filia, à Sodomitico incendio ereptus, in via uxorem amisit, Postea à filiabus inebriatus, cum illis incestum, sed ignoranter commisit, unde ortum habuerant Moabitæ & Ammonitæ.*

[ ℣. 1. V*Eneruntque duo Angeli Sodomam vespere,* ] Isti sunt duo illi Angeli qui c. 18. v. 22. leguntur abiisse Sodomam, tertio remanente cum Abraham. Pervenerunt autem Sodomam vespere illius, diei quo apud eum pransi fuerant. Hactenus Moyses viros illos vocavit, nunc Angelos.

[ *Et sedente Lot in foribus civitatis.* ] In porta civitatis sedebat Lot usque ad vesperam, non ut judex, quemadmodum ex versu 9. satis patet, sed ut peregrinos observaret, eosque hospitio exciperet, tum ex affectu hospitalitatis quam ab Abrahamo didicerat, tum ne viatores ignari libidinis innaturalis Sodomitarum, imprudentes in eo laqueos inciderent.

Cur Lot nō deseruerit Sodomam.

Si petas, quare Lot ex civitate tam scelerata & flagitiosa non aliò abiit, postquam ejus improbitatem & effrenem inveteratamque libidinem cognovit. Resp. divino consilio factum, partim ut manifesto aliquo experimento constaret istius generis malitia; partim ut optima esset occasio admirandæ liberationis Lot, magisque eluceret ejus justitia. Verisimile quoque est, ipsum virum sanctum illic mansisse, ut incolas corripiendo, hortando à tantis flagitiis revocare satageret, instar probi medici qui modis omnibus nititur ægrotum curare; & si videat se nihil sua cura proficere, ipsumque non emendari, non ideirco desistit, sed omnem artem adhibet si fortè possit infirmum vel tandem aliquando sanare, vel in longum tempus conservare.

[ *Qui cùm vidisset eos*, ] Quos viros esse existimabat,

[ *Surrexit & ivit obviam eis*, ] De opportunitate hospitalitatis exercendæ gaudens, ac etiam verius, ne alioquin in malignum hospitem inciderent.

[ *Adoravitque pronus in terram*, ] Seipsum valde incurvavit, honorem civilem eis exhibendo, sicut fecit Abraham cap. 18. vers. 2. Decor enim vultus & gravitas indicabant personas esse spectabiles, vel prophetas à Deo missos.

[ ℣. 2. *Obsecro, Domine*, ] Rogat velut majorem gratiam accepturus à peregrinis ad ipsum divertentibus, quàm sit eis collaturus; neque immeritò, cum generale sit quòd qui propter Deum largitur temporalia, recipiet æterna.

[ *Declinate domum pueri* ] Seu servi

[ *Vestri*, ] Quemadmodum sonant Hebræa, ea fuit sancti Lot charitas & humilitas, ut peregrinos ad se invitaret, sicut & Abraham fecisse vidimus c. 18. non expectans ut ab eis ipse rogaretur.

[ *Qui dixerunt: minimè, sed in platea manebimus.* ] Quæ verba vel cum aliqua tali restrictione intelligenda sunt, nisi ulterius nos urgeas: non erant enim domum Lot ingressuri ad primam ejus invitationem: vel non sunt accipienda ut assertivè dicta, sed ad modum civiliter ac honestè recusantis: quasi dicerent, potius in platea manebimus quàm in ædes vestras intrando simus vobis molesti. Unde sequitur nullum hic fuisse mendacium, sed civilem tantùm hospitii recusationem, eamque non absolutam, sed qua magis accenderent animum invitantis, eique darent occasionem exercendæ hospitalitatis perfectioris, cum non solùm exciperet volentes, sed quasi cogeret invitos.

[ ℣. 3. *Compulit illos oppidò*, ] Valde multum ursit ita ut eos quasi compelleret.

[ *Ingressique domum illius fecit convivium*, ] Septuaginta, fecit eis potum: sed quamvis πότον, quod in Græco est, potius potationem significet, quàm comestionem; usurpatur tamen pro convivio, in quo est esus & potus.

[ *Et coxit azyma:* ] Seu panes subcinericios qui fiunt sine fermento.

[ ℣. 4. *Prius autem quam irent, cubitum, viri civitatis vallaverunt domum à puere usque ad senem, omnis populus simul.* ] Non venerunt domum Lot statim ut eam ingressi fuerant Angeli quos arbitrabantur viros esse peregrinos, rati quod facilius & securius ipsos comprehenderent cœnantes vel post cœnam, & ne qua parte possent effugere, ipsam domum circumdederunt. Tam acuratè autem notat Moyses quòd omnes concurrerint, ut pateat non fuisse decem justos, sed præter Lot ejusque familiam, omnes fuisse flagitiosos. Quæ etiam causa est quare Angeli non voluerunt ingressum suum esse occultum. Per puerum intelliguntur illi qui jam erant doli & peccati capaces. Nec refert S. Ambrosium lib. 1. de Abraham cap. 6. pro, *à puero*, legere, *ab infante*: Apud Hebræos enim omnis filius comparatione parentum vocatur infans ac parvulus, ait Hieron. in qq. Hebr. ad cap. 21. Gen. Quoniam verò inter pueros doli capaces, quidam reperiuntur necdum per ætatem idonei ad scelera ista committenda, sicuti & inter senes aliqui sunt quibus vires ad libidinem sunt prorsus exhaustæ: Ideo verisimile est ex tota multitudine quosdam convenisse ad perpetrandum facinus, alios ad spectandum, eoque tam nefario spectaculo se oblectandum.

[ ℣. 5. *Ubi sunt viri qui introierunt ad te?* ] Seu in domum tuam, ut apud te hospitarentur?

[ *Educ illos huc, ut cognoscamus eos.* ] Ut turpiter eis abutamur. Probabile est nebulones nudè & apertè locutos, sicut habent 70. sed Moyses honestiori vocabulo rem turpissimam tegere voluit. Ex his haud difficulter intelligi potest effrenem prorsus ac brutalem fuisse Sodomitarum libidinem, qui nullo neque Dei, neque hominum pudore absterrebantur ab infamibus & innaturalibus operibus in omnium conspectu perpetrandis, non magis quàm equus & mulus quibus non est intellectus.

[ ℣. 6. *Egressus ad eos Lot, post tergum occludens ostium,* ] Ne Sodomitæ domum intrarent ac peregrinos vi raperent.

[ ℣. 7. *Nolite quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere.* ] Quo & jus hospitii, & lex ordoque naturæ violarentur. Modestè loquitur vir sanctus, sperans libidinosum furorem blandis sermonibus placare secundùm illud quod postea scriptum est. Proverb. 15. *Responsio mollis frangit iram.* Sed quemadmodum *ira non habet misericordiam nec erumpens furor*, Prov. 27. ita nec intemperantia præsertim inveterata.

[ ℣. 8. *Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum: educam eas ad vos, & abutimini eis sicut vobis placuerit*, ] Quidam ex verbo, abutimini, colligunt Lot obtulisse filias suas ad præposteram libidinem. At non benè; satis enim magnus est fœminæ abusus, promiscuus omnium pro beneplacito suo usus extra matrimonium.

Sed alia difficultas manet. Utrùm in isto facto Lot peccaverit.

August. quæst. 42. in Genes. & lib. contra mendacium cap. 9. in hoc propendet, quòd Lot eo animo filias obtulerit ut à Sodomitis carnaliter cognoscerentur, ideoque non in totum sit à peccato excusandus. Quæ responsio est valdè probabilis. Sicut enim non sunt facienda mala ut eveniant bona, ad Rom. 3. ita neque facienda mala ut eveniant bona, ad Rom. 3. ita neque facienda sunt minora mala, ut evitentur majora: ergo ad evitandum gravissimum scelus quod Sodomitæ moliebantur in peregrinos perpetrare, non licebat offerre filias ab eis constuprandas. Nam & fornicari & ad fornicationem invitare vel cooperari per se malum est, licèt fornicatio minus sit peccatum eo quod vocatur Sodomiticum. Accedit quòd pater teneatur conservare pudicitiam suarum filiarum; tantum abest ut jus aliquod habeat illas prostituendi, & quidem invitas seu non consentientes. Præterea, ex versu 14. constat quòd filiæ Lot jam erant desponsatæ adolescentibus qui fuerant illas in matrimonium accepturi: non ergo sine ipsorum injuria poterant omnibus promiscuè offerri ad fornicationem, ad stuprum, ad adulterium. Neque refert quòd è duobus malis liceat eligere minus: quoniam hoc dumtaxat verum est de malis quæ secundùm rectam rationem possunt esse eligibi-

Quæ prob. Lot peccasse in præsenti facto.

gibilia, hoc eſt, de malis pœnæ, mala autem culpæ, etiamſi leviſſima, non poſſunt eſſe eligibilia. Vide 2.2. q.43.art.7. ad 5. Deinde, quamvis fornicatio ſit ſecundùm ſe minus peccatum quàm Sodomia; non tamen eſt minus peccatum offerre filias ad fornicationem, eamque omnibus qui voluerint, promiſcuam; quam permittere ſuos hoſpites injuriam intentatam pati; cum ad hanc Lot ſolùm permiſſivè ſe habuiſſet, in altero autem activè ſe habebat. Non refert etiam quòd aliquando liceat conſulere minus malum parato facere majus: hoc enim tunc non licet, quando conſulendo minus malum invitatio eſt ad inferendam injuriam ei de quo malefactor non cogitabat, quemadmodum intelligi poteſt ex eis quæ diximus 2. 2. q. 62. art.7. tit. De conſilio; Sodomitæ autem non cogitabant de filiabus Lot. Addendum nihilominus eſt perplexitatem & repentinam animi perturbationem in qua ipſe erat, multum de gravitate peccati diminuiſſe.

Quo modo poſſit excuſari.

Cajetanus in hoc cap. commentans ſcribit, ſanctum Lot non obtuliſſe ſuas filias ea intentione ut Sodomitæ illas conſtruprarent, neque ut ipſe flagitium flagitio redimeret, ſed animo furentem populum placandi per talem ſui ſubmiſſionem, & ex magna fiducia quòd omnino caverent (ſicut & contigit) ab earum violatione; cum ſciret ipſas præſtantioribus civium filiis jam eſſe deſponſatas, ideòque omnes facilè abſtenturos, vel ob reverentiam parentum iſtorum filiorum, vel ob exorituram alioquin diſſenſionem inter ſponſos ſponſorumque parentes vel amicos & alios. Hoc modo qui injuria laceſſitum placare vult ſubinde dicit; ecce cultrum, interfice me, non eo animo ut interficiatur, ſed ut læſus tanta ſubmiſſione placetur. Quiddam ſimile eſt quòd infra cap.42. dixit Ruben. *Duos filios meos interfice, ſi non reduxero illum tibi.* Et 1. Reg.20. *Si eſt iniquitas aliqua in me, tu me interfice*, dicebat David ad Jonathan. Hunc dicendi modum ſequuntur Emanuel Sà, Delrio, Marzilla, Marius, Tirinus, & alii: ſecundùm quem conſequenter dici poteſt quòd Lot in iſto facto non peccaverit, unde adhuc vocatur juſtus Sap.10. aliquando poſtquam hanc oblationem fecerat, cum ſcilicet è Sodomis fugeret: *Hæc* (nimirum Sapientia) *Juſtum à pereuntibus impiis liberavit fugientem deſcendente igne in Pentapolim*. Quo etiam pertinent quæ de ejuſdem ſancti viri juſtitia leguntur 2. Petri 2.

[ *Dummodo viris iſtis nihil mali faciatis, quia ingreſſi ſunt ſub umbra culminis mei,* ] Seu, ſub tectum meum, Rationem adfert; quare pro viris illis loquatur, quia ſcilicet eorum protectionem ſuſcepit eo ipſo quo in domum ſuam illos introduxit ad hoſpitandum.

[ ℣.9. *At illi dixerunt: Recede illuc,* ] Abi ab oſtio, ne nos impedias.

[ *Ingreſſus es, inquiunt, ut advena, numquid ut judices?* ] Quaſi dicerent, veniſti ad nos tamquam peregrinus, vis ne nunc eſſe judex? In Hebr. legitur, unus venit ad peregrinandum, & judicavit judicando? q.d. Venitne iſte unus peregrinus, ut nos judicaret?

[ *Te ergo ipſum magis quàm hos affligemus.* ] Si videlicet pergas pro ipſis loqui & velle nos impedire.

[ *Vimque faciebant Lot vehementiſſimè:* ] Quidam eum protrudentes & abripere conantes, alii oſtium effringere ſatagentes unde ſequitur.

[ *Jamque prope erant ut effringerent fores.* ]

[ ℣. 10. *Et ecce* ] Rem inopinatam vide.

[ *Miſerunt manum viri,* ] Angeli qui ſub virorum forma erant, virique eſſe putabantur, fecerunt opus ſuæ potentiæ.

[ *Et introduxerunt ad ſe Lot, clauſeruntque oſtium:* ] De repente oſtium quod Lot occluſerat aperuerunt, ipſumque ne vim pateretur, in domum attraxerunt, ac denuò oſtium occluſerunt ne Sodomitæ introirent.

Qualis fuit cæcitas Sodomorum.

[ ℣. 11. *Et eos, qui foris erant, percuſſerunt cæcitate à minimo uſque ad maximum.* ] Non fuiſſe cæcitatem propriè dictam quæ ſignificat omnimodam privationem potentiæ viſivæ & viſionis, tradit Auguſt. qu.43. In Geneſ. & l.22. de civit. cap.19. aliique communiter; tum quòd ejuſmodi cæcitate percuti Sodomitas opus non erat; tum quia ſi fuiſſet talis cæcitas qua nihil videri poteſt, non oſtium quo ingrederentur, ſed duces itineris à quibus inde abducerentur inquirerent; tum denique quia in Græco eſt ἀορασία; quæ vox non ſignificat carentiam potentiæ viſivæ, ſed alicujus tantùm actus ipſius: Eſt enim ἀορασία, quædam non videntia, per quam fit ut aliquis non videat id quod quærit aut videre cupit, etiamſi alia benè videat, Deo nimirum faciente ut objectum illud non emittat ſpecies, vel non tales quæ ipſum repræſentent. Hoc igitur cæcitatis genere percuſſi fuerunt Sodomitæ, ſicuti & poſtea milites regis Syriæ 4. Reg.6. ac fortaſſis etiam Judæi quando volebant Chriſtum apprehendere, Joan. 18.

[ *Ita ut oſtium invenire non poſſent:* ] Quantumvis laborioſè illud quærerent. Unde 70. habent, quòd defecerunt vel diſſoluti ſunt ſeu plurimum fatigati, quærentes oſtium. Sed quæritur de quo oſtio ſit accipiendum: Utrùm de oſtio domus Lot, an de oſtio domus cujuſque illorum qui ſic erant ἀορασία percuſſi. Ratio quæſt. eſt Sap. ult. ubi Ægyptii dicuntur percuſſi cæcitate ſicut Sodomitæ in foribus Lot; *cum ſubitaneis cooperti tenebris unuſquiſque tranſitum oſtii ſui quærebat*. Reſpond. litteralem præſentis loci ſenſum eſſe de oſtio domus Lot, quemadmodum veteres ſoliti ſunt intelligere, eoſque ſecuti Cajet. Pererius, Marzilla; Lorinus, & alii. Contextus enim clarè ſignificat de eodem oſtio dici quòd illud invenire non poterant, de quo præceſſit quòd cum propè eſſet ut Sodomitæ fores effringerent, Angeli introduxerunt ad ſe Lot, clauſeruntque oſtium; certum autem eſt de ſolo oſtio domus Lot hæc dici.

Ad locum Sapientiæ quod attinet Reſp. iſta verba, *cum ſubitaneis cooperti eſſent tenebris, unuſquiſque tranſitum oſtii ſui quærebat*, non de Sodomitis eſſe accipienda, ſed de Ægyptiis, ut videri poteſt apud Janſenium & Lorinum.

Moraliter hic obſervandum cum B. Greg. l.6. Moral. cap.16. quòd qui alienæ virtuti invident, quæruntque juſtorum dicta vel facta carpere, frequenter mente excæcantur, & exterius circumeunt, non invenientes quòd quærunt, ſicut Sodomitis contigit.

[ ℣. 12. *Dixerunt autem ad Lot:* ] Viri, ut Hebræa & Græca exprimunt; ſeu duo illi Angeli qui viri eſſe putabantur.

[ *Habes hìc quempiam tuorum? generum, aut filios aut filias,* ] Sciebant quòd Lot habebat duos generos quibus ejus filiæ erant deſponſatæ, nondum tamen in matrimonium traditæ; ſed ita loquuntur ut ipſum accendant ad illos vocandos. Sciebant quoque quòd nullos habebat filios; ſed hominum more procedunt qui homines exiſtimabantur.

[ *Omnes qui tui ſunt,* ] Qui conſanguinitate vel affinitate ad te pertinent.

[ *Educ de urbe hac:* ] Parati enim ſumus in gratiam tui ipſos à calamitate quæ urbi imminet, eripere, ſi velint ſanis conſiliis acquieſcere.

[ ℣.13. *Delebimus enim locum iſtum, eò quòd increverit clamor eorum coram Domino,* ] Hoc eſt quia peccata incolarum hujus loci tam ſunt enormia & tam multa, ut ad Deum clamare videantur pro celeri vindicta de illis ſumenda.

[ *Qui miſit nos ut perdamus illos.* ] Tamquam incorrigibiles. Hìc manifeſtant ſe eſſe Angelos à Deo miſſos.

[ ℣.14. *Egreſſus itaque Lot,* ] Non urbe, ſed domo à qua Sodomitæ jam fatigati quærendo, & non inveniendo ejus oſtium, receſſerant.

[ *Locutus eſt* ] Illa ipſa nocte qua viri civitatis domum ejus vallaverant.

[ *Ad generos ſuos,* ] Generi vocantur, non quòd haberent filias Lot ſibi matrimonio junctas, cum Lot de filiabus ſuis affirmet, quòd necdum cognoverant virum; cumque ipſæ in domo patris habitarent, & non in domo illorum; ſed quia filiæ erant viris deſponſatæ per verba de futuro; ſive ) ut communiter loquimur ) cum illis ſponſalia contraxerant: Id quod textus noſter clarè indicat, dicens.

[ *Qui accepturi erant filias ejus,* ] Apud 70. legitur in præterito, *qui acceperant:* ſed hoc, ratione ſponſalium jam initorum videtur accipiendum, non ratione contracti matrimonii.

[ *Et viſus eſt eis quaſi ludens loqui.* ] Priſtinis voluptatibus & ſceleribus aſſuefacti non crediderunt viro ſancto

Salutaria monentibus mundani difficulter credunt, civitatis deletionem, & modum quo evadere possent, annuntiari; sed existimaverunt eum joco & non seriò loqui. Tales hodie sunt, qui prædicatoribus de morte, & inferno, vel judicio, aut generaliter de punitione peccatorum differentibus credere nolunt: de quibus propterea verificatur istud distichon:

*Heu vivunt homines veluti mors nulla sequatur:*
*Et velut infernus fabula vana foret.*

[ ℣. 15. *Cumque esset mane*, ] Sive, cum aurora inciperet dilucescere; quoniam Lot etsi Sodomitarum scelera ipsi displicerent, ægrè sedes suas relinquebat,

[ *Cogebant* ] Vehementer urgebant.

[ *Eum Angeli; dicentes: Surge, tolle uxorem tuam, & duas filias quas habes.* ] Sanctus vir habebat servos & ancillas: sed quoniam non erant in peccatis dissimiles civibus Sodomorum, nullus de ipsorum liberatione hic sermo est.

[ *Ne & tu pariter pereas in scelere civitatis.* ] Hoc est, in punitione quæ mox inferenda est civitati, propter ejus seu incolarum ipsius flagitia.

[ *Dissimulante* ] Seu moras nectente.

[ *Illo* ] Sive quòd amplius expetet generos inducere ad comitandum, sive quòd occuparetur in supellectilibus componendis, ut ea efferret.

[ *Apprehenderunt manum ejus, & manum uxoris, ac duarum filiarum ejus*, ] Ita ut unus ipsum una manu, ejusque uxorem altera manu teneret, ac educeret; alter filias similiter.

[ *Eò quod parceret Dominus illi*, ] Volens eum cum istis ad ipsum pertinentibus misericorditer à Sodomorum incendio liberare. Parcere enim non solùm dicitur respectu culparum, sed etiam respectu calamitatum & tribulationum illarum quibus justi unà cum aliis involverentur, nisi per specialem Dei beneficentiam eriperentur.

[ ℣. 17. *Eduxeruntque eum.* ] Sicut Lot non deseruit Sodomam, licèt sibi periculosam, nisi quodammodo invitus & ab alio eductus; ita hodie multi non deserunt bona temporalia, quamvis sibi maximè noxia, nisi coacti. Idcoque judicium est de vitiis, præsertim carnalibus.

[ *Dicentes: Salva animam* ] Seu vitam

[ *Tuam:* ] Domum, supellectilia, omniaque alia temporalia neglige, sed una tibi cura sit servandi vitam. Similiter animæ vitæque nostræ spiritualis curam habere nos convenit, omnibus aliis postpositis. *Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Matth. 16.

[ *Noli respicere post tergum* ] Quibusdam visum est, sermonem hunc esse proverbialem, & per eum prohiberi ne ipsum pœniteat quòd civitatem deseruerit. Sed verius est, sensu litterali hoc prohiberi quod verba propriè significant, scilicet respicere post tergum: Uxor enim quæ post se respexit, statim est punita. Ex qua punitione & hoc facilè intelligitur, præceptum istud non soli Lot fuisse datum, sed etiam uxori & filiabus: ut proinde in illo, Noli, vel numerus singularis pro plurali sit positus, vel sensus sit, noli tu cum tuis.

Quænam porrò fuerit hujus præcepti ratio, quæri potest. Resp. unam rationem fuisse ad probandam & exercendam obedientiam Lot. Ut enim ait Pererius, obedientia in iis quæ parva videntur & levia, exploratius probatur. Sic probata fuit obedientia Adam per prohibitionem esus de fructu unius arboris Gen. 2. & obedientia prophetæ cui dictum erat 3. Reg. 13. *Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reverteris per viam qua venisti.* Secunda ratio fuit, ad majorem sceleratæ gentis detestationem, quæ sic erat Deo exosa, ut ne aspectu quidem bonorum eam dignaretur Deus, multò minùs commiseratione. Tertia, ad ostendendum quòd Dei præcepta, etiam illa quæ fortassis humana æstimatione videntur dura, non sint nimii rigoris judicanda, sed reverenter suscipienda, & implenda. Quarta, ad significandum quòd cum maxima festinatione oportebat exire, & celeriter fugere quia propinquissimum erat urbis excidium. Quinta, ut moraliter instrueremur, eos qui vitia vitiorumque occasiones reliquerunt, non debere ad ea respicere vel reverti, ne quidem affectu; sed ea quæ retro sunt obliviscentes ad ea quæ sunt anteriora se extendere, ad Philipp. 3. Vide cap. 9. & 17. S. Lucæ.

Cur vetantur respicere retro.

[ *Nec stes in omni circa regione;* ] Quia Deus totam illam regionem erat destructurus. In Hebr. *Ne stes in omni planitie seu valle*, quia tota regio erat vallis usque ad Segor, ubi erat initium montis; de quo sequitur;

[ *Sed in monte salvum te fac*, ] Montem intelligunt qui imminet urbi Segor.

Moraliter, mons est tum culmen Evangelicæ perfectionis, tum Christus, cujus gratia & merito salvantur illi qui ardentem Sodomam fugiunt, id est, qui illicita carnis incendia declinant. Videri Greg. p. 3. pastoralis Admonit. 28.

[ ℣. 18. *Dixitque Lot ad eos: quæso Domine mi*, ] Abulensis exponit quòd Lot ad utrumque Angelum loquebatur in singulari, quia in illis cognoscebat unum Deum qui eos miserat, eumque deprecabatur, & non aliquem de Angelis. At nihil prohibet intelligi locutum esse ad Angelos seu Angelorum aliquem, ad illum scilicet qui ipsum & uxorem manu ducebat, etsi non negemus quin Deum in illis suis legatis agnosceret.

[ ℣. 19. *Quia invenit servus tuus gratiam coram te*, ] Ut me præ cæteris ex urbe ista educeres, & ex imminente excidio eriperes.

[ *Et magnificasti misericordiam tuam, quam fecisti mecum*, ] Hoc est, maxima erga me usus es misericordia.

[ *Ut salvares animam* ] Seu vitam.

[ *Meam, nec possum* ] Sive, timeo quòd non possim

[ *In monte salvari, ne fortè* ] Vel prius quàm montem conscenderim, vel etiam postea cum sub dio, fulminibus & tempestatibus maximè ero expositus,

[ *Apprehendat me malum*, ] Quod urbi ac regioni est infligendum.

[ *Et moriar:* ] Debuisset vir sanctus simpliciter obedire Angelo ipsum docenti, sed judicio suo nimis indulget, ideoque culpandus, leviter tamen, propter motum & turbationem in qua erat. Unde misericors Deus qui leves suorum culpas sæpè tolerat, non destitit exaudire sancti viri preces. Sicut autem Lot non ex seipso cogitavit exire Sodomam ut ab incendio salvaretur, sed ab Angelis monitus, ita qui de vitiis hujus mundi exit, non à seipso cogitationem illam habet, sed ex Dei gratia.

[ ℣. 20. *Est civitas hæc juxtà, ad quam possum fugere*, ] Si ita placet. Urbem Segor intelligit, quæ ex Sodoma fugienti proximior erat, quàm montis altitudo.

[ *Parva, & salvabor in ea:* ] Quasi diceret civitas illa est parva, rogo ut bona tua gratia possim illuc fugere, ibique salvari.

[ *Numquid non modica est*, ] Et secundùm loci quantitatem, & secundùm numerum incolarum. Rem non adeò magnam, sed parvi solùm oppiduli salutem peto, ut illic sit mihi refugium & asylum.

[ ℣. 21. *Dixitque ad eum:* ] Ille Angelus qui Lot uxoremque ejus manu ducebat, inter ipsos medius.

[ *Ecce etiam in hoc suscepi* ] Seu exaudivi.

[ *Preces tuas*, ] Hebr. suscepi faciem tuam, id est, honoravi te; tui namque reverentia & amore precibus tuis acquiesco, & civitati illi parco 70. eodem sensu legunt, admiratus seu reveritus sum faciem tuam.

[ *Ut non subvertam urbem pro qua locutus es.* ] Statuerat Deus isti oppido parcere, ad preces Lot, Ideo præstitit ei affectum precandi, fecitque ut pro illo deprecaretur.

[ ℣. 22. *Festina, & salvare ibi: quia non potero facere quidquam* ] Obstante scilicet divino mandato quod accepi ut te prius periculo subducam, & postea demum regionem subvertam.

[ *Donec ingrediaris illuc.* ] Non videtur Angelus per illuc, intelligere in urbem; quia dum Lot adhuc esset inter Sodomam & Segor, Sodoma conflagravit; Ibi namque uxor Lot aspexit retro, cum jam cœpisset conflagratio. *Illuc* ergo, idem est, quòd in territorium urbis Segor.

[ *Idcirco vocatum est nomen urbis illius Segor.* ] Ista causalis, *idcirco*, non refertur ad proximè præcedentia, sed ad verba Lot quæ versu 20. habentur, ut sensus sit: Quia Lot urbem illam pro qua rogabat, dixit

dixit eſſe parvam, ideo ipſa fuit vocata Segor, quod idem valet ac parva, cùm antea vocaretur Bala. Confer cap. 14. v. 8.

[ ℣. 23. *Sol egreſſus eſt ſuper terram*, ] Id eſt, ſuper horizontem Pentapolis. Nam ſol ſemper eſt ſuper aliquam terræ partem, ſed non ſemper ſuper horizontem cujuslibet terræ. Ex his datur intelligi quòd Lot ſummo mane exivit Sodomis, in Segor autem pervenerit orto jam ſole; ſequitur enim.

[ *Et Lot ingreſſus eſt Segor*. ] Moraliter obſervari poteſt, quòd eadem hora juſtis ſalus, impiis interitus inducitur.

Quatuor urbes periere.

[ ℣. 24. *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham* ] Hæ urbes nominantur tamquam principales; certum autem eſt etiam pluiſſe ſuper Adamam & Seboim; partim ex eo quod mox dicitur: *& omnem circa regionem*; partim ex Deut. 29. ubi pariter exprimitur ſubverſio Sodomæ & Gomorrhæ, Adamæ, & Seboim; partim ex epiſtola B. Judæ, ubi cum Sodoma & Gomorrha exprimuntur civitates finitimæ.

[ *Sulphur & ignem* ] Ut ſulphur faceret materiam combuſtioni aptiorem, & ignis omnia abſumeret.

Myſticè per ſulphur, peccati fœtor; per ignem, ardor libidinis denotatur ſecundùm ea quæ ſcribit Gregor. l. 14. Moral. cap. 10. Obſervandum quòd ſacra ſcriptura magnitudinem ſupplicii harum urbium proponere ſolet in exemplum Deut. 29. Iſai. 13. Then. 4. 2. Petri 2. & in epiſtola B. Judæ.

Ex cap. 29. Deut. v. 23. & ex Pſalm. 106. v. 34. apparet igni Sodomorum ſalem ardentem & urentem fuiſſe admixtum, ut regio redderetur tota ſterilis.

[ *A Domino* ] Dupliciter exponi poteſt hæc phraſis, *Dominus pluit Domino*: Vel ut ſit ſimplex Hebraiſmus, quo ſignificetur Dominus Deus miſiſſe pluviam à Domino, hoc eſt, à ſeipſo, ſeu ſola ſua potentia & virtute, abſque operatione cauſarum naturalium: Vel ut Verbum æternum intelligatur pluiſſe à Deo Patre; hoc eſt, virtute à Patre accepta: Ab eo enim habet Deus filius virtutem ſeu potentiam, à quo habet eſſentiam. Poſteriorem hanc expoſitionem tradunt Cyprian. lib. 3. ad Quirinum, Hilarius l. 4. de Trinit. Hieron. in cap. 3. Sophoniæ, & alii apud Irenæum l. 3. contra hæreſ. c. 6. allegati in ſcholiis. Poſſet etiam huc adduci definitio Concilii Sirmienſis, quæ ſic habet. *Si quis illud quod ſcriptum eſt. Pluit Dominus à Domino, non de Patre & Filio perceperit, ſed ipſum à ſemetipſo pluiſſe dixerit, anathema ſit*. Sed quoniam iſtud Conc. eorum fuit Epiſcoporum qui licèt videri vellent catholici, erant tamen Ariani; quod idcirco Baronius ad annum 357. tom. 3. Annal. vocat conventiculum Sathanæ, non putamus aliquam ejus rationem eſſe habendam. Lector conſulat quæ l. 5. Controverſ. q. 1. art. 5. ſcripſimus.

[ *De cœlo*: ] Id eſt, de media regione aeris, ubi naſci ſolent fulmina & varia meteora, etſi tunc non ſint naturaliter ibi nata, ſed ſola virtute divina.

[ ℣. 25. *Et ſubvertit civitates has*, ] Sodomam & Gomorrham,

[ *Et omnem circa regionem*, ] In qua erant urbes minores, Adama & Seboim quæ pariter fuerunt ſubverſæ.

Segor non periit incendio Sodomæ.

Quæritur autem, An & Segor ſubverſa fuerit, poſtquam Lot ex ea fugit in montem. Ita videtur ſentire Theodoretus. Sed contrarium (quod Hieron. in locis Hebr. verbo Bala, & verbo Segor, aliique ſanctorum locorum ſpectatores tradunt) verius eſt; tum quia Angelus v. 21. dixit ſe ſuſcepiſſe preces Lot, ut non ſubverteret urbem pro qua ipſe erat locutus; tum quia urbis Segor tamquam adhuc ſubſiſtentis meminit ſcriptura Deut. 34. Iſai. 15. Jerem. 48. neque ulla ratio vel fundamentum eſt dicendi, quòd poſt ſubverſionem fuerit reædificata.

Si objicias Sap. 10. haberi quòd ignis deſcenderit in Pentapolim. Reſp. per hoc non ſignificari quòd in ſingulas urbes Pentapoleos deſcenderit; Sed in regionem quæ quòd quinque urbibus conſtaret, vocabatur Pentapolis.

[ *Univerſos habitatores urbium*, ] Quatuor jam ſupra dictarum. De maſculis doli peccatique capacibus non eſt difficultas, quomodo Deus omnes ad unum ſubverterit, quia omnes erant graviter criminoſi. De mulieribus & puellis ſimiliter doli capacibus, certum quoque eſt ex Ezech. 16. quòd eſſent otioſæ, inhoſpitales, ſuperbæ, & quòd abominationes fecerant.

Sed quid de infantibus. Reſp. omnes homines morti temporali eſſe obnoxios propter peccatum originale, etiam poſtquam eſt remiſſum; & propterea non poſſe non eſſe juſtum quando Deus alicui infert mortem temporalem: unde fit conſequens illos infantes non iniquè per ignem periiſſe. Ad æternam mortem quod attinet: Vel infantibus illis remiſſum erat peccatum originale per aliquod ſacramentum legis naturæ, vel non erat. Si prius, ſalvati ſunt. Si poſterius, damnati.

Petes, an omnes omnino adulti qui Sodomitico incendio perierunt, ſint æternaliter damnati. Negat Hieronymus in cap. 1. Naum, quia Deus non punit bis in idipſum: Contrarium quod in epiſt. S. Judæ v. 7. ſignificatur, quodque tenent Abulenſis, Pererius, Delrio, Marius, & communiter alii, verius eſt: quia omnes erant valdè flagitioſi, nec ullum eſt fundamentum aſſerendæ pœnitentiæ aliquorum, cum conſtet ipſos in flagranti delicto exiſtentes ſubitò & præter opinionem fuiſſe correptos incendio. Neque ideò conſequens eſt quòd Deus puniat bis in idipſum; partim quia ſupplicium temporale hujus ſæculi, non adæquat peccati gravitatem; partim quia Deus ſolùm continuat pœnam, quamdiu alii continuant culpam.

Ad Hieron. Reſp. ipſum vel aliorum verba referre, quod ei frequens eſſe in commentariis patet ex l. 1. adverſus Rufin. c. 4. vel ſupponere quoſdam egiſſe pœnitentiã.

Quæri inſuper poteſt. Quid factum ſit de civibus Sodomæ & aliarum iſtarum urbium qui tempore hujus incendii à ſuis ſedibus aberant ſive mercaturæ ſive alterius negotii cauſa; An & ſuper eos pluerit Deus ſulphur & ignem. Reſp. veriſimiliter nullos abſuiſſe à tota regione, Deo ſic diſponente, ut univerſos habitatores diſperderet, totamque propaginem prorsùs exſcinderet, nullo ejus ſemine relicto, ut patet ex illo Iſai. 1. & ad Rom. 9. niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.

[ *Et cuncta terra virentia*. ] His conformia leguntur Deut. 29. Ita conflagravit tota regio ſeu vallis continens quatuor antea nominatas civitates, ut minima ejus pars remanſerit, nimirum limes iſque ſquallidus & cinerulentus, intra ſe continens lacum plenum aquis ſalſis & bituminoſis. In limite, ſive in ora natæ arbores ferunt poma viſu pulchra & matura, ſed quæ contactu in favillam citò rediguntur. Aquæ in eo ſunt ſpiſſæ, ſordidæ, fœtidæ, amariſſimæ, ſuper alias marinam ſalſæ. Lacus ipſe etiamnum in modum camini infernalis tetris vaporibus exæſtuat, quorum halitu littora & reliqua adjacentia ad quinque milliaria redduntur ſterilia. Vocatur tum lacus aſphaltites, propter bituminis abundantiam tum Mare mortuum, quia nec fert piſces nec aliud animal vivum, adeò ut ſi ex Jordane exundante illuc intrent piſces, ſtatim moriantur; tum Mare ſalſum, ab aquarum maxima ſalſedine; tum Mare ſolitudinis, à loco deſerto. Videri poſſunt Paulus Oroſius l. 1. hiſtoriæ c. 5. Adrichomius in tribu Juda, num. 186. & alii in Geneſ. Illud autem ſedulò eſt perpendendum, quoniam ſi in Sodomis hæc facta, quid fiet in gehenna. Hanc Sodomorum ſubverſionem contigiſſe uno anno ante nativitatem Iſaac, anno ſcilicet Abrahæ nonageſimo nono, ex cap. 18. v. 10. & 14. facilè fuerit colligere.

Diverſa nomina laci Sodomorũ.

[ ℣. 26. *Reſpicienſque uxor ejus poſt ſe*, ] Cum Angeli eduxiſſent Lot è Sodoma, jamque eſſent propè Segor, in ejus ſcilicet territorio, cœperunt divinam ultionem exequi: uxor autem Lot excita ſtrepitu ignis, & ſulphuris vehementia magna deſcendentis, & fragore urbium domorumque corruentium, nec ſatis credens iis quæ Angelus dixerat (unde Sap. 10. vocatur incredibilis ſeu incredula;) reſpexit poſt ſe, partim ex curioſitate, partim ex timore; ne & ipſam flamma involveret. Sed hunc ejus reſpectum ſtatim ſecuta eſt punitio. Ut enim ſequitur.

[ *Verſa eſt in ſtatuam ſalis*. ] Non quoad animam, ſed quoad corpus tantùm: & hæc ſtatua figuram habuit muliebrem, ipſius ſcilicet uxoris Lot: Sal autem fuit metallicum inſtar lapidis induratum, ita ut ne-

que pluviæ neque calores possint illud liquefacere: unde & Tertulliani tempore extabat, & etiam nunc extare putatur. Si quid autem vel pecora delambunt, vel homines destringunt, Tertullianus in Sodoma scribit hoc continuò renasci. Etsi verò hæc fuerit punitio inobedientiæ & incredulitatis; quidam tamen haud improbabiliter censent culpam mulieris non fuisse mortalem, sive propter vehementem animi perturbationem, sive quòd nesciret prohibitionem tam severè esse factam; Ac nihilominus ita graviter & subitò fuit punita, ad exemplum aliorum. Sed quare in salis statuam potius est conversa, quàm aliter punita. Judæi fabulantur quòd Lot petente salem in cœna hospitum, ipsa ex hospitalitatis odio illum negaverit. Sed Rabbinorum, hæc fabula est. Vera ratio esse videtur, ut quoniam sal est symbolum sapientiæ, isto exemplo doceremur quòd oporteat nos habere sapientiam, eamque peculiariter quæ in credendo & obediendo consistit, & in non resiliendo ab iis quæ benè cœpimus.

*Cur in statuam salis versa uxor Lot.*

[ ℣. 27. *Abraham autem consurgens manè*, ] Sequentis diei postquam Dominum pro Sodomitis rogaverat. cap. 18.

[ *Ubi steterat prius cum Domino*, ] Sensus est; Mane autem surgens Abraham, diluculo ivit ad locum in quo steterat prius (cap. 18. v. 22. cum Domino, id est, cum tertio Angelo qui specialiter Deum repræsentabat ac in Dei persona loquebatur. Ibique ex eminentiori aliqua parte loci,

[ ℣. 28. *Intuitus est Sodomam & Gomorrham* &c.] Non quòd urbes illas tunc adhuc stantes viderit, sed quoniam oculos circa istarum urbium loca direxit: Unde sequitur.

[ *Viditque ascendentem favillam de terra quasi fornacis fumum*. ] Significatur quòd loco urbium ac regionis earum, viderit inde ascendentem fumum flammæ & favillæ mixtum, sicut si quis videret ascendentem fumum vastissimæ alicujus fornacis.

[ ℣. 29. *Cùm enim subverteret Deus civitates regionis illius*, ] Scil. Pentapoleos. Non redditur hic ratio eorum quæ proximè præcedunt; sed aut vocula, *enim*, non habet vim causalem, sed idem valet quod *porro*; vel *autem*, conformiter 70. qui legunt, *Et factum est cùm disperderet Deus*, quo modo etiam sonant Hebræa; Aut significatur ratio illorum quæ remotius antecedunt, quare scilicet Deus liberavit Lot de incendio Sodomæ.

Si dicas, Lot propter suam justitiam fuisse liberatum, ut 2. Petri 2. videri potest indicatum. Resp. illam potuisse esse unam rationem, sed alia, eaque non minor fuerunt merita & preces Abrahæ. illud (*cum subverteret*) non accipitur propriè; (constat enim Lot fuisse liberatum prius quàm fieret subversio Sodomæ:) sed cum ampliatione, q. d. cum jam subversurus esset; Vel sub tempus subversionis.

[ *Recordatus Abrahæ*, ] Seu meritorum & petitionis ejus quam cap. 18. v. 23. & 25. fecerat, ne Deus perderet justum cum impio.

[ *Liberabit Lot de subversione urbium, in quibus*, ] Seu, in quarum una, nempe in Sodomis *habitaverat*, cap. 13. ver. 12.

[ ℣. 30. *Ascenditque Lot de Segor*, ] Quoniam Angelus solùm prohibuerat sancto Lot, ejusque comitibus ne post tergum respicerent dum essent in via, in qua nimium festinandum erat, fugaque acceleranda: cùm urbem Segor fuissent ingressi, Lot versus Sodomam aspexit; vidensque horribilem ignis & sulphuris pluviam per universam regionem vehementissimè cadentem, territus est tanti incendii magnitudine, & parum memor quòd Angelus ei asseruerat se conservaturum Segor; de illa exivit.

[ *Et mansit in monte*, ] Ad quem antea monitus fuerat se recipere, & putatur esse *Engaddi*.

[ *Timuerat enim manere in Segor* ] Vir sanctus judicio suo nimis indulget, & Angelicæ promissioni, non satis fidit: & hujus diffidentiæ fructus fuit secuta ebrietas cum incœstu.

[ ℣. 31. *Dixitque major* ] (Filia Lot)

[ *Ad minorem: Pater noster senex est*, ] Hoc allegat ad persuadendum opus esse festinato, ne vel pater moriatur vel ineptus fiat ad generandum.

[ *Et nullus virorum remansit in terra qui possit ingredi ad nos* ] Ita ipsæ existimabant, & propterea non desunt qui eas à peccato liberent, partim propter intentionis rectitudinem quæ ad humani generis conservationem & propagationem, non verò ad libidinem dirigebatur; partim propter ignorantiam invincibilem, vel etiam propter mysterium.

Sed B. Augustini lib. 22. contra Faust. cap. 42. & 43. sententia omnino videtur esse recipienda, qui filias illas simpliciter culpat, & dicit quòd potius numquam esse matres, quàm sic uti patre debuerunt; significans tamen quòd non tantùm peccaverint quantum si ardore libidinis id procurassent quod egerunt.

Confirmatur primò, quia commixtio filiarum cum patre est contra jus naturæ, id quod nec istæ filiæ videntur ignorasse, cùm non fuerint ausæ talem commixtionem patri proponere, ne quidem per modum consultationis; sed planè diffidentes quòd in eam esset consensurus, cum ebrio judicaverint illam esse perficiendam. Accedit quòd omnis quarumcumque personarum conmixtio carnalis extra matrimonium, sit etiam jure naturali illicita.

*Filiæ Lot peccaverunt.*

Confirmatur secundò, cura servandi propagandique generis humani non ad ipsas, sed ad ipsarum patrem pertinebat; illo igitur inconsulto nihil tentare debebant. Unde quòd putarent nullum virorum in terra superstitem, error erat inexcusabilis, qui facilè tolli poterat, vel diligenter investigando quid esset de urbe Segor in qua fuerant, vel patrem consulendo.

Ad motiva ergo opposita, & ad primum quidem Resp. intentionem boni finis posse interdum nonnihil extenuare culpam, non tamen eam tollere, quando ad finem illum eligitur medium ex se illicitum: quo modo istæ filiæ eligebant patris ebrietatem & incœstum; in quorum proinde utroque peccaverunt.

Ad 2. patet ex dictis eas non laborasse ignorantia invincibili, sed crassa.

Ad 3. Resp. Lot quidem, futuræ legis gestasse personam, quam quidam ex illa procreati, & sub lege positi, malè intelligendo quodammodo inebriant, eaque non legitimè utendo, infidelitatis opera pariunt, quemadmodum loquitur August. dicto cap. 42. sed non idcirco excusandæ sunt filiæ; quoniam etsi Deus mysterium istud intenderit, aliud tamen ipsæ intenderunt, ebrietatem videlicet & incœstum.

[ *Juxta morem universæ terræ*. ] Sive sicut in universa terra fieri consuevit ad generandum.

[ ℣. 32. *Veni, inebriemus eum vino*, ] Ut mentis impos id faciat, quod aliàs nollet facere.

Si quæras, unde haberent vinum. Resp. quòd secum asportaverant, vel de Sodoma, vel potiùs de Segor. Cùm enim scirent se ad montem ire; credibile est quòd vinum & alia victui necessaria emerint, secumque tulerint.

[ *Dormiamusque cum eo*, ] Honestè rem fœdissimam significant.

[ *Ut servare possimus ex patre nostro semen*. ] Sive, ut filios ex patre nostro habere possimus.

[ ℣. 33. *Dederunt itaque patri suo bibere vinum* ] Vel nimis copiosum, vel aromatibus, si qua secum attulerant ex Segor, conditum, ut esset fumosius.

[ *Et ingressa est major*. ] Prima nocte.

[ *At ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit:* ] Non quando accubuit, quia somno gravi, quem vinum copiosè potatum ei causabat, erat oppressus: nec quando surrexit, quoniam filia non cum patre mansit usque mane, sed post copulam cum eo habitam surrexit & abiit, ipso adhuc sopore oppresso. Quidam arbitrantur Lot benè sensisse copulam, sed non sensisse accessum neque recessum filiæ; ideòque quando mane evigilans reperit se esse solum in cubili; existimasse quòd fuisset merum somnium. Probabiliter nihilominus dici potest, quòd nec copulam senserit; ut scriptura sub extremis actionibus, quæ sunt accumbere & surgere, intelligatur comprehendisse omnia quæ ab illis puellis gesta sunt cum patre, & significasse totum illud negotium eo nesciente, nihilque sentiente esse peractum. Ita Cajet. Perer. Marius, Marzilla, & alii. Et confirmatur, quoniam experientia constat quòd dormientes possunt è lecto surgere, ambulare,

tacta

An & quatenus Lot ab inceſtu excuſandus.

tacta ſcandere, quædam de loco in locum transferre, & alia operari quæ facere ſolent vigilantes: cur non & copulam carnalem ſive cum virgine ſive cum alia, exercere?

Ex his intelligi poteſt quòd Lot ab inceſtu tam ſecundo quàm primo ſit excuſandus: quoniam ille non fuit ei voluntarius: neque in ſe neque in ſua cauſa, non in ſe, cum dormienti omninoque non ſcienti acciderit: non etiam in ſua cauſa, quia non poterat prævidere quod quippiam ejuſmodi ſibi in ebrietate eveniret. Unde Aug. lib.22. contra Fauſt. cap.44. ſcribit Lot eſſe quidem culpandum, non tamen quantum ille inceſtus, *ſed quantum illa merebatur ebrietas*. Fueritnè vero ebrietas Lot peccatum, ambigitur. Prior facilè excuſatur, quia non prævidit eam ſecuturam: Mœror enim & afflictio ipſi cauſa fuerunt, ut quamvis vel minus vel aliquanto plus ſolito biberet fatigatus ex itinere, atque ita ſiticuloſus, præter omnem ſuam expectationem inebriaretur. Poſterior aut ſimiliter eſt excuſanda; quoniam etſi pluſculum ſolito ad leniendam triſtitiam biberit, non putabat tamen ſe ex hoc inebriandum: neque ſcivit ſe prima nocte fuiſſe inebriatum, quia in profundiſſimum fortaſſe ſomnum partim ex potu, partim ex triſtitia incidit, priuſquam ſentiret caput turbari: Aut peccatum aliquod in ea poteſt agnoſci, ſed veniale, quod non omnem omnino circumſpectionem adhibuerit, quàm oportebat, etſi non multum in ea adhibenda defecerit.

[ ℣. 34. *Altera quoque die dixit major ad minorem:* ] Major filia Lot non tantùm peccavit, patrem inebriando & cum eo inceſtum committendo; ſed etiam ſorori ſcandalum dando, ei enim author fuit ut eadem faceret. Perpendenda hic pericula tum converſationis cum mulieribus, tum ebrietatis quæ plurimorum malorum eſt origo.

[ ℣. 35. *Peperitque major filium, & vocavit nomen ejus Moab:* ] Impudentiſſima fuit hæc filia, quæ inceſtum ſuum prodidit etiam in nomine quod filio impoſuit, Nam Moab idem valet quòd de patre quaſi ergo diceret, de patre meo illum genui.

[ *Ipſe eſt Pater Moabitarum uſque in præſentem diem.* ] Quo Moyſes hæc ſcribebat.

[ ℣. 36. *Minor quoque peperit filium, & vocabit nomen ejus Ammon,* ] Minor filia non fuit tam impudens quàm ſua ſoror, ſed honeſtius nomen filio ſuo imponit: Ammon enim idem eſt, quòd filius generis ſeu populi mei; atque ita ſignificavit quòd eum ex parentela ſua genuerit, non determinando tamen ex quali.

[ *Id eſt, filius populi mei:* ] Hæc verba non habet codex Hebræus, ſed expoſitionis cauſa fuerunt ab interprete addita. In Hebræo namque pro Ammon legitur, *Ben ammi;* cujus prior pars, *Ben*, ſignificat filium; poſterior; *Ammi*, idem valet quòd populus meus. Unde *Benammi*, idem eſt ac filius populi mei. Ammon autem dictum videtur per ademptionem ſyllabæ à Benammum, ſicut in nominibus compoſitis ſæpè accidit ut aliquid ab eis adimatur cauſa euphoniæ. Sic Jeroſolyma appellatur Solyma; Jeruſalem, Salem; Idumæa, Duma. Voluit autem Deus horum nominum impoſitione manere infamem memoriam originis Moabitarum & Ammonitarum, ne Iſraelitæ cum ais miſcerent connubia, prætextu cognationis.

## CAPUT XX.

*Dum Abraham peregrinatur in Geraris, uxor ei tollitur ab Abimelech: ſed Deo regem flagellante, ipſi redditur cum muneribus. Et orante Abraham domus regia ſanatur.*

[ ℣. 1. **P**rofectus inde Abraham ] Et convalle Mambre, ut ex initio cap.18. patet. Profectionis cauſa una fuit ex parte Abrahæ, quòd poſt conflagrationem Pentapoleos advertebat virulentas maris mortui exhalationes ſeu vento impellente ſeu aliter facilè loca vicina infeſtaturas, eaque fœtida & ſterilia ac peſtifera reddituras. Duæ ex parte Dei. Prior, ut multis doctrina & exemplo prodeſſet. Poſterior, ut reliqua terræ promiſſæ loca exploraret: Et ut quamvis ipſe non eſſet ea loca ſtabili habitatione poſſeſſurus, ſciret tamen quantæ hæreditatis ſpem ſuis poſteris relinquebat.

[ *In terram auſtralem,* ] Id eſt, quæ reſpectu convallis Mambre erat ad auſtrum. Quamvis enim Gerara eſſet in terra promiſſionis, erat tamen verſus Ægyptum; quòd autem Ægyptus ſit Auſtralis Judeæ, patet ex Dan.11. ubi regem Ægypti propheta vocat regem Auſtri.

[ *Habitavit inter Cades & Sur:* ] Quæ erant duæ ſolitudines, quarum una Ægypto jungitur, Cades verò uſque ad Saracenorum eremum extenditur, ait Hieron. in locis Hebr.

[ *Et peregrinatus eſt in Geraris.* ] Gerara (eodem Hieronymo teſte) erat civitas Metropolis Paleſtinæ ad auſtralem plagam.

Moraliter obſerva quòd exuſtis Sodomis, perſpectaque mundi miſeria longius ſit à mundi amore recedendum.

[ *Dixitque* ] Gerariitis ipſum interrogantibus, quid ad illum attineret mulier quam ſecum habebat.

[ *Soror mea eſt.* ] Sic loquendi cauſa fuit quòd Abraham à Gerariitis idem timeret quòd ab Ægyptiis cap.12. ut patet ex ſeqq. non autem quòd eos vel ſciret vel ſuſpicaretur malos, ſed tantùm quòd timeret.

[ *Miſit ergo Abimelech rex Geraræ,* ] Hieronymus in cap. 29. Ezechiel. Baſilius in Pſalm. 33. eumque illi ſecuti, Janſenius, & Bellarminus ſcribunt Abimelech (quod interpretatur pater meus rex, vel pater regis) eſſe nomen commune regibus Philiſtinorum, ſicut Pharao eſt commune regibus Ægypti. Hic ergo rex, cum ei nunciata fuiſſet ſumma pulchritudo Saræ, miſit,

In quem finem ſublata Sara.

[ *Et tulit eam.* ] Non ut fornicariè ea abuteretur, quemadmodum liquet ex v. 5. & 6. ſed ut ipſam acciperet in uxorem. Tulit autem eam, non volentem & ſpontaneam, ſed quo modo poterat reluctantem ac invitè patientem ſeparari ſe ab Abraham. Mirantur quidam quomodo Saræ nonagenariæ tanta fuerit pulchritudo. Sed Reſp. vel cum fœcunditate auctam ipſi fuiſſe pulchritudinem, ſicut legimus de Judith cum iret ad caſtra Holofernis, Judith 10. vel prioris ætatis pulchritudinem in ea manſiſſe illibatam, propter bonam corporis complexionem & continentiam; & quia nec parturitionibus nec lactationibus, fortaſſe nec morbis, fuerat vexata. Utrùm Sara jam concepiſſet, quæritur. Quamvis non pauci affirment: potius aſſentiendum videtur negantibus: quia non peperit, niſi anno poſt Angeli promiſſionem redeunte, cap.18. v.10. conflagratio autem Sodomæ ſtatim ab illa promiſſione contigit; paucis verò poſt conflagrationem diebus ex Sodomorum vicinia exivit Abraham, nec eſt ratio dicendi plures quàm novem menſes inter conceptum & partum interceſſiſſe.

[ ℣. 3. *Venit autem Deus* ] Seu Angelus à Deo miſſus.

[ *Ad Abimelech per ſomnium nocte,* ] Hinc duo colligi poſſunt. Unum quòd Deus ita ſuos probat, ut illos uſque ad pericula interdum ducat, non deſerat tamen, ſed cum humana deſunt auxilia, divina ſuppeditet iis qui ſpem ſuam non mutant ab eo. Alterum quòd Abimelech eſſet fidelis, Deum colens ac timens; quodque veriſimile ſit plures eo tempore familias, imò urbes ac regna veram Dei notitiam & cultum retinuiſſe.

Abimelech erat unius Dei cultor.

[ *En morieris* ] Hebr. mortuus es, ſeu reus mortis.

[ *Propter mulierem quam tuliſti: habet enim virum.* ] Ideòque non tibi licet eam vel retinere, vel uxorem ducere, Neque iſta prædictio falſitatis arguenda eſt ex eo quòd Abimelech non fuerit ob hanc cauſam mortuus, quia prædictio quam textus noſter importat, non erat abſoluta, ſed comminatoria, niſi redderet mulierem quam tulerat.

[ ℣. 4. *Abimelech verò non tetigerat eam,* ] Hoc additur, ne quis ſuſpicetur Iſaac quia iſto anno erat naſciturus, non ex Abrahamo, ſed ex Abimelech procedere. Cur non tetigerat, ratio petenda eſt ex v. 6. & 17.

[ *Et ait: Domine, num gentem ignorantem & juſtam* ] Hoc eſt, juſtè & inculpabiliter ignorantem.

[ *Interficies?* ] Quoniam Abimelech meritò poterat credere Abrahæ aſſerenti Saram eſſe ſuam ſororem, ac proinde probabiliter concludere non eſſe uxorem

(neque enim tenebatur suspicari quòd Abraham non acciperet vocabulum sororis propriè, & in pleno rigore:) ideo sine culpa ignorabat esse uxorem.

[ ℣. 5. *In simplicitate cordis mei, & mundicia manuum mearum,* ] Quasi diceret, non ex libidine vel incontinentia, sed recto sinceroque animo, & bona fide processi nesciens quòd haberet virum. Simplex enim pro recto ac sincero nullique noxio usurpatur.

[ ℣. 6. *Dixitque ad eum Deus; Et ego scio quod simplici corde feceris:* ] Quare ergo ipsum punivit? Resp. quia etsi sciret illum esse innoxium ab adulterio, nec voluisse abripere uxorem à marito, non erat tamen ab omni injuria innoxius, cùm non sit verisimile ipsum ignorasse quòd Sara reluctans ad se esset adducta, & etiamnum detineretur in vita.

[ *Et ideo custodivi te, ne peccares in me,* ] Ne eam cognosceres, sicque adulterium, saltem materiale committeres. Peccare enim aliquando dicitur, qui materialiter tantùm peccat, præsertim quando ex se injustum est id quod agit, quamvis non injustè agat.

[ ℣. 7. *Nunc ergo redde viro suo uxorem, quia propheta est:* ] Sive, quia est vir eximiè justus, qui etiam multa propheticè prænoscit propter magnam cum Deo familiaritatem.

Particula rationalis, quia, optimam dat rationem præcedentem; quoniam etsi etiam illis qui prophetæ non sunt oporteat ea reddere quæ ad ipsos pertinent; major tamen est ratio cur prophetis reddenda sint quæ sunt eorum, quia scilicet Deus magis eos diligit, paratiorque est ad vindicandas injurias eis illatas. Unde Psalm. 104. *Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* De quibus est etiam illud Zach. 2. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.*

[ *Et orabit pro te,* ] Ut cesset plaga & morbus quo laboras.

[ *Et vives:* ] Hoc est, sanaberis, & ex illo morbo non morieris. Confer vers. 17.

[ *Si autem nolueris reddere, scito quòd morte morieris tu, & omnia quæ tua sunt,* ] Peccante rege Deus (Deus punit aliquando regem in subditis ejus.) justè potest non tantùm ipsi, sed ejus quoque subditis pœnam inferre, tum quia subditi frequenter vel cooperantur vel consentiunt peccatis suorum regum; tum quia Deus qui est supremus dominus unumquemque potest pœna temporali punire in iis, quæ ad ipsum pertinent, sicut judices possunt reum punire in bonis fortunæ ad eum pertinentibus; subditi autem pertinent ad regem tamquam aliquid ejus.

[ ℣. 8. *Statimque de nocte consurgens Abimelech,* ] Visio jam descripta non vigilanti, sed dormienti Abimelech facta est, ut habetur vers. 3. ac per consequens ejus phantasiæ tam vehementes species Deus seu Angelus impressit, ut & audire & respondere sibi videretur omnia quæ in ea referuntur. Quemadmodum verò aliqua somnia ita sunt terribilia, ut veras lacbrymas excitent, & interdum tanta sequitur anxietas, ut ex illis homo evigilet, operatique incipiat; sic in Abimelech motus phantasiæ fuit tam terribilis & tam fortis, ut ad eum excitaretur, benèque intelligeret somnium non fuisse naturale, sed divinitus immissum. Magna autem commendatur istius regis promptitudo & diligentia ad obediendum Deo, qui statim de nocte surrexit ad mandatum ejus exequendum. Cùm dicitur, de nocte, nox pro extrema parte noctis ponitur, perinde ac si diceretur, summo mane, ut sonant Hebræa; vel mane diluculo, ut 70.

[ *Vocavit omnes servos suos;* ] Ut per eos exequeretur quæ sibi erant mandata.

[ *Et loquutus est universa verba hæc in auribus eorum,* ] Ut scirent quomodo Deus comminabatur mortem toti familiæ, & non solùm personæ regis.

[ *Timueruntque omnes viri valdè.* ] Agnoscentes quòd & regis infirmitas, & familiæ plaga essent à Deo immissa; quòdque ipse omnes illos citò destruere posset.

[ ℣. 9. *Vocavit autem Abimelech etiam Abraham,* ] Et expostulando se velut de injuria conquerendo.

[ *Et dixit ei: Quid fecisti nobis? quid peccavimus in te,* ] Quid mali tibi fecimus ut nobiscum sic ageres? neque enim sic agere debuisti, nisi in alicujus magni mali quod tibi intulerimus, vindictam.

[ *Quia induxisti* ] Quantum est ex parte tua occasionem dedisti ut induceretur: vel, parum abfuit quin induceres.

[ *Super me & super regnum meum peccatum grande?* ] Nimirum adulterii, & pœnæ gravis quæ fuisset subsecuta. Quamvis enim fuisset tantùm materiale adulterium durante ignorantia invincibili, rectè tamen vocatur peccatum grande; partim quia secundùm se seu ex suo genere tale est; partim quia ut humana est fragilitas & cupiditas, non defuit veri adulterii periculum. Si enim Deus non impedivisset, verisimile est quòd Abimelech voluisset cognoscere Saram; neque ipsi credidisset asserenti se esse matrimonio junctam alteri. Addit autem, *Et super regnum meum;* quia ut supra monuimus, interdum puniuntur peccata regum in eorum subditis.

[ ℣. 10. *Quid vidisti?* ] Quæ signa injustitiæ & libidinis in hac gente vidisti? quid causæ habuisti, quæ ad sic agendum te moveret?

[ ℣. 11. *Respondit Abraham: cogitavi mecum,* ] Quasi diceret, nulla equidem in vobis malitiæ signa videram, imò nec vos noveram, sed apud me cogitavi.

[ *Dicens: forsitan non est timor Dei in loco isto:* ] Forsitan, hîc est dubitantis: dubitando namque hoc dixerat, non affirmando: neque id mirum, cum prophetæ non omnia norint, sed ea solùm quæ ipsis revelantur. Timor Dei intelligitur filialis, qui cultum & reverentiam importat: Ideo namque pro timore Dei, 70. habent θεοσέβεια, seu cultus Dei: & sensus est: Forte in isto loco Deum non colunt nec reverentur.

[ *Et interficient me propter uxorem meam:* ] Si faterer esse meam uxorem, simul me interficerent, ut ea liberius uterentur:

[ ℣. 12. *Aliàs autem,* ] Sed etsi non habuissem hanc causam occultandi quòd sit mea uxor: Nihilominus absque mendacio dicere potui esse sororem. Nam

[ *Verè soror mea est,* ] Juxta morem gentis, quæ neptes & cognatas vocat sorores; & nepotes ac alios consanguineos, fratres, ut dictum c. 13.

[ *Filia patris mei, & non filia matris meæ,* ] Quidam hinc opinati fuerunt Saram fuisse sororem Abrahæ propriè dictam, utpote natam proximè ex eodem patre, scilicet Thare, licèt ex diversa matre; consequenter dicentes licita fuisse tunc temporis conjugia fratrum & sororum inter se, modò non essent ex eadem matre. A qua sententia non abhorret S. Hieron. ad hoc cap. scribens in excusationem Abrahæ, necdum illo tempore tales nuptias lege prohibitas. Sed longè verisimilius (Sara non fuit propriè dicta soror Abrahæ.) est fratrum & sororum propriè dictarum conjugia omnia, præterquam initio mundi, fuisse semper illicita, & jure naturæ irrita, quemadmodum ostendimus Supplem. qu. 54. art. 3. Unde Aug. l. 15. de civit. cap. 16. *Cùm genus humanum opus haberet ut gignendo multiplicaretur, nec essent ulli homines nisi qui ex illis duobus nati* (Fratrum & sororum cõjugio jure naturæ irrita.) *fuissent, viri sorores suas conjuges acceperunt, quod profectò quanto est antiquius compellente necessitate; tanto postea factum est damnabilius prohibente religione.* Et l. 22. contra Faust. cap. 35. scribit quòd Abraham eo tempore viveret in rebus humanis quo jam fratres ex ex utroque aut ex altero vel altera parente natos ejecti conjugio non licebat. De S. Hieronym. incertum est an assertivè, & ex sua sententia id scripserit super Genes. cap. enim 8. contra Helvidium hoc habet pro absurdo, vultque Saram vocatam fuisse sororem Abrahæ, propter cognationem: *Alioquin* (ait) *quale est ut Abraham vir justus; patris sui filiam conjugem sumpserit: cum in primis hominibus propter aurium sanctitatem, id ipsum scriptura non nominet, malens intelligi quàm proferri* &c. Accedit quòd alioqui non valuisset excusatio Abimelech probantis se innocentem & prorsus ignatum matrimonii Saræ, ex eo quòd putaret ipsam esse sororem Abrahæ. Imò si conferatur hoc cap. cum historiis cap. 12. & 26. manifestè apparebit eum fuisse communem sensum gentium, quòd soror propriè dicta non poterat esse uxor sui fratris. Ad præsentem verò locum Respond. Abraham dicere quòd Sara est filia patris sui, nimirum Thare, quia erat ejus neptis (erat enim filia Aran filii Thare & fratris Abrahæ, & non filia matris suæ, quia Aran pater Saræ non erat genitus ex eadem matre ex qua

Abraham;

Abraham: Thare enim duas uxores habuit; ex quarum una genuit Abraham; ex alia Aran & Lot.

[ ℣.13. *Postquam autem eduxit me Deus* ] Hebr. errare seu peregrinari fecerunt me dii: Nam Elohim etsi soleat reddi in singulari cum sermo fit de Deo, est tamen plurale, voluntque hic insinuatam personarum pluralitatem. Vide quæ diximus cap. 1. Genes. Sensus est, postquam Deus jussit ut stabili domicilio relicto, huc illud terram lustrando, peregrinarer, erroris seu vagabundi instar.

[ *Dixi ad eam : Hanc misericordiam facies mecum :* ] Sive, hoc beneficium præstabis mihi. 70. justitiam reddiderunt, considerantes quòd justum erat ut uxor sic misereretur sui mariti.

[ *In omni loco, ad quem ingrediemur* , ] Si non constet quòd ibi possim tutò vocari maritus tuus.

[ *Dices quòd frater tuus sim.* ] Idque sine mendacio; cum tibi sim consanguineus, id quod etiam fratris vocabulo significari solet.

[ ℣.14. *Tulit igitur* ] Seu adduxit, vel adduci fecit.

[ *Abimelech oves & boves, & servos & ancillas, & dedit Abraham :* ] Ut qui priùs uxorem alienam abstulerat, jam sua largiretur in læsionis satisfactionem. Septuaginta hic addunt Abimelech dedisse Abrahamo mille didrachmas, quod cum non hic habeatur in Hebr. sed versu tantùm decimo sexto; inde huc irrepsisse videtur.

[ ℣. 15. *Et ait : Terra coram vobis est , ubicumque tibi placuerit, habita.* ] Quasi diceret, terra nostra in parte tua est, habita in quocumque loco libuerit.

[ ℣. 16. *Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo* , ] Seu ei quem vocas fratrem, cum sit maritus. Pro argenteis quorum singuli æquivalebant siclo, seu floreno monetæ belgicæ; 70. habent didrachmas, scilicet Hebraicas, quæ continebant, quatuor drachmas Atticas seu quatuor regales hispanicos, sicque didrachma in valore est idem quod argenteus vel siclus.

[ *Hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, & quocumque perrexeris :* ] Hoc quod Abrahæ in usum tuum dono, erit ut emas velum quo oculos vultumque tuum veles apud eos qui tecum familiariter versantur, ac etiam apud quoslibet alios quocumque ieris; ne si aperta facie te viderint, pulchritudine tua illecti, te à marito avellant sicut ego, & innuptam esse suspicentur.

[ *Mementoque te deprehensam;* ] In simulatione qua ut celares esse maritum, vocabas fratrem; & discas deinceps loqui sine sermonis ambiguitate. Quidam legunt reprehensam: sed nihil est quod à lectione vulgata cogat recedere: quamquam satis reprehensa fuit verbis Abimelech.

Ut punitus Abimelech & ejus uxor.

[ ℣. 17. *Orante autem Abraham , sanavit Deus Abimelech* , ] Hinc intelligi potest verum esse quod narrat Josephus l.1. Antiquit. c. 12. Abimelech gravi morbo fuisse percussum, & ita impeditum ne Saram cognosceret.

[ *Et uxorem , ancillasque ejus , & pepererunt :* ] Videre hic licet quantum valeat justi oratio: quidni ergo & sanctorum in cœlo regnantium orationes pro nobis?

[ ℣.18. *Concluserat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech* ] Eam ita coarctando, ut quæ erant gravidæ, non possent fœtum conceptum emittere: Aliæ verò non possent concipere; imò nec à viris cognosci, fuit ergo plaga hæc sterilitatis, at non nudæ: nuda enim sterilitas non potuisset tam exiguo tempore deprehendi.

[ *Propter Saram uxorem Abrahæ.* ] In Hebr. super, vel propter verbum Saræ. Verbum pro re ponitur; & verbum Saræ, est res contra Saram commissa. Observandum quòd Sara bis ablata Abrahæ, semel à Pharaone rege Ægypti; deinde ab Abimelech, figura fuit duarum captivitatum vel servitutum populi Hebræi, unius Ægyptiacæ, alterius Babylonicæ. Quòd autem Sara in ætate senili pulchra esset ac amabilis, significavit pulchritudinem divinæ religionis, quæ etiam cum Judæi captivitate opprimerentur, amabilis & honorabilis fuit.

## CAPUT XXI.

*Isaac nascitur , circumciditur , & ablactatur ; Ismael & Agar domo pelluntur : quam Angelus consolatur in deserto. Abimelech fœdus percutit cum Abraham.*

[ ℣.1. V*isitavit autem Dominus Saram sicut promiserat :* ] Potest visitatio generaliter intelligi pro collatione beneficii, in quantum Deus dedit Saræ ut conciperet ac pareret; simul tamen accipienda videtur pro ea visitatione corporali qua Angelus jussu Dei venit ad Saram, vel paulo ante partum, vel statim post, secundùm quod cap. 18. dixerat, *Revertens veniam ad te tempore isto* ; Et postea, *Juxta condictum revertar ad te hoc eodem tempore vita comite , & habebit Sara filium.*

[ ℣. 2. *Concepitque & peperit filium in senectute sua,* ] De senectute Saræ sermo esse videtur. Plures tamen ad senectutem Abrahæ referunt; & sua, pro ejus, positum volunt, conformiter textui Hebræo qui sic habet: *Et concepit & peperit Sara ipsi Abraham filium in senectute ejus ;* quod & noster interpres intelligi potest significasse, in quantum scripturæ sacræ mos est, ut mulieres dicantur filios parere suis viris: unde statim versu 3. dicitur *quem genuit ei Sara* : & versu 7. *quem peperit ei jam seni* . Ac rursum cap. 24. vers. 24. 36. 47. & alibi. Confirmari potest hæc interpretatio, quoniam dum subditur.

[ *Tempore quo prædixerat ei Deus.* ] Relativum ei refert Abraham, cui cap.17.v.21.& cap.18. ver.10. 14. prædictum fuerat, quòd tali tempore haberet Sara filium.

[ ℣.3. *Vocavitque Abraham nomen filii sui , quem genuit ei Sara Isaac :* ] Quod interpretatur risus. Riserat enim pater cap.17. quando ei promissus fuit, admirans præ gaudio, atque etiam posteà cap.18. mater, dubitans de gaudio.

[ ℣. 4. *Et circumcidit eum octavo die , sicut præceperat ei Deus :* ] Cap.17.

[ ℣. 5. *Cum centum esset annorum :* ] illud, sicut præceperat ei Deus, per parenthesim legendum est: Nam quod sequitur, *cum centum esset annorum*, non refertur ad verbum præceperat, sed ad circumcidit: unde additur. Hæc significat risum.

[ *Hac quippe ætate patris , natus est Isaac.* ] Tropologicè observa quòd si fueris perfectus (centenarius enim cum sit numerus perfectus, est nota perfectionis) nascetur tibi Isaac, id est, risus seu lætitia & hæreditas vitæ æternæ.

[ ℣. 6. *Dixitque Sara : Risum fecit mihi Deus :* ] Ingens gaudium mihi præstitit, in tantum ut etiam risus extra prodeat.

[ *Quicumque audierit , corridebit mihi* , ] Seu mihi congratulabitur & arridebit. Antea riserat cap.18. quasi incredula, nunc risit gratulabunda.

Allegoricè Sara est typus B. Mariæ Virginis cui Deus risum & exultationem fecit, quando verum Isaac peperit, Christum Jesum, qui erat semen illud in quo benedicendæ erant omnes gentes.

[ ℣. 7. *Quis auditurum crederet Abraham* , ] Ita legendum, non autem quis auditurus, neque quis auditorum. Sensus est, quis ante hac credidisset Abraham aliquando fuisse veraciter auditurum.

[ *Quòd Sara lactaret filium , quem peperit ei jam seni ?* ] Si tantùm peperisset Sara, potuisset esse suspicio fœtus suppositititii; sed cum ea quæ semper fuerat sterilis, ipsamet filium lactaret, nulla remanebat ratio dubitandi. Exemplum hinc sumere debent matres etiam nobiles, non dandi filios suos nutricibus, sed eos lactandi per seipsas, qua de re videri possunt Ambrosius l. 1. de Abraham cap.7. & dudum antea Aulus Gellius Noctium Attic. l.12. c.1.

[ ℣. 8. *Crevit igitur puer* , ] Dum lactaretur à matre.

[ *Et ablactatus est :* Seu à lacte abstractus, ut cibis solidioribus deinceps nutriretur. Quo ætatis anno fuerit à lacte abstractus, incertum. Probabile est

quòd puerorum ablactatio soleret fieri anno quinto vel circiter, quando hominum vita erat longior, sicut anno tertio quando facta est brevior 2. Machab. 7.

[ *Fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis ejus* . ] Convivii causa erat gaudium de vita pueri, atque etiam ut convivæ viderent; & alii passim intelligerent ex lactatione Saræ, partum fuisse verum & non supposititium. Cur autem potius in ablactatione quàm in nativitate; ratio videtur esse ut laudabilem eorum inter quos vivebat, consuetudinem observaret: Ipsi autem in ablactatione potius instruebant convivia, quia tempore nativitatis incertum adhuc est, an proles futura sit vitalis; in ablactatione autem, quando jam est ad solidiores cibos idonea, major est spes.

Cur in ablactatione convivium.

Allegoricè quando Christum populum Judaicum à lacte veteris legis, ad solidum Evangelii cibum traduxit, fecit ei grande convivium corporis & sanguinis sui in cœnaculo grandi Marci 14. & tropologicè spiritualiter gaudendum est, quando Ecclesiæ filii sic in divinis proficiunt, ut non amplius sit eis lacte opus, sed solido cibo, ad Hebr. 5.

[ ℣. 9. *Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo*, ] Hæc posteriora, *cum Isaac filio suo*, non habentur in Hebræo, sed ex sequentibus facilè subintelliguntur: quæ causa putatur esse, cur septuaginta Interpretes (apud quos reperiuntur) ea addiderint, si tamen primitus in Hebr. non fuerint. Vox Hebræa, pro qua habemus ludentem, etiam significat illudentem & subsannantem: Unde August. tom. 10. Fragm. 22. *Illa lusio, illusio erat. Illa lusio deceptionem significabat. Persecutionem illam vocat Apostolus*, scilicet ad Gal. 4. ubi ad hanc historiam respiciens, scribit quòd is qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundùm spiritum. Præsentis igitur scripturæ sensus est, quòd Ismael ludebat cùm Isaac, ipsum vexando, percutiendo, ac durè tractando, ægrè ferens quòd cum esset longè junior, diceretur tamen futurus hæres & jura primogenituræ habiturus. Ita subinde ludum in sacris literis usurpari pro pugna & tractatione dura, liquet ex 2. Reg. 2. *Surgant pueri, & ludant*. Itemque ex Ecclesi. 47. *Cum leonibus lusit quasi cum agnis*, si hoc conferatur cum cap. 17. l. 1. Reg. vers. 34. & 35. Ludum hunc Apostolus accommodat malis Judæis qui suo tempore persequebantur Christianos. Potest etiam moraliter accommodari ad nostros hæreticos qui licèt aliquando benignius agant cùm Catholicis, & quasi ludant cum illis, statim tamen ludum vertunt in persecutionem, & opprimere satagunt, quos videbantur mulcere.

Quis ludus Ismaelis cũ Isaac.

[ *Dixit ad Abraham*: ℣. 10. *Ejice ancillam hanc, & filium ejus*: ] A domo tua, divino spiritu mota hæc dixit; quemadmodum ex versu 12. potest intelligi; partim metuens, ne Isaac malos asperosque mores Ismaelis ex diuturniori conversatione imbueret; partim prævidens alioquin futurum: quòd Ismael pergeret durè tractare Isaac, & conaretur hæreditatem adire. Ideò namque subjicit, *Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac*.

At cur Sara non de solo Ismaele loquitur, sed etiam de Agar? quoniam ipsa erat conscia asperitatis & petulantiæ filii sui, nec tamen impediebat; periculumque erat, ne ipsa filium incitaret ad jura primogenituræ capessenda.

Allegoricè ejecto Agar & filio ejus significat ejectionem synagogæ & Judæorum, qui nostrum Isaac, id est, Christum persecuti sunt.

[ ℣. 11. *Durè accepit hoc Abraham pro filio suo*. ] Sive, hoc vehementer displicuit Abrahæ propter suum filium qui erat primogenitus, à Deo benedictus, & de quo erat promissum cap. 17. quòd in gentem magnam esset futurus. Sed & propter Agar doluit Abraham, ut patet ex vers. 12. quia erat ejus uxor legitima, cui idcirco debebat alimoniam, & ea quæ sunt conjugii. Potuit nihilominus Abraham dimittere illam ejusque filium, partim ob culpam utriusque; partim quia intellexit talem esse Dei voluntatem. Fuit autem hæc dimissio, quoad thorum & habitationem, non quoad vinculum, ac proinde Agar non poterat ad alias nuptias transire.

Ejectio Agar non fuit dimissio quoad vinculum.

[ ℣. 12. *Cui dixit Deus*: *Non tibi videatur asperum super puero & super ancilla tua*: ] Hæc nocte dicta esse patet ex vers. 14. utrùm autem in somnis per visionem, non liquet.

[ *Omnia quæ dixerit tibi Sara*, ] Quòd hanc ejectionem.

[ *Audi vocem ejus*: *quia in Isaac vocabitur tibi semen*. ] Et non in Ismaele: si autem Ismael domi maneret, cum ipse sit primogenitus, propagatio nominis & familiæ tuæ potius videretur pertinere ad Ismaelem, quàm ad Isaac. Sed Ismaelis ejectio faciet ut solus Isaac tibi succedat in hæreditatem, solaque ipsius progenies vocetur semen & posteritas Abrahæ. Non negat Deus Ismaelem esse semen Abrahæ, neque dicit (id quod ad Ismaelis exclusionem videri posset pertinere) Isaac erit semen tuum; sed *in Isaac vocabitur tibi semen*: Nam quòd Ismael sit semen Abrahæ, disertis verbis ei dicit Deus versu 13. De Isaac autem peculiariter ait quòd in illo vocabitur semen Abrahæ: quia Isaac erat is cujus solius posteri vocandi erant filii Abrahæ, & ex quo nasciturum erat semen benedictum, Abrahæ promissum, seu illud in quo benedicendæ sunt omnes gentes, id est; Christus: Qui autem erant ab Ismaele nascituri, non erant vocandi filii Abrahæ, neque ex eis oriturum erat semen benedictum, sed appellandi erant vel à patre Ismaelitæ; vel à matre Agareni, aut etiam Saraceni. Allegoricè quoque in nostro Isaac, hoc est in Christo, qui filius & Abrahæ per Isaac, nos fideles vocamur filii Abrahæ per fidem fideique ejus imitationem, & consequenter filii Dei, & hæredes vitæ æternæ.

[ ℣. 13. *Sed & filium ancillæ*. ] Ismaelem, quamvis nolim eum esse tuum hæredem.

[ *Faciam in gentem magnam*, ] Ut gentes multæ & magnæ ex ipso procedant, sicut promissum fuit cap. 17. vers. 20.

[ *Quia semen tuum est*. ] Seu filius ex te genitus, etiamsi neque ab illo propagandum sit nomen tuum, neque ex eo descensurum sit semen benedictum.

[ ℣. 14. *Surrexit itaque Abraham mane*, ] Noctem illam sequentem, in qua Deus ei significaverat ut dimitteret Agar.

[ *Et tollens panem & utrem aquæ, imposuit scapulæ ejus*, ] Illa ipsa videlicet quæ ei dedit. Septuaginta conformiter Hebræis videntur velle quòd Abraham imposuerit puerum humeris Agar; sic enim habent, *sumpsit panes & utrem aquæ, & dedit Agar, & imposuit super humerum ejus, & puerum*. Sed Hieronymus in qq. Hebr. Aug. qu. 53. in Genes. & alii rectè docent, quòd in ea lectione post, *puerum*, subaudiendum sit verbum *dedit*; hoc sensu: Posuit Abraham panes & utrem super humerum Agar, & hoc facto dedit puerum matri, hoc est, in manus ejus tradidit, eique commendavit, & ita emisit domo. Cui sensui quadrat nostra versio in qua sequitur.

Agar non portavit Ismaelem.

[ *Tradiditque puerum*, ] Et Confirmatur, Ismael jam erat annorum plus quam sedecim: quo modo igitur credibile est, quòd mater eum humeris portaret & quidem onusta panibus & utre aquæ?

At quæres, cum Abraham esset dives, puerumque & matrem ejus diligeret, quare non plura ipsis dedit. Resp. quia certus erat de divina promissione jam versu 13. repetita; & ideo satis esse putavit ipsis dare ea quæ proximè, seu paulòpost erant necessaria, confidens Deum cætera eis curaturum, ut statim fecisse legitur, & sperans etiam plura postmodum ipsemet dare, quod cap. 25. factum dicitur.

Cur Abraham tam pauca dederit Agar.

[ *Quæ cum abiisset, errabat* ] Seu vagabatur.

[ *In solitudine Bersabee*. ] Ita per anticipationem hic vocatur ista solitudo: nam postea demum, ut ex versu 31. patet, istud nomen accepit. Quamquam & dici potest Moysen eam ita hoc loco vocasse, quia sic vocabatur eo tempore quo scribebat.

[ ℣. 15. *Abjecit puerum* ] Solet quæri, quo modo mater abjecit puerum, si non ab ipsa humeris portabatur? Resp. Aug. q. 54. intelligendum esse quòd projectus fuerit non à portante, sed ab animo tamquam moriturus. Neque enim humeris portabatur qui Psal. 30. dixit, *Projectus sum à facie oculorum tuorum*. Abjecit ergo, quia eum deseruit, ejus tamquam omnino jam morituri cura abjecta.

[ *Sub-*

[ *Subter unam arborum*, ] Septuaginta subter unam abietem, non reddentes scilicet verbum, sed ex traditione veteri rem explicantes. Vel vox Hebræa non tantùm significat virgultum in genere, sed etiam abietem.

[ ℣. 16. *Seditque è regione procul quantum potest arcus jacere.* ] August. q. 54. scribit intelligendum esse quod scriptura tacuit, ita discessisse matrem à filio, ut puer ignoraret quò mater abiisset; & eam in sylvestribus stirpibus latuisse; ne filium siti deficientem videret.

[ *Levavit vocem suam & flevit.* ] De Agar hæc dicuntur, quamquam & puerum flevisse satis indicant sequentia, ubi dicitur.

[ ℣. 17. *Exaudivit autem Deus vocem pueri*: ] Nempè flentis & Deum invocantis.

[ *Vocavitque Angelus Dei Agar de cœlo*, ] Nimirum aereo, ex quo apparebat specie visibili.

[ *Dicens: Quid agis Agar? Noli timere*: ] Cur velut desperabunda vagaris & ejulas? Crede firmiter divinæ promissioni ( quæ refertur cap. 16. & 17. ac etiam in præsenti ) noli timere mortem filii. Ejus vita est Deo curæ, Non morietur siti.

[ *Exaudivit enim Deus vocem pueri* ] Clamantis & orantis.

[ *De loco in quo est* ]

[ ℣. 18. *Surge, tolle puerum*, ] Præ sitis vehementia languidum, penèque exhaustum.

[ *Et tene manum illius*: ] Puerum erige, manum ejus apprehendendo. Quidam codices Septuaginta conformiter Hebræis legunt, *tene illum manu tua*, ut non de manu pueri, sed de manu Agar sermo sit: At alii etiam 70. interpretum libri, & cum eis Chrys. hom. 46. & Hier. in qq. Hebr. manifestè loquuntur de manu pueri. Quæ varietas conciliari posse videtur, si illud *tene illud manu tua*, sic intelligatur; illum seu illius manus apprehende manu tua.

[ ℣. 19. *Aperuitque oculos ejus* ] Nimirum Agar: hoc est, fecit ut id quod antea ( oculis licèt apertis ) ipsa non videbat, jam videret & adverteret: simili ferè modo quo cap. 3. de Adam & Eva dicitur: *Aperti sunt oculi amborum*; & de discipulis Christi Luc. 24. *aperti sunt oculi eorum*. Nam fons seu aquæ scaturigo quem jam vidit, antea ibi erat, sed ab Agar mœrore turbata non videbatur, seu non advertebatur. Hoc autem fecit Deus per Angelum, seu Angeli ministerio; ideoque non potest vel hinc, vel ex similibus locis concludi quòd in veteri testamento semper apparuerit secunda Trinitatis persona.

Allegoricè significatur, quòd Judæis ab Ecclesia profugis & errabundis in fine mundi Deus ostendet aquam vitæ, veramque sapientiam.

Moraliter autem discimus quòd etiam in rebus naturalibus indigemus Dei auxilio; sed quantò magis in supernaturalibus?

[ ℣. 20. *Et fuit cum eo*: ] Scilicet puero Deus, ut Hebræa & 70. exprimunt. Sive, Deus puerum juvit, ejusque conatibus favit; unde fabulosum meritò videri potest quod hebræi dicunt Ismaelem duxisse vitam latrociniis infamam.

[ *Factusque est juvenis sagittarius.* ] Id est, venationi & ferarum sagittationi vocavit à juventute.

[ ℣. 21. *Habitavitque in deserto Pharan*, ] Quod est trans Arabiam ad plagam Australem, ab urbe Pharan sic denominatum.

[ *Et accepit illi mater sua uxorem de terra Ægypti.* ]

Matrimonium de parentum consensu ineundum.

Naturali amore quisque afficitur suæ nationi: & hinc est quòd Agar Ægyptia cupivit habere nurum Ægyptiam. Simul autem adverte quo modo Ismael etsi homo ferus, ut dicitur capit. 10. morem gesserit matri in docenda uxore; cujus exemplum Christianos eos pudefacit, qui contra parentum voluntatem rationabilem uxores accipiunt.

[ ℣. 22. *Eodem tempore dixit Abimelech, & Phicol Princeps Exercitus ejus*, ] Septuaginta interponunt, *Hochozath*: sed abest in Hebræo, & videtur hic apud 70. insertum ex cap. v. 26. Abimelech esse nomen commune regum Palæstinorum seu Philistinorum, diximus cap. 20. hic tamen idem ille intelligitur, cujus historia ibi fuit descripta, fœderis autem præsentis occasio fuisse videtur, quòd multiplicatis Abrahæ pecoribus, servi Abimelech sive invidia, sive quocumque alio pravo affectu stimulati sæpè rixabantur cum servis Abraham; ex quo Abimelech majora mala timuit regno suo, nisi fœdus iniret; præsertim cum etiam adverteret Deum peculiariter esse fautorem, adjutorem, & tutorem Abrahæ, unde addit.

[ *Deus tecum est in universis quæ agis.* ] Hoc est, Deus tibi favet teque adjuvat in omnibus.

[ ℣. 23. *Jura ergo per Deum, ne noceas* ] Seu quòd non nocebis.

[ *mihi*, ] Sunt qui nostrum interpretem hic carpant, velut non assecutum energiam sermonis Hebræi, qui habet; quòd non mentiaris mihi, vel si mentiaris mihi: quasi diceret, jura quòd si mentiaris mihi, hæc faciat tibi Deus, seu ultionem severam in te exerceat: At eam energiam optimè est assecutus. De illo quippe mendacio sermo est, quod consistit in facto, perinde ac si diceret: Jura quòd fidem & amicitiam nostram non violabis, ac per consequens quòd neque mentieris neque nocebis mihi. Amicitiam enim & fidem violare, est mentire & nocere.

[ *Et posteris meis, stirpique mea*: ] In Hebr. legitur, *& filio meo & nepoti meo*; unde quidam volunt Abimelech in isto pacto solùm respexisse ad suam tertiam generationem, ideoque Judæos nihil fecisse contra hujusmodi pactum, quando postea afflixerunt Palæstinos. At noster interpres eam restrictionem videtur excludere, generaliter exprimens posteros & stirpem, quemadmodum & 70. dicentes, *semen & nomen*. Neque repugnat lectio Hebræa: illud enim ( *nepoti meo* ) intelligi potest idem valere quod nepotibus seu posteris meis. Ad afflictionem Palæstinorum postea per Judæos factam quod attinet. Resp. eos non fuisse posteros Abimelech, sed advenas qui posteros ejus expulerant. Vide cap. 2. Deut. v. 23. Quidam graviter reprehendunt interpretes 70. quòd pro stirpe nomen posuerint: sed perperam. Sicut enim delere nomen alicujus, est posteritatem & memoriam ejus delere; Num. 27. v. 4. & alibi; ita lædere nomen est lædere posteritatem. Adde quòd 70. utrumque posuerint, & semen & nomen.

[ *Sed juxta misericordiam, quam feci tibi*, ] ( Cap. 20. ver. 14. )

[ *Facies mihi, & terræ* ] Seu posteris meis & habitatoribus ejus terræ.

[ *In qua versatus es advena.* ]

[ ℣. 24. *Dixitque Abraham: Ego jurabo.* ] Quod nimirum postulas, quamvis ad id præstandum non valde tenear, ex quo servi tui non modicam injuriam mihi intulerunt, necdum reparatam.

[ ℣. 25. *Et increpavit* ] Scilicet Abraham, [ *Abimelech* ] regem. Patet hic intellectus tum ex contextu, tum ex Hebræis & Græcis codicibus.

[ *Propter puteum aquæ quem vi abstulerant servi ejus.* ] Hujus rei nulla est in superioribus mentio. Foderant eum puteum servi Abrahæ, & postea servi Abimelech sibi eum usurparunt, prohibitis eo uti Abrahæ servis. De quo Abraham meritò expostulat, ob magnam aquæ vivæ penuriam, quæ in illa regione erat.

[ ℣. 26. *Responditque Abimelech: Nescivi quis fecerit hanc rem*: ] Ideoque excusandus sum.

[ ℣. 27. *Tulit itaque Abraham oves & boves, & dedit Abimelech*: ] Partim ut illum istis muneribus honoraret; partim ut puteum ablatum facilius recuperaret.

[ *Percusseruntque ambo fœdus.* ] Juxtà postulationem Abimelech.

[ ℣. 28. *Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum.* [ A muneribus supra dictis.

℣. 29. *Cui dixit Abimelech: Quid sibi volunt septem agnæ istæ, quas stare fecisti seorsum?* ] Seu separatas à reliquo grege?

[ ℣. 30. *At ille: Septem, inquit, agnas accipies de manu mea: ut sint mihi in testimonium, quoniam ego fodi puteum istum* ] Voluit Abraham istas agnas regi Abimelech dare, & quidem seorsim à reliquis muneribus, in pretium redemptionis putei per vim ablati; & ex consequenti Abrahæ & posteris ejus in testimonium: quòd ipse puteum illum fodit, quòdque propterea jus putei ad ipsum ejusque posteros pertineat.

[ ℣. 31.

[ ℣. 31. *Idcirco vocatus est locus ille Bersabee* : ] Composita est vox ista ex duabus, quarum prior, *Ber*, significat puteum; posterior vero, *sabee*, duo significat, scilicet juramentum, & septem. Unde juxta Hieron. in qq. Hebr. & alios communiter, duplex est ejusdem vocis translatio, nempe, *puteus juramenti*, quia ibi uterque juravit; & *puteus septem*, scilicet agnarum quibus Abraham locum istum redemit. Unde huic oppositum non est quod Act. 7. dicitur Deus non dedisse Abrahæ hæreditatem in Palæstina, nec passum pedis: quia puteum locumque ei adjacentem non possedit Abraham gratis & peculiari dono Dei, sed titulo redemptionis vel permutationis.

Quid Bersabee.

Septem agnæ septem dona Spiritus sancti repræsentant; quæ seorsim constituuntur, quia dona illa non sunt in potestate hominis, ait Rupertus lib. 6. in Genes. c. 26.

[ ℣. 32. *Et inierunt fœdus pro puteo* ] Seu ad puteum.

[ *Juramenti*. ] Ut interpretatur August. q. 56. in Genes. vel secundum alios, pro puteo juramenti deinceps per Abraham pacificè possidendo.

[ ℣. 33. *Surrexit autem Abimelech & Phicol* ] De loco in quo fœdus pepigerunt cum Abraham.

[ *Reversique sunt in terram Palæstinorum*. ] Seu in eam terræ Palæstinæ regionem, quæ prius culta & habitata erat ab hominibus.

[ *Abraham verò plantavit Nemus in Bersabee*. ] Pro nemore, Hebræa dicunt arborem seu arbores, ita ut esset sylvula quædam & locus arboribus consitus.

[ *Et invocavit ibi nomen Domini Dei æterni*. ] Exstructo nempè altari ad sacrificia offerenda, illisque ibi oblatis, etiam ad preces ibi fundendas.

[ ℣. 34. *Et fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis*. ] Colonus, hoc est, incola temporarius & peregrinus, non autem civis & indigena.

## CAPUT XXII.

*Mandat Deus Abrahæ ut filium suum Isaac immolet, & eo ad ictum usque perducta, jubet abstinere. Laudata deinde ipsius obedientia promissiones ei factas, juramento confirmat. Denique numerantur filii Nachor fratris Abrahæ.*

[ ℣. 1. QUæ postquam gesta sunt, ] Hoc est, postquam natus & ablactatus fuit Isaac; dimissa autem Agar cum Ismaele; & postquam initum fuit fœdus inter Abraham & Abimelech, multisque diebus habitavit Abraham in Palæstina, nimirum in Bersabee, ut ex fin. cap. 21. apparet.

[ *Tentavit Deus Abraham*, ] Deus non ad malum tentat, Jac. 1. sicut Diabolus Matth. 4. & 1. ad Thess. 3. sed ad bonum; idque non ex ignorantia vel dubitatione sicut homines; sed vel ad modum tentantis se habendo, vel explorando seu experimentum capiendo de te, aut persona aliqua ut ipsa innotescat non Deo qui omnia novit, sed tum sibi ipsi, tum aliis. Vide quæ 2. 2. q. 97. art. 1. diximus. Tentavit ergo Deus Abraham, quia exploravit ejus fidem, obedientiam, Dei timorem & dilectionem, ut nota fieret illis qui eam nesciebant.

[ *At ille respondit : adsum*. ] Hebr. *ecce ego*, q. d. Animo & corpore paratus sum ad promptè obediendum.

[ ℣. 2. *Ait illi, Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac*, ] Verba singula magnam habent emphasim, præsertim in Hebr. ubi sic dicitur, *Tolle*, seu tecum accipe, *nunc filium tuum, unicum tuum* ? Nam cum voce, filium, exprimatur tota vis naturalis amoris quem habet pater erga prolem, ea multum augetur, addendo *unigenitum*, vel *unicum*; minor est enim amor in plures divisus, & facilius est ferre jacturam unius ex multis, quam unius qui est unicus, & cui æquale aut simile non habetur, cujus substitutione compensari possit jactura prioris. Isaac vocatur unigenitus Abrahæ, quia unicus ei ex matre familias & per repromissionem ac miraculosè genitus, unicus stirpis & familiæ Abrahami propagator & hæres; unicus ex quo semen benedictum erat nasciturum; unicus qui ejecto Ismaele, domi supererat.

Cur Isaac unigenitus Abrahæ.

[ *Quem diligis*, ] Specialiter & unicè. Diligebat quoque Ismaelem, sed longè minùs, quàm Isaac Hebr. est præteritum, quem dilexisti, scilicet continuò, & quem etiam nunc impensè diligis. Notat Marius Hebræos, quia carent verbis præsentibus, ea per participium vel præteritum exprimere, id quod etiam tradit Quinquarboreus in sua Grammatica & alii Hebræi.

[ *Isaac* ; ] Qua voce non tantùm exprimitur id quod est naturæ, verùm etiam omne id quod in Isaac Deus Abrahæ promiserat supra naturam.

[ *Et vade* ] In Hebr. *& vade tibi*, quod juxta phrasim Hebr. idem est, ac vade tu, vel vade: unde Cantic. 1. versum est, *egredere*, pro eo quod cod. Hebræi legunt, *egredere tibi*.

[ *In terram visionis*: ] Hebr. in *terram Moria*, quæ vox secundùm varias radices à quibus potest derivari, varia significat. Hic pro terra visionis ponitur, & in ea mons erat qui mons Moria dictus fuit, vel ab ipso Deo loquente nunc ad Abraham; vel postea ab Abrahamo. Vocatus autem fuit locus iste terra visionis; vel quia erat insigniter conspicua & visibilis, utpotè montosa, unde 70. transtulerunt terram excelsam: vel quia Abraham erat eam visurus, Deo illam ei ostendente: vel quia Deus erat ibi peculiariter respecturus Abraham, & Abraham Deum visurus: vel quia visiones propheticæ illic erant multipliciter exhibendæ.

Cur terra visionis dicta.

[ *Atque ibi offeres eum in holocaustum* ] Tu ipse, non alienis manibus, sed tuis propriis, nec in qualecumque sacrificium, sed in holocaustum, quod ad majoris doloris materiam pertinet.

[ *Super unum montium quem monstravero tibi*. ] Hic est mons Moria, de quo 2. Paralip. 3. vers. 1. & mons Sion super quem ædificatum fuit postea templum à Salomone, & ubi anteà fuerat area Ornam Jebuzæi, quemadmodum Hier. in qq. Hebr. dicit Hebræos tradere. Nec dissentaneum est quod Aug. serm. 71. de tempore sic ait: *Hieronymus presbyter scripsit, ab antiquis & senioribus Judæis se certissimè cognovisse quòd ibi immolatus sit Isaac, ubi postea Christus crucifixus est*. Mons enim Moria est vicinus Calvariæ, & quodammodo unus cum illa; quoniam juxta suam amplitudinem sumptus complectebatur plures colles & monticulos: quorum unus fuit Sion in parte orientali quem intra muros urbis Jerusalem postea incluserunt. Alius fuit is quem vocaverunt montem Calvariæ in quo sepultus fuit Christus Dominus, ac verisimiliter etiam primus parens Adam, secundùm Aug. in eodem sermone, & secundùm allos de quibus 3. p. q. 46. art. 10. & hic mansit extra urbem.

De monte Moria.

[ ℣. 3. *Igitur Abraham de nocte* ] Seu primo diluculo consurgens. In Hebr. est, manicavit in diluculo, hoc est, surrexit summo mane, Festinat implere præceptum, ne mora facit peccatum. Utrùm autem Sara fuerit hujus immolationis conscia, incertum est; quibusdam affirmantibus, negantibus aliis, idque verisimilius: neque enim videtur quòd scriptura tantam Saræ fortitudinem tacuisset, si tem totam ipsa scivisset, & (ut pia & sancta erat) constans mansisset. Dicendum ergo Saram itineris quidem Abrabæ fuisse consciam, at non mandati de immolatione filii.

[ *Stravit asinum suum: ducens secum duos juvenes*, ] Quos Judæorum quidam volunt fuisse Ismaelem & Eliezer, sed absque fundamento: Nam Ismael ex domo jam ante emissus fuerat simul cum matre; Eliezer autem, cum ante nativitatem Isaac, imò & Ismaelis, haberet filium, supra cap. 15. satis nunc erat grandevæ ætatis ut non vocaretur juvenis. Duxit ergo Abraham secum duos juvenes è suis servis quos babebat magno numero ut ex cap. 14. patet: sed incertum qui illi fuerint.

[ *Et Isaac filium suum*: ] Qui ætatis annum circiter vigesimum quintum agebat, quemadmodum tradit Josephus l. 1. Antiquit cap. 14.

[ *Cumque concidisset ligna in holocaustum*, ] Ne fortè ligna quæ ad holocaustum erant necessaria, deessent in loco sacrificii quem determinatè nesciebat Abraham,

ham, ideòque ignorabat qualis eſſet; ipſe illa parat & aſinum illis onerat ſicque abit ad terram viſionis.

[ ℣. 4. *Die autem tertio*, ] Degebat Abraham in Berſabee, ut ex fin. cap. 21. colligere eſt; unde & præcentis cap. v. 9. dicitur quòd obedientia ſua expleta illuc redierit. Ex Berſabee autem uſque ad montem Sion facilè poterat die tertio perveniri; imò & citius, ſi ſine oneribus iter ſuſciperetur: At Abraham onuſtus erat rebus ad holocauſtum neceſſariis.

[ *Vidit locum procul:* ] Eminus conſpexit ac cognovit collem in quo Deus volebat ſacrificium offerri, Deo nimirum ut v. 2. dixerat, ipſi monſtrante, tum per interiorem inſpirationem, tum per ſignum exterius quod Hebræi dicunt fuiſſe columnam ignis in cacumine collis conſpicuam.

[ ℣. 5. *Dixitque ad pueros ſuos:* ] Volens ut negotium peragendum eos lateret, ne fortè conarentur ipſum ab executione operis impedire.

*Cur terra viſionis dicta.*

[ *Expectate hic cum aſino:* ] Aſinum una cum ſervis dimittit; Alioquin nimiam eis dediſſet cauſam admirationis & ſuſpicionis, ſi ſolus cum filio duxiſſet aſinum.

[ *Ego & puer illuc uſque properantes, poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos.* ] Non ſequitur hinc Iſaac fuiſſe hoc tempore octo vel decem annorum; pueri enim nomen etiam grandioribus tribuitur, ſive propter innocentiam, malitiæque carentiam; ſive propter ſubjectionem, vel aliam cauſam: ut ſuper. cap. Iſmaeli; cap. 43. Benjamin, & aliis alibi. Quòd ait, *adoraverimus*, idem valet ac ſacrificaverimus: quoniam enim ſacrificio ſemper jungitur adoratio, hæc, pro illo interdum ponitur, velut Joan. 4. & alibi.

*Ob.* At dices, Abraham in animo habebat ſuum filium Iſaac interficere priuſquam rediret: quomodo igitur abſque mendacio potuit pueris ſuis in plurali dicere, *revertemur ad vos*, ſi cogitabat ſolus reverti. *Reſp.* Abraham vel uſum fuiſſe enallage numeri, dicendo *revertemur ad vos*; idque partim ad ſermonis decorem ſervandum, cùm verba præcedentia eſſent etiam pluralia numeri; partim ne pueris ſuis daret occaſionem ſuſpicionis, ſi poſt verba pluralia ſingulariter dixiſſet, revertar. Vel potius, revera cogitabat reverti cum filio prorsùs confidens quòd Deus ſtatim ab immolatione Iſaac, ipſum ſuſcitaret ut ſimul cum eo reverteretur, quemadmodum reſpondet Aug. ſerm. 71. de tempore, ſignificavitque Apoſtolus ad Heb. 11. dicens, quòd *Abraham fide obtulit Iſaac, cum tentaretur & quod unigenitum offerebat qui ſuſceperat repromiſſiones) ad quem, dictum eſt: Quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen) arbitrans quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus.*

[ ℣. 6. *Tulit quoque ligna holocauſti*, ] De dorſo aſini.

[ *Et impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum.* ] Quidam volunt Iſaac toto triduo portaſſe illa ligna: ſed non eſt veriſimile; ad quid enim ſerviſſent aſinus & pueri? Et quare nunc diceretur Abraham tuliſſe ſive accepiſſe ligna & impoſuiſſe ſuper Iſaac, ſi toto hujus itineris tempore præcedenti ea portaſſet?

[ *Ipſe verò* ] ( Abraham )

[ *Portabat in manibus ignem*, ] Ad ligna incendenda;

[ *Et gladium.* ] Ad mactandam hoſtiam ſacrificii.

[ ℣. 7. *Dixit Iſaac patri ſuo: Pater mi.* ] Hoc colloquium eſt tenerrimi animi, natum propterea patris dolorem vehementer augere.

[ *Ubi eſt victima holocauſti?* ] Genus pro ſpecie poſitum videtur: Nam Hebr. eſt pecus maſculinè, nempè, aries vel agnus, apud 70. ovis.

[ ℣. 8. *Dixit autem Abraham: Deus providebit ſibi victimam holocauſti, fili mi.* ] In Hebr. eſt, videbit ſeu providebit ſibi agnum in holocauſtum; & apud 70. ovem. Prudenter ita loquitur, & needum rem aperit filio: quia incertus adhuc erat an Deus eouſque negotium eſſet perducturus ut oporteret Iſaac ejus fieri conſcium.

*De monte Moria.*

[ ℣. 9. *Si venerunt ad locum quem oſtenderat ei Deus.* ] Hoc eſt, ad eam partem montis Moria, qui poſtea dictus fuit mons Calvariæ.

[ *In quo ædificavit altare*, ] Effoſſo illic ceſpite, ſaxiſque collectis.

[ *Cumque alligaſſet Iſaac filium ſuum*, ] Poſt extructum altare ſanctus patriarcha tandem manifeſtavit ſuo filio divinum expreſſumque mandatum quòd ipſe deberet eſſe victima holocauſti. Cui filius Deo & patri obedientiſſimus nequaquam contradixit, ſed mox acquievit ſciens ſe vitam Deo repetenti debere.

Sed quæres, quandoquidem Iſaac ita erat voluntarius ad ſubeundam mortem à patre inferendam: quid opus eum ligari, præſertim manus & pedes, ut veriſimile eſt fuiſſe ligatum. *Reſp.* rationem non fuiſſe quòd timeret ne Iſaac aufugeret vel de altari excideret aut exiliret, ſed ne involuntarii (utpotè naturales) corporis motus in actu jugulationis communiter exurgentes; ordinatum compoſitumque ſitum victimæ turbarent, & ſic nonnullam ſacrificio indecentiam facerent. *Cur ligatus Iſaac.*

[ *Poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum.* ] Abraham ſuper altari extructo ligna decenter compoſuit, ut ſuper ea filius aptè eſſe poſſet ad occidendum & comburendum. Super hæc ergo filium poſuit.

[ ℣. 10. *Extenditque manum, & arripuit gladium*, ] Ut vibraret illum in cervicem filii.

[ ℣. 11. *Et ecce Angelus Domini de cœlo* ] Seu de aere.

[ *Clamavit, dicens: Abraham, Abraham.* ] Vocem geminavit, ne animo incitato pater præveniret ſermonem prohibentis executionem ulteriorem.

[ ℣. 12. *Non extendas manum tuam ſuper puerum*, ] Probabile eſt quòd manus Abrahæ jam erat exerta ſeu in altum elevata; ſed jubetur non progredi in illa extenſione, ita ut, *ne extendas*, idem ſit quòd ne pergas extendere. Puer vocatur Iſaac, partim à puritate, partim ſecundùm morem Hebræorum qui omnem filium in comparatione parentum vocare ſolent infantem & puerum, teſte Hieronymo ad illud cap. 21. tradiditque puerum. Obſervari hìc poteſt quo modo Deus ſuos probet uſque ad extremum periculum, & tunc eripiat eos qui ſpem ſuam non mutant ab eo, quemadmodum & cap. 12. 20. & alibi. *Iſaac ut vocetur puer.*

Si quæras, cur à cæde filii vetitus ſit Abraham potius quàm Jephte à cæde filiæ. *Reſp.* duas ob cauſas. Una eſt, quia Jephte ex hoc exemplo colligere debuit non placere Deo immolationes humanas, quandoquidem non permiſerit executionem ejus quam ipſe mandaverat. Altera, quia quod Abraham hìc tentavit, fecit præcepto divino compulſus; non ſic Jephte, ſed errore proprio ſeductus.

[ *Neque facias illi quidquam:* ] Non ſolùm non occidas eum, ſed nec ullum malum ei facias.

[ *Nunc cognovi* ] Seu cognoſci feci, quemadmodum interpretatur Auguſt. lib. 16. de civit. cap. 32. Quo modo etiam qu. 57. in Gen. exponit illud Deut. 13. quòd veteres quidam codices habent, *ut ſciat:* hoc eſt, ut ſciri faciat, conſormiter noſtræ verſioni in qua legimus, *ut palam fiat*. Poteſt etiam more humano dictum intelligi: Nunc cognovi, id eſt, ſingulari experimento didici. Nam antea quoque norat Deus, & varia experimenta viderat: ſed nullum tam magnum & tam memorabile.

[ *Quòd times Deum*, ] Timore filiali: ſive, quòd Deum ames & reverearis, ipſique obſequaris per omnia.

[ *Et non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* ] Quia paratus fuiſti ad eum juxta juſſionem tibi factam, immolandum, & quantum in te fuit, immolaſti. Loquitur hìc Angelus ex perſona Dei.

[ ℣. 13. *Levavit Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum arietem* ] Illuc Angeli miniſterio adductum.

[ *Inter vepres hærentem cornibus*, ] Ne Abrahamum effugeret, ſed præſto eſſet ſacrificio; Angelus curaverat cornua vepribus inhærere & implicari.

[ *Quem aſſumens obtulit holocauſtum* ] Totum illum comburendo.

[ *Pro filio.* ] Seu loco filii quem Deus antea juſſerat offerri in holocauſtum.

[ ℣. 14. *Appellavitque nomen loci illius, Dominus videt.* ] Ab eventu qui in iſto monte contigit, quia ſcilicet Deus ibi vidit fidem, afflictionem, & obedientiam Abrahæ & Iſaac, ibique vidit ſeu providit ſibi de victima holocauſti. Unde patet 70. non male vertiſſe, Dominus vidit. Sed nec Hebræa diſcrepant, tametſi habeant *Dominus videbit:* Sic enim

Abra-

Abraham dixit Dominum in hoc monte videre, ut simul respexerit ad id quod erat futurum, quòd scilicet Deus illic peculiariter esset visurus seu exauditurus preces Israelitarum, in templo ibi construendo orantium; quòdque Deus Pater aliquando ibi respiceret in faciem Christi sui Psalm. 83. ipsumque exaudiret pro sua reverentia, ad Heb. 5.

Augusto dicto cap. 32. ista verba, *Dominus vidit*, explicat activè pro videri se fecit, seu visus est vel apparuit. Quæ explicatio non omnino differt à præcedente; hoc enim ipso quo Deus vidit Abrahæ & Isaac virtutem, obedientiam, & afflictionem, & per Angelum apparens Abrahæ prohibuit ne filium morti destinatum interficeret, ipsi Abrahæ visus est.

[ *Unde usque hodie dicitur. In monte Dominus videbit*. Quasi diceret. Hinc factum, ut jam inde à tempore Abrahæ usque in hunc diem quo ista scribo, tamquam proverbium dicatur: *In monte Dominus videbit*, seu respiciet afflictionem nostram, nostrique miserebitur, & liberabit nos. *Hoc*, ait Hier. in qq. Hebr. *apud Hebraeos exivit in proverbium, ut si quando in angustia constituti sunt, & Domini optant auxilio sublevari, dicant: In monte Dominus videbit*: hoc est, sicut Abrahæ misertus est, miserebitur & nostri. Sic nos decet in omni tribulatione nostra espectare auxilium de alto, & ad Deum fiducialiter intendere.

Observandum ex Aug. serm. 71. de tempore, l. 2. *Allegoricè.* de Trinit. cap. 6. l. 12. contra Faust. cap. 15. atque etiam ex aliis; quòd Abraham quando filium suum Isaac obtulit, typum habuit Dei patris qui proprio filio suo non pepercit, ad Rom. 8. Isaac verò typum gessit Domini salvatoris. Quòd die tertio vidit locum immolationis, mysterium Trinitatis intelligitur: Nam quòd dies tertius in sacramento vel mysterio Trinitatis accipi debeat, frequenter in sacris literis invenitur, ut Exod. 5. vers. 3. Exod. 19. v. 11. Josue 1. vers. 11. & c. 3. v. 1. Duo pueri quos cum asino expectare jussit Abraham figurabant populum Judæorum, qui non erant Christo credituri; Et ideo ad locum ubi erat immolandus, hi non pervenerunt. Asinus synagogam significabat. Quòd Isaac pro sui immolatione ligna portabat, Christum repræsentabat, qui propriis humeris crucem suam erat bajulaturus. Aries inter vepres hærens cornibus, erat etiam typus Christi habentis brachia clavis cruci affixa & detenta. Quòd aries occiditur, & non Isaac; vel ideo est quia Isaac figura erat, & non veritas; vel quia in passione Domini divinitas quæ per Isaac significatur, non fuit crucifixa, sed sola humanitas. Moraliter discimus quòd sicut Isaac tametsi voluntarius, rectè fuit ligatus, ita religiosi rectè votis suis ligantur, Deoque suum velle & posse offerunt. Abraham pro filii sui immolatione gladium & ignem habebat. *Moralit.* Nos quoque per gladium mortificationis & ignem charitatis debemus offerre Deo nos ipsos, nostrasque passiones & dolores.

[ ℣. 15. *Vocavit autem Angelus Domini Abraham secundo*] Dicit secundò, quia primò vocaverat v. 11. quando vetuit ne filium occideret.

[ ℣. 16. *Per memetipsum juravi, dicit Dominus*:] Quoniam (ait Apostolus ad Hebr. 6.) Deus neminem habuit per quem juraret, majorem, juravit per semetipsum. Causa autem talis juramenti fuit illa quæ ibidem exprimitur, ut pollicitationis hæredibus ostenderet immobilitatem consilii sui, dum videlicet jurat per rem immobilem, id est, per seipsum. Verum quidem est quòd simplex Dei verbum sine juramento prolatum est æquè firmum & immobile atque illud quod cum juramento profertur, cum ipse sit veritas, & impossibile sit eum mentiri. Sed aliquando judicat interponendum esse juramentum, partim ad infidelium increpationem, teste August. l. 16. *Quomodo Deus jurat.* de civit. cap. 32. partim ad majorem nostrâ roborationem qui juramento apprehendimus ut magis firma. Quòd hic dicitur Deus jurare per semetipsum, hoc aliis multis modis alibi exprimitur, ut Jere. 22. *In memetipso juravi dicit Dominus*. Et cap. 44. *Ego juravi in nomine meo magno, ait Dominus*. Rursum cap. 51. *Juravit Dominus exercituum per animam suam*. Amos 4. *Juravit Dominus Deus in sancto suo*, seu in sanctitate, vel per sanctitatem suam; quale est & illud Psalm. 88. *Semel juravi in sancto meo*. Nam nomen, anima, & sanctitas Dei, sunt ipse Deus.

[ ℣. 17. *Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum*, ] Est Synecdoche: nam per portas significantur urbes. Possidere ergo portas, est habere urbes subjectas. Quatenus de carnali semine sermo est, promittitur Abrahæ quòd sui posteri seu Judæi erunt victores suorum hostium, occupabuntque eorum urbes, quo modo factum legimus sub Josue, Davide, & Salomone. Quatenus verò ad spirituale semen hoc pertinet, significatur quòd veri fideles sine timore de manu inimicorum suorum liberati, Deo servient, Luc. 1. Significatur insuper allegoricè quòd Christus qui verum semen est Abrahæ, confracturus esset portas inferorum, & effecturus ut Christiani possiderent urbes inimicorum suorum, ibique Deo servirent, quemadmodum à Constantini tempore factum est.

[ ℣. 18. *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ*. ] Ex hoc loco videri potest quòd Abraham meruerit vel ut Christus nasceretur, vel saltem ut ex eo nasceretur; certum est enim Christum esse semen illud in quo omnes gentes dicuntur benedicendæ, ut ex cap. 3. ad Galat. patet, ac etiam ex eo quòd per Isaac non aliter benedicendæ erant, quàm in Christo qui ex Isaac erat nasciturus. Sed contra est quod S. Thomas 1. 2. q. 98. art. 4. scribit, non fuisse propter meritum Abrahæ quod fieret ei promissio, ut Christus ex ejus semine nasceretur, sed ex gratuita Dei electione & vocatione. Dicendum ergo non hic significari quòd Abraham propriè meruerit, vel ut Christus nasceretur, vel ut ex ipso, sed significatur quòd eximia ejus obedientia fuerit quædam congruitas, ut Deus ipsi iteraret ac juramento confirmaret promissiones antea factas. Videantur quæ diximus 3. p. q. 2. art. 11.

[ ℣. 19. *Reversus est Abraham ad pueros suos*, ] Qui eum expectabant in loco, ubi jussi erant, manere, v. 5.

[ *Abieruntque Bersabee simul*, ] Unde egressi fuerant quando Abraham domo exivit ad immolandum Isaac.

[ *Et habitavit ibi*. ] Quemadmodum etiam illic antea habitabat, ut ex fin. cap. 21. habetur.

[ ℣. 20. *His ita gestis, nuntiatum est Abrahæ, quòd Melcha quoque genuisset filios Nachor fratri suo*, ] Nachor fuisse fratrem Abrahæ, & habuisse uxorem nomine Melcham, cap. 11. est expressum. Texitur autem ejus genealogia, partim propter Abraham fratrem ipsius; partim propter Rebeccam, quo constet eam meritò quæsitam fuisse ut esset uxor Isaac & nurus Abrahæ; constet etiam tam maternum quàm paternum genus Jacob, ac per consequens Israelitarum.

[ ℣. 21. *Hus primogenitum*, ] Ab hoc descendere sanctum Job tradit S. Hieronymus in qq. Hebr. ut proinde non ex genere Esau genitus sit, sed ex Nachor. Cui tamen sententiæ à multis contradicitur, de quibus capite 36.

[ *Et Camuel patrem Syrorum*, ] Abulensis vult sermonem hic esse de Syria Mesopotamiæ: quia Camuel in ea natus est; ibique mansit cognatio Nachor, ut patet ex cap. 24. sed vers. 10. & ex cap. 28. vers. 5.

[ ℣. 22. *Et Cased*, ] A quo Chasdim, id est, Chaldæi postea vocati sunt.

[ ℣. 24. *Concubina verò illius nomine Roma*, ] Non hinc cognominata fuit urbs Roma orbis domina, tum quòd ista urbs tam Græcè, quàm Hebraicè aliter scribatur, tum alias ob causas; sed loca quædam Mesopotamiæ, quæ ut Marius tradit, etiam Constantii Imperatoris tempore, antiqui nominis vestigia retinuerunt.

CAPUT

## CAPUT XXIII.

*Sara moritur, plangitur, atque in spelunca duplici quam cum agro emit Abraham, ab Ephron sepelitur.*

[℣. 1. V*ixit autem Sara centum viginti septem annis.*]. Ad aonum scilicet Abrabæ centesimum trigesimum septimum, Isaac verò trigesimum septimum. Abrabam enim erat decem annis senior Sara; & Isaac natus fuit, quando pater agebat ætatis suæ ann. ceotesimum.

Quid Cariath Arbe.

[℣. 2. *Et mortua est in civitate Arbee*,] Quæ aliàs retenta voce Hebræa vocatur Cariath Arbe: Nam Cariatb civitatem significat. Dicta antem putatur civitas Arbe, quasi civitas quatuot, eo quòd illic sepolti sint quatuot Patriarchæ, Adam, Abraham, Isaac & Jacob, ut indicat Hierooymus io qq. Hebt. qui tamen aliis in locis potius significat Adamum in monte Calvariæ fuisse sepultum, ut diximus 3. p. q. 46. art. 10. Cæteri autem patriarchæ oecdum poteraot moriente Sara ibi esse sepulti; cùm Abraham, & Isaac adhuc viverent, Jacob antem oondum esset natus. Aliis ergo verisimilius videtur qnòd Arbe sit nomeo proprium alicujus magni viri, scilicet patris Enac, ut dicitur Josue 14. à quo urbs illa oomen suum est sortita, sicut nunc aliquæ urbes vel à viro sancto vel ab alio magno vocantur Audomaropolis, Philippopolis, Mariopolis.

[ *Quæ est Hebron*, ] Istud fuit ejus orbis nomen proprium: sed quando & per quem fuerit impositum, ambigitur. Certum est esse recentius quam Cariatb Arbe: dicitur enim Josue 14. *Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe*. Multis probabile est etiam esse recentius Moyse: qui proinde spiritu propbetico hic illud posuerit. Alii volunt ita dictam ex societate quam iniit Abraham cum istius loci principibus; eò quòd Cheber societatem significet, & Chebron Hebraicè scribatur, pro Hebron. Aliæ insuper inveniuntur derivationes, sed quæ minus probantur ab interpretibus.

[ *In terra Chanaan*;] Hebron erat in ea parte terræ Chanaan quæ postea fuit sors tribus Juda, Josue 15.

[ *Venitque Abraham ut plangeret & fleret eam*.] Sunt qui suspicentur Saram fuisse mortuam absente marito, quia maritus dicitur venisse ad eam plangendam: quod tamen non urget. Rectè eoim venisse dicitur ut plangeret, quia se composuit seu accinxit ad plangendum, boc est, ad luctum solemnem & publicum faciendum, id enim significat planctus qui sic à fletu distinguitur. Verius ergo est qnòd post habitationem Abrabæ in Bersabee, ipse cum uxore & familia venerit in civitatem Arbe; licèt quo tempore id factum sit, ex scriptura oon constet.

[℣. 3. *Cumque surrexisset ab officio funeris*, ] Hoc est, cum fecisset finem solemnis ac publici luctus pro morte uxoris. Luctum solemnem pro mortuo communiter fuisse septem dierum paret ex Gen. ult. v. 10. 1. Reg. ult. v. ult. 1. Paralip. 10. v. 12. & ex Eccli. 22. v. 13. qoamvis in majorum morte aliquando esset plurium dierum, ut Num. 20. & Deut. ult. factum legimus io morte Aaron & Moysi.

[ *Locutus est ad filios Heth*, ] Sive ad Hethæos qui erant una gens Chananæorum. Unde cum superius dicitur Sara esse mortua in terra Chanaan, nomen Chanaan non sumitur strictè prout Cbananæi distinguuntur ab Hethæis, sed generaliter, quo modo terra Chanaan varias gentes complectitur.

[℣. 4. *Advena sum & peregrinus apud vos*:] Advena dicitur, qui ad terram aliquam venit ut ibi habitet, eamque incolat; unde in Hebr. pro advena, habetur incola. Peregrinus est, qui io loco ad quem venit, oon habet fixam habitationem. Quæ duo in Abrahamum competere manifestum est: Venerat enim in Hebron, ibi habitaturus; & nunc in uoa terra, nunc in altera habitabat, c. 11. in Haran: cap. 12. in Chanaan, deinde io Ægypto: cap. 13. juxta Bethel, postea juxta coovallem Mambre quæ in Hebron. cap. 20. in Geraris: cap. 21. in Bersabee: præsent cap. rursum in Hebron. Ideo autem Abraham ait se advenam esse & peregrinum, ut rationem ostendat cur careat sepulchro proprio. Unde subjungit.

[ *Date mihi jus sepulchri vobiscum*, ] Hoc est, concedite mibi in terra vestra locum aliquem proprium.

[*Ut sepeliam mortuum meum*. ] Cadaver scilicet seu corpus uxoris meæ; ac deinceps alia etiam corpora meorum qnos hic mori contigerit. Non valebat vir sanctus se suosque post mortem misceri eadaveribus Chananæorum; & ideo peculiarem quærit locum, sepulturæ suorum destinandum.

[ ℣. 6. *Princeps Dei es apud nos*:] Hoc est, tu eximius & excellentissimus es princeps, eo cultu & honore te prosequimur quo magoum priocipem decet: phrasi enim Hebræa illa quæ in suo genere sunt valde præstantia, dicuntur esse Dei: onde montes Dei, cedri Dei, pro altissimis.

[ *In electis sepulchris nostris*] Seu in aliquo optimorum & præstantissimorum nostrorum sepulchrorum.

[ *Sepeli mortuum tuum*: ] Sic 4. Reg. 5. electo terræ tempore dicitur, pro optima parte anni, id est, pro tempore maximè opportuno & commodo, quale est vernum.

[ *Nullusque te prohibere poterit* ] Nullus erit tam impudens qui te audeat prohibere.

[ *Quin in monumento ejus sepelias mortuum tuum.*] Non respondent Hethæi ad mentem Abrabæ, nec videntur eam satis assecuti. Ipse enim rogabat, non usum alicujus sepulcbri de quo procedit eorum responsio, sed proprietatem.

[ ℣. 7. *Surrexit Abraham*, ] de loco in quo ad portam sedebat cum primoribus.

[ *Et adoravit populum terræ*,] Hoc est, primores populi. Hos enim intelligi ex vers. 8. patet ubi eos mittit intercessores ad Ephron. Adoravit autem eos non cultu sacro, sed civili; facta quippe corporis inclinatione honorem illis exhibuit, ac pro responso humanitatis pleno, reverenter ac humanè gratias egit.

[ ℣. 8. *Si placet animæ vestræ* ] seu vobis.

[ *Audite* ] id est, facite quæso quod peto.

[ *Et intercedite pro me apud Ephron*: ] Ad quem pertinebat spelunca cojus proprietatem cupiebat consequi Abraham.

[ ℣. 9. *ut det mihi* ] justo nimirum pretio; neque enim donatione gratuita petit sibi dari, sed justa emptione, quemadmodum ex seqq. clarum est.

[ *Speluncam duplicem*, ] Seu ut in Hebr. est, duplicitatis; ponitur enim abstractum pro concreto. Hæc autem spelunca vocatur duplex, quia duplicem habebat cameram, interiorem & exteriorem, vel alia simili ex causa.

[ *Pecunia digna tradat eam mihi* : ] Hoc est pretio condigno quod scilicet ejus valorem exæquet, Pro; pecunia digna, Hebr. est, *In argento pleno*; Ut autem argentum quod in emptione alicujus rei datur, sit plenum, debet esse illa re dignum & æquivalens; atque ita sensus in idem redit. Hinc discere licet quòd justi qui mundo moriuntur, debeant velut in spelunca duplici sepeliri seu quiescere & abscondi, sub tegmine videlicet cooremplationis & bonæ operationis, ut est apud Greg. lib. 6. Moral. cap. 25.

[ ℣. 10. *Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth* ] Id est, inter Hethæos domicilium habebat, ibique tamquam princeps & præcipuus erat.

[ *Responditque Ephron ad Abraham cunctis audientibus qui ingrediebantur portam civitatis illius*, ] Sive, audientibus omnibus qui comparebant in loco judicii: solent enim olim in portis & judicia peragi, & cootractus solemnes fieri.

[ ℣. 11. *Nequaquam ita fiat, Domine mi*.] non fiat ut dixisti, non accipias speluncam numerato pretio.

[ *Sed tu magis ausculta quod loquor* :] Potius acquiesce voluntati verbisque meis.

[ *Agrum trado tibi, & speluncam quæ in eo est*, ] gratis nimirum & sioe ulla pecunia vel pretio.

[ ℣. 13. *Et locutus est*] ( Abraham scilicet. ]

[ *Ad Ephron circumstante plebe: Quæso ut audias me*: ] Septuaginta, quoniam apud me es: vel, quoniam ades mihi, audi me: quod duplicem sensum admittit: Unum, quoniam mihi benignus es: Nam alicui adesse, aliquando sumitur pro favere & benignè agere; alium, quoniam præsens mihi es, seu quoniam invicem præsentes sumus ad contractum ineundum, eum perficiamus. Itaque audi me.

[ *Dabo*

*Cur Abraham noluerit gratis habere sepulchrum.*

[ *Dabo pecuniam pro agro: suscipe eam*, ] Nolebat gratis agrum habere: partim ne qua postmodum controversia oriretur, posteris Ephronis vel prohibentibus posteros Abrahæ illic suos sepelire; vel communem cum eis sepulturam sibi postulantibus: partim quia memor promissionum Dei, non volebat gratis ditari à Chananæis, qua ratione nec Sodomorum spolia licèt à rege oblata & justo prælio capta, voluit retinere cap. 14.

[ ℣. 15. *Terra, quam postulas, quadringentis siclis argenti valet:* ] *Siclus sive stater habet drachmas quatuor*, ait Hieron. in cap. 4. Ezech. secutus Josephum lib. 3. Antiq. c. 9. ita scribentem: *siclus nummi genus est apud Hebræos quod valet quatuor drachmas Atticas*. Et quidem siclum ejusdem fuisse valoris cum statere, intelligi potest ex eo quòd unum pro altero subinde ponitur. Nam Jerem. 32. ubi habemus septem stateres, Hebræa dicunt septem siclos. Quo modo autem siclus habeat quatuor drachmas, difficultas est; quoniam 70. siclum vertere solent didrachmam seu duas drachmas, & non tetradrachmam, id est, quatuor drachmas. Quæ tamen solvi potest, vel distinctione majoris & minoris sicli: vel potiùs ex varietate drachmarum, quarum aliæ erant Alexandrinæ, aliæ Atticæ, vel etiam Judaicæ. Alexandrinæ erant duplo majores quàm Atticæ, & sic duæ Alexandrinæ æquivalebant quatuor Atticis; septuaginta autem intelligi possunt de Alexandrinis.

[ *Sed quantum est hoc?* ] Estne operæ pretium ut vel tu vel ego qui & opulenti & amici sumus, de tantilla summa simus solliciti?

[ ℣. 16. *Appendit pecuniam*, ] Siclum non tantùm pecuniæ numerabilis, sed & ponderis nomen fuisse, tum ex hoc loco colligitur: tum ex aliis scripturis: veluti ex Num. 7. *Fueruntque in ea acetabulum argenteum pondo centum triginta siclorum, phiala argentea habens septuaginta siclos juxta pondus sanctuarii*, & pluribus aliis locis istius cap. Et Josue 7. in utraque significatione accipitur, ibi; *ducentos siclos argenti, seu pecunia regulamque auream quinquaginta siclorum*, scilicet ponderis. Significatur ergo quòd Abraham solvit pretium prædictum, appendendo in statera, seu faciendo ponderari siclos quadringentos: familiare enim fuisse Chananæis, Hebræis, & aliis, quòd non tantùm numerarent pecuniam in commerciis, sed etiam ponderarent, ut propterea quando pecunia solvitur, ea dicatur appendi, scripturæ testimonia habemus Isaiæ 55. vers. 2. Jerem. 32. v. 9.

[ *Probatæ monetæ publicæ*. ] In Hebr. transeuntis ad, seu inter mercatores: 70. argenti probati mercatoribus. Quoniam enim apud mercatores exactissima esse solet monetæ ratio; quæ illis probatur, ab interprete nostro vocata est probata publica. Posset etiam sic exponi, quæ palam & publicè habet cursum.

[ ℣. 17. *Confirmatusque est ager* &c. ] Quasi diceret: Ager ille in quo erat spelunca duplex & qui antea fuerat Ephronis, stabili jure translatus est in dominium & possessionem Abrahæ. Hebræa dicunt: stetit vel surrexit ager, nimirum ad Abraham, in perpetuum scilicet dominium.

[ *Respiciens Mambre*, ] Hoc est è regione, & non procul à convalle vel oppido Mambre, quod est Hebron.

Duplex hîc superest enodanda difficultas. Prior, utrum in hac emptione peccaverit Abraham peccato simoniæ. Posterior, quo modo hîc dicitur Abraham emisse agrum ad sepulturam ab Ephron filio Seor, cum B. Stephanus Act. 17. dicat Abraham emisse hoc sepulchrum à filiis Hemor filii Sichem.

*Abraham non peccavit emendo sepulchrum.*

Ad priorem difficultatem Responsio neg. certa est, quia Abraham non emit aliquid sacrum, sed terram profanam, quæ nulla benedictione vel consecratione fuerat facta sacra, quo modo igitur nunc licitè emuntur fundi profani, ut in illis construantur Ecclesiæ vel cœmiteria; ita Abraham licitè emit agrum qui profanus erat, cum spelunca, in usum sepulturæ suorum.

Si dicas, locum sepulturæ fieri sacrum sola illatione cadaveris humani: Resp. id perspicuè falsum esse; partim quia nulla per hoc adhibetur sacra benedictio: partim quia sequeretur alioqnin omnes illos agros in quibus sepeliuntur vel per latrocinium vel per bellum magno numero cæsi, esse sacros; id quod nemo dixerit. Sed nec verisimile est in agro vel spelunca per Abraham emptis aliquem antea sepultum fuisse; non enim voluisset uxorem suam sepelire cum cadaveribus infidelium. Si tamen Ephron existimaverit illam speluncam, utpote suorum sepulturæ quoquo modo destinatam, esse sacram, nihil vetat dicere ipsum ex conscientia erronea fuisse reum simoniæ. Confer B. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 4. ad 3. & quæ nos ibi diximus.

*B. Stephanum fuisse lapsum memoria dici nequit.*

Pro solutione difficultatis posterioris, in primis nequaquam audiendi sunt Melchior Canus sub fin. lib. 2. de locis Theolog. & Emanuel Sà, in notis super Acta, qui non fuerunt veriti scribere Stephanum memoria lapsum, pro Jacob nominasse Abraham: Patet enim ex scriptura Stephanum Spiritu sancto plenum elegantem illam concionem habuisse. Patet etiam quòd disputantes cum Stephano non poterant resistere Sapientiæ & Spiritui qui loquebatur; fuisset autem facile ipsi resistere, imò & ipsum confundere si labebatur memoria, unumque dicebat pro altero. Non est etiam verisimile (id quod aliis placuit) vocem Abraham Act. 7. v. 16. vitio typographorum in textum irrepsisse quia Chrysostomus in Comment. Hieron. in epist. 101. cap. 4. Gregor. l. 7. epistola 55. illam in ipso textu legerunt, sicuti & alii communiter.

Plus probabilitatis habet quod quibusdam visum est, Act. 7. sermonem esse de agro quem Jacob Gen. 33. emit à filiis Hemor patris Sichem, qui Jacob cap. illo 7. designetur per nomen Abram, sumptum vel appellativè, quo modo significat patrem multarum gentium, qualis etiam fuit Jacob; vel patronimicè, pro Abrahamides, seu Abrahæ filius.

Sed verisimilius est de eodem agro eademque emptione loqui hîc Moysen, & B. Stephanum in Actis Apostolorum: Primò quia agrum de quo Gen. 33. non emit Abraham, sed Jacob; Stephanus aut loquitur de emptione facta per Abraham, nec apparet quare in narratione historica aliter usurpaverit nomen Abraham, quàm soleat in aliis tum narrationibus tum scripturis usurpari. Secundò, quia Jacob illo cap. 33. non emit sepulchrum vel agrum ad sepulchrum in eo constituendum, sed ut in illo altare erigeret, ibique Deo sacrificaret: At Stephanus manifestè loquitur de emptione sepulchri: fuit autem Abraham qui legitur emisse sepulchrum, & quidem hoc cap. 23.

Dicendum ergo, quòd Hemor juxta Greg. dicta epist. 55. pater Ephronis sit idem ille qui vocatur hîc Seor. Fuit enim Seor binomius; ejusque nomen unum expressit Stephanus, alterum Moyses. Aut si quis contendat esse nomina hominum diversorum, unum fuerit nomen patris proximi aliud remoti, scilicet avi, aut proavi. Sicut enim Christus vocatur filius David & filius Abraham, quamvis ex neutro eorum sit proximè genitus; ita Ephron intelligi potest vocari filius Seor tamquam avi vel proavi.

Quod porro dicit Stephanus agrum à filiis Hemor fuisse emptum; haud difficulter potest cum præsenti loco conciliari; emptus enim fuit ab Ephron contractum celebrante suo & fratrum suorum nomine, & sic Abraham illum emit à filiis Hemor seu Seor qui patrem habuit vocabulo Sichem: atque ita Stephanus expressit avum Ephronis quem tacuit Moyses.

Posset quoque sic intelligi narratio Stephani ut Abraham dicatur emisse à filiis Hemor, quia emit ab ejus posteris ab aliquo posterorum ipsius.

Cæterum quo modo secundùm hæc constare possit quòd Stephanus de Jacob ait, *Defunctus est ipse & patres nostri, & translati sunt in Sichem; & posita sunt in sepulchro quod emit Abraham*, cum sepulchrum ab Abraham emptum, in quo patres Judæorum sepulti fuerunt, ut Abraham Gen. 25. Isaac & Jacob, cap. 49. non esset in Sichem, sed in Hebron. Resp. optimè constare; quia filii Jacob (qui post eum erant patres Judæorum (ex Ægypti primùm translati & sepulti fuerunt in Sichem; & postea ex Sichem translati & sepulti sunt in sepulchro quod emit Abraham, in Hebron. Videri possunt Josephus l. 2. Antiquit. cap. 4. Dionys. Chartusianus & alii in cap. 7. Actorum.

## CAPUT XXIV.

*Abraham ſervum ſuum adjuvat ac in Meſopotamiam mittit, ut Iſaaco uxorem quærat. Is Deo duce ac directore obtinet Rebeccam, eamque adducit ad Iſaac, quam ipſe in uxorem ducit, & ita ſuper morte matris accipit conſolationem.*

[ ℣. 1. E*Rat autem Abraham ſenex*,] Centum ſcilicet quadraginta annorum: Cum enim centum eſſet annorum, genuit Iſaac, ſupra c. 21. Iſaac autem cum quadraginta eſſet annorum, duxit uxorem Rebeccam, infra c. 25.

[ *Dierumque multorum*: ] Subaudi bonorum; ſuffeciſſet enim alioquin dixiſſe ſenem.

[ *Et Dominus in cunctis benedixerat ei*.] Deus eum cumulaverat affluentia omnium bonorum, temporalium & ſpiritualium: Deum enim alicui benedicere, eſt ipſum illi benefacere.

[ ℣. 2. *Dixitque ad ſervum ſeniorem domus ſuæ*, ] Suum ſcilicet œconomum ſeu procuratorem, ut c. 15. illum vocavit. Unde & hic additur.

[ *Qui præerat omnibus quæ habebat*: ] Diſcant hinc ut etiam ex cap. 27. & 28. ſequentibus, parentes ſolliciti eſſe pro filiis & filiabus nuptui benè tradendis: cavendus tamen Calvini error contendentis irritum eſſe matrimonium quod filii invitis parentibus contrahunt: certum enim eſt eſſe validum, etſi frequenter ſit illicitum, ut diximus Suppl. q. 47. art. 6.

[ *Pone manum tuam ſubter fœmur meum*. ] Non ex generali conſuetudine gentis hoc modo juramentum exigit vel nunc Abraham, vel poſtea Jacob cap. 47. (cur enim alioquin de nullis aliis quàm de patriarchis tale juramentum exigentibus ſcriptura memorat?) ſed cauſa myſterii, ad proteſtandum fidem de Meſſia ex ipſis naſcituro; fœmur enim, ſicuti & uterus, & lumbi ſolent in ſcriptura poni pro principio ex quo filii generantur. Unde infra cap. 46. de Jacob dicitur *quòd animæ* ſeu homines *ſexaginta ſex egreſſæ ſunt de fœmore illius*; eademque phraſis repetitur cap. 49. & Exod. 1. Non jubetur autem ſervus manum ponere ſuper fœmur, ſed ſubter; quia inde erat ille deſcenſurus, qui verus quidem homo eſt; ſed ſuper omnes homines. Nec etiam jubetur jurare per fœmur, ſed manu ſub fœmore veſtibus contecto appoſita, per Deum.

[ ℣. 3. *Ut adjurem te per Dominum Deum cœli & terræ*, ] Sive, ut jurare te faciam, quemadmodum Hebræa ſonant. Licèt enim adjurare frequenter accipiatur pro obteſtari per aliquid ſacrum, & ſic urgere quempiam ad aliquid dicendum aut faciendum, vel ab aliquo deſiſtendum: quo modo Caiphas Chriſtum adjuravit, Matth. 26. aliquando tamen etiam ſignificat adigere ad jurandum, ut oſtendimus 2. 2. q. 90. art. 1. Sic autem hoc loco ſumi, ex ver. 9. patet, ubi dicitur ſervus juraſſe.

Abraham cur matrimonia Chananæorum refugeret.

[ *Ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum*. ] Cur tantopere abhorruerit Abraham à matrimoniis Chananæarum ratio una eſt, quia gens illa vilis & abjecta erat, propter maledictionem quam Noe cap. 9. intulit in Chanaan. Altera, quòd paſſim malè audiret à morum improbitate. Colligi hinc poteſt ſedulò cavendum eſſe à matrimoniis hæreticorum & quorumcumque infidelium, imò & aliorum qui vitæ ſunt flagitioſæ.

[ ℣. 4. *Sed ad terram & cognationem meam proficiſcaris*, ] Per terram ſuam non intelligit Chaldæam, cum ibi nulla eſſet amplius ejus cognatio; ſed Haran ſeu Charan Meſopotamiæ, ſicut indicatur verſu 10. qui mandati hujus executionem continet. Nec refert quòd Abraham non eſſet ibi natus, ſed in Ur Chaldæorum: ſatis enim eſt quòd in Meſopotamia diu habitaverat, ubi etiam pater mortuus ac ſepultus jacebat, & cognati ſuperſtites erant. Nam & Capharnaum vocatur civitas Chriſti, ſi conferatur c. 9. Matth. cum c. 2. Marci utrobique v. 1. quia poſt inchoatam Evangelii prædicationem in ea habitavit. Per cognationem ſuam intelligit familiam Nachor fratris ſui.

[ *Et inde accipias uxorem filio meo Iſaac*. ] Quæri poteſt quare ex ea familia vellet filio ſuo uxorem ſumi, cum ibi non deeſſet idololatria, ut conſtat ex cap. 31.

Sed Reſp. rationem eſſe, quia licèt ea familia recepiſſet idola, erat nihilominus veri quoque Dei cultrix & benè morigerata, ut intelligi poteſt, partim ex verſibus 30. & 50. partim ex virtutibus & pudicitia Rebeccæ. Accedit quòd Abraham promiſſiones divinas ſibi factas vellet per matrimonium ad ſuos cognatos derivare, ſic ipſos de idololatria liberaturus.

[ ℣. 5. *Reſpondit ſervus: Si noluerit mulier* ] Virgo nimirum illa quam deſideras ut quæram. Mulier non eſt nomen corruptionis, ſed ſexus, & virginem quoque comprehendit, quo modo Chriſtus matrem ſuam licèt puriſſimam & integerrimam virginem, vocavit tamen mulierem, Joan. 2. *Quid mihi & tibi eſt mulier*. Et cap. 19. *Mulier, ecce filius tuus*.

[ *Numquid reducere debeo filium tuum ad locum de quo tu egreſſus es?* ] Quaſi diceret. Si filia quam quæris, quamvis acceptet matrimonium filii tui, nolit huc in Chananæorum terram venire, ſed velit filium tuum illuc, nimirum in Meſopotamiam ire, quid faciam? debeone ipſum ducere in Meſopotamiam?

[ ℣. 6. *Dixitque Abraham: Cave nequando reducas filium meum illuc*: ] Nec matrimonii occaſione vel ſponſione, nec ulla alia ex cauſa reducas aut reducendum cures filium meum illuc: quoniam Deus me & meos in perpetuum exire voluit de Meſopotamia, mihique & poſteris meis promiſit in hæreditatem, non Meſopotamiam, ſed terram Chanaan.

[ ℣. 7. *Dominus Deus cœli, qui tulit* ] Seu exire me fecit.

[ *De domo patris mei*, ] Hoc eſt, de Haran ubi cum Thare patre ſuo habitavit uſque ad ejus mortem.

[ *Et de terra nativitatis meæ*, ] Id eſt, de Ur Chaldæorum ubi Abraham natus fuerat. Ita Abulenſis & Delrio. Eſt quidem ordo præpoſterus, cum Abraham prius de Chaldæa exierit, quàm de Meſopotamia; ſed ubi ſolùm narratur quid ſit factum, & non quo ordine; nihil refert. Quamquam & ſenſus eſſe poſſit, qui tulit me de domo patris, imò & antea de terra nativitatis meæ, ut ſignificet non tantùm egreſſum de terra in qua diu habitaverat, & ubi ſuam cognationem habebat Dei nutu ac juſſu factum eſſe, ſed etiam alium anteriorem.

[ *Ipſe mittet Angelum ſuum coram te*, ] Ut in via te ſervet ac dirigat. Ecce, quo modo priſcis fidelibus perſuaſum erat, cauſas negotiaque hominum per Angelos adminiſtrari, ipſoſque propterea eſſe cuſtodes hominum. Confer c. 4. & 5. Tobiæ.

[ *Et accipies inde uxorem filio meo*: ] Quaſi diceret: Ibi accipies & ex eo loco huc adduces uxorem filio meo.

[ ℣. 8. *Sin autem mulier noluerit ſequi te*, Quod nequaquam futurum exiſtimo: credebat quippe Deum ſe operaturum in puella, ut ipſa conſentiret non ſolùm accipere Iſaac in maritum, ſed etiam venire ad locum habitationis ejus.

[ *Non teneberis juramento*: ] Quod à te nunc exigo.

[ *Filium meum tantùm ne reducas illuc*. ] Hoc ſolum tunc obſerva, ut filium meum non reducas in Meſopotamiam.

[ ℣. 9. *Poſuit ergo ſervus manum ſub fœmore Abraham domini ſui, & juravit illi ſuper ſermone hoc*. ] Se fideliter completurum omnia quæ Abraham dixerat.

[ ℣. 10. *Tulitque decem camelos de grege*, ] Ut ſpecimen daret divitiarum domini ſui.

[ *Et abiit*, ] Non ſolus utique, ſed ſervis aliis comitatus ut patet ex verſu 32. quo modo enim ſolus tot camelos gubernaſſet toto itinere. Dicitur tamen in ſingulari abiit, quia ipſe ſolus negotii curam habebat, eratque reliquis honoratior, & major. Servus Abrahæ non ivit ſine comitibus.

[ *Ex omnibus bonis ejus* ] In Hebr. omne bonum vel omnia bona.

[ *Portans ſecum*, ] Exponunt Hebræi ſervum hunc ſecum tuliſſe inventarium omnium bonorum Abrahæ, ut ſic faciliùs perſuaderet quod volebat; At nullum eſt hujus rei ſolidum fundamentum. Rectè namque ſervus intelligitur portaſſe omnia bona Abrahæ,

brahæ; non in scripto sed realiter, quia ferebat valde multa, nimirum ex omnibus aliqua; partim quidem ad levamen itineris, partim verò ut sponsæ, matrique & cognatis ejus munera offerret, quemadmodum ex versibus 21. & 53. manifestum est.

[ *Profectusque perrexit in Mesopotamiam, ad urbem Nachor.* ] Quæ cap. 28. vocatur Haran, & septem vel octo dierum itinere distat à Bersabee, ubi hæc sunt dicta. Appellatur autem urbs Nachor, eo quòd ipse ibi habitaret.

[℣. 11. *Cumque camelos* ] Ex itinere fatigatos.

[ *Fecisset accumbere* ] Ad pastum scilicet ac potum. Pro accumbere, alii ex Hebr. vertunt genu flectere, seu in genua procumbere, qui est situs camelorum quiescentium.

[ *Dixit* ℣. 12. *Domine Deus*, ] Quæ sequuntur, servus Abrahæ dixisse videtur non voce sed mente: Cum enim hæc ipsa narrat, ita subdit ver. 45. *Dumque hæc tacitus mecum volverem*: quod locutionem internam propriè significat.

[ *Occurre, obsecro, mihi hodie*, ] Hoc est, fac hodie mihi occurrere quod desidero: da mihi occursum prosperum: Aut, hodie peculiariter me adjuva. Occurrere enim pro adjuvare interdum ponitur: ut Psalm. 58. *Exurge in occursum meum*; Et Isai. 64. *Occurristi lætanti*. Insigne hic est documentum ut in rebus omnibus, præsertim autem in gravioribus quales sunt causæ matrimoniales, homo semper recurrat ad Deum & ab eo quærat auxilium, consilium, & directionem. Huc proinde considerandum venit illud Proverb. 19. *Domus & divitiæ dantur à parentibus: à Domino autem propriè uxor prudens.*

[ *Et fac misericordiam cum domino meo Abraham.* ] Dirigendo meam legationem secundùm ejus desiderium.

[℣. 13. *Ecce ego sto prope fontem aquæ*, ] Fons est, qui ver. 11. vocatur puteus; & rectè fons appellatur, quia ut cap. 16. diximus, omnis puteus est fons, etsi non omnis fons sit puteus.

[℣. 14. *Igitur puella, cui ego dixero* &c. *Ipsa est, quam præparasti servo tuo Isaac*: Non est hic assertio vel prædictio prophetica, sed humilis oratio q. d. ipsa sit quam præparasti, sive, Quæso, Domine, illa sola puella mihi potum petenti respondeat.

[ *Bibe, quin & camelis tuis dabo potum*: ] Quam decrevisti esse uxorem servi tui Isaac: ut ex his dictis & factis cognoscam.

[ *Quod feceris misericordiam cum Domino meo.* ] Ipsum exaudiendo in re quam tantopere exoptat, quidam ad ista, *cum Domino meo*, addunt Abraham: At ex Hebræo constat non esse addendum, sed tantùm subaudiendum. Hic duo quæri possunt.

Prius, An signum quod petit servus Abrahæ, fuerit conveniens negotio.

Posterius, An signum petendo non commiserit peccatum tentationis Dei.

Ad prius affirm. est Respondendum: quia illud erat signum puellæ bonæ indolis, affabilis, hospitalis, beneficæ, & strenuæ, qualem decebat esse uxorem tanti patriarchæ.

Servus Abrahæ non peccavit petendo signum.

* Ad posterius Resp. negat. quoniam ut 2. 2. q. 97. art. 2. docetur, petere à Deo signum vel ex ejus instinctu, vel ad hoc quòd aliquis instruatur quia sit circa aliquod factum, placitum Deo, nullo modo ad Dei tentationem pertinet, quando subest justa necessitas seu pia utilitas: Servus autem Abrahæ signum à Deo petiit, ut in negotio sibi commisso instrueretur, habuitque causam piam & rationabilem illud petendi; partim quia Abraham ipsi promiserat v. 7. quòd Deus mitteret Angelum suum cum illo; partim quia sciebat Deum valde familiariter agere cum Abraham, ejusque & posteritatem ipsius singularem curam gerere.

[℣. 15. *Necdum intra se verba compleverat*, ] Istud, *intra se*, non est in Hebr. est tamen in 70. qui putantur explicationis causa addidisse, quia servus non voce dixerat, sed mente, ut ex v. 45. patet. Quid autem prohibeat dicere aliquando fuisse in Hebræo, non liquet. Hinc collige *quam propè est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate*, Psal. 144. quo modo etiam Isai. 65. dixit: *Adhuc illis loquentibus ego audiam*; Et conformiter Dan. 9. *Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel.*

[ *Et ecce Rebecca egrediebatur filia Bathuel filii Melcha* ] Hæc Melcha erat filia Aran, fratris Abrahæ & uxor Nachor, ut tum hinc, tum ex cap. 11. & 22. & habetur.

[ *Habens hydriam in scapula sua*: ] Seu portans hydriam super scapulam. Hebr. legitur: & cadus, hoc est, hydria super humerum ejus, scilicet erat.

[℣. 16. *Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro*: ] Nimirum quoad copulam carnalem: non enim est sermo de conspectu oculi; aut de cognitione civili; quia cum iret ad hauriendam aquam ex puteo ad quem reliquæ mulieres conveniebant, non potest esse quin aliquando videretur à viris transeuntibus & ab ovium pastoribus; sed intelligitur cognitio copulæ carnalis, de qua cap. 4. dicitur, *Adam cognovit uxorem suam Hevam*. Quamvis autem hoc ipso quo dicitur *virgo*, significetur quòd non sit ab ullo viro carnaliter cognita, non tamen frustra additur, *& incognita viro*; quia hoc valet ad testandam & inculcandam summam virginitatis ejus integritatem, sicuti & id quod est apud 70. Virgo autem erat speciosa aspectu valdè: virgo erat: vir non cognoverat eam. Delrio ait vocabulum pro quo nos habemus hic *virgo*, in Hebræo esse Bethulas quod sæpè quidem significat virginem, sed aliquando etiam mulierem non virginem: ideo ne quid dubii supersit, additum esse, *& incognita viro*. Consentit Leonard. Marius.

[℣. 17. *Occurritque ei* ] Revertenti de fonte seu puteo.

[ *Servus, & ait: Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua*, Quam jam impleverat aqua ut dicitur vers. 16. At petes, quo modo servus potuit occurrere Rebeccæ redeunti ex fonte cum ipse esset propè fontem; v. 13. Resp. & ipsum & camelos fuisse juxta fontem, seu non procul à fonte, antequam Rebecca veniret; sed permisit eam propius accedere ad fontem, & ex eo haurire nihil dicens, postea verò cum à fonte reverteretur, recessit ad illam servus, & petiit bibere.

[℣. 18. *Quæ respondit: bibe Domine mi.* ] Unde patet quàm benè morigerata & in verbis suis urbana erat Rebecca, quæ tam placidè viro extraneo & ignoto loquitur, eique potum petenti statim offert: sequitur enim.

[ *Celeriterque deposuit hydriam super ulnam suam, & dedit ei potum.* ] Ubi alia ejus humanitas & benignitas commendatur quòd non tantùm præbet potum, sed etiam servum liberat molestia levandi hydriam. Neque sic contenta, aliam rursum adjicit dicens:

[℣. 19. *Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.* ] Seu donec omnes ad unum potu satientur, & cessent bibere. Sic impleri incipit quod v. 14. servus à Deo petierat. Possunt hinc doceri virgines quæ in Rebecca imitentur: In primis quòd ipsa diligenter se à viris intactam servaverit usque ad legitimum matrimonium.

Secundò quòd esset sedula & operosa, aquam ipsa hauriens & bajulans, licèt opulenti parentis filia, non verò otii aut vanæ recreationis vel curiositatis causa deambulans quod hodie multis in more est, non sine periculo vel etiam jactura suæ virginitatis, ut Dinæ contigit cap. 34. de quibus verum est illud poetæ: *Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsæ.* Quæ imitari debeant virgines.

Tertiò, quòd non hæret in publico citra necessitatem; hausta enim aqua statim revertebatur, & postea cucurrit in domum suam.

Quartò, quòd viro ignoto benignè loquitur & præstat obsequium, etiam ultra quam esset rogata, cum nostræ puellæ, ipsis quoque domesticis suis sæpènumero durè loquantur, & extraneos dedignentur.

Quinto, quòd licèt audiret illum esse servum Abrahæ, non vagis oculis aspicit, neque quidquam curiosè inquirit, imò nec ipsa eum in domum introducit, quod virgineum pudorem minùs id deceret: sed currit nuntiare matri.

[℣. 20. *Effundensque hydriam in canalibus*, ] Ad potum animalium excisis vel effossis.

[ *Recurrit ad puteum*: ] Dum quidam camelorum bibunt, currit haurire aliam aquam, ut & cæteri possint bibere.

[℣. 21. *Ipse autem contemplabatur eam tacitus*, ]

Atto-

Attonitus perpendebat non tantùm speciem ejus, sed etiam officiositatem, sedulitatem, liberalitatem, incessumque & modum se gerendi illius.

[ *Scire volens utrùm prosperum iter suum fecisset Dominus*. ] Faciendo occurrere ei puellam qualem ex voto sui domini desiderabat, iisque dotibus ornatam quæ digna esset matrimonio jungi cum Isaac. Cæterum etsi ista perpenderet servus Abrahæ, adhuc tamen nesciebat ex qua familia esset Rebecca, ac per consequens necdum erat securus de oratione sua exaudita quantum ad hoc, An ista esset futura uxor Isaac.

[ ℣. 22. *Postquam autem biberunt cameli, protulit vir inaures aureas*. ] Jam quidem inaures illas protulit: sed quamvis Abulensis & alii quidam aliter existiment, verisimilius est quòd inquisierit de Rebeccæ familia, priusquam illas ei daret. Versu enim 47. cum servus hanc rem narrat, dicit se ab illa petiisse cujus esset filia, & hoc intellecto suspendisse, seu dedisse ad suspendendum inaures ad ornandam faciem ejus, & hæc est sententia Lirani, Dionys. Chartus. Delrianis, Marii, & plurium aliorum. Pro inaures (quod etiam habent 70.) in Hebr. est, inaurem singularis numeri pro plurali.

Quæri posset, Utrùm illæ inaures essent aureæ, an deauratæ. Sed cum scriptura vocet illas aureas, & textus Hebræus dicat inaurem auri, non est ratio dubitandi quin essent aureæ.

[ *Appendentes siclos duos*, ] Scilicet singulæ unum: & sermo est de siclis minoribus, quorum duo faciebant unum siclum majorem qui valet quatuor drachmas & unus siclus minor facit dimidium sicli majoris & sic concordari potest textus Hebræus qui inaurem dicit fuisse dimidii sicli, nimirum majoris, cum juxta nostram versionem, una esset integri sicli, sed minoris. Ad horum elucidationem quidam dicunt siclum dimidiatum (qui per siclum minorem intelligitur) aliquando vocari siclum; sicut minor seu medius tegalis, interdum vocatur regalis. Quòd autem 70. dicunt singulas inaures fuisse unius drachmæ; intelligendum videtur de drachma Alexandrina quæ æquivalebat duabus Atticis, hoc est, dimidio sicli, secundùm ea quæ diximus c. 23. v. 15. atque ita conveniunt cum textu Hebræo.

[ *Et armillas* ] Quæ sunt ornamenta brachiorum: dicuntur enim armillæ ab armo quod brachium significat.

[ *Totidem* ] Id est, duas easque pariter aureas, ut Hebræa indicant quæ dicunt, *decem aurei pondus earum*, pondo seu *pondere siclorum decem*, ita ut singulæ essent quinque siclorum.

Observandum hic quòd servus Abraham duplicia det ornamenta Rebeccæ futuræ sponsæ Isaac, aurium scilicet & manuum: quia ut animæ nostræ sint sponsæ Christi, debemus audire simul & operari; neque enim auditor otiosus, sed factor operis, beatus erit Jac. 4. Unde quod hæretici audiunt & non faciunt, non pertinet ad spirituale matrimonium hominis cum Deo; sicuti nec quòd aliqui faciunt opera ex se bona, sed qui nolunt fidem audire; cum *justus ex fide vivat* ad Rom. 1. Prius autem dantur ornamenta aurium, quia prius audienda est fides, quàm vel quis credat, cum fides sit ex auditu, ad Rom. 10. vel benè operetur.

[ ℣. 24. *Filia sum Bathuelis, filii Melchæ, quem peperit ipsi Nachor*. ] Ista est hujus loci lectio. Alia quam aliqui libri habent, est v. 47.

[ ℣. 26. *Inclinavit se homo, & adoravit Dominum*, ] Ita Christianos decet, ad boni nuncii auditum & ad cujuscumque divini beneficii acceptionem, Deum adorare & benedicere.

[ ℣. 27. *Qui non abstulit misericordiam & veritatem suam à Domino meo*, ] Id est, qui quod Domino meo misericorditer promisit, veraciter præstitit, me perducens ad ipsius cognationem. Quamvis enim misericordia & veritas sumi possint ut idem significantia; rectè nihilominus sic distinguuntur, ut misericordia referatur ad promissionem, & veritas ad promissorum impletionem.

[ ℣. 28. *Nuntiavit in domum matris suæ* ] Opinantur quidam non omnino improbabiliter, Bathuelem patrem Rebeccæ jam fuisse mortuum; tum quòd ipsa non patris domum, sed matris nominat; tum quòd postea vers. 53. dantur munera Rebeccæ, fratribusque ejus, & matri, patri nihil; tum denique quòd v. 55. mater & fratres instant ut Rebecca maneat apud illos per decem dies, & de patre nihil dicitur. At hæc non convincunt. *An Bathuel esset mortuus.* Non primum, quia apud orientales, ac etiam apud antiquos Hebræos in singulis pœnè ædibus præsertim amplioribus erant gynecæa seu habitacula ubi mater & puellæ virgines manebant separatim à patre & fratribus, quemadmodum colligi potest partim ex sequenti vers. 67. partim ex histor. lib. Esther, partim ex Cant. 2. *Donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ*. Quibus similia repetuntur c. 8. Et hujus separatæ habitationis ratio erat, ut melius custodiretur virginum pudicitia, ac etiam mulierum concordia quæ alioquin difficillimè potuisset servari, ubi plures in domo una erant uxores. Conferri possunt Seratius in cap. 2. Esther quæstiuncula 8. & Marius hic. Secundùm hæc non est mirum quòd Rebecca dicatur nuntiasse in domum matris; quoniam in illam domus partem cucurrit nuntiare, ubi cum matre degebat. De cæteris quæ opponebantur, dicemus cum ad versus illos erit perventum.

[ ℣. 29. *Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban*, ] Cui sicut & Bathueli patri (si adhuc vivebat) mater nunciat vel nunciari curat quæ acciderant: Bathuel autem rem totam committit filio suo Laban.

[ *Qui festinus egressus est ad hominem, ubi erat fons* ] Postquam scilicet domi viderat inaures quas habebat Rebecca, & audierat eam referentem quæcumque peregrinus ille dixisset. Hoc enim versu breviter & per anticipationem dicitur quòd Laban sit egressus ad hominem; sed seq. vers. exprimitur quid antea contigerit.

[ ℣. 30. *Cumque vidisset inaures & armillas in manibus sororis suæ, & audisset cuncta* &c. *venit ad virum*. ] Non ergo ad virum egressus est, nisi postquam cuncta vidisset & audivisset quæ contigerant, imò nec antequam præparasset seu parari jussisset locum viro & camelis, ut manifestum est ex v. seq.

[ ℣. 31. *Ingredere, benedicte Domini*: ] Seu Deo dilecte.

[ *Præparavi domum & locum camelis*. ] Hoc est, jussi famulis ut præparent. Imitanda est hujus viri benignitas & hospitalitas: Suaviter enim servum alloquitur, eumque statim inducit in domum, eumque non solum sed cum omnibus viris & camelis suis, nihil sumptuum magnitudinem veritus.

[ ℣. 32. *Ac destravit camelos*, ] Onera eorum abstulit;

[ *Et aquam ad lavandos pedes ejus*, ] Ita legendum, *ejus*, cum Hebr. & Græc. codicibus, non ut quidam, *camelorum*.

[ ℣. 33. *Et appositus est in conspectu ejus panis*. ] Quo nomine cibum omnem significari vel comprehendi notum est ex hujus lib. cap. 3. 18. 31. & aliundè.

[ *Qui ait: Non comedam donec loquar sermones meos*. ] Donec ea exponam quæ habeo in mandatis, & cuncta exequar quæ Dominus meus mihi injunxit. Quo exemplo docemur quanta sedulitate exequenda sint superiorum mandata.

[ ℣. 35. *Et Dominus benedixit domino meo valdè*, ] Illi benefecit & supra modum eum locupletavit. Pro iis quæ sequuntur, observandum est in repetitionibus sufficere si sententia congruat, etiamsi non eadem sint verba, imò nec idem prorsus ordo verborum.

[ ℣. 40. *Dominus, ait, in cujus conspectu ambulo*, ] Hoc est, cui servio & per omnia placere studeo.

[ ℣. 41. *Innocens eris à maledictione mea*, ] Non teneberis juramento quod à te exigo, neque obnoxius eris maledictioni vel pœnæ quæ manet eos qui juramentum violant, præsertim execratorium per quod is qui jurabat, divinæ ultioni se subjiciebat si fidem falleret; similiterque is qui alium adigebat ad jurandum, ipsi divinam imprecabatur vindictam si juramentum suum violaret. Et quia Abraham sic servo suo erat (saltem implicitè) imprecatus,

ideo maledictionem hic vocat quod v. 8. dixit juramentum.

[ *Cùm venerit ad propinquos meos,* ] Ita rectios legitur *propinquos*, ex antiquis libris, quàm *proximos*, ut quidam.

[ ℣. 48. *Suspendi itaque inaures* ] Hoc est, dedi inaures, ut cum voluerit, suspendat : ex versu enim 30. constat Rebeccam habuisse inaures & armillas præ manibus, cum fratri suo narrabat quæ acciderant.

[ 48. *Ut sumerem filiam* ] Seu neptem [ *fratris domini mei.* ]Nam Rebecca erat neptis Nachor fratris Abrahæ. Potest nihilominus etiam propriè accipi filis, per fratrem intelligendo consanguineum ut alibi sæpè, quia Bathuel pater Rebeccæ erat consanguineus Abrahæ.

[ ℣. 49. *Quamobrem si facitis misericordiam & veritatem cum domino meo, indicate mihi* : ]Id est, si vultis facere id quod Deus misericorditer promisit Domino meo omninoque existimo quod præstabit. Aut, indicate mihi; velitisne gratum facere domino meo & ei concedere quod per me petit.

[ *Ut vadam ad dexteram sive ad sinistram.* ] Hebraismus est, perindeque valet ac si diceret, ut eam quocumque mihi visum fuerit: fuisse enim & alios filios Nachor qui non minùs erant consanguinei Abrahæ quàm Bathuel, ex quibus potuisset quæri uxor pro Isaac ex fin. cap. 22. liquet.

[ ℣. 50. *Responderuntque Laban & Bathuel* : ]Quidam existimant hunc Bathuelem fuisse fratrem Laban, eoque juniorem, non verò patrem; quia pater debuisset prior nominari. At responderi potest sermonem esse de patre; quòd autem nominetur posterior, rationem esse quòd Laban prior loquebatur, & quidem patris sui nomine, ob causam mox dicendam.

[ *A Domino egressus est sermo* : ]Hæc Dei est voluntas, quantum apparet ex iis quæ narrasti, ut Rebeccam demus Isaaco uxorem.

[ *Non possumus* ] Seu nobis non licet.

[ *Extra placitum ejus quidquam aliud loqui tecum.* ]

[ ℣. 51. *En Rebecca coram te* ] Sive in potestate tua.

[ *Est, tolle eam, & proficiscere,* ]Hoc est, eam assume & deduc tecum.

[ *Et sit uxor filii Domini tui, sicut locutus est Dominus.* ] Si quæras; ubi Deus hoc locutus fuerat : Resp. non constare locutum fuisse verbis; sufficere quòd signo, eo nimirum quod servo petenti dedit, & quo significavit voluntatem suam esse, ut Rebecca esset uxor filii Domini ipsius.

[ ℣. 52. *Quod cùm audisset puer Abraham, procedens adoravit in terram Dominum.* ] Duo hic sunt notatu digna. Unum quòd puer non sit hic nomen ætatis, sed conditionis; idem enim valet quòd servus. Et quoniam iste servus (nimirum Eliezer (habebat filium nomine Damascum ante nativitatem Ismaelis, qui erat annis quatuordecim senior quàm Isaac; Isaac autem jam erat annorum quadraginta, ut patet ex cap. 17. 21. & 25. consequens est eum hoc tempore senem fuisse, falsumque propterea id quod aliqui dixerunt in sacris litteris eum non vocari puerum qui est ultra annos triginta. Alterum, quanta fuerit hujus servi devotio qui audito bono nuncio, statim Deo gratias agit, flectitque coram aliis usque ad terram.

[ ℣. 53. *Prolatisque vasis argenteis,* &c.] Quæ ad mulierum supellectilem & ornatum spectant.

[ *Dedit ea Rebeccæ pro munere,* ] Hoc est, pro donis sponsalitiis, & pro arrha futuri matrimonii.

[ *Fratribus quoque ejus & matri dona obtulit* ] Non dicitur, quòd patri; quia voluit illis dona offerre qui cum eo tractabant de matrimonio, eique tam favorabiliter consensum præbebant; pater autem etsi adhuc fortè superstes erat, per se negotium hoc non tractabat, sive quia ætate ingravescente inidoneus rebus agendis per filium cuncta administrabat, & quemadmodum reliqua suæ familiæ, ita & hoc filio suo Laban commiserat, qui tamen matris fratrumque suorum præsentiam & consensum adhibuit utpotè quòd res majoris esset momenti.

[ ℣. 54. *Surgens autem manè, locutus est puer* : ]Seu servus.

[ *Dimittite me,* ] Ita legendum in plurali dimittite, ex Hebræis variisque Latinis codicibus apparet. Legendo autem singulare, intelligendum est esse enallagen numeri.

[ ℣. 55. *Responderuntque fratres ejus & mater:* ]Cur non pater, diximus v. 53.

[ ℣. 57. *Vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem.* ]Non de sponsalibus aut matrimonio: jam enim consensum suum de matrimonio dederat, videns de illo tractari & munera sponsalitia ipsiusque futuri matrimonii arrabonem accipiens; vers. 51. & 53. ) sed de profectione tam repentina. Unde statim interrogant:

[ ℣. 58. *Vis ire cum homine iste?* ] Volente scilicet nunc proficisci; ac proinde, cupisne statim exire, an per aliquot dies expectare? patet hic sensus, partim quia non dubitabant an vellet ire ad Isaac, quandoquidem acquieverat dicentibus, *tolle eam & proficiscere*: partim quia mox ut respondit.

[ *Vadam.* ℣. 59. *dimiserunt ergo eam.* ] Quod porrò statim ita respondit, non est tribuendum aut inverecundiæ aut carnali concupiscentiæ, sed obedientiæ & benevolentiæ : Intelligebat quippe negotium ex Dei voluntate ac directione agi, videbatque servum esse festinum, & justam festinandi causam habere.

[ *Et nutricem illius,* ] Quidam addunt Deboram (sic enim vocatam fuisse liquet ex cap. 35.) sed non est hic de textu. Ideo autem cum Rebecca, dimiserunt ejus nutricem, ut in parentum absentia, ipsius solatio soveretur.

[ ℣. 61. *Igitur Rebecca & puellæ illius,* ] ( Ei servituræ. )

[ *Ascensis camelis, secutæ sunt virum* : ] Servum Abrahæ. Quòd Rebecca camelum ascendit, atque ita illum sibi subjicit, Allegoricè significat Ecclesiam sibi subdituram fuisse populum Gentilem. Camelus enim juxta S. Gregor. l. 1. Moral. cap. 14. hic gentilitatem significat.

[ ℣. 62. *Eo autem tempore deambulabat Isaac per viam quæ ducit ad puteum,* ] De cap. 16. dictum fuit. Petes quomodo Isaac poterat ibi deambulare, cum ille puteus esset in solitudine Bersabee, Abraham verò atque adeò etiam Isaac habitaret juxta Hebron, ut habetur ex cap. 23. Resp. Abraham post sepulturam Saræ rediisse in Bersabee, vel ad locum ei vicinum.

[ *Habitabat enim in terra Australi:* ] Nam Bersabee erat in Australi parte respectu terræ Chanaan.

[ ℣. 63. *Et egressus fuerat ad meditandum in agro,* ] Pro, ad meditandum, alii ex Hebr. vertunt, ut exerceretur : Alii, ut loqueretur. Intelligitur autem exercitium mentis spirituale, & locutio cum Deo; atque ita noster interpres optimè vertit, *ad meditandum.*

[ *Inclinata jam die:* ]Pulchrum hic est documentum ut compositis rebus domesticis, animum sub vesperam à curis externis abstrahentes, solitudinem quæramus, & orationi ac meditationi vacemus.

[ ℣. 64. *Rebecca quoque, conspecto Isaac,* ]Quem adhuc non noverat.

[ *Descendit de camelo,* ℣. 65. *Et ait ad puerum: Quis est ille homo qui venit per agrum?* ] Est hysteron proteron. Omnino enim probabile est eam prius interrogasse, & audito quòd esset Isaac, statim descendisse ut illum honore præveniret.

[ *At illa tollens citò pallium, operuit se.* ]Pro pallio, 70. habent Theristrum; quod est, pallium aut velamen quo mulieres Arabes solent velari. Hæc autem velatio signum est pudoris & verecundiæ; sicut econverso ad impudentiam & inverecundiam pertinet, quòd nostri sæculi filiæ denudant caput, collum, & ubera, immemores ejus quod Isai. 3. legitur : *Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo* &c. *decalvabit Dominus verticem filiarum Sion*; ac etiam ejus quod 1. ad Corinth. 11. dicit Apostolus: *Omnis mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum.*

[ ℣. 67. *Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ*

mat-

*matris suæ*, ] Hoc est, in eam partem domus, ubi solebat habitare Sara. Sic autem introduxit, ut etiam illi traderet supellectilem & ornatum muliebrem qui pertinuerat ad Saram.

[ *Et accepit eam uxorem* : ] Eamque solam, sicut Christus per Isaac figuratus solam Ecclesiam sibi despondit.

[ *Et in tantum dilexit eam*, ] Non libidinoso, sed conjugali & spirituali amore.

[ *Ut dolorem, qui ex morte matris ejus acciderat*, ] Triennio scilicet ante has nuptias, ut patet ex collatione eorum quæ diximus initio cap. 23. cum his quæ dicuntur cap. 25. v. 20.

[ *Temperaret*. ] Quo modo Abraham Dei patris figuram in hoc negotio gesserit, Isaac Christi, Rebecca Ecclesiæ: servus Apostolorum, videri potest apud Dionys. Carthusian. Leonardum Marium, & alios prolixè ista tractantes.

## CAPUT XXV.

*Abraham ducit aliam uxorem ex qua sex filios suscipit, quos tamen non admittit in partem hæreditatis cum Isaac, moritur deinde, & ab Isaac & Ismaele sepelitur. Ismael quoque postquam duodecim duces genuerat, moritur: Isaac verò pro uxore sua sterili precatus geminos gignit Esau & Jacob quorum major minori vendit primogenita.*

Cetura est diversa ab Agar.

[ ℣. 1. *Abraham verò aliam duxit uxorem, nomine Ceturam* : ] Hebræi volunt quòd quæ nunc vocatur Cetura, prius diceretur Agar, cum qua Abraham jam redintegraverit matrimonium. At Ceturam, esse diversam non solùm à Sara, quæ ab annis tribus erat mortua, sed etiam ab Agar, communis est Catholicorum sensus. Primò, quia textus clarè significat Abraham nunc eam duxisse uxorem, quam antea non duxerat; dicit enim quòd duxerit aliam, utique à præcedentibus. Secundò, quia inferius vers. 6. Abraham legitur habuisse concubinas; nec est ratio, vel confugiendi ad enallagen numeri, vel assignandi alias ejus concubinas quàm Agar & Ceturam. Tertiò, quia inter filios Ceturæ numquam recensetur Ismael; cum tamen ipse fuerit inter præcipuos filios Abrahæ, excepto Isaac. Unde 1. Paralip. 1. dicitur: *Filii Abrahæ, Isaac & Ismael*; post enumeratos verò filios Ismaelis quem ex Agar genitum esse constat; subjungitur. *Filii autem Ceturæ concubinæ Abraham*, tamquam de genitis ex diversa matre. Quartò, quoniam hoc tempore Agar si adhuc vivebat, nimia vetula erat, ut tot filios generaret, quot recensentur ex Cetura geniti. Cum enim Abraham accepit Agar in uxorem, ipse erat ann. 85. quando autem accepit Ceturam (quod fuit post nuptias Isaac) erat ut minimum ann. 140. ut colligi potest ex cap. 16. collato cum hujus cap. v. 20. Cæterum cum Cetura tum hic, tum 1. Paralip. 1. semel iterumque vocetur concubina, probabile est eam similis fuisse conditionis, ancillam scilicet Abrahæ, quales ferè tunc temporis erant concubinæ, ut Agar, Bala & Zelpha: Magis tamen certum est fuisse uxorem secundariam sive non primariam, nam primariæ solemniter ducebantur; erantque matres familias, & ita habebant totius rei familiaris administrationem ut transirent in commune rerum dominium, neque vocabantur concubinæ. Si quæras, quid moverit Abraham ut tam senea uxorem duceret. Resp. fuisse desiderium prolis, ut per eam vera Dei notitia & cultus posset ad varia loca propagari.

[ ℣. 2. *Quæ peperit ei Zamran* ] Ita legendum, non verò Zamram. Referuntur sex filii Ceturæ, quorum plerique Arabiam felicem incoluerunt usque ad mare rubrum, nec eorum nomina præter Madian, à quo Madianitæ, diu permanserunt: Si dicas, Arabiam dudum antea fuisse habitatam à Sabæis cap. 10. Resp. eos non plenè illam inhabitasse, ideoque novos hos colonos facilè fuisse admissos.

[ ℣. 3. *Jecsan quoque genuit Saba*, ] Enumerat decem tum nepotes tum pronepotes Ceturæ; quorum ideo fit mentio specialis, quia posteri eorum valde molesti fuerunt populo Judæorum.



[ *Filii Dadan* ] Sive, ut in Hebr. est, Dedan. Posteri Dedan in duos populos distincti fuisse videntur: Nam Ezech. 27. bis agitur de illis tamquam de diversis, nimirum versu 15. & 20. ex quibus locis patet ipsos fuisse negotiationi deditos: habitaverunt autem juxta Idumæam quemadmodum indicatur Jerem. 49. v. 8. & Ezech. 25. v. 13.

[ *Fuerunt, Assurim, & Latusim, & Loomim*. ] Incertum est, sintne hæc hominum, an populorum nomina, sic ab artificio cujusque nuncupatorum: Nam *Assurim* significat (teste Hieron. in qq. Hebr.) negotiatores; *Latusim*, æris ferrique metalla cudentes, *Loomim*, multorum populorum principes: Certum tamen est quòd Assyrii frequenter in scriptura nominati, non sint ita cognominati ab Assurim, sed ab Assur de quo cap. 10. dictum est.

[ ℣. 4. *Ex Madian ortus est Epha*, ] A quo denominata est regio Epha, Isai. 60. v. 6. Ubi Hieron. scribit: *Madian & Epha regiones sunt trans Arabiam, fertiles camelorum, omnisque provincia appellatur Saba*.

[ *Et Opher*, ] Qui dicitur habuisse filium Afrum nomine, à quo denominata sit Africa.

[ ℣. 5. *Deditque Abraham cuncta quæ possederat, Isaac* : ] Sermo est de bonis hæreditariis & immobilibus, de quibus cap. 24. servus Abrahæ dicebat quòd omnia quæ dominus suus habuerat, dedit filio suo Isaac. At quomodo tunc dederat, si demum nunc dedit. Resp. quòd tunc dederat ordinando, ut Isaac illa haberet, ipsique verbo aut etiam scripto donando, nunc autem dedit ut actualiter jam præcipua possideret, residua post mortem patris possessurus.

[ ℣. 6. *Filiis autem concubinarum largitus est munera*, ] Auri nimirum & argenti, vestium pretiosarum, & aliorum hujusmodi quæ tum ex cæde regum reportaverat cap. 14. tum aliunde acquisierat. Filii concubinarum intelliguntur filii Agar & Ceturæ: Quæ vocantur concubinæ, non quòd non essent veræ ac legitimæ uxores (quomodo nunc passim usurpatur concubina, pro muliere quæ cum non sit uxor, pro arbitrio tamen ad concubitum accipitur) sed quia non erant uxores solemniter ductæ. Olim enim concubina vocabatur quæ sine instrumentis dotalibus cæterisque conjugii solemnitatibus matrimonialiter jungebatur viro nec admittebatur ad plenam familiæ administrationem, bonorumve participationem, ac per consequens non erat materfamilias, nec uxor primaria. Et quamvis filii concubinarum, ex vi contractus matrimonialis, non succederent in hæreditatem paternam, poterant tamen ejus participes fieri, quemadmodum filii Balæ & Zelphæ habuerunt suas partes in divisione terræ promissionis, non minùs quàm filii Rachelis & Liæ: Nihilominus Abraham voluit solum Isaac esse hæredem suorum bonorum, quia ipsi specialiter factæ fuerant promissiones in Isaac. Sicut autem solus Isaac possedit hæreditatem patris sui Abrahæ, ita soli filii benedictionis seu justi possident hæreditatem patris cœlestis; filiis verò concubinarum, id est hæreticis & aliis qui non sectantur justitiam, dantur in hoc mundo bona temporalia.

Quæ dicerentur olim concubinæ.

[ *Et separavit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viveret*, ] Non propter præsentem religionis diversitatem; tunc enim necdum erant idololatræ; sed ne partem terræ, Isaaco promissæ sibi vendicarent, neve postea posteros Isaac vel turbarent in divisione illius terræ, vel sua idololatria contaminarent. Discant hinc parentes tempestivè providere; ne post eorum mortem oriantur inter filios suos lites & dissensiones.

[ *Ad plagam orientalem*. ] Debent ista verba conjungi cum præcedenti verbo, *separavit*. Hebræus ita geminat, ad orientem, in terram orientis. Qua geminatione significatur Abraham misisse filios concubinarum in partes omnino orientales: Id quod verissimum est. Nam Ismaelitæ fuerunt in oriente proximi posteris Isaac: filii autem Ceturæ, ulterius ad ortum solis recesserunt; qui propterea vocari solent filii orientis Isai. 11. v. 14. Jerem. 49. v. 28. Ezech. 25. v. 10.

[ ℣. 7. *Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ, centum septuaginta quinque anni*. ] Unde sequitur quòd post

matrimonium cum Cetura: supervixerit annis triginta quinque.

[ ℣. 8. *Et deficiens mortuus est* ] Deficiens, non in Hebr. est, sed apud 70. Hinc Hieronymus in qq. Heb. Male, inquit, in septuaginta interpretibus additum est. Et deficiens Abraham mortuus est, quia non convenit Abrahæ deficere & imminui. Sed hanc eorum reprehensionem correxisse videtur, vocem illam quando Genesim ex Hebr. vertit, hic reddens. Quamvis ergo Abrahæ non conveniat deficere vel sensu & prudentia; vel virtutibus & gratia; poterat tamen deficere viribus corporis humido naturali paulatim deficiente. Unde sensus est Abraham mortuum esse ex defectu virium naturalium, non autem ex violentia ipsi illata, neque ex vi morbi corpus vegetum corrumpentis.

Ut Abraham defecerit.

[ *In senectute bona*, ] Hoc est, magna & sana, quieta & pacifica; justa & sancta; ista quippe omnia complectitur senectus bona.

[ *Provectaque ætatis*, ] utpotè qui ad ultimam ætatem pervenit & tanto tempore vixit, quanto naturaliter poterat vivere.

[ *Et plenus dierum*: ] Satur dicunt Hebræa. Significatur autem quòd erat satiatus vita; sive quòd tam diu vixerat, ut eum sicut aliarum rerum caducarum, ita vitæ caperet satietas, nec durum duceret mori, sed jucundum.

[ *Congregatusque est ad populum suum*. ] Id est subiit conditionem suorum prædecessorum: & mortuus sicut illi, ad statum illorum transivit, estque illis aggregatus, nimirum secundùm animam. Unde hinc rectè concludi potest animæ immortalitas, ut quæ permaneat post mortem corporis, & quidem non solitaria, sed cum animabus aliorum qui antea fuerunt mortui. Aggregantur autem animæ, bonorum quidem ad bonas; malorum autem ad malas; ac per consequens non videtur proprium esse bonorum ut cum moriuntur, dicantur congregari ad populum suum: Nam & mali morientes ad populum suum, seu sibi similem congregantur; & de ipsis frequenter legitur quòd dormierunt cum patribus suis: quæ phrasis æquivalere videtur ei quod est ad suum populum congregari, præsertim ubi illa dormitio distinguitur à sepultura, ut 4. Reg. 15. v. 38. cap. 16. v. 20. cap. 21. v. 18. & 2. Paralipp. 33. v. 20.

Quid, congregari ad populum suum.

[ ℣. 9. *Et sepelierunt eum Isaac & Ismael filii sui* ] An alii quoque filii ex Cetura geniti eum sepelierint, An verò propter remotissimam habitationem, abfuerint, est incertum.

[ *In spelunca duplici*, ] Quam simul cum agro emisse Abram, dictum fuit cap. 23. Unde sequitur:

[ ℣. 10. *Quem emerat à filiis Heth*: ] Legendum est, quem, quod agrum refert, non quam, quod referat speluncam. Notandum ista de morte Abrahæ per anticipationem hic referri: Abraham enim post nativitatem Jacob & Esau fuit mortuus, & quidem cum ipsi essent annorum quindecim; nati quippe sunt anno Isaac sexagesimo, & Abrahæ centesimo sexagesimo; Abraham autem adhuc quindecim annis supervixit, ad annorum scilicet centesimum septuagesimum quintum.

[ ℣. 11. *Et post obitum illius benedixit* ] Seu benefecit.

[ *Deus Isaac* ] Bonis eum temporalibus & spiritualibus cumulando.

[ *Qui habitabat juxta puteum* ] Seu non longè à puteo.

[ *Nomine viventis & videntis* ] De quo cap. 16. vers. 14. vers. 21. vers. 19. cap. 24. vers. 62. Hic puteus erat intra solitudinem quæ dicta fuit solitudo Bersabee; Isaac autem habitabat in regione dicta Bersabee, extra solitudinem.

[ ℣. 12. *Hæ sunt generationes Ismael* ] Quoniam Ismael honorem exhibuit patri defuncto, in ejus sepultura; & quoniam conveniebat ostendere verificatam fuisse prædictionem de qua superius cap. 17. legitur, *duodecim duces generabit*: Ideo honorificam oportuit fieri ejus mentionem, & duodecim ejus filios, duodecim tribuum suarum principes recenseri.

[ ℣. 13. *Et hæc nomina filiorum ejus in vocabulis & generationibus suis*. ] Id est, in vocabulis quæ ad generationes, sive ad posteros suos transmiserunt: Aut, quibus ipsi eorumque posteri sunt vocati; est enim hebraismus, nomina in vocabulis, pro, nomina quibus vocati sunt.

[ *Primogenitus Ismaelis Nabajoth*, ] A quo Nabuthæi, inter mare Erythræum & Euphratem incolæ.

[ *Deinde Cedar*, ] A quo Cedareni Arabes, à tabernaculis seu tentoriis celebres: unde Cant. 1. *Sicut tabernacula Cedar*.

[ ℣. 14. *Masma quoque, & Duma, & Massa*, ] A Duma, populi Idumæis propinqui, vel etiam illis mixti fuere cognominati. Unde Duma pro Idumæa interdum sumitur, ut Isai. 21. *Onus* Duma. Quibus vel urbibus, vel regionibus, vel populis nomina sua dederint Masma & Massa, ut & de quibusdam aliis, ignoretur. Observat interim Leonard. Marius quòd Hebræi soliti sunt ista tria nomina filiorum Ismaelis simul juncta, *Masma*, *Duma*, *Massa*, proverbialiter usurpare, ad significandum. *Audi, tace, perfer*: Masma enim significat auditum; Duma, silentium; Massa, tolerantiam, ut annotavit Hieronym. lib. de nominib. Hebr.

[ ℣. 15. *Hadar & Thema*, ] A Thema, civitas & regio Thema, ad Orientem Idumææ, cujus rex Eliphaz amicus sancti Job; & de qua etiam Baruch 3. tamquam negotiationi dedita fit mentio; denominata fuit.

[ *Et Cedma*. ] A quo regio ad Orientem Palæstinæ.

[ ℣. 17. *Et facti sunt anni vitæ Ismaelis centum triginta septem*, ] Qui proinde post mortem Abrahæ vixit annis 48.

[ *Deficiensque mortuus est*, ] Morte naturali obiit, naturæ viribus deficientibus.

[ *Et appositus ad populum suum*. ] Ex hac phrasi colligunt Hebræi Ismaelem prius malum, postea pœnitentiam egisse, & esse salvatum. Sed ut nobis incertum est qualis fuerit ejus vita, ita non potest hinc certò colligi qualem finem habuerit, cum ista phrasis sit indifferens ad bonum & malum, secundùm ea, quæ ad vers. 8. dicebamus.

[ ℣. 18. *Habitavit autem ab Hevila usque Sur*, ] Sermo est de Ismaele cum filiis suis, unde in Hebr. legitur, habitaverunt. Rectè tamen tam Septuaginta quàm Hieronym. reddiderunt singulare, quia de solo Ismaele fuit sermo proximè præcedens. Oleaster, Marius, & alii opinantur non hic agi de Hevila Indiæ, cujus cap. 2. fuit mentio, sed de alia quæ est prope desertum Sur, inter Ægyptum, Assyriam, & Palæstinam.

[ *Qua respicit Ægyptum introeuntibus Assyrios*. ] Significatur quòd solitudo Sur est è regione Ægypti, & eam attingit ea parte qua itur ex Ægypto in Assyriam. Vide c. 16, v. 7.

[ *Coram cunctis fratribus suis* ] Hoc est, illis adhuc viventibus & videntibus. Per fratres non est necesse intelligere Isaac & filios Ceturæ, sed intelligi possunt filii aut generaliter, propinqui, sicut cap. 31. ubi Jacob ad Laban dicit: *Pone hic coram fratribus meis & fratribus tuis*: nec enim possumus credere quòd Jacob exceptis libertis, secum fratres aliquos habuerit, ait hic B. Hieron.

[ *Obiit* ] Pro, obiit, in Hebr. est, nephal, quod significat cecidit: & quasi sensus sit Ismaeli sortem habitationis cecidisse inter fratres. 70. reddunt habitavit. Sed quidam existimant versionem 70. hic esse corruptam: Verius enim est sermonem esse de casu per mortem, ut cecidit, idem valeat quod occubuit seu obiit, quemadmodum notat Hieron. in qq. Heb. etsi contra sentiat Oleaster.

[ ℣. 20. *Qui* ] Scilicet Isaac.

[ *Cum quadraginta esset annorum, duxit uxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Mesopotamia*, ] Bathuel vocatur Syrus quamvis esset Mesopotamius; & Mesopotamia ponitur inter partes Syriæ, quemadmodum etiam infra cap. 28. quia Syriæ nomen ad regiones valde diversas extenditur; Unde *Una* dicitur Syria Damasci; *secunda*, Græcis

cis & Latinis Celesyria, id est, Syria cava, propter cava depressaque vallium loca; Hebræis, Aram seu Syria Zoba, propter montium altitudinem: *Tertia*, Syria Maacha, à filio Nachor, de quo in fin. cap. 22. *Quarta*, dicitur Syria duorum fluminum, illa scilicet quæ inter Euphratem & Tygrim sita est, vocaturque idcirco Mesopotamia: & hæc est Mesopotamia Syriæ, de qua erat Bathuel.

[ ℣. 21. *Deprecatusque est Isaac Dominum* ] Chrysostomus hom. 49. in Gen. censet Isaac totis viginti annis pro uxore sua orasse; & ut hoc sciremus; scripturam notasse quòd Isaac uxorem acceperit cum esset 40. ann. filios autem habuerit, cum esset sexagenarius: & hinc fideles hortatur ut numquam cessent orare Deum, neque ægrè ferant aut segniores fiant, si non statim exaudiantur. Huic expositioni conforme est quod vox Hebræa significat, instanter & multum oravit.

Dices, Isaac non erat ignarus divinarum promissionum de semine ipsi nascituro; nec ignorabat Deum esse veracem: quare igitur sic deprecatus est? Resp. quia etiam sciebat prædictiones & promissiones Dei esse implendas interventu mediorum ab ipso ordinatorum; preces autem Isaac erant medium à Deo ordinatum ad promissionum istarum impletionem. Vide S. Gregor. lib. 1. Dialog. cap. 8. Prosperum lib. 2. de vocat. Gent. cap. 36. B. Thom. 1. p. quæst. 23. art. 8.

[ *Pro uxore sua*, ] Hebr. contra uxorem: hoc est, contra uxoris suæ sterilitatem: quod noster interpres optimè explicavit, addens;

[ *Eo quòd esset sterilis*: ] Mirum videri potest cur sanctæ mulieres & sanctorum virorum uxores, Sara, Rebecca, Rachel, fuerint steriles.

Resp. varias ob rationes. Una est, ut sic manuduceremur ad credendum virginis partum; ut, quando dicit Judæus, Quomodo peperit virgo; dicamus ei quomodo peperit sterilis & vetula, juxta Chrysost. dicta homil. 49.

Secunda, ut intelligamus semen benedictum ex mero Dei dono, & non ex naturæ viribus, nobis datum. Hinc pastores doceant non omnium sterilitatem esse propter ipsarum peccatum: & cum inveniuntur aliqui in matrimonio steriles, non esse hoc peccatis ipsorum tribuendum.

[ *Qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebeccæ*. ] Nimirum post 20. annos matrimonii, ut patet conferenti v. 26.

[ ℣. 22. *Sed collidebantur in utero ejus parvuli*; ] Multum variant interpretes in verbo, *collidebantur*: sed nostra versio est optima, vox enim Hebræa significat collidere & conquassare, non tamen usque ad confractionem. Significatur ergo quòd parvuli in materno utero ad invicem commovebantur instar colluctantium, concertantes de primo exitu, & alter alterum prævenire satagentes. Quod cum non sine gravi molestia & dolore, imò & periculo vitæ matris ageretur: ideo ipsa dixit.

[ *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* ] Quasi diceret. Si tot dolores mihi erant subeundi, si abortus, & vitæ periculum una cum infantibus subeundum, melius mihi fuisset non concipere: Ignara mysterii hæc dicebat. Sicut autem illa concertatio non naturæ viribus fiebat, sed peculiari nutu Dei: Ita ordinabantur à Deo ad significandum litterali seu historico sensu, quòd infantes illi aliquando essent concertaturi de primogenitura & primatu, Allegorico, quòd Judæi cum Christianis disceptaturi essent; Tropologico, quòd mali cum bonis.

[ *Perrexitque ut consuleret Dominum*. ] Non pauci assentiuntur Theodoreto quæst. 75. in Genes. docenti patriarchas solitos fuisse habere altaria in suis ædibus & ad unum illorum ivisse Rebeccam, precibusque ibi fusis Deum orasse quid esset vel quid portenderet ea quam sentiebat collisio, & velut concertatio infantium in suo utero.

[ ℣. 23. *Qui Respondens* ] (Per Angelum scilicet)

[ *Ait: duæ gentes sunt in utero tuo*, ] Non quidem in se, sed in suis patribus: Duo enim illi parvuli futuri erant, unus Judæorum, alter Idumæorum caput.



[ *Et duo populi ex ventre tuo dividentur*, ] Quasi diceret, pugna quam in utero sentis, significat duarum illarum gentium discordiam: ex te siquidem duo parvuli nascentur, ex quibus duo populi propagabuntur, qui futuri sunt valdè dissimiles & discordes. Vide Num. 20. v. 18. & Amos 1. v. 11.

[ *Populusque populum superabit*, ] Non erunt æquales in potentia & robore, sed alter alterum superabit.

[ *Et major serviet minori*. ] Per majorem intelligitur major natu seu primogenitus: qui dicitur serviturus minori seu secundo genito, non quidem in sua persona, sed in sui posteris, quasi diceretur, quòd nati ex primogenito servient illis qui nati fuerint ex secundogenito. Id quod ad litteram 2. Reg. 8. fuit impletum, quando facta est universa Idumæa serviens David, fueruntque Idumæi sub Juda usque dum rebellantes ab eo recesserunt, 4. Reg. 8. & observatum est ab August. quæst. 73. in Genes. Rursum verò postea ab Hyrcano subjugatos Idumæos Judæis fuisse subditos & circumcidi compulsos, in unumque cum Judæis populum coaluisse scribit Josephus lib. 13. Antiq. cap. 17.

Allegoricè impleta fuit ac etiamnum impletur ista prædictio, quando Judæi Ecclesiæ Christi serviunt: Moraliter autem, quando mali Christiani bonis; & quando in bonis, caro servit spiritui. Ex hac revelatione divinitus didicit Rebecca quæ marito suo celavit, & quæ Isaac nescivit usque ad ann. ætatis suæ 137. quando Jacob primogeniti benedictionem accepit, cap. 27. nimirum quænam futura essent istorum puerorum privilegia, & quæ circa illos Dei ordinatio; ideòque nihil mirum si ipsa plus dilexerit minorem, eumque pro benedictione fratri præripienda, patre inscio subornarit; sciebat enim divinitus illi destinatam esse ac concedendam.

[ ℣. 24. *Ecce gemini in utero ejus reperti sunt*. ] Se manifestarunt.

[ ℣. 25. *Qui prior egressus est*, ] Sic antiqui libri legunt, prior, pro eo quod quidam legunt, *primus*.

[ *Rufus erat*, ] Pilos habens rubeos.

[ *Et totus in morem pellis hispidus*: ] Seu pilosus. Pueri solent nasci glabri seu sine pilis; at Esau totus, hoc est, non capite solùm, sed reliquo etiam ferè toto corpore hispidus natus est, præter naturam, ad præsignandum ejus indolem agrestem & asperam.

[ *Vocatumque est nomen ejus Esau*. ] Tria in sacris litteris leguntur hujus viri nomina: Esau, Seir, Edom. Vocatus est *Esau* (quod facturam significat) quia dum natus est, erat sicut vir perfectus; esse enim pilosum, præsertim maxima corporis parte, est virilis seu perfectæ ætatis proprium. Dictus est *Seir*, quod hispidum seu pilosum significat, vel quia talis est genitus; vel etiam quia montem Seir incoluit. Vide cap. 14. v. 6. Nominatus est *Edom*, id est, rufus, à coctione rufa quam à fratre petiit v. 30. quamquam & à colore pilorum sic vocari potuerit. Esau tria habuit nomina.

[ *Protinus* ] Id est, immediatè post priorem.

[ *Alter egrediens, plantam fratris tenebat manu*: ] Quasi contendens de primogenitura, & nolens illum se priorem exire.

[ *Et idcirco appellavit eum Jacob*. ] Quod idem valet ac supplantator, seu plantam tenens. Metaphoricè autem supplantare, est decipere, ob ritum antiquis luctatoribus usitatum, quo is qui volebat alium fallere & subvertere, ejus plantam vel calcem seu extremitatem tenebat vel evertebat, ut caderet.

[ ℣. 27. *Factus est Esau vir gnarus venandi & homo agricola*: ] Pro agricola, 70. habent agrestis; Hebræa, vir agri. Sensus est, quòd erat homo vitam ducens agrestem, quòd frequenter ac libenter versabatur in campis, rarò domi, sæpè foris.

[ *Jacob autem vir simplex* ] Hæc simplicitas non pertinet ad ruditatem vel inscitiam, sed ad bonitatem & virtutem, sicut ea quæ initio libri Job ipsi tribuitur. Pro, *simplex*, Heb. est perfectus. Alii vertunt non fictus, seu absque fuco & dolo: Alii, sine crimine. Sensus est quòd Jacob erat vir sincerus & integer, uni Deo intendens ac virtuti; quod propterea hic notari sentit Aug. lib. 16. de civit. cap. 37. ne in sequentibus putetur Jacob animo fraudulento egisse. Idem August. lib. 5.

de civit. cap. 4. genethliacorum vanas esse observationes, ex horum fratrum moribus & vita diversissimis luculentè ostendit; sicut & Greg. hom. 10. in Evangelia. Si genethliacus dicat istos fratres non esse natos sub eadem constellatione, quia non simul nati sunt, sed unus post alterum: Pariter dicendum foret nec hominem unum sub eadem constellatione nasci, quia non totus simul ex utero prodit; ideoque tot esse unius hominis fata, quot membra: id quod tamen non concedunt.

[ *Habitabat in tabernaculis.* ] Hoc est, domi se continebat, serò foras progrediens, non discursans, nec venationi, sed sibi reique domesticæ intentus. Huc pertinet Versio quam S. Gregorius lib. 5. Moral. c. 7. dicit ita habere: *habitat domi*; vel ut est apud septuaginta habitans domum. Ita verò ut dictum est, oportet explicare, quia de sola & nuda habitatione loquendo, etiam Esau in tabernaculis habitabat; hæc enim erant olim veterum domus. Quidam volunt hic significari quòd Jacob scholas visitaret; sed ut id non omnino rejicimus; ita non videtur ex ista phrasi efficaciter concludi.

Moraliter per Esau designantur ii, qui neglectis interioribus & propriis, exteriora & aliena curant; per Jacob autem, qui sui ipsorum curam gerunt, suntque de propriis rebus solliciti. Confer Greg. dicto c. 7.

[ ℣. 28. *Isaac amabat Esau, eò quòd de venationibus illius vesceretur*: ] Prima causa amoris erat, quòd Esau esset primogenitus, exprimitur tamen hic alia, quia beneficium cibi ex venatione habiti erat tenerioris cujusdam amoris motivum, sicut generaliter filiorum erga parentes officiositas novum solet eis amorem conciliare.

[ *Et Rebecca diligebat Jacob.* ] Tum ob ejus virtutem bonosque & suaves mores, tum ob divinas de illo promissione, de quibus erat clam Isaac, divinitus edocta.

[ ℣. 29. *Coxit autem Jacob pulmentum*: ] Istud è lente quod genus est leguminis, fuisse, constat ex v. 34. fuisse autem ex lente seu lenticula Ægypti probabiliter arbitratur August. in Psalm. 36. scribens; Nam hæc sapida erat ac suavis, de qua Gellius lib. 17. Noct. Attic. cap. 8. & abundanter exportabatur in terras exteras, maximè in Chanaan.

[ ℣. 30. *Da mihi de coctione hac rufa*, ] Tam suaviter rubente. Ille color aut erat ex natura istius lentis, aut ex admixtione croci vel alterius condimenti. Hebræa indicant aviditatem & intemperantiam, dum sic habent, fac me comedere nunc de ruso, rufo isto.

[ *Quia oppidò* ] Seu vehementer.

[ *Lassus sum. Quam ob causam vocatam est nomen ejus Edem.* ] Id est, rufus, ut v. 25. fuit explicatum.

Prærogativæ primogeniti. [ ℣. 31. *Vende mihi primogenita tua.* ] Hoc est, jus primogenituræ tuæ. Primogeniti jura seu privilegia erant. Primum, peculiariter à fratribus honorari, infra cap. 27. vers. 29. Secundum, ad mensam sedere loco digniori, cap. 43. vers. 33. Tertium, duplam habere portionem in divisione hæreditatis, Deut. 21. v. 17. Quartum à patre morituro specialem accipere benedictionem, infra cap. 27. v. 4. Quintum, post mortem patris, esse fratrum suorum caput & quasi dominum, cap. 49. v. 3. & 8. Sextum, Patri succedere in sacerdotium. Quamvis enim propter opinionum diversitatem non constet juri primogenituræ annexum fuisse sacerdotium, probabile tamen est, quòd cum patres familias ante legem Mosaicam essent sacerdotes; sicut primogenitus succedebat in locum patris mortui & erat caput familiæ, ita etiam succedebat illi in officium sacerdotii; quod aliis ejus fratribus tunc demum etiam conveniebat, quando & ipsi fiebant capita familiarum.

[ ℣. 32. *Ille respondit: en morior*, ] Nisi videlicet cibum accepero. Prætexit mortis periculum; & quod erat aviditatis, videri vult esse necessitatis.

[ ℣. 33. *Ait Jacob: jura ergo mihi.* ] Juramentum exigit ut stabilior sit juris primogenituræ in ipsum translatio.

Quæritur, An vel Esau vendendo, vel Jacob emendo primogenita, peccaverit. Esau peccasse textus hic indicat in fin. c. manifestius autem asserit Apostolus ad Hebr. 12. ubi eum profanum vocat, quòd propter unam escam vendidit primitiva sua.

De Jacob videtur posse ambigi. Primò, quia induxit Esau ad peccatum, dicens vende mihi. Secundò, quia inhumanitatis est, fratri lasso & necessitatem patienti non gratis dare cibum. Tertiò, quia maxima est injustitia rem tantam quanta erat primogenitura, tam vili emere. Nec apparet dici posse quòd vexationem redemerit, quia Esau non vexabat Jacob retinendo jus primogenituræ; cum id retineret quod jure naturæ possidebat. Quartò, quia sicut peccatum est vendere spirituale, ita est peccatum illud emere.

In emptione primogenitorum non peccavit Jacob. Responsio communis & certa est, Jacob nequaquam peccasse; partim quia nihil emit spirituale; partim quia id quod hac via obtinuit, non tam emit quam quod suum erat & ab alio detinebatur, redemit vel recuperavit. Ejus enim mater divinitus edocta fuit, quòd jus primogenituræ pertineret ad Jacob, non quidem ex nativitatis jure, sed ex gratuita Dei voluntate; quàm Dei voluntatem licèt Esau ignoraret, ideòque non peccaret jus illud retinendo, Jacob tamen non ignorabat, sed ex matre notitiam ejus acceperat. Unde cum c. 27. mater eum moneret pro benedictione primogeniti accipienda, nullam est causatus injustitiam (quam tamen, utpotè vir justus, fuisset causatus, si non scivisset eam sibi ex Dei gratia competere) sed patris timorem & maledictionem.

Ad 1. igitur arg. Resp. Neg. Ass. quia Jacob dicens, *vende mihi primogenita tua*, non intendit venditionem propriè dictam, sed ejus rei ad se translationem ac redemptionem, quam certus erat jure sibi competere, & quam alio modo non poterat accipere, perindeque est ac si dixisset. Trade mihi, in me transfer tua primogenita; & quia satscio quòd non gratis ea dimittes, tametsi jure ad me pertineant, offero tibi cibum quem petis. His consentit Aug. in Psal. 46. *Si vis at dem tibi, da mihi primogenita tua.* Qualis fuerit emptio.

Ad secundum Jacob sciebat fratrem suum nulla necessitate premi, licèt is aliquam eamque magnam prætexeret: Paterna enim domus erat opulenta, & facillimum ei erat inde cibum sumere. Adde quòd etsi aliqualis fuisset necessitas, prudentiæ tamen est negare quippiam, quo negato posses rem tuam obtinere.

Ad 3. jam ostendimus nullam hic fuisse propriè dictam venditionem, sed rei suæ redemptionem. Neque refert quòd Esau cum esset ignarus divinæ ordinationis, non propriè vexaret Jacob: quoniam hactenus saltem materialiter vexabat, quòd in rei veritate hoc detinebat quod alteri debebatur. Vide B. Th. 2. 2. quæst. 100. art. 4. ad 3.

Ad 4. Resp. jus primogenituræ non fuisse spirituale, & si detur fuisse annexum spirituali utpotè sacerdotio, non nisi antecedenter fuit annexum eo modo quo vel calici annexa est consecratio, vel quibusdam dominiis jus patronatus: quæ annexio non obstat quin & ejusmodi dominia, & calices consecrati vendi possint, secundùm id quòd habent de temporali, ut diximus eodem art. 4. Quòd si Esau etiam ad jus sacerdotii respexerit, in sua tali quali venditione, Jacob eò non respexit.

[ ℣. 34. *Parvipendens quòd primogenita vendidisset.* ] Ideò Esau hoc parvipendit, tum quòd primogenituram non magni faceret, tum quòd verisimile sit eum cogitasse non servare illius alienationem jam factam & juramentò firmatam. Cap. enim 27. perinde se gerit, ac si jus primogenituræ adhuc esset penes ipsum.

Allegoricè juxta S. Prosper. lib. 1. de prædiction. cap. 20. Jacob lenis & junior significabat populum Christianum lenem & mitem, qui populo Judaico per Esau figurato, edaci & sitienti corturam obtulit Christi sanguine rubricatam, ejus scilicet passionem, & sic primatum suscepit quem Judæus amisit. Moraliter per Esau figurantur qui vel per intemperantiam vel aliter peccando Deum derelinquunt, parvique æstimant, Deum ac divina negligere & sæculi pultes, imò peccati sordes quærere.

# CAPUT XXVI.

*Isaac fame pressus Ægyptum cogitat, sed à Deo monitus subsistit in Geraris. Accepta promissione terra Chanaan & seminis benedicto, uxorem suam ex metu sororem vocat, & ob hoc reprehenditur ab Abimelech. Dei benedictione factus opulentior, multa patitur à Gerarenis, quorum tandem rex Abimelech fœdus cum Isaac percutit.*

[ ℣. 1. O*rta autem fame super terram*, ] Scilicet Chanaan, ubi degebat, Isaac nimirum in Hebron, vel juxta illam.

[ *Post eam sterilitatem quæ acciderat in diebus Abraham*, ] De qua sup. cap. 12.

[ *Abiit Isaac ad Abimelech regem Palæstinorum* ] Sitne idem iste rex Palæstinorum cum eo, ad quem ivisse Abraham legitur c. 20. incertum est; suntque boni authores qui affirmant, ac boni pariter qui negant. Negantibus assentimur, non tam ob temporis distantiam (constat enim homines istius sæculi supra centum sexaginta annos vixisse, ideoque potuisse annis permultis regnare) quàm quia dum Abimelech redarguit Isaac dicentem de sua uxore quòd esset sua soror, nihil memorat de simili responso per Abraham ei dato, quod tamen non videtur fuisse taciturus, si foret idem rex.

[ *In Gerara*. ] Duas ob causas videtur Isaac voluisse in eam urbem venire. Una est, propter amicitiam quæ fuerat inter Abraham & hujus regis patrem vel avum in fine cap. 21. Alia, quoniam Isaac tendebat in Ægyptum velut in regionem fœcundam; erat autem in Ægyptum brevius iter per Geraram: Exod. enim 13. dicitur quòd terra Philistiim (in qua hæc urbs sita erat) sit vicina Ægypto.

[ ℣. 2. *Apparuitque ei Dominus*, ] Incertum an in somnis, sicut etiam non liquet quo in loco apparuerit, etsi certum sit quòd extra Ægyptum, quia statim ei dicitur:

[ *Ne descendas in Ægyptum*, ] Et hinc elici potest quòd intentio Isaac erat ire in Ægyptum. Sed quare prohibetur ire illuc quò ejus pater descenderat c. 12.? Resp. partim quia adventus Isaac ooo ita erat Ægyptiis necessarius ut veræ fidei ac religionis doctrina imbuerentur, sicut necessarius ipsis fuerat adventus Abrahæ; partim quia Deus hoc modo voluit ostendere quòd in rerum omnium inopia suos alere possit extra locum fertilem.

[ *Sed quiesce in terra quam dixero* ] Seu quam dicam.

[ *Tibi*. ] Unde sequitur quòd nondum venerat in Geraram, sed postea demum illuc pervenit, quando fuit à Deo monitus, ut eò iret.

[ ℣. 3. *Et peregrinare in ea*, ] Ibi mane, non ut tota vita illic habites, sed tamquam peregrinus, donec fame cessante redeas in Bersabee: eò namque reversum Isaac, ex seq. versu 23. & ex cap. 28. v. 10. constat.

[ *Eroque tecum*, ] Tui & tuorum curam gerens, teque custodiens.

[ *Et benedicam tibi*: ] Bonis omnibus abundare te faciam.

[ *Tibi enim & semini tuo dabo universas regiones has*, ] Hoc est, totam Chananæorum terram in qua versaris, tibi, id est, semini tuo dabo; quæ interpretatio ex seq. vers. manifesta est, Deo sic loquente *Daboque posteris tuis universas regiones has*. Id quod sub Josue cœpit adimpleri, sed perfectius impletum fuit sub Salomone 2. Paralip. 8. vers. 7. & 8.

[ *Complens juramentum quod spopondi Abraham patri tuo*. ] Cap. 12. 15. 17. 22.

[ ℣. 4. *Et multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli &c.* ] Confer quæ diximus cap. 15. v. 5. cap. 18. v. 18. cap. 22. v. etiam 18.

[ ℣. 5. *Eò quòd obedierit Abraham voci meæ*, ] Qua jubebam ut te filium suum unigenitum mihi immolaret, cap. 22.

Ut ista quatuor distingui possint.

[ *Et custodierit præcepta & mandata mea, & cæremonias legesque servaverit*. ] Pro eodem interdum sumuntur ista quatuor, præcepta, mandata, cæremoniæ, leges; possunt tamen distingui, ut *Præcepta* intelligantur moralia, humanæ menti naturaliter insita: *Mandata*, positiva, quæ Deus peculiariter dedit Abrahæ, veluti ut egrederetur de terra & cognatione sua cap. 12. ut ejiceret Agar & filium ejus cap. 12. ut exiret in locum nesciens quò iret, ad Hebr. 11. *Cæremonia*, ritus colendi Deum, ædificando altaria & offerendo sacrificia, cap. 12. 13. 16. *Leges*, quas ei dedit pro suis posteris, ut de circumcisione & de iis quæ ad illam pertinebant, cap. 17. Ideo autem Deus hic refert obedientiam Abrahæ; tum quia Isaac erat propter illam benedicendus; tum ut ipse patris imitatione stimularetur ad pariter obediendum; & videns se tam multa consequi ob merita patris, ob sua propria meliorem mercedem speraret.



[ ℣. 6. *Mansit itaque Isaac in Geraris*. ] Jussu Dei.

[ ℣. 7. *Respondit: soror mea est*: ] Per sororem consanguineam intelligit, more tunc satis usitato, quemadmodum diximus cap. 12. & 20. Cum enim Abraham pater Isaac esset propriè dictus frater Nachor avi Rebeccæ; consequens est Rebeccam fuisse consobrinam Isaac.

[ ℣. 8. *Vidit eum jocantem cum Rebecca*. ] Hoc est, liberius agentem quàm virum maturum deceret agere cum sorore, honestis forte amplexibus & osculis, aliisve gestibus cum ea ludentem. Notat Aug. lib. 22. contra Faustum cap. 46. Isaac ooo inaniter jocatum esse, sed prudenter, descendendo scilicet ad fœminei sexus infirmitatem, ut blanda hilaritate aliquid vel diceret vel faceret, virilem rigorem non enervans, sed attemperans: quod si quis alteri quam uxori suæ faceret, turpe esset. Additque significatum esse illud mysterium quo Verbum divinum majestatem suam paulisper abscondit sub forma servi, ut ejus capax esse posset humana infirmitas, eoque modo se conjugi seu Ecclesiæ convenienter aptaret. — Quis jocus Isaac cum Rebecca.

[ ℣. 9. *Perspicuum est* ] Quòd illa mulier quæ tecum est, *uxor tua sit*: Cum enim sis vir honestus, gravis, & probus, certum est quòd non tam licenter ageres cum sorore vel alia quæ non foret uxor tua. Habebat res Isaacum pro viro justo, & ideo malebat suspicari eum fuisse mentitum, quàm esse inhonestum.

[ *Cur mentitus es eam sororem tuam esse*? ] Non erat mentitus Isaac, sed ita putabat Abimelech, ignarus tum cognationis, tum sensus quo Isaac verba sua accipiebat. Conferantur quæ diximus c. 20.

[ ℣. 11. *Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur*. ] Noster interpres tangere accipit, ut sæpè solent Latini, pro actione venerea: unde & virgo solet dici intacta, quod nulli fuerit carnaliter commixta. Hæc prima est lex scripta capitalis in adulteros, quæ tamen non videtur jam primum ferri; sed cum antea esset usu recepta, declaratur locum etiam habere in hujus peregrini uxore. Eamdem legem in adulteros postea Judæis datam patet ex Levit. 20. & Joan. 8.

[ ℣. 12. *Sevit autem Isaac in terra illa*, ] In agro à Geraritis conducto; neque enim habebat proprium. Nota Isaac, etsi ex divina promissione sciret, se à Deo benedicendum, non tamen otiari, sed graviter laborare; quia Deus promissa sua implet per humana media.

[ *Et invenit in ipso anno centuplum*: ] Hebræa hodierna habent, centum mensuras: Hieronymus autem in Hebræo legit, quemadmodum & Aquila vertit, centuplum æstimatum: 70. centuplicatum hordeum seu centuplum hordei, ita ut ad æstimationem potius referatur, quàm ad numerum vel quantitatem seminis in terram jacti. Dicendum ergo Isaac sevisse hordeum, & illo ipso anno tantum collegisse, ut vel æstimatione centuplo superaret impensam, vel pretio æquipolleret granis centuplicatis. Obvius quoque sensus esse potest, ut numero finito pro indefinito & valde magno, significetur eo anno Isaac invenisse magnam admodum hordei quantitatem, permagno etiam pretio æstimatam.

[ *Benedixitque ei Dominus*. ] Pro benedixerat enim ei Deus: frequens namque est Hebræis præteritum perfectum pro imperfecto, & copulativam pro causali ponere. Atque ita significatur tantam hanc gravi

abundantiam non ex cœli vel agri beneficio contigisse, sed ex divina benedictione. Laborant enim homines, sed Deus est qui labores eorum benedicit, maximè ubi supra humanam expectationem est messis abundantia.

Moraliter observa quòd sicut Isaac ad jussum Dei manens in Geraris, fuit locupleratus; ita nos ubicumque jusserit Deus manendo, ab eo benedicemur.

[ ℣. 14. *Et familiæ plurimum.* ] Id est, plurimorum famulorum: Abstractum enim ponitur pro concreto 70. legunt, *agriculturæ plurimæ*; quod Hebræo non repugnat, quia ad agriculturam plurimam opus est plurimis famulis.

[ *Ob hoc invidentes ei Palæstini*, ] Sic invidus alterius macrescit rebus opimis. Confer quæ leguntur Exod. 1.

[ ℣. 15. *Omnes puteos*, &c. *illo tempore obstruxerunt,*] Quando scilicet viderunt Isaac adeò proficere: Quibusdam videtur 70. significare quòd Palæstini istos puteos vivo Abraham obstruxerunt, quia sic verterunt, obstruxerunt in tempore patris sui: At eos non dissentire à lectione Hebræa quæ potius indicat puteos post mortem. Abrahæ fuisse obstructos, probari potest ex versione 70. Romanæ correctionis, quæ sic habet: omnes puteos quos foderant pueri patris ejus in tempore patris ejus, obstruxerunt eos. Ubi istud (*in tempore patris ejus*) construi debet cum præcedenti verbo, foderant; non cum posteriori, obstruxerunt.

[ ℣. 16. *In tantum, ut ipse Abimelech* ] Vir alioquin non malus, sed tunc livore commotus.

[ *Diceret ad Isaac: Recede a nobis, quoniam potentior nobis factus es valde.*] Verba sunt partim invidiæ quæ aliena semper facit videri majora; partim timoris, à potentia Isaac supra modum aucta.

Duo hic vide. Prius; mansuetudinem & patientiam Isaac in tot injuriis illibatum. Posterius, quàm non sit fidendum in regum & populi favore, quàmque invidia sit suspiciosa & timida.

[ ℣. 17. *Et ille discedens, ut veniret ad torrentem Geraræ, habitaretque ibi:* Pro torrente, 70. habent vallem; nec malè, quia propè Geraram erat vallis dicta Pharan; eam autem perfluebat torrens, & eorum qui Hebraicè sunt periti, utrumque voce Hebræa significari quidam existimant.

Allegoricè potest hic Christus intelligi qui traditus est in torrente, dedicans regenerationem nostram & baptismi sacramentum, ut loquitur Hieron. In qq. Heb. & de quo David Psalm. 109. cecinit, *De torrente in via bibet*.

[ ℣. 18. *Rursum fodit alios puteos*, ] Hoc est, erudeavit & expurgavit. Antea namque effossi fuerant ab Abraham seu Abrahæ servis, sicut in textu dicitur; sed eo mortuo invidi Philistæi eos obstruxerunt & humo repleverant. Tres ob causas Isaac maluit veteres puteos fodere seu fodiendo expurgare, quàm novos fodere. Prima est, quia certus erat illic esse venam aquæ. Secunda, quia hoc erat facilius, & minùs invidiosum. Tertia, ut sic gratam patris memoriam recoleret, unde & sequitur:

Cur Isaac nō novos sed veteres puteos fodit.

[ *Appellavitque eos eisdem nominibus quibus ante pater vocaverat.* ] Hinc allegoricè discant verbi divini tractatores scripturam quæ puteus est profundissimus, juxta majorum sensum interpretari, & non novas interpretationes comminisci, conformiter iis quæ leguntur tum in sess. 4. Conc. Trident. tum in formula professionis fidei. Discant insuper, ut quantumcumque hæretici per Palæstinos figurati conentur & sanctorum patrum scripta, & ipsum Dei verbum suis sordibus implere; omni studio expurgare satagant certi quòd in illis sit aqua viva & salutaris; cum è contrario scripta hæreticorum fontes sint aut rivuli maximè venenati.

Quo modo Philistæi seu maligni spiritus pravis desideriis nos replere student, dum aquant vivam, id est, veram divinorum intelligentiam scrutamur: quo modo etiam cessare non debemus ab illis ejiciendis: nostrisque cordibus expurgandis, luculentè hinc ostendit Gregor. lib. 16. Moral. cap. 9. & lib. 31. c. 22.

[ ℣. 19. *Foderuntque in torrente*, ] Seu juxta torrentem, nisi fortè torrens fuerit tunc aquis suis destitutus & exsiccatus, atque ita foderint in ejus alveo: Torrens enim vocatur alveus etiam siccus, si certo anni tempore solet repleri.

[ *Et repererunt aquam vivam.* ] Hoc est, scaturientem & continuè fluentem. Quoniam enim aqua perenniter fluens, instar viventium moveri videtur, vocari solet aqua viva, & per experientiam constat illam frequenter inveniri in convallibus. Hæc igitur aqua non erat aqua torrentis, sed ex vena seu capite scaturiginis profluebat.

Quæ aqua viva.

[ ℣. 20. *Sed & ibi jurgium fuit pastorum Geraræ* ] Rixam injustam concitantium, &

[ *Dicentium: Nostra est aqua*, ] Quia in nostro solo fodistis. Sed hoc injustè prætexebant, quia servi Isaac Palæstinis consentientibus foderant.

[ *Quam ob rem nomen putei ex eo quod acciderat, vocavit* ( Isaac ) *calumniam.* ] Calumniati quippè fuerant eum dicentes illam aquam esse suam, 70. pro calumnia habent injustitiam; nec malè, quia servi Abimelech injustè egerant calumniando Isaac, & puteum per vim occupando, & vox Hebræa utrumque significare potest.

[ ℣. 21. *Foderunt autem & alium: & pro illo quoque rixati sunt*, ] Pastores Geraræ, contendentes illum etiam puteum esse suum.

[ *Appellavitque eum* ( Isaac ) *inimicitias.* ] Iterata namque rixatio cum præcedentium puteorum iniqua obstructione, indicium erat odii inveterati. Pro inimicitiis, quod Aquila & Symmachus transtulerunt adversum atque contrarium; in Hebræo habetur Satana. Ex quo colligimus (ait Hieron.) Satanam contrarium interpretari.

[ ℣. 22. *Profectus inde* ] Nota Isaac calumniam patientis, & dissimulantis, imò ad locum remotiorem abeuntis, sicque iræ ipsorum cedentis modestiam; quam & Deus remunerare non differt.

[ *Fodit alium puteum, pro quo non contenderunt:* ] Utpotè longius distante ab eis.

[ *Itaque vocavit nomen ejus, Latitudo*, ] In Hebr. Rohoboth, seu latitudines: quam vocem noster interpres supra cap. 10. vers. 11. vertit plateas: significant enim Hebræi isto nomine omne quod latum est & amplum.

[ *Dicens: Nunc dilatavit nos Dominus*, ] Quasi dicat, Nunc Deus ea pressura persecutionis nos liberavit, & liberam latamque adaquationem dedit, ut in ea non coangustemur ab illis qui prius nos impediebant à libera adaquatione.

[ *Et fecit crescere super terram.* ] Quoniam pacifica & libera possessio aquæ plurimum conducit ad incrementum terrenæ substantiæ. Dignus ordo, ut post calumnias & jurgia mansuetè tolerata, sequatur latitudo: *Beati* enim *mites quoniam ipsi possidebunt terram*, Matth. 5.

[ ℣. 23. *Ascendit autem ex illo loco* ] Ubi puteum ultimum foderant, hæserantque famis tempore:

[ *In Bersabee*, ] Unde propter famem ipse exierat, & ubi pater ejus ante habitaverat. Dicitur autem ascendisse, quia è locis mari vicinioribus in ea venit quæ sunt altiora.

[ ℣. 24. *Ubi apparuit ei Dominus in ipsa nocte*, ] Hoc est, in prima nocte qua in eum locum appulit; putaturque hæc apparitio contigisse in somno.

[ *Ego sum Deus Abraham patris tui*, ] Omnium hominum cunctarumque rerum aliarum Deus est Deus ac dominus, utpotè creator, conservator & gubernator earum: peculiariter tamen vocat se Deum Abrahæ, tum quòd Abraham speciali cultu illum coluit, tum quòd ipse Deus Abrahæ curam specialem habuit, eum protegens, fovens & in omnibus benedicens.

Cur Deus Abrahæ vocetur.

[ *Noli timere, quia ego tecum sum:* ] Custos & protector tuus futurus.

[ *Benedicam tibi*, ] Bonorum affluentia te cumulabo.

[ *Et multiplicabo semen tuum* ] Quod fecit, dum & ex Esau & ex Jacob maximè numerosam dedit posteritatem.

[ *Propter servum meum Abraham.* In quo magnitudo meriti Abrahæ commendatur; quoniam etsi Isaac esset vir sanctus, divinæ tamen promissiones ostenduntur in eo compleri, non propter ipsum, sed propter Abrahæ merita.

[℣. 24.

[ ℣.25. *Itaque ædificavit ibi altare:* ] Prima ſemper eſt cura de Dei cultu: unde prius erigit Deo altare, quàm ſibi tabernaculum.

[ *Et invocato nomine Domini:* ] Utique non ſine immolatione ſacrificii; ad hoc enim altare conſtruxerat.

Quæ aqua viva.

[ *Extendit tabernaculum:* ] Ad ibi degendum, non quidem ſtabiliter & tota vita, ſed more peregrinorum, & quouſque juſſu Dei aliò migraret.

[ *Præcepitque ſervis ſuis ut foderent puteum.* ] Seu quærerent & eruderarent puteum quem antea ibi foderat Abraham; ſed eum Palæſtini obſtruxerant, unà cum aliis ab ipſo effoſſis.

[ ℣. 26. *Ad quem locum cum veniſſent* ] Metuentes ab Iſaac quem injuſtè læſerant. Venerunt autem non tam ut ſocietatem inirent, quàm ut ſpecularentur ejus conditionem; ad bellum parari, ſi tenuem & infirmum eum invenirent; ad fœdus autem, ſi validum & potentiorem.

[ *De Geraris,* ] De ipſa urbe Gerara.

[ *Abimelech, & Ochozat amicus illius, & Phicol dux militum.* ] Ex identitate nominis Abimelech, & Phicol ducis militum, non ſequitur eumdem eſſe regem, eumdemque ducem qui cap. 21. refertur veniſſe ad Abraham: quia Abimelech non eſt nomen proprium perſonæ, ſed eſt commune dignitatis regiæ. Sicut enim apud Ægyptios omnis eorum rex vocatur Pharao, apud Romanos Cæſar & Auguſtus, apud Syros Antiochus; ita Philiſtinorum reges omnes vocari ſolent iſto communi nomine, Abimelech, teſte Hieron. in cap. 29. Ezech. Confer quæ diximus ſupra cap. 20. Et ſimiliter probabile eſt, Phicol non eſſe nomen proprium alicujus viri, ſed commune officii ejus qui erat dux militum: ut quemadmodum Phicol interpretatur omnis facies, aut os omnium; ita officii ſui nomine moneretur, tum primus in acie ſuos ducere & præire, ſicut facies corpus præcedit; tum ipſe unus loqui pro omnibus. De vocabulo Ochozath ſunt qui idem ſentiant, volentes quòd Ochozath amicus ejus, idem valeat ac turba amicorum ejus: 70. tamen & Hieronymus in hac ſua verſione, quos ſequitur Pagninus, magis ſignificant eſſe nomen proprium ejus qui erat regis amicus, ſive ut 70. vertunt, pronubus vel paranymphus, ita dictus aut quia cuſtos erat mulierum regiarum, ſicut Egæus Eunuchus, Eſther 2. aut quia præfuerat ſodalibus regi ſponſo additis, ſecundùm ea quæ leguntur Judic. 14. verſ. 11. qui Matth. 9. vocantur filii ſponſi, & Marci 2. filii nuptiarum.

[ ℣. 27. *Locutus eſt eis Iſaac: Quid veniſtis ad me, hominem quem odiſtis, & expuliſtis à vobis?* ] Patet hoc ex verſu 14. cum ſeqq.

[ ℣. 28. *Vidimus tecum eſſe Dominum,* ] tibi peculiariter faventem, ſuaque mirabili potentia te adjuvantem & locupletantem; neque enim ex humana eſt induſtria quòd ita ſubitò ſis locupletatus, ſicut experti ſumus te locupletari.

[ *Sit juramentum inter nos,* ] Septuaginta, execratio. Sermo eſt de juramento execratorio: quod quale ſit, diximus 2. 2. q. 89. art. 1.

[ *Et ineamus fœdus,* ] quaſi diceret, ſanciamus fœdus de non offendendo invicem, illudque juramento ſtabiliamus, imprecantes mala ei qui fuerit illud tranſgreſſus.

[ ℣. 29. *Nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet:* ] Falſum dicunt, quod enim permiſerant per ſervos fieri, moraliter ipſi fecerant: ſed more impiorum culpam à ſe volunt amoliri, ac diſſimulate quid eſſet per eorum ſervos factum. *Dimiſimus auctum benedictione Domini:* hoc eſt, divino beneficiu locupletatum. Quoniam verò juſti eſt acceptam injuriam condonate & vincere in bono malum, Iſaac eorum verba non redarguit, ſed benignè illos excipit: unde ſequitur.

Cur Deus Abrahæ recetus.

[ ℣. 30. *Fecit ergo eis convivium,* ]

[ ℣. 31. *Surgentes manè, juraverunt ſibi mutuò:* ] Juramenti publici ac ſolemnis reverentia poſtulat ut à jejunis præſtetur, ut patet ex cap. Honeſtum. 22. q. 5. unde lib. 2. Decret. tit. 20. cap. Placuit, ſtatutum legibus ut nullus teſtimonium dicat niſi jejunus, etſi hodie non ſervetur.

[ ℣. 32. *Ecce autem venerunt in ipſo die* ] quo Abimelech cum ſuis abierat,

[ *Servi Iſaac,* ] Qui verſu 25. leguntur miſſi fuiſſe ad quærendum & effodiendum puteum.

[ *Invenimus aquam.* ] Miratur Hieron. in qq. Hebr. unde 70. negativè legant, non invenimus aquam; cùm in Hebræo cui conſentit Aquila & Symmachus, clarè ſignificetur quòd invenerint aquam; cumque ſermo ſubſequens omnino hanc aſſertionem poſtulet. Erroneè igitur negatio in textum 70. irrepſit.

[ ℣. 33. *Unde appellavit eum,* ] (Puteum)

[ *Abundantiam:* ] Alii vertunt ſatietatem, quia in poſterum futura inde erat pecoribus & familiæ Iſaac copia aquæ ad ſatietatem. 70. pro abundantia vel ſaturitate reddiderunt juramentum. Quæ diverſitas ex voce Hebræa ſchebath orta eſt, quæ uno modo ſcripta ſignificat abundantiam aut ſaturitatem: ſi autem alio modo ſcribatur, idem valet quod vel juramentum, vel ſeptem.

[ *Et nomen urbi impoſitum eſt Berſabee,* ] hoc eſt, puteus ſaturitatis & abundantiæ. Hic locus cap. 21. dicitur vocatus fuiſſe etiam Berſabee, ideſt, puteus juramenti, vel puteus ſeptem: & ad hanc ſignificationem hic reflexerunt 70. dum ita tranſtulerunt: *vocavit nomen civitati illi, puteus juramenti*; quod intellige non propter aquam inventam, ſed quoniam eo die inventa eſt, quo juramentum fœderis fuit præſtitum; Propter aquam verò inventam dictus eſt puteus ſaturitatis. Licèt (ait Hieron. in qq. Hebr.) ſupra ex verbo juramenti, ſive ex ſeptenario ovium numero, quod ſabe dicitur, aſſeruimus Beerſaba appellatam: tamen nunc ex eo quòd aqua inventa eſt, Iſaac ad nomen civitatis quæ ita vocabatur alludens, declinavit paululum litteram, & pro ſtridulo Hebræorum à quo Sabe incipitur, Græcum ſigma, ideſt, Hebræum Samech poſuit.

Berſabee unde dicta.

[ ℣. 34. *Eſau verò quadragenarius duxit uxores,* ] cum pater ejus Iſaac centum eſſet annorum; ſexagenarius enim erat, quando natus fuit Eſau, cap. 25. v. 26.

[ *Judith filiam Beeri Hethæi, & Baſemath filiam Elon ejuſdem loci:* ] Hoc eſt, etiam Hethæi, ut in Hebr. & apud 70. exprimitur. De aliis harum mulierum nominibus cap. 36. dicendum.

[ ℣. 35. *Quæ ambæ offenderant animum Iſaac & Rebeccæ.* ] Suis nimirùm pravis moribus, & contumacia; & quia manebant idololatræ. 70. legunt, erant renitentes Iſaac & Rebeccæ: per quod ſignificatur earum pervicacia & protervia.

## CAPUT XXVII.

*Poſtquam Iſaac mandaſſet filio ſuo Eſau ut cibos de venatione adferens veniret benedictionem accepturus; Jacob matris ſuæ conſilio illum prævenit, & perſonam fratris repræſentans benedictionem primogeniti accepit. Quod Eſau ægrè ferens mortem minatur Jacobo, qui ob hoc monetur à matre in Haran concedat.*

[ ℣. 1. SEnuit autem Iſaac, ] agebat namque ann. centeſimum trigeſimum ſeptimum, quando contigit hiſtoria proximè ſubſequens; ac nihilominus ſupervixit annis quadraginta tribus, uſque ad annum ſcilicet ætatis centeſimum octogeſimum. Unde hujus exemplo monemur crebram habere mortis memoriam, & non eam differre in extremam ſenectam.

[ *Et caligaverunt oculi ejus,* ] non eſt omnino cæcus factus, ſed cæcutiens; ita ut tum ſenectute, tum variis ægritudinibus, ejus oculi redditi ſint ad videndum hebetiores, nec niſi imperfectè & confuſè poſſet cernere: unde ſequitur

[ *Et videre non poterat:* ] Perfectè nimirùm & diſtinctè, ſic ut viſione res internoſceret.

[ ℣. 4. *Fac mihi inde pulmentum* ] ideſt, edulium guſtu ſuave & delicatum. Si quæras quare hoc de venatione fieri petierit potius quàm ex pullis & agnis qui domi erant. Reſp. tres ob cauſas: quarum una erat ex parte Dei, ſed Iſaaco ignota, nimirùm ut ea occaſione Eſau domo abeſſet, ſicque Jacob poſſet eum in ferendo cibum patri gratum prævenire & primogeniti benedictionem accipere. Aliæ erant ex parte Iſaac. Una, quia Iſaac libenter veſcebatur ferina per venationem accepta, cap. 25. v. 28. Altera, quia volebat ut

Eſau

Esau ad beoedictionem percipiendam se disponeret per aliquod obsequium patri acceptum.

[ *Et benedicat tibi anima mea* ] ot benedictionem primogeniti ex animo tibi impartiat. Coosuetudinem qua patres morituri solent filiis suis benedicere, esse perantiquam, tum hinc colligi potest; tum ex Gen. 48. obi Jacob filiis sois adoptivis benedixir, tum ex cap. 49. ubi benedixit reliquis, sicut & Moyses filiis Israel Deut. 33. Peculiariter autem olim curæ erat ut primogenitus benediceretur, quoniam is patre mortuo cæterorum erat caput & quasi Dominus. Et in Esau propensus erat Isaac, quia ia natura primogenitus erat, nec bucusque sciebat mysterium quod Rebeccæ fuerat revelatum. Rebecca dum hæc verba repetit verso 7. ait Isaac ita dixisse: *& benedicam tibi coram Domino.* Est autem benedicere coram Domino, verè benedicere, seu benedicere Deo probante, simulque benedicente: Nam quidquid possunt parentum benedictiones, non nisi Deo donante præstaot. Notandum hic, Quidquid io uno scripturæ loco refertur esse dictum, licèt in eo loco ubi prius fuit narratum, non referatur; credendum est fuisse dictum. Sic istud, *coram Domine*, dixit revera Isaac prout refert Rebecca, etsi illum dixisse non sit priori loco expressum. Similiter credendum est id quod Christus dixerat Marthæ, *Si credideris, videbis gloriam Dei*, ut refert Joan. 11. vers. 40. quamvis io priori com ea colloquio noo inveniatur expressum.

[ ℣. 8. *Acquiesce consiliis meis.* ] Quæ dicebat Rebecca, ita erant consilia ut simul essent præcepta: Ideo Hebr. & Græcè legitur: Audi me sicut, vel in eo in quo tibi præcipio.

[ ℣. 9. *Affer mihi duos Hados optimos:* ] Græcè, teneros & bonos: Non ut senex utrumque comederet, sed ut ex utroque partes delicatiores deligerentur.

[ ℣. 11. *Et ego lenis:* ] Idest, non hispidus aut pilosus. Lenis namque dicitur, qui tactu nullam asperitatem habet.

[ ℣. 12. *Et senserit*, ] me non esse Esau, quia non sum hispidus ut ille,

[ *Et inducam super me maledictionem* ] sicut accidit Cham filio Noe, qui patri suo illusit supra cap. 9. Timet Jacob maledictionem patris, quia non ignorabat Deum magni facere maledictionem quæ à parentibus jacitur in filios. *Benedictio patris*, ait Sapiens Ecclesiastici 3. *Firmat domos filiorum: maledictionem autem matris, eradicat fundamenta.* Terribile exemplum de maledictiooe matris oarrat Aug. lib. 22. de Civit. cap. 8.

[ ℣. 13. *Ad quem mater: In me sit, ait, ista maledictio*, ] non sic loquitur, quasi maledictionem ipsa verè voluerit io se excipere, sed quoniam secuta erat de prospero successu propter divinam revelatiooem sibi factam, quòd Jacob esset habiturus benedictionem & reliqua jora primogeniti.

[ ℣. 15. *Et vestibus Esau valdè bonis*, ] seu pretiosis: Sermo est de illis vestibus Esau quæ optimæ & pretiosissimæ erant, & quibus raro utebatur, ideoque apud matrem asservabantur io arca vel ex lignis odoriferis facta, vel etiam bonis herbis & floribus perfusa. Quod enim illæ vestes essent odoriferæ patet ex versu 27. Quidam putant has vestes fuisse sacerdotales, quibus Esau utpote sacerdos utebatur in sacrificio: sed hic actus seu porrectio cibi quem Isaac à filio ex venatione reverso expectabat, nihil habebat commune cum sacrificio.

[ ℣. 16. *Pelliculasque Hædorum circumdedit manibus*, ] interios & exterius: iostar chirotecarum; nam & volam manus Esao fuisse hirsutam verisimile est. Hædorum potius quàm agnellorum pelliculas adhibet, qoòd illæ melius hirsutum exhibeant quàm istæ.

Allegoricè observa quòd pretiosa quæque veteris testamenti translata sunt ab iis qui primogeniti erant quoad tempus, idest, à Judæis ad Christianos per Jacob figuratos: Et quemadmodum Rebecca procurat Jacobo vestes pretiosas & benedictionem; sic Ecclesia & Virgo Deipara nobis impetrat booa spiritualia.

[ *Et colli nuda protexit.* ] Seu contexit, eas partes muniens quas Isaac cœcutiens videri poterat esse contrectaturus. Jacob pelliculis indutus repræsentat Christum, qui non accepit carnem peccati, sed similitudinem carnis peccati, & quidem à soa matre Virgine Maria. Vide Prosperum p. 1. prædicto cap. 21.

[ ℣. 19. *Ego sum primogenitus tuus Esau:* ] Fueritne Jacob ista dicens mentitus, ambigitur. Quia sancti dum hic vivunt, oon carent peccatis levibus; nihil periculi est mendacium aliquod io eo agnoscere, leve tamen & officiosum, ad acquirendum scilicet id quod suum erat. Nihilominùs, si quis existimet quòd à matre instructus nihil contra mentem dixerit, ac per consequens nihil sit mentitus, non improbabiliter loquetur. Quamvis enim non esset Esau in persona, erat tamen Esau quoad jus & dignitatem primogenituræ, atqoe adeò is cui pater debebat impendere benedictio- Ut Jacob possit à mendacio excusari.
nem primogeniti. Quo simili modo Joannes Baptista dicitur Matth. 11. esse Elias non in persona, sed io allegoria & similitudine, seu quia *venit in spiritu & virtute Elia*, Lucæ 1.

[ *Feci sicut præcepisti mihi:* ] Isaac nihil personæ Jacob præceperat: quia tamen aliquid præceperat ei quem Jacob repræsentabat; & quia præceptum continebat ut primogenitus afferret patri cibum ejus palato gratum; Ideo videri potest Jacob qui ex divina voluntate erat primogenitus, absque falsitate dixisse, feci sicut præcepisti mihi, seu ei cujus personam gero.

[ *Comede de venatione mea*, ] idest, de eo quod quæsivi & apprehendi. Juxta matris enim instructionem potuit loqui de venatione, non propriè, sed generaliter dicta.

[ ℣. 20. *Voluntas Dei fuit ut citò occurreret mihi quod volebam.* ] Non dicit, ut fera quam in agris aut silvis quærebam; sed simpliciter quod volebam: & ita verus est ejus sermo.

[ ℣. 21. *Accede huc, ut tangam te* ] qoia homo est in tactu omnium animalium exactissimus, teste Philos. lib. 2. de Aoima texto 94. Ideo Isaac cui oculi deficiebant, & quem aures dubium reddebant, meritò ad tactum confugit.

[ ℣. 22. *Vox quidem, vox Jacob est:* ] Omnino refert filium meum Jacob:

[ *Sed manus, manus sunt Esau.* ] Sunt enim pilosæ & hispidæ, sicut manus Esau.

Allegoricè vox Christi peccata remittentis, mortuos suscitantis, & alia miracula patrantis, erat vox filii Dei: sed manus & species externa erant hominis passibilis & mortalis.

Moraliter, Vox mali prædicatoris benè concionantis, itemque vox populi flagitiosè quidem viventis, sed fidem veram profitentis, est vox Jacob, referens scilicet personam hominis simplicis & recti: sed maous seu opera, sunt manus Esau, idest, hominis improbi. Observandum hic Isaac virum licèt sanctum & quorumdam futororum præscium, nescivisse tamen quòd Jacob se offerret loco Esau; quia sancti etiam prophetæ non plus sciunt de occultis, quàm ipsis reveletur; Deus autem non vult eis omnia, præsertim simul revelare, ot semper meminerint se esse homines. Confer 1. Reg. cap. 16. v. 6. & 4. Reg. 4. v. 27.

[ ℣. 23. *Benedicens ergo illi*, ] hoc est, animo decernens illi benedicere. In Hebr. & apud 70. legitur, *& benedixit:* quod per anticipationem positum intelligi debet; beoedictionem enim præcessit totum quod seqoitur osque ad versum 27.

[ ℣. 24. *Tu es filius meus Esau? Respondit, ego sum.* ] Aut mendacium hic est, leve tamen: Aut intellexit se esse Esao vel quoad jus primogenituræ, vel quia personam ejus ex matris instructione gerebat. Neque refert quòd Isaac non sic intelligeret: quia non liquet quòd Jacob teneretur se detegere, vel patri aliter respondere, qoandoquidem non aliud quæreret, quàm quod noverat sibi esse debitum, & quod oon commodè poterat aliter coosequi.

[ ℣. 26. *Da mihi osculum, fili mi.* ] Sanctum, & amoris tum patris erga filium, tum filii erga patrem signum.

[ ℣. 27. *Statimque ut sensit vestimentorum illius fragrantiam*, ] dum scilicet ipsum oscularetur, & capiti caput admoveret; ex odoris suavitate quæ Dei donom est, lætitia perfusus, & amore filii sic fragrantis accensus.

[ *Benedicens illi*, ] Cujus osculum excepit, & cujus vestimeotorum fragrantis delectabatur,

[ *Ait:*

[ *Ait: ecce odor* ] Hebr. vide odor vel odorem *filii mei*. 70. & noster interpres non ignari Hebræos imperativis uti pro adverbiis; reddiderunt, *ecce*.

[ *Sicut odor agri pleni*, ] Herbis & floribus odoriferis, aut aliis suaveolentibus fructibus.

[ *Cui benedixit Dominus*. ] Præstando illi gratam fœcunditatem. Odor ille vestimentorum moraliter significat odorem virtutum & bonorum operum quæ nobis ex Deo sunt, & quorum ratione Deus nobis benedicit.

[ ℣. 28. *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ*, ] Ista duo, opportunus humor seu influxus de cœlo, & terræ pinguedo maximè faciunt ad frugum abundantiam. Nominatur tamen ros potius quàm pluvia; quoniam in Palæstina ubi solet tantùm bis in anno pluere, nimirùm mense Octobri, quando seminatur; & mense Aprili vel Majo quando fruges debent maturescere; ros maximè est necessarius, ne tempore intermedio: ea quæ sata fuerunt exarescant.

[ *Abundantiam frumenti & vini*. ] Hoc est, omnium quæ ad cibum & potum pertinent. Quidam addunt, & olei: sed hoc neque est in Hebr. neque apud 70. neque in Latinis emendatioribus. Fortasse autem irrepsit ex eo quod in Psalm. 4. legitur apud 70. *A fructu frumenti, & vini, & olei sui*, ut & in textu nostro.

[ ℣. 29. *Et serviant tibi populi*, ] posteris tuis, Davidi, Salomoni, aliisque regibus ex te descensuris, & Machabæis servient Idumæi, Philistæi, Moabitæ, Ammonitæ, & alii populi, à sanguine tuo alieni.

[ *Et adorent te tribus:* ] Hoc est, posteri Esau & Ismaelis, quos in varias tribus divisos cernere est cap. 25. & 36. Discrimen est inter ista, serviant, & adorent; quod prius magis ad servitutem involuntariam, quæ timoris est, pertineat; posterius ad voluntariam, quæ est amoris & reverentiæ.

[ *Esto Dominus fratrum tuorum*, ] Non bello solùm eis superior sis & Dominus, sed etiam jure primogenituræ. Impletum hoc est realiter & de facto, in posteris Jacob & Esau; si autem jus spectes, statim in ipsis personis.

[ *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur*. ] Quasi diceret, Deus impensè tibi tuisque favebit. Eos qui tibi mala volent aut te affligent, affliget; eos qui tibi erunt amici, adjuvabit.

Benedictio Jacob sex bona spondebat.

Tria hic notanda. Primum, quod hæc benedictio sex bona contineat ac promittat, scilicet rorem cœli, pinguedinem terræ, abundantiam esculentorum & poculentorum; imperium in cæteros; dominium in fratres, Dei favorem & protectionem.

Secundum, quòd ista benedictio non sit nuda & simplex apprecatio bonorum, sed etiam prophetica eorum prædictio.

Tertium, quòd omnes illæ benedictiones allegoricè sint in Christo impletæ; moraliter autem implentur in anima fideli, ut videre licet apud Aug. lib. 16. de Civit. cap. 37. Theodor. q. 81. in Genes. Gregor. homil. 6. in Ezechiel. Rupertum lib. 7. in Genes. cap. 17.

[ ℣. 30. *Egresso Jacob foras, venit Esau*, ] providentiæ Dei fuit, quòd Esau non deprehendit Jacob in facto, ne præ ferocia & impatientia crudele quippiam attentaret in fratrem, præsente parente.

[ ℣. 33. *Expavit Isaac stupore vehementi:* ] Petes, quando Isaac cognovit se fuisse deceptum, quare non retractavit benedictionem Jacobo datam? Resp. quia dum sic esset attonitus, revelatum est ei divinam esse voluntatem, quòd Jacob jura & benedictionem haberet primogeniti, quemadmodum tradit Aug. q. 80. in Gen. & dicto cap. 37. de Civit. conformiter Græcis, apud quos tanta commutatio significatur accidisse Isaac, ut quædam mentis alienatio sequeretur, illa nimirùm quæ propriè dicitur ecstasis.

Si quæras, quare hæc Dei voluntas non antea fuerit Isaaco revelata? Resp. partim ne Esau impium aliquid committeret in patrem, si ipse sciens & prudens Jacobum ei præferret: partim ut ita magis elucerет singularis Dei providentia erga Jacob: partim denique ut daretur occasio repræsentandi Christum alienas pelles seu aliena peccata portantem, gerentemque similitudinem carnis peccati.

[ *Quis igitur ille est qui dudum captam venationem attulit mihi*, ] Dudum, abest hodie ab Hebræis & Græcis: debet autem referri non ad egressum Jacob, ut ex versu 30. liquet, sed ad tempus quo bestia quam comederat, fuerat per venationem quantum quidem esse opinabatur, apprehensa. Ab eo autem tempore intercesserat bestiæ præparatio, coctio; præsentatio, satis longa collocutio: & integra Isaaci refectio, benedictionisque collatio.

[ *Benedixitque ei, & erit benedictus*. ] Divinæ jam conscius voluntatis confirmat, ratamque habet benedictionem Jacobo impensam. Ac proinde quamvis illa ab initio fuisset invalida propter errorem & dolum; valida nihilominus jam foret ob ratificationem scienter factam post erroris & doli notitiam. Fuisse autem ab initio validam verius est, quia intentio Isaac fuerat benedicere filio præsenti, vestimentis suaviter olentibus induto, habentique jus ad benedictionem primogeniti, etiamsi nesciret quisnam ille esset, imò putaret esse Esau. Conferantur quæ diximus Suppl. q. 51. art. 1. Dolus quoque si quis fuerit ex parte Jacob, non fuit sufficiens ad reddendam benedictionem invalidam; quia solùm ordinabatur ad habendum id quod ei debebatur, & quod alioquin non facilè potuisset obtinere.

[ ℣. 34. *Audivit Esau sermonibus patris, irrugiit clamore magno:* ] Clamorem quasi leoninum edidit, vehementem animi dolorem, leoninamque ferociam ostendens. Cujus clamoris causa fuit tum invidia boni fraterni, tum indignatio de amissione boni proprii & quidem temporalis; neque enim verisimile est quòd de spirituali multum cogitaret homo profanus, & sacrorum vel contemptor vel neglector.

[ *Benedic etiam & mihi, pater mi*. ] Hebr. benedic mihi, etiam ego (subaudi, filius tuus sum) pater mi.

[ ℣. 35. *Qui ait, venit germanus tuus fraudulenter*, ] Septuaginta conformiter habent, cùm dolo. Si Jacob revera mentitus fuerit in præcedentibus, hæc verba prout sonant, accipi possunt, & agnosci quòd aliquis in eo dolus fuerit: Si verò sequamur aliorum sententiam, istud, *fraudulenter*, accipiendum erit non de fraude propriè dicta, sed juxta externam apparentiam, & secundùm judicium hominum qui mysterium ignorabant.

[ *Et accepit benedictionem tuam*. ] Idest, quæ tibi tamquam primogenito naturaliter competebat, quamque ego tibi cogitaveram impendere, nisi Deus aliter ordinasset.

[ ℣. 36. *Justè* ] hoc est, aptè & convenienter,

[ *Vocatum est nomen ejus Jacob:* ] Seu plantam tenens, & supplantator cap. 25.

[ *Supplantavit enim me en altera vice:* ] Seu jam secundò, ut Hebræa & Græca exprimunt. Alludit ad significationem nominis: etsi enim non sit vocatus Jacob à morali supplantatione de qua nunc loquitur Esau, sed à physica seu reali, quòd scilicet nascendo plantam fratris teneret; ex una tamen pulchra est allusio ad alteram, cùm eadem vox tam Latina quàm Hebræa utramque significet.

[ ℣. 37. *Respondit Isaac: Dominum tuum illum constitui*, ] qui nimirùm sit post me caput & dominus totius familiæ. Quamvis ergo Jacob non legatur exercuisse potestatem domini super Esau, sed solùm posteri illius super posteros hujus; quoad jus tamen Jacob erat Dominus Esau.

[ *Et omnes fratres ejus* ] hoc est, cognatos & consanguineos, sive ex te sive ex Ismaelis aut ex Ceturæ filiis nascituros.

[ *Servituti illius subjugavi: frumento & vino stabilivi eum*, ] imprecans ei abundantiam omnium quæ ad cibum & potum pertinent.

[ *Et tibi post hac, fili mi, ultra quid faciam?* ] Poterat Isaac aliquam impertiri benedictionem; at non qualem expetebat Esau, quæ nimirùm æquipolleret benedictioni primogeniti.

[ ℣. 39. *In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper*, ℣. 40. *Erit benedictio tua*. ] Hebr. erit sessio vel habitatio tua. q. d. tibi precor, imò & futurum prædico quod terra habitationis tuæ erit pinguis, & ex immissione roris superni fœcunda: sive, habebis abundantem rerum temporalium possessionem: quod impletum videri potest cap. 33. v. 9. & cap. 36. v. 7.

Duo

Duo sunt hic observanda. Prius, Quòd Apostolus ad Hebr. 12. ait Esau non invenisse locum pœnitentiæ, scilicet paternæ, non significat eum nullam consecutum fuisse benedictionem, sed non potuisse efficere, ut patrem pœniteret se dedisse Jacobo benedictionem primogeniti, illamque in Esau transferret. Posterius, Quòd hic terra nominatur ante cœlum, secus quàm v. 28. quia malorum cura prima est de terrenis.

[ *Vives in gladio,* ] Posteri tui in bellis, ferè continuis versabuntur. Idumæos fuisse bellicosos & turbarum amantes, legi potest apud Josephum lib. 4. de bello Judaico cap. 6. & 7.

[ *Et fratri tuo servies:* ] In tuis nimirùm posteris, quod 2. Reg. 8. ac deinceps impletum invenitur.

[ *Tempusque veniet, cum excutias & solvas jugum ejus* ] quod 4. Reg. 8. & 2. Paralip. 21. contigit, quando *recessit Edom ne esset sub Juda.* Vide dicta ad cap. 25. v. 23. Hebræa plus significare videntur, Idumæos scilicet aliquando dominaturos Judæis; sic enim habent: Et erit quando dominaberis & franges jugum ejus: Quod etsi non legatur in sacris litteris impletum, intelligi tamen potest impletum fuisse, quando Herodes Ascalonita ex Idumæis oriundus præfuit Judæis.

[ ℣. 41. *Oderat ergo semper Esau Jacob* ] unde patet eum, patre saltem vivente, non verè suorum peccatorum pœnitentiam egisse.

[ *Dixitque in corde suo:* ] Quæ phrasis magnam animi deliberationem & perfectum consensum importat, eumque secretum.

[ *Venient dies luctus patris mei,* ] posset quidem hìc luctus intelligi quo pater lugeret mortem Jacobi ab Esau interfecti; potius tamen videtur esse sermo de luctu quo pater esset lugendus; quia significatur quòd iste luctus esset præcessurus interfectionem Jacob. q. d. Adveniet dies mortis patris mei, & cum ipse mortuus fuerit, non ante, ne eum contristem;

[ *Occidam Jacob fratrem meum.* ] Hinc apparet invidiam esse radicem homicidii, & homicidium esse fructum invidiæ; sicut & ex facto Cain Genes. 4. & 1. Joan. 3.

[ ℣. 42. *Nuntiata sunt hæc Rebeccæ:* ] Vel per Angelum, vel per aliquam uxorum Esau, apud quas non diu potuit impatientem suum animum occultare; vel per alium ex domesticis.

[ *Ecce Esau frater tuus minatur ut occidat te.* ] Pro, *minatur,* Hebræa habent, consolatur se; sed eodem sensu: significatur enim quòd animi sui dolorem leniret, cogitando futurum quòd seipsum ulcisceretur de fratre, eumque occideret. Unde 70. etiam reddiderunt, minatur.

[ ℣. 44. *Habitabisque cum eo dies paucos,* ] in Hebr. dies unos. Solent Hebræi cum volunt significare modicum, dicere unum, quia hoc est minimum in quantitate discreta. Sic infra cap. 29. ubi nos habemus, *videbantur illi pauci dies,* Hebr. dicitur, sicut dies uni. Sperabat Rebecca Jacobum non diu moraturum in Haran; sed contra accidit, partim quia pertinax ira Esau non potuit emolliri paucis diebus; partim quia Deus non voluit Jacob reverti priusquam cumulasset ipsum uxoribus, liberis, & divitiis io aliquale præmium declinati fratricidii & tolerantiæ laborum.

[ ℣. 45. *Cur utroque orbabor filio in uno die?* ] Nisi videlicet te subduxeris. Metuebat ne, aut se invicem illatis vulneribus occiderent, si ad pugnam venirentur; Aut potius, ne Deus de Esau vindictam sumeret, si fratrem suum interficeret.

[ ℣. 46. *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth:* ] Non sunt verba impatientiæ, sed est modus loquendi quo declaratur animi molestia. Ubi magnam observare est Rebeccæ prudentiam, quæ ut impediret fratricidium ab Esau conceptum, ejus occasionem abstulit, Jacob foras emittendo; neque tamen ad hoc ut Jacob cum patris consensu exiret, Isaaco aperuit malitiam Esau, sed causam aliam veram tamen apud eum allegavit, ne ipsius indignationem contra filium induceret. Eam prudentiam imirari nos convenit, ne proximorum peccata detegamus sine justa necessitate.

[ *Si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ,* ] Chananæam aut Hethæam quæ improbis sunt moribus,

[ *Nolo vivere.* ] Hebr. & Græcè, ut quid mihi vivere? non nisi tristis & molesta mihi erit vita; Et ideo mori potius quàm vivere vellem.

## C A P U T XXVIII.

*Jacob ex patris mandato proficiscens in Mesopotamiam videt in somnis scalam cui innitebatur Dominus, & Angelus accepta promissione tum de terra, tum de multiplicatione seminis, experrectus votum Deo vovet.*

[ ℣. 1. **V**ocavit itaque Isaac Jacob, & benedixit eum, ] Partim benedictionem ante datam confirmans, partim iter prosperum ei apprecans.

[ *Præcepitque ei dicens: Noli accipere conjugem de genere Chanaan:* ] Non sumitur genus aut stirps Chanaan strictè, quo modo Chananæi distinguuntur contra Hethæos, Amorrhæos, Jebusæos, & alios Gen. 15. nominatos; sed latè prout omnes illius terræ vocantur interdum Chananæi. Hujus paternæ admonitionis causa patet, tum ex fin. cap. præced. tum ex dictis cap. 24. & in fin. cap. 26.

[ ℣. 2. *Sed vade & proficiscere* ] Septuaginta, surgens fuge, seu celeriter & sine mora (sicut fugientibus mos est) discede. Unde Aug. q. 82. in Gen. colligit etiam Isaac cognovisse quid Esau in corde suo cogitaret de Jacob. Hoc autem iter Jacob veram fuisse fugam patet ex seq. cap. 35. ubi Deus huc respiciens: *fac* inquit, *altare Deo qui apparuit tibi quando fugiebas Esau fratrem tuum.* Et Sap. 10. Jacob ex hac eadem causa vocatur *profugus ira fratris,* quia fugit ac declinavit ab ira fratris.

[ *In Mesopotamiam Syriæ,* ] scilicet in Haran seu Charran, quæ à Bersabee ubi nunc habitabat Isaac, novem aut decem dierum itinere pedestri aberat.

[ *Ad domum Bathuel* ] Cui tunc, Bathuele mortuo, Laban præerat.

[ ℣. 3. *Deus autem omnipotens benedicat tibi, & crescere te faciat atque multiplicet:* ] Det tibi copiosam multitudinem filiorum & posterorum.

[ *Ut sis in turbas populorum.* ] Quod dupliciter intelligi potest. Uno modo, ut per hebraismum genitivus positus sit pro adjectivo hoc sensu, ut sis in turbas populosas: q. d. ut crescas in numerosam posteritatem. Alio modo, ut per vocem populorum non tantùm significetur multitudo, sed etiam diversitas posterorum; & intelligatur distributio in plures populos quod postea impletum fuit, quando ex duodecim filiis Jacob multiplicatus est populus Dei per diversas tribus.

[ ℣. 4. *Et det tibi benedictiones Abrahæ, & semini tuo post te:* ] Hoc est, faciat te tuosque posteros dignos in quibus compleantur promissiones Abraham factæ, ea conditione si ejus posteri servarent fœdus cum Deo initum, easque in vobis impleat. B. Augustinus lib. 16. de Civit. cap. 38. observat his verbis segregatum esse semen Jacob, ab alio semine Isaac quod est per Esau. Quando Gen. 21. dictum est, *in Isaac vocabitur tibi semen,* separatum est inde aliud semen tam quod erat per Agar, quàm quod futurum erat per Ceturam; sed adhuc manebat ambiguum ad quem filiorum Isaac pertineret illa benedictio: nunc autem declaratur quòd ad Jacob, & sic Esau cum suis posteris segregatur à fœdere seu pacto quod Deus pepigerat cum Abraham ejusque posteris: Ac per consequens posteri Esau non tenebantur circumcidi, etsi apud eos in usu permanserit circumcisio.

[ *Ut possideas* ] Tamquam hæres & dominus legitimus.

[ *Terram peregrinationis tuæ,* ] non in quam nunc tendis, hoc est, Mesopotamiam, sed Chananæam in qua nunc es, & hactenus fuisti. 70. habent, ut hæres sis terræ incolatus tui.

[ ℣. 5. *Venit in Mesopotamiam Syriæ* ] per prolepsim hoc dicitur: Nam prius quam eò appelleret, contigerunt ea quæ hìc & initio cap. 29. sequuntur. Res admiratione digna est, quare Jacob patris opulentissimi (ut ex cap. 26. v. 13. & 14. patet) filius proficiscitur sine comitatu & famulatu; cùm ipsius avus mittens servum ad quærendum uxorem Isaaco, cùm eo camelos & viros

& viros & multa terræ bona miserit, cap. 24. Resp. hujus rei rationem verisimiliter esse, partim ut Jacob & citò, & sine strepito exiret, clam Esau; partim quòd Rebecca sciret ipsum fore gratum fratri suo Laban, hoc ipso quo cognosceretur esse suus filius; partim quòd Dei voluntas erat isto modo ostendere quanta sit divina prudentia erga homines simplices & justos; partim denique ut sic adumbraretur Christus de cœlo ad nos veniens, egenus & propter nos pauper factus, ut Ecclesiam sponsam acciperet.

Jacob sive fa[illegible]ulatu svit in Mesopotamiam

[ ℣. 6. *Videns autem Esau quòd benedixisset* ] ( jam secundò )

[ *Pater suus Jacob*, ℣. 8. *Probans quoque* ] Idest, experimento cognoscens manifestèque advertens.

[ *Quòd non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus:* ] Septuaginta, quia malæ sunt filiæ Chanaan coram Isaac patre suo. Ubi malæ idem valet quod non gratæ: perinde ac si diceretur, Videns quòd patri displicerent filiæ Chanaan.

[ ℣. 9. *Ivit ad Ismaelem*, ] hoc est, ad Ismaelitas: Jam enim ante annos 14. mortuus fuerat Ismael.

[ *Et duxit uxorem &c. sororem Nabajoth.* ] De quo cap. 25. num. 13. ex iisdem patre & matre natam. Videtur hoc consilium non fuisse malitiæ; fuit tamen imprudentiæ: Cupiebat enim Esau patri placere accipiendo aliam à Chanaanitidis; sed accipiebat de semine Ismaelis, quod non erat etiam Isaaco gratum, ob morum feritatem & immodestiam.

[ ℣. 10. *Igitur egressus Jacob de Bersabee* ]. Resumit Moyses describere profectionem Jacob qua dimissus à patre tendere cepit in Mesopotamiam, traditque ex quo loco cœperit proficisci, scilicet ex Bersabee ubi hactenus cum patre suo Isaac morabatur.

[ *Pergebat Haran*. ] Hoc est, ibat ut veniret in Haran Mesopotamiæ.

[ ℣. 11. *Cumque venisset ad quemdam locum*, ] Hebr. occurrit in locum: 70. occurrit loco: per quæ significatur quòd Jacob fortuitò & non cogitans ibi pernoctare, illuc devenerit, ac per consequens quòd ideo ibi voluerit nocte quiescere, quia cum ibi esset, sol occubuit. Quòd autem aliqui volunt Jacob non fuisse ausum ingredi urbem Chanaan, nec se Chananæis committere propter damna quæ Isaac bellando ipsis intulerat, fabulosum est: Nam scriptura nobis non exhibet Isaac bellorum amantem, sed pacis.

[ *Tulit de lapidibus* ] Unum aliquem qui ei esset loco cervicalis.

[ ℣. 12. *Viditque in somnis scalam* ] quidam volunt Deum ita huic scalæ innixum fuisse, ut in terra ad infimos ejus gradus consisteret, ibique uni ex illis gradibus inniteretur: At omnino probabilius est Deum in cœlo constitisse, & ad summum scalæ fastigium incubuisse, quoniam Angeli per scalam non tantùm descendebant tamquam collocuturi cum Jacob, eumque adjuturi; sed per eam ascendebant etiam tamquam Deum adituri & ejus jussa pro Jacob accepturi. Neque obest quòd Jacob audierit Deum sibi loquentem: quia sicut hæc visio non fuit realis & externa, sed imaginaria; ita locutio non fuit sensibilis, sed vel imaginaria vel intellectualis: nec etiam fuit distantia realis quæ posset auditum impedire, sed imaginaria; tota enim hæc res in visione peracta est.

Ut Deus esset scalæ innixus.

De hac scala variæ sunt interpretationes. Illa videtur esse litteralis qua per scalam intelligitur profectio Jacob in Mesopotamiam: per Angelos ascendentes, cura & auxilium quod Angeli ex Dei ordinatione erant ipsi abeunti præstituri: per eosdem descendentes, auxilium quod in reditu erant exhibituri: Per Deum scalæ innixum, cura quam de tota ejus peregrinatione Deus gerebat. Ita namque Deus videtur voluisse consolari Jacob, ut sciret iter suum à divina providentia dirigi, & Deum peregrinationis ejus singularem curam habere; seque in toto itinere non esse solum, sed habere Deum adjutorem & Angelos comites. Unde versu 15. Deus ei dicit, *Ero custos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc* &c. Huic interpretationi non absimilis est ea, qua alii etiam ad litteram significatum volunt per scalam divinam providentiam & gubernationem: per duo ejus latera, duas divinæ providentiæ conditiones, suavitatem & fortitudinem; *Attingit enim à fine usque in finem fortiter, & disponit omnia suaviter*. Sap. 8. Per gradus scalæ, varios modos quibus Deus res à se conditas gubernat: per hoc quòd scala super terram stabat, & cacumen ejus cœlum tangebat, nihil sive terrenum sive cœleste, divinam providentiam subterfugere: per Deum scalæ innixum, Deum esse immobilem, omnia intueri, & omnium effectuum providentiæ esse primum auctorem, atque adeò & Jacobi & peregrinationis ejus curam habere: per Angelos ascendentes & descendentes, Angelos divinæ providentiæ executores qui Dei mandata & consilia ad nos deferunt, ipsique nostra desideria & nostras necessitates offerunt, sicque circa Jacob peregrinantem erant se habituri.

Scalæ Jacob interpretationes.

Allegoricè per istam scalam designabatur mysterium Incarnationis, secundùm quam Christus erat ex semine Jacob nasciturus: Varii scalæ gradus sunt diversæ generationes à Matthæo & Luca descriptæ: duo latera scalæ sunt misericordia & veritas quæ Deum moverunt ut filius Dei incarnaretur; Pars scalæ terram attingens significabat Christi humanitatem: ea quæ cœlum, divinitatem. Angeli ascendentes sunt, qui antiquorum patrum preces & desideria de futura Incarnatione, Deo offerunt; descendentes, qui incarnationem hominibus annunciant.

Moraliter, Hæc scala est via qua in cœlum itur: duo ejus latera, fides & opera; vel promissio bonorum, & comminatio malorum: diversi gradus, diversæ virtutes, & legum diversarum operationes: Angeli ascendentes, sunt justi qui per contemplationem divinorum feruntur in Deum: descendentes, qui per vitæ activæ exercitia Deo placent. De his & aliis hujus scalæ expositionibus videri possunt Theodoret. q. 81. in Genes. Basil. hom. in Psalm. 1. Aug. lib. 16. de Civit. cap. 38. lib. 12. contra Faust. cap. 26. & enarr. in Psalm. 119. Greg. lib. 5. Moral. cap. 21. Rupert. lib. 7. in Gen. cap. 21. & 22.

[ ℣. 13. *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac:* ] Hos duos nominat; tum quòd hi peculiariter ipsum ut Deum venerati sunt, ipseque etiam peculiarem eorum curam habuit; tum quòd ad eos facta fuerat promissio terræ, de qua sequitur.

[ *Terram, in qua dormis*, ] hoc est, omnem terram quæ circumcirca est; sive, totam Chananæam, quam necdum erat egressus:

[ *Tibi dabo & semini tuo*. ] Sive, tibi, idest, semini tuo: Vel tibi in tuo semine. Similiter Abrahæ promiserat cap. 13. v. 15. & Isaac cap. 26. v. 3. Impletum autem est sub Josue, & deinceps.

[ ℣. 14. *Et benedicentur in te*, ] tamquam in parente & origine;

[ *Et in semine tuo* ] Sive per Christum ex te nasciturum tamquam per veram & propriè dictam, eamque proximam causam.

[ *Cunctæ tribus terræ*. ℣. 15. *Nec dimittam nisi complevero universa quæ dixi*. Idest, non desinam te custodire tibique esse adjutor, donec omnia quæ promisi complevero. *Nisi* ergo, pro *donec*, accipitur: neque significatur quòd Deus postea dimittet custodire vel adjuvare Jacob, sed tantùm quòd non dimittet donec cuncta compleverit. Confer quæ dici solent ad illud Matth. 1. *Non cognoscebat eam donec peperit*; & ad istud Dan. 6. *Non pervenerunt usque ad pavimentum laci donec arriperent eos leones*. Conferat lector quæ diximus 3. p. q. 28. art. 3.

[ ℣. 16. *Verè Dominus est in loco isto*, ] ubique Deum esse certum est: at in loco isto erat peculiari ratione, nimirùm per specialem operationem & favorem quem ibi Jacobo exhibuerat.

[ *Et ego nesciebam*. ] Eum scilicet illuc ista peculiari ratione esse. Discant hinc, ut & ex cap. 12. 13. & aliis, Novatores, quàm sit antiquum Deum certa loca speciali favore beneficiisque & miraculis particularibus illustrare; & desinant nobis obstrepere qui certa quædam loca ex devotione visitamus magis quàm alia.

[ ℣. 17. *Pavensque*, ] Præ Dei reverentia.

[ *Quàm terribilis est, inquit, locus iste?* ] Quàm religiosus & sacer, quantaque reverentia adeundus. Domum enim Dei decet sanctitudo & reverentia: iste autem locus est domus Dei. Unde sequitur.

[ *Non est hic aliud nisi domus Dei*, ] cùm Deus pecu-

culia-

culiariter hic habitet, seque præsentem exhibeat.

[ *Et porta cœli.* ] Per quam scilicet & ex cœlo venitur, & in cœlum itur. Viderat enim ibi cacumen scalæ cœlum tangere, ibique Deum innixum. Viderat etiam Angelos quasi de cœlo egredientes cùm descenderent, & quasi in cœlum euntes, cùm ascenderent.

Allegoricè, hic locus est Ecclesia Christiana, in qua Deus peculiariter habitat tum ratione beneficiorum quæ ibi præstat, tum propter præsentiam corporis Christi in Eucharistia. Cui etiam convenit esse portam cœli, quia per eam fideles ingrediuntur in cœlum; & ad eam descendunt Angeli, nostras miserias visuri, preces audituri, auxilium allaturi; ex ea verò ascendunt, Deo pro nobis supplicaturi & opem impetraturi.

[ ℣. 18. *Tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, & erexit* ] seu elevavit & collocavit.

[ *In titulum,* ] hoc est, in memoriam divinæ visionis, & ut in reditu ex Haran, ibidem Deum veneraretur sicut fecisse legitur cap. 35. Et probabile est quòd lapidem illum ita erexerit, ut in modum altaris eum disposuerit ad illic suo tempore Deo sacrificandum: certum verò quòd non erexit ut vel eum adoraret, vel ei sacrificaret: quo modo postea Levit. 26. probibitum fuit titulos erigere, & lapides ponere.

[ *Fundens oleum* ] Quod ex urbe vicina quæsivit,

[ *Desuper.* ] Hoc oleum fudit Jacob desuper lapidem istum, non illud libando vel in sacrificium offerendo (cùm nusquam legamus Deo fuisse sacrificatum ex solo oleo) sed ita lapidem consecrando, sacroque usui deputando. Imitatur Ecclesia Jacobum, quando in Ecclesiarum & altarium consecratione utitur unctione olei, qua etiam usum fuisse Moysen in erectione tabernaculi ex cap. ult. Exodi liquet. Neque tamen Ecclesia ritum hunc servat velut Judaicum, sed ut naturalem; eo quòd natura nos doceat res corporeas in Dei cultum servituras aliquo ritu consecrare. Ideo autem olei unctio adhibetur, quia oleum habet proprietates quæ sunt symbola cœlestium virtutum & gratiarum.

Quare oleũ fuderit super lapidem.

Olei proprietates.

Prima est, illuminare quatenus est pabulum lucis: Unde Matth. 25. *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Secunda, servire ad cibos, ut sint utiles ad sanitatem: Nam Psalm. 4. oleum recensetur cum frumento & vino. Tertia, liquoribus aliis supernatare, sicut charitas reliquis donis & virtutibus excellit 1. ad Corinth. 12. & 13. Quarta, curare vulnera doloresque lenire: unde Samaritanus Luc. 10. graviter vulnerato infudit oleum & vinum. Quinta, exhilarare homines, juxta illud Psalm. 103. *ut exhilaret faciem in oleo.* Sexta, membra corporis reddere agilia & vegeta; Ideo namque is cui defuerat Unctio olei, Psalm. 108. dicit, *caro mea immutata est propter oleum,* scilicet deficiens; seu propter olei defectum. Septima, dura emollire, juxta illud Isai. 10. *computrescet jugum à facie olei; &* impinguare; Psalm. 22. *Impinguasti in oleo caput meum.* Ob quam causam oleum est symbolum misericordiæ.

[ ℣. 19. *Appellavitque nomen urbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur.* ] Ab eo quod jam ante dixerat, *Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli,* loco isti nomen imponit; ut qui prius à nucum vel amygdalorum copia vocabatur Luza, deinceps vocaretur Bethel, idest, domus Dei. Quibus conforme est quod cap. 48. dicit hanc Dei apparitionem sibi esse factam in Luza. Sive autem Luza sive Bethel: non est existimandum, quòd sit iste locus qui postea dictus est Jerusalem vel mons Moria, sed alius est octodecim milliaribus ab eo distans. In hac Bethel posuit Jeroboam vitulum aureum 3. Reg. 12. ideoque Propheta Oseæ postquam ibi vigebat idololatria, indignum ratus illam vocare Bethel, idest, domum Dei, eam vocat Bethaven, idest, domum vanam vel domum iniquitatis cap. 4. & 5. Fuerintne duæ Bethel an unica, Authores non conveniunt. Videri possunt Masius super Josue, Delrio, Marius, & Marzilla hic.

[ ℣. 20. *Vovit etiam votum,* ] hinc intelligi potest votorum antiquitas, & quòd illa Deo placeant, contra quam velint sectarii.

[ *Si fuerit Deus mecum &c.* ]

[ ℣. 21. *Erit mihi Dominus in Deum,* ] Ubi non hoc significare intendit Jacob quòd Dominum esset cultu divino prosecuturus, si eum custodiret, nutriret, salvumque reduceret; deserturus autem, si adversa ei acciderent: sed promittit speciali cultu (eo scilicet ad quem secluso voto non obligaretur) ipsum colere, si illi donet ea quæ hic postulat. In quo autem iste cultus specialior consisteret, statim exponit dicens:

[ ℣. 22. *Et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei:* ] Per metonimiam qua locatum pro loco ponitur, sensus est: locus iste in quo lapidem erexi, vocabitur seu erit domus Dei, illum dedicabo & consecrabo divino cultui, ibique sacrificabo: quod fecisse legitur cap. 35. v. 7.

[ *Cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi:* ] Non sacerdoti alicui dando, sed tibi immediatè sacrificando, & in holocaustum consumendo. Discimus hinc & nos & nostra divinæ protectioni committere, à Deo non superflua, sed ejus in primis custodiam, panem & vestimentum; seu quod dici solet, victum & amictum petere; necnon ea quæ ad vitam spiritualem & ad reditum in domum Patris æterni sunt necessaria.

## CAPUT XXIX.

*Jacob in Mesopotamia suscipitur à Laban, septem annis ei servit pro Rachele, & hujus loco supponitur Lia, septemque annos alios cogitur servire pro Rachele: qua existente sterili Lia quatuor peperit filios.*

[ ℣. 1. P*rofectus ergo Jacob* ] ex loco ubi scalam viderat & votum Deo fecerat, hoc est ex Bethel. Qui cum magno comitatu profectum esse dicunt Jacob, falluntur: Ipse enim cap. 32. affirmat se fuisse solum dicens, *In baculo meo transivi Jordanem.*

[ *Venit in terram Orientalem.* ] In Mesopotamiam, quæ est orientalis respectu Palæstinæ. Hebr. ad terram filiorum orientis, idest, hominum orientalium: Hebræi quippe amant addere vocem filii, ut cum dicunt filios Adam pro hominibus; filios Austri, pro australibus. Septuaginta hic addunt, ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccæ matris Jacob & Esau: quæ non habentur in Hebræo, & verisimile est ab aliquo tamquam explicationem margini addita, in textum postea irrepsisse.

[ ℣. 2. *Et vidit puteum* ] non procul ab urbe Charran seu Haran dissitum.

[ *Tres quoque greges ovium accubantes juxta eum:* ] Ut adaquarentur.

Allegoricè puteus est sacra scriptura: Jacob veniens ad puteum, est Christus qui venit ad scripturam sacram aperiendam: juxta eum tres ovium greges accubantes sunt Judæi, Samaritani, & Gentiles, eam scripturam exquirentes: Nam & Judæi & Samaritani illam apud se habebant; Gentiles autem, per versionem 70. eamdem scire contendebant. Sed omnes frustra, quia legisperiti suis traditionibus legi Dei contrariis clauserant puteum & scripturam obstruxerant, atque (ut Luc. 11. ipsis improperatur) *tulerant clavem scientiæ;* nec poterat puteus discooperiri, nisi Jacob, idest, Christus illum discooperiret,

[ *Et os ejus grandi lapide claudebatur.* ] Hujus conclusionis causa erat ut (cùm ibi esset raritas aquæ, deberentque propterea greges ex illo puteo adaquari;) aqua purior & copiosior servaretur, neque posset clanculum ab aliquo infici aut inquinari. Unde tum demum revoluto lapide aperiebatur puteus, quando cuncti greges erant congregati; illisque adaquatis, statim eodem lapide claudebatur, ut dicitur versu 3.

Cur puteus clauderetur.

[ ℣. 4. *Fratres,* ] Pastores pastor alloquitur nomine amoris & societatis.

[ ℣. 5. *Numquid, ait, nostis Laban filium Nachor?* ] Filium, idest, nepotem: Nam Laban erat filius Bathuelis filii Nachor. Cur non dicat filium Bathuelis, ratio est quia Nachor erat caput familiæ: Unde & Haran vocatur urbs Nachor cap. 24. num. 10.

[ ℣. 6. *Ecce Rachel filia ejus venit cum grege suo,* ] seu patris sui Laban. Observat Delrio isto ævo pudicitiam cum simplicitate viguisse: Nam puella dives, speciosa,

cioſa, & nubilis, ſine periculo & ſuſpicione inter paſtores verſabatur.

Rachel cum grege eſt typus Eccleſiæ Chriſti: Et ſicut Jacob invenit Rachelem juxta puteum, qui etiam eſt ſymbolum baptiſmi; ita Chriſtus Eccleſiam invenit ad aquam baptiſmalem, ubi renaſcimur & ſimus oves ejus: Rachel enim ovem ſignificat.

[ ℣. 7. *Nec eſt tempus ut reducantur ad caulas greges:* ] Oſtendit ſe peritum artis paſtoralis & affectu fraterno rem ipſorum curare. Demum enim ſub veſperam reducendi erant greges ad caulas.

[ ℣. 10. *Et ſciret* ] ex verbis paſtorum v. 6.

[ *Conſobrinam ſuam*, &c. *amovit lapidem* ] à Deo peculiariter adjutus, ſi ut bonis authoribus viſum eſt, tantæ molis erat ut non niſi junctis multorum paſtorum viribus poſſet amoveri.

[ ℣. 11. *Oſculatus eſt eam:* ] More propinquorum ſorix advenientium: quod proinde oſculum fuit amicabile & officioſum, nullatenus autem laſcivum,

[ *Et elevata voce flevit*, ] Ex animi teneritudine, & magno gaudio. Qui putant Jacob fleviſſe, quia non haberet munera quæ Racheli offerret utpotè ſpoliatus in itinere ab Eliphaz filio Eſau, Judaicis fabulis fidem adhibent. Ex cap. 32. habemus eum præter baculum viatorum nihil tuliſſe, unde conſequens eſt nihil habuiſſe quod ipſi auferretur.

[ ℣. 12. *Et indicavit ei quod frater eſſet patris ſui*, ] hoc eſt, quòd eſſet nepos ſui patris, ex ſorore. Erat enim Jacob filius Rebeccæ; Rebecca autem erat ſoror Laban, & Laban erat pater Rachaelis; ſicque Jacob erat conſobrinus Rachaeli, & patri Rachaelis nepos; fratris verò nomen ſæpè extendi ad nepotes & cognatos notum eſt ex ſcriptura. Omnino veriſimile eſt Jacobum iſta prius indicaſſe: Alioqui Rachel non tam facilè admiſiſſet oſculum peregrini: ſed ſacer ſcriptor utitur hyſterologia.

[ *At illa feſtinans* ] ut hoſpitalis & officioſa.

[ ℣. 13. *Auditis autem cauſis itineris*, ] has cauſas audivit Laban; quoniam ( ut Hebræa & Græca ſonant ) Jacob ei narravit omnia verba hæc, quæ nimirùm acciderant, hoc eſt, quæ ipſe cum Eſau egerat, & quæ mandata à ſuis parentibus acceperat, tum de profectione, tum de matrimonio.

[ ℣. 14. *Os meum es & caro mea.* ] Tu es mihi conſanguineus: phraſis enim uſitata eſt, qua qui de eodem ſanguine ortum habent, ſive qui ſunt conſanguinei, os & caro appellentur: ut Judic. 9. v. 2. 2. Reg. 19. v. 12. & 13. q. d. Cum mihi ſis conſanguineus & ad me velut ad avunculum tuum veneris & tutelæ & matrimonii cauſa, nihil tibi negare poſſum: Securè apud nos mane.

[ *Et poſtquam impleti ſunt dies menſis unius*, ] hoc eſt, poſt integrum menſem quo Jacob avunculo ſuo gratis ſervivit:

[ ℣. 15. *Dixit ei: Num quia frater* ] ( ideſt, conſanguineus)

[ *Meus es, gratis ſervies mihi? dic quid mercedis accipias.* ] Noluit Laban pretium propria æſtimatione definire; ſed comitate uſus interrogat Jacobum, quid & quantum velit.

[ ℣. 17. *Lia lippis erat oculis:* ] Quidquid de voce lippitudinem hanc ſignificante quidam diſputent, velintque hic ſignificatum quòd Lia pulchros ac delicatos ſeu teneros haberet oculos: quia tamen antitheſis ponitur inter pulchritudinem Rachelis, & Liæ ſpeciem, omnino videtur in Lia morbus ſeu defectus quidam ſignificari potius quàm decor & pulchritudo.

[ ℣. 18. *Quam* ] ( ſcilicet Rachelem)

[ *Diligens Jacob* ] quamvis in uxore potiſſimùm quærenda & diligenda ſit virtus: quia tamen, *gratior eſt pulchro veniens de corpore virtus:* Et, quia pulchritudo Dei donum eſt: Ideo cæteris paribus licet eligere formoſam potius quàm deformem uxorem, quando non libidinis cauſa eligitur, ſed vel ut quiſpiam ita facilius concupiſcentiæ medeatur, & ab alienarum appetitu arceatur; vel ut ex formoſa pulchriores & gratiores proles generentur. Unde in nullo culpandus eſt Jacob, quòd Rachelem præ Lia elegerit & dilexerit.

Ut liceat eligere uxorem formoſam.

[ *Ait: Serviam tibi pro Rachel filia tua minore, ſeptem annis.* ] Quia Jacob inops venerat, eratque paternarum hæreditatum ex opinione Laban incertus ſucceſſor, non habebat unde donationi propter nuptias ſatisfaceret aut uxorem coemeret, juxta conſuetudinem Romanis, Græcis, & Hebræis uſitatam, qua mariti uxores quaſi coemebant datis pecuniis, vel muneribus, vel aliis hujuſmodi, ut 1. Reg. 18. v. 25. 2. Reg. 3. v. 14. Oſeæ 3. v. 2. Ideo pro pretio offert ſervitutem ſeptennem. Qua in re ſordidum ſe præbet Laban qui filias indotatas & tanto labore quaſi emptas tali genero tradere conſentit: Magnum verò, ſed caſtum & continentem amorem ſuum oſtendit Jacob, dum tot annis vult ſervire & nuptias expectare, manendo in eadem domo.

[ ℣. 19. *Mane apud me.* ] Suſcepta gregum meorum cuſtodia.

[ ℣. 20. *Et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* ] Magnus erat amor, ſed caſtus & intra rectæ rationis limites coarctatus. At dices, Amanti omne tempus quo se amata potiri non poteſt, longum videtur: quo modo igitur ſeptem anni potuerunt Jacobo videri dies pauci præ amoris magnitudine? Reſp. quoniam etſi quoad affectum quo deſiderabat Rachelis contubernio frui, dies viderentur eſſe plurimi; quoad appretiationem tamen videbantur eſſe pauci; hoc eſt, tanti faciebat mercedem, Rachelis videlicet conjugium, ut omnis labor quamtumvis dierum multorum videretur mercedis comparatione parvus & brevis eſſe; quia ſpes cuncta faciebat dulcia & facilia. Dies ergo hic pro dierum labore ponuntur.

Ex his conſidera quid nos pro æternæ beatitudinis mercede conveniat agere & pati.

[ ℣. 22. *Fecit nuptias.* ] Seu convivium nuptiale. Unde patet Rachelem fuiſſe primam uxorem Jacob: cùm ea ſiquidem matrimonium contraxerat priuſquam celebraretur convivium nuptiale.

[ ℣. 23. *Et veſperè Liam filiam ſuam introduxit ad eum*, ] conſuetudinis erat, ut verecundiæ cauſa non niſi veſperè ſponſa deduceretur ad thalamum viri, ideoque Jacob nihil habuit unde ſuſpicaretur fraudem.

[ ℣. 24. *Dans ancillam filiæ, Zelpham nomine.* ] Ne omnino indotatam Liam videretur in matrimonium dediſſe; etſi hanc dotem non æſtimaverint Rachel & Lia, ut patet ex cap. 31. v. 15.

[ *Ad quam* ] Liam, non Zelpham; neque enim relativum ſemper refert id quod proximè præcedit, ſed frequenter id quod remotius eſt:

[ *Cùm ex more Jacob fuiſſet ingreſſus*, ] Matrimonium ut ipſe putabat, conſummando.

[ *Facto mane vidit Liam:* ] Quam nocte non agnoverat; non quòd eſſet ebrius ut quidam inſulsè voluerunt; ſed quia & tenebræ, & ſilentium virginis, & ſponſi modeſtia fraudi locum fecerunt; ſicque demum dum illuxit dies, error detectus eſt. Graviter peccavit Lia conſentiendo in copulam ejus quem ſciebat non eſſe ſuum maritum, imò quem ſciebat eſſe maritum alterius: gravius tamen Laban qui horum omnium fuit author, & tam Rachelem quàm Jacobum jure ſuo ſpoliavit: Jacob autem nequaquam peccavit, quoniam bona fide proceſſit, & laboravit ignorantia invincibili.

Peccavit Lia, magis tamen Laban, nullatenus Jacob.

Neque his obſtat conſuetudo quæ à Laban affertur, de non tradendo minores filias nuptui, ante majores: Primò, quia talis conſuetudo non erat perpetua; Omnes enim qui ad nuptiale convivium convenerant, ſciebant celebrari nuptias Rachelis, nec ignorabant eam eſſe juniorem ſua ſorore. Secundò, quia licèt ea conſuetudo fuiſſet perpetua, non erat tamen ſervanda cùm fraude, ſed debebat prius indicata fuiſſe Jacobo, quando petierat Rachelem, pro ea ſeptem annis ſerviturus, Lia prætermiſſa. Adde, quòd hujuſmodi conſuetudo firma & inviolabilis non eſſet juſta, præjudicaret enim libertati matrimonii.

[ ℣. 25. *Quare impoſuiſti mihi?* ] Vox Hebræa ſignificat contemnere & vilipendere. Quaſi dicat, quare ita me vilem habuiſti, ut in re tam gravi decipere volueris, & uxore tantis laboribus empta fraudare?

Juxta Allegoriam ſervitus Jacob pro Rachele typum habuit ſervitutis qua Chriſtus forma ſervi indutus, in hoc mundo ſervivit pro ſynagoga Judæorum; Suppoſitio autem Liæ habet typum Eccleſiæ gentium, quæ

præter

præter spem synagogæ, in Christi thalamum fuit introducta, relicta Rachele, idest, synagoga.

Juxta tropologiam per duas uxores Jacob intelliguntur duæ vitæ, contemplativa & activa; aut Ecclesia triumphans & militans. Sicut enim Jacob quod ad eventum rei attinet, prius servivit pro Lia etsi Rachelem prius haberet in intentione, ita serviendum est pro Ecclesia militante prius quam habeamus triumphantem, etiamsi triumphans prius sit in intentione. Et sicut Jacob concupierat Rachelem, sed nocte accepit Liam, & postea etiam Rachelem habuit; ita fideles vitam contemplativam desiderant, quietem æternæ patriæ appetendo; sed prius necesse est ut in nocte vitæ præsentis vitam activam & laboriosam agant, ac postea demum in Rachel amplexibus requiescant. Plura vide apud Gregor. hom. 14. in Ezechiel.

[ ℣. 27. *Imple & hebdomadam dierum hujus copulæ:* ] Voluit Laban ut errore detecto Jacob accipere Liam in uxorem, utque hoc ipsius conjugium per septem dies celebraretur juxta consuetudinem olim insolitam, ut patet ex Judic. 14. vers. 12. ex Tob. 11. v. 21. & ex Esther a. apud 70. v. 18. Sensus ergo est, finiantur hi septem dies nuptiarum Liæ: fuisset enim probrosum Liæ, si septem illis diebus non expleris, Rachel fuisset in thalamum Jacob introducta.

[ *Et hanc quoque* ] (Rachelem)

[ *Dabo tibi* ] Ut ipsa etiam tamquam uxore tua liberè fruaris.

[ *Pro opere quo serviturus es mihi septem annis aliis.* ] Laban fraudulentus antea, nunc apertè est iniquus, volens ut Jacob novo septennio serviret pro Rachele, pro qua jam antea septem annis servierat & non pro Lia sibi obtrusa, & nequaquam ab ipso petita. Unde Jacob jure poterat hanc conditionem rejicere, & Rachelem tamquam uxorem suam legitimam sibi vendicare, imò & pro injuria sibi facta satisfactionem exigere, sed ut erat benignus & mansuetus.

[ ℣. 28. *Acquievit placito: & hebdomada transacta, Rachel duxit uxorem:* ] Sermo est non de hebdomada annorum, ut quibusdam visum est existimantibus Jacobum demum accepisse Rachelem post septem annos secundæ suæ servitutis, hoc est, in universum post quatuordecim annos; sed de hebdomada dierum, de qua v. 27. dictum est, sive de septem diebus solemnitatis nuptiarum cum Lia contractarum: constat namque ex cap. 30. Rachelem annis aliquot mansisse sterilem postquam esset conjugata, dedisseque interea Balam ancillam suam marito, quæ peperit ei Dan & Nephtalim, & anno deinde servitutis Jacob decimo quarto, peperisse Joseph. Quæ nullatenus consistere possunt, si demum post septem annos secundæ servitutis suæ Jacob Rachelem accepisset. Illud porro, *Rachel duxit uxorem*, non debet sic intelligi, quasi nunc cum ea contraxerit vinculum matrimoniale; illud enim cum ea contraxerat, vel initio primæ servitutis septem annorum, vel in fine illius, priusquam celebraretur convivium nuptiale; sed sensus est, quòd post septem dies solemnitatis nuptialis cum Lia, Jacob ad usum & convictum matrimonialem acceperit Rachelem, quæ antea fuerat ipsi conjuncta per verba de præsenti.

Quando Jacob acceperit Rachelem in uxorem.

[ ℣. 29. *Cui pater servam Balam tradiderat.* ] Eo modo quo Liæ Zelpham v. 24.

[ ℣. 30. *Amorem sequentis priori prætulit*, ] Sine cujusquam injuria: Nam Rachel erat prima Jacobi uxor, primoque dilecta & intenta, cùm Lia fraudulenter esset superinducta.

[ ℣. 31. *Videns autem Dominus quòd despiceret Liam*, ] Hebr. & Græca, quòd odio habebatur Lia, Ne autem hoc de odio positivo accipiatur, noster interpres rectè vertit quòd despiceret, hoc est, in amore postponeret: frequens enim est ut qui minus amat aliquem; sive, qui aliquem in amore postponit, cum dicatur odisse, velut Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum:* & ad Rom. 9. *Esau odio habui*, secundùm ea quæ diximus 1. p. q. 23. art. 5. ad 1. de reprobatione.

[ *Aperuit vulvam ejus*, ] Fœcunditatis beneficium illi contulit, fecitque eam parere; ut fœcunditate placeret, quæ minus placebat specie. Aperire enim vulvam Hebræis idem valet quod fœcundare, vel primò de vulva exire. Illud convenit Deo, istud primogenito qui est maternæ fœcunditatis primum testimonium.

[ *Sorore sterili permanente.* ] Pro sterili, Hebræi dicunt eradicata vel sine radice. Apud eos enim non soli parentes, sed etiam filii vocantur radices, sive quia filii sont ex radice, sive quia in filiis parentes quodammodo repullulant. Ita Christus Apoc. 5. dicitur radix seu filius David.

[ ℣. 32. *Vocavitque nomen ejus Ruben, dicens: Vidit Dominus humilitatem meam*, ] Ruben juxta B. Hieronym. interpretatur visionis filius, & ideo filium quem Deus dedit Liæ, videns ejus humilitatem seu utilitatem & abjectionem, qua nimirùm postponebatur Racheli minosque amabatur à marito, ipsa vocat Ruben. Huic simile est quod Virgo Deipara Luc. 1. ait, *Respexit humilitatem ancillæ suæ*. Ubi non prædicat virtutem suæ humilitatis, quod ad superbiam pertineret, sed agnoscit, ac confitetur suam exiguitatem & vilitatem.

[ *Nunc amabit me vir meus.* ] Quamvis vocula, *nunc*, secundùm se nihil aliud importet quàm temporis præsentis moram; ex adjuncto tamen, veluti si applicetur verbo futuri temporis, denotat quamdam successionem in futurum, ut idem valeat quod posthac. Ita sumitur in hoc versu, ac etiam v. 34. & similiter Gen. 4. v. 11. Micheæ 5. vers. 1.

[ ℣. 33. *Quoniam audivit me Dominus haberi contemptui*, ] Hoc est, minus diligi, ut v. 31. dictum est.

[ *Vocavitque nomen ejus Simeon.* ] ab eo quòd sit exaudita Simeon nomen imposuit; Simeon quippe interpretatur auditio, ait Hieronym. in qq. Hebr.

[ ℣. 34. *Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus*, ] post hac maritus meus mihi magis afficietur, majorique amore me prosequetur, & mihi adhærebit:

[ *Et idcirco appellavit nomen ejus, Levi.* ] Quod idem valet ac copula vel adhæsio aut additio.

[ ℣. 35. *Quartò concepit, & peperit filium, & ait: Modo.* ] Quando eximiam filiorum procreationem dedit mihi Deus, ut quatuor liberos habeam.

[ *Confitebor Domino*, ] Ipsum laudando & gratias ei agendo.

[ *Et ob hoc vocavit eum, Judam:* ] Juda siquidem confessio dicitur, à confessione itaque confessoris nomen est dictum: Verumtamen hic *confessio pro gratiarum actione aut pro laude accipitur*, ait Hieron. ut frequenter in Psalmis & in Evangelio. Cùm ex Juda ortus sit Christus; manifestum est illum non ex Rachele, sed ex Lia natum esse. Dum Lia in singulis generationibus Deum recognoscit datorem prolis, egregium pietatis exemplum præbet matribus familias.

[ *Cessavitque parere.* ] Aliquot annis, donec scilicet duæ ancillæ quatuor filios procreassent.

## CAPUT XXX.

*Rachel sterilis & Lia parere cessans ancillas suas marito tradunt in matrimonium; quarum singula binos filios pariunt. Præter quos Lia, duos alios & filiam parit: Rachel verò, Joseph. Deinde Laban de mercede paciscitur cum Jacob pro novo servitio, sicque Jacob plurimum ditatur.*

[ ℣. 1. CErnens autem Rachel quòd infœcunda esset, ] Lia tot filios generante,

[ *Invidit sorori suæ*, ] si sic de sororis fœcunditate doluerit, ut mallet eam manere sterilem, culpa fuit mortalis: si autem sic inviderit sorori, ut non tam doleret ejus fœcunditatem, quàm suam propriam sterilitatem, vel nulla vel solum venialis fuit culpa. Et quoniam licèt idololatriæ esset filia, non potest tamen esse dubium quin Jacob vir eximiè sanctus illam ad unius Dei fidem morumque probitatem converterat: Ideo modus posterior videtur esse verisimilior.

Qualis invidia Rachelis.

[ *Et ait marito suo: Da mihi liberos*, ] sicut dedisti sorori meæ. Insipiens petitio, quasi à parte Jacob staret ut ipsa filios susciperet, & non potius à propria sua sterilitate; aliquousque tamen excusabilis in uxore quæ liberorum desiderio ardebat, & non carnis voluptatem quærebat in matrimonio.

[ *Alioquin moriar.* ] Præ tristitia: non enim video me posse ferre doloris magnitudinem qui me angit, dum sterilitatem meam considero. Quibusdam visum

quod

quod minaretur sibi inferre manus violentas: sed nihil est quod hujusmodi expositionem poscat.

[ ℣. 2. *Cui iratus* ] Ob tam incivilem & insipientem uxoris sermonem;

[ *Respondit Jacob: Num pro Deo ego sum*, ] sive, ut 4. Reg. 5. alia ex causa dicit rex Israel, *Numquid Deus ego sum?*

[ *Qui privavit te fructu ventris tui?* ] Ostendit esse Deum qui sterilem eam fecit, & non pendere à marito ut fœcunda reddatur, sed à Deo. Observandum quòd marito illam corripienti nihil obloquitur; sed memor similis facti Saræ supra cap. 16. cupit saltem ex ancilla filium adoptivum habere.

[ ℣. 3. *Habeo inquit, famulam Balam: ingredere ad illam*, ] Affectu scilicet matrimoniali: sive, ipsa sit tibi uxor, & ad eam velut ad uxorem accede: Hinc patet Rachelem non libidine arsisse, sed prolis desiderio.

[ *Ut pariat super genua mea*, ] Ut pariat filium quem ego tamquam meum genibus excipiam. Alludit ad morem, quo matres filios suos super genua statuunt, dum eis blandiri volunt. Unde Job 3. *Quare exceptus genibus?* Et Isai. 66. *super genua blandientur vobis.*

[ ℣. 4. *Deditque illi Balam in conjugium*, ] hoc est, in uxorem, licita tunc ut cap. 16. dictum, polygamia.

[ ℣. 6. *Dixitque Rachel: Judicavit mihi Dominus*, ] sive, Deus pro me sententiam tulit, meque vindicavit ex opprobrio quod patiebar, quasi non tantùm sterilis, sed etiam indigna essem omni prole.

[ *Et exaudivit vocem meam, Dans mihi filium:* ] Quem adoptem. Vox illa est oratio ad quam se convertit, postquam fuit à marito reprehensa v. 2. Verisimileque est quòd dum orationem illam faceret, divinitus monita fuerit ut ancillam suam daret marito uxorem, sicut de Sara dictum est cap. 16.

[ *Idcirco appellavit nomen ejus, Dan.* ] Ut ab eo quod judicasset se Dominus, filio ancillæ judicii nomen imponeret: *Dan quippe interpretatur judicium*, ait Hieron. Ad eamdem vocis interpretationem respexisse videtur Jacob, quando cap. 49. dicit, *Dan judicabit populum suum.*

[ ℣. 7. *Rursumque Bala concipiens peperit alterum*, ]

[ ℣. 8. *Pro quo ait Rachel: Comparavit me Dominus cum sorore mea*, ] propter incertitudinem significationis verbi Hebræi plurimum hìc variant interpretes. S. Hieronymus in qq. Hebr. ita legit apud 70. *Habitare me fecit Deus habitatione cum sorore mea.* 70. nunc habent sicut & Chrysost. & olim veteres, *Coassumpsit seu adjuvit me Deus, & colluctata alii, conversata sum cum sorore mea.* Aquila, *convertit me Deus, & conversa sum.* Alii, *involutionibus Dei involuta sum cum sorore.* Alii aliter, nullus tamen nostro interprete melius: cum quo reliqui concordari possunt, si dicamus Rachelis mentem fuisse quòd cum sorore contenderit & colluctata fuerit de fœcunditate ac de prole, astutoque consilio tradendi ancillam marito, ita sit comparata sorori, ut non sit illa inferior, utpotè jam consecuta plures filios, quando soror parere cessabat:

[ *Et invalui:* ] Non solùm non sum inferior sorore, sed prævaleo. Ita existimabat ex eo quòd tunc filios habebat, quando soror habere desinebat. Sed vel inanis erat ejus jactantia, cum Lia quatuor haberet filios, eosque ex se genitos; Rachel tantùm duos ex adoptione, & ex se nullos: Vel simul respexit ad formæ suæ venustatem, ob quam simul cum duobus filiis ex ancilla susceptis putabat se marito gratiorem futuram, quàm esset soror cum pluribus liberis ex ipsa genitis.

Quasi invidia Rachelis.

[ *Vocavitque eum, Nephtali.* ] A conversione vel comparatione hoc nomen imposuit, quia Nephtalim utrumque sonat, & conversionem & comparationem, ait Hieron.

[ ℣. 9. *Sentiens Lia quòd parere desiisset, Zelpham ancillam suam marito tradidit.* ] In uxorem secundariam.

[ ℣. 10. *Qua post conceptum edente filium*, ] Lia mirum in modum exhilarata,

[ ℣. 11. *Dixit: feliciter:* ] Quasi diceret, consilium quod cepi, feliciter successit.

[ *Et idcirco vocavit nomen ejus, Gad.* ] Quod duplicem habet significationem. Unam, qua Gad significat bonum seu felicem eventum: Et hanc secutus hìc fuit noster interpres, quemadmodum & 70. Aliam, qua Gad significat, procinctum vel in procinctu: & eam habet Aquila. Utramque verò B. Hier. in qq. Hebr. Ad hanc posteriorem respexit Jacob cap. 49. dicens, *Gad accinctus præliabitur:* Ab utraque simul juncta intelligi potest Lia vocasse hunc filium, Gad, quasi diceret: Valde feliciter cessit consilium quod cepi de ancilla danda marito in uxorem: jam enim tot filios consecuta sum, ut sint instar exercitus accincti seu parati.

[ ℣. 12. *Peperit quoque Zelpha alterum.* ]

[ ℣. 13. *Dixitque Lia: Hoc pro beatitudine mea:* ] Beatitudo ad felicitatem addit diuturnitatem & stabilitatem. Quæ igitur in quinto filio felicem se dixit, sexto accedente sibi, gratulatur istius felicitatis continuationem & stabilitatem.

[ *Beatam quippe me dicent mulieres.* ] Ut quæ tot filiis abundem.

[ *Propterea appellavit eum, Aser.* ] Aser idem valet ac beatitudo vel beatus; sicque ab eo quòd beata dicenda esset ab hominibus, filium istum vocat Aser, idest, beatum. In Beatam Virginem ex Lia ortam peculiariter hæc competunt, quæ postquam Christum concepit, à cognata sua Elisabeth audivit, *benedicta tu inter mulieres*, & exclamavit, *Beatam me dicent omnes generationes.*

[ ℣. 14. *Egressus autem Ruben* ] ( Ætatis circiter quinque annorum ) *tempore messis triticeæ:* quod tempus exprimitur ad differentiam messis hordeaceæ quæ in Palæstina & Mesopotamia fiebat primo mense; cùm ea quæ hìc narrantur, secundo mense qui partim Aprili partim Majo nostro respondet, acciderint.

[ *Reperit mandragoras:* ] Quas, rei novitate & pulchritudine pueriliter lætatus, *matri Liæ detulit.* Sunt qui nostrum interpretem carpunt, quasi neque hìc neque Cantic. 7. vertere debuerit Mandragoras, sed vel lilia, vel violam, aut ficum: Primò, quia mandragoræ non sunt odoriferæ. Secundò, quia sunt frigidissimæ & partui inimicæ. Tertiò, quia tempore messis triticeæ mandragoræ necdum sunt maturæ. Sed pro nostro interprete facit declaratio Concil. Trid. quòd sess. 4. vult libros sacros ibi enumeratos recipi cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt & in veteri vulgata Latina editione habentur: nulla autem extat vulgata editio Latina, quæ aliud habeat quàm mandragoras. Deinde, non solus noster interpres vertit mandragoras, sed etiam 70. Josephus, Procopius, Gazæus, Eugubinus, & communiter alii.

Rectè hic versum mandragoras.

Quid mandragora.

Ad rationes oppositas Respondet Delrio in Cantica, duas priores esse perpetuò & perspicuè falsas; ultimam verò falsam esse in Mesopotamia, ubi maturescunt citius quàm apud nos. Est autem mandragora genus plantæ, cujus duo sunt genera; candidum, quod mas; & nigrum, quod fœmina existimatur. Utrumque fert poma avellanarum nucum magnitudine, pulchra & suave olentia, sapore autem insipido, ut post experientiam factam scribit August. lib. 22. contra Faust. cap. 56. Neque refert Plinium lib. 25. cap. 13. scribere mandragoras esse gravis odoris: quamvis enim ita sit quibusdam in locis, alibi tamen esse suavis odoris dubium esse non potest, quandoquidem ita testetur Aug. scribens se poma ista vidisse, & naturam eorum quantum potuit, diligenter esse scrutatum; sitque hoc conforme verbis Cant. 7. *Mandragoræ dederunt odorem.*

[ *Da mihi partem de mandragoris filii tui.* ] Quare Rachel hoc petierit, non liquet. August. illorum opinionem rejicit qui volunt fructum mandragoræ sterilibus fœminis fœcunditatem afferre, eamque ob causam Rachelem instinxisse ut de illo haberet: partim quia Rachel non tunc concepit, sed diu postea, & quidem peculiari dono Dei: partim quia in nulla fœmina hoc probavit experientia. Hujus ergo desiderii causa videtur fuisse pomi raritas, & odoris jucunditas. Cur verò scriptura rem hanc tacere noluerit, rationem dat Aug. ut intelligamus illo pomo mandragorico figurari famam bonam. Confer etiam Delrium super Cant.

Quare Rachel concupierit mandragoras.

[ ℣. 15. *Illa respondit : parumne tibi videtur quòd praripueris maritum mihi*, ] Vi amoris quo in te est propensior, faciendo, ut ad te frequentius accedat. Notat B. Aug. lib. 22. contra Faust. cap. 49. in familia Jacob fuisse ordinem noctium, quibus nunc ad unam, nunc ad aliam uxorum suarum accedebat; quem tamen ordinem non est necesse fuisse ex æquo partitum, cùm jure posset Jacob Racheli utpotè primæ primòque dilectæ conjugi plus tribuere, quàm Liæ; & tum Racheli tum Liæ, plus quàm ancillis, quæ solùm erant uxores secundariæ. Et hujusmodi inæqualitatem significant verba Liæ querulosa.

[ *Ait Rachel : dormiat tecum hac nocte* ] cum ista nox Racheli competeret, ipsa jus suum sorori cedit pro mandragoris.

[ ℣. 16. *Redeuntique ad vesperam Jacob de agro*, ] uxores Jacob habebant tabernacula, aut saltem cubicula separata; & cum ipse vesperi redibat ex agris, ad tabernaculum divertebat ejus, cum qua erat nocte illa mansurus. Ne ergo ad Rachelem diverteret:

[ *Egressa est in occursum ejus Lia, & ad me, inquit, intrabis: quia mercede conduxi te pro mandragoris filii mei.* ] Seu quas filius meus Ruben attulit. q. d. Illis mandragoris tamquam mercede te conduxi, ut ad me intres hac nocte. Observandum cum S. Aug. cap. 49. & 50. istas fœminas, ut & Jacobum, nihil aliud in concubitu appetiisse, quàm liberos: cùm enim viderent se non parere, ancillas marito dabant; & cum Jacob à pulchriore magisque dilecta inopinatè averteretur, nihil conquestus statim acquievit, cogitans quòd sive ex una sive ex altera prolem haberet, non alius ei foret pater, quàm ipse.

[ ℣. 17. *Et exaudivit Deus preces ejus:* ] Liæ nimirum, ut expresserunt 70. Sermo est de precibus quibus Lia Deum precabatur ut daret ei filios.

[ *Et peperit filium quintum*, ] qui inter omnes filios Jacob erat nonus.

[ ℣. 18. *Et ait: dedit Deus mercedem mihi, quia* ] ( ad supplendum defectum quo cessabam parere. )

[ *Dedi ancillam meam viro meo.* ] Ut ex ea tamquam ex uxore legitima filios suscitaret.

[ *Appellavitque nomen ejus Issachar*, ] quod idem valet, atque *est merces*. Intelligit autem istum filium esse mercedem, non mandragoræ, sed liberalitatis, qua usa fuit erga maritum, dando ei suam ancillam.

[ ℣. 20. *Dotavit me Deus dote bona:* ] Novam fœcunditatem quasi dotem mihi donando.

[ *Etiam hac vice mecum erit maritus meus*, ] Mecum erit, idest, *mecum habitabit*, quemadmodum legit Hieron. In qq. Hebr. 70. habent, eliget me, scilicet ad mecum habitandum. Sensus est; Maritus meus non amplius me despiciet, sed libenter mecum habitabit, videns meam habitationem non esse inutilem.

[ *Eò quod genuerim ei sex filios: & idcirco appellavit nomen ejus, Zabulon.* ] Quod interpretatur habitaculum.

[ ℣. 21. *Post quem peperit filiam, nomine Dinam.* ] Quod nomen judicium, litem, & contentionem significat; incertum autem unde sit impositum. Si ex eo quòd futura esset occasio contentionis cum Sichimitis, dicendum foret Liam spiritu prophetico id prævidisse.

[ ℣. 22. *Recordatus quoque Dominus Rachelis*, ] more humano loquitur sacer scriptur; nam Deo cui omnia sunt præsentia, & nullus oblivioni locus, non competit recordatio, ut cap. 8. diximus. Sensus est, quòd Deus ostendit se non esse oblitum Rachelis.

[ ℣. 23. *Peperit filium, dicens: Abstulit Deus opprobrium meum ;* ] Idest, sterilitatem meam, quæ tunc probro erat. Considera qualiter beneficium partus Deo ascribit.

[ ℣. 24. *Et vocavit nomen ejus Joseph*, ] quod augmentum vel additionem significat. Unde sequitur,

[ *Dicens: Addat mihi Dominus filium alterum.* ] Per quem ostenditur hoc nomen imposuisse, vel ex voto suo, vel & ex re futura. In quibusdam editionibus 70. habetur Rachelem dixisse, *Addidit mihi Dominus filium alterum;* quod referri debet ad filios ex Bala susceptos, quos Rachel pro suis computabat.

Pro allegoria observandum, quòd istis undecim filiis addendo Beniamin postea cap. 35. natum, duodecim filii Jacob figurent duodecim Christi Apostolos; qui non sunt ex una matre geniti, sicut nec filii Jacob eamdem matrem habuerunt. Sicut autem Jacob istos filios suscepit tum ex liberis, tum ex ancillis uxoribus; ita Christus habet pastores aliquos bonos ac veros, alios mercenarios, & ex utrisque filios suscipit. Et quemadmodum Bala & Zelpha licèt filios Jacobo procrearent, manebant tamen ancillæ: sic mercenarii quamvis bona prædicent Christoque filios generent, nihilominùs manent mercenarii, ac sæpè improbi. Certabant uxores Jacob, quæ plures ei filios procrearent: sancto etiam studio certare debent pastores ut plures Christo lucrifaciant. Uxorum Jacob una erat pulchra, altera deformis: sic Ecclesia Christi sponsa intus pulchra est, propter gratiæ & virtutum dona; extrinsecus sæpè deformis, propter persecutiones & pressuras quibus graviter affligitur. Liæ tamen nihil obfuit deformitas, quin potius eò fœcundior fuit; sic Ecclesiæ non obsunt persecutiones cum non minuatur Ecclesia persecutionibus, sed augeatur. Denique sicut Jacob ad hæreditatem suam admisit non tantùm uxorum principalium, sed etiam ancillarum filios; ita Christus ad se suumque regnum recipit omnes qui sincerè ad ipsum convertuntur, ac in eo perseverant, qualiscumque fuerit eorum vita anterior. Omne, ait ipse Joan. 6. quod dat mihi pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, non ejiciam foras. Quo modo per istos duodecim filios Jacob, moraliter intelligi possint duodecim piiaffectus animi, timor Dei, dolor de peccatis, spes veniæ, amor Dei, futurorum malorum consideratio, similiterque futurorum bonorum, abstinentia, disciplina, mentis gaudium, odium peccatorum, discretio, & mentis excessus, luculentè declarat Richardus Victorin. lib. de præparation. animi p. 1. cap. 7. & seqq. & ex eo Marius & Cornel. in Genes.

[ ℣. 25. *Nato autem Joseph, dixit Jacob socero suo : dimitte me* ] permitte ut cum uxoribus & liberis :

[ *Revertar in patriam & ad terram meam.* ] In terram Chanaan, ubi natus & educatus sum, habeoque parentes superstites. Cur Jacob hæc ante non petierit, ratio est : quia se obligaverat ad serviendum socero septem annis aliis, isti autem anni secundæ servitutis non erant expleti ante nativitatem Joseph: Natus quippe est anno decimoquarto adventus Jacobi in Mesopotamiam, ætatis autem ejus nonagesimo primo, quemadmodum colligi potest ex cap. 41. 45. 47. ex quibus constat quòd Joseph erat 39. annorum, quando Jacob erat ann. centum triginta. Cùm enim Joseph stetit ante Pharaonem, & constitutus fuit princeps Ægypti, erat triginta ann. postea fluxerunt septem anni fertilitatis, & duo sterilitatis, ac tunc Jacob venit in Ægyptum, & dixit Pharaoni, Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt.

[ ℣. 26. *Da mihi uxores, & liberos meos*, ] Habuerat Jacob, ac etiam tunc habebat uxores, illisque uti permittebatur; sed nunc eas petit habere ad liberè exeundum cum ipsis: unde subjungit.

[ *Ut abeam: Tu nosti servitutem qua servivi tibi.* ] Quanto tempore quanta fide & diligentia officium servitutis præstiterim. Ita loquitur, ut veniam liberè abeundi Laban non deneget.

[ ℣. 27. *Ait illi Laban: Inveniam gratiam in conspectu tuo:* ] Gratum tibi sit quod desidero, & fac quod peto.

[ *Experimento didici, quia* ] seu quod.

[ *Benedixerit mihi* ] sive quòd mihi benefecerit meque locupletaverit.

[ *Deus propter te:* ] Similiter cap. 39. propter Joseph benedixit Deus domui Putipharis. Ita autem facit etiam impiis, ut apud illos benè sit justis & ut eis benefaciant, si non propter virtutem, saltem propter utilitatem quam ab illis experiuntur. In Hebr. & 70. pro, experimento didici, habetur, *Auguratus sum*; idque etiam significat vocabulum Hebræum : & utriusque lectionis sensus hic reddi potest: experientia me docuit quòd bono omine huc veneris.

[ ℣. 28. *Constitue mercedem tuam quam dem tibi.* ] Pete & ipsemet statue ac distinctè pronuncia quam mercedem habere velis, ut apud me remaneas mihique adhuc servias. Etsi enim quidam putent de præte-

rito

rito tempore iſta dici; contextus tamen de futuro ſermonem eſſe ſignificat, qua nimirùm mercede velit in poſterum ſervire: Nam Laban cupiebat Jacobum retinere; & ad hanc ejus mentem reſpondet poſtea Jacob: *Iterum paſcam.*

[ ℣. 29. *Tu noſti quo modo ſervierim tibi,* ] teipſum accipio teſtem fidelis ac diligentis meæ ſervitutis.

[ *Et quanta in manibus meis fuerit poſſeſſio tua.* ] Quam initio parva, & poſtmodum magna: Hoc enim eſt quod ait,

[ ℣. 30. *Modicum habuiſti antequam venirem ad te,* ] in Hebr. ad facies meas, ſive, cum ad te venirem, & mea diligentia ac vigilantia,

[ *Et nunc dives effectus es: Benedixitque tibi Dominus ad introitum meum.* ] Hebr. & Græcè, ad pedem meum. Ubi pes pro præſentia ponitur, eodem ſenſu cum noſtra lectione.

[ *Juſtum eſt igitur ut aliquando provideam etiam domui meæ.* ] Hinc apparet quòd Laban uxores & ancillas Jacob ſibi, quoad occupationes domeſticas vendicaverit, ita ut ex illarum opera & ſervitio nihil accederet marito vel ejus familiæ, ſed tantùm ipſi Laban.

[ ℣. 31. *Dixitque Laban: quid tibi dabo?* ] Ut apud me in paſtorali officio maneas.

[ *At ille ait: Nihil volo:* ] Mercedis nummariæ: vel nihil, niſi hoc quod jam dicam.

[ ℣. 32. *Gyra omnes greges tuos,* ] Hebr. tranſibo per omnes pecudes tuas hodie: quod cum noſtra verſione conciliari poteſt hoc ſenſu, In unum gyrum ſeu gregem congrega omnes tuas pecudes, & per eas tranſibo ſeu ſimul tranſibimus, ipſas luſtrando & contemplando:

[ *Et ſepara cunctas oves varias & ſparſo vellere:* ] Ideſt, quæ varietatem habent colorum, & maculas in vellere reſperſas,

[ *Et quodcumque furvum & maculoſum, variumque fuerit,* ] Furvum ponitur hic pro eo quod non eſt plenè nigrum, ſed ad nigredinem accedit, utpotè habens colorem fuligineum, qualis eſſe ſolet in rebus non omnino exuſtis, ſed ſolùm aduſtis. Maculoſum dicitur, quod habet valdè magnas maculas: Varium, quod habet minores, inſtar punctorum:

[ *Tam in ovibus quam in capris,* ] natum in grege mihi commiſſo,

[ *Erit merces mea.* ] Obſervandum pactum inter Jacob & Laban ejuſmodi fuiſſe, ut Laban univerſum gregem ovium, caprarum, reliquarumque minorum pecudum divideret in duas claſſes, quarum una contineret illas quæ erant unius pleni coloris ſive albi, ſive nigri: Alia contineret eas quæ erant coloris non omnino nigri, nec omnino albi, ac etiam quæ erant coloris mixti, ſive maculoſæ ſive variæ. Prior claſſis daretur Jacobo cuſtodienda, poſterior Laban, ea tamen lege ut quæcumque ex unicoloribus Jacobo traditis naſcerentur furva, maculoſa, aut varia, illa cederent Jacobo in mercedem; quæcumque autem plenè nigra vel plenè alba, remanerent Laban. Quàm conditionem libenter acceptavit Laban, quia pro ipſo faciebat natura, quæ ex unicoloribus communiter producit pecudes unicolores, ex albis albas, ex nigris nigras: Jacob autem confidebat Deum pro ipſo facturum, utpotè qui juſtam cauſam haberet.

Cæterùm, quia ſi Jacobo traditæ fuiſſent oves albæ ac etiam oves nigræ ſimiliterque in capris, facilè fuiſſet quòd ſimul commiſcerentur, atque ita in ejus grege naſcerentur abſque difficultate oves diverſi coloris; probabile eſt claſſem gregis Jacobo commiſſi, non ita continuiſſe pecudes unicolores ut in ea eſſent oves albæ & oves nigræ, pariterque capræ albæ & capræ nigræ; ſed ut haberet oves albas, & capras nigras; oves autem nigræ, & capræ albæ remanerent in claſſe, quam Laban per ſe vel per ſuos cuſtodiendam retinebat ſimul cum diſcoloribus. Quæ ſententia noſtro textui non repugnat & conformis eſt Hebræo, ubi ſignificatur quod ad Jacobum tamquam ejus merces pertinebit, non ſolùm quòd in ejus grege invenietur diverſi coloris, ſed etiam quod in ovibus nigrum, & quod in capris album erit.

[ ℣. 33. *Reſpondebitque mihi cras juſtitia mea,* ] Juſtitiam alicui reſpondere, eſt eum recipere mercedem quam meruit. Senſus ergo eſt, quòd juſtitia, ſeu Deus reſpectum habens ad juſtitiam Jacob, ipſum remunerabit, mercedemque dabit pro meritis; Et hoc, *cras*, ideſt, tempore futuro: Nam non ſumi hic cras pro die proximè ſequente, clarum eſt tum ex ſerie ſermonis & pacti, tum ex eo quod ſequitur,

[ *Quando placiti tempus advenerit coram te:* ] Quando venerit tempus tibi placitum ad luſtrandum greges, & dividendum eorum fœtus. Ita cras & craſtinum pro tempore futuro ſumitur, Joſue 22. *Cras dicent filii veſtri filiis noſtris:* Et Matth. 6. *Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum.* Tropologiam adfert Bern. ſerm. 5. de vigilia Nativit. Domini, ad hæc verba: Cras reſpondebit mihi juſtitia mea, dicens: *Hodie juſtitia colitur, cras reſpondebit: Hodie exercetur, cras fructificabit; Alioquin quod non ſeminaverit homo, nec metet.*

[ *Et omnia quæ non fuerint varia, & maculoſa, & furva,* ] Sed omnino alba vel omnino nigra,

[ *Tam in ovibus quàm in capris,* ] Si apud me inventa fuerint,

[ *Furti me arguent.* ] Ideſt, me convincent eſſe furatum. q. d. ex fœtibus qui reperientur in grege mihi commiſſo tantùm retinebo eos qui erunt diverſi coloris, ſive habeant parvas ſive magnas maculas, & eos qui non erunt plenè albi nec plenè nigri, ſed coloris fuliginei: Si qui autem apud me reperiantur, plenè albi vel plenè nigri, quos vel abſcondiſſe vel aliter voluerim retinere; habebis me tamquam de furto convictum.

[ ℣. 34. *Dixitque Laban: gratum habeo quod petis.* ] Sperans futurum ut unicolores ſub Jacobi cuſtodia exiſtentes, parerent unicolores, ſicut communiter fit; ſicque plures ei cederent.

[ ℣. 35. *Et ſeparavit in die illa, capras, & oves, & hircos, & arietes, varios atque maculoſos: cunctum autem gregem unicolorem, ideſt, albi & nigri velleris, tradidit in manu filiorum ſuorum.* ] Quæri poteſt, quo modo hæc non repugnent præcedentibus, ubi ſignificatur quòd pecudes unicolores traditæ ſint Jacobo; diverſicolores autem relictæ Labano.

Reſp. apparentem hanc repugnantiam ab aliquibus tolli, dicendo quòd Laban pecudes varias & maculoſas ſuæ ſervorumque ſuorum curæ retinuit; gregem autem unicolorem cuſtodiendum dederit ſuis filiis: quia metuens ne Jacob aliquam fraudem faceret, filios ſuos ei adjunxit ut ſimul paſcerent unicolores. Nec apparet quid huic reſponſioni obſtare poſſit, niſi quod apud 70. Laban dicatur poſuiſſe diſtantiam itineris trium dierum inter ſuos filios & inter Jacob: unde fit conſequens quòd non ſimul paſcerent. Qualis fuerit pecudum ſeparatio.

Alii Reſpondent mixtim hic ſermonem fieri de pactis diverſis; in quorum uno Jacob acceperat paſcendum gregem unicolorem: ſed cum ex eo naſcerentur diſcolores. Laban dedit ſuis filiis unicolores, & Jacobo diſcolores, cùm pacto quòd ſi ex diſcoloribus naſcerentur unicolores, manerent Jacobo. Et quidem Laban aliquoties ita variaſſe pacta, liquet ex cap. 31. v. 7. & 8. contextus tamen hujus cap. videtur de uno eodemque pacto hic ſermonem facere.

Aliorum igitur Reſponſio eſt hic ſignificari, quòd commiſſis Jacobo unicoloribus, omnibus ſcilicet albis ovibus, & nigris capris, Laban ſuorum filiorum cuſtodiæ dederit pecudes varias atque maculoſas, ac etiam cunctum illum gregem unicolorem qui reſtabat, hoc eſt, omnes oves nigri velleris, & omnes capras albi velleris. Qui ſenſus in Hebr. fundari videtur, ubi dicitur, *Et omnes capras punctatas & maculoſas, omne cui candor in eo & omne nigrum in agnis.* Et ſecundùm hæc, vocula, *autem*, cum dicitur *cunctum autem gregem;* non ſumitur adverſativè ſed copulativè pro (*&*): Nam nec in Hebr. nec in 70. legitur *autem*, ſed tantum copulativa. Similiter eadem vocula ſumitur Num. 31. v. 12. ubi Hebræa etiam ſolam habent copulativam.

[ ℣. 36. *Et poſuit ſpatium itineris trium dierum inter ſe & generum,* ] Non reſpectu boni viatoris, ſed pecudum. Fecit autem hoc Laban, ne pecudes Jacob commiſſæ viſis aliis, ſimiles eis quoad colorem conciperent. Sed ejus conſilium alio ſtratagemate eluſit Jacob. Unde ſequitur

[ ℣. 37. *Tollens ergo Jacob virgas populeas virides,*

*& amygdalinas, & ex platanis.* ] Tres arborum species exprimuntur, populeus, amygdalus, & plataous; nostræque versioni consentiunt 70. in duabus posterioribus; nam quòd secundo loco ponunt nucem, ad amygdalum pertinet: sed in prima voce differunt, pro populeas enim habent styracinas; quid verò Hebræa nomina significent, Hebræis quoque ipsis est obscurum. Cur autem Jacob illas arbores quæ significantur potius elegerit, quàm alias, duplex ratio reddi potest. Una quòd earum ibi esset major opportunitas: Alia, quòd præ cæteris habuerint aliquid naturalis efficaciæ ad alterandas pecudes earumque temperamentum.

Duo hic quæri possunt. Prius, utrùm hæc generatio pecudum varii coloris ex his quæ varium colorem non habebant, fuerit naturalis.

Posterius, An Jacob licitè usus fuerit artificio quod hic describitur.

Ad prius Resp. illam generationem fuisse naturalem, quamvis non sine peculiari Dei dono procuratam: Maxima enim est vis phantasiæ erga objectum præsens, præsertim in tempore commistionis, ut ex medicis tradunt B. Hieronym. in qq. Hebr. Aug. 93. in Genes. & alii. Si quæras, quare ergo visis virgis viridibus nulli fœtus virides nati sunt. Resp. rationem esse, quia in quadrupedibus nou est illa humorum proportio quæ ad viriditatem est necessaria. Peculiare Dei donum intercessisse, qui & per Angelos pecudum imaginationem faciebat vehementiorem, & tam copiosam ac celerem in fœtibus opulentiam Jacobo conferre voluit, indicat ipse Jacob seq. cap. vers. 7. & 9. Nec plus videntur voluisse Chrysostomus & alii qui negant hæc naturaliter contigisse, Volunt nimirum quòd non contigerint prorsus naturaliter, sic ut nullum peculiare Dei beneficium intervenerit.

In artificio virgarum nihil peccavit Jacob.

Ad posterius Resp. Jacobum licitè usum fuisse isto artificio. Cum enim nou haberet judicem apud quem fraudis & injuriæ compensationem, justamque laborum mercedem repeteret; solertia sua potuit eam sibi providere, maximè cum ad sic faciendum fuerit per Angelum in somnis admonitus, ut ipse cap. 31. v. 11. & 12. refert.

Moraliter Jacob significat Pastores, & Doctores. Aqua sacram scripturam juxta illud Proverb. 18. *Aqua profunda verba ex ore viri.* Virgæ variæ sunt diversæ scripturarum sententiæ. Gregea dicuntur adaquatum, quando fideles ad audiendum Dei verbum convocantur. Virgæ in canalibus ponuntur, quando ex divinis eloquiis diversæ sententiæ proferuntur. Plura pete ex Gregor. lib. 21. Moral. cap. 1. & infra ad fin. hujus cap.

[ ℣. 40. *Divisitque gregem Jacob,* ] postquam oves albæ & capræ nigræ cœperunt parere fœtus varios & maculosos, pecora recens nata divisit Jacob in duas turmas; in una constituens illa quæ juxta pactum initum ad ipsum pertinebant, in altera quæ pertinebant ad Laban.

[ *Et posuit virgas in canalibus ante oculos arietum:* ] Sicut posuerat in conspectu ovium, ut ita & frequentius & certius nascerentur fœtus diverso colore respersi.

[ *Erant autem alba & nigra quæque, Laban:* ] Id quod videtur commodè juxta superius dicta accipiendum, quòd videlicet alba in ovibus, & nigra in capris pertinerent ad Laban. Quoniam enim si omnes pecudes Jacobo traditæ procreassent fœtus diversi coloris, magna fuisset suspicio mali, ipse sic artificium suum temperavit, ut & laboris sui fructum perciperet, & nihilominus Labao non omnino spoliaretur.

[ ℣. 41. *Igitur quando primo tempore ascendebantur oves, ponebat Jacob virgas in canalibus* ] ut tunc varia soboles nasceretur:

[ ℣. 42. *Quando verò serotina admissura erat & conceptus extremus, non ponebat eas.* ] Ut tunc nascerentur unicolores, ad Laban pertinentes. Per tempus primum, intelligitur vernum quando fœtus sunt meliores: per animalia verò serotina intelliguntur ea quæ pariebantur in autumno, qui est tempus serotinum, quando fœtus sunt debiliores.

Ex his intelligi potest quòd in Mesopotamia oves bis in anno pariebant, verno nimirùm & autumnali tempore. Unde Hieron. propter ista verba cap. seq. *Mutavit mercedem meam decem vicibus,* ait: *Ne cui in sex annis decem pariendi vices incredibiles videantur, lege Virgilium in quo dicitur, Bisgravidæ pecudes:* Natura autem Italicarum ovium & Mesopotamiæ una esse traditur.

Moraliter observa quòd virgas virides, & amygdalinas, & ex platanis ante oculos gregium ponere, est antiquorum patrum vitas & sententias in exemplum populi præbere: quæ quia juxta rationis examen rectæ sunt, virgæ nominantur. Ex parte decorticantur, dum cortex litteræ subtrahitur & allegoriæ candor ostenditur: cortex autem ex parte relinquitur, dum litteræ intellectum sequimur. Ponuntur in canalibus, quando secundùm scripturæ sacræ profundam intelligentiam explicantur. Oves pariunt fœtus varios, quando fideles diversa virtutum opera exercent.

## C A P U T XXXI.

*Jacob, Domino jubente, ad patriam revertitur inscio Laban, qui eum postea insequitur & assequitur: tandemque post varias querelas, & postquam fuisset deceptus à Rachel, fœdus init cum Jacob.*

[ ℣. 1. P*Ostquam autem audivit* ] Jacob scilicet

[ *Verba* ] seu querelas

[ *Filiorum Laban* ] qui tamquam paternorum bonorum futuri hæredes, indignabantur ea sibi imminui, & optima quæque ad Jacob devolvi.

[ *Dicentium: Tulit Jacob omnia quæ fuerunt patris nostri,* ] Tulit, idest, accepit: cùm dicunt, omnia, est hyperbole, qualem facilè excitat indignatio & invidia.

[ *Factus est inclytus:* ] Idest, valde honorabilis & illustris.

[ ℣. 2. *Animadvertit quoque faciem Laban,* ] quæ cordis & affictionum ejus indicium esse solet,

[ *Quòd non esset erga se sicut heri & nudiustertius.* ] hoc est, sicut ante, sive non benigna & amicabilis sicut prius. Quemadmodum *cras*, non semper sumitur pro die proximè sequente, sed pro tempore futuro, ut supra cap. 30. v. 33. ita *heri & nudiustertius*, non semper significant dies proximè præcedentes, sed frequenter tempus præteritum indeterminatè, ut Exod. 4. Non sum eloquens ab heri & nudiustertius: & cap. 21. Si bos cornupeta fuerit ab heri & nudiustertius. Et ita hic ea phrasis accipitur.

[ ℣. 3. *Maximè dicente sibi Domino:* ] Per Angelum,

[ *Revertere in terram patrum tuorum,* ] in terram scilicet Chanaan, de qua venerat in Mesopotamiam,

[ *Et ad generationem tuam,* ] sive, ad parentes tuos adhuc superstites, ut patet ex cap. 35. vers. 28.

[ *Eroque tecum.* ] Peculiariter te protegendo & adjuvando. Tres affert scriptura causas, quæ Jacobum moverunt ad reditum. Prima, est murmuratio filiorum Laban: Secunda, ipsius Laban offensio: Tertia, Dei monitio.

[ ℣. 7. *Circumvenit me, & mutavit mercedem meam decem vicibus:* ] Decem vicibus non accipitur hic indefinitè, pro multipliciter aut aliquoties, sed definitè pro numero denario, ut ex dictis cap. 30. potest intelligi, significaturque quòd Laban per decem vices compulerit Jacobum mutare pactum. Videns enim primo anno nasci pecudes varias, quando illæ juxta pactum initum cedebant Jacobo; postea semper immutabat pactum, hoc est, bis per singulos annos residuos, qui erant quinque: servivit quippe annis sex pro gregibus, & illi bis in anno pariebant. Pecudum, ait Aug. quæst. 95. in Genes. illius regionis fœcunditas, sicut Italarum tanta fertur, ut bis in anno pariant. Pro decem vicibus 70. reddiderunt, decem agnis, quod etsi quidam putent esse vitiosum; potest tamen cum B. August. rectè exponi, ut per metonimiam agni positi sint pro tempore quo agni gignuntur, sicut à Virgilio arista ponitur pro tempore quo aristæ proveniunt, idest, pro æstate vel anno. — Quo modo potuerint esse decem vices in spatio sex annorum.

*Post aliquot, mea regna videns, mirabor aristas.* Et sic decem agnis, idem est, quod decem vicibus.

Moraliter per Laban significatur mundus, qui

fideles

fideles per Jacob figuratos spe commodi ad suum servitium allicit, & postea multipliciter decipit.

[ *Et tamen non dimisit eum Deus ut noceret mihi.* ] Quia semper fecit ut fœtus nascerentur in utilitatem Jacob, ut declaratur vers. seq.

[ ℣. 8. *Si quando dixit: varia erunt mercedes tuæ: pariebant omnes oves varios fœtus.* ] omnes, idest, pleræque: Nam in autumno quando fœtus sunt viliores & infirmiores, oves pariebant fœtus unicolores, ut patet ex cap. 30. v. 42.

[ ℣. 9. *Tulitque Deus substantiam patris vestri,* ] quæ maximè in pecudibus consistebat,

[ *Et dedit mihi* ] quemadmodum se facturum, mihi antea per Angelum promiserat: Prius quam enim Jacob cum Laban conveniret de mercede, Angelus eum instruxit, quid & quo modo agere deberet, ut soceri facultates ad se transferret. Atque adeò virgarum artificium ipsum edocuit. Unde subdit:

[ ℣. 10. *Vidi in somnis ascendentes mares* ] ejus coloris, cujus futuri erant fœtus mihi à Labano designandi,

[ *Super fœminas, varios, & maculosos, & diversorum colorum.* ] Pro diversorum colorum 70. habent cinericios sparsos, hoc est, quasi cinere sparsim respersos, conformiter ei quod v. 12. habemus, atque respersos.

[ ℣. 13. *Ego sum Deus Bethel,* ] sive, qui tibi in Bethel apparui, ut habetur supra cap. 28. Angelus est qui loquitur, sed in persona Dei, sicut etiam Exod. 20. & alibi sæpè. Est hæc visio diversa à præcedenti: Nam præcedens quæ erat de fœtibus variis, contigit ante sexennium servitutis; præsens verò quæ est de reditu, in fine illius sexennii.

[ *Nunc ergo surge & egredere de terra hac, revertens in terram nativitatis tuæ.* ] Ad quam promisi (cap. 28. v. 15.) feliciter te reducere.

[ ℣. 14. *Responderuntque Rachel & Lia: Numquid habemus residui quidquam* ] quasi dicerent, Nihil est quod alterius expectare debeamus ex facultatibus vel hæreditate paterna.

[ ℣. 15. *Nonne quasi alienas reputavit nos,* ] tradendo nos in matrimonium sine dote.

[ *Et vendidit,* ] quatenus non dedit nos tibi uxores liberaliter, sed quasi pro pretio, pro servitute scilicet annorum quatuordecim.

[ *Comeditque pretium nostrum.* ] quia neque tibi neque nobis dedit emolumenta quæ ex servitute qua pro nobis in matrimonio habendis servivisti, provenerunt, sed omnia decoxit. Hinc patent tria gravamina quibus Laban filias suas afflixit. Unum, quòd nullam eis dotem assignavit. Secundum, quòd nec liberè quidem illas uxores dedit, sed cum onere servitutis. Tertium, quòd servitutis æstimationem ejusve fructum non eis tradidit.

[ ℣. 16. *Sed Deus tulit opes patris nostri, & eas tradidit nobis, ac filiis nostris:* ] Faciendo ut greges qui erant futuri ipsius, tibi cederent.

[ *Unde omnia quæ præcepit tibi Deus, fac.* ] Æquissimum enim est quod jubet, nobisque percommodum.

[ ℣. 17. *Surrexit itaque Jacob, & impositis liberis ac conjugibus suis super camelos, abiit.* ] inscio & absente Laban, qui ut v. 19. habetur, *ierat ad tondendas oves*. Hinc discimus quòd dum invidia contra justum suborta est, opportunissimum remedium sit, recedere & eam declinare.

[ ℣. 18. *Tulitque omnem substantiam suam,* ] nihil rerum Labani secum auferens, sed suas proprias dumtaxat.

[ *Pergens ad Isaac patrem suum in terram Chanaan.* ] Illuc quidem tendebat Jacob, sed non eò pervenit nisi post longos labores, post decem nimirùm annos, aut circiter. Antea namque habitavit in Sochot cap. 33. v. 17. deinde in Sichem, ibidem v. 18. & toto cap. 34. postmodum in Bethel cap. 35. ac postremo in Mambre ubi erat Isaac. Sic & nos ad Patrem nostrum cœlestem non nisi post labores diuturnos pervenire possumus.

Rachel non commisit furtum propriè dictum.

[ ℣. 19. *Rachel furata est idola patris sui.* ] Furata dicitur, quia clam patre accepit & abstulit: Non fuit tamen furtum propriè dictum, quia justè illa accepit, eorum materiam pretiosam (utpotè aurum vel argentum) habitura loco dotis quam pater ei non dederat, neque ab illo obtinere poterat. Quidam putant Rachelem non tam patris quàm sua idola accepisse, & quidem ut ea coleret: Sed non est verisimile. Primò, quia Hebræa, Græca, & Latina vulgata expressè dicunt ea fuisse patris, unde postea v. 30. Laban expostulans ait. *Cur furatus es deos meos?* Secundò, quia Laban non ita fuisset indignatus, si ea non ad ipsum, sed ad filiam pertinuissent. Tertiò, quia omnino existimandum est, Jacobum fidelem ac sanctum virum docuisse Rachelem, quòd idola nihil sint, eamque ab illorum cultu avertisse. Quartò, quia Rachel hæc idola abscondit sub vili stramento, & sedit desuper v. 34. quæ non sunt signa reverentiæ & cultus. Quoniam verò Laban ea colebat, credibile est quòd Rachel ea abstulerit, non solùm ob rationem superius dictam, sed simul ut patri auferret occasionem idololatriæ. Pro *idola*, Hebr. est *Teraphim*, quæ vox etsi generaliter significare possit figuras & statuas, usu tamen appropriata est statuis quæ divino cultu honorantur, iisque potissimum quæ opera dæmonum responsa dabant, unde interpretes tam 70. quàm alii vertunt idola: ex quibus sequitur Calvinum errare, dum ait Teraphim esse imagines, quales Papistæ colunt, cùm fideles non colant imagines cultu divino, sed longè inferiore, hoc est respectivo. Allegoricè, Lia senior & multorum liberorum fœcunda designat Synagogam: Rachel junior, sed sterilis, Ecclesiam ex gentibus collectam: quæ sterilis fuit dum synagoga verum Dei cultum retinebat: sed postea cœpit habere liberos, seu filios Deo parere, & furata est idola, quatenus idololatriam exterminavit.

[ ℣. 20. *Noluitque Jacob confiteri socero suo quòd fugeret,* ] Ob rationem vers. 31. expressam. In Hebr. legitur, *furatus est Jacob cor Laban*. Quæ phrasis iterum repetitur v. 27. & retinetur à 70. Quoniam verò furta committuntur occultè, furari cor alicujus, est quippiam facere occultè, seu illo inscio. Sic Job 4. *quasi furtivè:* idest, prorsus occultè *suscepit auris mea venas susurri ejus.*

[ ℣. 21. *Amne transmisso* ] Euphraten communiter intelligunt, quem Jacob vel ponte vel navigio usus transivit. Nec audiendi sunt Hebræi qui volunt Euphraten divinitus fuisse exsiccatum. Cùm enim celebris per ista loca esset profectio; cumque Laban ut generum suum Jacob assequeretur, eumdem Euphraten transierit, vix dubium est vel pontem ibi fuisse, vel navigium.

[ *Pergeret contra montem Galaad,* ] seu in montem, quemadmodum habent 70. qui postea vocatus fuit Galaad, v. 48. & à quo tota regio ipsi adjacens vocata deinde fuit terra Galaad, quam occupaverunt filii Gad, & filii Ruben, & dimidia tribus Manasse, Numer. 32.

[ ℣. 22. *Nuntiatum est Laban die tertio, quod fugeret Jacob.* ] Pro die tertio, quidam dicunt postridie: sed eis adversatur non tantùm editio vulgata, verùm etiam Hebræi & Græci textus, & quòd cap. 30. greges Laban dicuntur abfuisse à gregibus Jacob itinere trium dierum.

[ ℣. 23. *Qui, assumptis fratribus suis,* ] hoc est, filiis, cognatis, servis: hi enim omnes fratrum nomine intelliguntur, & his omnibus indigebat ut Jacobum persequeretur qui habebat greges multos, ancillas & servos, quemadmodum patet ex fin. cap. 30. & ex cap. 32.

[ ℣. 24. *Cave ne quidquam asperè loquaris contra Jacob.* ] Poterat Deus vel impedire profectionem Laban Jacobum persequentis, vel jubere ut ad propria rediret: sed ut Jacob experiretur quantam Deus haberet ejus curam, & quo modo eum custodiret in itinere; convenientius erat, ut sineretur iter prosequi, cùm mandato non solùm nihil exequendi contra Jacob, sed nec aliquid asperè loquendi.

[ ℣. 25. *In eodem monte Galaad fixit tentorium.* ] Laban venerat animo hostili, sed Deus non permisit ipsum exequi quod cogitaverat.

[ ℣. 26. *Et dixit ad Jacob: quare ita egisti, ut clam me abigeres filias meas quasi captivas gladio?* ] Seu quasi bello captas, ideoque servas. Errabat Laban imponens Jacobo crimen violentiæ; neque enim, eas abigebat Jacob, sed jure matrimonii eas abducebat quò benè cupiebant.

[ ℣. 27. *Cur ignorante me fugere voluisti,* ] in Hebr.

& apud 70. habetur, *furatus es me* vel *cor meum*; quod idem valere ac, clanculum & me inscio fugisti, patet ex versu 20.

[ *Nec indicare mihi, ut prosequerer te cum gaudio, & canticis*, &c. ] Mendacium obtrudit, spondens de seipso bona quæ non fuisset facturus, cùm magis cuperet generum suum expoliare, quàm cum gaudio dimittere opulentum.

[ ℣.28. *Non es passus* ] sive non permisisti,

[ *Ut osculare filios* ] hoc est, nepotes ex filiabus meis genitos.

[ *Meos, & filias:* ] Liam & Rachelem.

[ ℣.29. *Valet manus mea reddere tibi malum:* ] Sive, possem tibi malum inferre; venlebat enim viris ad bellum paratis comitatus, Jacob verò non similiter erat instructus.

[ *Sed Deus patris vestri* ] idest, quem pater vester, nimirùm Abraham coluit. Ubi Laban non obscurè significat se non esse veri Dei cultorem, quandoquidem non eum vocat aut Deum simpliciter, aut Deum suum, sed cum addito, Deum patris vestri.

[ ℣. 30. *Esto*, ] Ita sit,

[ *Ad tuos ire cupiebas, & desiderio erat tibi domus patris tui:* ] Quod non erat irrationabile, nam ab ea viginti annis abfuerat.

[ *Cur furatus es deos meos*? ] Cæcitatem & stultitiam observa. Quo modo dii erant, si furto poterant auferri? Quo modo poterant sui cultores custodire, si ab iis ipsimet debebant custodiri? Petes, quo modo Laban, tam citò potuit nosse deos suos esse ablatos? Resp. quia domum reversus voluit eos consulere de fuga Jacob, & non invenit.

[ ℣.31. *Respondit Jacob:* ] excusat se de duobus sibi objectis, scilicet de occulto recessu, & de furto.

[ *Quòd inscio te profectus sum*, ] non stultè aut irrationabiliter feci, sed justa ratione.

[ *Timui ne violenter auferres filias tuas.* ] Quæ uxores meæ sunt. Ratio hoc timendi erat, quòd & in Rachelis connubio, & frequenter in mercede pecudum fuerat ab eo deceptus. Timuit etiam Jacob, ne Laban ipsi auferret suas facultates; sed hoc reticet, ne eum nimis pudefaciat.

[ ℣.32. *Apud quemcumque inveneris deos tuos, necetur coram fratribus* ] seu cognatis

[ *Nostris.* ] Ita loquitur Jacob ex maxima confidentia quòd nullus de sua familia istud furtum commisisset: unde sequitur in textu.

[ *Hæc dicens, ignorabat quòd Rachel furata esset idola.* ]

[ ℣. 33. *Ingressus itaque Laban tabernaculum Jacob & Liæ, & utriusque famulæ*, ] non significatur hìc idem fuisse omnium istorum tabernaculum, sed perinde est ac si Laban diceretur ingressus fuisse tabernaculum Jacob, ac etiam tabernaculum Liæ, & insuper tabernacula famularum. Unde apud 70. legitur, *scrutatus est in domo Liæ & non invenit, & exiit de domo Liæ, & scrutatus est domum Jacob, & in domo ambarum ancillarum.*

[ *Cumque intrasset tentorium Rachelis*, ] Manifestè hinc colligitur diversa fuisse tabernacula virorum & fœminarum, imò & uxorum singularum, secundùm ea quæ diximus cap. 24. v. 28. Venit autem Laban ultimò ad Rachelem; sive quòd de illa minorem haberet suspicionem; sive quòd illam magis revereretur.

[ ℣. 34. *Illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli, & sedit desuper:* ] Unde colligi potest quòd non crederet illa esse divino cultu prosequenda.

[ ℣. 35. *Ne irascatur Dominus meus* ] Ita patrem appellabant Mesopotameni, aliique orientales.

[ *Quia juxta consuetudinem fœminarum nunc accidit mihi.* ] Significat fluxum menstruorum & ex eo fluxu ægritudinem, propter quam assurgere nequeat, sicut honoris causa debuisset.

[ ℣. 36. *Tumensque Jacob, cum jurgio ait:* ] Tumor internum iræ seu indignationis affectum indicat, jurgium, exteriorem ejus effectum, scilicet expostulationem. Et quamvis falsam causam defenderet Jacob, ipsius tamen tam indignatio quàm jurgatio justa erat; quia nihil sciebat de facto Rachelis, fueratque jam sæpiùs à Laban injuriis lacessitus. Diuturna etiam servitus cum maxima diligentia & fidelitate conjuncta merebatur ut Laban non ita scrutaretur omnem sui generi supellectilem.

Pro moribus observa per Laban rectè intelligi tum diabolum tum mundum: uterque enim album & nitidum se videri facit, cùm sit tenebrosus & immundus; Laban autem interpretatur dealbatio. Uterque persequitur electos per Jacob figuratos: & hujus, idest, sive Mundi sive Diaboli filiam Jacob abstulit, cùm Christus Ecclesiam ex gentilitate sibi conjunxit: Et Rachel domum patris libenter dereliquit, quoniam Ecclesiæ Psalm. 44. dicitur. *Obliviscere populum tuum & domum patris tui.* Laban idola non invenit apud Jacob, quia neque Diabolus neque Mundus in Redemptore nostro vestigia terrenæ concupiscentiæ reperit; & de seipso dixit Christus Joan. 14. *Venit princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam.* Rachel sedendo idola operuit, quia Ecclesia Christum sequens terrenæ concupiscentiæ vitia pœnitendo texit.

[ ℣. 37. *Pone hìc coram fratribus meis & fratribus tuis*, ] idest, tibi consanguineis & mihi affinibus, quos tecum adduxisti.

[ ℣. 38. *Idcirco* ] spe talis retributionis,

[ *Viginti annis fui tecum?* ] Est sermo Increpatorius.

[ *Oves tuæ & capræ steriles non fuerunt*, ] idest, fuerunt admodum fœcundæ: per liptoten enim minus dicit, & plus intelligit, significare volens Deum ad præsentiam suam, ejus greges multipliciter auxisse.

[ *Arietes gregis tui non comedi:* ] More mercenariorum, qui se, non gregem pascunt.

[ ℣. 39. *Nec captum* ] seu laniatum,

[ *A bestia ostendi tibi*, ] Lex aut consuetudo fuisse olim videtur, ut si pecus à feris sine pastoris culpa necaretur, ostensa domino parte residua, pastor liberaretur à solvendo: hoc autem Jacob numquam fecit, malens (ut in textu sequitur) omne damnum solvere.

[ ℣. 40. *Die noctuque æstu urebar, & gelu*, ] Pro urebar, non est substituendum urgebar: nam & frigus urit, idest, pungit, exsiccat, & aresacit. Unde Ecclesiastici 43. glaciei tribuitur exurere desertum & extinguere viride seu herbam viridem, sicut si igne consumeretur. Et quidam cecinit:

*Unum operantur*

*Et calor & frigus: sicut hoc, sic & illud adurit.*

Sed quo modo idem effectus potest à contrariis causis fieri. Resp. quòd per actiones contrarias: æstus enim adurit, quia aperit & facit exhalare subtiles humiditates de locis porosis, sicque exsiccat & aresacit. Frigus autem urit, quia condensando & humiditatem indurando, exsiccat. Quo modo non solus calor indurat & desiccat lutum, sed etiam frigus.

[ *Fugiebatque somnus ab oculis meis.* ] Ad quæ verba S. Damasus epistola 4. Et sic laborat & vigilat qui pascit oves Laban: quanto labore quantisque vigiliis debet intendere, qui pascit oves Dei? Videat ne ipsum urat æstus vini, æstus venationum & ludorum, aut frigus avaritiæ, neve aliquando audiat quæ pastoribus Israel improperantur Ezech. 34. quòd pascerent semetipsos, quòd crassa occiderent, infirma non consolidarent, ægrota non sanarent; sed Jacobi laborem & vigiliam sedulò imitetur. Pro pastoribus.

[ ℣. 42. *Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac affuisset mihi*, ] Timor hìc rectè intelligitur activè positus, sive pro objecto timoris: ut timor Isaac sit ille quem timebat Isaac, hoc est, Deus quem Isaac reverebatur & colebat: sicut etiam v. 53. quando dicitur Jacob jurasse per timorem patris sui Isaac. Quo modo Isa. 8. legimus dictum de Deo, *Ipse pavor vester, & ipse terror vester.* Nec dissimilis locutio est quando Deus dicitur spes, gaudium & expectatio nostra. Potius autem dicit, *Timor Isaac*, quàm Deus Isaac, ut exemplo Isaac permoneat Laban ad timendum ac reverendum Deum; & utitur abstracto pro concreto, ad insinuandum quòd Deus summè sit timendus, quòdque Isaac summè illum timeret. Quo modo Moyses Exod. 15. dicit, *fortitudo mea & laus mea Dominus*, ad significandum quàm Deus sit insigniter fortis & summè laudabilis.

[ *Forsitan modò nudum* ] Septuaginta vacuum

[ *Me dimisisses:* ] Sine uxoribus & liberis, sine gregibus aliisque bonis temporalibus.

[ *Affli-*

[ *Afflictionem meam & laborem manuum mearum* ] quem sum perpessus, pascens greges tuos.

[ *Respexit Deus, &* ] hac de causa.

[ *Arguit te heri.* ] Quando in somnis apparens mandavit ne quidquam asperè loquaris contra me.

[ ℣. 43. *Respondit ei Laban: filiæ meæ & filii, & greges tui, & omnia quæ cernis, mea sunt:* ] in quantum ex me aut ex substantia mea originem habent; ideoque illa debeo suaviter ac benignè tractare sicut res meas. Sic Laban à genero rationabiliter redargutus, ejus benevolentiam captat, pro fœdere ineundo; juxta morem interim hominum hujus sæculi, meliorem affectum in ea quæ Jacob habebat, simulans, quàm esset à parte rei.

[ *Quid possum facere filiis & nepotibus meis?* ] Quid mali possum eis inferre? etsi hoc vellem, consanguinitatis amor me impediret.

[ ℣. 44. *Veni ergo & ineamus fœdus: ut sit in testimonium inter me & te.* ] Sive, ut sit signum testificans amicitiam quæ inter nos esse debet: Vel ut sit in testimonium, hoc est, faciamus pactum & ponamus testimonium seu signum aliquod pacti inter nos initi: unde sequitur,

[ ℣. 45. *Tulit itaque Jacob lapidem,* ] aliquem magnum, & erexit illum in titulum, seu in signum & memoriam ejus rei quæ tunc agebatur.

[ ℣. 46. *Dixitque fratribus* ] id est, consanguineis & affinibus.

[ *Suis: Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum,* ] seu aggerem lapidum longum latumque, non qui consurgeret in acumen, sed qui planam haberet superficiem instar mensæ: Nam quòd illo usi fuerint pro mensa, statim sequitur:

[ *Comederuntque super eum:* ] In verum pacis & amicitiæ, symbolum simul convivantes.

[ ℣. 47. *Quem vocavit Laban tumulum testis, & Jacob, acervum testimonii,* ] Sicut si Græcus cum Latino fœdus iniret, & ille quidem ἅγιον nominaret, iste verò sanctum, uterque idem nomen imponeret quoad significationem, licèt diversum quantum ad litteras & sonum, juxta proprietatem linguæ cujusque. Ita Laban Syra sua lingua, & Jacob Hebræa loquens idem nomen secundùm significationem dederunt isti tumulo, diversum dumtaxat secundùm litteras & voces. Unde in textu nostro sequitur.

[ *Uterque juxta proprietatem linguæ suæ.* ] Quod licèt neque in Hebræo neque in Græco habeatur, quia tamen Ecclesia semper recepit, omnino est recipiendum. At dices, voces Syræ quibus Laban fuit usus *Jegbar sahadutha*, significant acervum testimonii; & vocabulum Galghed seu Galaad, quo utebatur Jacob, significet tumulum testis: ergo perperam noster interpres ait quòd Laban vocaverit tumulum testis, & Jacob acervum testimonii, cùm debuisset potius oppositum dicere. Resp. Neg. Cons. quia acervus & tumulus seu cumulus in re sunt idem; & accipiendo vocem testis concretim pro abstracto, id est, pro testimonio, tumulus testis, idem est, quod tumulus seu acervus testimonii, sicut vallis pinguis & vallis pinguedinis idem sunt. Unde interpres non multum laboravit in exprimenda distinctione vocum Latinarum, cùm prorsus idem significent, sed tantùm ut rem eamdem diversis vocibus exprimeret.

Tro pulo lus.

[ ℣. 48. *Dixitque Laban: Tumulus iste erit testis* ] Pacti seu fœderis initi,

[ *Inter me & te hodie, & idcirco appellatum est nomen ejus Galaad, id est, tumulus testis.* ] Quæ postrema verba, cùm non reperiantur in Hebræo vel Græco, putantur ab interprete addita, gratia explicationis. In Hebr. sic legitur; *Idcirco vocavit nomen ejus Galghed, seu Galaad, & Mispah*, quod speculam & judicium significat. Unde apparet quòd iste locus duo nomina habuerit, quæ tamen uno eodemque possunt comprehendi: quoniam enim is qui vidit, optimè testari potest, visio illa intelligi potest sub voce Galaad cum sua interpretatione. At quo modo Laban qui Syrus erat, istum tumulum vocavit nomine Hebræo Galaad, ut significat jam dicta lectio Hebræa? Resp. vel sic vocasse, postquam à Jacob nomen impositum fuerat: Vel, *vocavit*, impersonaliter accipitur pro *vocatum est*, sicut reddidit noster interpres, sic etiam 70.

De voce Galaad.

[ ℣. 49. *Intueatur & judicet Dominus inter nos* ] Tamquam ultor prævaricationis, si quis nostrum violet fœdus jam inter nos initum.

[ ℣. 50. *Si afflixeris filias meas,* ] Malè eas tractando.

[ *Et si introduxeris alias uxores super eas:* ] Hoc dicere potuit Laban, memor injuriarum quas ipse contra Jacob commiserat, ac specialiter timendo Liæ, quasi furtim in matrimonium introductæ. Quamvis autem licita tunc esset poligamia, rationabiliter tamen requirit ne Jacob alias uxores superducat, veritus si hoc fieret, ne suæ filiæ postponerentur in amore, ac etiam in gubernatione familiæ.

[ *Nullus sermonis nostri testis est absque Deo,* ] seu præter Deum. Cum & Laban multis stipatus venisset, & Jacob plurimam haberet familiam; aut ab aliis segregati hæc dixerunt, aut intelligendum est, nullum fuisse testem qui posset prævaricatores punire.

[ *Qui præsens respicit* ] De Deo vero loquitur (qui ut est solus Deus, ita ipsi proprium est omnibus præsentem esse, & cuncta videre) Non de suis diis: quo modo enim præsentes essent, quos putabat furto sublatos, & quo modo punire poterant pacti transgressores, qui seipsos non custodiebant à furibus? Sicut autem magna erat miseria Laban qui confitebatur Deum omnibus esse præsentem, omnia intueri, & posse punire malefactores, neque tamen ipsum volebat colere sed sua idola; ita stupenda est fidelium quorumdam tum miseriarum malitia, qui omnia illa credunt, ac nihilominus ita peccant, ac si Deus eos nec videret nec punire posset.

[ ℣. 52. *Tumulus, inquam, iste & lapis sint in testimonium,* ] Violati fœderis,

[ *Si aut ego transiero illum, pergens ad te,* ] ad malum tibi inferendum ut ex verbis seqq. intelligi debet. Nam alia ex causa transire poterat, unde addit,

[ *Aut tu præterieris, malum mihi cogitans.* ]

[ ℣. 53. *Deus Abraham & Deus Nachor, judicet inter nos, Deus patris eorum.* ] Scilicet Thare, qui pater fuit utrinsque. Cùm ex præsenti cap. constet Laban fuisse idololatram, sicuti & Thare & Nachor ex Josue 24. verisimile est, quòd per Deum Nachor, Laban intelligat idola quæ coluit Nachor ac etiam Thare; sicque vir impius Deo vero falsum conjungit, quasi Deus falsus ita possit punire suum cultorem fœdesis transgressorem sicut Deus verus, suum.

[ *Juravit ergo Jacob per timorem patris sui Isaac:* ] Seu per Deum quem pater suus Isaac timebat. Ubi observandum quòd in juramento Jacob nulla fiat mentio Dei Nachor, quòdque ex causa licet recipere juramentum à jurato per falsos deos, sicut hic recepit Jacob à Laban, etsi numquam liceat per falsos Deos jurare, quemadmodum diximus 2.2.q.98.art.4.

[ ℣. 54. *Immolatisque victimis in monte,* ] pro reconciliatione cum socero, & in majorem ejus firmitatem.

[ *Vocavit fratres suos,* ] seu consanguineos,

[ *Ut ederent panem.* ] Quo nomine quilibet cibi intelliguntur, sicut cap. 43. v. 25. & alibi sæpè. Fueritne convivium de cibis sacris seu Deo immolatis, an de cibis communibus incertum est. Posterius videtur probabilius, quia non credimus quòd Jacob exhiberet idololatris cibos sacros.

[ *Qui cùm comedissent, manserunt ibi.* ] Illa die.

[ ℣. 55. *Laban vero de nocte consurgens,* ] In extrema scilicet vigilia noctis; seu mane.

[ *Osculatus est filios & filias suas,* ] in testimonium affectus paterni, & in renovationem amicitiæ.

[ *Et benedixit illis;* ] Fausta omnia precatus est.

[ *Reversusque est in locum suum.* ] Nempè in Haran.

## CAPUT XXXII.

*Jacob obviam sibi habet Angelos, ad fratrem suum Esau legationem mittit, eum timens mittit ipsi munera. Cum Angelo luctans benedictionem ac nominis mutationem accipit.*

[ ℣. 1. JAcob quoque abiit itinere quo cœperat: ] Discedens à monte Galaad, perrexit versus terram Chanaan, ad quam tendere cœperat quando fuit egressus de Mesopotamia.

[ *Fueruntque ei obviam Angeli Dei.* ] In forma hominum visibiliter apparentes. Dicuntur Angeli Dei,

ne putentur fuisse Angeli mali. Abeuntem Jacob de Mesopotamia, Angeli provinciæ illius curam habentes deduxerunt usque ad ejus fines extremos, ubi eum suæ custodiæ susceperunt Angeli terræ Chanaan præfecti, visibiliter interim illi apparentes; tum ut Jacob videret quanta esset Deo cura ipsius, tum ut confortaretur contra metum fratris.

[ ℣. 2. *Quos cùm vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc, & appellavit nomen loci illius Mahanaim, Idest, castra.* ] Mahanaim apud Hebræos est pluralis seu dualis numeri, idemque valet quòd duo castra: Viderat enim Jacob duo castra seu duas legiones Angelorum paratas in sui custodiam.

[ ℣. 3. *Misit autem & nuntios ante se ad Esau fratrem suum* ] ut explorarent quo affectu esset in ipsum.

[ *In terram Seir, in regionem Edom:* ] Dum Jacob in Mesopotamia morabatur, Esau indignatus propensiorem parentum suorum voluntatem in Jacob, relicta Chananæa secessit in terram quæ prius ab Horrhæis habitata (ut dicitur Deut. 2.) postea fuit ex nominibus Esau vocata Seir, & Edom; Illis quippe nominibus ipsum fuisse vocatum, ex cap. 25. notum relinquimus. Singularis autem fuit hæc divina providentia, ut terra Chanaan facilius cederet Jacobo, ejusque posteris. At unde Jacob scire potuit istam migrationem Esau. Resp. quòd per matrem, quæ cap. 27. dixerat, *postea mittam & adducam te inde huc.*

[ *Sic loquimini Domino meo Esau:* ] Honoris & benignitatis nomine fratrem compellat, ut isto blando sermone leniat hominis ferocis & superbi iracundiam; quamquam sicut pueri olim parentem, ita quibusdam videtur quòd frater junior fratrem seniorem vocaret Dominum.

[ *Apud Laban peregrinatus sum, & fui usque in præsentem diem.* ] Quasi diceret, non est cur absentia mea tibi sit suspecta, aut existimes me huc illuc discurrisse, ut amicos contra te conciliarem: usque modo moratus fui apud Laban.

[ ℣. 5. *Habeo boves & asinos, & oves, & servos, & ancillas:* ] Non vult suas divitias jactare, sed declarare quòd non mittat ad ipsum, ut sit ei gravis, vel ut ab eo quidquam accipiat.

[ *Mittoque nunc legationem ad Dominum meum, ut inveniam gratiam in conspectu tuo.* ] Ut libenter me videas, simque tibi gratus. Quamvis Jacob se Angelorum agminibus munitum esse vidisset, certoque sciret se juxta Dei promissionem cap. 28. expressam, Deo duce reversurum in terram Chanaan; humilitate tamen & benignitate, posteaque etiam muneribus fratrem delinire conatur, ne alioquin videretur Deum tentare, si media humana neglexisset, quemadmodum ait August. q. 102. in Genes.

[ ℣. 6. *Reversique sunt nuntii ad Jacob, dicentes: Venimus ad Esau fratrem tuum,* ] Verisimile est quòd non adverterint utrùm esset totaliter placatus, quòdque propterea non potuerint Jacobo nuntiare quo animo esset in ipsum, si conferantur ea quæ statim adduntur:

[ *Et ecce properat tibi in occursum cum quadringentis viris.* ] Ut potentiam suam fratri ostentaret eumque honoraret, si placatus fraternaque dilectione permotus ita venerit: Alioquin, attenta feroci ejus indole, & maxima ipsius indignatione, non improbabile est quòd ut fratri noceret venerit sic stipatus; sed quòd Deus animum ejus postea flexerit, & ad amorem derepentè commoverit, quemadmodum immutavit animum Saulis 1. Reg. 24. & Attilæ, ut est in vita S. Leonis.

[ ℣. 7. *Timuit Jacob valde:* ] Audiens fratrem suum venire cum tanta turba.

[ *Et perterritus divisit populum qui secum erat,* ] populum vocat turbam uxorum, filiorum, servorum, ancillarum, & pastorum.

[ *Greges quoque, & oves* ] vocula, &, hic videtur poni pro, idest, ita ut sit explicatio quos greges Jacob diviserit, nimirùm ovium, boum, & camelorum: & perinde valeat, ac si diceretur, divisit greges, idest, oves, boves, & camelos: sicut Matth. 13. *colligent de regno ejus omnia scandala, &,* idest, *eos qui faciunt iniquitatem:* scandala enim non sunt alii quàm qui faciunt iniquitatem.

[ *In duas turmas,* ] Quarum prior erat gregum cum pastoribus; & posterior, uxorum cum liberis. Ea quippe primo loco ponebat quæ minoris apud eum erant valoris. Turma autem posterior in tres ordines divisa fuit; nam in primo erant ancillæ cum liberis; in secundo, Lia cum filiis; in tertio Rachel & Joseph, ut patet ex cap. 33. v. 2. Huic tum timori, tum humanæ prudentiæ nihil obstat, quòd Jacob cap. 28. v. 15. cap. 31. v. 3. & 13. certificatus fuerit de Dei custodia, & de prospero in patriam suam reditu; partim quia naturale est timere, quando aliquis videt sibi mala imminere; Nam & Christus imminente passione *cœpit pavere & tædere,* Marci 14. etiamsi voluntariè pateretur; Cur timet Jacob, cùm de divina custodia esset certus.
partim quia Jacob non considerabat actualiter promissiones sibi factas, de quibus habitualiter certus erat, actu autem considerabat mala quæ humanitus loquendo imminebant; partim quia non erat certificatus se prosperè reversurum cum uxoribus, liberis, totaque sua familia, & ideirco locus erat timendi ne Esau veniens, percuteret matrem cum filiis ut dicitur vers. 11. ac prudenter cavendi ne quid tale accideret. Aug. q. 102. in Genes. scribit fieri potuisse quòd Esau everteret castra Jacob, & tamen post illam afflictionem Deus adesset & liberaret eum, & quæ promisit impleret. Media humana non negligenda, etiam cùm certitudo est de Dei auxilio.
*Et admonendi,* ait, *fuimus hoc exemplo, ut quamvis credamus in Deum, faciamus tamen quæ facienda sunt ab hominibus in præsidium salutis, ne prætermittentes ea, Deum tentare videamur.*

[ ℣. 8. *Si venerit Esau ad unam turmam, & percusserit eam, alia turma, quæ reliqua est, salvabitur.* ] Seu salvari poterit, fugiendo.

[ ℣. 9. *Dixitque Jacob:* ] Etsi quod humanæ industriæ est disponeret, ad divinam nihilominus clementiam totum se converttit, exemplum nobis præsens sic utendi mediis & præsidiis humanis, ut non prætermittamus divina.

[ *Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Isaac:* ] Illos nominat suos patres, quoniam sperabat ex eorum meritis opem divinam.

[ *Qui dixisti mihi: Revertere in terram tuam, &c.* ] De hujus promissionis adimpletione non dubitabat Jacob: sed quia sciebat Deum ita quædam promittere, ut velit ea per orationes obtineri; ideo confidebat se precibus impetraturum ea quæ Deus illi promiserat.

[ ℣. 10. *Minor sum cunctis miserationibus tuis,* ] Vilior sum & indignus cunctis beneficiis quæ hactenus in me misericorditer contulisti.

[ *Et veritate* ] seu fidelitate.

[ *Tua quam explevisti servo tuo.* ] Adimplendo ea quæ mihi promiseras. 70. sic habent: *Sufficiat mihi ab omni justitia & veritate:* quasi dicerent, Plus satis & plus quàm merear beneficiorum mihi præstitisti, fidelitatemque tuam exhibuisti. Orationem suam orditur Jacob à Dei laude. Secundò, allegat promissiones sibi à Deo factas: Tertiò, se humiliat suamque vilitatem agnoscit. Quartò, Recolit divina beneficia. Quintò, orat tum pro se, tum pro aliis.

[ *In baculo meo* ] in pro præpositione, *cum,* ponitur: sicut Psalm. 2. *Servite Domino in timore & exultate ei cum tremore:* Et Luc. 1. *Serviamus ei in sanctitate,* idest, cum sanctitate.

[ *Transivi Jordanem istum:* ] Quem vel ex loco edito eminus conspiciebat, vel saltem animo designabat; nondum quippe ad Jordanem pervenerat. Sensus est, quòd solus & sine comitatu, cùm baculo tantùm suo fuerit quando in Haran veniens transivit Jordanem.

Allegoricè Christus per Jacob figuratus transivit Jordanem hujus mundi cum baculo crucis; & postea in patriam reversus est cum duabus turmis, idest, cùm duobus populis, Gentili & Judaico. Vide August. serm. 80. de tempore.

Moraliter, Baculus est crux Christi, cujus beneficio inniti oportet, ut mundum mundique miserias transeamus. Reditus autem Jacob in patriam significat reditum nostrum ad Deum: & ejus timor, eum timorem quo concutimur, dum sumus proximi morti.

[ *Et nunc cum duabus turmis regredior.* ] Hominum & pecorum, ac per consequens in magna opulentia.

[ ℣. 11. *Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo:* ] Hujus timoris non alia quærenda est causa,

causa, quam quæ præcedit, quòd nimirùm audiret Esau cum quadringentis viris adventare. Quid autem timeret, statim sequitur:

[ *Ne forte veniens percutiat matrem cum filiis.* ] In quibusdam Hebræis codicibus, ut & apud 70. Jacob sensum ita exprimit, *ne percutiat me & matrem supra*, vel præter *filios*, seu cum filiis. Alii tamen ex Hebræo vertentes, pronomen illud (*me*) omittunt conformiter editioni vulgatæ; eaque ex causa putant Jacobum se non exprimere vel quòd propter promissionem seminis benedicti seu Messiæ ex se nasciturí, non dubitaret se evasurum, vel quòd instar boni parentis, de se minùs sollicitus, suorum curam ageret. Quòd autem aliqui scribant Jacobum maximè timuisse, ne se suisque occisis, Messias non veniret; improbabile est, neque satis consentaneum cum fide quam & Jacob & alii sancti patres habuerunt de redemptione per Messiam futura. Nec multò majorem probabilitatem habet, quod alii quidam volunt Jacobum existimasse promissiones sibi factas esse sub conditione bonæ ac obedientis vitæ; timuisse verò quòd in tam diuturna apud idololatras habitatione aliquid commisisset, ob quod esset extra statum gratiæ. Ex promissionibus namque factis Abrahæ & Isaac satis sciebat illas esse absolutas, & Angelorum in ejus custodiam occursus frequentesque visiones debebant metum eum ab ipso pellere, & benè confidentem reddere.
*Oleaster & Vatablus.*

[ ℣. 12. *Tu locutus es* ] seu promisisti. Vide cap. 28. vers. 14. & nota quòd allegando divinam promissionem, ostendit se non ex suis meritis petere de periculo erui, sed ut Dei promissa impleantur.

[ ℣. 13. *Separavit de his quæ habebat, munera Esau fratri suo*, ] ad eum placandum, ut dicitur vers. an.

[ ℣. 15. *Camelos fœtas* ] quæ recens pepererant, & lactabant; sequitur enim:

[ *Cum pullis suis* ] & tam Hebræa quàm Græca, pro fœtas, habent lactantes. Non dicitur misisse pullos caprarum & ovium; fortè, quia nimis adhuc teneri, non erant dispositi ad gradiendum sicut pulli camelorum.

[ ℣. 16. *Et misit per manus servorum suorum* ] ut præcederent, sicque frater placaretur prius quàm Jacob ad eum veniret.

[ *Singulos seorsum greges*, ] Ita ut animalia unius speciei unum gregem facerent, & animalia alterius speciei, alterum; & sic deinceps singulisque gregibus sui essent directores & servi, ut patet ex versibus 17. & 19. ac inter greges singulos justum intervallum, ut ordo esset decentior, & spectaculum gratius cum quadam solemnitate & pompa; quia ordo multum delectat.

[ ℣. 20. *Dixit enim: placabo illum muneribus* ] hæc verba vel sunt servorum referentium quid Jacob eis dixerit, & quam ob causam mitteret munera; vel Moysi scribentis quid Jacob tacitè in animo dixerit.

[ *Forsitan propitiabitur mihi.* ] Forsitan, id est, utique: non enim est dubitantis, sed affirmantis, sicut Joan. 8. *si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis*. Pro, propitiabitur mihi, alii, ex Hebr. vertunt, *suscipiet* aut levabit *faciem meam*, eodem sensu. Quoniam enim is qui alium offendit, præ verecundia oculos in terram dejicit, neque audet coram offenso faciem levare in altum: ideo quando is qui offensus fuerat, placatur; ipse dicitur faciem offendentis levare, quia sua placatione eum animat ut audeat ipsum aspicere, & oculos in altum levare. Huc facit quòd inter gestus peccatori convenientes, unus est dejectio faciei aut oculorum in terram, juxta id quod Esdras 1. Esdræ 9. dixisse legitur, *Deus meus confundor & erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt*: quo modo & publicanus Luc. 18. nolebat vel non audebat oculos ad cœlum levare. Contra verò, quando Deus peccata condonat, dicitur faciem orantis suscipere, veluti Job 42. *faciem ejus suscipiam ut non vobis imputetur stultitia*. Malach. 1. *Deprecamini vultum Dei ut misereatur vestri, si quo modo suscipiat facies vestras.*

[ ℣. 21. *Ipse verò mansit nocte illa in castris.* ] Tum ut seriò cogitaret de modo placandi fratrem; tum præcipuè ut orationi vacaret, Deumque precaretur pro negotii illius, ac etiam itineris directione.

[ ℣. 22. *Transivit Vadum Jaboc* ] Jaboc est fluvius inter Philadelphiam & Gerasam, qui ultra procedens Jordani fluvio commiscetur, ait Hieron. in locis Hebraicis. Nomen habet (ut alia ferè loca) à re quæ in ejus vicinia contigit, id est, à luctatione: Nam Jaboc luctam significat. Hunc fluvium transivit Jacob, ubi poterat vadari, & propterea non opus fuit ei navigio, sed vel pedes, transivit, vel animali vectus.

[ ℣. 24. *Et ecce vir* ] hunc virum fuisse verum Angelum in viri specie apparentem liquet ex Oseæ 12. ubi dum præsentem historiam refert propheta; sic de Jacob loquitur. *In fortitudine sua directus est cum Angelo, & invaluit ad Angelum.* Idemque significat ipse Jacob infra cap. 48. dicens, *Angelus qui eruit me de cunctis malis.* Et his confirmia diximus 1. p. quæst. 51. art. 2. *Vir de quo hic agitur, fuit Angelus.*

Neque refert quosdam veteres ita loqui, quasi vir iste non fuerit Angelus in corpore assumpto, sed ipse Dei filius; eò quòd in fin. cap. Jacob dicat, *Vidi Dominum*: Intelligi enim possunt dixisse esse Dei filium in typo, quatenus nimirùm Angelus apparens gerebat personam filii Dei, eumque repræsentabat. Et quoniam usitatissima est scripturæ locutio, ut hoc tribuatur Deo, quòd Angelus in Dei persona apparens aut loquens dixit aut fecit, quemadmodum pater ex cap. 3. 6. 24. 20. Exodi, collatis cum cap. 7. Act. & cap. 3. ad Galat. ideo Jacob rectè ait se vidisse Dominum, quia vidit Angelum qui in persona Dei apparuerat.

Non refert etiam quòd Concil. Sirmiense can. 14. ita habeat: Si quis contra Jacob non filium tamquam hominem luctatum esse, sed ingenitum Deum aut partem ejus dixerit, Anathema sit. Istud enim Concilium, fuisse episcoporum Arianorum diximus cap. 19. vers. 24. Et quamvis aliqui voluerint istum Angelum fuisse malum; nulla tamen est hujus rei verisimilitudo: quoniam ab hoc Angelo Jacob petivit benedici; quod nequaquam à malo Angelo petere voluisset. Sed nec illud quod postea legitur Jacobo dictum, Si contra Deum fortis fuisti, locum haberet si non bonus, sed malus fuisset Angelus.

Quòd igitur apud Hieron. in cap. 6. ad Ephes. significatur fuisse Angelus malus, dicendum est esse verba ejus aliorum sententiam referentis quemadmodum ipsi frequens est, non verò ex propria sententia affirmantis. Neque tamen existimamus id quod quibusdam aliis placuit, fuisse Angelum custodem Esau, volentem impedire Jacob ab ingressu terræ promissæ, & curare ut fratri suo Esau redderet primogenita: quia sanctus Angelus non se opponeret manifestæ voluntati Dei, neque vellet malam causam fovere. Sed fuit Angelus S. Patriarchæ tutor & custos: causa autem luctæ, ut eo modo timorem ei adimeret, & spem certam faceret, quòd fratri prævaleret.

[ *Luctabatur cum eo* ] quidam interpretantur luctam fuisse tantùm spiritualem; sed communior eaque vera sententia est, fuisse corporalem; id enim requirunt circumstantiæ, ac specialiter ea quæ est de tactu femoris. *Pro, luctabatur*, ex Heb. verti potest, pulverisabatur; aut sicut Aquila & Symmachus, sese versabat. Et significatur quòd sicut in arena luctantes crebro pedum pulsu, vehementique ac celeri motione qua mutuo conantur alter alterum in terram dejicere, pulverem excitant, ita se habuerint Angelus speciem viri præferens, & Jacob.

[ *Usque mane.* ] Ut mora longiore animus Jacob magis firmaretur.

[ ℣. 25. *Qui cùm videret quòd eum superare non posset*, ] hoc est, cùm vis ille videret se non posse prævalere Jacobo. Cæterum, cum virum illum constet fuisse Angelum; Angelus autem mirum in modum excedat cujuvis hominis fortitudinem: dicendum est non fuisse ex defectu virium Angeli, quòd non posset superare Jacobum, sed ex Dei voluntate, qui nolens Angelum omnes suas vires exercere, certum ei modum præscripserat, ul-

tra

tra quem eas non intenderet. Et hunc sibi præscriptum modum servando, non poterat Angelus prævalere Jacobo, cui etiam fortassis Deus vires augebat. Ideo porro Deus rem illam sic disposuit, ut Jacob cognosceret eo adjuvante se fratri suo prævaliturum, juxta id quod postea ipsi dicitur, *Si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines prævalebis?* Sicut autem Angelus se à Jacobo superari permisit, ita Christus permisit se à Judæis capi & occidi.

[*Tetigit*](seu ut Heb. sonat, percussit)

[ *Nervum femoris ejus*, ] ut Jacob intelligeret se non suis viribus, sed peculiari Dei auxilio prævaliturum fratri.

Allegoricè significatum fuit quòd posteritas Jacob esset claudicatura, hoc est, quòd plurimi Judæi à vero Dei cultu essent defecturi.

[ *Et statim emarcuit*. ] Nimia laxatione & dissolutione, inutilis & quasi marcidus factus est, verisimiliter ad breve tempus.

[ ℣. 26. *Dixitque ad eum: Dimitte me jam enim ascendit aurora*. ] Jacob manibus Angelum apprehenderat ac tenebat; Ideo Angelus pergens vires suas juxta decretum Dei attemperare, dicit ei, Dimitte me. Et quoniam nolebat clara luce luctans conspici, pro ratione suæ dimissionis ait auroram jam ascendere.

[ *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*. ] Ita loquitur præ ardenti desiderio benedictionis obtinendæ. Unde non quomodocumque illam petiit, sed cum lachrymis; *Invaluit*, ut Oseæ 12. legitur, *ad Angelum, & confortatus est: flevit, & rogavit eum*. Ita qui perseverantes sunt in oratione, benedictionem consequuntur.

[ ℣. 28. *Nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel:* ] Hic primum Jacobo imponitur nomen Israel, sed infra cap. 35. idem illi confirmatur & renovatur. Quoniam verò in subsequentibus frequentissimè appellatur isto suo nomine Jacob; duæ quæ à quibusdam traduntur regulæ, sunt observandæ.

Regulæ observandæ. Prior est, quando scriptura prioris nominis mentionem faciens imponit novum, intelligenda est non adimere prius, sed priori addere posterius, ita ut is cui nomen sic mutatur, deinceps utroque possit appellari, & nunc uno, nunc altero vocetur. Sic Gedeon Judic. 6. dicitur ex illo die vocatus esse, Jerobaal, & nihilominus scriptura pergit eum vocare Gedeonem: Petrusque postquam Christus ei dixerat: *Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas quod interpretatur Petrus* Joan. 1. & Marci 3. non rarò adhuc postea legitur appellatus esse Simon. Idemque judicium est de Jacob: ac proinde cum hic dicitur, *nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum*, subintelligenda est exclusiva, hoc sensu, deinceps non tantùm Jacob, sed etiam Israel erit nomen tuum.

Posterior, quando prioris nominis nulla fit mentio, sed simpliciter aliud attribuitur; istud aliud non tam significatur actu imponendum, ita ut homines sic fint eum compellaturi; quàm quòd ea quæ ab illo gerenda sunt, tale nomen mereantur, ut patet de multis nominibus quæ prophetæ Christo tribuunt, velut Isai. 7. Emmanuel: cap. 8. Accelera spolia detrahere, festina prædari; cap. 9. Admirabilis, consiliarius, princeps pacis, pater futuri sæculi. Zachar. 6. Vir oriens. Sic filiis Zebedæi Christus imposuit nomina Boanerges Marci 3.

De Israelis porro etymologia variæ sunt sententiæ. Hieron. in cap. 44. Isai. scribit quòd juxta Hebræos & litteratum fidem, Israel rectus Dei dicitur: quam interpretationem etiam in cap. 1. Malach. præfert ei qua secundùm aliquos Israel idem valet quòd vir videns Deum.

Quid Israel significet. At vera genuinaque est illa quam idem Hieronymus probat in qq. Hebr. ut Israel idem sit quòd princeps Dei, vel dominans seu prævalens Deo; hoc est, Angelo Dei personam referenti: eamque indicat Angelus pro ratione statim subjungens;

[ *Quoniam si contra Deum fortis fuisti*, ] Ubi Hieronymus sic loquentem Angelum introducit: *Quomodo princeps ego sum, sic & tu, qui mecum luctari potuisti, princeps vocaberis. Si autem mecum qui Deus sum sive Angelus, pugnare potuisti; quanto magis cum hominibus, hoc est, cum Esau, quem formidare non debes?* Eamdem significant 70. dum sic reddunt: *Israel erit nomen tuum, quia invaluisti cum Deo;*

Pro quo Aquila vertit, *quia princeps fuisti cum Deo:* Et Symmachus, *quoniam princeps fuisti fortitudine erga Deum*.

[ ℣. 29. *Dic mihi, quo appellaris nomine?* ] Sciebat esse Angelum, sed nomen quærebat ut posset eum in periculis adjutorem invocare; neque enim solum Deum, sed & Angelos etiam tunc invocatus fuisse patet ex c. 48. v. 16.

[ *Respondit: cur quæris nomen meum?* ] Propria & à naturis illorum deducta Angelorum nomina nulla sunt mortalibus cognita: quod propterea videtur Deus voluisse, ne humana curiositas præceps ferretur in superstitiosos & magicos ritus, si ea novisset. Scripturæ pauca nobis indicant à ministerio quo functi sunt, vel à mysterio aliquo desumpta, eaque cum Dei nomine ei conjuncta, ut sic per ipsum nomen animus elevetur ad Deum, cui omnes Angeli serviunt. Angeli non habent nomina propria nobis nota.

Ista porro interrogatio non tam est scopi vel finis, ob quem Jacob quærat nomen Angeli, quàm sit modus loquendi. q. d. Noli quærere. In quibusdam bibliis, additur, *quod est mirabile*: sed cum hoc neque in Hebræis, neque in Græcis codicibus, imò nec in Latinis correctionibus legatur; meritò putatur hic fuisse adjectum ex Judic. 13. Nec probabile est, id quod quibusdam placuit, Judæorum vitio factum ut hoc capite omitteretur: quare enim hoc capite omisissent potius quàm Judic. 13. præsertim cum non multum contra ipsos faciat?

[ *Et benedixit ei in eodem loco*. ] Ubi cum Angelo erat luctatus: benedixit autem benè precando, ipsum confortando, & timorem fratris expellendo.

[ ℣. 30. *Vocavitque Jacob nomen loci illius Phanuel*, ] quod interpretatur visio vel species aut facies Dei: Nam phane faciem significat; El, Deum. Recentiores legunt Peniel, sed hoc facit punctorum varietas. Dictæ interpretationi congruit quod sequitur.

[ *Dicens: vidi Deum facie ad faciem*, ] sive sic interpretemur, ut idem sit quod cominus cum Deo luctatus sui; (Nam videre in scriptura interdum sumi pro pugnare seu pugnando vires videre, id est, experiri, liquet ex 4. Reg. 14. ubi Amasia misit nuntios ad Joas dicens: *Veni & videamus nos*, & postea dicitur quòd viderunt se, percussusque est Juda coram Israel. Simileque habemus ejusdem lib. cap. 23. vers. 29.) sive, quod communiter aliis placet, vocem videndi ad oculos corporis referamus, juxta quos sensus est: Vidi Dominum, id est, Angelum qui Dei personam sustinebat, facie ad faciem, id est, præsentem in figura corporea, in qua non solùm audivi eum loquentem, sed etiam conspexi. Quo modo Jacob viderit Deum. V[...] autem hæc verba referre ad visionem divinæ essentiæ, absque fundamento est: eùm neque is censeatur vidisse essentiam Petri, qui dicitur Petrum vidisse facie ad faciem. Nihilominùs quin ea phrasis, videre Deum facie ad faciem, sumatur aliquando pro videre divinam essentiam, quando scilicet opponitur visioni ipsius Dei per speculum & in ænigmate, non potest esse dubium conferenti 1. ad Corinth. cap. 13.

[ *Et salva facta est anima mea*. ] Quod duobus modis intelligi potest. Uno, ut idem valeat, quod, *& non sum mortuus*. Plerisque enim Hebræorum ea videtur fuisse persuasio, illum cui Deus in specie visibili appareret, statim esse moriturum, juxta illud Exod. 33. *Non videbit me homo, & vivet*. Unde Judic. 13. Manue dicebat. *Morte moriemur quia vidimus Dominum*. Altero, ut idem sit quod, *& confortatus sum*, metu fratris quo angebar, penitus liberatus, & certior factus mihi non imminere ab eo periculum mortis. Huic expositioni suffragatur quod Oseæ 12. legimus: *Jacob invaluit ad Angelum, & confortatus est*.

[ ℣. 31. *Ortusque est ei statim sol, postquam transgressus est Phanuel:* ] Moraliter significatur quòd post acceptam benedictionem, sol justitiæ oriatur perseverantibus in pugna spirituali.

[ *Ipso*

[ *Ipse verò claudicabat pede.* ] Ex nervi dolore & luxatione, cùm nondum esset curatus: statim verò post fuisse curatum & plenè sanatum probabiliter existimant Abulensis, Delrio, Marius, & alii: partim quia dum eodem die pervenit ad Esau, non apparet eum fuisse claudum; Alioquin, Esau vel ipsum neglexisset vel interrogasset de causa claudicationis: partim quia ad totius allegoriæ complementum pertinebat quòd Jacob sanaretur, ut ita intelligeret non solùm ex sua posteritate quosdam à Deo defecturos, quod significabat claudicatio; sed etiam reliquias ad Deum convertendas, id quod per sanitatis restitutionem conveniebat significari.

[ ℣. 32. *Quam ob causam non comedunt nervum filii Israel,* ] non quòd à quovis nervo abstineant, sed ab illo qui secundùm suam speciem & similitudinem emarcuit in fœmore Jacob, hoc est, à nervo fœmoris animalium quæ munda sunt & comedi possunt. Idcirco autem ejusmodi nervum non comedunt, ut illa abstinentia esset Judæis, perpetuum monimentum beneficii suo patriarchæ præstiti. Hinc discere possunt sectarii non quamlibet à cibis abstinentiam esse damnabilem aut superstitiosam, sed eam solùm quæ damnabili motivo aut ratione fundatur; eam verò cujus motivum est honestum, esse honestam: cujusmodi fuit jam dicta nervi abstinentia.

Pro moribus observa luctam Jacobi cum Angelo repræsentare certamen quod perfectus homo patitur dum vult per contemplationem in Deum assurgere. Velut enim in certamine positus, quodammodo superat, de superno lumine aliquid degustando; & quodammodo superatur, quatenus iterum degustando, deficit. Quasi ergo vincitur Angelus, quando intellectu intimo apprehenditur Deus. Sed victus Angelus nervum fœmoris Jacob tetigit & marcescere fecit; quia Deus eum jam cognoscitur & amatur, voluptatem carnis in homine perfecto arefacit: qui enim vero amore sublimia respicit, carnis desideriis incedere nescit. Fit ergo claudus, quoniam is qui antea duobus pedibus videbatur Deum quærere, tum per supernorum amorem, tum per hujus sæculi voluptatem; post agnitionem suavitatis Dei, uno tantùm pede nititur, amore videlicet cœlestium, mundi voluptate jam in ipso torpente. Vide Gregor. lib. 4. Moral. cap. 40. & homil. 14. in Ezechielem.

## CAPUT XXXIII.

*Jacob viso Esau, suos ordine disponit, fratrique occurrit, & ab eo benignè excipitur, ægrèque obtinet ut munera suscipiat & domum revertatur. Ipse autem Jacob profectus in Salem partem agri emit, ibique altare erigit.*

[ ℣. 1. V*idit venientem Esau, & cum eo quadringentos viros:* ] Non poterat è loco in quo stabat, distinctè videre quot essent, sed videbat eos de quibus per nuntios audierat quòd essent quadringenti.

[ *Divisitque filios Liæ & Rachel, ambarumque famularum:* ] Ex cap. 32. constat Jacob duas turmas constituisse; in quarum una, ea nimirùm quæ pridie antecesserat, erant greges pecorum & pastores: In secunda erant uxores & ancillæ cum liberis in tres ordines distributæ. In primo erant ancillæ cum suis filiis: dicit enim textus, quòd Jacob. (Quomodo secunda turma.)

[ *Et posuit utramque ancillam, & liberos earum in principio:* ] in secundo ordine erant Lia cum suis filiis: & in tertio, Rachel cum Joseph. Ideo namque sequitur.

[ *Liam verò, & filios ejus, in secundo loco: Rachel autem & Joseph novissimos.* ] Hebræus pro in secundo loco, habet idem vocabulum quòd mox vertit novissimos, scilicet *acharonim*, ut sensus sit quòd Liam cum suis filiis posuit post utramque ancillam & liberos earum; Rachelem verò & Joseph post Liam & ejus filios. Unde patet novissimum apud Hebræos sæpè idem esse quòd subsequentem vel posteriorem; & dies novissimos non semper idem esse, quòd ultimos, sed quandoque idem valere quòd posteriores. Sic c. 49. illud, *quæ ventura sunt in novissimis diebus*, idem est, quòd posterioribus seu secuturis temporibus: & Dan. 2. vers. 28. *quæ ventura sunt in novissimis temporibus*, ita explicantur vers. 45. *quæ ventura sunt postea*. Similiterque quod 1. ad Tim. 4. dicitur, *in novissimis temporibus* & 2. ad Tim. 3. *in novissimis diebus* rectè intelligitur idem valere ac futuris seu subsequentibus temporibus. (Quid novissimum.)

[ ℣. 3. *Et ipse progrediens* ] Non ante omnes turmas [ jam enim aliquæ præcesserant, in quibus scilicet erant pecora & famuli, ut ex vers. 8. hujus, & ex vers. 16. cap. 32. liquet; ] neque etiam post omnes, quasi uxorum & filiorum salutem temerè objiceret iræ fratris, sed ante secundam velut paterfamilias sollicitus de suis uxoribus & liberis qui erant in secunda turma diversis ordinibus distincti. Ita Christus tempore suæ passionis dum verbera nobis parata vellet in nostri liberationem excipere, ante Apostolos gradiebatur. Ita quoque bonum pastorem decet, in subditorum periculis præcedere, ut conetur frangere iram hostilem, prius quàm in gregem irruat.

[ *Adoravit pronus in terram septies,* ] significatur profunda inclinatio: & sensus est quòd uno genu in terram flexo & capite submisso civilem honorem fratri exhibuerit, idque per aliqua intervalla, septies: Nam quòd aliqui volunt Jacobum hic Deum adorasse, minus videtur probabile, cùm jam præteriisset Dei apparitio, & totum hoc negotium ageretur inter Jacob & Esau. Specimen præbet sanctus patriarcha mansuetissimi & humillimi affectus quo ad fratris iram molliendam se ei submittit, tametsi ex Dei voluntate fratris Dominus à Patre constitutus cap. 27. longè propterea differens à multis christianis, qui de suo jure quod frequenter magnum esse æstimant, cùm sit perexiguum, magnis longisque & scandalosis disputant litibus. (Quo modo Jacob adoravit fratrem.)

[ ℣. 4. *Currens itaque Esau obviam fratri suo,* ] quia non patiebatur fratrem toties ad terram inclinari. Sic apparet quòd non tantùm *Responsio mollis frangit iram*, Proverb. 15. sed etiam quòd *sapientia humiliati exaltabit caput illius*, Ecclesiast. 11.

[ *Et osculans flevit.* ] Ex amoris teneritudine.

[ ℣. 5. *Levatisque oculis, vidit mulieres & parvulos earum,* ] Aliqualiter distantes, qui post Jacobum sequebantur.

[ *Et ait: Quid sibi volunt isti? & si ad te pertinent?* ] Quid est, quòd isti sic ordinatè veniunt? suntnè tui?

[ *Respondit: parvuli sunt, quos donavit mihi Deus servo tuo.* ] Sic agnoscit liberos sibi à Deo datos esse non solùm quia Deus peculiari beneficio fœcundaverat ejus uxores cap. 29. & 30. sed etiam, quia non est in potestate aut voluntate conjugum suscitare filios, sed pendet ex Dei benedictione. Unde Psal. 127. postquam dictum est. *Uxor tua sicut vitis abundans* &c. subjungitur: *Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.*

[ ℣. 6. *Et appropinquantes ancillæ & filii earum, incurvati sunt.* ] Sive ut 70. reddunt, ac etiam noster interpres vers. 7. adoraverunt seu honorem civilem exhibuerunt, prout Jacob eis mandaverat.

[ ℣. 8. *Quænam sunt istæ turmæ quas obviam habui?* ] Erat turma gregum dono missorum, sed quoniam in varias classes distribuebatur, ut ex cap. 32. vers. 16. & 19. patet, videbantur diversæ turmæ, & rectè sic vocantur. Cùm autem Esau habuerit illas obviam prius quàm Jacobo appropinquaret, consequens est Jacobum non antecessisse omnem turmam, etsi non desint qui aliter opinentur: non enim antecedebat eas quæ jam ante obviaverant Esau. Qui quidem ex pastoribus audiverat, quid sibi vellent juxta mandatum ipsis datum cap. 32. sed denuò rogat, ut ex fratris responso capiat occasionem non acceptandi munera.

[ *Respondit: ut invenirem gratiam coram domino meo.* ] Quasi diceret, Mea sunt, sed illa præmisi ante me, ut ea velis dono suscipere, & sic tibi sim gratus, tuque mihi benevolus.

[℣. 9.

[ ℣. 9. *Habeo plurima* , *frater mi* , *sint tua tibi* . ] Id est , ego in hujusmodi abundo , tua tibi retine.

[ ℣. 10. *Dixitque Jacob: Noli ita*, *obsecro:* ] Respuere quæ tibi libenter offero.

Jacob non adulatur fratri. [ *Sed si inveni gratiam in oculis tuis*,] si revera & ex animo tibi gratus sum.

[ *Accipe munusculum de manibus meis* : ] Pro munusculum Hebr. est *Mincha*, quod propriè significat minus quod Deo vel Principi seu superiori offertur ad eorum excellentiam protestandam , & offerentis subjectionem. Quoniam verò quod sic offertur, non debet ab offerente , utpotè inferiore ; magnum æstimari , etiamsi fortassis secundùm se sit tale; ideo interpres sensum magis quàm verba considerans, rectè vertit munusculum.

[ *Sic enim vidi faciem tuam*, *quasi viderim vultum Dei*:] Non sunt verba adulantis, etsi quidam ita voluerit, cum nulla sit ratio vitium istud adscribendi viro justissimo: sed est locutio hyperbolica , qua quæ sunt cæteris excellentiora , dicuntur esse Dei, ut montes Dei, cedri Dei, & alia hujusmodi : simulque est periphrasis vultus admodum benigni , augusti , & veneratione dignissimi ; perinde ac si dixisset , facies tua visa est mihi valde augusta , veneranda , & benigna. Non dissimilis hyperbole habetur 2. Reg. 14. *Sapiens es sicut habet sapientiam Angelus Dei*. Et cap. 19. *Tu autem Domine mi rex sicut Angelus Dei es*. Et Esther 15. *Vidi te Domine quasi Angelum Dei*.

[ *Esto mihi propitius*, ] Seu placidus & favens . Hebræa & Græca sonant, complaceas mihi.

[ ℣. 11. *Et suscipe benedictionem* ] Hoc est munus meum . Munus autem vel donum vocatur benedictio ; partim quia dans illud habet à Deo ipsi benedicente seu benefaciente : partim quia eo ipso quo alteri donat, significat se ei bene velle ac bene precari . Utramque rationem videtur spectare Jacob ita subjiciens.

[ *Quam attuli tibi*, *& quam donavit mihi Deus tribuens omnia* ] Quæ habeo & quibus abundo.

[ *Vix fratre compellente suscipiens* , ] Significatur quòd Esau persisteret in nolendo recipere ; fratre tamen per preces & importunitatem compellente , recepit.

[ ℣. 12. *Ait: gradiamur simul* , ] euntes in terram meam Seir.

[ ℣. 13. *Dixitque Jacob* : ] Honestè se excusans à comitatu fratris, quia non expediebat eum ire babitatum cum Esau.

[ *Nosti domine mi* , *quòd parvulos habeam teneros* , *& oves & boves fœtas* , *mecum* : ] Ideoque non valentes nisi admodum lentè progredi . *Fœtas* , id est , lactantes , ut supra cap. 32. Pro *mecum* , in Hebr. est super me : sed *super*, pro apud vel *juxta* sumitur, quemadmodum & Psal. 136. *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus*.

[ *Quas si plus in ambulando fecero laborare* , ] ut simul proficiscamur ; hoc est , si pastores verberibus aut impulsu coegerint supra vires progredi ; id enim significat quod in Hebr. legitur . *Si pulsavero eas*.

[ *Morientur una die cuncti greges* . ] Id est , multi vel plerique, ut Matth. 3. *Omnis Judæa*, *& omnis regio circa Jordanem*.

[ ℣. 14. *Et ego sequar paulatim vestigia ejus*, *sicut videro parvulos meos posse*, ] Hebr. *ego ducam me pedetentim aut quietè* , *ad pedem operis* vel gregis *qui est ante me*. Sensus est , paulatim proficiscar , secundùm quod ferent vires gregum meorum . Pertinet hæc Jacobi prudentia ad instructionem pastoris ovium rationalium, ne subditos suos urgeat supra eorum vires , prout fecisse Pharisæos notat Christus Matth. 23. dicens quòd *alligant onera gravia & importabilia & imponunt in humeros hominum*, *digito autem suo nolunt ea movere*. Debentque propterea rum pastores, tum magistri noviciorum hujus prudentiæ Jacobi meminisse, ac simul ejus quod Jerem. 48. dicitur, *quia plus fecit quam potuit*, *idcirco periervnt*. Imitentur ergo magnum pastorem Christum qui non patitur suos tentari supra id quod possunt, 1. ad Cor. 10. ac *in brachio suo congregat agnos*, *& in sinu suo levat*, *fœtas ipse portat*, Isai. 40.

[ *Donec veniam ad Dominum meum in Seir* . ] Utrùm eò venerit, est incertum , quia scriptura tacet , & aliunde nihil constat . Si non ivetit, non idcirco est arguendus mendacii ; quoniam sic facere cogitabat cum hæc dixit ; sed postea mutavit consilium , veritus ne animus Esau mutaretur, & mali aliquid moliretur : quod enim iratorum invidorumque mutationes sint inconstantes , liquet ex 1. t. Regum de Saule erga Davidem.

[ ℣. 15. *Respondit Esau* : *oro te* , *ut de populo qui mecum est* , *saltem socii remaneant via tua* . ] Qui te in Seir dirigant , & si opus fuerit , tueantur.

[ *Non est*, *inquit*, *necesse:* ] Heb. & Græcè, *ut quid hoc*? Noster interpres interrogationem solvit in negationem, eodem sensu.

[ *Hoc uno tantùm indigeo*, *ut inveniam gratiam in conspectu tuo* ] Sive, ut sim tibi gratus.

[ ℣. 16. *Reversus est itaque illa die Esau* ] Eodem die quo fratrem fuerat amplexatus , cœpit redire in Seir.

[ ℣. 17. *Et Jacob venit in Socoth*.] Non sic vocabatur quando illuc venit Jacob; sed locus iste postea fuit ita vocatus, eò quòd Jacob ibi fixerit tentoria seu tabernacula; Nam Socoth significat tabernacula eamque etiam ob causam urbs ibi postea ædificata, Socoth quoque dicta est.

Quatuor urbes hoc nomine inveniuntur . Una extra Palæstinam , in qua manserunt Israelitæ venientes de Ægypto Exod. 13. Secunda , & tertia , in tribu Juda, quarum mentio fit , secundæ quidem 1. Reg. 17. tertiæ autem 3. Reg. 4. utriusque Josue 15. ubi una describitur sita in campestribus, altera in monte. Quarta , in tribu Gad inter Jaboc & Jordanem versus montem Galaad, de qua hic agitur . Mansit porro Jacob in Socoth annis circiter decem. Cùm enim Simeon & Levi huc cum patre venerunt , vix erant undecim annorum ; & tamen statim ut ex Socoth venerunt in Sichem , Dina fuit egressa videre mulieres regionis illius , & per eos ( utique vigesimum primum , vel secundum annum agentes ) perpetrata est strages Sichimorum.

Moraliter observa justos , qualis erat Jacob , in hoc mundo habitare in tabernaculis , hoc est , ut advenas non habentes hic patriam , sed futuram inquirentes.

[ ℣. 18. *Transivitque in Salem*, ] Pro , *in Salem*, quidam vertunt integer seu incolumis, quasi Salem sumeretur appellativè , quo modo significat sanum & integrum: sed noster interpres ( quemadmodum & 70. ) accepit pro nomine proprio urbis Sichimorum , fuit autem hæc urbs non ea quæ aliter vocatur Jerusalem , sed quæ & Salem & Sichem dicta est , & postea Sichar, de qua Joan. 4. Vide Hieron. epistola 126. & in qq. Hebr.

[ *Et habitavit juxta oppidum* . ] Hoc est , ante urbem Salem fixit tentoria , & habitationem suam vallo circumdedit more castrorum : Verbum enim Hebræum significat figere tentoria , & castra metari : quæ quoniam faciunt illi qui secutè volunt manere ; ideo noster interpres rectè vertit , habitavit.

[ ℣. 19. *Emitque partem agri in qua fixerat tabernacula* , *à filiis Hemor patris Sichem* , ] Hemor & Sichem meminit tamquam principum terræ . Et quibusdam videtur quòd Hemor istam urbem appellaverit Sichem ex nomine sui primogeniti . Quoniam verò Hemor habuit plures filios , ab illis dicitur Jacob emisse partem agri : nisi quis per filios Hemor intelligendos putet generaliter ejus subditos.

[ *Centum agnis* . ] Sive , centum novellis ovibus , ut habetur Josue 24. Unde licet quidam , nolint agnas sumi pro pecudibus lanigeris , sed pro nummis quæ insculpta esse figura agni; non est tamen recedendum à communiore veterum patrum expositione , qui unanimiter pecudes intelligunt . Neque refert quòd Act. 7. B. Stephanus non meminerit agnorum sed pretii argenti : quia non est ibi sermo de hac emptione quæ per Jacobum facta est, sed de alia quam fecit Abraham supra cap. 23. ut ibi ostendimus. Unde consequens est di-

diversos esse Hemor & Sichem, qui hic & illic nominantur. Non refert etiam centum agnos si pecudes intelligamus, videri esse pretium exiguum pro agro amplio, cujusmodi opus habebat Jacob, in usum magnæ suæ familiæ: partim quia etsi nummos intelligeremus, non liquet fore majus pretium, præsertim si verum est quod quidam scribunt, nummum agno inscriptum seu signatum minimi esse valoris: partim quia terra illa erat spatiosa & lata cultoribus indigens, ut loquuntur Hemor & Sichem, cap. seq. ideoque nihil mirum si pars agri etiam magna non admodum magno pretio venderetur. Si dicas quod cap. 48. Jacob asserat se hunc agrum vi abstulisse de manu Amorrhæi. Resp. ita esse: quia primò quidem illum emit centum agnis, postea verò Amorrhæis eum occupantibus seu occupare conantibus gladio & arcu de eorum potestate sibi vendicavit.

[Non est hic & Actor. 7. sermo de eadem emptione.]

[ ℣. 20. *Invocavit super illud fortissimum Deum Israel*. ] Ex Hebræo verti potest, *Et vocavit illud, fortissimum Deum Israel*, ut hæc fuerit inscriptio & titulus altaris: non quòd existimaret altare esse Deum, sed quia altare erat ad sacrificandum Deo Israel, seu Israel & Israelitarum. Nihilominus omnino verisimile est antiquos codices Hebræos non fecisse mentionem impositionis nominis huic altari, sed invocationis Dei tantummodo, quemadmodum etiam habent 70. qui licèt solum dicant, *& statuit ibi altare & invocavit Deum Israel*; manifestè tamen intelligi volunt quòd super vel ad illud altare Deum invocaverit: invocando autem Deum, Jacob vocavit eum fortissimum Deum Israel, quia ejus virtute etiam è multis periculis fuerat liberatus, tum ex socero, tum ex fratre Esau imminentibus.

## CAPUT XXXIV.

*Dina rapitur à Sichem. Sichimitæ prius circumcisi à fratribus Dinæ perimuntur. Urbs eorum vastatur; à Jacob reprehenduntur Simeon & Levi.*

[ ℣. 1. E*Gressa est autem Dina filia Liæ* ] Annum ætatis agebat tunc Dina quintum aut sextum supra decimum, ut patet tum ex eo quòd esset nubilis quando fuit rapta, tum quòd nata fuit eodem fermè tempore quo Joseph cap. 30. Joseph autem qui paulò post fuit venditus, sexdecim annorum erat quando vendebatur c. 37.

[ *Ut videret mulieres* ] Hebr. & Græcè, filias seu puellas.

[ *Regionis illius*, ] Quæ ad festum solemne, ut quidam ex Josepho tradunt, magno numero conveniebant. Fuit hæc Dinæ curiositas, cujus præmium raptus & infame stuprum secutum est: ex quo docendæ sunt virgines, ut nec videre nec videri quærant, si virgines velint permanere.

[ ℣. 2. *Quam cùm vidisset Sichem filius Hemor Hevæi*,] de stirpe Hevæi, filii Chanaan, nepotis Cham, supra cap. 10.

[ *Princeps* ] seu filius principis

[ *Terræ illius, adamavit eam: & rapuit*, ] quam verbis nequibat inducere, vi in domum suam abripuit, & constupravit, quemadmodum significant verba sequentia. Pro eo quod nos habemus.

[ *Vi opprimens* ] Alii ex Hebr. vertunt, & afflixit eam, violenter scilicet eam opprimendo.

[ ℣. 3. *Et conglutinata est anima ejus cum ea*, ] Admodum vehementi affectu fuit erga illam; sive, valde eam amavit.

[ *Tristemque delinivit blanditiis*. ] Hebr. *locutus est ad cor puellæ*: quod significat, grata & consolatoria verba loqui, sicut Isai. 40. *loquimini ad cor Jerusalem*; Et Oseæ 2. *ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus*. Delinivit autem Dinam blanditiis, non ante quàm eam violaret, quasi verbis dulcibus & blandis illam induxerit ut fornicationi consentiret, sicut quibusdam visum est dicentibus Dinam consentientem fuisse corruptam; sed post factum, quando scilicet ipsa de sua constupratione tristabatur, quemadmodum contextus significat.

Moraliter observa Dinam tunc egredi videre mulieres alterius regionis, quando unaquæque mens studia propria negligens, circa actiones alienas occupatur & extra proprium ordinem vagatur. Venit autem princeps terræ, id est, diabolus, qui alienis distentam corrumpit, eique sic agglutinatur, ut de peccato tristem ac resipiscere cupientem vana spe inanique securitate deliniat. Modò enim peccatum extenuat, modò misericordiam Dei magnam, etiam erga eos qui perseverant in malo affirmat, modò tempus quod adhuc subsequitur, ad pœnitentiam pollicetur. Confer S. Gregor. 3. p. Pastoralia Admoniti. 30.

[ ℣. 5. *Quod cùm audisset Jacob*, ] A comitibus Dinæ qui effugerant; non ab ipsa Dina, quia non redivit domum, sed retenta fuit in ædibus Sichem donec fratres eam inde tulerunt, ut patet ex versu 26. ipso videlicet Sichem antea non permittente ut rediret.

[ *Siluit donec redirent*. ] Non est conquestus de injuria, sed rem totam dissimulavit, velut non valens corrigere.

[ ℣. 6. *Egresso autem Hemor patre Sichem ut loqueretur ad Jacob*, ] Pater indulget filio quem corripere debuerat, ejusque vehementissimo erga Dinam amore incitatus statim pergit ad Jacob, petens Dinam pro filio suo uxorem, prius quàm filii qui in agris erant, domum reverterentur.

[ ℣. 7. *Ecce filii ejus veniebant de agro*: ] Nihil scientes de raptu sororis, quem tamen mox sciverunt, quia venerunt ad patrem vel simul cum Hemor, vel dum Hemor Jacobo loqueretur pro nuptiis sui filii cum Dina.

[ *Irati sunt valdè*, ] Heb. contristati sunt viri, & irati sunt valdè,

[ *Eò quòd fœdam rem operatus esset in Israel*, ] Seu contra Israelem patrem Dinæ, is de quo Hemor loquebatur ad Jacob, id est, Sichem.

[ *Et violata filia Jacob*, ] Seu violando filiam Jacob; Illi enim ablativi per se positi, ejusmodi sensum faciunt:

[ *Rem illicitam perpetrasset*. ] Idem Sichem. Heb. & sic non fiet 70. & sic non erit, quasi diceret: & sic non debuit seu non licet fieri.

[ ℣. 8. *Locutus est itaque Hemor ad eos*: ] Ad Jacob & ejus filios.

[ *Sichem filii mei adhæsit anima filiæ vestræ*: ] Ardentissimè filiam seu puellam vestram amat.

[ ℣. 9. *Filias vestras tradite nobis*, ] loquebatur Hemor pro futuro, quia tunc non aliam filiam habebat Jacob, quàm Dinam, & ejus filii, nullam.

[ ℣. 10. *Terra in potestate vestra est*, ] ad habitandum ubicumque volueritis, modò consentiatis dare Dinam in matrimonium quod petimus.

[ *Exercete*, ] seu excolite plantandò, serendo, vel quocumque modo bonum inveneritis:

[ *Negotiamini, & possidete eam*. ] Liberum vobis erit negotiari, & terram hanc nobiscum possidere, si petitioni nostræ acquiescatis.

[ ℣. 11. *Sed & Sichem ad patrem & ad fratres ejus* ] scilicet Dinæ,

[ *Ait: Inveniam gratiam coram vobis*: ] Annuite precibus meis,

[ ℣. 12. *Augete dotem*, ] Etsi moris sit ut parentes puellæ quæ nubit, dotem tribuant marito ad onera matrimonii sustentanda; ego tamen modò hanc habeam uxorem, ei dotem volo constituere, eamque non vulgarem, sed quantamcumque petieritis: petite ita magnam, sicut vultis.

[ *Et munera postulate*, ] sive qualia sponsæ, sive qualia fratribus ejus dare solet sponsus, supra cap. 24.

[ ℣. 13. *Responderunt filii Jacob Sichem & patri ejus in dolo*, ] quia præ se ferebant quòd vellent fœdus inire, & Sichimitas ad veri Dei cultum adducere; cùm tamen vindictam sumere intenderent, & ex vulneris dolore ægros opprimere. Sed hanc intentionem patri suo Jacob non indicarunt: dicit enim ipse de Simeone & Levi hujus facinoris authoribus, *in consilium eorum non veniat anima mea*, infestius cap. 49.

[ *Sa-*

[ *Sævientes* ] Animo sævo vindictam meditantes.

[ *Ob stuprum* ] Sorori illatum.

[ ℣. 14. *Non possumus facere quod petitis* , ] Jacob filiis permisit ut responderent ; ipsi autem consilio inter se habito pietatem simulantes, crudele facinus cogitabant:

Nefarium & illicitum differunt.

[ *Nec dare sororem nostram homini incircumcise : quod illicitum & nefarium est apud nos* . ] Omne nefarium est illicitum, at non omne illicitum censetur nefarium: gravius enim aliquid sonat nefarium, quàm illicitum. Mendacium namque jocosum, aspectus nonnihil impudicus, inordinata animi commotio sunt actiones illicitæ, non tamen nefariæ : homicidium autem, virginis præsertim invitæ defloratio, proditio patriæ, & hæresis oun tantùm sunt actiones illicitæ, sed & nefariæ.

Quæri potest, quo jure filii Jacob prohiberentur miscere connubia cum incircumcisis. Quibusdam videtur quòd divino: Decreta enim circumcisione simul decretum volunt ut fœminæ generis Abrahæ non nuberent incircumcisis.

Huic tamen responsioni obstat, quòd cum cap. 17. lata est lex circumcisionis, & quæ circa illam observanda essent, distinctè præcepta sunt, nulla omnino istius decreti mentio fiat. Obstat etiam Quòd Abraham author fuit ut Isaac uxorem acciperet Rebeccam, filiam hominis incircumcisi cap. 24. sicut etiam Jacob accepit Rachelem & Liam filia Laban, qui oon erat circumcisus.

Si dicas, fuisse tunc illicitum filias Hebræorum nubere viro incircumciso, non fuisse autem illicitum virum circumcisum ducere filiam incircumcisi : Responderi potest, neque ex scriptura neque ex traditione haberi, istam diversitatem, uti nec bona diversitatis ratio potest assignari, si præsertim consideremus maximum esse homini circumciso periculum ex filia incircumcisi, ut patet ex cap. 34. Exod. ex 7. Deuteron. & ex 3. Reg. 11. non minùs quàm filiæ hominis fidelis immineat ex viro incircumciso. Accedit quòd si mulier Hebræa non potuisset tunc temporis nubere incircumciso, consequens videatur Dinam non potuisse invenire maritum legitimum.

Qnspropter verosimilius videtur non fuisse ullam prohibitionem positivam: & secluso corruptionis periculo quod jus naturæ caveri jubet, potuisse tunc Hebræam nubere incircumciso, quemadmodum significant Pererius. & Estius in hunc locum. Neque tamen consequens est filios Jacob, dicendo. *Non possumus facere quod petitis* &c. fuisse mentiros; quia non loquebantur simpliciter de matrimonio ineundo cum incircumciso, sed de matrimoniis ita mutuo miscendis ut simul cum illis habitarent, & fierent unus populus cum eis ; Dicunt enim versu 15. *Si volueritis esse similes nostri, & circumcidatur in vobis omne masculini sexus.*

[ ℣. 16. *Tunc dabimus & accipiemus mutuè filias vestras ac nostras : & habitabimus vobiscum , erimusque unus populus ;* ] Talis autem adunatio Hebræorum cum incircumcisis præputium retinentibus meritò habebatur ut illicita & nefaria ; quoniam etsi non extaret aliquod ea de re præceptum expressum ; nihilominus vel maiorum traditione vel ex dictamine rationis naturalis, ejusmodi adunationem existimabant nefariam; quia hominum consociatio & coadunatio in unum populum, requirit unitatem religionis & fidei; quæ si diversa fuerit, populus non pacificè nec quietè coalescet in unum corpus.

[ ℣. 17. *Si autem circumcidi nolueritis , tollemus filiam nostram , & recedemus .* ] Dina erat soror filiorum Jacob qui hæc loquuntur , & nullius eorum filia ; Ac nihilominus dicunt , *tollemus filiam nostram* : Vel quia illud, *filiam nostram* , idem significat quòd filiam patris nostri , seu filiam unicam quæ in domo & familia nostra est : Vel quia nomen filiæ positum est pro vocabulo puellæ , sicut aliquando nomen filii ponitur pro puero , ut 1. Reg. 13. *filius unius anni erat Saul cum regnare cœpisset* , id est, erat innocens sicut puer anni unius.

[ ℣. 18. *Placuit oblatio eorum* ] Optio & conditio oblata filios Jacob placuit

[ *Hemor, & Sichem filio ejus* . ] Qui proinde illam acceptarunt.

[ ℣. 19. *Et ipse erat inclytus in omni domo patris sui.* ] Hoc est , totius familiæ honoratissimus, ut supra cap. 31. vers. 1.

[ ℣. 20. *Ingressique portam urbis* , ] ideo ad portam, quia olim ibi fiebant judicia & populi conventus , forumque venalituum , quemadmodum patet ex Deuteron. cap. 17. vers. 8. cap. 22. vers. 15. Ruth 4. vers. 1. & ex aliis sacræ scripturæ locis . *In porta* ( ait Hieronymus super cap. 5. Amos ) *juxta veterem morem , Judaici populi fuisse judicia & sæpe legimus, & crebro interpretati sumus : ut nec agricola ad causam veniens frequentia civitatis , & novo terreretur aspectu ; nec urbis habitator longè ab urbe properaret , & subvectionem quæreret jumentorum .*

[ ℣. 21. *Viri isti pacifici sunt* , ] Loquuntur suo populo de Hebræis propè urbem Salem habitantibus ; & ad persuadendum id quod volunt, utuntur quatuor mediis. Primò quòd isti sint commodi ad convivendum, utpotè pacifici : Secundò, quòd terra Sichimitarum sit lata & spatiosa , indigeatque hominibus qui eam inhabitent & excolant : Tertiò , quòd habebunt voluptatem connubiorum; quæ idcirco poterat animos eorum movere, quoniam ex Dinæ specie colligere poterant mulieres Mesopotamias esse formæ elegantia : Quartò , quòd ex Hebræorum convictu sperarent lucrum. Unde patet neque Regem neque Regis subditos ulla pietate motos fuisse ad circumcisionem, sed terrenis solummodo speciebus illectos .

[ ℣. 22. *Unum est, quo differtur tantum bonum* ; ] Quia non aliter sunt consensuri, nisi circumcidamur cum omnibus nostris masculis.

[ ℣. 23. *Et cuncta quæ possident, nostra erunt* : ] Non omnia quantum ad proprietatem, sed quædam solùm , illa scilicet quæ per matrimonia transferentur ad nos ; cuncta verò nostra erunt, quantum ad commercia & communicationem civilem.

[ ℣. 25. *Et ecce, die tertio, quando gravissimus vulnerum dolor est* : ] Non tamen in circumcisione , sed in aliis quoque vulneribus, tertio & quarto die dolorem esse maximum ex Hipocrate docent varii, eò quòd tunc demum humores acriores ad partem malè affectam confluant .

[ *Arreptis, duos filii Jacob, Simeon & Levi, fratres Dinæ , gladiis* , ] Ex filiis Jacob tantùm isti duo fuerunt in hac cæde , quemadmodum ex vers. 27. liquet: sed cum eis turba erat servorum, eos velut capita & duces sequentium. Neque mirum est, tot servos Jacobo fuisse ut civitatem totam opprimere potuerint , cùm diu antea Abraham cujus benedictiones in Isaac & Jacob auctæ fuerunt, trecentos octodecim vernaculos habuerit , quos educeret in prælium, non computatis iis qui interea labori domestico intendebant , cap. 14.

[ *Interfectisque omnibus masculis* , ] quidam putant quòd omnes illius urbis masculi raptorem Dinæ foverant , aut ei applauserant : At hoc ut in plerisque verum sit , de omnibus videtur incredibile ; cùm nec pueri illic deessent nondum idonei ad consensum, nec doceri possit omnes rationis compotes fuisse facinoris conscios , multò minùs ejusdem fautores vel applausores. Sed neque necessarium est aliquid horum adfuisse, quia fratres Dinæ non inquirebant justitiæ, sed furori suo & indignationi satisfacere.

[ ℣. 26. *Hemor & Sichem pariter necaverunt* , ] Quæri potest , utrùm in ista cæde peccaverint Simeon & Levi . Ex Judith 9. videri possunt non peccasse : quia ipsa sic factum eorum laudat , tamquam Deo authore & inspiratore fuisset commissum : *Domine Deus patris mei Simeon qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum qui violatores extiterunt in coinquinatione sua , & denudaverunt fœmur virginis .*

Responsio nihilominus certa est, eos peccasse. Nam Jacob ob hoc facinus illos gravissimè redarguit dicens cap. 49. *Simeon & Levi fratres , vasa iniquitatis bellantia* . Et mox , *Maledictus furor eorum quia pertinax , & indignatio eorum quia dura* . Peccaverunt autem in

Peccaverunt Simeon & Levi in cæde Sichimorum.

pri-

primis mendacio pernicioso, id spondentes Sichimitis; quod non intendebant servare. Et huic peccato junxerunt sacrilegium, circumcisione nimirum quæ apud ipsos erat Sacramentum, ad doli sui crudelis executionem abutentes, atque ita sacramentum profanantes. Deinde, bellum quod gesserunt præterquam quod esset fraudulentum, fuit etiam defectu authoritatis injustum: Cùm enim ipsi non essent caput suæ Reipublicæ, sed Jacob; Jacobi autem nullus consensus adfuerit; bellum gesserunt privata & non publica authoritate. In vindicta quoque excesserunt, multos insontes occidendo, mulieres captivando, & urbis muros (ut ex cap. 49. patet) subvertendo.

Ad argum. Responsio prima est zelum quo Simeon & Levi indignabantur & ægrè ferebant stuprum sorori illatum, bonum fuisse, ac per consequens à Deo venisse; sed malè admodum eo usi sunt.

Secunda responsio est, Judith non laudare factum Simeonis, sed justitiam Dei qui Simeonis tametsi impiè ac injustè agentis ministerio usus est in defensionem seu ultionem alienigenarum; partim quidem dando ei gladium, id est, animum virilem ac zelosum contra peccatum, & fortitudinem seu vires corporis; partim permittendo quòd perfidè illis abuterentur. Quo sensu intelligi potest quod de Persis & Medis per Babylonios vastandis dicit Deus Isai. 13. *Ego mandavi sanctificatis meis, & vocavi fortes meos in ira mea*: Et quod Ezech. 30. *confortabo brachia regis Babylonis, daboque gladium meum in manu ejus.*

Sunt insuper qui respondent Judith laudare factum Simeonis, sed ex privata sua opinione qua putabat factum Simeonis fuisse licitum; non autem ex Spiritus sancti instinctu; neque Spiritum sanctum semper laudare, id quod singuli quorum historia (etiam cum laude) texitur; laudant.

[ *Tollentes Dinam de domo Sichem* ] In qua post sui violationem huc usque manserat. Eam postea nupsisse S. Job, quidam opinati sunt; sed absque fundamento. Neque verisimile est tantum virum quantus ipse describitur cap. 1. & 29. voluisse uxorem ducere fœminam, cujus fœda constupratio erat tam publica.

[ ℣. 27. *Quibus egressis*, ] Simeone videlicet ac Levi, ut sororem suam in ædes paternas reducerent.

[ *Irruerunt super occisos cæteri filii Jacob*: ] In Heb. abest illud, *cæteri*; rectè tamen ab interprete nostro est additum, ut indicaret etiam reliquos fratres qui non interfuerant cædi oppidanorum, supervenisse, & occisos ac urbem spoliasse.

[ ℣. 28. *Cunctaque vastantes quæ in domibus & in agris erant*: ] In Hebr. sic legitur, *& quæ in urbe & quæ in agro acceperunt, & omnem substantiam eorum.* Quam ultimam clausulam non expressit noster interpres, ratus vocem, *substantiam*, quæ generalis est, satis exprimi per particularem enumerationem.

[ ℣. 29. *Parvulos quoque eorum & uxores duxerunt captivas.* ] Hinc apparet quod cum superius dictum est interfectos fuisse omnes masculos, hoc intelligendum veniat pro plerisque seu ferè omnibus: superfuerunt enim masculi illi quos filii Jacob in captivitatem abduxerunt. Non est autem dubium quin Jacob statim ut deprædationem & captivationem hanc cognovit, omnes incolumes remiserit unà cum bonis, non eorum tantùm, sed etiam aliorum: sciebat enim ea injustè fuisse ablata.

[ ℣. 30. *Jacob dixit ad Simeon & Levi*: ] Istos duos nominatim redarguit tanquam facinoris inventores ac duces, etiamsi alii filii non essent extra culpam, ut ex v. 27. patet.

[ *Turbastis* ] seu inquietastis

[ *Me, & odiosum fecisti me* ] Hebr. *ut fætere faceretis me*, eodem sensu? Illi enim qui sunt aliis odiosi, sic eis invisi & ingrati sunt, sicut si fœterent.

[ *Chananæis & Pherezæis* ] qui sunt vicini Hevæis, & Palæstinam inhabitant.

[ *Nos pauci sumus*: ] Heb. *ego viri numeri*: id est, paucos viros habeo, ita videlicet ut facilè possint numerari. Paucos dicit comparatione Chananæorum & aliorum habitatorum terræ illius; cùm alioquin satis magno essent numero.

[ *Illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea.* ] Ita loquitur, non quòd de divinis promissionibus diffideret; sed quia humanitus loquendo, id erat naturam sequi, & verisimiliter accidisset, nisi Deus aliter providisset.

[ ℣. 31. *Numquid ut scorto abuti debuere sorore nostra?* ] Pro excusatione allegant iratorum more, causam insufficientem: Injuria enim sorori ipsorum illata non potuit ab ejus fratribus gladio & cæde vindicari, præsertim privata authoritate.

## CAPUT XXXV.

*Jacob jussu Dei iturus in Bethel, familiam suam Idolis expurgat. Quò dum pervenit, altare Deo erigit Debora moritur. Benjamin cum morte Rachelis nascitur. Ruben cum Bala dormit & moritur Isaac.*

[ ℣. 1. INterea ] Dum Jacob pavet incolarum incursum, & filiorum crudelitate dolet:

[ *Locutus est Deus ad Jacob*: ] Ut eum consolaret:

[ *Surge & ascende Bethel*, ] ubi ostensa tibi fuit scala Dei, & Angelorum visio, promissaque divina protectio, supra cap. 28.

Duo hic observanda. Prius, omnem fidelem exemplo Jacob debere contra omnes adversos incursus confugere ad domum Dei: Nam Bethel interpretatur domus Dei. Et sicut *montes excelsi cervis, & petra refugium est herinaciis*, Psalm. 103. ita domus Dei refugium est miseris. *Tabernaculum* enim *Dei erit in umbraculum diei ab æstu, & in securitatem & absconsionem à turbine & à pluvia*, Isai. 4. Posterius, quare Deus Jacobum mittit in Bethel, cùm æquè facile posset eum defendere in Sichem, partim scilicet quia Deus suos protegere solet adhibitis mediis ordinariis quando illa sunt obvia; medium autem ordinarium est recedere ab inimico; partim etiam, ut sancto viro daret opportunitatem adimplendi votum c. 28. emissum. Cur Jacobus mittitur in Bethel.

[ *Facque altare* ] Sicut promisisti cum lapidem erigeres:

[ *Deo qui apparuit tibi* ] hoc est, mihi, qui tibi apparui: quamvis enim esset Angelus qui loquebatur, non tamen loquebatur in sua, sed in Dei persona, unde textus dicit locutus est Deus. Nec est phrasis infrequens qua is qui loquitur, de se tamquam de aliquo alio loquitur in tertia persona. Sic Num. 12. Deus dicit. *Si quis fuerit propheta Domini*, hoc est meus: Et mox, *Dominum videt*, id est, me. Similiter Jerem. 1. Deus ita loquitur, *dereliquisti Dominum Deum tuum*, id est, me. Unde præcedit; *Me dereliquerunt.*

[ *Quando fugiebas Esau fratrem tuum.* ] Et ibas in Haran Mesopotamiæ, sicut descriptum est capit. 28.

[ *Jacob verò convocata omni domo sua*, ] seu tota familia, cunctis uxoribus, filiis, famulis & servis:

[ *Ait: Abjicite deos alienos qui in medio vestri sunt*, ] In Hebr. est, *deos alieni*, scilicet populi, hoc est, deos quos alienigenæ seu gentiles colunt; & est phrasis qua significantur dii falsi; sicut ex opposito quando dicitur Deus patrum Jacob, scilicet Abraham & Isaac, significatur Deus verus. Quidam putant sermonem hìc esse de idolis quæ Rachel patri suo furata dicitur cap. 31. At si de illis, nequaquam verò de aliis loqueretur Jacob, non hoc dixisset coram tota familia, sed privatim Racheli: neque verisimile est quòd tanto temporis spatio quo ex Haran egressus est Jacob, novem scilicet annorum, vel Rachel celare voluerit Jacobum se idola patris accepisse, (præsertim cum non acceperit animo illa colendi) vel Jacobum virum religiosissimum passurum fuisse ea in suis ædibus. Verisimilius est fuisse idola quæ servi Jacob vel ex Haran ubi vigebat idololatria, vel ex deprædatione Sichimitarum secum attulerant, sive cultus causa, sive propter materiæ pretiositatem. Cur autem Jacob nunc de- De quibus idolis sit sermo.

demum familiam suam purget ab istis idolis, ratio esse videtur, quòd vel ea nescierit, vel antea opportuoitas defuerit.

[ *Et mundamini, ac mutate vestimenta vestra.* ] De corporali immunditia & de mutatione vestimeotorum communium in festiva seu pretiosiora rectè hæc iotelliguntur. Decet enim in cultu divino etiam exteriorem munditiam adbiberi, unde Israelitæ legem accepturi Exod. 19. jussi fuerunt lavare vestimenta & ab uxoribus abstinere. Mosque fuit Judæorum, ut accessuri ad templum, corpus & vestimenta curarent habere munda: qui quòd etiam apud chtistiaoos servandus sit, ipsa oaturalis ratio dictat, modò præcipua eorum cura sit de interori munditia, quæ longè magis Deo placet, quàm exterior.

[ ℣. 3. *Surgite, & Ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo;* Hoc est, disponite vos ut illuc ascendamus oblaturi sacrificium super altare quod ibi coostruemus Deo.

[ *Qui exaudivit me in die tribulationis meæ,* ] Cùm essem valdè anxius, audito quòd Esau veniret cum 400. viris:

[ *Et socius fuit itineri mei.* ] Salvum me ducendo io Mesopotamiam, & inde reducendo in Chanaan.

Hoc exemplo discimus eo ordine nobis esse procedendum in Bethel, id est, in domum Dei ad offerendum sacrificium novæ legis quod multò est excellentius quocumque sacrificio veteri. Primùm, ut omnes errores fidei contrarios qui sunt dii alieni, abjiciamus: deinde conscientiam nostram mundemus: ac denique ambulemus io novitate vitæ, quod est vestimenta mutare.

[ ℣. 4. *Dederunt ergo ei omnes deos alienos quos habebant,* ] Pro, *deos alienos*, in Hebr. legitur sicut prius, *deos alieni* seu alienigenarum.

[ *Et inaures quæ erant in auribus eorum:* ] Scilicet deorum alienorum, ut interpretatur Aug. q. 111. cumque secuti Abulensis, Delrio, & alii: id est, ornamenta aurium quæ idololatræ suis idolis appendebant ad eorum ornatum.

[ *At ille infodit ea subter terebinthum,* ] ex Heb. alii legunt, quercum, oec malè: Cùm enim Hebræi ignoreot significata nominum significantium determinatas arbores; & Elach, quod est genericum nomen, quodque hic est in Heb. de quavis arbore dici possit, rectè vertitur, & per terebinthum, & per quercum. Masius in ult. c. Josue, Marius, & alii quidam hic existimaot eamdem esse istam arborem cum illa ubi Abraham primò extruxit altare, supra c. 12. Istos porro deos alienos seu idola simul cum eorum ioauribus sic Jacob infodit, ut ea primùm vel confregerit, vel liquefecerit, ac tamdem in fossam quam fieri jusserat, iojecerit. Potuisset quidem materiam illorum ita confractorum vel liquefactorum retinere, & in alios booos usus convertere; sed noluit, tum ne nila superessent vestigia idololatriæ, tum ut filii tantò majori cum abominatione fugerent idololatriam. Si dicas, non licet privata authoritate confringere idola aliena, eò quòd sint res alienæ, unde Conc. Eliberini canon 60. dicit: Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occisus; quia In Evangelio non est scriptum, neque invenitur ab Apostolis umquam factum, placuit io numerum eum non recipi martyrum: de quo canone videri potest Baronius lo Martyrol. ad 9. April. Si ergo servi Jacob habebant idola ex depopulatione urbis Sichem, non licuit Jacobo ea confringere, multò minus subter terebinthum infodere, cùm deprædatio illa fuerit injusta. Resp. Neg. Cons. quoniam non privata authoritate illa Infodit, sed divina: In toto namque isto negotio videtur Jacob fuisse directus à Deo, qui ad illum dicitur fuisse locutus, & qui frequenter ei apparebat.

[ *Urbem Sichem.* ]

[ ℣. 5. *Cumque profecti essent, terror Dei invasit omnes per circuitum civitates,* ] Terror Dei est terror ingens à Deo immissus, ut viri civitatum quæ eraot io circuitu, non auderent insequi Jacob discedentem. Et ejusmodi terrore Deus ostendit hoc esse præmium timeotium Deum, ut & ipsi ab adversariis suis timeantur. Ita Judic. 7. Deus exterruit Madianitas, pugnante contra illos Gedeone, & lampades sua confringente, militibusque similiter suas complodentibus; ad ostendendum, quòd inimicis quoque nostris spiritualibus ipse timorem immittit quaodo passiooibus nostris edomitis lux divinæ gratiæ io nobis effulget. Secundi etiam Paralip. 14. *Exterruit Dominus Æthiopes coram Asa & Juda, fugeruntque Æthiopes,* quamvis haberent in exercitu decies centena millia & currus trecentos. Immittit autem Deus hunc terrorem variis modis: aliquando enim repræsentat auditui adversariorum strepitus quasi adventantis maximi exercitus, ut 4. Reg. 7. Aliàs, excitat tempestates & tonitrua, & fulmina, ut Judic. 5. ubi de hostibus legitur. *De cœlo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine & cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt*: Interdum sine objectis illis exteris, pavorem mentibus adversariorum incutit, sicut Judic. 2. ubi Raab ita loquitur, *Irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores terræ.* Et probabile est hic ita esse factum.

Qui terror Dei.

[ ℣. 6. *Venit igitur Jacob Luzam, quæ est in terra Chanaan,* ] Diversa proinde est hæc Luza ab ea quæ Judic. 2. legitur fuisse ædificata in terra Hetbim, longo temporis intervallo post præsentem bistoriam.

[ *Cognomento Bethel:* ] Urbem enim quæ prius vocabatur Luza, Jacob appellavit Bethel c. 28.

[ *Ipse & omnis populus cum eo.* ] Id est, tota ipsius familia, quæ licèt oon esset magna comparata cum Chaoanæis, Pherezæis, & aliis terrarum illarum incolis, simpliciter tamen satis ampla erat ut posset vocari populus.

[ ℣. 7. *Et appellavit nomen loci illius, domus Dei:* ] Quasi diceret, appellatiooem prius inditam repetiit ac confirmavit. In Hebr. *Et vocavit locum El Bethel*, Id est, Deum Betbel; non quòd ipse locus esset Deus, sed quia locus sortimr interdum nomen ejus cui est dicatus, sive qui lo eo colitur: quo modo communiter dicimus quempiam ire ad S. Petrum, ad S. Amatum, hoc est ad templum, ubi sanctus Petrus, vel saoctus Amatus colitur.

[ ℣. 8. *Eodem tempore mortua est Debora nutrix Rebeccæ,* ] Hanc Deboram cum Rebecca venisse ex Mesopotamia in Chanaan, habetur c. 24. Hebræorum autem traditio est, eamdem à Rebecca missam fuisse in Haran Mesopotamiæ, ut Inde revocaret Jacobum, coosormiter ei quod cap. 27. dixerat illi Rebecca, *postea mittam & adducam te inde huc*: Interea verò dum redit cum Jacob, mortua est in itioere, quemadmodum hic refertur.

[ *Et sepulta est ad radices Bethel* ] Ad pedem montis in quo sita est urbs Bethel,

[ *Subter quercum:* ] Allud est in Hebr. nomen ab eo de quo prius dictum est quòd Jacob idola posuit sub terebintho seu sub quercu; & æquè ignota est significatio unius, sicut alterius, quemadmodùm ait Oleaster; certum tamen est fuisse diversam arborem in loco diverso sitam.

[ *Vocatumque est nomen loci illius, quercus fletus.* ] Propter planctum quem ibi fecit familia Jacob super morte Deboræ.

[ ℣. 9. *Apparuit autem iterum Deus Jacob* ] Apparuerat ei proximè quando dixit, *Ascende Bethel:* nunc rursum apparet, postquam eò pervenerat.

[ *Benedixitque ei,* ] multa bona ipsi promittendo, & munera gratiæ ac virtutum ei adaugeodo, simul cum mutatiooe nominis, unde sequitur.

[ ℣. 10. *Dicens: non vocaberis ultra Jacob, sed Israel erit nomen tuum.* ] Id est, non amplius solo nomine Jacob, sed etiam Israelis noiolne compellaberis, ut c. 32. exposuimus.

[ *Et appellavit eum Israel,* ] Nomeo quod antea illi dederat, iterando & coofirmando; idque ut sciat se omne etiam fortem futurum, & evasurum, vires & potentiam Chananæorum, sicut antea manus fratris evaserat.

[ ℣. 11. *Dixitque ei: ego Deus omnipotens,* ] ut noveris me posse præstare quod promisi, scito quòd sum Deus omnipotens.

[ *Cresce & multiplicare:* ] Seu cresces & multiplicaberis: sequitur enim

[ *Gentes & populi nationum ex te erunt,* ] duodecim videlicet tribus, eæque numerosissimæ.

[ *Reges de lumbis tuis egredientur.* ] Qui postea in Regum & Paralipomenon libris descripti sunt.

Ter-

[*Terramque quam dedi,*] id est, quam me daturum certò promisi,

[*Dabo tibi*] &c; sive, id est,

[*Et semini tuo*, ℣. 13. *Et recessit ab eo.*] Deus ut in Hebr. exprimitur, seu Angelus qui in persona Dei apparuerat. Dicitur autem recessisse; quia disparuit.

[℣. 14. *Ille verò erexit titulum lapideum*] qui esset partim monumentum divinarum promissionum quas eo loco acceperat; partim altare ad offerendum Deo decimas omnium quæ habebat, variaque sacrificia.

[*Libans super eum libamina*,] Hebr. libamen. q. d. sacrificium offerens de rebus liquidis, puta de vino, & [illegible].

[*Et effundens oleum:*] Sive altaris consecrationem, sive etiam ad sacrificium libaminis.

[℣. 16. *Venit verno tempore*] Multum hic variant Interpretes, dum alii de spatio terræ quod erat usque ad Euphratam, alii de qualitate temporis in quo ibi erat Jacob, interpretantur, propter diversam significationem vocis Hebraicæ. Quoniam verò illa deduci potest à litera Caph quod est circa, & Barach, quod est cibare, quasi dicas circa tempus quo agri cibum germinant; Hieronymus etymologiam secutus 4. Reg. 5. vocat electum terræ tempus, eò quòd illud tempus anni sit selectissimum; estque periphrasis verni temporis, quemadmodum etiam hic in qq. Hebraicis tradit: & propterea non est recedendum à præsenti nostra lectione, cui etiam conforme est quod infra cap. 48. legitur. Ideo autem hic tempus illud exprimitur, ut designetur causa ob quam Jacob non potuit Rachelem ducere in sepulchra patrum, hoc est, in Hebron, quia scilicet mortua est tempore verno quando corpora citò fœtent. Vide ad cap. 48. versum 7.

[℣. 18. *Vocavit nomen filii sui Benoni, id est, filius doloris mei:* Eò quòd in ejus partu dolorem ingentem pateretur.

[*Pater verò*] Uxore mortua,

[*Appellavit eum Benjamin, id est, filius dextræ.*] Seu fortitudinis; quia signum erat vigoris ac virtutis generativæ adhuc vigentis in Jacob.

Duplex hic allegoria notari potest. Una, qua per Benjamin significatur Christus in agro Bethleemitico pariter natus, qui matri suæ synagogæ fuit causa doloris, dum variis calamitatibus justè eam afflixit; patri autem cœlesti fuit filius fortitudinis, quia per eum debellavit idololatriam & peccatum potestatesque tartareas. Altera, qua per Benjamin figuratus intelligitur Paulus de tribu Benjamin, qui Ecclesiæ matri suæ fuit causa doloris, eam persequendo; & Patri filius dextræ ac fortitudinis, tum potenter ipsum convertendo, tum alios per eum fortiter ad fidem adducendo. Observandum quòd istæ expositiones, Benoni *id est, filius doloris mei;* & Benjamin, *id est filius dextræ*, non sunt in Hebræo;
Quæ hic interpres adjecerit. consulto tamen Hieronymus eas adjecit, ad excludendum errorem eorum qui perperam nomen Benjamin interpretantur tamquam filium dierum. Et similiter quòd Apoc. 9. legitur, *Latinè habens nomen exterminans*, non est in Græco, sed additum fuit ab interprete, sicut & in quibusdam aliis locis. Neque tamen idcirco interpres incurrit maledictionem comminatam Apoc. ult. ei qui ad scripturam aliquid apposuerit: quia nihil apposuit volens illud facere partem scripturæ, sed tantùm ut explicationem; Christus autem in Apocal. prohibet ad scripturam addi aliquid tamquam scripturam seu scripturæ partem, non verò ut explicationem.

[℣. 19. *Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via quæ ducit Ephratam*,] veniendo ex Jerusalem Metropoli istorum locorum.

[*Hæc est Bethlehem.*] Ab Jerosolyma distans sex milliaribus, ait Adrichomius post Severum Sulpitium, qui eam oram ipse invisit. Una igitur eademque est urbs quæ & Ephrata & Bethlehem vocabatur, Ephrata quidem, quod fertilem significat, propter loci circumjacentis fœcunditatem; Bethlehem verò, quod interpretatur domum panis, partim quia ibi erat frumenti ac per consequens panis abundantia, partim & præcipuè, quia ibi nasciturus erat qui dixit: *Ego sum panis vivus*, Joan. 6.

[℣. 20. *Erexitque Jacob titulum super sepulchrum ejus:*] Titulus ille fuit monimentum ex lapidibus in pyramidem consurgens, & cum sequitur.

[*Hic est titulus monumenti Rachel, usque in præsentem diem.*] Sunt verba Moysi qui sive per revelationem, sive aliter sciebat eum titulum adhuc perseverare quando scribebat.

[℣. 21. *Egressus inde*,] de loco ubi propter Rachelis sepulturam aliquot diebus manserat.

[*Fixit tabernaculum*] habebat quippe tentoria portatilia quæ possent ubi vellet, figi.

[*Trans turrim gregis.*] Duo sunt loca quæ nomen Turris gregis habent. Unum est Jerosolyma vel templum quod in ea erat, de quo loquitur Michæas cap. 4. *Et tu turris gregis nebulosa filia Sion.* Et de eo sermonem hic esse volunt Hebræi, id est, de loco ubi templum fuit postea ædificatum. Alter est apud Bethlehem, ubi Angeli nato Domino cantaverunt. *Gloria in altissimis Deo.* Et locum hunc in præsenti scriptura intelligi tradit Hieron. in qq. Hebr. eumque sequuntur Abulensis, Delrio, Marius, & alii communiter; quia locus qui vulgo Turris Ader seu Turris gregis dictus est, uno tantum milliario distabat à Bethleem; Bethleem verò distabat sex milliaribus à Jerusalem. Vocatus autem fuit præsens locus *turris gregis*; vel quòd ibi esset aliqua turris circa quam Jacob sua pecora pascebat: vel quia vaticinio quodam præfigurante Angelorum multitudinem illi mysterium nativitatis Dominicæ pastoribus nunciaturam esse, nomen illud imposuit. Quæ turris gregis.

[℣. 22. *Abiit Ruben, & dormivit cum Bala concubina patris sui:*] Hoc est, uxore secundaria quæ fuerat famula Rachelis.

[*Erant autem filii Jacob duodecim.*] Texit catalogum filiorum Jacob, ut ante mortem Isaac, discernat prosapiam Jacob à posteris Esau de quibus cap. seq.

[℣. 26. *Hi sunt filii Jacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ.*] Ita dicitur propter majorem numerum natorum in Mesopotamia; omnes enim ibi nati sunt, præter Benjamin qui in terra Chanaan fuit natus; frequens autem est id omnibus tribui, quod convenit omnibus alicujus multitudinis, uno vel paucis exceptis. Estque hæc expositio præferenda interpretationi eorum qui volunt etiam Benjamin in Mesopotamia esse natum, quia ibi sit conceptus. Cùm enim decem anni sint ex quo Jacob de Mesopotamia exivit, non potest subsistere quòd Benjamin fuerit in Mesopotamia conceptus.

[℣. 27. *Venit etiam ad Isaac patrem suum*] Jam primum à reditu ex Haran. Venit autem ut parenti decrepito reverentiam & obsequium exhiberet.

[*In Mambre, civitatem Arbee, hæc est Hebron:*] Conferantur quæ de ista civitate diximus cap. 23. & notetur quòd pro civitate Arbee; 70. reddiderunt civitatem campi, verisimiliter propter planitiem civitati Hebron quæ in monte sita erat, vicinam, secundùm ea quæ diximus c. 13.

[*In qua peregrinatus est Abraham & Isaac.*] Sine fixo domicilio.

[℣. 28. *Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum.*] Per prolepsim seu anticipationem id hoc loco dicitur: non enim mortuus est Isaac, quando Jacob ad eum venit ex Mesopotamia, sed annis tredecim post venditionem Joseph. Nam Jacob natus fuit anno patris sui Isaac, sexagesimo; ejusdem autem anno centesimo trigesimo septimo accepit ab eo benedictionem & fugit in Mesopotamiam, ubi mansit annis viginti hoc est, usque ad annum patris 157. atque ita Isaac adhuc vixit viginti sex annis post egressum Jacobi de Mesopotamia. Sed Joseph natus est sex annis ante illum egressum, ac proinde anno Isaac 151. Cùm igitur Joseph esset sexdecim ann. quando vendebatur, quemadmodum habetur ex cap. 37. consequens est Isaac tunc egisse ann. 167. ac proinde annos tredecim supervixisse post venditionem Joseph: vixit enim centum octoginta annis.

[℣. 29. *Consumptusque ætate*] Deficiente calore naturali, & humido radicali excrescente, mortuus est.

[*Et appositus est populo suo senex & plenus dierum:*] Confer quæ diximus c. 25. v. 28.

[ *Et sepelierant eum Esau & Jacob filii sui*. ] Cum esset ætatis 180. annorum: sepelierunt autem apud Rebeccam in spelunca duplici, de qua c.23. ut enim cap. 49. legitur: *Ibi sepultus est Isaac cum Rebecca conjuge sua*. Quando mortua fuerit Rebecca, non constat: Verisimile est obiisse postquam miserat Deboram revocare Jacobum ex Mesopotamia. Non meminit autem scriptura mortis ejus, quòd nihil singulare circa illam scribendum contigerit.

## CAPUT XXXVI.

*Separatur Esau à Jacob propter nimiam utriusque opulentiam. Posteritas Esau describitur, Ducesque ac Reges ex eo orti.*

[ ℣. 1. HÆ *sunt autem generationes Esau*, ] sive, hic est catalogus eorum quos Esau genuit. Qui propterea recensetur, ut ostendatur non irritam fuisse tum prædictionem cap. 25. expressam, *Duo populi ex ventre tuo dividentur*; tum patris benedictionem quæ habetur cap. 27. versus 39.

[ *Ipse est Edom*. ] Quasi diceret, ipse est qui alio nomine dictus est Edom, ob causam scilicet cap. 25. allatam. Ad conciliandam præsentem genealogiam cum ea quæ refertur 1. Paralip. 1. vers. 35. & deinceps; observare oportet frequens fuisse quòd plura essent unius ejusdemque sive viri sive mulieris nomina.

[ ℣. 2. *Esau accepit uxores de filiabus Chanaan: Ada filiam Elon Hethai*, ] Sintne hæ uxores Esau diversæ ab illis quæ supra cap. 26. vers. 34. & cap. 28. vers. 9. recensentur, non liquet. Verisimile est esse easdem; ita ut quæ hic vocatur Ada, sit ea quæ cap. 26. dicta est Basemath; utroque enim loco appellatur *filia Elon Hethai*. Quæ hic dicitur Oolibama, ibi dicta est Judith, cujus pater hic Ana vocatur, illic Beeri. Quæ autem hic nominatur Basemath, ea est quæ cap. 28. dicta est Maheleth: Utrobique enim vocatur filia Ismael, soror Nabajoth.

[ ℣. 6. *Tulit autem Esau uxores suas, & filios & filias, & substantiam, & pecora, & cuncta quæ habere poterat in terra Chanaan: & abiit in alteram regionem*, ] Nimirùm in terram Seir.

Quæritur autem, quo modo Esau venit post mortem patris sui Isaac ex Chanaan habitaturus in Seir, cùm diu ante patris obitum deseruisse Chanaan, & habitaret in Seir, ut ex cap. 33. constat. Resp. Esau post reditum fratris sui Jacob ad Isaac, rediisse ex Seir ad patrem in Hebron commorantem, ibique cum tota sua familia habitasse usquedum parentis funus curasset. Eo autem simul cum fratre, curato, animadvertens terram Hebroni vicinam non sufficere pro amplissima fratris & sua familia, recessit in Seir unde venerat, ibique denuò sedem fixit, Deo videlicet ita disponente, ut terra Chanaan Jacobo ejusque posteris cederet. Ita August. quæst. 119. in Genes.

[ *Recessitque à fratre suo Jacob*, ] non vi & armis coactus, sicut volunt Hebræi; sed omnino spontè, quemadmodum contextus significat.

[ ℣. 7. *Divites enim erant valdè*, ] Major illis gregum & familiæ copia, quàm ut pacificè loca Hebroni vicina possent ambo incolere. Imitatus est Esau consilium avi sui Abrahæ, de quo c. 13.

[ ℣. 8. *Habitavitque Esau in monte Seir, ipse* ] (Non mons, seu Esau)

[ *Est Edom*. ]

[ ℣. 9. *Hæ autem sunt generationes Esau*, ] Hoc est, filiorum ac nepotum ejus.

[ *Patris Edom*. ] Seu Idumæorum: Clarum enim est *Edom*, non esse hic nomen personæ sicut prius, sed gentis Idumeæ. Quemadmodum enim ab Israel cognominati sunt Israelitæ; ita ab Edom Idumæi: qui eo modo dicuntur Edom, quo Israelitæ dicuntur Israel, ea scilicet phrasi qua gentes & populi vocari solent nominibus suorum progenitorum, ut Moabitæ, Moab; Amalecitæ, Amalech; Madianitæ, Madian.

[ ℣. 15. *Hi duces filiorum Esau*: ] Hactenus recensuit Moyses posteros Esau nudè, sine ullo addito, Postea recenset duces ex Esau descendentes, deinde reges, denique iterum duces: ideoque nihil mirum si iidem iterato nominentur. Hujus autem variæ recensionis ratio est, quia Idumæi primò amplexi fuerunt regimen aristocraticum quod est per optimates vel principes seu duces: Secundò, Monarchicum quod est per reges: Tertiò, redierunt ad aristocraticum, juxta illud 1. Paralip. 1. *Adad mortuo duces pro regibus in Edom esse cœperunt*: qui Adad est ille qui hoc cap. ponitur ultimus regum Idumæorum, & nominatur Adar. Post istos ultimos duces, Idumæi rursum habuerunt reges, ut ex 4. Reg. 3. patet. Sive autem reges sive duces, omnes fuerunt electivi: non enim regni successores recensentur filii defunctorum, sed alii. Notandum porro eos qui duces vocantur, non fuisse totius populi Idumæorum duces, [illegible] tribus dumtaxat, cùm aliqui eorum eodem tempore duces extiterint.

Si quæras, quid Moysen movere potuerit ut Idumæorum patriarchas tam diligenter describeret. Resp. rationem unam esse, ut æternitati consecraret patres eorum qui permiserunt Israelitas de Ægypto exeuntes pacificè transire, ut Deut. 2. legitur. Secunda, ut Israelitæ & Idumæi se mutuò, tamquam fratres agnoscerent, sicque occasionem haberent se arctius diligendi. Tertia, ut videamus quàm fidelis sit Deus in promissis etiam erga ipsum Esau.

[ ℣. 20. *Isti sunt filii Seir Horræi, habitatores terræ*: ] Quasi diceret, qui modò veniunt memorandi, sunt filii Seir Horræi, qui etsi non sint de progenie Esau, sunt nihilominus hic recensendi, ut intelligatur quinam incoluerint terram Seir ante Idumæos, illi scilicet qui Horræi vocantur, & quos filii Esau leguntur Deut. 2. delevisse.

[ ℣. 24. *Iste est Ana* ] Diversus est iste ab Ana cujus mentio fit v. 2. nam quæ illo versu 2. nominatur, est mulier filia Sebeon Hevæi, de gente Chanaan; iste autem est vir filius Sebeon horræi, de illorum stirpe qui terram Seir habitabant, antequam filii Esau illuc venirent.

[ *Qui invenit aquas ralidas in solitudine*. ] Mira hic varietas eorum qui vulgatam nostram lectionem non retinent, dum pro aquis quidam mulos, alii asinos, onagros alii, alii gigantes vertunt, alius æquas. Sed quoniam vox *Jamim*, quæ in Hebræo legitur, sine dubio aquas significat, antiqua vulgataque lectio retinenda est: A qua non multum discrepant, qui vel Maria, vel congregationes aquarum reddunt. Neque refert quod Hebraizantes dicunt in Hebræo nunc non legi *Jamim*, quod aquas significat, sed Jemim: utrumque enim vocabulum ejusdem est significationis; & rectè ostendit Oleaster punctorum aut pronunciationis diversitatem non semper variare significationem.

At dices, si vox Hebræa aquas significat. Unde textus noster habet *aquas calidas*? Quidam opinantur interpretem addidisse calidas, eò quòd per traditionem acceperit illas aquas tales fuisse. Alii ex B. Hieron. in qq. Heb. ajunt vocem Hebræam lingua punica, quæ ex Hebræa descendit, significare aquas calidas. Scripturæ autem sensus est, Anam reperisse in deserto thermas seu balnea in quibus erant aquæ calidæ & medicinales: cujusmodi sunt Spadanæ vel Aquisgrenenses. Neque verò ex eo quod in textu sequitur, Quas aquas invenit Ana.

[ *Cum pasceret asinos Sebeon patris sui*. ] Concludi potest significari quòd Ana invenerit congressum asini & equæ ex quo muli procrearentur; cùm neque vox Hebræa id significet, neque oporteat ut quod sive casu sive de industria invenitur pascendo asinos, hoc ad asinos pertineat.

[ ℣. 30. *Isti duces Horræorum qui imperaverunt in terra Seir*. ] Prius quàm Esau illuc veniret & Horræos expelleret.

[ ℣. 31. *Reges autem qui regnaverunt in terra Edom, antequam haberent regem filii Israel*. ] Regem intellige propriè dictum, qualis fuit Saul & qui Saulem secuti sunt. Hanc proinde clausulam vel Moyses spiritu prophetico scripsit, vel alius sacer scriptor addidit post Mosen.

[ ℣. 33. *Et regnavit pro eo Jobab* ] Hunc Jobab esse sanctum Job qui vocatur exemplum patientiæ negant Hebræi, & cum eis B. Hieronymus in qq. Hebr. ad cap. 22. Genes. volentes sanctum Job descendere

ex

ex Nachor. At Chrysost. hom. 2. in Job, Augustinus l. 18. de civit. cap. 47. Theodoretus qu. 92. in Genes. aliique non pauci quos citant ac sequuntur Abulensis, Pererius, Marsilla, Marius, asserunt B. Job descendere ex Esau, esseque ipsius pronepotem, ac per consequens eumdem cum hoc Jobab, qui fuit filius Zaræ, Zara autem fuit filius Rahuelis, & Rahuel filius Esau. Quæ sententia confirmari potest partim ex eo quòd terra Hus quam & non aliam legitur Job inhabitasse, erat in Idumæa, juxta illud Thren. 4. *Gaude & lætare filia Edom quæ habitas in terra Hus*; partim quòd inter amicos Job reperiatur Eliphaz Themanites, atque adeò ex prosapia Esau: Nam Theman fuisse in Idumæa colligi potest ex præsentis cap. v. 11. 13. 34. fuit nempè civitas à Theman nepote Esau cognominata, ac fortè etiam ædificata.

Iste Jobab probabiliter est Job.

Neque his obstat quòd Job & Jobab diversimodè scribantur apud Hebræos: Superius namque ex Oleastro notavimus variam nominum scriptionem non semper arguere variam significationem, ideoque nec semper diversas personas. Adde fieri potuisse ut antiquum nomen Jobab postea brevioris simulque dulcioris soni grati, mutaretur in Job. Si dicas, hunc Jobab fuisse regem; id quod non apparet de beato Job: Resp. etiam sanctum Job fuisse regem. Si enim ejus amici reges fuerunt (quo modo vocantur Tob. 2.) prorsus credibile est ipsum quoque fuisse regem, cùm eum inter omnes orientales magnum fuisse, constet ex Job 2. cumque cap. 22. illi objiciatur, quòd in fortitudine brachii sui possederat terram & potentissimus obtinuerat eam. Ex his consequenter est dicendum beatum Job vixisse tempore Jacob, & aliquamdiu fuisse contemporaneum Moysi.

[ *De Bosra*. ] Non liquet utrùm hoc sit nomen matris Jobab, an verò nomen loci; quod posterius probabiliter suadet id quod statim similiter sequitur.

[ ℣. 34. *Regnavit pro eo Husam de terra Themanorum.*] Quodque ex Isai. 63. apparet in Idumæa fuisse urbem nomine Bosran. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?*

[ ℣. 37. *Regnavit pro eo Saul de fluvio Rohoboth.*] Istum Saulem diversum esse à Saule primo Israelitarum rege certum est; fuit enim de stirpe Esau, alter verò de Jacob per Benjamin. *Rohoboth* hic esse nomen civitatis, indicavimus cap. 10. v. 11. & liquere potest ex 1. Paral. 1. ubi sic legitur, *regnavit pro eo Saul de Rohoboth, quæ juxta amnem sita est*. Dicitur ergo hic Saul esse de fluvio Rohoboth, quia natus erat prope fluvium civitatis vocatæ Rohoboth; sive, in civitate quæ sic vocabatur, & sita erat juxta fluvium.

[ ℣. 40. *Hæc ergo nomina ducum Esau, in cognationibus, & locis, & vocabulis suis*: ] Quasi diceret. Hæc sunt nomina posterorum Esau qui fuerunt duces & capita cognationum habitantium in Seir, per loca sibi attributa in regionibus quas singuli ex nomine suo appellarunt.

## CAPUT XXXVII.

*Joseph suos fratres apud patrem accusans visaque somnia narrans, à fratribus odio habetur: Illi deinde volunt eum occidere, sed consilio Judæ vendunt eum Ismaelitis inscio Ruben. A patre autem lugetur, & Putiphari venditur in Ægypto.*

[ ℣. 1. HAbitavit autem Jacob ] Postquam Esau ab eo recessit, c. 36. v. 6.

[ *In terra Chanaan*, ] Nimirùm in Hebron, ut intelligi potest ex c. 35. v. 27. collato cum jam dicto versu 6.

[ ℣. 2. *Et hæ sunt generationes ejus*: ] Sive, hæc sunt quæ generationi seu filiis ejus, acciderunt. Generationes enim non accipiuntur hic vel pro generationum successione, vel pro personis genitis, sed pro rebus, & eventis quæ illis eveniunt, simili phrasi qua dies aliquando usurpatur pro eventu qui in die accidit, velut cum dicimus nescis quid superventura pariat dies: id est, quid accidet in die futura.

[ *Joseph cum sedecim esset annorum*, ] sive cum explevisset sedecim annos, Inchoaverat enim ann. septimum decimum; secundùm quod in Hebræo legitur: *Joseph filius septemdecim annorum erat*; quibus consentiunt 70. ubi observandum quòd Joseph ab anno ætatis 16. plurima adversa passus usque ad ann. 30. repræsentat Christum primo innumera patientem, & postea resurgentem, sicut Joseph anno 30. fuit è carcere liberatus & exaltatus.

[ *Et erat cum filiis Balæ & Zelphæ* ] apparet quòd Jacob gregem suum diviserat in duas partes, ita ut filii Liæ unam curarent; filii Balæ & Zelphæ, aliam: Et his adjunctus fuit Joseph, quod ipsi utpotè ancillarum filii, minus ægrè ferrent Josephum sibi præferri, (ut qui esset filius Rachelis, quæ & libera & uxor primaria fuerat:) quàm ferrent filii Liæ: cùm enim hi ex uxore etiam primaria, eaque seniore nati essent, quæ adhuc jam vivebat, Rachele paulò ante mortua, plus sibi deberi existimabant.

[ *Accusavitque fratres suos* ] vel fraternè prius admonitos, si spem habuit quòd sua monitio prodesset; vel certè nulla monitione prævia, quod facilè intelligeret eam nihil profuturam apud illos qui provectioris erant ætatis, nec ipsum qui adhuc puer erat, in honore vel æstimatione aliqua habebant, imò neque diligebant. Vide quæ diximus 2. 2. quæst. 33. art. 7. Hi fratres videntur fuisse filii Balæ & Zelphæ, eò quòd cum illis versaretur, sicque magis eorum mores nosset quam aliorum. 70. & post illos Chrysostomus, Theodoretus, & alii Græci habent, *accusaverunt*, ut sensus sit fratres Josephi ipsum apud patrem accusasse: Hebræa tamen constanter habent singulare, *accusavit*, quemadmodum & Symmachus, Theodotion, & Aquila; estque hæc lectio omnino retinenda, etsi non sint reprehendendi qui utramque sic conciliant, ut primò quidem: Joseph fratres suos accusaverit, postea ipsi Josephum sint recriminati: quo modo Christus scribas & Pharisæos primùm accusavit & quidem veraciter, quòd essent hypocritæ, avari, superbi, sepulchra dealbata; illi autem falsa criminati sunt de Christo quòd esset potator vini, seditiosus, blasphemus.

[ *Crimine pessimo*. ] Quodnam illud fuerit variant interpretes, sunt qui peccatum contra naturam fuisse velint: alii oblocutionem & murmurationem, qua indignati quòd Jacob plus Josephum amaret quàm cæteros, de utroque malè loquebantur; & exasperati, invidiam, iram & odium suum celare non poterant. Quod peccatum rectè vocatur crimen pessimum, atque ut in Hebræo est, infamia; quoniam turpe admodum & infame est, ita contra charitatem paternamque pietatem peccare. Expositionem hanc juvat quòd vox Hebræa oblocutionem & infamiam significat, ut Oleaster & Delrio tradunt.

Quale crimen fratrum Joseph.

[ ℣. 3. *Israel autem diligebat Joseph super omnes filios suos, eò quòd in senectute genuisset eum*: ] In Hebr. *quia filius senectutum, vel senectutis ipse ei*. Quod ita accipitur à quibusdam, quasi sensus sit Jacob dilexisse Josephum præ aliis, quia esset maturus & moribus senilibus. Communior tamen expositio est ea quam textus noster significat, quòd scilicet Jacob istum filium genuisset jam senex: quo modo infra cap. 44. dicitur de Benjamin *quòd in senectute patris natus est*. Etsi verò non dubium sit Jacob ita super alios dilexisse Josephum propter ejus candorem & innocentiam; verisimile tamen est quòd aliam jam dictam causam apud filios adferret tamquam minùs invidiosam.

[ *Fecitque ei tunicam polymitam*. ] Alii ex Hebræa significare videantur partem seu particulam. 70. legunt *tunicam variam*: Aquila, *talarem*; Symmachus, *manicatam*.

Quoniam verò vestis polymita dicitur quæ multis liciis seu filis contexta est, eaque fila multiplicia partes diversæ sunt; omnes istæ lectiones conciliari possunt dicendo, Jacob filio suo Josepho fecisse tunicam multorum filorum varietate distinctam, atque ut Vatablus explicat, figuratam & pictam, multorumque colorum; quæ & ad talos usque descenderet & manicas haberet.

Quæ vestis polymita.

Allegoricè hæc tunica nostri Joseph, id est, Christi humanitatem quæ instar vestis ejus divinitatem texit mortalibus, & propter multitudinem donorum

quibus ornata est, polymita vocari potest. Sicut autem fratres Joseph nudaverunt eum tunica polymita, prius quàm mitterent ipsum in cisternam, ac deinde illam agni sanguine tinctam patri obtulerunt spectandam: ita Judæi qui erant fratres Christi secundùm carnem, ipsum corpore humano spoliaverunt, dum occiderunt, sicque ab anima separaverunt: Nos autem illud proprio ejus sanguine tinctum Deo Patri offerimus in Missæ sacrificio.

Moraliter eadem tunica significat vitam insigni virtutum varietate contextam: quod autem dicitur talaris, ad perseverantiam pertinet, oportet enim in virtutibus usque ad finem perseverare. Et quòd alii manicatam legunt, significare potest extensionem ad bona opera.

[ ℣. 4. *Oderant eum*, ] Hinc collige ex invidia odium nasci, quemadmodum diximus 2. 2. q. 34. art. 6. & quæst. 36. art. 4. Causæ autem invidiæ fuerunt, tum amor quo pater ipsum præ aliis diligebat, tum tunica polymita frequenter oculis objecta, quibus dum accessit delatio criminis, invidia odium peperit quod narratione somniorum crevit. Unde sequitur.

[ ℣. 5. *Quæ causa majoris odii seminarium fuit*. ] Quasi diceret, ista relatio somnii fuit fomes & origo majoris in ipsum odii.

[ ℣. 6. *Audite somnium meum quod vidi:* ] Non fuisse istud somnium naturale, sed à Deo immissum, ac portendisse quid Josepho ejusque fratribus eventurum esset, ex eventu qui refertur c. 42. v. 9. & cap. 46. v. 26. doceri potest.

[ ℣. 7. *Putabam nos ligare manipulos in agro: & quasi consurgere manipulum meum,* ] postquam velut contemptibilis jacuerat in altum erigi,

[ *Et stare,* ] Erectum ac firmiter consistere.

[ *Vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum.* ] Quadam prostratione & incurvatione, in signum submissionis. Significabat hoc somnium ad literam, quòd Joseph erat aliquando exaltandus, quodque fratres ejus erant ipsum adoraturi. Ideo autem istius rei futuræ præmonstratio fit per repræsentationem manipulorum; partim quia ipsi erant agricolæ; partim quia illa adoratio futura tunc erat quando fratres causa rei frumentariæ descendissent in Ægyptum. Hanc tamen somnii significationem neque fratres intellexerunt quòd esset à Deo, neque Joseph illis aperuit.

Si quæras, quare non peccaverit referens illa quæ ad gloriam suam spectabant, præsertim cum videatur debuisse scire quòd hac occasione fratrum odium magis exardesceret.

Resp. rationem esse, quia sicut somnium fuerat ei divinitus immissum; ita divinitus fuit motus ad ejus relationem. Et cum esset simplex ac innocens nihilque conscius odii fratrum, non debuit cogitare illud odium ea occasione augendum.

Allegoricè per manipulum Joseph intelligi potest Christi Evangelium ab ipso seminatum, & ad messem usque perducendum; & per manipulos fratrum, sententiæ legis & Prophetarum quas dum Judæi legunt & simul conferunt, quasi manipulos colligunt & ligant; adorant autem manipulum Joseph, dum Evangelio testimoniorum obsequia deferunt, debitumque adorationis famulatum.

[ ℣. 8. *Responderunt fratres ejus:* ] Quasi præsagientes somnii significationem, quia tamen illius eventum existimabant impossibilem, ipsum velut frivolum & inane rejecerunt, nec sine magna indignatione.

[ ℣. 9. *Aliud quoque vidit somnium*, ] similiter à Deo immissum: quod ad eamdem rem significandam tendebat, quodque propter repetitam ejusdem arcani significationem, ad confirmationem præcedentis valebat; ita ut quod Joseph dixit Pharaoni cap. 41. *Quod autem vidisti secundò ad eamdem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est*, etiam hic dici possit.

[ *Vidi per somnium, quasi solem, & lunam, & stellas undecim adorare me.* ] Quod quomodo fieri potuerit, quæritur. Sed dicendum in somnio apparuisse quòd illa astra incurvarentur seu signum aliquod reverentiæ & submissionis Josepho exhiberent. Per solem designabatur pater; per lunam, mater; per stellas undecim, undecim fratres: unde fit consequens natum tunc fuisse Benjamin, & Rachelem quæ in ejus partu obiit, fuisse mortuam: Alioquin decem tantùm stellæ fuerant ostendendæ. Convenienter autem hi omnes per astra designantur; quoniam & Abrahæ sup. cap. 15. & Isaac cap. 26. Deus promiserat multiplicare semen eorum sicut stellas cœli.

Alterius somnii explicatio.

[ ℣. 10. *Increpavit eum pater suus*, ] Non quòd filio indignaretur aut ejus dicta vili penderet; sed ut hoc pacto fratrum invidiam & indignationem mitigaret. Quòd enim Jacob istis somniis divinum aliquid subesse putaret, ex versu 11. potest intelligi.

[ *Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?* ] Rectè Jacob pro leniendo fratrum livore refutat somnia. Sensus enim est: non vides quàm vana sint tua somnia? Quis credat me qui pater tuus sum & qui per solem designor, & matrem tuam per lunam utique significatam, & quæ jam ante mortua est ac sepulta, te super terram adoraturos.

At dices, quo modo igitur vera significarunt ista somnia? Duæ sunt Responsiones. Una, quòd non significaverint omnes illos actu Josephum adoraturos, sed quòd Joseph ad tantam dignitatem esset evehendus, ut ejus dignitatis ratione deberetur ei civilis adoratio, etiam à patre, matre, & fratribus; imò & de facto ab illis exhiberetur si occasio ferret & mater adhuc viveret. Altera, quòd omnes in somnio designati revera Josephum adoraverint seu honorem ac reverentiam ei exhibuerint. De fratribus clarum est ex cap. 42. seq. ubi textus dicit, *Cumque adorassent eum fratres sui*; & ex cap. 43. quando simul cum Benjamin adoraverunt proni in terram, ut & cap. 44. quando omnes pariter ante Joseph in terram corruerunt. De patre & matre major est difficultas. Credibile tamen est quamvis scriptura Genesis non exprimat, quòd etiam Jacob filio suo Joseph honorem præstiterit, maximè in præsentia Ægyptiorum, qui sciebant eum à Rege 2. esse constitutum: neque enim novum aut insolens est, quòd pater filium in dignitate majori constitutum honoret. Adde Jacob detulisse Josepho honorem, eo ipso quo ei tamquam magno domino munera misit per filios cap. 43. Apertissimè verò prædictionem hanc implevit quando adoravit fastigium virgæ Joseph, ad Hebr. 11. juxta interpretationem Chrysostomi homil. 66. in Genes. & Theodoreti qu. 108. Etsi porro Rachel quæ vera Josephi mater fuit, non esset hoc tempore superstes, ejus tamen ancilla nimirùm Bala adhuc vivebat, & verisimile est quòd matris officio fungeretur, tum in familia Jacob, tum præcipuè erga Joseph quem puerulum nutriverat. Ideo per lunam intelligi potest designata fuisse Bala seu ea mulier quæ in domo Jacob erat instar lunæ & tamquam mater. Hanc verò Josephum in Ægypto exaltatum honorasse omnino est existimandum; sive quando Jacob nomine totius familiæ misit ei munera; sive etiam post descensum in Ægyptum.

Quo modo pater & mater Josephi eum adorarunt.

Observandum hic superest quòd sicut prima vice qua filii Jacob iverunt in Ægyptum, Pater non curavit ferri munera Josepho sed tantùm secunda, in priore somnio nihil dicitur de patre Josephum adoraturo, sed solùm in secundo.

[ ℣. 11. *Invidebant ei igitur fratres sui: pater verò rem tacitus considerabat*. ] Suspicabatur scilicet somnia fuisse à Deo immissa, & quid significarent ruminabat, eventumque expectabat.

[ ℣. 12. *Cumque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem*, ] ubi antea stragem magnam & crudelem fecerant, de qua cap. 34. Si quæras, quo modo illic morari auderent. Resp. id factum esse ex voluntate patris, firmiter in Deo confidentis quòd animos Sichimitarum contineret, vel immutaret ne quidquam nocumenti tentarent inferre aut filiis aut gregibus. Interim verò Jacob apud se domi retinet Josephum, ut in ejus absentia, fratrum invidia paulatim extingueretur. Cùm autem putavit extinctam: tunc:

[ ℣. 13. *Dixit ad eum Israel: fratres tui pascunt oves in Sichimis:* ] Hinc liquet Jacob non ignorasse quo

in

in loco filii ſui paſcerent greges, etſi quibuſdam aliter viſum fuerit.

[ ℣. 14. *Miſſus de valle Hebron*, ] ſicut Abram & Iſaac habitaverunt in Hebron; ita & Jacob, qui Joſephum inde miſit ad reliquos ſuos filios, per eum ſcire cupiens quo modo circa ipſos & circa greges ageretur. Joſephi hæc miſſio ad fratres, figura eſt miſſionis qua Pater æternus filium ſuum miſit viſitare plebem ſuam; quemadmodum & ejuſdem Joſephi denudatio ac venditio ſymbolum fuit Chriſti veſtibus nudati & venditi.

[ ℣. 15. *Inveniique eum vir errantem in agro*, ]Hoc eſt, oberrantem, & quaſi huc illuc vagantem, ſi fortè fratres quos in Sichem non invenerat, alibi inveniret.

[ ℣. 17. *Et Invenit eos in Dothain*, ] Qui teſte B. Hieronymo in locis Hebr. eſt locus duodecimo milliario diſtans à Sebaſte ſeu Samaria, & non multum diſſitus à Sichem, juxta Dionyſ. Chartuſianum, Abulenſem & alios, Quamvis non deſint aliter ſentientes.

[ ℣. 19. *Ecce ſomniator venit*: ] Ex Hebræo verti poteſt, rex *aut dominus ſomniorum*, hoc eſt peritus ſomniare aut ſomnia fingere. Hic eſt fructus odii & invidiæ, quòd dedignantur Joſephum aut fratris aut proprio nomine appellare.

[ ℣.20. *Venite, occidamus eum, & mittamus in ciſternam veterem*: ]Heb. in unam ciſternarum, quæ nimirùm confracta eſt, nullique amplius ſervit uſui, cujuſmodi eſſe ſolent veteres ciſternæ.

[ *Et tunc apparebit quid illi proſint ſomnia ſua*. ]Quando nihil eveniet eorum quæ ſomniavit. Hæc eſt figura eorum qui Sap. 2. leguntur de Chriſto dicere. *Circumveniamus eum &c. morte turpiſſima condemnemus eum*: ac Matth. 21. *Hic eſt hæres, venite occidamus eum*; ac tandem clamaſſe ut crucifigeretur, Matth. 27.

[ ℣. 21. *Audiens autem hoc Ruben nitebatur liberare eum de manibus eorum*, ] In Hebr. legitur, *eripuit*, quia de facto ipſum liberavit à morte jam parata & inſtante. Quia tamen Ruben cogitabat Joſephum penitus liberare eumque patri ſalvum reddere: ideo noſter interpres rectè dixit, nitebatur liberare eum.

[ ℣. 22. *Non interficiatis animam ejus*, ]ſeu ipſum: Non enim ſignificatur quòd anima humana ſit mortalis, quemadmodum ſignificari voluerunt Sadducæi; ſed vel ſynecdochicè pars ponitur pro toto, ut cap. 46. & alibi frequenter; vel ut aliis placet, metonymicè, cauſa pro effectu, anima pro vita.

[ ℣. 23. *Confeſtim igitur ut provenit* ]( Joſeph)

[ *Ad fratres ſuos, nudaverunt eum tunica talari & polymita*: ]Quidam exiſtimant duas tunicas hic deſignari, unam talarem, aliam polymitam. Sed ex dictis v. 3. meritò videri poteſt unam eamdemque fuiſſe, & talarem, & polymitam. In Hebræo quoque hic ſolùm eſt tunica particularum ſicut illo verſu 3. Quid Joſeph inter hæc fecerit aut dixerit, ex cap. 42. licet colligere, ubi ſermo eſt de anguſtia animæ ipſius, diciturque quòd fratres deprecaretur.

[ ℣. 24. *Miſeruntque eum in ciſternam veterem, quæ non habebat aquam*. ]ſeu ut in Hebr. eſt *vacuam*, nolentes videlicet eum ſuis manibus occidere.

[ ℣. 25. *Et ſedentes ut comederent panem*, ]nomine panis omne genus cibi intelligitur, ſicut 4. Reg. 6. ubi cum dictum eſſet pone panem & aquam, coram eis, appoſita eſt ciborum magna præparatio.

[ *Viderunt Iſmaelitas viatores venire de Galaad*, ] Hoc eſt, de regione quæ dicta eſt Galaad, à monte in quo Jacob & Laban tumulum lapidum erexant, cap. 31.

[ *Et camelos eorum, portantes aromata, & reſinam, & ſtacten, in Ægyptum*. ] Aromata erant quædam odoramenta ſeu condimenta odorifera ex variis ſpeciebus redolentibus confecta. Reſina eſt ſuccus ex quibuſdam arboribus aut fruticibus defluens, veluti ex ferula, terebintho, aut ſimilibus. Reſinæ copiam eſſe in Galaad eamque valere ad vulnera ſtringenda & curanda, liquet ex ſcriptura. Dicitur enim Jerem. 8. *Numquid reſina non eſt Galaad, aut medicus non eſt ibi? quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?* Et cap. 46. *Aſcende in Galaad, & tolle reſinam virgo filia Ægypti*. Stacte eſt lacbryma ſeu ſuccus myrrhæ qui vocatur & myrrha. Vide cap. 30. Exod.



[ ℣. 26. *Dixit ergo Judas fratribus ſuis: Quid nobis prodeſt, ſi occiderimus fratrem noſtrum, & celaverimus ſanguinem ipſius?* ]Hoc eſt, & apud patrem id egeſimus, ut non habeamur authores necis ejus, Volebat Judas Joſephum ab interitu eripere, verebatur autem ne ſi in ciſterna relinqueretur, aut fame periret, aut ab aliis fratribus necaretur: Ideo aliud init conſilium.

[ ℣. 27. *Melius eſt ut venumdetur Iſmaelitis*, ] minus malum ſuadet, videns ſe totalem liberationem impetrare non poſſe. Hic Judas author fuit ut Joſeph venderetur; Judas autem Iſcariotes Chriſtum per Joſeph figuratum vendidit: ſed iſte peſſima intentione, ille bona. Hujus venditionis allegoriam vide apud Proſperum p. 1. de prædictio. cap. 26.

[ *Et manus noſtra non polluantur*: ] ipſum occidendo: quod in Hebr. ſic legitur, *& manus noſtra non ſit in eum*: q. d. & nos non ei manus inferamus; ſive, non eum occidamus: ſicut illa phraſis accipitur 1. Reg. 18. *Non ſit manus mea in eum, ſed ſit ſuper eum manus Philiſthinorum*, id eſt, non occidatur à me, ſed à Philiſtæis: Aliàs autem eadem phraſis generaliter ſignificat affligere, ut Exod. 9. *Manus mea erit ſuper agros tuos*.

[ *Frater enim & caro noſtra eſt*. ]Cùm ſimus ex eadem carne procreati.

[ *Acquieverunt fratres ſermonibus illius*: ]De octo fratribus qui venditioni per Judam ſuaſæ conſenſerunt, ſermo eſt. Nam ex duodenario numero fratrum quatuor deficiebant, in acquieſcendo Judæ, ipſe nimirùm Joſeph contra quem agebatur, Benjamin adhuc parvulus, Ruben qui demum ſupervenit, cum Joſeph jam eſſet venditus & Judas qui fratres induxerat ad conſentiendum venditioni.

[ ℣. 28. *Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus &c. vendiderunt eum Iſmaelitis*, ]Madianitæ ſimul cum Iſmaelitis in eodem comitatu erant, ſimulque Joſephum emerunt: & hinc eſt quòd Moyſes modò nominat Iſmaelitas, modò Madianitas. Frequens quippe eſt ut diverſæ gentis homines ſimul proficiſcantur ad nundinas; velut Flandri cum Brabantis, Hannones cum Artheſienſibus.

[ *Viginti argenteis*: ] Seu ſiclis: vel, ut nos loquimur, viginti florenis. Quidam veteres olim legerunt triginta; partim minùs proba nacti exemplaria, partim moti convenientia ſummæ qua Chriſtus fuit venditus: ſed Hebræa, Chaldæa, & Græca uniformiter habent viginti; in Græcis tamen hoc mendum eſſe videtur quòd aureos legunt pro argenteis, contra fidem textus Hebræi. Neque viliore metallo Dominus venundari debuit, quàm Joſeph, ait B. Hieronymus. Cui addere poſſumus non decuiſſe tanti ſervum vendi quanti Dominum; Dominus autem Matth. 26. triginta argenteis venditus ſcribitur.

Obſervandum divinæ ſapientiæ myſterium quo modo comprehendit Deus ſapientes in aſtutia eorum 1. ad Corinth. 3. fratres Joſeph eum vendunt ne ipſum adorare debeant, & hac ipſa venditione Deus uſus eſt ut Joſeph ad illam dignitatem perveniret in qua fratres eum poſtea adoraverunt. Et ſimiliter Judæi voluerunt Chriſti gloriam extinguere, ipſum vendendo & ad mortem poſcendo: ſed illa ſua morte meruit exaltari, & ab omnibus adorari, ad Philipp. 2.

[ *Reverſuſque Ruben ad ciſternam*, ]Paſcua quæſiturus abierat longiuſque à fratribus receſſerat, & ſic ignarus venditionis in abſentia ſua factæ, ad ciſternam redit, cupiens Joſephum è mortis periculo quod adhuc à fratribus ei timebat, liberare.

[ ℣. 30. *Sciſſis veſtibus*) præ triſtitia. Eſt hic quædam figura Caiphæ, de quo Matth. 26.

[ *Puer non comparet, & ego quò ibo?* ] Eum requiſiturus? quid ſum facturus? quomodo coram patre comparere audebo ego qui ſum primogenitus? Poſtquam verò ex fratrum narratione audivit Joſeph eſſe vivum venditum, aliquouſque placatus, aliis conſenſit in patris deceptionem.

[ ℣. 31. *Et in ſanguine hœdi*, ] Heb. additur nomen matris, hirci capræ ſeu caprarum.

[ ℣. 32. *Mittentes qui ferrent ad patrem*, ] Tunicam Joſeph hœdi ſanguine tinctam, non tulerunt ejus fratres ipſimet ad Jacob, ne primam ipſius triſtitiam præſentes aſpicerent, & ſceleris conſcientia ipſos urgente, ferre illam non poſſent, quin ſe proderent: ſed per alios venditionis ignaros eam mittunt, poſtea quaſi nihil ſcientes ſuperventuri ad patrem conſolandum.

[ *Vide utrùm tunica filii tui ſit, an non*. ] Miſericordiam à Deo patre impetraturi, meritò poſſumus filii ſui paſſionem ipſi repræſentare; & de humanitate, qua divinitas tegebatur, ſanguine proprio cruentata dicere: Vide utrùm non ſit hæc tunica filii tui. Vide quid pro nobis paſſus eſt, & ejus intuitu miſerere.

[ ℣. 33. *Ait, Tunica filii mei eſt, fera peſſima comedit eum*, ] Ita Jacob exiſtimabat, partim ex relatione nunciorum quos verſum 20. conſideranti videri poteſt veriſimile fuiſſe inſtructos, ut dicerent eſſe tunicam alicujus à fera devorati; partim quia tam immane ſcelus non ſubibat animum paternum; partim quia conſtat Palæſtinam abundare leonibus, urſis, & aliis feris carnivoris, ex 1. Reg. 17. 4. Reg. 2. Eccleſiaſtici 47. Unde illud 2. Reg. 8. *quos ſaltus conſumpſerat*, quidam ita interpretentur, quos feræ ſaltus devoraverant,

[ ℣. 34. *Sciſſiſque veſtibus*, ] erat olim ſciſſio veſtium ſignum mœroris, & ſignificabat cor dolore ſciſſum.

[ *Indutus eſt cilicio*, ] prima hic eſt mentio cilicii, primuſque Jacob in luctu legitur indutus cilicio, quod Hebraicè ſak vocatur, voce omnibus linguis recepta, ad ſignificandam veſtem horridam & duram.

[ *Lugens filium ſuum multo tempore*. ] Annis ſcilicet 23. donec nunciatum illi fuit quòd Joſeph in Ægypto viveret, infra cap. 45.

[ ℣. 35. *Noluit conſolationem accipere*, ] nimirùm à ſuis filiis, tum præ doloris magnitudine, tum quòd ſuſpicaretur aliquid criminis ex parte ipſorum interceſſiſſe. Cùm enim tunica non eſſet lacera, ſicut fuiſſet ſi fera Joſephum devoraſſet; cumque non ignoraret fratrum in Joſeph odium & invidiam: veriſimile eſt quòd re attentius conſiderata, in aliquam de filiis ſuſpicionem venerit, neſciens tamen quid reſolveret.

[ *Sed ait: deſcendam ad filium meum lugens in infernum*. ] Nomine inferni non poteſt hic ſepulchrum accipi, ut quidam vertunt; quia Jacob exiſtimabat filium ſuum Joſeph caruiſſe ſepulchro, utpotè à fera devoratum, & ſic non poterat deſcendere ad eum in ſepulchrum; ſed intelligitur id quod ipſum inferni vocabulum ſignificat, locus ſubterraneus: non ille qui vocatur infernus damnatorum, cum Jacob nullam haberet cauſam exiſtimandi vel Joſeph, cujus innocentiam habebat perſpectam, eſſe damnatum; vel ſecum illo damnandum: verùm is qui dicitur limbus Patrum, in quo prius quàm Chriſtus cœlum aperiret, animæ ſanctorum quieſcebant. Et verborum Jacob ſenſus eſt, quòd nullam ſit conſolationem accepturus, donec ſit apud filium ſuum in cœtu juſtorum qui in limbo quieſcebant. Ex his intelligi poteſt Jacobum cognoviſſe animæ immortalitatem, ac inſuper animas piorum tunc ad limbum deſcendere: quòd autem etiam cognoverit illas per Chriſtum liberandas, ex ejus verbis cap. 49. liquet, *Salutare tuum expectabo Domine*.

*Per infernū non intelligitur ſepulchrum.*

[ ℣. 36. *Madianitæ vendiderunt Joſeph in Ægypto Putiphari eunucho Pharaonis*, ] Eunuchus non hic intelligitur qui eſt exſectus vel ad matrimonii uſum impotens, ſed primarius quidam Regis miniſter. Quoniam enim veris Eunuchis ſive qui de matris utero ſic nati ſunt, ſive qui facti ſunt ab hominibus, olim committebatur Reginæ puellarumque regiarum, & Regii cubilis cuſtodia; factum poſtea eſt, ut omne cubiculi Regii cuſtodes ac primarii aulici qui regi erant propinquiores, vocarentur Eunuchi, etiamſi neque exſecti forent neque ad rem matrimonialem inepti, ut 4. Reg. 8. & 9. & alibi.

*Qui dicebantur Eunuchi.*

[ *Magiſtro militum*. ] Quidam vertunt, magiſtro ſeu principi coquorum: alii laniorum, plus æquo reſtringentes vocem Hebræam quæ formatur à verbo quod in genere ſignificat mactare & trucidare, unde verti poſſet, principi occidentium. Et quia ſermo hic non eſt de occiſione pecorum, ſed hominum, & quidem ea quæ in bello fit: ideo noſter interpres optimè vertit magiſtrum militum, erat quippe Putiphar princeps militiæ, & regiæ cuſtodiæ præfectus, ſicut Nabuzardan 4. Reg. ult. In eo quòd Putiphar Eunuchus (ſaltem cognomento) Joſephum emit, myſticè quidam intelligunt ſignificari caſtos qui Chriſtum ſuſcipiunt.

## CAPUT XXXVIII.

*Judas Chananæam accipit uxorem, ex qua tres filios ſuſcipit. Duo primi Thamar ſucceſſivè traditi, propter peccata interficiuntur à Deo. Deinde Judas nurum ſuam ignoranter cognoſcit, ex quo concubitu Phares & Zaram gignuntur.*

[ ℣. 1. E*Odem tempore* ] quo Joſeph fuit venditus, ſtatimque poſt ejus venditionem. Cùm ergo Joſeph ageret annum ætatis decimum ſeptimum quando vendebatur, & Judas ipſo ſenior eſſet annis tribus, conſequens eſt Judam iniiſſe matrimonium, quando agebat vel recens expleverat annum vigeſimum.

[ *Deſcendens Judas à fratribus ſuis*, ] vel quia improperabant ei quod eſſet cauſa venditionis Joſeph; vel quia majorem paſcuorum commoditatem volebat quærere. Utitur ſacer ſcriptor verbo deſcendendi, quia Dothain erat altior quàm Odollam quò ibat Judas.

Quare Moyſes tribus Judæ originem potius quàm reliquarum hic deſcribat, una ratio eſt quia Chriſtus ex ea erat naſciturus, ſicque voluit ejus genealogiam continuare, propter Chriſtum. Altera, ut Dei bonitatem commendaret, qui non obſtante fœda hujus tribus origine, eam ita honoravit & magnificavit ut præter reges multos ex illa genitos, ipſe rex regum Chriſtus ex eadem naſceretur. Ex his autem diſcere debent Judæi non ſuperbire neque Gentiles contemnere, cùm nobilior eorum tribus ex muliere Gentili deſcendat, eaque inceſtuoſa.

[ *Divertit ad virum Odollamitem, nomine Hiram*. ] Qui poſtea deſcribitur fuiſſe opilio.

[ ℣. 2. *Viditque ibi filiam hominis Chananæi*, ] vox Hebræa Chanaan, quandoque ſumitur appellativè, & ſignificat mercatorem, ut Prov. 31. *Cingulum tradidit Chananæo*. At hic eſt nomen gentis quæ plurimùm fuit inviſa patribus Judæorum, Abrahæ ſupra cap. 24. & Iſaac cap. 28. Videtur namque Moyſes hic notaſſe Judam tamquam reprehenſione dignum, quòd præter morem patrum ſuorum duxerit Chananæam, & quidem concupiſcentia ſtimulante ut intelligi poteſt ex eo quòd ſtatim ut vidit, illam concupivit. Et quamvis videri poſſit difficile fuiſſe ut omnes filii Jacob acciperent uxores ex familia parentum qui Meſopotamiam incolebant, erant tamen præter Chananæas aliæ ex poſteritate Abrahæ, veluti ex Iſmaelitis, Idumæis, & quæ ex Cetura deſcendebant.

[ *Vocabulo Sue*: ] Nomen hoc refertur ad iſtud, *hominis Chananæi*, non *ad filiam*: non enim illa filia vocabatur Sue, ſed erat filia Sue, ut ex verſ. 12. conſtat, ubi hæc filia quam poſtea Judas accepit in uxorem, expreſſis verbis appellatur filia Sue, ſicut & 1. Paralip. 2. Sue ergo eſt nomen ſoceri Judæ: Unde & in Heb. additur pronomen maſculinum.

Obſervant quidam quòd Allegoricè Chriſtus verus Judas deſcendit ad Jordanem ut baptizaretur à Joanne, & accepit uxorem filiam Chananæi, id eſt, Synagogam filiam diaboli.

[ *Et accepta uxore*, ] iſtam vocem, *uxore*, interpres addidit explicationis gratia; non enim in Heb. exprimitur.

[ *Ingreſſus eſt ad eam*. ] Ita honeſtè actus conjugalis deſcribitur.

[ *Quæ concepit & peperit filium & vocavit* ] ( ſcilicet Judas, )

*No-*

[ *Nomen ejus Her.* ] Primum hoc verbum *vocavit*, quo significatur nominis impositio, est Hebræis masculinum, secundum, sicut & tertium *appellavit*, est fœmininum: unde fit consequens patrem imposuisse nomen primo filio, matrem verò secundo & tertio. Erat ergo olim quemadmodum & nunc promiscui juris, imponere nomen liberis, etsi penes patrem manere jus mutandi, ut colligi potest tum ex cap. 35. de Benjamin tum ex Luc. 1. de Joanne.

[ ℣. 5. *Parere ultra cessavit*. ] Vocabulum Hebræum quod hic est Chezib 70. & recentiores quidam accipiunt tamquam proprium nomen loci in quo uxor Judæ filios suo peperit. At melius noster interpres accepit pro appellativo, quod significat mentiri, deficere, & cessare, juxta phrasim scripturæ qua mentiri & deficere dicitur quidquid non respondet spei vel expectationi quæ de ipso est. Sic Isai. 58. ubi nos habemus (sicut & 70.) *cujus non deficient aquæ*, in Hebr. est, cujus non mentientur aquæ: ubi aquas mentiri, idem est quod eas deficere & non amplius fluere. Et Habacuc 3. *Mentietur opus olivæ*, id est, olea non feret fructum, scilicet olivam quam frondendo videbatur promittere, & sic quasi mentietur, quia herum suum fallet. Aquila hic vertit, & factum est ut mentiretur in partu: Pro quo dici etiam posset; & fuit in defectu, scilicet pariendi. Noster ergo interpres elegantissimè sensum reddidit dicens, *cessavit parere*. Confirmatur, hæc clausula videtur adjecta fuisse ad indicanda rationem quare Judas tam diu distulerit filium suum Sela dare Thamar in matrimonium, quia nimirum timebat ne & ipse moreretur sicque sine liberis remaneret, uxore sua deinceps non amplius pariente. An verò ipsa peperisset in Chesib, an alibi, impertinens erat rei de qua agitur.

Quid aliquando significet mentiri.

[ ℣. 6. *Dedit autem Judas uxorem primogenito suo Her, nomine Thamar*. ] Chananæam. Contigit hoc matrimonium circa ann. 17. Her, quinque videlicet aut sex annis prius quàm omnes abirent in Ægyptum.

[ ℣. 7. *Fuit quoque Her primogenitus Juda, nequam in conspectu Domini:* ] Id est, verus & magnus nequam. Communis sententia habet idem fuisse peccatum hujus quod postea fratris ejus Onan, innaturalem scilicet immunditiam, qua in actu matrimonii se retrahebat, sicque semine extra vas debitum fuso generationem impediebat: quod tamen non animo invido faciebat, sicut Onan, sed ne uxoris pulchritudinem læderet, si ipsa conciperet & pareret. Non debet reprehendi Augustinus quòd dicat Her crudelitate peccasse: quamvis enim ejus peccatum esset mollities; quia tamen impediebat conceptionem hominis, quæ alioquin nata erat sequi; meritò vocari potest crudelitas.

[ *Et ab eo occisus est*. ] Morte insolita, tali tamen qua hominibus notum fieret ipsum propter aliquod atrox facinus puniri.

[ ℣. 8. *Ingredere ad uxorem fratris tui*, ] quod postmodum fuit lege Deut. 25. sancitum, ut frater duceret relictam fratris sine liberis mortui, diu ante legem in usu fuisse hinc patet. Cujus ratio fuit, ne familia defuncti intercideret tunc quando familiarum multiplicandarum maxima ratio erat habenda.

[ *Ut suscites semen fratri tuo*. ] Gignendo filium ex ejus vidua, qui fratri tuo mortuo ascribatur, & ejus sit filius secundùm legem seu consuetudinem inter nos servari solitam.

[ ℣. 9. *Ille sciens non sibi nasci filios*, ] hoc est, quòd filii si aliquos generaret, non reputarentur nec dicerentur sui, sed fratris defuncti; Primogenitus enim fratri defuncto accensebatur, non autem ei qui erat parens naturalis: De cæteris qui post primogenitum nascerentur, probabile est quòd ipsi gignenti nascerentur, vocarenturque ejus filii, ut propterea per enallagen numeri, plurale pro singulari sit positum. Unde 70. sic habent, *Cognoscens Onan quia sibi non erit semen*.

[ *Introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur*. ] 70. Rursum habent, ne daret semen seu filium fratri suo. Uterque ergo hic frater contra naturam peccavit, sed Onan superaddidit invidiam; qui ne fratri luceret, sibi ipsi lucernam extinxit.

[ ℣. 10. *Et idcircò percussit eum Dominus*, ] Aliqua insigni plaga & morte insolita. Meminerint pastores & concionatores supplicia istorum fratrum proponere; ita tamen ut scelera ipsa non explicent pro concione, tum ne pudicas aures offendant, tum ne infirmi discant mala quæ nesciunt: sed generalibus verbis moneant, non quidlibet licitum esse conjugibus, & gravissimè inter ipsos peccari. Unde percussionis causa statim ita redditur,

[ *Quod rem detestabilem faceret*. ] Quando autem & quo modo ab illis peccetur, à doctis confessariis inquirant qui dubitant.

[ ℣. 11. *Esto vidua in domo patris tui, donec crescat Sela filius meus:* ] Olim consuetudo fuisse videtur, ut quæ in una familia nupserat, ei maneret addicta, & familia ipsi, quamdiu superesset consanguineus, ex quo suscitari posset semen fratri sine liberis defuncto. Et juxta hanc consuetudinem Thamar non poterat matrimonio jungi extra familiam Judæ, nisi de ipsius consensu; ideoque illam monet expectare donec suus filius tertius adolevetit, verisimiliter sperans quòd interim illa moræ pertæsa peteret licentiam alteri nubendi: Nam quòd ista verba, *donec crescat Sela*, non dixerit Judas ex animo eum tradendi nurui suæ Thamar, probat quod sequitur,

[ *Timebat enim ne & ipse moreretur sicut fratres ejus*. ] Si videlicet eum daret maritum Thamar. In Heb. & apud 70. legitur, *Dixit enim* (subaudi, non dabo filium meum tertium Thamar in matrimonium) *ne forte moriatur & hic sicut fratres ejus*.

[ ℣. 12. *Evolutis autem multis* ] non annis, quidam mendosè legunt, sed

[ *Diebus*, ] Ut Hebræa, Græca, & Latina meliora habent, fermè scilicet biennio post mortem Onan.

[ *Mortua est filia Sue uxor Judæ;* ] Ita restitutum est conformiter textui Hebræo, pro eò quod quidam libri habebant, mortua est Sau uxor Judæ.

[ *Qui post luctum consolatione suscepta*. ] hoc est, finito luctu solemni, & resumptis vestibus solitis:

[ *Ascendebat ad tonsores ovium suarum*, ] Hinc patet tondendi oves saltem in oriente, licèt aliqui velint vulsionem lanæ fuisse antiquiorem, fortè apud Latinos quibus vellus à vellendo dicitur. Et cum non alia videatur causa eundi ad tonsores, quàm recreationis & convivii; hinc quoque colligitur antiquum esse mos convivii celebrandi quando tondentur oves, de quo & videre est 1. Reg. 25. & 2. Reg. 13.

[ *Et Hiras* ] idem ille de quo v. 1.

[ *Opilio gregis*, ] 70. Dicunt, pastor ejus. Quibus non contradicunt Hebræa quæ habent, *socius* vel amicus ejus, eò quòd verbum (teste B. Hieronymo in qq. Heb.) sit ambiguum, & iisdem litteris scribatur; Idemque potuerit esse amicus re, & pastor officio.

[ *In Thamnas*. ] Iste est locus tonsionis ovium Judæ, quem S. Hieronymus in locis Heb. ait suo tempore fuisse prægrandem vicum.

[ ℣. 14. *Quæ* ] (Thamar)

[ *Depositis viduitatis vestibus*, ] erant olim viduis vestes peculiares ad mœrorem & modestiam compositæ, ut & hinc & ex Judith 10. liquet; suntque etiam in usu hodierno.

[ *Assumpsit theristrum:* ] Peplo se obvolvit, ne agnosceretur. Theristrum enim est quoddam velum seu integumentum æstivum quo mulieres Arabiæ & Mesopotamiæ solebant in æstate faciem, magnamque corporis partem velare: & erat aut lineum aut sericum, eique mulieri proprium quæ in nullo mœrore esset.

[ *Et mutato habitu, sedit in bivio itineris*, ] Heb. in ostio Enaym quod aliqui vertunt in ostio oculorum, hoc est, in propatulo: Alii, in ostio duorum fontium seu in via qua ibatur ad duos fontes, quia vox Hebræa Enaym quæ dualis est numeri, & oculos & fontes significat, quemadmodum patet ex Hieron. l. de nominibus Heb. 70. legunt ad portas vel portam Ænan: quod vocabulum si appellativè sumatur (quo modo hic & inferius vers. 21. accipitur) rectè usurpatur pro bivio seu pro duarum viarum divisione, ubi viator oculos debet vertere in utramque partem, & considerare quà sibi sit eundum. Solitas olim fuisse meretrices in biviis sedere ut transeuntes alli-

licerent, ex Ezech. 16. liquet, ubi sic dicitur, *Exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, ut ejus fieret.* Et infra, *Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ* &c. Ubi etsi de fornicatione spirituali sit sermo, simul tamen indicatur ita fieri consuevisse in fornicatione corporali; Alioquin allegoria minùs responderet.

[ *Eò quòd crevisset Sela, & non eum accepisset maritum.*] Sicut vers. 11. Judas ei promiserat. Hanc clausulam expressit scriptura, quia facit ad imminutionem peccati Thamar; significat enim quòd ipsa non ardore libidinis, sed desiderio prolis congressum Judæ procurarit. Nihilominus tamen variè peccavit, tum se ornando ad illiciendum Judam; tum se tamquam meretricem exponendo appetendam; tum opus per se seu ex natura sua malum committendo: quod etiamsi ad optimum finem referatur, non potest esse bonum.

Thamar variè peccavit.

[ ℣. 15. *Quam cum vidisset Judas, suspicatus est esse meretricem:* ] Sive quia meretricum more ornata erat; sive quia sola in itinere publico sedebat sicut sedere & expectare solebant olim meretrices; sive ex aliqua alia circumstantia. Non fuit autem Judas ejus specie captus; quoniam ut sequitur.

[ *Operuerat enim vultum suum,* ] Idque,

[ *Ne agnosceretur.* ] Quæ ratio non exprimitur quidem hodie in Hebræo, satis tamen includitur in antecedentibus, reperiturque apud 70.

[ ℣. 16. *Ingrediensque ad eam,* ] hoc est, propius ad eam accedens ut colloqueretur. In Hebræo siquidem & 70. habetur, *declinavit ad eam de via*, aut declinavit viam suam ad eam.

[ *Nesciebat enim quòd nurus sua esset.* ] Facit ad minuendum peccatum Judæ, quod ex ejus parte fuit simplex fornicatio, & non incœstus, cum ipse esset viduus nec aliud sciret de qualitate Thamar, quàm quòd esset mulier soluta, eaque meretrix.

[ *Quid dabis mihi?* ] Non intendebat Thamar facere quæstum de suo corpore, sed pignus obtinere quo suæ defensioni & securitati consuleret.

[ ℣. 17. *Mittam tibi hœdum de gregibus.* ] Heb. hœdum caprarum seu capræ (ponitur enim plurale pro singulari) de grege. Et ejusmodi phrasi significatur hœdus tenellus qui matrem adhuc sequeretur, nondum ab uberibus avulsus. Observant enim quidam phrasim Hebræam esse, ut dum nomini pecudia additur genitivus pluralis fœminarum ejusdem generis, indicetur illud animal esse novellum, hic supra cap. 27. ubi noster vertit *hœdos optimos*, Hebraicè legitur hœdos caprarum: Et c. 37. ubi dixit *sanguinem hœdi*, Hebræa habent hirci caprarum, hoc est, hœduli. Sic Psal. 113. *Colles sicut agni ovium*, id est sicut agnelli.

[ *Si dederis mihi arrhabonem,* ] seu pignus.

[ ℣. 18. *Annulum tuum,* ] significatur sigillum quo & digiti quodammodo clauduntur, & literæ sigillantur. Unde alii ex Heb. vertunt, *sigillum*.

[ *Et armillam,* ] quæ erat brachii ornamentum,

[ *Et baculum* ] quali solent itinerantes uti, & de cujusmodi dixit Jacobo cap. 32. *In baculo meo transivi Jordanem*. Videre hic licet quid faciat libido, ut pro uno hœdulo, Judas talia oppignoret ad explendam suam libidinem. In Hebræo & 70. sequitur, *& dedit ei*; quod noster prætermisit velut ex adjunctis intellectu facile.

[ ℣. 21. *Ubi est mulier quæ sedebat in bivio?* ] Hebraicè & Græcè, Ubi est prostituta vel meretrix illa quæ sedebat in Enam super viam, hoc est in bivio? Quibus conforme est quod hic subditur,

[ *Non fuit in loco isto meretrix;* ] Vocabulum hoc, *meretrix*, Hebraicè derivatur ab eo quod significat separare, & idem valet ac separata, quod propter suam immunditiam separaretur à locis honestioribus.

[ ℣. 23. *Habeat sibi,* ] ea quæ pignoris loco dedi.

[ *Certè mendacii arguere nos non potest:* ] Quasi non steterim promissis. In Heb. ne fortè simus in contemptum: hoc est, ne si diligentius eam perquiramus & pignora repetamus, ipsa flagitium meum publicet, dicatque (licèt falsò) quòd fidem datam non servaverim, & ita veniamus in contemptum.

[ ℣. 24. *Fornicata est Thamar nurus tua,* ] non simplicis fornicationis rea agitur, cujus & Judas ipse reum se esse noverat, & quæ non solebat plecti morte, sed adulterii aut certè fornicationis ejus quæ reducitur ad adulterium: Thamar enim ut minimum erat desponsata Selæ. Sicut autem per legem Deuteron. 22. desponsata si fornicationem committebat, puniebatur morte, ita videtur usu observatum, ante legem.

[ *Dixitque Judas: producite eam, ut comburatur.* ] Sive, ut postquam ipsa fuerit examinata & ejus crimen certò cognitum, luat pœnam adulterarum, quæ tunc erat combustio.

[ ℣. 25. *Quæ cum duceretur ad pœnam,* ] non statim, sed post criminis discussionem, & post partum luendam. Sunt qui existiment Judam ex ira sententiam præcipitasse, condemnasseque Thamar inauditam, & eam simul cum fœtu innocente morti adjudicasse: quia tamen omnium penè gentium legibus crudele & injustum fuit habitum, prægnantem morti dare ante partum, neque aliquid est quod urgeat Juda tantæ crudelitatis reum pronuntiare; iden allata expositio sustineri potest cum Delrione, Mario, & aliis. De authoritate porro qua Judas in isto negotio usus est, quidam dicunt ipsum fuisse judicem illius regionis, populo ita propter Judæ prudentiam volente. Alii reputantes Judam fuisse hominem privatum ajunt eum non ita esse locutum ex authoritate judiciaria, sed velut qui partes accusatoris esset acturus. Probabilius videtur quòd Judas tamquam princeps familiæ ad quam pertinebat Thamar, judex fuerit, non quidem totius regionis, sed omnium suorum, atque ita mandaverit Thamar in publicum produci, ut causa juxta morem quo tunc conventus forenses & judicia agebantur cognita, morti adjudicaretur, eamque etiam licèt non statim, pati cogeretur. Scriptura namque videtur introducere Judam tamquam ex authoritate loquentem.

Judas quatenus esset judex.

[ ℣. 26. *Qui, agnitis muneribus,* ] hinc Judæ candor apparet, qui non negat munera esse sua, neque obtendit ullam sui excusationem. Sed

[ *Ait: Justior me est:* ] Quibus verbis non affirmat se quidem esse justum. Thamar autem esse justiorem; quia comparativus *justior* impropriè accipitur, pro minùs injusta minùsque perversa, quo modo dici solet quòd mare Caspium est dulcius cæteris, id est, minùs amarum. Neque tamen sensus est Thamar absolutè minus peccasse quàm Judam; cùm peccatum Thamar fuerit adulterium seu adulterii quædam species; ac insuper incœstus; Judæ autem simplex fornicatio, cujus etiam occasionem dedit Thamar: Sed significatur quòd ratione seu consideratione quadam minus peccaverit Thamar, quàm Judas, partim quia Judas ex mera libidine peccavit, non similiter Thamar quæ ex prolis desiderio mota fuit ad agendum quod fecit; partim quia Judas istius facinoris occasionem ei præbuit, fraudando illam marito contra sponsionem v. 11. factam: unde ipsemet dicti sui rationem ita subjungit.

Quis peccavit gravius Judas, an Thamar.

[ *Qui non tradidit eam Sela filio meo.* ] His rationibus consideratis Judas nurum suam absolvit: sibi quoque nullam pœnam intulit, quia ex intentione simplicem tantùm fornicationem commiserat, quam leges humanæ vix puniunt.

Andiendi non sunt qui vel Judam vel Thamar prorsus à peccato excusant: Ambo enim id egerunt quod natura sua malum est, neque ullo fine honestari potest. Chrysostomus quidem hom. 62. in Genes. & Ambrosius lib. 3. in cap. 3. Lucæ videntur excusare Thamar, sed facti intentionem intelligendi sunt excusare, non ipsum factum. Idem enim Chrysost. hom. 4. in Matt. Thamar vocat scortum, & dicit quòd cum affine rem habuit, non tantùm non lege illi conjuncta conjugii, sed furata concubitum: & hom. 3. commixtionem Thamar cum Juda turpe adulterium nuncupat. Ambrosius quoque lib. 2. de pœniten. cap. 8. Thamar recenset inter eas personas quarum lapsus & peccata referuntur.

[ *Attamen ultra non cognovit eam.* ] Abhorrens à tam fœdo concubitu: quocirca neque prius illi copulari voluisset, si scivisset eam esse nurum suam. Utrùm autem Thamar postea nupserit Selæ, hic non dicitur; interpretes communiter negant, &

qui-

quidem valdè probabiliter, tum quòd Judas inhonestum judicaverit ut filius acciperet uxorem à patre cognitam; tum quòd filius noluerit tali mulieri jungi. Quòd tamen Sela non manserit celebs, sed aliam uxorem acceperit; ex filiis quorum fit mentio Num. 26. vers. 20. & 1. Paralipp. 4. v. 21. intelligi potest.

[ ℣. 27. *Apparuerunt gemini in utero :* ] Pro apparuerunt, in Hebr. & Græco habetur, erant: quia tamen sic erant in utero, ut vel ex commotione, vel ex uteri per obstetricem attactu animadverteretur quòd essent duo; idcirco noster interpres rectè dixit, *apparuerunt*.

[ *Unus* ] (scilicet Zara.)

[ *Protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum,* ] Id est, filum coccineum seu filum coccinis tincti. Ideo alligavit, ut si contingeret utrumque simul de utero egredi, sciretur uter esset primogenitus: Ideò coccinum potius quàm aliud, vel quia non aliud ita fuit obvium; vel quia jam tum vigebat superstitio, quòd eo colere, veneficia arceantur, sicut in Silesia, Moravia, & aliis Germaniæ locis dicitur etiam nunc vigere.

[*Dicens*: ℣. 28. *Iste egredietur prior*. ] Hebr. Iste egressus est prior, quantum scilicet ad manum: Vel etiam ita loquebatur, volens indicare certitudinem, quam existimabat rei futuræ, sed opinione decepta fuit; quia ille non fuit egressus prior: sequitur enim.

[ ℣. 29. *Illo verò retrahente manum, egressus est alter*: ] Tum quia Christus ex hoc erat nasciturus, ista prærogativa ei fuit collata; Tum ad ostendendum quòd non semper illi sint apud Deum primogeniti, quibus natura hoc dare videtur, sed quòd gratia naturam prævertat.

[*Dixitque mulier:* ] Obstetrix partim ægrè ferens se deceptam, partim ex violenta ista eruptione metuens periculum matri aut gemellis.

[ *Quare divisa est propter te maceria?* ] Pro maceria, quidam vertunt sepem, alii divisionem, abstractum pro concreto ponentes; significatur autem membrana vel pellicula qua fœtus in utero obvolvitur & contegitur, & quæ aliter vocatur secundina. Et sensus est, quare membrana qua simul cum fratre eras obvolutus, propter te confracta est ac divisa ut tu prior egredereris?

[ *Et ob hanc causam vocavit nomen ejus Phares*. ] Quòd separationem ac divisionem significat, juxta interpretationem Danielis c. 4. Unde & Pharisæi, qui se quasi justos à populo separaverant, divisi appellabantur, ait Hieron. in qq. Heb.

[ ℣. 30. *Postea egressus est frater ejus*, ] non postero die, ut quidam, sed aliquantulum post priorem, ut ferè omnes sentiunt.

[ *Quem appellavit Zara*. ] Quod teste Hieronymo, interpretetur oriens. Ita autem vocatus fuit tum quòd primus apparuit, tum quòd multi justi sint ex eo nati. Cæterum quoniam historia jam explicata, præter intentionem operantium erat allegoria; observandum est quòd commistio Thamar cum Juda significaverit Ecclesiæ ex gentibus congregatæ (cujus Thamar quæ gentilis erat, typum gerebat) conjunctionem cum Christo. Quæ conjunctio tunc facta est, quando Judas ibat ad tondendas oves in Thamnas, quod interpretatur deficiens: hoc est, quando Christus, postquam defecerat princeps ex Juda, venit ad populum exonerandum sarcinis laboriosis. Ad hoc ut Thamar copularetur Judæ, ipsa commutavit habitum, sed tamen mansit Thamar; quia oportet gentilitatem mutare suos mores, retinere tamen amaritudinem pœnitentiæ, Thamar quippe & amaritudinem & commutationem significat.

Quòd duos ex Thamar genitos, Hieronymus in cap. 3. ad Galat. docet in Zara figuratum fuisse populum Judæorum, qui prius manu protensa Deum coluit legemque apprehendit; cujus etiam manus coccino insignita prænuntiavit sanguinem Christi redemptoris: Sed cum ac aliorum quoque prophetarum sanguinem effundens iste populus manum à legis divinæ obedientia retraxit, fuitque propter incredulitatem in sordibus suis relictus, ac multo tempore à vero Dei cultu alienus. Phares autem figura fuit populi gentilis, qui Judaico est prælatus in nativitate spirituali, donec tandem subsequatur Zara. *Cum enim plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet*, ad Rom. 11. propter hunc quoque divisa est maceria, dum lex Mosaica fuit per Christum abrogata, secundùm ea quæ leguntur ad Ephes. 2. Plura videri possunt apud Iren. lib. 4. cap. 42. August. lib. 12. contra Faustum cap. 85. & 86. Bedam in qq. super Genesim, Ambrosium in Apologia David priore cap. 3. & lib. 3. in cap. 3. Lucæ, & Chrysost. hom. 62. in Genes. etsi non omnes uno prorsus modo allegoriam explicent.

Neque his obstare putandum est quòd commixtio Judæ cum Thamar grave peccatum fuerit. Docet enim Augustinus dicti l. 22. cap. 83. etiam in improbis improborumque factis mysteria rectè esse significata, sic inter alia scribens; In factis hominum quæ ad imitandum vitandumque proponuntur, magni interest, bonane an mala sint. Quæ autem ad significandam scribuntur sive dicuntur, nihil refert in moribus facientium, quam laudem reprehensionemve mereantur, si modò habeant rei de qua agitur necessariam præfigurandi congruentiam. Gratior interim frequentiorque est significatio mysteriorum in moribus factisque proborum, quàm improborum. In malis possunt figurari bona.

## C A P U T XXXIX.

*Joseph gratiosus fuit apud Putipharem herum suum: hera autem sæpius eum interpellat de concubitu, sed frustra. Ideo illum accusat apud maritum, qui in carcerem eum mittit. Ubi dum agit Joseph, custodis gratiam nactus, omnium vinctorum curam habet.*

[ ℣. 1. IGitur *Joseph ductus est in Ægyptum*, ] resumit Moyses historiam Joseph cap. superiori interruptam occasione facinoris Judæ; quod ideo silendum non fuit; quia inde natus fuit David, Salomon, omnesque reges Juda, ac tandem Christus Dominus. Quoniam verò inter Judam & Joseph dividenda erant primogeniti privilegia, quæ Ruben propter incestum amiserat; hinc est quòd istorum duorum facta magis quàm aliorum recensentur; quòdque Moyses à Juda revertitur ad Joseph.

[ ℣. 2. *Fuitque Dominus cum eo*, ] singulari favore ipsum prosequendo, peculiariterque eum dirigendo & custodiendo.

[ *Et erat vir* ] non ætate; decimum enim septimum annum agebat quando in Ægptum venit, sed maturitate & prudentia:

[ *In cunctis prosperè agens:* ] Cui omnia feliciter succedebant.

[ *Habitavitque* ] non in agris cum familia rustica, sed inter famulos domesticos & urbanos: Ideo signanter dicitur.

[ *In domo Domini sui*, ] Putipharis.

[ ℣. 3. *Qui optimè noverat Dominum esse cum eo*, ] Hoc noverat Putiphar non ex historia seu verius fabella quam narrant Hebræi, quamque Hieronymus ex illis refert dicentibus quòd cum Putiphar emisset Josephum in turpe ministerium ei virilia exaruerint; sed ex experientia, qua videbat Josephum prudenter agere, & omnia illi quasi in manibus crescere: unde sequitur.

[ *Et omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius*. ] Hoc est, prosperari & feliciter agi in ministerio, cura & actione illius: Id enim hic significat manus. Ubi exemplo hominis gentilis discere debemus prosperitatem etiam rerum temporalium non fortunæ vel fato ascribere, sed Deo à quo bona cuncta procedunt.

[ ℣. 4. *A quo* ] (Putiphare)

[ *Præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum*, ] de hoc Josepho addit Josephus historicus lib. 2. Antiquit. cap. 3. quòd Putiphar liberaliter eum habuit, & disciplinis ingenuorum erudiendum curavit, jussitque ut victu commodiore quàm servilis conditio requireret,

ret, uteretur. Eum sapientem fuisse, ex Psalm. 104. liquet ubi Princeps populorum dicitur constituisse illum *ut erudiret principes ejus sicut semetipsum & senes ejus prudentiam doceret*. Quòd autem aliqui scribunt eum artibus magicis imbutum fuisse, apertum est mendacium, si de illis artibus propriè loquamur.

[ ℣. 5. *Benedixitque Dominus domus Ægyptii propter Joseph*, ] in Hebr. & Græco præcedunt hæc, *& factum est ex eo tempore quo constituit eum in domo sua, & super omnia quæ habebat:* sed ea ut non necessariò repetita interpres noster prætermisit. Unde Delrio hic pro Canone observat solere nostrum interpretem multa in Hebræo posita verba prætерire, quando nihil subest mysterii, nec sensui perfectionis quidquam addunt, sed ad nudum idiotismum linguæ Israeliticæ spectant, quæ Latinis auribus Tautologismum sonarent. Quod cum semper accommodatissimè faciat, non sine Spiritus sancti afflatu videtur facere. Scripturæ sensus est, quòd Deus bonorum omnium affluentia repleverit Ægyptium, propter Joseph, sicut cap. 30. Laban, propter Jacob. Tanti momenti est, habere pios domesticos.

[ ℣. 6. *Nec quidquam aliud noverat: nisi panem quo vescebatur.* ] Sunt qui de Joseph hæc interpretantur, quòd tam multis sibi commissis nihil mercedis acciperet, solo cibo ac potu contentus. Sed de Ægyptio dici contextus indicat, ac specialiter versus 8. & ea quæ v. 23. leguntur de principe carceris. Perinde autem est ac si diceretur quòd dominus Josephi omnibus suis Josepho commissis, ab omni sollicitudine vacuus esset, nihilque omnino rerum suarum curaret, præterquam comedere & bibere, adeò ut nec ullas dati vel accepti rationes exigeret.

[ *Erat autem Joseph pulchra facie, & decorus aspectu.* ] Hoc ideo commemoratur, partim quia ejus domina inde accepit occasionem suæ cupiditatis, de qua mox sequitur, partim quia servit ad commendandam virtutem Josephi qui pulchritudine sua non est malè usus, neque ad inanem gloriam, neque ad lasciviam.

[ ℣. 7. *Post multos itaque dies* ] Sunt qui putent annum decimum vel undecimum captivitatis Joseph hic designari, eò quòd in Ægyptum abductus anno ætatis decimo septimo, liberatus fuerit anno trigesimo de carcere, in quem Putiphar ipsum conjecerat statim post accusationem, nec videatur multis ultra biennium diebus ibi fuisse. Sed cum prorsus incertum sit, quamdiu Joseph in carcere fuerit ante illos quorum somnia fuit interpretatus, & quorum occasione post biennium, Pharaonis somnium cap. 41. exposuit, sicque fuit è carcere eductus; consequenter incertum manet quoto anno captivitatis ejus contigerint quæ sequuntur. Verisimile tamen est eum longè diutiùs ministerio Putipharis fuisse, quàm in carcere.

[ *Injecit domina sua oculos suos in Joseph*, ] ex Hebr. pro, injecit, alii vertunt, *levavit:* unde observari potest quantum valeat honestas in fœmina; quamdiu enim ipsa oculos habuit demissos, non peccavit: At cum eos levavit, fixosque in Joseph jecit, scandalum passa est, & scandalum alteri facere voluit. Ad quod variis telis utitur. *Prima*, inquit, Ambros. lib. de Joseph cap. 5. *adultera oculorum tela sunt, secunda verborum;* quibus omni pudore abjecto, mox

Tela adulteræ oculi, verba, importunitas, violentia.

[ *Ait: dormi mecum.* ] Hinc discendum quantum prosit oculos dejicere, & imitari Sanctum Job qui cap. 31. sic loquitur, *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Meritò proinde Sap. Ecclesiastici 9. monet, *Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius.* Neque verò solùm nostros oculos continere debemus, sed insuper quod in nobis est, cavere alienos. Discant viri, dicit Ambr. cavere etiam oculos fœminarum: Adamantur enim & qui nolunt amari.

[ ℣. 8. *Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua:* ] Quasi diceret, Dominus meus tam est in me beneficus & confidens, ut omnium rerum suarum cura mihi demandata, ipse omnium deposuerit.

[ ℣. 9. *Nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi*, ] Juxta rationem virtutemque humanam loquitur Joseph, secundùm quam ingenui hominis est quò magis ei fides habetur, eò minùs fallere. Simul autem declarat quantam reverentiam & gratitudinem conveniat ipsum præstare non solùm erga suum dominum, sed etiam erga ejus conjugem: unde addit,

[ *Præter te, quæ uxor ejus es:* ] Ita quoque illam fidei conjugalis ac muneris sui admonens, sicque à stulto proposito deterrens. Nihilominus id quod sanctum juvenem potissimum deterrebat à crimine, erat haud dubiè offensa Dei & ingratitudo divinorum in se beneficiorum, quam timebat. Ideo subjiciens:

[ *Quomodo ergo possum hoc malum facere*, ] quasi dicat, nullo modo possum, prorsus nimirùm abhorrens à tanto flagitio tantaque erga suum dominum ingratitudine, statim addit:

[ *Et peccare in Deum meum?* ] Unde manifestum est, quòd Dei offensam timeret, eamque animo volveret. Docemur hic vitiis resistere omni medio, non solùm divino, quale est timor Dei filialis; sed etiam humano, cujusmodi est allegatio ingratitudinis erga hominem.

[ ℣. 10. *Hujuscemodi verbis* ] tertium hoc telum vibrabat adultera in Joseph assidua importunitate ipsum tentando, nec ullam occasionem colloquii malesuadi prætermittendo.

[ *Et ille recusabat stuprum.* ] Erat adulterium ad quod sollicitabatur, sed hic vel una species ponitur pro alia eò quòd in re seu opere similes sint; vel stuprum, quod propriè significat illicitam virginis deflorationem, & generaliter quemcumque illicitum concubitum, secundùm doctrinam B. Thomæ 2. 2. q. 154. art. 6. juxta posteriorem significationem accipitur, qua stuprum etiam pro adulterio usurpatur. Unde Numer. 5. de muliere cujus adulterium latet, dicitur: *non est inventa in stupro.* Et eamdem significationem admittit Aug. citatus 28. q. 1. cap. *Idololatria.*

[ ℣. 11. *Accidit autem quadam die, ut intraret Joseph domum*, ] seu partem domus interiorem.

[ *Et operis quippiam absque arbitris faceret:* ] Hebræus habet, ad faciendum opus suum, & non vir ex viris illic in domo. Per quod non significatur nullum prorsus virum in tota domo fuisse, sed non fuisse ullum in ea secretiori parte domus, in qua Joseph habebat quippiam officii sui agere. Alioqui, quare clamasset mulier, & unde ad ipsius clamorem accurrissent domestici ut mox sequitur, si nulli fuissent in domo. Non est autem culpandus Joseph quasi mulieris consortium non benè caverit: Agebat enim quod sibi agendum erat, sive scripturas ratiociniorum investigando ut communiter putatur, sive quid aliud; & vel mulieris præsentiam non prævideràt, vel non aliud quàm solitam sermonis audaciam metuebat.

[ ℣. 12. *Et illa apprehensa lacinia* ] seu extrema ora vel fimbria.

[ *Vestimenti ejus*, ] quartum adulteræ telum est vis, qua frangere nititur castum adolescentis animum.

[ *Qui relicto in manu ejus pallio fugit*, ] verisimile est quòd robustus juvenis potuisset è manibus mulieris suum pallium eripere; sed reverentiam exhibet quia servos, nec vim ullam cupit inferre, ideoque eligit fugam velut optimum contra luxuriam antidotum, illud Apostoli præceptum 1. ad Corinth. 6. præveniens, fugite fornicationem.

[ ℣. 13. *Cumque vidisset mulier vestem* ] hinc apparet fructus libidinis, & quo modo amor in odium mutatur. Cujus etiam mutationis exemplum habemus de Amon 2. Reg. 13.

[ ℣. 14. *Vocavit ad se homines domus suæ*, ] ut apud eos expostularet velut injuriam passa, & ut horum quasi testimonium Josephum facilius condemnet apud maritum.

[ *Et ait ad eos: En introduxit virum Hebræum*, ] in maritum culpam refert mulier improba, quòd mancipium ex gente Ægyptiis exosa introduxerit in domum; & more superborum qui dedignantur nominare eos de quibus loquuntur, non dignatur virum aut maritum suum appellare, tametsi de eo loqueretur quo modo impii Judæi Ezech. 12. per contemptum ejus nomen tacent dicentes. *Visio quam hic videt, in dies multos: & in tempora longa iste prophetat.* Cyrillus quoque Alex. lib. 4. in Joannem cap. 37. scribit

Cur mulier maritum suum non nominet.

atro-

arrogantium vocem esse qua Judæi dicebant Joan. 7. *Ubi est ille*.

[ ℣. 19. *Nimium credulus* ] Potuisset maritus ex relicto pallio contrarium colligere. Si enim Joseph vim intentasset, facilè suum pallium extorsisset. Sed homo nimis credulus neque hoc considerat, neque accusatum examinat vel defensionis locum ei tribuit.

[ ℣. 20. *Tradiditque Joseph in carcerem*, ] non curavit eum interfici, tametsi esset valde iratus; partim ob pristinum amorem & benevolentiam erga Joseph; partim ob fidelia ejus obsequia, Deo interim ita Josephum conservante. Fuisse nihilominus ejus captivitatem valde duram, tum ex Psalm. 104. liquet, ubi dicitur: *In servum venundatus est Joseph. Humiliaverunt in compedibus pedes ejus: ferrum pertransiit animam ejus:* tum ex Sap. 10. ubi de Sapientia dicitur quòd *descendit cum illo in foveam & in vinculis non dereliquit illum*, conformiter illi quod hic sequitur.

[ ℣. 21. *Fuit autem Dominus cum Joseph*, ] Curam ipsius agendo, ipsumque benignè consolando, & faciendo ut gratus esset principi carceris, hoc est, præfecto & custodi carceris, quem nos Commentariensem vocamus.

[ ℣. 22. *Qui tradidit in manu illius universos vinctos* ] eos curæ ac potestati illius commisit.

[ *Et quidquid fiebat, sub ipso erat*. ] Ex ejus directione fiebat quidquid circa vinctos erat agendum.

[ ℣. 23. *Nec noverat aliquid, cunctis ei creditis:* ]. Iste Commentariensis nullius rei sollicitudinem habebat, omnium cura Josepho relicta. Illustre hic est exemplum non solùm castitatis & in ea tuenda fortitudinis, sed & patientiæ, pro iis qui falsis criminibus gravantur. Quibus illud quoque 1. Petr. 3. in memoriam est revocandum, *Melius est benè facientes (si voluntas Dei fuerit) pati, quàm malè facientes*.

Pro allegoria observandum quòd Joseph in sua specie & pulchritudine figuravit Christum speciosum forma præ filiis hominum, Psalm. 44. In conditione servili, eum qui cum in forma Dei esset, formam servi accepit, ad Philip. 2. In crimine quo fuit falsò gravatus & injustè damnatus, illum qui se tradidit judicanti se injustè, 1. Petr. 2. In eo quòd fuit incarceratus & vinctus, eum qui à Judæis apprehensus fuit ac ligatus: In potestate quam accepit super vinctos, eum qui in sanguine testamenti sui emisit vinctos de lacu, Zach. 9. & qui, his qui vincti sunt scribitur Isai. 49. dicturus, exire. In eo quòd reliquit pallium in manu fœminæ, eum qui corpus suum reliquit in potestate synagogæ. Quamquam in hoc & aliud figuratum potest intelligi, nimirum quòd cum synagoga per mulierem Ægyptiam significata, erga nostrum Joseph carnaliter afficeretur, purum hominem illum putans, & terrenum ejus regnum expectans, Christus in ejus manu reliquit velamen litteræ, & fugit ad gentes, vera fidei & divinitatis intelligentia imbuendas. *Usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum*, 2. ad Corinth. 3.

Joseph & Christi comparatio.

## CAPUT XL.

*Duo Eunuchi Pharaonis mittuntur in carcerem, quorum somnia Joseph interpretans prædicit unum suo officio restituendum, alium suspendendum. Quæ omnia in Pharaonis natalitio evenerunt.*

[ ℣. 1. HIs ita gestis, ] quæ in cap. sup. narrata sunt:- sive, Cum Joseph in carcere esset, ibique aliorum captivorum curam sibi demandatam haberet.

[ *Accidit ut peccarent duo Eunuchi*, ] hoc est, primarii aulici & præfecti. In Hebr. non habetur hoc loco vocabulum, Eunuchi, sed versibus demum 2. & 7. è quibus putatur Latinus interpres sumpsisse ut exprimeret in vers. 1. Quod fuerit eorum peccatum, non liquet. Verisimile est quòd in suo officio infideliter versabantur.

[ *Pincerna regis Ægypti, & pistor*, ] idest, princeps pincernarum, & princeps pistorum: sicut enim sequitur,

[ ℣. 2. *Alter pincernis præerat, alter pistoribus*, ] Ubi notat Hieronymus magnæ dignitatis officium esse, porrigendi poculum regi; quale apud Artaxerxem habuisse olim Nehemiam, ex 2. Esdræ 1. & 2. liquet.

[ ℣. 3. *Misit eos in carcerem principis militum*, ] scilicet Putipharis heri Joseph; ut patet ex Hebr. qui versu 7. sic de Josepho habet, *& interrogavit Eunuchos Pharaonis*, qui erant secum in custodia domus domini sui.

[ *In quo erat vinctus & Joseph*. ] Vel per præteritum hoc videtur interpretandum, scilicet erat pro fuerat: Vel vinctus intelligendus est nunc fuisse Joseph, quia carcere conclusus. Quòd enim solutus esset vinculis, ex versu 22. cap. præcedentis colligitur, ac etiam ex eo quod hic sequitur:

[ ℣. 4. *At custos carceris* ] ille videlicet Commentariensis, de quo diximus cap. 39. v. 21.

[ *Tradidit eos Joseph, qui & ministrabat eis;* ] Nam ea non potuisset præstare Joseph, si adhuc fuisset vinculis constrictus. S. Prosper p. 1. prædict. cap. 28. non putat à sacramento dominicæ Passionis alienum, quòd duo Pharaonis spadones cum Josepho in illa passione (carceris scilicet) detrusi sunt, ut trium crucifixorum quodammodo numerus suppleretur. E quibus noster Joseph Christus revelando mysteria, unum puniret per debitum supplicium, alterum per debitam gratiam liberaret.

[ *Aliquantulum temporis fluxerat, & illi in custodia tenebantur*. ] In Hebr. legitur, & fuerunt dies in custodia. Ubi per dies quidam annum intelligunt. Sed non apparet quòd Hieronymus Hebraicè doctissimus, annum incarcerationis vocaret aliquantulum temporis; ideoque potius videtur iste esse sensus sermonis Hebraici: fuerunt per aliquot dies in custodia. Quapropter non potest hinc colligi quantum temporis Joseph fuerit in carcere, partim quia non designatur hic ullum tempus certum, sed indefinitum; partim quia hæc nihil pertinent ad Joseph, sed ad principes pincernarum & pistorum, ante quorum incarcerationem, Joseph non paucos dies in carcere fuerat, ut patet ex hujus cap. initio cum fine superioris collato.

[ ℣. 5. *Videruntque ambo somnium* ] divinitus immissum.

[ *Nocte una juxta interpretationem congruam sibi:* ] Hoc est, conveniens functioni cujusque, & indicans quid singulis eveniret.

[ ℣. 6. *Et vidisset eos tristes*, ] Deus qui somnia immiserat, affectum etiam tristitiæ, & anxietatis indidit, ut Joseph haberet occasionem inquirendi ejus causam, & sic interpretandi somnia.

[ ℣. 7. *Sciscitatus est eos dicens: Cur tristior est hodie solito facies vestra?* ] De vinctorum suæ curæ traditorum tristitia sollicitus est Joseph; tum pro ratione sui officii, tum ex misericordia quam ei auxit experientia & societas calamitatis, juxta illud Proverb. 19. *Homo indigens misericors est*, quia nimirùm expertus est quàm gravis sit indigentia.

[ ℣. 8. *Somnium vidimus, & non est qui interpretetur nobis*. ] Hìc in carcere nullum habemus à quo possumus somnii nostri interpretationem accipere.

[ *Dixitque ad eos Joseph: numquid non Dei est interpretatio?* ] Quasi dicat, ex Deo Deique revelatione pendet somnii vestri interpretatio.

[ *Referte mihi quod videritis*. ] Et spero quòd ego, qui sum veri Dei cultor, ab eo inspiratus potero illud interpretari. Sentiebat Joseph se divinitus moveri ad interpretandum somnia suorum concaptivorum: Et qui prius sua propria somnia non interpretabatur, ita profecit ut in carcere interpretaretur aliena, adhuc tamen inferior Daniele, qui potuit Nabuchodonosori etiam ipsum somnium quod ejus memoriam fugerat, narrare & exponere Dan. 2. An & quatenus liceat ex somniis divinare futura, vide ad 2. 2. quæst. 95. art. 6.

[ ℣. 10. *In qua erant tres propagines*, ] seu tres palmites vel rami.

[ ℣. 12. *Hæc est interpretatio somnii:* ] Asseveranter loquitur, quia sentiebat se ex divino spiritu loqui, atque ita fidem facit verbis suis.

[ *Tres propagines, tres adhuc dies sunt:* ] Quidam sic interpretantur, sunt, idest, significant. Sed quoniam

niam istud verbum, *sunt*, est simplicissimum in quod alia resolvi debent, & non ipsum in illa; non credimus quòd in sacris litteris ita impropriè usurpetur, secundùm ea quæ diaimus 3. p. q. 78. art. 2. Sensus igitur est, tres propagines, hoc est, ea quæ per tres propagines significantur, sunt tres adhuc dies, quemadmodum, 1. ad Corinth. 10. *Petra erat Christus*, idest, hoc quod per petram significabatur, erat Christus. Sicut autem ternarius propaginum cum dierum ternario convenit quoad numerum: Ita quædam etiam est proportio quoad propagines; in hoc videlicet quòd ot ex vite una propago emergit, & post eam alia; ita ea sole unus dies post alium oritur.

[ ℣. 13. *Recordabitur Pharao ministerii tui*, ] Hebr. elevabit Pharao caput tuum. q. d. Memor tui pristini ministerii, educet te de hac miseria, & ad altiora evehet.

[ ℣. 14. *Tantùm memento mei, cùm benè tibi fuerit*, ] in animum suum induxit Joseph hanc faustam somnii interpretationem sibi divinitus offerri tamquam medium suæ liberationis, & ideo ex novo isto Dei beneficio, & ea confidentia in ipsum motus fuit ut se commendaret pincernæ. B. August. serm. 82. de tempore dicit Joseph venialiter peccasse, quia plusculum confidentiæ in hujus hominis benevolentia posuerit, minus autem quàm oportuit in Deo; hancque ob causam pincerna obliviscente Joseph, eum biennio carceris fuisse

Utrum Joseph peccaverit confidendo in pincerna.

castigatum. At S. Ambrosius lib. de Joseph cap. 6. nullam hic in Joseph agnoscit culpam uti nec necessariom videtoream agnoscere, cum humanis mediis uti liceat ad bonum sibi procurandum, eaque pincernæ oblivio potuerit aliis ex causis oriri.

[ ℣. 15. *Quia furto sublatus sum* ] Referendum hoc non est ad Ismaelitas qui Josephum emerant, palamque in Ægyptum transtulerant, sed ad fratres ejus, quos tamen nequaquam manifestavit pincernæ, licèt eorum factum, suamque, tum calamitatem, tum innocentiam ei declaraverit, nolens nimirum lædere famam eorum à quibus fuerat læsus.

[ *De terra Hebræorum*, ] terram Chanaan intelligit, eò quod inhabitabatur ab Hebræis.

[ *In lacum missus sum.* ] Hoc est, in carcerem.

[ ℣. 16. *Videns pistorum magister, quòd prudenter* ] Idest, appositè & cum magna verisimilitudine.

[ *Somnium dissolvisset*, ] seu exposuisset; similiterque sperans & exoptans lætam & utilem somnii sui interpretationem, ultro

[ *Ait: & ego vidi somnium, quod tria canistra* ] seu tres cophinos,

[ *Farinæ haberem super caput meum:* ] Pro farinæ; in Hebr. est vocabulum quod significat album; unde quidam vertunt canistra alba, & referunt ad decorticationem viminum. At interpres noster (sicut & 70.) refert ad rem contentam, ita ut canistra alba dicantur quæ continebant panes albos. Nam hos per farinam intelligi verisimilius est, cùm sermo esse videatur de farina subacta & coacta. Sensus igitur est, quòd isti pistorum magistro in somnis videbatur quòd capite sustineret tria canistra panum alborum; in quorum tamen imo ac medio soli erant panes; in supremo autem erat omne genus ciborum qui fiunt arte pistoria, panes, placentæ, artocreæ, & alia hujusmodi.

[ ℣. 17. *Avesque comedere ex eo.* ] Excelsiore seu supremo canistro. Non pauci aves carnivoras intelligunt. Sed cum ejusmodi aves magis carnium quàm panum edulia quærant, verisimilius videtur sermonem esse de avibus edulii panis prædatricibus. Neque refert postea sequi, *Lacerabunt volucres carnes tuas*; quoniam somnii quidem interpretatio aves carnivoras postulat: at non ipsum somnium. Cujus diversitatis ratio est, quia somnium erat de panibus panumque eduliis; ejus autem significatio & interpretatio est de cadavere somniatoris per panes cibosque panum figurato.

[ ℣. 19. *Post quos* ] iochoatos scilicet. Ipso namque die tertio durante, suspensus fuit princeps pistorum, quemadmodum patet ex subsequentibus, idque portendebant volucres quæ ex tertio canistro prædam petebant. Simili phrasi legimus Matth. 27. Christum diaisse, *Post tres dies resurgam*, cum cap. 20. diaisset, *tertia die resurget*, sicut & Marci 10. & Lucæ 18.

[ *Auferet Pharao caput tuum*, ] sunt qui existimant istum magistrum pistorum prius fuisse decollatum, & postea suspensum in cruce. Verisimile tamen est caput pro vita sumi, sive quia in capite maximè vivit ac viget homo; sive quia Hebræis familiare est, personam hominis per aliquod ejus membrum circumscribere: unde 4. Reg. 2. ubi nos habemus, *tollet dominum tuum à te*, in Hebr. dicitur, *à capite tuo*. Et cum dicitur Prov. 10. *Benedictio Domini super caput justi*, perinde est ac si diceretur, super justum. Sensus igitur est, Auferet caput tuum, idest, te occidet ac de medio tollet. Quod autem sequitur:

[ *Ac suspendet te in cruce*, ] Sive, ut postea dicitur, *in patibulo*, est explicatio verborum præcedentium, & continet modum quo sit è medio tollendus. Docentur hinc pastores ac divini verbi præcones, ita verbum Dei tractare, ut mala perinde ac bona annuncient, mortem aliasque calamitates, non minùs ac vitam & prosperitatem: quomodo etiam Deus Ezech. 3. & 33. docet esse prædicandom.

[ *Et lacerabunt volucres carnes tuas.* ] Unde patet quòd apud gentiles corpora malefactorum manerent in patibulis, sicut etiam modò frequenter fit; secus quam apud Judæos, quibus Deuteron. 21. præceptum fuit non relinquere cadavera suspensorum in patibulo, sed eadem die sepelire.

[ ℣. 20. *Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat:* ] Quamvis sit quædam materia gaudii ex memoria diei nativitatis, etiam Christo Domino de puerpera dicente Joan. 16. quòd *cum peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum*: Quo factum est ut antiquus valdèque obfirmatus apud pleraque gentes mos fuerit convivandi in die natalis: Nihilominùs non legimus pios ac religiosos viros convivia in die sui natalis instituisse, eò quòd oculos conjicerent in miseram & infelicem hominum conditionem ob peccatum, scirentque se natos esse filios iræ divinæ. Unde Hieronymus in cap. 14. Matth. *Nullum*, inquit, *alium invenimus observasse diem natalis sui, nisi Herodem & Pharaonem, ut quorum erat par impietas esset & una solemnitas*. Neque ullorum sanctorum in populo Christiano festivus celebratur dies natalitius, nisi quorum fuit sancta nativitas, ut Christi, B. Virginis, & Joannis Baptistæ. Gentiliter verò & infideliter agebatur celebritas illa gentilium, secundùm videlicet errorem Genethliacorum opinantium quòd omnis eorum felicitas ex die natalitio haberet originem. Unde Venerabilis Beda in hunc locum de Pharaone & Herode scribit, quòd putaverunt horam nativitatis eorum ipsos ordinasse in regnum.

Pii non celebrabant diem suæ nativitatis.

[ ℣. 21. *Restituitque alterum in locum suum, &c.* ] Uterque, & pincernarum & pistorum magister peccaverat, utrique iratus erat rex, uterque in carcerem missus, uterque condemnari dignus. Pharao tamen unum è carcere eductum pristinæ dignitati restituit, alterum morte mulctavit, in illum exercens indebitam misericordiam, pro suæ voluntatis beneplacito, in istum justitiæ judicium. Est propterea hic quædam adumbratio misericordiæ & justitiæ, electionisque seu prædestinationis & reprobationis divinæ circa homines; qui omnes pariter in Adam peccaverunt & è paradiso ejecti sunt, omnes iræ divinæ & morti ac damnationi obnoxii: Alii tamen misericorditer & pro voluntatis Dei beneplacito restituuntur in pristinum innocentiæ; imò in digniorem gloriæ statum; Alii relinquuntur à Deo, & pro peccatis suis æternaliter puniuntur. Et quoniam Joseph Christum figuravit, ejus quoque insontis incarceratio, adumbratio quædam fuit apprehensionis Christi. Interpretatio autem somniorum, una fausta, altera infausta, similitudinem quamdam habuit discretionis quam Christus inter latrones fecit, & consequenter extremi judicii.

[ ℣. 22. *Ut conjectoris veritas probaretur.* ] Vocula, *ut*, non finem à Pharaone intentum denotat, sed rei eventum seu consecutionem; non enim ipse ea intentione unum restituit, alium interfecit, ut Joseph probaretur prædixisse verum, cùm de ipsius prædictione nihil sciret; sed ex facto Pharaonis hoc evenit, ut ea quæ Joseph prædixerat, cognoscerentur esse vera. Unde 70. consentientibus Hebræis legunt, *sicut interpretatus erat eis Joseph*.

[ ℣. 23.

[ ℣. 23. *Oblitus est interpretis sui.* ] Citò homini in rebus præsertim prosperis, obrepit oblivio benefactorum. Hinc Psalm. 77. *Obliti sunt benefactorum ejus & mirabilium ejus quæ ostendit eis.* Et Psalm. 105. *Citò fecerunt, obliti sunt operum ejus.* Isa. 51. *Oblitus es Domini factoris tui.*

## CAPUT XLI.

*Joseph duo somnia Pharaonis interpretatur, toti Ægypto præficitur, Asenech uxorem accipit quæ duos filios ei gignit.*

[ ℣. 1. POst *duos annos* ] ab interpretatione somniorum & restitutione magistri pincernarum. In Hebr. dicitur, *à fine duorum annorum:* qua phrasi significatur illos duos annos fuisse completos.

[ *Vidit Pharao somnium.* ] Quod illi Deus immiserat, non propter ejus meritum, sed propter commune bonum, & ut per talis somnii interpretationem Joseph sublimaretur. *Pro salute enim vestra misit me Deus ante vos*, ait ipse cap. 45. & cap. 50. *Ut exaltaret me sicut in præsentiarum cernitis, & salvos facere multos populos.*

[ *Putabat se stare super fluvium*, ] Sermo est de Nilo; &, super, ponitur pro *juxta*, sicut Psalm. 136. *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus:* Versu enim 17. ita somnium suum refert Pharao, *Putabam me stare super ripam fluminis.*

[ ℣. 2. *Pascebantur in locis palustribus.* ] Aliquantulum remotis à fluvio: quæ loca ut humidiora, ita erant uberiora.

[ ℣. 3. *In ipsa amnis ripa* ] Ægypti fertilitas pendet ab exundatione Nili: si enim ea fuerit magna, & spatiosa, fertilitas sequitur: si exigua, ita ut solam viciniam irriget, sterilitas. Ideo boves pingues quæ fertilitatem portendebant, visæ sunt pasci aliquanto remotius à flumine; macræ autem, quæ portendebant sterilitatem, omnino juxta fluvium, scilicet in ejus ripa. Per boves porro significatur tum fertilitas, tum sterilitas, quia per boves solet olim terra arari. Unde Prov. 14. *Ubi non sunt boves, præsepe vel horreum vacuum est: ubi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis.*

[ ℣. 4. *Devoraveruntque eas, quarum mira species & habitudo corporum erat.* ] Boves macræ sic videbantur famelicæ ut pascerentur quidem in ripa fluminis, simul tamen insequerentur pingues ut cum eis pascerentur in locis uberioribus; & quando ad illas pervenerunt, visæ fuerunt eas devorare, ad significandum quòd annorum fertilium copia erat per sequentes annos sterilitatis absumenda.

[ ℣. 5. *Vidit alterum somnium:* ] Aliud erat quoad res significantes, & quoad modum significandi, ac insuper quoad tempus quo fuit ostensum; non tamen quoad rem significatam, quemadmodum patet ex versu 25.

[ *Septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ atque formosæ:* ] Fertilitas agrorum maximè pendet ex animalibus quæ illos benè subigunt, & ex frumenti bonitate. Ideo ad eam præsignificandam immisit Deus somnia, unum de bobus ad agriculturam servientibus; alterum de spicis, frumento plenis atque formosis.

[ ℣. 6. *Aliæ quoque totidem spicæ tenues & percussæ uredine oriebantur*, ] per uredinem intelligitur ventus urens, seu mirabiliter desiccans.

[ ℣. 7. *Evigilans Pharao post quietem*, ] In Hebr. magis Emphaticè, evigilans Pharao, & ecce somnium, jugiter scilicet ei obversabatur, q. d. postquam evigilavit, assiduè veniebat ei cogitatio de suo somnio: Deus enim ne somnium tamquam vanum contemneret, procuravit, ut semper ei ob mentis oculos versaretur.

[ ℣. 8. *Et facto mane, pavore perterritus*, ] Pavorem istum immisit Deus, ut Pharao promptior ac diligentior esset in quærenda somnii interpretatione, sicque daretur occasio liberandi & exaltandi Joseph.

[ *Misit ad omnes conjectores Ægypti*, ] incertum est, quid vox Hebræa propriè significet, ait Oleaster. Satis tamen convenit significare eos qui divinationibus, superstitionibus, aliisve mediis illicitis vacabant ut futura vel alia occulta prænunciarent. Quos B. Hieronymus rectè hic conjectores dixit; tum ut indicaret illos in incertum loqui; tum ut eos distingueret à Joseph, cujus explicationes certæ ac divinitus revelatæ erant, non conjectura quæsitæ. Aliàs pro eodem vocabulo redditur magos, maleficos, ariolos, incantatores.

[ *Cunctosque sapientes:* ] Qui vel naturalem vel diabolicam profitebantur sapientiam.

[ *Nec erat qui interpretaretur.* ] Convenienter sic ut regi satisfaceret.

[ ℣. 9. *Confiteor peccatum meum:* ] Quidam intelligunt peccatum quo magister pincernarum in regem ante biennium peccaverat, quasi hac præfatione regis clementiam velit commendare, & benevolentiam ejus captare. At simplicius & verius videtur pincernam loqui de peccato ingratitudinis & oblivionis quo vatem qui faustissima ei nunciaverat oblitus, eum neglexerat. Hinc discendum quàm fluxa sit aulicorum gratia, favorque principum dubius. Confer Ambrosium cap. 6. de Joseph.

[ ℣. 11. *Una nocte uterque vidimus somnium præsagum futurorum.* ] Quod significabat ea quæ revera contigerunt.

[ ℣. 12. *Erat ibi puer Hebræus*, ] scilicet Joseph, qui tunc quando somnia fuit interpretatus, viginti octo annorum erat, sed conditione servus; ideoque puer vocatus.

[ ℣. 14. *Eductum de carcere Joseph totonderunt:* ] Incarcerati enim solent manere intonsi, tamquam inglobres.

[ *Ac veste mutata*, ] ne in sordido habitu, qualem in carcere habuerat, coram Pharaone sisteretur. Si coram rege terreno eoque infideli non audebant ejus ministri Josephum sordidis indutum sistere: quantò magis mundos & puros decet esse illos qui æterno regi se præsentant, Deum & hominem in Eucharistia sumpturi? Sicut autem Josephi incarceratio significationem habuit apprehensionis & passionis Christi; ita ejus eductio & exornatio per detonsionem & sordidorum vestimentorum mutationem, significavit mortalitatis ipsius depositionem, & gloriosam resurrectionem, teste August. lib. 12. contra Faustum cap. 28.

[ ℣. 15. *Vidi somnia, nec est qui edisserat:* ] Observandum, quòd Deus famem eventuram diu ante præmonstraverit, & quidem regi, quia sic ejus populum volebat affligere, ut tamen tamquam pius pater vellet ipsi succurri. Et quia regum est, publicis commodis intendere, subditorumque necessitatibus providere, ideo regem commonere voluit Deus. Nihilominus ut reges sciant se prudentium ac peritorum, tametsi inferiorum, consiliis indigere, Pharao non scivit quid significaret somnium sibi ostensum, sed interprete opus habuit, eoque servo & captivo. Cur regi somnium immissum.

[ *Quæ audivi te sapientissimè conjicere.* ] Relativum, quæ, non refert in particulari somnia Pharaonis, sed generaliter somnia. Audiverat autem Pharao quòd Joseph sapientissimè somnia explicaret, à magistro pincernarum. Neque in Hebr. neque in Græco habetur adverbium, *sapientissimè*, sed in Hebr. quidem sic, *Audivi de te dicere quòd audias somnium ad illud solvendum:* In Græco autem, *Audivi de te dicentes, quia cum audieris somnia, interpretaris ea.* Quibus in verbis etsi prædictum adverbium non exprimatur, inest tamen: Voluit enim Pharao dicere se audivisse quòd Joseph interpretaretur somnia convenienter rebus quæ postea eveniebant, atque ideo valde sapienter. Quod Josephus historicus lib. 1. Antiquit. ait Pharaonem vidisse somniorum interpretationem, & cum hanc esset oblitus, sola somnia retinuisse, commentum est, cùm neque scriptura, neque scripturæ interpretes orthodoxi ullo modo indicent Pharaonem aliquando habuisse notitiam significationis somniorum prius quam Joseph ea interpretaretur.

[ ℣. 16. *Absque me Deus* ] quasi diceret non ego, sed Deus, sive non tam ego, quàm Deus.

[ *Respondebit prospera Pharaoni.* ] Seu pacem, ut Hebræa; vel salutare, ut Græca: hoc est, ea quæ ad pacem & salutem spectant. Id Joseph vel optativè dicit, desiderans videlicet bona esse quæ per somnia signi-

significabantur; vel potius assertivè & propheticè, ut cui jam revelata essent somnia eorumque interpretatio. Meritò namque videri potest Josephum ita constanter Pharaoni esse locutum, eò quòd sentiret se divinitus esse illuminatum, & quia ut Psalm. 104. dicitur, *eloquium Domini inflammaverat eum*. Quoniam verò Joseph putabatur naturali sagacitate somnia interpretari, eam existimationem conatur ipse destruere, omnem interpretationem quam facturus est, Deo ascribens, sicque debitam gloriam ei tribuens. Quo docemur, ut *qui gloriatur, in Domino glorietur*, 1. ad Corinth. 1. & ut omnia bona, juxta illud Ecclesiæ, *Deus à quo bona cuncta procedunt* Dominic. 5. post Pascha, illi ascribamus.

[ ℣. 17. *Narravit ergo Pharao quod viderat:* ] Nuda hic fit repetitio somniorum, paucis additis. Uno, quòd septem boves quæ sequebantur pulchras, intantùm erant deformes & macilentæ, ut Pharao diceret se numquam tales in terra Ægypti vidisse. Altero, quòd eædem istæ boves devoratis & consumptis prioribus, nullum saturitatis dedere vestigium. Quibus significabatur & tantam futuram famem, quanta numquam antea fuerat in Ægypto; & quòd septem anni famis sic absumerent congestam ex septem annis ubertatis frumenti copiam, ut homines manerent famelici, & ægrè vitam ducerent.

[ ℣. 25. *Respondit Joseph: somnium regis unum est:* ] Quoad significationem & rem figuratam; quia duobus somniis idem significabatur, eadem videlicet tum ubertas, tum sterilitas, quamvis alioqui secundùm rem & materialiter essent duo somnia diversi temporis & in distinctis rebus significantibus.

[ *Quæ facturus est Deus, ostendit Pharaoni*. ] Significat somnia hæc prophetica esse, & à Deo immissa, simulque asserit quòd tum fertilitas tum sterilitas septennis, istis somniis figurata divinitus sit provisa. Unde Psalm. 104. de hac fame dicitur, *& vocavit famem super terram*, idest, fecit eam esse.

Pharao non fuit Propheta. Observandum porrò Pharaonem etsi viderit somnium præsagum futurorum, non idcirco fuisse prophetam, quia non potuit illud intelligere, *intelligentia* autem *opus est in visione*, ait Daniel cap. 10. adeò ut repræsentatio imaginum & similitudinum solùm sit materiale prophetiæ, intelligentia verò sit formale. Et ideo Joseph fuit propheta qui somnium intellexit, illudque interpretando, futura & occulta prædixit. Confer B. Thomam 2. 2. q. 173. articulis 2. & 4. & quæ nos ibi diximus.

[ ℣. 26. *Septem boves pulchræ, & septem spicæ plenæ:* ] hoc est, id quod per septem boves pulchras & per septem spicas plenas significatur.

[ *Septem ubertatis anni sunt: eamdemque vim* ] seu sensum & significationem.

[ *Somnii comprehendunt*. ] Quia res illæ figurativæ ad idem significandum tendunt. Singuli boves singulos annos significabant; quia sementem quæ tantùm semel in anno fit, adjuvant: & similiter singulæ septem spicæ, quia messis tantùm etiam colligitur semel in anno, saltem in plerisque regionibus. Spicarum ergo numerus non pertinet ad significandam fertilitatem, sed ad annorum numerum; fertilitatem autem significabat spicarum pulchritudo & plenitudo.

[ ℣. 32. *Quod autem vidisti secundò ad eamdem rem pertinens somnium: firmitatis indicium est*, ] sive est signum, certissimè ac citissimè rem ita ut significata est, esse eventuram; totum enim hoc in ea sententia importari liquet, ex sequenti ratione.

[ *Eò quod fiat sermo Dei, & velocius impleatur*. ] Accommodat se Deus humanæ conditioni & persuasioni, ad quam confert ingeminata asseveratio, cùm alioqui sermo Dei semel pronunciatus æquè certam mereatur fidem, ac si multoties repeteretur. Sed & in hominum usu hoc contingit, ut quem celerrimè adesse volumus, eum vocando ingeminemus: Deus autem ubertatem ac sterilitatem velociter erat vocaturus super terram.

[ ℣. 33. *Nunc ergo provideat rex virum sapientem* ] Plus Pharaoni præstat Joseph quàm fuerat requisitus, suggerens ei consilium, & malorum impendentium ostendens remedium, secundùm quod veris prophetis est familiare. Quo circa hoc quoque tam remedium quàm consilium divini Spiritus extitit, ob id maximè provisum, ut quod ad obviandum malis facto erat opus, demandaretur Josepho.

[ ℣. 34. *Et quintam partem fructuum* ] non suadet servari mediam partem fructuum, quia prophetico spiritu sciebat quintam sufficere: unde æstimari potest septem priorum annorum ubertatem fuisse copiosissimam, quandoquidem quinta pars eorum suffecerit Ægypto septem annis subsequentibus alendæ, imò & superabundaverit, ut etiam exteris frumentum vendi posset.

[ *Per septem annos fertilitatis*, ] quibus, ut & annis sterilitatis potuerunt fruges servari; tum quia quæ singulis annis erant collecta, seorsim reponebantur, ita ut quæ primo anno fertilitatis reposita erant, primo sterilitatis anno distribuerentur; quæ secundo, secundo; & sic consequenter; tum quia frumenta fuerunt reservata suis spicis inhærentia, non autem excussa neque triturata, ut ex v. 47. patet.

[ ℣. 35. *Congreget in horrea:* ] Regis publica per singulas urbes distributa,

[ *Et omne frumentum* ] ex quinta illa parte congregatum. Omnes ergo Ægyptii durante septennio fertilitatis videntur fuisse compulsi vendere Pharaoni quintam partem frugum suarum servandam in tempus sterilitatis. Sunt qui existiment eos fuisse jussos nihil earum foras efferre aut exteris vendere; cumque ingens foret illarum copia, alios quartam, alios quintam partem vendidisse: Prior tamen dicendi modus videtur magis quadrare pro executione consilii per Josephum dati; ut nimirùm ubique pars quinta in Regis partem veniret. Præter eam verò credibile est eos qui erant in Ægypto opulentiores, magnam frumenti vim congregasse, & ad suam aliorumque sustentationem conservasse; quæ tamen consumpta fuerit ante quintam illam partem quæ jussu Pharaonis collecta fuit.

[ ℣. 37. *Placuit Pharaoni consilium & cunctis ministris ejus:* ] Citò fidem adhibuit Pharao dictis Josephi, at non sine ratione: Illam enim merebatur tum ex interpretatione præcedentium somniorum per eventum probata, tum ex eo quòd sapientes Ægypti nullam (saltem convenientem) somnii regis interpretationem dare potuerant; tum quia Joseph asseveranter loquebatur, suam interpretationem ascribens Deo, singularemque gratiam verbis suis addens. Quibus accedit quòd Deus in Pharaone peculiariter operabatur, eum movens ad acquiescendum Josepho. — Cur Pharao citò credidit consilio Josephi. Optandum porrò quòd & nos monito sapientis acquiesceremus, dicenti Ecclesiastici 11. *In die bonorum ne immemor sis malorum*, ut quando abundamus frumento seu consolatione & devotione spirituali, quæ animæ panis est, laboremus pro impetrando frumenta in tempore sterilitatis, quo nimirùm Deus animas fideles ad tempus privat interioribus consolationibus, sicut fecit David Psalm. 70. dicens Deo. *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me*.

[ ℣. 40. *Tu eris super domum meam*, ] tu familiam meam gubernabis:

[ *Et ad tui oris imperium cunctus populus obediet:* ] Propter ambiguam vel etiam ignotam propriam significationem vocis Hebraicæ, quidam vertunt, *armabitur*, alii *cibum capiet*, alii *osculabitur*, noster interpres ut & 70. obediet. Quoniam verò nomine osculationis significatur veneratio & obedientia, os autem pro mandato vel edicto ponitur; ea lectio, *super os tuum osculabitur*, sive omne mandatum ex ore tuo egrediens venerabitur, eique obediet, prorsus cum nostra versione convenit; Aliæ verò sunt nimis strictæ. Confirmatur, quia Psalm. 2. ubi nos habemus, *Apprehendite disciplinam;* alii ex Hebræo vertunt, *osculamini filium;* ideoque noster interpres pro eodem accepit, osculari filium Dei, & apprehendere disciplinam seu legem, eique obedire.

[ ℣. 42. *Tulitque annulum de manu sua*, ] annulus iste erat sigillaris seu signatorius ad litteras ex regis nomine signandas, & ad edicta vel etiam quævis alia quæ intacta esse deberent, obsignanda: de cujusmodi sermo quoque est Esther 3. & 8. eratque propterea insigne potestatis & authoritatis regiæ: Eum verò sibi detractum alteri tradere, signum erat tum maximi

ximi honoris, tum summæ potestatis communicatæ.

[ *Vestivitque eum stola byssina*, ] stola est vestis oblonga & talaris: quid sit byssus, non liquet. Byssum à serico distinguit Ezechiel cap. 16. ubi v. 10. sic in Hebr. legitur, *stravi te in bysso, & operui te serico*. Et postea, *vestis tua byssus & sericum*. Similiterque in nostra versione cap. 27. *& byssum & sericum & chodchod proposuerunt in mercatu tuo*. Delrio scribit nobis in Europa nihil esse similius bysso quàm lina Cameracensia, nimirùm subtilissima, Ut ut sit, & byssus erat Ægyptiis in pretio, & stola byssina signum honoris ac majestatis. Nam & Mardochæus stola fuit indutus, Esther 6. Stolam hanc purpurei coloris fuisse volunt quidam; nihil tamen est quod hoc urget, cùm nativus color byssi sit candidus, quamvis tingi potuerit.

[ *Et collo torquem* ] seu catenam

[ *Auream circumposuit*. ] Erat quoque hoc (ut & modò est) magnorum principum ornamentum, quo proinde ornatus fuit Daniel à Rege, Dan. 5.

*Currus secundus quis.*

[ V. 43. *Fecitque eum ascendere super currum suum secundum*, ] seu secundæ dignitatis. Primus currus regius, erat in quo solus rex vehebatur. Secundus, quo vehi solitus erat, qui esset secundus à rege. Unde per hujusmodi currus ascensum declaratum fuit quòd Joseph esset secundus à rege, secundùm quod rex v. 40. legitur ei dixisse, *uno tantùm regni solio te præcedam*; Regum principumque olim fuisse apud Hebræos & Ægyptios, vehi curribus tum hinc, tum ex 2. Reg. 15. de Absalone, & ex 3. Reg. 1. de Adonia colligi potest; etsi apud Persas Mardochæus equo regio fuerit impositus, non curru vectus, Esther 6.

[ *Clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent*, ] in Hebr. *Clamabat ante eum Abrech*; atque ita & Symmachus transtulit, retenta voce *Abrech*; quæ utrum sit Hebræa, an Ægyptia, incertum est. Septuaginta simpliciter habent, *clamavit ante eum præco*, nec addunt quid clamaverit. S. Hieronymus in qq. Hebr. aliique post eum non pauci significant clamatum fuisse, iste est pater tener. Volunt enim Abrech esse vocem Hebraicam, eamque compositam ex *Ab*, quod patrem, & *Rech*, quod tenerum significat; & significationem illam convenire Josepho, quoniam sapientis pater erat, & annis tener. Alii dicunt *Abrech*, idem significare quod pater regis aut princeps regis. Ut enim refert Marius aliis Interpretibus conformiter, Thargum Jerosolymitanum ita habet, clamabant, vivat princeps regis, qui est princeps in sapientia & tener in annis; paraphrasis autem Chaldaica, præconizare fecit coram eo, hic est pater regis. Nostræ versionis vulgatæ author B. Hieronymus non accepit vocem illam ut compositam, sed ut simplicem, idem significantem quod *genu flectite*: quo modo Aquila quoque illam intellexit, ita reddens, & clamavit in conspectu ejus ad geniculationem. Unde consequens est quòd S. Hieronymus vel in qq. Hebr. locutus fuerit ex aliorum sententia, vel quòd vertendo Genesim, à priori sensu recesserit.

[ V. 44. *Ego sum Pharao*: ] Quasi diceret per memetipsum, qui supremus rex sum, tibi juro: omnes enim reges Ægypti annis circiter mille quadringentis vocatos fuisse Pharaones, liquet ex Josepho lib. 8. Antiquit. cap. 2. sicut postea reges Alexandrini fuerunt dicti Ptolomei.

[ *Absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti*. ] Sermo est hyperbolicus & proverbialis, idem valens quod, ego jubebo ne quidquam alicujus momenti fiat sine tuo consensu, & ne quis contradicere audeat tuo imperio.

[ V. 45. *Vertitque nomen ejus*, ] eo consilio voluit Deus mutari nomen Joseph, ne vel à fratribus vel ab aliis ante tempus præstitutum dignosceretur ex nomine consueto.

[ *Et vocavit eum, lingua Ægyptiaca*, ] ista duo verba, *lingua Ægyptiaca* neque in Hebræo sunt expressè, neque in Græco; ipsi tamen rei seu narrationi inesse videntur; qua enim lingua homo Ægyptius, in Ægypto loquens Josephum appellaret, nisi Ægyptiaca, præsertim imponendo nomen quod vellet Ægyptiis passim notum esse? Nihilominus prudenter fecit noster interpres illa verba exprimendo, explicationis gratia, ne cruciaremur inquirendo, cujus linguæ vocabulum sit quo vocatus fuit Joseph à Pharaone.

[ *Salvatorem mundi*. ] In textu Hebr. sunt duæ voces, quæ dum accipiuntur tamquam Hebrææ, significant absconditorum interpretem: si autem ut Ægyptiæ, salvatorem mundi. Quoniam autem Pharao nomen Ægyptium Josepho imposuit, omninoque verisimile est Moysen illud retinuisse: Ideo cum B. Hieronymo in qq. Hebr. dicimus quòd licèt hæc nomina Hebraicè sonent absconditorum revelatorem; tamen quia ab Ægyptio ponuntur, ipsius linguæ debent habere rationem. Interpretatur autem hujusmodi sermo lingua Ægyptia *salvator mundi*, eò quòd orbem terræ ab imminenti famis excidio liberaverit. Ex his intelligimus Sapientem meritò dixisse cap. 10. libri Sap. de Joseph, quòd *sapientia venditum justum non dereliquit, sed à peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni*. Sed & hoc intelligere possumus, Josephum etiam in hoc mundo amplam eorum quæ passus est remunerationem accepisse: Nam pro fratrum odio, acquisivit gratiam principis carceris, ac deinde regia: Pro compedibus in quibus *humiliaverant animam ejus*, Psalm. 104. torquem auream suscepit: Pro pallio, quo in manu adulteræ relicto nudus fugit, stolam byssinam. Pro servili labore manuum, annulum regium: Pro eo quòd ministraverat vinctis, super domum Pharaonis constituitur, imò & super universam Ægyptum. Pro carceris humilitate, ascendit super currum regis secundum: Pro nomine servi, vocatur salvator mundi: Pro eo quòd contemptus fuit, jubetur ab omnibus honorari: Pro adultera quam contempsit, datur ei uxor legitima, eaque prænobilis.

*Nomen Ægyptium Josepho impositum.*

*Quæ Josephi mercedes temporales.*

Duo hinc discenda. Unum, quòd Deus etiam temporalia justis copiosè hic retribuat, quando saluti eorum ita expedit: Alterum, quòd in altero sæculo ubi retributionis tempus & locus est, Deus abundanter remuneret, quandoquidem in hoc quod laboris est, ita recompenset.

Allegoricè autem Joseph noster, est Christus Dominus, post mortem suam *gloria & honore coronatus*, ad Hebr. 2. Annulum habet, quia *hunc signavit Pater*, Joan. 6. ejusque signo in frontibus signamur per figuram crucis: Stola byssina est indutus, nimirum gloria corporis: habet torquem auream, dotes corporis gloriosi: Ascendit currum regium, sive quia pulchris Evangelicæ gratiæ quadrigis vehitur, juxta illud Habacuc 3. *Qui ascendes super equos tuos, & quadrigæ tuæ salvatio*; sive quia ipse *Ascendit Deus in jubilo, Dominus in voce tubæ*, Psalm. 46. Accepit potestatem non super unam Ægyptum, sed super universum mundum, cùm Deus Pater dederit ei potestatem omnis carnis Joan. 17. dicatque ipse, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*, Matth. 28. Ante illum clamat præco, quia non tantùm Joannes Baptista, sed omnes Evangelistæ, pastores & doctores prædicant ut eum honoremus, & ipsi genua flectamus, juxta scripturam. Isa. 45. Ad Rom. 14. & ad Philipp. 2. Vocatus est salvator mundi. *Ipse enim salvum facit populum suum à peccatis eorum*, Matth. 1. & nos liberat à fame verbi Dei, quia & prædicavit ipse verbum Dei, & Apostolos misit, virosque Apostolicos mittere non desinit qui illud annuncient.

[ *Deditque illi uxorem Aseneth filiam Putiphare* ] voluit Pharao per hoc matrimonium partim augere gloriam Josephi partim eum sibi & suo regno magis devincire. Neque culpandus est Joseph quòd gentilis & idololatræ filiam accepit uxorem: Ita enim erat in fide firmus, ut ad unius veri Dei cultum posset illam adducere, non ab ea abduci. Tantam quippè fidem & fidei sapientiam Deus Josepho dederat, *ut ipse erudiret principes sicut semetipsum, & senes prudentiam doceret*, Psalm. 104. non eam tantùm quæ hujus sæculi est & politica, sed eam præcipuè quæ est divina. An hic Putiphar idem sit cum eo qui Josephum emit, empiumque postea misit in carcerem, non est omnino certum: Hebræi & qui eos sequuntur, eumdem esse volunt: Chrysostomus autem hom. 63. in Genesim, diversum esse ait; in eamque sententiam magis propendet Aug. q. 136. in Genes. Et confirmatur, quia traditio cui sententia Hebræorum innititur, quòd nimirùm Putiphar Josephum propter eximiam ejus speciem emerit, ut turpiter eo abuteretur, & quòd propterea cum antea

esset

esset fœcundus filiamque haberet, in pœnam fuerit redditus frigidus; atque ob hoc ex principe militiæ, sacerdos Helioposeos constitutus, fabellam redolet magis quàm historiam. Accedit quòd in Hebræo aliqua sit nominom diversitas, quòdque prior, qui videlicet emit Josephum, habitaret in urbe regia quæ Memphis vocabatur, utporè unus de primariis aulicis, præfectus militum ac vinctorum regiorum qui tenebantur clausi in illa urbe quam Rex velut capitalem inhabitabat; hic verò posterior habitabat Heliopoli, ubi erat sacerdos. Eamdem sententiam sequuntur Oleaster, Pererius, Delrio, Marzilla, & alii.

Putiphares duo.

Sacerdotis nomen hic proprie sumitur.

[ *Sacerdotis Heliopoleos.* ] Quamvis nomen sacerdotis aliquando sumatur pro viro primario seu pro principe & optimate, juxta quod 2. Reg. 8. dicitur, *Filii David sacerdotes erant*; pro quo 1. Paralipp. 18. legimus, *Filii David primi ad manum regis*; & utramque illam significationem habeat vocabulum Hebræum, sanctorum tamen patrum Hieronymi, Augustini, & aliorum communior interpretatio habet hic sumi pro sacrorum ministro, seu pro eo ad quem pertinet offerre sacrificium. Pro Heliopoleos, in textu Hebr. habetur, *On*, de qua voce B. Hieronymus in locis Hebraicis scribit apud *On est urbe in Ægypto*, quæ Græcè dicitur Heliopolis, idest, civitas solis. De qua sermo est Isa. 19. ubi civitas solis legitur futura una earum quæ loquentur lingua Chanaan. Addit B. Hieronymus quòd eam civitatem ædificaverunt filii Israel, sicut septuaginta interpretes arbitrantur, scilicet Exod. 1. ubi apud 70. sic legitur, *Et ædificaverunt civitates munitas Pharaoni, Phithon, & Ramesse, & On quæ est Heliopolis.* Tum subdit; *Alioquin in Hebraicis voluminibus non habetur. Et rectè, siquidem antequam Jacob ingrederetur Ægyptum, jam erat extructa civitas, quæ & sacerdotem haberet.* Si quis tamen existimet, id quod multis probabile est, Septuaginta revera Exod. 1. scripsisse, quòd filii Israel ædificaverint On seu Heliopolin: Respondere potest, vel duas ejusdem nominis urbes fuisse; vel quæ prius extiterat & eversa fuerat, ab Israelitis fuisse restauratam, vel ab iis ita fuisse auctam ut videri ac dici posset esse recens ædificata; In Hebræo autem textu vel hoc fuisse tacitum, quòd scriptor eas tantùm urbes recensere vellet quas filii Israel prorsus de novo ædificaverant vel tempore 70. interpretum ea quoque verba ibi fuisse, sed postea excidisse. Fuit autem prædicta civitas, dicta Heliopolis seu urbs solis, quòd in ea esset templum solis; quòdque Sol in illa adoraretur.

[ ℣. 46. *Triginta autem annorum erat quando stetit in conspectu regis Pharaonis* ] Hoc exprimitur tum ad chronologiam texendam; tum ad significandum quòd Josephus annis quatuordecim fuerit in servitute Annorum quippè sexdecim erat quando fuit venditus, ut habetur cap. 37. videamusque quàm abundè compensaverit Deus ejus ærumnas, quæ solùm annis 14. duraverunt, cùm ejus principatus & prosperitas duraverit ab anno trigesimo usque ad centesimum & decimum annum vitæ ipsius, idest, per annos octoginta: tum ut intelligamus in hoc quoque Josephum figuram Christi gessisse, qui cum esset incipiens quasi annorum triginta Luc. 3. spiritualem suam œconomiam cœpit, sicut simili anno Joseph temporalem. Ista quippè ætas matura est & rebus gerendis idonea, qua etiam S. Joannes Baptista prædicare cœpit.

[ *Et circuivit omnes regiones Ægypti.* ] Ut negotium sibi commissum exequeretur, tempestivèque curaret in singulis urbibus regia horrea construi, ac ordinaret quintam frumenti partem in illis recondi. Per quod docentur gubernatores, visitare & oculis suis videre quæ sibi sunt commissa. Isti figuræ respondet quod Christus Matth. 4. *Circuivit totam Galilæam docens, prædicans & sanans omnem languorem & omnem infirmitatem.*

[ ℣. 47. *Venitque fertilitas septem annorum:* ] Sicut Joseph prædixerat:

[ *Et in manipulos* ] Ut melius conservarentur.

[ *Redactæ segetes congregatæ sunt in horrea Ægypti.* ] Seu in horrea quæ Joseph per Ægyptum disposuerat ex nomine regis: sermo enim est de segetibus quantum ad eam partem quæ regi obtingebat, & quam Joseph ei emebat: quemadmodum & in eo quod sequitur.

[ ℣. 48. *Omnis etiam frugum abundantia* ] quam Joseph præcipiebat colligi, unoquoque quintam frugum suarum partem vendente, & quibusdam voluntariè fortassis majorem vendentibus.

[ *In singulis urbibus* ] in quibus quinta illa pars colligebatur.

[ *Condita est.* ] Ita scilicet ut in qualibet reconderentur quæ ab ejus incolis congregabantur.

[ ℣. 49. *Tantaque fuit abundantia tritici, ut arenæ maris coæquaretur.* ] Hyperbole est, ad significandam maximam tritici multitudinem.

[ *Et copia mensuram excederet.* ] Quod dupliciter intelligi potest. Uno modo, tantam fuisse copiam ut præ multitudine non mensuraretur: Alio modo quòd copia excederet mensuram omnium annorum præcedentium, etiam illorum qui fuerant fertilissimi. Mirum hic videri potest, quomodo Joseph non ignarus patrem de ipso esse valde tristem & anxium, non eum sive litteris sive aliter monuerit suæ incolumitatis, vel quando privatam & servilem vitam agebat annis quatuordecim; vel postea, quando fuit evectus ad primatiam præfecturam Ægypti. Resp. divinitus ita fuisse procuratum, quia si primis quatuordecim annis patrem monuisset, ipse non fuisset passus eum permanere in servitute, atque ita non fuisset familiæ Jacob opportunitas prosperitatis quam postea in Ægypto habuit, pro cujus tamen salute Deus Joseph miserat in Ægyptum; ut dicitur cap. 45. postquam verò Joseph ad summam dignitatem promotus fuit, ideo ad patrem non scripsit, quia futurorum conscius à Deo factus, cognovit futuram famem septennem, & quòd ea occasione Pater cum sua familia venturus esset in Ægyptum, ibique ab ipso subsidium habiturus.

Cur Joseph non curavit monere patrem suæ incolumitatis.

[ ℣. 50. *Nati sunt Joseph filii duo antequam veniret fames:* ] Per quod datur intelligi, tempore famis non esse vacandum generationi, eò quòd in communi & publica calamitate, abstinendum sit à voluptatibus, etiam licitis: quomodo Noe & filii ejus tempore diluvii non dederunt operam generationi.

Allegoricè observa quòd Christus quoque uxorem sibi desponsavit Ecclesiam, ex qua duos genuit filios, quatenus Judaicum & Gentilem populum fecit credentem.

[ ℣. 51. *Vocavitque nomen primogeniti, Manassee,* ] quod oblivionem significat.

[ *Dicens: Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum,* ] gratitudinem suam erga Deum ostendit Joseph, hujus nominis impositione statuens perenne monumentum divinæ in ipsum misericordiæ, quæ sic ei benefecit ut labores præteritos oblivioni traderet.

[ *Et domus patris mei.* ] Reprehendit Josephum Calvinus, tum quòd honoris dulcedine captus sic obnubilatam mentem habuerit, ut paternæ domus esset immemor; tum quòd licèt secundus à rege, infelix tamen erat quamdiu ab Ecclesia exulabat. Sed in utroque errat hæreticus. Non enim Joseph dicitur oblitus domus patris, quasi patrem & fratres penitus fuerit oblitus, memoriamque eorum charitativam deposuerit; cùm ex lachrymis & sollicitudine quæ in hujus historiæ progressu continentur, oppositum liquidò constet; sed partim, quia nunc ea prosperitate & pace fruebatur, ut injuriarum quas à fratribus sustinuerat oblivisceretur; partim quia sic bonis omnibus abundabat, ut nihil opus haberet bonorum domus paternæ meminisse ad desiderandum aliquid ex ipsis: quo modo filius prodigus ad egestatem redactus recordatus fuit domus patris sui Luc. 15. Neque verò à domo paterna absens, dici potest exul fuisse ab Ecclesia; cùm Ecclesia sit societas fidelium ubicumque locorum ipsi sint; Joseph autem perseveraverit non tantum fidelis, sed etiam justus; cumque ipse ad Ecclesiam alios ex Ægyptiis adduxerit, erudiens principes Pharaonis sicut semetipsum, & senes ejus docens prudentiam, Psalm. 104.

Quo modo Joseph oblitus fuit patris.

[ ℣. 52. *Nomen quoque secundi appellavit Ephraim,* ] quod crescens vel fructificans interpretatur. Unde pro nominis ratione subjungit.

[ *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* ] Pro, paupertatis in Hebr. legitur *afflictionis*, in Græco, *humilitatis*, eodem sensu: significat enim Joseph

terram

terram Ægypti in qua ipſe fuit afflictus & humiliatus, ac etiam pauper. Ex his intelligi poteſt Joſephum iſta nomina impoſuiſſe juxta ſermonem Hebræum, non juxta Ægyptium; quis interpretationis jam dictæ ſunt nominum Hebræorum. Cæterùm ſicut Manaſſes natus fuit ante Ephraim; ita oportet ut ſi velimus creſcere in juſtitia, & fructificando ambulare de virtute in virtutem, prius obliviſcamur iniquitatum noſtratum, conando eas delere per pœnitentiam. Ne quis autem miretur quòd eas comparamus laboribus; meminerit impios ita Sap. 5. loquentes introducei, *laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles*. Oportet inſuper nos obliviſci domus patris, ſive illam quatenus nobis impedimento eſſe poteſt ad ſalutem vel perfectionem deſerendo; ſive rebus mundanis renunciando, ſicut Abraham Gen. 12. egredi jubetur de domo patris ſui ut iret in terram promiſſionis; & ſponſæ Pſalm. 44. dicitur *obliviſcere populum tuum & domum patris tui*. Quoniam verò ſicut gratia & charitas quæ ad juſtificationem pertinent, digniores ſunt quàm pœnitentia; ita etiam præſtantius eſt, in juſtitia creſcere, quàm obliviſci peccatorum ea per pœnitentiam delendo; ſive, quam eorum pœnitere. Ideo huic tropologiæ reſpondet quòd Ephraim fuit poſtea prælatus Manaſſe c. 48.

[ ℣. 54. *Cœperunt venire ſeptem anni inopiæ*: ] Sive, ut in Heb. & Græco eſt, famis. Verum Vatem fuiſſe Joſeph probavit ſeptennis fertilitas: idem verò efficacius confirmavit ſterilitas & inopia ſubſequens. Unde mox ſequitur.

[ *Quos prædixerat Joſeph: & in univerſo orbe fames*
Quid intelligitur per univerſum orbem. *prævaluit*, ] hoc eſt, in valdè magna parte mundi vel in omnibus regionibus Ægypto adjacentibus: frequens enim eſt hyperbole, qua per univerſum orbem intelliguntur multæ orbis regiones: velut Luc. 2. *ut deſcriberetur univerſus orbis*: ad Rom. 1. *fides veſtra annunciatur in univerſo mundo*: Et cap. 10. *In omnem terram exivit ſonus eorum*. Et quemadmodum nomine univerſi orbis ſolùm intelliguntur regiones cognitæ; ita hic ubi de re ad Ægyptum pertinente ſermo eſt, per univerſum orbem intelligi poſſunt regiones Ægyptiis cognitæ. Confirmatur, Non erat poſſibile totum mundum ſimpliciter & propriè acceptum vivere de quinta parte frugum Ægypti: non igitur ſermo eſt de toto orbe ſimpliciter & propriè accepto. *In cuncta autem terra Ægypti panis erat*. Quidam legunt, panis non erat; Alii fames erat: ſed noſtra lectio conformis eſt Hebræo ac Græco, habeturque in vetuſtis codicibus. Per quam ſignificatur quòd fames alias gentes invaſerit quando Ægyptii adhuc ſatis habebant frumenti pro ſuis familiis. Etſi enim Joſeph necdum aperuiſſet horrea regis: quia tamen propter vulgatum rumorem famis venturæ, Ægyptii ſibi providerant ex abundantia annorum fertilium, idcirco in annorum ſterilitatis initio frumentum ac panes habebant. Verùm quia nec omnes nec plerique ita ſibi providerant ut ſua frumenta ſibi ſufficerent in longum tempus; propterea & Ægyptus famem ſentire cœpit. Ideo ſequitur.

[ ℣. 55. *Qua eſuriente, clamavit populus ad Pharaonem, alimenta petens*. ] Eò quòd ſciret ex ejus authoritate factam fuiſſe magnam frumenti proviſionem. Diſcere hinc habent reges & principes, ſe quodammodo eſſe parentes ſuorum ſubditorum, ſibique incumbere ut eis temporalia procurent, præſertim quando eſt neceſſitas. Hinc Iſai. 3. dicit populus, *Veſtimentum tibi eſt, princeps eſto noſter*. Cui reſpondet alius, *Non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis neque veſtimentum; nolite conſtituere me principem populi*; ideo nolens eſſe princeps, quia non habebat unde populum juvaret contra famem & nuditatem.

[ *Ite ad Joſeph: & quidquid ipſe vobis dixerit, facite*: ] Ipſum enim præpoſui univerſæ terræ Ægypti, eique negotia regni, ac ſpecialiter illud quod eſt de re frumentaria commiſi. Sic Principes qui neſciunt diſtribuere, alios qui id noverint, deputare debent.

[ ℣. 56. *Creſcebat autem quotidie fames in omni terra*: ] Nimirum Ægypti, aliiſque regionibus Ægypto vicinis.

[ *Aperuitque Joſeph univerſa horrea*, ] in qualibet civitate, ut non compellerentur omnes ire ad unum locum pro emptione frumenti:

[ *Et vendebat Ægyptiis*: ] Per miniſtros in unaquaque urbe ab ipſo conſtitutos.

[ ℣. 57. *Omneſque provinciæ* ] Ægypto ſcilicet propinquæ, ut Chanaan & aliæ circumjacentes.

[ *Veniebant in Ægyptum ut emerent eſcas*, ] ex horreis regiis;

[ *Et malum inopiæ temperarent*. ] Seu lenirent. Quia temperantia diminutionem, & non plenam ſeu totalem ablationem ſignificat; Abulenſis notat quòd iſto tempore Joſeph non permittebat unicuique tantam frumenti copiam emere, quantam voluiſſet; ſed quanta poterat neceſſitati ſufficere, conſiderata tum quantitate frugum reconditarum, tum diuturnitate ſterilitatis. Unde ſupra dictum eſt quòd ſeptem boves macilentæ, devoratis & conſumptis prioribus *nullum ſaturitatis dedere veſtigium*.

## CAPUT XLII.

*Decem fratres Joſeph in Ægyptum eunt pro emendo frumento, ibique ab eo agnoſcuntur, durius tractantur, & in carcerem mittuntur. Tamdem Simeone in vinculis relicto, ad patrem revertuntur pecuniam in ſaccis unà cum frumento inſcii reportantes.*

[ ℣. 1. A*udiens autem Jacob quòd alimenta venderentur in Ægypto*, ] hoc audivit Jacob ab iis qui frumenta in Ægypto empta comportabant in ſuos uſus. Tam Hebræa quàm Græca legunt, *Videns autem Jacob*. Sed aut videns ponitur pro, cognoſcens vel intelligens: Et quia Jacob ex auditu ſolo cognoverat, noſter interpres dixit, audiens: Aut videre ponitur pro audire, ſicut Exod. 20. *Cunctus populus videbat voces*. Actus enim viſus, cùm ipſe ſit aliis ſenſibus communior, ſæpè pro aliquo eorum ponitur: Nam & ſupra cap. 27. ubi habemus, *Ecce odor filii mei*, Hebræa habent, *Vide odorem*; cum tamen odor non viſu percipiatur, ſed olfactu. Pro eo, *quòd alimenta venderentur*, Hebræa dicunt, quòd fractio eſſet: frangere autem Hebræi uſurpant pro dividere & diſtribuere, Iſa. 58. *Frange eſurienti panem tuum*; Et Thren. 4. *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*: ac per conſequens lectionis Hebraicæ ſenſus eſt, quòd alimenta diſtribuerentur, illis videlicet qui vellent ea emere. Sunt qui dicant quòd verbum Hebræum non ſolùm ſignificat frangere, ſed etiam vendere, & ea facere in quibus diſtributio intervenit.

[ *Dixit filiis ſuis: Quare negligitis?* ] In Hebr. ad quid aſpicitis vos ipſos. Quoniam verò pigri cum aliquid agendum eis incumbit, ſolent ſeipſos aſpicere, & mutuò expectare dum alter negotium expediat; rectè noſter vertit, quare negligitis?

[ ℣. 2. *Audivi quòd triticum venumdetur in Ægypto*: ] Heb. ſicut prius, *quòd eſt fractio in Ægypto*.

[ *Deſcendite*, ] ita loquitur, quia Ægyptus erat inferior, quàm terra Chanaan in qua erat Jacob.

[ *Et emite nobis neceſſaria*, ] paucas eſcas dicunt 70. per quod oſtenditur quòd neceſſitas paucis eſt contenta. Intelligi ex his poteſt, quòd qui famem verbi Dei ac divinæ gratiæ patiuntur, hoc aſcribere debeant ſuæ negligentiæ. Et quamvis juniores citius quàm ſeniores audire nova conſueverint, dum huc illucque diſcurrunt; tritici tamen venumdationem citius audivit Jacob ſenex quàm ejus filii juvenes; quia ipſe erat venerabilis ſenex, cujus *ætas ſenectutis erat vita immaculata*, Sap. 4. ſicque rerum neceſſariarum curam & notitiam accipiebat, etſi non vanarum & ſuperfluarum, ſicut ſolent juvenes.

[ ℣. 3. *Deſcendentes igitur fratres Joſeph decem*, ] Ideo decem, quia junior, ſcilicet Benjamin domi fuit retentus, patre dicente:

[ ℣. 4. *Ne fortè in itinere quidquam patiatur mali*: ] In Heb. *Ne fortè accidat ei periculum*, ſeu ut in Græco eſt, languor vel calamitas: hoc eſt, ne mors ei accidat ſicut accidit Joſepho ejus fratri: Illum enim mortuum eſſe exiſtimabat Jacob.

[ ℣. 6. *Cumque adoraſſent eum fratres ſui*, ] Adoratione ſcilicet civili, quæ magnatibus exhibetur per inclinationem ſui in terram quo modo ſonant He-

Hebræa. Ita cœptum est impleri somnium de manipulis adorantibus manipulum Joseph, & de stellis eum adorantibus cap. 37. Ita quoque videmus non esse sapientiam, non esse prudentiam, non esse consilium contra Dominum, ut Proverb. 21. dicitur: Fratres enim Joseph, eum vendiderunt, ne adorarent, & ecce ipsum nunc adorant.

[ ℣. 7. *Et agnovisset eos*, ] facilè ipsi fuit eos agnoscere, tum ex habitu, gestu, & sermone; tum ex eo quòd cum grandiores essent quando fuit ab illis venditus, minor in eis esset facta mutatio:

Joseph non afflixit fratres animo vindictæ.

[ *Quasi ad alienos durius loquebatur*, ] qui sermo durior, & justus erat, ut sic eorum peccata aliqualiter castigarentur; & utilis, ut ita adducerentur in cognitionem iniquitatis in fratrem commissæ, ac etiam ad pœnitentiam: *Vexatio* enim *dat intellectum*. Isa. 28. dedit que istis, cum postea legantur dixisse, *Meritò hæc patimur*, infra v. 21. Hinc August. serm. 82. de tempore, ait Joseph valdè fratres suos afflixisse, non quòd eos odisset, aut se de illis vindicare vellet; sed ut per hujusmodi tribulationem fatigatos ad confessionem criminis & ad pœnitentiæ medicamentum provocaret. Et quia sciebat quòd fratribus suis parricidii crimen sine grandi pœnitentia indulgeri non posset: Ideo semel & secundò & tertiò eos medicinali tribulatione tamquam igne quodam decoxit; & ob id noluit ante criminis agnitionem se manifestare, aut eis pacis osculum præbere: post eam verò flevit super singulos, & odium ipsorum lachrymis amoris abluit.

[ ℣. 8. *Non est cognitus ab eis*. ] Quia sexdecim tantùm annos ætatis impleverat quando fuit ab illis venditus, & nunc erat annorum triginta novem, intra quod tempus maximæ fiunt alterationes in homine.

[ ℣. 9. *Recordatusque somniorum*, ] Per adorationem sibi à fratribus exhibitam videns ea impleri:

[ *Ait ad eos*: ] Non animo vindictæ, sed tum probandi tum castigandi & convertendi eos causa. Memor culpæ, remissor injuriæ, ait Gregor. hom. 21. in Ezechiel. mala fratrum nec reddere studuit, nec sine purgatione laxare.

Quomodo Joseph non est mentitus.

[ *Exploratores estis*: ] Nequaquam mentitus est Joseph, quia licèt ejusmodi verba videantur continere assertionem, non tamen dicuntur assertivè, sed tentativè, quomodo familiare est principibus & judicibus usurpare enunciationes quando volunt reos tentare & veritatem ab eis inquirere. Volebat autem Joseph ista loquendi forma fratrum suorum animos tentare, & ab eis veritatem extorquere de patre & fratre Benjamin. Neque putandum est quòd eos ulla injuria affecerit; cùm & sufficientem causam haberet sic ipsos tentandi, & esset princeps ac judex in Ægypto, nec expediret aliquam adversùs eos publicam accusationem institui, quia sic eos magis infamasset sine ullo fructu. Confirmari potest hæc interpretatio ex versu 15. ubi iisdem verbis repetitis subjungit Joseph, *Jam nunc experimentum vestri capiam*: Ubi enim est locus experimenti, ibi non est locus simplicis assertionis ejus rei cujus experimentum facere volumus, cùm experimentum fiat ad cognitionem capiendam.

[ *Ut videatis infirmiora terræ* ] in Hebr. nuditatem terræ,

[ *Venistis*. ] Hoc est loca minùs munita, magisque nudata munitionibus. Hebræi exploratores vocant à verbo quod pedem significat, quia ipsi terram perambulant sicut facit diabolus magnus explorator, qui circuit & perambulat terram, Job 1. & 1. Petri 5. Hanc ergo prudentiam à Josepho discamus, ut simul atque veniunt cogitationes peregrinæ, objiciamus eis crimen exploratoris, nec eas admittamus donec certi simus de illarum bonitate.

[ ℣. 11. *Omnes filii unius viri sumus*: ] Ideòque non est mirum quòd plures simul venimus.

[ *Pacifici venimus*, ] hoc est recti, sinceri, & veraces.

[ ℣. 13. *Duodecim; inquiunt, servitui, fratres sumus*, ] non est necesse hos fratres arguere mendacii ex eo quòd existimarent Josephum esse mortuum, atque adeò non nisi superesse undecim. Ex illorum enim mente sensus esse videtur, Nati fuimus ex eodem patre, duodecim fratres. Ideo namque subjiciunt.

[ *Minimus cum patre nostro est*, *alius non est super*. ] Sive, non superest: unde satis apparet non fuisse mentem eorum dicere, quòd hoc tempore viverent duodecim fratres.

[ ℣. 14. *Hoc est*, *ait*, *quod locutus sum*: *exploratores estis*. ] Vos fingitis quòd alium fratrem habetis qui vobiscum non comparet, & inde satis videtur alia quoque verba vestra esse falsa, mea autem quibus dixi, *Exploratores estis*, vera. Pergit Joseph tentativè loqui & explorare num erga Benjamin non fecerint quippiam simile, quale erga ipsum.

[ ℣. 15. *Jam nunc experimentum vestri capiam*: ] Effectu ipso probabo, an non ita sit sicut dixi.

[ *Per salutem Pharaonis non egrediemini hinc*, ] omnes scilicet sicut venistis,

[ *Donec veniat frater vester minimus*. ] Licitè jurat Joseph per salutem Pharaonis; partim quia juramentum per creaturas est licitum, in quantum in eis relucet divina veritas, ut ostendimus 2. 2. quæst. 89. art. 6. partim quia salus Pharaonis magnum tunc temporis erat bonum pro salute Ægypti, ac etiam populi Dei. Potest autem intelligi hoc juramentum fuisse, aut per simplicem contestationem, contestando scilicet veritatem divinæ justitiæ, ad cujus executionem reges & principes constituuntur: aut per execrationem, qua Joseph salutem Pharaonis obligaverit Deo, ut tradit B. Thomas dicto art. 6. Verum quoque fuisse hoc juramentum liquet ex textu, quia unus fratrum fuit detentus, & sic non omnes sunt egressi. Et quòd jurantis intentio non fuerit dicere nullos egressuros, tum ex sermone qui erat indefinitus intelligi potest; tum ex eo quod statim subjicit. De juramento Josephi.

[ ℣. 16. *Mittite ex vobis unum*, *& adducat eum*: ] Inde enim manifestè patet fuisse intentionem Josephi, aliquem fratrem emittere qui Benjamin accerseret.

[ *Alioquin per salutem Pharaonis exploratores estis*: ] Hoc est, nisi faciatis quod dico; atque ita probetis vera esse quæ dixistis, meritò habebimini exploratores: quamvis enim non esset simpliciter consequens, quòd si mentiti fuissent in sua narratione, essent exploratores; id tamen justa fuisset ratio, cur possent pro talibus haberi; quoniam si ibi deprehensi fuissent in mendacio, non meruissent fidem in eo quod negabant se esse exploratores, quin imò in suspicionem illius criminis incidissent. Similis modus loquendi est, 3. Reg. 18. *Deus qui exaudierit per ignem*, *ipse sit Deus*, id est, habeatur Deus, juxta August. quæst. 139. in Genes.

[ ℣. 17. *Tradidit ergo illos custodiæ tribus diebus*. ] Sive ut sic luerent triplex crimen contra Joseph commissum, scilicet mortis intentatæ, projectionis in cisternam, & venditionis: sive, quia Joseph non majorem quàm tridui pœnam voluit à fratribus exigere: sive, ad designandum tres esse partes pœnitentiæ, quibus obtinetur remissio peccatorum.

At dices ex cap. 37. constat Ruben neque in occisionem, neque in venditionem Josephi consensisse, sed conatum fuisse eripere eum de manibus fratrum: quare ergo cum aliis traditur custodiæ? Quidam respondent Ruben non potuisse commodè eximi à communi pœna, ne aliis fratribus daretur occasio aliquid suspicandi, & Josephum agnoscendi. Sed cum hoc non videatur sufficere ad justam incarcerationem; potius dicendum est, Ruben non per omnia fuisse innocentem; tum quòd non satis fortiter restiterit machinationi fratrum; tum quòd patri non declaraverit quid esset factum de Joseph, sed unà cum aliis consenserit ut ei diceretur, *Hanc invenimus*, *vide utrum tunica filii tui sit*, *an non*; sicque facilè meruit tam brevem pœnam carceris.

[ ℣. 18. *Die autem tertio eductis de carcere*, *ait*: *Facite quæ dixi*, ] Ut huc veniat frater vester minimus.

[ *Et vivetis*: ] Non vos interficiam tamquam exploratores.

[ *Deum enim timeo*. ] Ideòque nolo in vos esse crudelis, sed benignus. Aperit se veri Dei esse cultorem; & ne immodico pavore terreantur, ostendit se bona fide cum eis agere.

[ ℣. 19. *Si pacifici estis*, ] Prout vos dicitis.

[ *Frater vester unus* ] seu unus ex vobis.

[ *Ligetur in carcere*: *Vos autem* ] Reliqui novem.

[ *Abite*

[ *Abite & ferte frumenta &c.* ℣.20. *Ut poſſim veſtros probare ſermones,* ] quòd veri ſint.

[ *Et non moriamini.* ] Subeundo pœnam exploratorum.

[ *Fecerunt ut dixerat,* ] Conſenſerunt quòd unus eorum detineretur, & expectaores quis ille eſſet, paraverunt ſe ad iter, emptaque frumenta ſaccis infuderunt.

[ ℣. 21. *Et locuti ſunt ad invicem:* ] Prius quàm recederent è præſentia Joſephi.

Tribulationis utilitas.

[ *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum,* ] Magna tribulationis efficacia. Ab annis viginti tribus in Joſeph peccaverant, nihilque de ipſo nunc audiverant, & tamen peccatum in eum commiſſum, ita redit eis in memoriam ut cognoſcant ſe propter illud jam puniri. Sic *vexatio dat intellectum,* Iſa.28.& oculos quos culpa claudit, pœna aperit. Quod oculis Tobiæ fuit ſtercus hirundinis, Tob.2. hoc humanis mentibus eſt proſperitas ſæculi: excœcat enim ut ſeipsos non noverint, neque priorem ſuam vilitatem conſiderent. At ſi ſel tribulationum accedat, Tobias viſum recipit, & cœci illi incipiunt ſeipſos agnoſcere. Hujus rei exempla ſunt in aliquot capitibus Exodi de Pharaone; 2. Paralip.33. de Manaſſe; Daniel.4. de Nabuchodonoſor; 1. Machab.6. de Antiocho. Sic & nos ſive bello ſive aliis calamitatibus preſſi, debemus fateri ac dicere, *Meritò hæc patimur,* quia peccavimus in Deum.

[ *Videntes anguſtiam animæ illius, dum deprecaretur nos,* ] agnoſcunt quòd ſicut fratrem deprecantem non audierant, ita ipſi deprecantes non exaudiuntur, principe inexorabilem ſe eis exhibente, juxta quod Proverb.21. ſcribitur: *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit & non exaudietur.*

[ ℣. 22. *En ſanguis ejus exquiritur.* ] Exiſtimabant Joſephum in tam dura ſervitute eſſe mortuum, præſertim cum nihil omnino de eo audiſſent à tempore venditionis. Sanguis autem pro morte ſeu pœna mortis illatæ ponitur; & ſenſus eſt, à nobis exigitur pœna & vindicta necis quam inferre voluimus fratri noſtro Joſepho, & quam occaſione venditionis per nos factæ incurrit in ſervitute Ægyptiaca.

[ ℣. 23. *Neſciebant autem, quod intelligeret Joſeph:* ] Seu is qui erat quidem Joſeph, ſed neſciebant eum eſſe, ideòque etiam neſciebant quòd calleret linguam Hebræam. Pro, intelligeret, Hebr. habetur *audiret:* ſed ex ratione quæ ſubjungitur manifeſtum eſt audire ſumi pro intelligere, ſicut Deut. 28. *cujus linguam intelligere,* in Hebr. audire *non poſſis:* Et Jerem.5. *cujus ignorabis linguam nec intelliges quid loquatur.* Heb. ſonat, non cognoſces linguam ejus, nec audies quid loquatur.

[ *Eo quod per interpretem loqueretur ad eos.* ] Ne ſe proderet, ſi lingua materna fuiſſet locutus.

[ ℣.24. *Avertitque ſe parumper, & flevit:* ] Naturali amore vincitur Joſeph, & ſeceſſum petens, flendo ſolvit quod pietati debuit. Liquet hinc quòd Joſeph non affliaerit fratres animo vindictæ, ſed affectum miſericordiæ ſemper retinuerit, quem poſtea prodidit. Eòdemque facit quòd non exacanduit neque vultum mutavit, quemadmodum illis contingit qui ex animo vindictæ operantur.

[ ℣. 25. *Tollenſque Simeon & ligans* ] Præ cæteris hunc retinuit & ligavit, quia in ſcelere contra Joſephum admiſſo magis fuit culpabilis, ſaltem non inſiſtendo pro ipſius liberatione. Cùm enim Ruben & Judas qui honorabiliores erant pro ea agerent; ſi Simeon qui primus natu erat poſt Ruben, ſe illis junxiſſet, reliqui facilè his tamquam primis & honorabilioribus ceſſiſſent.

[ *Illis præſentibus,* ] ideo fratribus præſentibus Simeonem ligavit, partim ut terrorem eis incuteret, partim ut ipſos permoveret ad celerius adducendum Benjamin & ad ſollicitius agendum pro illius liberatione.

[ *Juſſit miniſtris ut implerent eorum ſaccos tritico, & reponerent pecunias ſingulorum in ſacculis ſuis,* ] cujus rei una ratio fuit, ne alioquin deeſſet fratribus unde iteratò venirent frumenta empturi. Altera, ut benignitatis indicium fratribus exhiberet. Quamvis enim ea re turbati fuerint, erat tamen unde exiſtimarent benignitate principis id eſſe factum, maximè cum & cibaria eis dare juſſerit quanta ſufficere poſſent pro toto itinere.

Per iſtos fratres rei frumentariæ emptores, Allegoricè ſignificantur illi qui proximis docendis invigilant, & tamquam navis inſtitoris de longè portant panem verbi Dei. Quòd autem Simeon qui auditum vel auditionem interpretatur, ligatus tenetur, ſignificat oportere eos qui à Deo quærunt panem veræ ſapientiæ, habere auditum vinctum, ut non quoslibet doctores audiant, ſed Chriſtum ejuſque miniſtros propter quem in captivitatem redigitur omnis intellectus in obſequium Chriſti. 2.ad Cor.10.

[ ℣.27. *Apertoque unus ſacco, ut daret jumento pabulum in diverſorio,* ] cùm ordinarium pabulum jumentorum non ſit triticum, minimè verò in tanta caritate annonæ quantam experiebantur filii Jacob; cumque non eodem ſacco concludi ſoleant triticum, & avena vel quid ſimile pabuli jumentorum; exiſtimandum eſt quòd præter ſaccos tritico deferendo ſervientes, alios haberent ſacculos vel ſaccos ad ſuorum jumentorum pabulum deputatos: Et in his repoſitæ fuerunt pecuniæ, ut citò reperirentur, quando dandum eſſet pabulum jumentis.

[ ℣. 28. *Dixit fratribus ſuis: reddita eſt mihi pecunia, en habetur in ſacco.* Alios quoque in iſto diverſorio aperuiſſe ſaccos ſuos, ſive ut ſuis jumentis cibum præberent, ſive ut viderent in eis repoſitæ etiam eſſent pecuniæ, probabiliter arbitrantur Liranus, Abulenſis, Delrio, & quidam alii; idque ſignificant verba ſequentia.

[ *Et obſtupefacti, turbatique, mutuò dixerunt: Quidnam eſt hoc quod fecit nobis Deus?* ] Videntur enim loqui de eo quod non uni, ſed pluribus factum eſt. Et confirmari poteſt ex c. ſeq. ubi manifeſtè dicunt ſe aperuiſſe ſaccos ſuos in diverſorio, ac in eo pecuniam ſuam reperiſſe.

[ ℣.29. *Veneruntque ad Jacob* ] ei per ordinem narrant filii quid in Ægypto ſibi acciderit, ut intelligeret quare Simeon cum ipſis non redierit.

[ ℣. 35. *Singuli repererunt in ore ſaccorum ligatas pecunias: exterritiſque ſimul omnibus,* ] quæri poteſt, quomodo filii Jacob dicantur fuiſſe nunc exterriti quando præſente patre ſaccos ſuos aperuerunt in eiſque pecunias ſuas invenerunt, cum jam antea hoc feciſſent in diverſorio? Sunt qui negent feciſſe, exiſtimantes unum quidem in diverſorio ſaccum ſuum aperuiſſe, at non alios. Sed quoniam verba cap. ſeq. verſ.21. prorſus oppoſitum ſignificant: Ideo dici poteſt quòd cum in domum patris venerunt, pecuniaſque ſuas repererunt, omnes exterriti fuerunt, id eſt, pater cum filiis: pater quidem, velut propter rem omnino novam & inexpectatam: filii verò non propter rem ſibi novam, ſed propter fraudem quam apprehendebant, & propter periculum quod iſti modo agendi poterat ineſſe.

[ ℣. 36. *Abſque liberis me eſſe feciſtis,* ] præter illos tres filios de quibus loquitur Jacob, adhuc ſupererant novem; & tamen non malè conqueritur ſe liberis orbati, tum quia ſecundùm quod humanitus timere poterat, orbabatur illis quos maximè diligebat, Joſepho nimirùm & Benjamin, ac inſuper uno ex ſenioribus; tum quia loquitur more graviter dolentium qui facilè in propoſitiones univerſales erumpunt ac dicunt omnia mala ſibi eveniſſe, ſi aliqua notabilia acciderint; & cuncta bona deficere, ſi aliqua deficiant: dolore videlicet ſermonem hyperbolicum exprimente.

[ ℣. 37. *Cui reſpondit Ruben: duos filios meos interfice, ſi non reduxero illum tibi:* ] Non exiſtimabat Ruben quòd Jacob talem conditionem quæ impia prorſus & inhumana erat, acciperet, ſed utitur hyperbole ad indicandum ardens deſiderium ſubveniendi paternæ familiæ; & ad exprimendam maximam fiduciam reducendi Benjamin quam conceperat partim ex eo quòd ſciret ſe non conſenſiſſe in venditionem fratris partim ex verbis Joſeph quibus fuerat proteſtatus ſe Deum timere.

[ ℣. 38. *Non deſcendet, inquit, filius meus vobiſcum:* ] Non eſt mentitus Jacob, quia ſic intendebat ſicut loquebatur, etiamſi poſtea fame cogente conſenſerit ut Benjamin abduceretur.

] *Deducetis canos meos* ] hoc est ; me canum & senem.

[ *Cum dolore ad inferos* . ] Facietis ut præ dolore moriar : Per mortem quippe omnes tunc descendebant ad inferos , justi ad limbum patrum , vel ad purgatorium ; improbi ad infernum damnatorum.

## C A P U T XLIII.

*Cogente fame fratres Joseph tandem à patre impetrant ut revertantur in Ægyptum empturi escas : secumque ducunt Benjamin & ferunt pecuniam duplicem cum muneribus. Educto deinde Simeone de carcere simul epulati sunt cum Joseph.*

[ ℣. 1. I*Nterim* ] dum Jacob recusat Benjamin deduci in Ægyptum , ejus autem filii majores non audent sine ipso ire :

[ *Fames omnem terram vehementer premebat* . ] Per omnem terram intelligitur terra Chanaan cum regionibus ei adjacentibus, secundùm ea quæ cap. 41. v. 54. notavimus.

[ ℣. 2. *Consumptisque cibis* ] Penè omnibus.

[ *Dixit Jacob ad filios suos : revertimini & emite nobis pauxillum escarum* . ] Tacet de comitatu Benjamin qui antea fuerat per Ruben propositus , explorare volens an sine eo ituri essent , fame ipsos urgente : & dicit , *Pauxillum escarum* , quod nimirùm istius anni inediæ depellendæ sufficeret ; quia nesciebat famem adhuc annis quinque duraturam.

[ ℣. 3. *Respondit Judas* : Oblatione quam antea fecit Ruben , nequaquam admissa , nunc loquitur Judas , non tamquam ei natu proximus : nam etsi Simeon detineretur in Ægypto, adhuc intercedebat Levi ; sed tum ob animi magnitudinem , tum quia inter fratres prudentia , facundia , & authoritate excellebat.

[ *Denuntiavit nobis vir ille* ] vir dignitatem & præfecturam hìc significat, & is intelligitur quem cap. præcedenti vocaverunt Dominum terræ.

[ *Sub attestatione jurisjurandi* , ] Hebr. contestando contestatus est, sive, adhibito juramento denuntiavit. De isto Josephi juramento nihil refertur cap. super. & ideo quidam suspicati fuerunt Judam hoc confinxisse ut patrem fortius permoveret : sed verius est Moysen id quod uno loco tacuit , voluisse hìc exprimere. Fuit autem Josepho satis causæ ut juraret , quia fratrem suum Benjamin vehementer amabat ac videre cupiebat , sollicitus quid de eo esset, quòd non comparuisset cum aliis in Ægypto.

Quæ dicta sunt vel facta scriptura non semper omnia refert uno loco.

[ *Non videbitis faciem meam* ] vobis non patebit ullus ad me tutus accessus , sed si ausi fueritis comparere, vos puniam tamquam exploratores.

[ *Nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum* . ] Eum quem dicitis mansisse cum patre in terra Chanaan.

[ ℣. 6. *In meam hoc fecistis miseriam , ut indicaretis ei & alium habere vos fratrem* . Non vult dicere quòd eo animo vel intentione narraverint in Ægypto se alium fratrem habere , ut patri miseriam seu calamitatem afferrent ; sed quòd eorum verba præbuerint occasionem suæ miseriæ, simul eos aliquo modo notans imprudentia & multiloquio non necessario : quasi diceret, quid opus erat ista omnia narrare , quæ & vobis non proderunt, & mihi plurimum oberunt ? Eventum ergo facti , non facientium voluntatem consideravit Jacob : & mos scripturæ est de eventu sicut de causa finali loqui , juxta consuetudinem vulgi æstimantis intentionem facientium ex effectu secuto, licèt præter intentionem. Exempla videri possunt 3. Reg. 17. v. 18. 4. Reg. 4. v. 16. Amos 2. v. 7.

[ ℣. 7. *Interrogavit nos homo per ordinem nostram progeniem* : ] Hæc interrogatio non habetur cap. præced. factam tamen fuisse liquet ex cap. 44. ubi Judas ait ad Joseph , *Interrogasti prius servos tuos , habetis patrem aut fratrem* ? Unde non mentitur hìc Judas , sed Moyses juxta usitatum scripturæ morem id quod in recensione historiæ non dixit uno loco , dicit in alio.

[ ℣. 8. *Judas quoque dixit patri suo : mitte puerum* ] Benjamin erat jam annorum viginti quatuor, & aliquos ut ex cap. 46. verisimile est, filios genuerat , etsi non omnes illos qui ibi recensentur ; Vocatur tamen puer , tum respectu fratrum qui multò erant seniores ; tum quia Hebræorum consuetudo habet omnem filium comparatione parentum vocare puerum , ut diximus cap. 19.

Benjamin quomodo puer.

[ *Mecum* , ] meæ fidei ac curæ illum committendo.

[ *Ne moriamur nos & parvuli nostri* . ] Cùm aliundè quàm ex Ægypto, alimenta habere non possumus.

[ ℣. 9. *Ego suscipio puerum* : ] Pro illo fidejubeo ac spondeo, meque ipsum obligo : unde cap. 44. huc respiciens ; *in meam* , inquit , *hunc recepi fidem , & spopondi*.

[ *Nisi reduxero & reddidero eum tibi , ero peccati reus in te omni tempore*. ] Quamdiu vivam semper ero obnoxius iræ & indignationis tuæ, poterisque pœnam quam volueris, à me exigere.

[ ℣. 10. *Si non intercessisset dilatio* , ] si non fuisset interjecta itineri nostro remora, per hoc quod nolebas ut Benjamin veniret nobiscum :

[ *Jam vice altera venissemus* . ] Jam secundò rediissemus.

[ ℣. 11. *Igitur Israel pater eorum dixit ad eos : Si sic necesse est , facite quod vultis* ; ] Ratio quare Jacob ad Judæ potius quàm ad Ruben verba consenserit abduci Benjamin , non fuit hæc sola quòd fames nunc magis premebat quàm prius ; sic enim potuisset curam omnem demandare Ruben tamquam primogenito : sed aliæ eæque potissimæ fuerunt. Una , quòd Judas majore apud patrem valeret gratia utpotè fidelior, & constantior, quàm Ruben qui violaverat cubile patris. Altera, quòd sermo Judæ esset cordatior, & magnum erga patrem honoris & reverentiæ argumentum contineret , cùm conditio quam Ruben proponebat , impia esset , secundùm quod verbis exprimebatur. Discere hinc possumus , & non omnium fidejussionibus acquiescendum esse, & quantum valeant rationes prudenter allegatæ.

Cur Jacob acquieverit Judæ.

[ *Sumite de optimis terræ fructibus* ] in Hebr. de cantatione, seu de laudabili terræ : quia verbum Hebræum *Zamar* , significat canere & laudare. Cùm autem laudabile terræ sit illud quod terra producit optimum, ideòque & cani & laudari dignum, sensum luculentè reddidit noster interpres.

[ *Et deferte viro munera* , ] Ad promerendam ejus gratiam, ac celerem Simeonis liberationem, & ut amoliamini à vobis exploratorum suspicionem.

[ *Modicum resinæ* , ] quæ est succus defluens ex arboribus aromaticis.

[ *Et mellis* , ] quod in terra Chanaan excellebat propter flores illic salubres & odoriferos.

[ *Et storacis*. ] qui est succus Styracis arboris aromaticæ, de qua Plinius l. 12. c. 17. & 25.

[ *Stactes* , ] Quæ est lacryma seu succus myrrhæ.

[ *Et terebinthi* , ] Terebinthus est arbor nigrum lignum cum splendore præferens , apud Plinium lib. 13. cap. 6. & Calepinum . Hic pro ejus fructu sumitur , qui odore ut & splendore jucundus est. Pro terebintho quidam vertunt pineas : Sed B. Hieronymus non minùs Hebrææ vocis significationem calluit quàm Rabbini ; ipse autem sicut & interpretes 70. vertit terebinthum.

[ *Et amygdalarum*. ] Septuaginta dicunt nuces, sed genus pro specie ponunt , nuces pro amygdalis. Ex his intelligi potest quòd in terra Chanaan non omnium fructuum inopia laborarent , sed solùm aut potissimùm frumenti , pro cujus emptione ibant in Ægyptum.

[ ℣. 12. *Pecuniam quoque duplicem ferte vobiscum* : ] Ne fortè ob incrementum egestatis, frumentum nunc vendatur carius:

[ *Et illam , quam invenistis in sacculis , reportate* , ] Juxta litteræ tenorem Jacob videtur præcepisse filiis ut ultra pecuniam quam ex Ægypto detulerant , &

quam

quam vult eò referri, aliam duplicem secum portarcor pro emptione noui frumenti: Tam enim in Hebr.quàm apud 70.& io vulgata nostra editione, velut duo diversa pooustur, pecunia duplex, & illa quam invenerant in facculis, licèt non desint qui aliter interpretentur.

[ *Ne forte errore factum sit :* ] Quòd pecunia illa fuerit in facculis vestris posita.

[ ℣. 14. *Deus autem meus* ] fuum vocat; tum quòd ipse eum specialiter coleret, non verò gentes, quæ omnes ad simulachra vana convertebantur; tum quòd beneficiis plurimis eum cumulaverat.

[ *Omnipotens* ] Cum Deus infinitæ sit perfectionis, pluraque contineat quàm possimus exprimere, eum denomioare folemus ab effectu quem fecit, aut ut faciat rogamus: veluti, dum petimus veniam peccatorum, vocamus eum misericordem: Cum rogamus victoriam contra hostes, vocamus eum poteotem, aut fortem. Et quia Jacob nunc à Deo petit ut princeps Ægypti efficiatur placabilis fuis filiis, quibus antea fuerat durus & iratus (quantum quidem ipse existimabat) voluntatem verò efficienter mutare, & de irata ac aversa facere placatam, folius est divinæ potentiæ: Ideo convenienter hîc Deum nuncupat omnipotentem.

Cur hic Deus vocetur omnipotens.

[ *Faciat vobis eum placabilem :* ] Observandum quòd Jacob & munera principi mittit, & simul per preces ad Deum convertitur, omnibus mediis, humanis scilicet ac divinis utens quo fibi fuifque provideat: Per hoc enim docemur idem nobis esse faciendum.

[ *Ego autem quasi orbatus absque liberis ero :* ] Dum vos ibitis & redibitis, ero quasi orbatus, quia licèt filios habeam, nullus tamen eorum apud me erit qui senectam meam coosoletur. In Hebr. legitur, *Quomodo orbatus sum, orbatus sum*. Quæ geminatio est pathetica, valetque ad exprimendam Jacobi luctuosam miseriam; Aot alloquio juxta 70. qui habent, *sicut orbatus sum, orbatus sum*, sensus esse potest: sicut prius orbatus fum Simeone, jam præterea orbatus ero Beojamin. Hinc docendi parentes, spes & gaudia fua non ponere in filiis, quandoquidem Jacob tunc orbatur filiis, quando illis frui putabat: Ac nihilominus remunerationem à Deo esse expectandam, qui postea Jacobo reddit non folùm Simeonem & Benjamin, sed insuper Josephum.

[ ℣. 15. *Et steterunt coram Joseph.* ] Cum aliis occupato: Ideoque namque non est nunc ipsis locutus, nec ipsi habuerunt opportunitatem offerendi nunc ei munera, ut ex versu 25.& 26.patet.

[ ℣. 16. *Quos cum ille vidisset, & Benjamin simul*, ] fit expressa mentio Benjamio, quia Joseph specialiter ad eum aspiciebat; partim quia erat frater ejus uterinus unicèque dilectus; partim quia mandaverat fratribus ut non compareret coram eo fine Benjamin: Unde si cæteros fratres videns, illum non vidisset; non eos convivio excepisset, sed in carcerem misisset.

[ *Introduc viros domum, & occide victimas, & instrue convivium : quoniam mecum sunt comesturi meridie.* ] Hinc pater olim etiam prandia fuisse in usu, & non folas cœnas. Utrùm verò ista omnia dixerit Joseph dispensatori domus audientibus fratribus, incertum est, & potius videtur quòd non: fed quòd dispensator primò eis remierit fibi mandatum esse, ut eos introduceret: demum autem postea aperuerit quòd essent convivio excipiendi. Ideo namque videntur timuisse cum introducerentur, quia nesciebant ad quid introducebantur. Per victimas non oporteret intelligere bestias in facrificium offerendas: quia vox Hebræa generaliter significat mactationem, quæ tam profanæ quàm facræ potest accommodari; potestque ex Hebr. sic verti. Macta mactationem, id est, occide animalia ad epulum occidenda; nec quidquam est ob quod restringi debeat ad mactationem facram. Cur autem animalia pro epulo occidenda noster interpres appellaverit victimas, ratio esse potest, quia ad folemne epulum occidenda erant, sicut victimæ facrificales cum folemnitate occidebantur. Huic simile est quod 1.Reg.25. ubi nos habemus, *& carnes pecorum quæ occidi*, in Hebr. legitur, & victimam meam quam mactavi; apud 70. & victimas meas quas immolavi.

[ ℣. 18. *Ibique* ] in introitu domus.

[ *Exterriti*, ] oc propter pecuniam quam fecum antea detulerant, vocarentur ad examen & ad carcerem. Quod ad quietem & consolationem eis præstabatur, ipsi reputabant fieri ad miseriam: Ita verum est, quòd nequitia per conscientiam turbata femper præsomit fæva Sap.17. premebat enim hos fratres cònscientia sceleris in Joseph commissi, etsi longum temporis intervallum intercessisset.

[ *Ut devolvat in nos calumniam*, ] Ut calumniosè atque adeo injustè nos accuset & opprimat, fumpta metaphora à rebus gravibus ita ex alto decidentibus ut certò & ioevitabiliter opprimant eum in quem decidunt.

℣. 21. *Cum venissemus ad diversorium*, ] malè quidam *ad domum*: Nam loquuntur de publico diversorio.

[ ℣. 22. *Non est in nostra conscientia* ] sive non sumus conscii, & revera nescimus.

[ *Quis posuerit eam in marsupiis nostris.* ] Quæ erant in ore facci cujusque

[ ℣. 23. *At ille respondit: pax vobiscum.* Securo & pacato estote animo. Discendum, hinc non durè vel asperè tractandos esse eos qui peccata agnoscunt & fatisfacere volunt.

[ *Deus vester, & Deus patris vestri*, ] hoc est, quem vos colitis & quem pater vester colit.

[ *Dedit vobis thesauros* ] sive pecunias quæ instar thesauri occulti vos latebant. Ille dispensator, qui nunc loquitur vel onus fuerat ministrorum qui pecunias in faccis repofuerant, vel faltem conscius erat eas ibi fuisse repositas; Deo tamen factum attribuit partim agnoscens divinam providentiam, partim sciens Josephum (quem à Deo peculiariter gubernari non dubitabat) speciali ratione id jussisse.

[ *Nam pecuniam, quam dedistis mihi, probatam ego habeo.* ] Sive acceptam fero, & accepisse me fateor. Quæ interpretatio prorsùs convenit cum textu Hebr. qui sic habet, *Pecunia vestra venit ad me*. Ubi nullum est mendacium, quia revera ad eum venerat, & illam acceperat.

[ *Eduxitque ad eos Simeon.* ] Qui eo usque fuerat detentus. Hæc tamen eductio & liberaliter & citò facta, argumento est quòd humanè actum fuerit cum Simeone, in fratrum absentia.

[ ℣. 24. *Attulit aquam, & laverunt pedes suos*, ] Veterem hospitalitatis morem fervar dispensator, qui ut de Abraham fupra cap.18. & de Lotb cap.19. patet, habebat quòd hospites peregrinis aquam præberent ad pedes lavandos; qnooiam aqua refrigerat, & ad lassitudinem levandam juvat.

[ ℣. 25. *Illi vero parabant munera*, quæ ex patris mandato attulerant, neque adhuc offerre potuerant.

[ *Audierant enim quòd ibi comesturi essent panem.* ] Panis nomine cibos reliquos significari manifestum est, quia paulò ante dixerat Joseph dispensatori, *occide victimas & instrue convivium*, de isto autem convivio loquuntur nunc fratres.

[ ℣. 26. *Adoraverunt proni in terram.* ] Sic impletur fomnium Josephi de stellis undecim cap. 37. narratum, quia cum reliqois etiam Benjamin nunc adorat, imò & quod de fole dictum ibi est, quatenus munera offerunt patris & fuo nomine, eumque agnoscunt fervum Josephi rursum incurvati, & adorantes ac dicentes:

Somnium Joseph impletur.

[ ℣. 28. *Sospes est servus tuus pater noster*, ] Septuaginta, falvus est puer tuus, fed puerum pro famulo accipiunt.

[ ℣. 29. *Attollens autem Joseph oculos, vidit Benjamin* ] prius dissimulaverat fe eum vidisse: At nunc ex professo in illum oculos intendit & alloquitur:

[ *Et ait. Iste est frater vester parvulus*, [ Seu ætate minor vel junior?

[ *Deus, inquit, misereatur tui*, ] five, tibi beoefaciat femperque faveat.

*Fili mi:* ] Filium, noo fratrem vocat, aut affectum dissimularet, feque non proderet.

[ ℣. 30. *Festinavitque*, ] Quasi ad aliud negotium evocatus in aliquod ulterius cubiculum celeriter fe recepit, ubi fine arbitris naturali affectui locum daret & lachrimaretur: Id quod io fratrum præsentia facere noluit, ne ab eis agnosceretur; cupiebat enim fui cognitionem adhuc differri,

[ *Quia commota fuerant viscera ejus super fratre suo,* ] quem, utpotè solum uterinum unicè diligebat:

[ *Et erumpebant lachrymæ :* ] Præ amoris teneritudine.

[ ℣. 31. *Lota facie egressus, continuit se,* ] ne amplius fleret,

[ *Et ait : ponite panes.* ] Id est, apponite cibos.

℣. 32. *Seorsum Joseph, & seorsum fratribus,* ] Hinc patet Benjamin non assedisse Josepho in eadem mensa, ut quidam voluerunt: Sed tres mensæ fuerunt, in quarum una eaque honoratiore solus Joseph tamquam princeps Ægypti vescebatur; in secunda undecim fratres in tertia proceres Ægypti, qui ad convivium fuerant invitati. Unde sequitur.

[ *Ægyptiis quoque qui vescebantur simul, seorsum* ] Illud *simul*, non sic intelligi debet quasi in eadem mensa vescerentur, sed quia in eodem cœnaculo in eodemque tempore, non autem postea cum vulgo famulorum.

[ *Illicitum est enim Ægyptiis comedere cum Hebræis,* ] quia Ægyptii superbi & superstitiosi detestabantur, ut in fin. cap. 46. dicitur, omnes pastores ovium quales erant Hebræi, dedignabanturque illos tamquam viles, suaque mensa indignos.

Quo ordine federint fratres Joseph in mensa.

[ ℣. 33. *Sederunt coram eo,* ] Nondum enim mos accumbendi mensæ erat in usu, quem diu postea ex Græcis traxerunt Hebræi.

[ *Primogenitus juxta primogenita sua,* ] hoc est, eo loco qui jure primogenituræ debitus ipsi erat: sive, unusquisque secundùm ordinem suæ nativitatis, primogenitus primo loco; secundogenitus, secundo; & sic deinceps; ita ut ultimo omnium loco sederet Benjamin: hoc enim est quod sequitur.

[ *Et minimus juxta ætatem suam.* ] Id est, ultimo loco prout ætas postulabat.

[ *Et mirabantur nimis,* ] causam admirationis textus Hebræus (uti & 70. refert ad præcedentia, ut fratres admirati fuerint se ab Ægypti principe, cui se ignotos existimabant, seu ex ejus mandato à dispensatore, sic esse juxta ordinem ætatis in mensa dispositos sicut solebant in domo paterna sedere. Noster interpres referre videtur ad subsequentia, ita ut fratres admirati fuerint propter partes quas Joseph è sua mensa singulis ipsorum mittebat; hoc enim est quod sequitur:

Per partes intelliguntur fercula.

[ ℣. 34. *Sumptis partibus quas ab eo acceperant :* ] Quidam ex Hebr. vertunt, *Et elevavit elevationes à faciebus suis ad eos*, eodem tamen sensu: Nam Hebræis partes seu missus dicuntur elevationes, quia honoris causa elevatis in altum manibus deferebantur. Illud autem à faciebus suis, idem est, ac de cibis coram eo positis, Probabile est propter utrumque admiratos fuisse, & propter ordinem sessionis, & propter partes seu fercula & missus quos è mensa sua Joseph mittebat ad fratres in alia ejusdem cœnaculi mensa considentes, ut proinde causa admirationis & ad præcedentia & ad sequentia referatur.

[ *Majorque pars venit Benjamin,* ] quem ut præ aliis diligebat, ita & præ ipsis honorare volebat.

[ *Ita ut in quinque partibus excederet.* ] Quæ sententia variè quidem à diversis exponitur, ejus tamen genuinus sensus esse videtur, quòd Benjamin habuerit quinque fercula seu missus amplius quàm cæteri, & hoc non quòd ampliori cibo indigeret, sed ut sic honoraretur.

Insigniter hìc præfiguratum habemus quòd verus noster Joseph Christus Dominus abundantiam gratiæ & donorum daturus erat suis Apostolis, quos *non confunditur fratres vocare :* ut Apostolus ad Hebr. 3. loquitur; & quòd quadam ratione majorem largiturus erat Paulo de tribu Benjamin oriundo, secundùm quam effectum est ut abundantius illis omnibus laboraverit, non ipse autem, sed gratia Dei cum illo, 1. ad Corinth. 15. Amplior allegoria peti potest ex sanctis, Ambrosio l. de Joseph cap. 9. & 10. & Prospero p. 1. de prædictionibus cap. 31.

[ *Biberuntque & inebriati sunt cum eo.* ] Hoc est, exhilarati & satiati sunt, citra tamen vitium intemperantiæ, quod communiter per ebrietatem intelligitur, & quod Joseph vir sanctissimus neque in se neque in fratribus admittere voluisset. *Idioma est* (ait hìc B. Hieronymus in qq. Hebr.) *linguæ Hebraicæ ut ebrietatem pro satietate ponat :* Ita sumitur Aggæi 1. *Bibistis, & non estis inebriati.* Unde August. q. 144. in Genes. ebriosos ex hoc Josephi facto patrocinium accipientes refellit, dicens ebrietatis verbum, etiam pro satietate solere poni in scripturis, & adserens illud Psal. 64. *Visitasti terram & inebriasti eam.* Confer quæ sup. cap. 9. diximus.

Ebrietas pro satietate ponitur.

## C A P U T XLIV.

*Joseph jubet scyphum suum in sacco Benjamin abscondi. Deinde fratres ab itinere revocatos furti arguit. Judas autem servituti se offert pro Benjamin.*

[ ℣. 1. P*Recepit autem Joseph* ] Cum fratres in ejus domo nocte illa dormirent.

[ *Dispensatori domus,* ] quo, ut prudente ac fideli, rerumque hactenus per Joseph cum fratribus gestarum conscio, ipso utebatur:

[ ℣. 2. *Scyphum autem meum argenteum,* ] Hebræa vox significat poculum instar colliculi elevatum, ut testantur Oleaster, Delrio, & alii.

[ *Pone in ore sacci junioris.* ] Hac stropha usus est Joseph. Primò, ut probaret animos fratrum erga Benjamin, & simul erga patrem: Si enim (quemadmodum evenit, pro Benjamin deprehenso fortiter certarent, nec sustinerent eum à patre separari, intellecturus erat quòd optimo essent in utrumque animo, & non tali quali erga se fuerant, quòdque multum essent mutati ab illis qui fuerant prius. Secundò, ut captaret bonam opportunitatem se fratribus manifestandi.

Si quæras, qua æquitate Joseph struxerit calumniam, qua & innocentem Benjamin furti insimulavit, & fratres omnes vehementer afflixit. Resp. non fuisse veram calumniam, quamvis externa specie talis videretur; quia & animus à calumniando erat alienus, & Joseph tentativè agebat; non aliud spectans quàm utilitatem Benjamin fratrumque ipsius: Ac insuper citò erat veritatem manifestaturus, & ostensurus ista omnia ex composito esse facta in bonum finem. Quomodo judex non verè calumniatur reos; quando occasione ita ferente illis tentativè imponit falsa crimina, brevi demonstraturus eorum falsitatem.

Joseph non est calumniatus Benjamin,

[ ℣. 4. *Apprehensis dicito : Quare reddidistis malum pro bono?* ℣. 5. *Scyphus, quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet :* ] Difficultas est, quomodo Joseph potuerit jubere ista per dispensatorem dici absque mendacio, cùm certò constet Josephum qui vir sanctus erat, non fuisse addictum auguriis, quæ sunt species Magiæ & divinationis diabolicæ. Quidam opinantur dispensatorem non omnia illa dixisse ex mandato Joseph, sed priora dumtaxat; ipsum verò reliqua de suo addidisse. Quod tamen videtur creditu difficile, quia juxta seriem textus, istud

[ ℣. 5. *Apprehensis dicito :* ] Videtur omnino pertinere ad totam sequentem periodum, sicut & hoc quod sequitur:

[ ℣. 6. *Fecit ille ut jusserat :* ] Alii concedunt Joseph esse mentitum, sed jocoso ac levi, ideoque veniali mendacio. Verùm sic mentiri ut vir sanctus sibi ascribat vanam auguriorum observationem, quæ est peccatum religioni oppositum idque ex genere suo mortale, non videtur esse leve mendacium.

Duobus igitur aliis modis excusari potest Joseph à mendacio: Uno interpretando quòd omnia illa dici curaverit, non seriò & assertivè, sed joco & interrogativè, quemadmodum Hebræa & Græca reddi possunt, *Ut quid furati estis scyphum? nonne hic est in quo bibit dominus meus & in quo solet augurari?* Alio, quòd Joseph ista dixerit non ex suo sensu, sed ex opinione quam Ægyptii de ipso habebant. Cùm enim in rerum occultissimarum cognitione & in futurorum prædictione excelleret, vulgò putabatur ista habere per auguria, sicut Ægyptii incantatores & divinatores solebant facere: ut sensus sit, Quare estis furati scyphum? Ipse est in quo dominus meus bibit & in quo (quantum quidem vulgus existimat( solet augurari.

[ ℣. 9. *Apud quemcumque fuerit inventum servorum tuorum quod quæris, moriatur, & nos erimus servi*

*domi-*

*domini nostri*. ] Ita loquuntur ex confidentia bonæ causæ: quia tamen apud eos inventum fuit id quod quærebatur, hinc discere possumus non facilè de alterius facto esse respondendum,

[ ℣. 10. *Qui dixit eis : fiat juxta vestram sententiam :* ] Dispensator ex parte approbat oblationem fratrum : sed tamen instructus, ut omnino apparet, à Joseph, mortis pœnam mutat in servitutem, & noxios ab innoxiis separat, leniens dictum illorum, qui & noxio mortis pœnam & innoxiis servitutem obtulerant.

[ *Apud quemcumque fuerit inventum, ipse sit servus meus, vos autem eritis innoxii*. ] Quasi diceret : Quamvis juxta vestram sententiam, possem noxium morti, & innoxios servituti addicere ; satis tamen mihi est quòd solus ille pœnam luat, eamque servitutis, qui scyphum fuit furatus : cæteri autem sint à pœna immunes.

[ ℣. 12. *Quos scrutatus, incipiens à majore*] ex convivali sessione noverat dispensator ordinem ætatis singulorum, & juxta eum procedit, ut melius lateant insidiæ structæ Benjamin.

[ ℣. 13. *At illi, scissis vestibus*, ] in signum doloris vehementissimi.

[ *Reversi sunt in oppidum*. ] Nihil Benjamino improperantes, sed eum ab Ægyptiis qui dispensatorem comitati erant, captum sequentes, parati aut veniam impetrare, aut servitutem cum eo subire.

[℣. 14. *Primusque Judas*, ] utpote qui Benjamini curam in se susceperat:

[ *Necdum enim de loco abierat* ] Scil. Joseph, qui expectabat eventum rei, & cupiens citò se manifestare.

[ ℣. 15. *An ignoratis quòd non sit similis mei in augurandi scientia?* ] Sensus est, An ex publica quæ in Ægypto est, fama nescitis quòd sim in augurando peritissimus & felicissimus? Ubi nihil de seipso asseveranter dicit, ideòque non est hinc consequens Josephum vel augurari solitum, vel mentitum esse ; sed interrogando quærit, An ignorent qualis passim habeatur, & qualis sit in communi Ægyptiorum opinione. Potest insuper verbum augurandi generaliter sumi pro cognitione & declaratione vel conjectatione occultorum, etiam illa quæ licita est sive humanis conjecturis habeatur, sive per instinctum divinum; ut sensus sit, quid facere voluistis, putastisne furtum vestrum posse latere? An nesciebatis me præ quibusvis aliis peritum cognoscendi occulta? Erat namque Joseph horum peritissimus, ut ex somniorum interpretatione patet, à Deo videlicet illuminatus. Neque refert quòd tam fratres quàm alii præsentes non intelligerent eum loqui de hujusmodi cognitione : poterat enim uti verbo generalem significationem habente, & illud in bonam partem accipere, quamvis alii aliter essent accepturi. Verbum autem augurandi generaliter significare idem quod divinare seu conjectare, sive licitè sive illicitè, liquet tum ex illo Ovidii.

Ioseph non fuit augur.

*Jamque dies aderit quam non procul auguror esse ;* tum aliunde,

[ ℣. 16. *Deus invenit* ] seu inveniri & agnosci fecit.

[ *Iniquitatem servorum tuorum :* ] Quidam interpretantur de iniquitate qua vendiderunt fratrem suum Joseph in servitutem, quasi Judas suo & aliorum fratrum nomine voluerit dicere se nunc justè vicissim subjici servituti. Cæterùm etsi Judas fortassis tale quid animo voluerit, non videtur tamen hoc voluisse dicere Josepho, tum quia non est verisimile quòd rem tantam & tam occultam prodere voluerit ; tum quia Benjamin qui fuit hic deprehensus, innocens erat & ab illa iniquitate prorsùs immunis. Verius ergo est sermonem esse de peccato illo cujus accusabantur, hoc est, de furto scyphi : quod tamen neque Judas, neque ejus fratres agnoscunt se commisisse, imò nec credunt Benjamin illud perpetrasse ; sed quia vident se vel excusando vel tergiversando nihil posse proficere, ita se gerunt, quasi crimen agnoscerent, non invenientes quid in re tam perplexa aliud dicerent. Et quoniam suspicabantur fraudem subesse ; totumque negotium ad hoc excogitatum quo Benjamin gravaretur, & ipsi propter eum, illius suis verbia causam referunt in occultum Dei judicium.



[ *En omnes servi sumus domini mei*, ] Plus offert quam debebat, ut oblatione tot innoxiorum, uni apud quem scyphus fuerat inventus, veniam obtineat. Jam se dixerant servos, modestiæ causa: At nunc offerunt se ad servitutem, tamquam mancipia.

[ ℣. 17. *Absit à me ut sic agam :* ] Puniendo innoxios cum ono qui solus reperitur scyphum extulisse.

[ *Qui furatus est schyphum, ipse sit servus meus : vos autem abite liberi*. ] Non hoc intendebat agere Joseph quòd verba sonant, ut scilicet aliis abeuntibus unum Benjamin retineret: sed eorum animos vult experiri, & probare quo affectu essent erga patrem & fratrem ; consentirentne fratrem in exilio relinquere, & patrem hujus quoque filii absentia gravare ; An verò prorsùs satagerent pro ejus liberatione.

[℣. 18. *Accedens autem propius Judas, confidenter ait:* ] Vox: *confidenter*, neque est in Hebr. neque apud 70. quam tamen noster interpres rectè expressit ; quia modus agendi Judæ confidentiam importat ; quamvis enim suppliciter petat audientiam; nihilominùs quòd tanto principi & familiarius & prolixius loqui aggrederetur, magnæ erat confidentiæ.

[ *Ore Domine mi*, ] Quædam in sequenti narratione Judæ aliter dicuntur, quàm Moyses superius ea retulerit, dum nonnulla omittuntur, & aliqua non prius dicta adduntur ; non quòd sit ulla repugnantia ; sed quia mos est sacræ scripturæ non ubique omnia dicere ; & quæ uno loco tacet, in alio exprimere, ut patet conferenti libros Regum cum libris Paralipomenon, & Evangelistas inter se.

[℣. 20. *Et puer parvulus, qui in senectute illius natus est ;* ] In Hebr. & 70. puer senectutis parvus. Ubi, puer senectutis, non intelligitur is qui senex est, sed qui patri seni natus est. Dicitur autem Benjamin parvus aut parvulus, comparatione cæterorum fratrum, quasi minimus natu.

[ *Et ipsum solum habet mater sua*. ] hinc non sequitur, quòd Rachel mater Benjamin adhuc nunc viveret: sed sensus est, & hic ex matre sua solus est superstes.

[℣. 21. *Ponam oculos meos super illum*. ] Ero illi benevolus, ipsi favebo, ipsumque juvabo, Oculus interdum pro favore sumitur, ut 1. Esdræ 1. *Oculus Dei eorum factus est super senes Judæorum, & non potuerunt inhibere eos:* & Jerem. 39. *Pone super eum oculos tuos, nihilque ei mali facias*. Hinc nata phrasis Latina, Respice me, pro, fave mihi.

[ ℣. 26. *Ire non possumus:* ] Nimirùm absque Benjamin.

[ ℣. 27. *Vos scitis quòd duos genuerit mihi uxor mea*. ] Rachelem antonomasticè vocat uxorem suam, quia eam solam propria electione duxerat : Liam enim quodammodo præter intentionem acceperat ; Bala autem & Zelpha quoad officium & conditionem erant famulæ.

[ ℣. 28. *Et dixistis : Bestia devoravit eum*, ] In Hebr. & dixi. Utrumque verum est : Nam & filii hoc dixerunt, & postea etiam pater, quemadmodum ex cap. 37. intelligi potest.

[ ℣. 30. *Cum anima illius ex hujus anima pendeat*. ] Anima pro vita ponitur. In Hebr. *Anima ejus colligata est cum anima ipsius:* sed sensus in idem redit; significatur enim ita vitam unius vitæ alterius esse colligatam, ut patris ex vita filii dependeat, & si moriatur filius, pater quoque præ tristitia sit moriturus.

[ ℣. 32. *Ego proprie servus tuus sim*, ] ego sim tibi servus peculiaris.

[℣. 34. *Ne calamitatis, qua oppressura est patrem meum, testis assistam*. ] Ne oculis meis videre debeam mortem tam funestam & præproperam patri meo eventuram. Magis refugit Judas videre quàm audire patris calamitatem; quia malum visum plus affligit, quàm auditum. Unde Agar ab Abraham dimissa cum existimaret filium suum moriturum, ab eo aliquantulum recessit dicens, *Non videbo morientem puerum*.

Visio mali plus affligit quam auditio.

Allegoricè, Judas patriarcha Christum Dominum repræsentat, qui nos tamquam filios dextræ (promisit enim Sap. 5. *quòd dextera sua nos teget*) in curam & protectionem suam suscepit, & quoties deprehendimur coram Deo rei, advocatum nostrum se exhibet 1. Joan. 2. Qui etiam non servituti solùm se pro nobis obtulit, sed etiam morti.

Moraliter autem ex Josepho severum pariter & lenem se fratribus exhibente, discere possunt superiores, nec nimia severitate, nec excessiva mansuetudine cum peccatoribus agendum; ut nec disciplina, nimia; nec mansuetudo sit remissa; ne si inordinatè culpa remittitur, is qui est culpabilis gravius astringatur; & si culpa immoderatè retinetur vel punitur, tantò fiat deterior, quantò erga se nihil ex benignitatis gratia agi considerat.

## CAPUT XLV.

*Joseph se fratribus manifestat, eos ad patrem mittit, & territos osculo amplexatur. Pharao exultans jubet advocari patrem Joseph cum tota ejus familia; & Joseph illos multis donatos muneribus ad patrem remittit.*

[ ℣. 1. NOn se poterat ultra cohibere Joseph, quin præ amoris tenerhudine ipsi vel invito lachrymæ erumperent, seque fratribus manifestaret. Istam in Josepho amoris teneritudinem & magnitudinem notat Moyses, ut constaret ea quæ durius erga fratres egit, non iræ vel crudelitati esse ascribenda; sed partim justæ castigationi quam ipsi meruerant; partim prudenti probationi qua volebat animos fratrum seriò experiri, utrùm se invicem constanter diligerent.

[ *Pracepit ut egrederentur cuncti foras, & nullus interesset alienus agnitioni mutua.* ] Hujus ratio est, quòd timeret ne fratrum facinus in eum commissum aliis innotesceret, sicque infamarentur, dum vel ipsi Josephum Josephique potentiam agnoscentes, veniam precarentur, vel Josephus eos confortaret, nihilque propterea metuendum esse moneret; & quando superiores volunt suos corripere, id faciant amotis illis qui inde possent scandalizari, vel sinistram habere de ipsis opinionem.

Moraliter hinc discimus famam proximi quantum in nobis est, servandam esse. Allegoricè autem nobile documentum accipimus tenerrimi amoris quem Christus per Joseph figuratus habet erga homines, quos fratres suos vocare dignatur. Nam si quis tempore famis seu spiritualis afflictionis ad Christum confugiat, etsi à principio non se aperiat, sed quasi ignotus erga ignotum se gerat, amoris tamdem sui magnitudine victus & non valens ultra continere viscera suæ misericordiæ, se manifestat non ubi præsentes sunt Ægyptii, sed in secreto cordis, postquam exire jussus est omnis rerum terrenarum amor & fiducia in creaturas plus quam in Deum.

[ ℣. 2. *Elevavitque vocem cum fletu:* ] Præ gaudio flevit altam vocem emittendo.

[ *Quam audierunt Ægyptii, omnisque domus Pharaonis.* ] Non ita hæc sunt accipienda, quasi omnes immediatè audierint vocem fletus Joseph; sed quia cum hi cubiculo proximi erant, ipsam audivissent, ab eis statim ad omnes domesticos, & ad totam familiam Pharaonis rumor promanavit quòd Joseph viros illos esset cum fletu allocutus.

[ ℣. 3. *Et dixit fratribus suis: ego sum Joseph;* ] Hæc vox prorsùs inopinata valdè perculit fratres Joseph, eosque totos attonitos & elingues reddidit: unde sequitur.

[ *Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti.* ] Illum timorem in eis causabat tum conscientia sceleris in Joseph commissi, tum notitia potentiæ ipsius qua posset promptissimè eos punire. Eorum igitur timor causabatur ex malis quæ apprehendebant sibi imminere, nec posse illa vel omnino vel non nisi difficillimè evadere. Talis autem apprehensio quatenus contrahi facit spiritus & calorem, eosque ad interiora retrahit, impedit vocem quæ illis indiget tamquam mediis & instrumentis. Confer B. Thomam 1.2. q.44. art.4.

[ ℣. 4. *Ad quos ille clementer: Accedite inquit, ad me.* ] Animadvertens Joseph trepidationem fratrum, ejusque trepidationis causam non ignorans, blandè & comiter jubet accedere, ne quis alienus audire posset peccatum cujus ipsi erant conscii.

[ *Ego sum, ait, Joseph frater vester, quem vendidistis in Ægyptum.* [ Non vult dicere quòd vendiderint eum Ægyptiis: sed quia vendiderant eum mercatoribus euntibus in Ægyptum; sensus est, quòd vendiderint ipsum in Ægyptum abducendum.

[ ℣. 5. *Nolite pavere,* ] Ne angustiemini.

[ *Neque vobis durum esse videatur* ] In Hebr. ne sit ira in oculis vestris: hoc est, ne vobismetipsis propter hoc factum irascamini.

In his sententiis egregia est Christi Domini figura, qui post resurrectionem fratribus, id est, Apostolis apparens, dixit eis Luc. 24. *Pax vobis, ego sum, nolite timere.*

[ *Pro salute enim vestra* ] Ut ad victum necessaria vobis suppeditarem, sicque vitam vestram conservare possetis.

[ *Misit me Deus ante vos in Ægyptum.* ] Peccatum illorum extenuat, non quasi vel non peccaverint, vel Deo authore fratrem vendiderint; sed quia malum quod prava sua voluntate fecerunt, Deus in finem optimum eique utilissimum direxit: Mala autem & injurias tunc minùs æstimamus, quando felicem exitum sortiuntur, qui sine illis non esset secutus. Misit porrò Deus Joseph in Ægyptum, non quia fuerit causa ut ejus fratres ipsum venderent; sed quoniam iniqua eorum actione seu venditione utens procuravit ut in Ægyptum transferretur, ibi exaltandus & patris familiam nutriturus. His consentiens Psalmista dicit Psalm. 104. *Misit ante eos virum.* Ubi Aug. *Quem virum? Joseph. Quomodo misit? In servum venundatus est Joseph. Nempe quando factum est, peccatum erat fratrum, & tamen Deus misit Joseph in Ægyptum. Intuenda ergo est res magna & pernecessaria: quomodo Deus benè utatur malis operibus hominum, sicut illi contra malè utuntur bonis operibus Dei. Neque enim*, ait idem August. Enchir. cap. 11. *Deus omnipotens, quod etiam infideles fatentur, rerum cui summa potestas, cum summè bonus sit, ullo modo fineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens & bonus, ut benè faceret etiam de malo.*

Quo modo Deus misit Joseph in Ægyptum.

[ ℣. 6. *Biennium est enim quod cepit fames esse in terra.* ] Hæc temporis nota collata cum cap. 41. v. 46. & cum 47. v. 9. juvat chronologiam annorum Jacob & Joseph.

[ *Et adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit, nec meti.* ] Propter terræ sterilitatem & siccitatem. Omnino probabile est quòd durantibus annis sterilitatis aliquantulum in paucis agris Nilo adjacentibus seri potuerit ac meti, propter Nilum non nihil se effundentem; unde & de bobus macilentis in somnio Pharaonis cap. 41. dicebatur, quòd *pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus;* sed hoc tam exiguum fuit, ut Joseph ejus rationem habere non debuerit.

[ ℣. 7. *Premisitque me Deus* ] Explicatio est ejus quod dixit v. 5. Pro eo quòd sequitur.

[ *Ut reservemini super terram,* ] Septuaginta habent, remanere vobis reliquias super terram: quod etsi eumdem cum nostra lectione sensum habere possit; Augustinus qu. 148. in Genes. transfert ad allegoriam, ut significetur Christus à Judæis traditus Gentibus, & occisus, tamquam Joseph Ægyptiis, à fratribus, ut reliquiæ salvæ fierent, ad Rom. 11.

[ ℣. 8. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum:* ] Vos non intendistis, neque in eum finem me vendidistis ut hic exaltarer vestrisque necessitatibus prospicerem; sed Deus hoc intendit, cujus voluntate huc missus sum exaltandus & in necessitate provisor constituendus. Ubi notandum Josephum non dicere fratribus; Dei voluntate vos me huc misistis, quia in actione illa qua ipsum vendiderunt abducendum in Ægyptum, sicque quodammodo illuc miserunt, graviter eos peccasse non est dubium; sed, Dei *voluntate huc missus sum*, quia Deus fuit author passionis quæ in Josepho bona erat, etsi non actionis fratrum quæ erat pessima. Quo modo Deus fuit causa passionis Christi, non autem actionis qua inimici eum crucifixerunt. Confer quæ diximus 1. p. qu. 21. art. 3. quæsito 3. & 1. 2. qu. 79. art. 1. ad 1. Non ergo illis verbis Joseph removet culpam à fratribus, sed ostendit felicem culpæ exitum, eumque Deo tribuit qui malo ipsorum facto quod permisit, in bonum fuit usus. Hinc discimus id quod in operibus nostris bonum est, Deo ascribere; quod malum, nobis.

[ *Qui*

[ *Qui fecit me quasi patrem Pharaonis*, ] Quasi, non est in Hebr. est tamen apud 70. qui vel suo tempore invenerunt in Hebr. vel ipsi addiderunt, non ut particulam minuentem, sed quia Joseph non erat natura Pater Pharaonis, verùm cura & officio. Deus ergo fecit Joseph patrem Pharaonis, id est, fecit rectorem & consiliarium ejus primum ac intimum qui consilio & prudentia sua sic eum regebat, quasi ipsum genuisset. Consuetudinem olim fuisse, ut primarius Aulæ regiæ præfectus, cui rex & se & sua maximè confidebat, Pater regis diceretur, doceri potest ex Esther 13. ubi Artaxerxes de Aman dicit, *quem patris loco colimus*; & cap.16. *Tantam in se expertus humanitatem ut pater noster vocaretur*. Postea ad artifices peritissimos extensum fuit istud nomen; Ita enim scribit Hiram rex Tyri 2. Paralipp.2. *Misi tibi virum prudentem & scientissimum, Hiram patrem meum*. Et cap.4. *Omnia vasa fecit Salomoni Hiram pater ejus*. — *Quis olim vocaretur pater.*

[ ℣.9. *Hæc mandat Filius tuus Joseph*: ] Mandat non est hic idem quod præcipit; non enim decebat filium præcipere patri, præsertim in prima ejus salutatione, sed idem valet ac nunciat, vel ut Hebræa & Græca habent, dicit. Quo modo idem verbum sumitur cap.50. ubi de fratribus Joseph dicitur, quòd *mandaverunt ei dicentes &c.* & Exod. 18. de Jethro quòd *mandavit Moysi dicens, ego Jethro cognatus tuus venio ad te*. Similiter Numer.20. ubi Moyses misit nuntios ad regem Edom qui dicerent, *Hæc mandat frater tuus Israel*.

[ ℣.10. *Et habitabis in terra Gessen*: ] In 70. additur, Arabiæ, quasi terra Gessen, vel (ut alii) Gossen esset in Arabia: sed ea additio est supposititia; *In Hebrais enim voluminibus non habetur*, ait B. Hieronymus; uti nec in bibliis Regiis, & perspicuum est Gessen fuisse in Ægypto. Qui volunt Gessen esse Thebaidem, falluntur quia Thebais est in superiore parte Ægypti, & immodico æstu torretur; Gessen verò est in inferiore Ægypti parte, & est terra multis fossis irrigua, pascendisque pecoribus apta propè Deltam; ubi Nilus in varios alveos dividitur ab ea parte qua Ægyptus Arabiam vel Palæstinam respicit.

[ *Erisque juxta me*, ] Non procul ab urbe, ubi est meum domicilium.

[ ℣.11. *Ne & tu pereas*, ] Hebr. ne depaupereris; hoc est, ne paupertate conficiaris, atque ita pereas:

[ *Et domus tua*, ] Id est, domestici totaque tua familia.

[ ℣.12. *En oculi vestri, & oculi fratris mei Benjamin, vident quòd os meum loquatur ad vos*. ] Sive, ut est apud 70. quia os meum est quod loquitur ad vos: hoc est, quod ego ipse sum, qui vobis loquor; q. d. Vos videtis tum ex lingua qua nunc vobis loquor sine interprete, tum ex lineamentis propius & attentius consideratis quòd sim ille quem me esse dico, Joseph scilicet frater vester. Hoc dicit, ut certiores eos reddat, possintque patri certius nunciare.

[ ℣. 13. *Nuntiate patri meo universam gloriam meam*, ] Non ad jactantiam id jubet nunciari; sed ad Dei laudem, partisque lætitiam, & ut ipsa confidentius in Ægyptum veniat.

[ ℣. 14. *Cumque amplexatus recidisset in collum Benjamin*, ] Hunc primò ita consolatur Joseph, partim quia tenerius eum, utpote fratrem uterinum, diligebat; partim quia sine sua culpa fuerat aliquo rubore suffusus pro scypho invento in ejus sacco.

[ ℣. 15. *Osculatusque est Joseph omnes fratres suos, & ploravit super singulos*: ] Fletu pietatis & gaudii.

[ *Post quæ ausi sunt loqui ad eum*. ] Propter tantam tamque variam sinceri affectus demonstrationem, & peccati contra eum commissi agnitam condonationem.

[ ℣. 16. *Et gavisus est Pharao, atque omnis familia ejus*. ] Ideo gavisus Pharao de adventu fratrum Joseph, quia Josephum propter ejus solertiam, prudentiam, & gubernationem toti regno utilissima, eamque insigni modestiæ conjunctam, & amabat & honorabat plurimum. Et quoniam illæ virtutes omnibus domesticis notæ, ipsis quoque reddebant eum amabilem, ideo & ipsi gaudebant. Ea namque fuit Josephi sapientia & dexteritas, ut, quamvis Hebræus esset & alienus, Aulicorum invidiam superaret. Id quod tantò est difficilius, quantò magis proclive est Aulicis, aliorum felicitati invidere.

[ ℣.17. *Onerantes jumenta*, ] Tam viatico, quàm cæteris ad eundum ac redeundum vobis totique paternæ familiæ necessariis. Pro jumentis 70. & Theodotion habent vehicula: sed reliqui jumenta transtulerunt, ait Hieronymus. Quæ translatio omnino retinenda est, tum propter authoritatem editionis vulgatæ textui Hebræo conformis; tum quia sermo est de iis quæ fratres Joseph secum adduxerant de Chanaan, non leguntur autem adduxisse vehicula, sed asinos & jumenta.

[ ℣. 18. *Et ego dabo vobis omnia bona Ægypti*, ] Non promittit in ipsos transferre dominium omnium bonorum Ægypti; sed quòd eos faciet participes omnium bonorum, quòdque dabit eis præstantissima: unde cap.47. *In optimo*, inquit, *loco fac eos habitare*.

[ *Ut comedatis medullam terræ*. ] Hebr. pinguedinem vel adipem terræ. Cum sic vocare soleant id quod in qualibet re est optimum: hic significantur fructus terræ optimi.

[ ℣. 19. *Præcipe etiam ut tollant plaustra de terra Ægypti*, ] Servitura hæc erant in primis ad subvectionem parvulorum & conjugum, rerumque ad Jacob & totam familiam pertinentium: Deinde, ut apud patrem essent symbola veritatis rei quam fratres Joseph erant nunciaturi. Unde postea sequitur, quòd *cum Jacob vidisset plaustra & universa quæ miserat, revixit spiritus ejus*.

[ ℣. 20. *Nec dimittatis quidquam de supellectili vestra*, ] In Hebr. *Oculus vester non parcat super vasa vestra*, seu supellectili vestræ. Quasi diceretur, Nulla vos subeat miseratio, nullus supellectilium vestrarum amor ibi vos detineat, afferte quæcumque potestis; & si qua non possitis afferre seu advehere, non idcirco prætermittatis venire.

[ *Quia omnes opes Ægypti, vestræ erunt*. ] Quibus conformiter, ita quidem lectionem nostram supplent seu potiùs interpretantur, nec dimittatis quidquam de supellectili vestra: si tamen aliquid esset dimittendum, nolite propterea iter intermittere, quia omnes opes Ægypti vestræ erunt, eritis participes omnium bonorum Ægypti, habebitisque eorum communicationem.

[ ℣. 22. *Singulis quoque proferri jussit binas stolas*: ] Hebr. dedit unicuique mutationes vestium, seu vestes mutatorias. Significatur quòd singulis duas vestes splendidas dederit quibus uti possent diebus solemnioribus: Sicut enim stola erat vestis honorifica Esther 6. ita vestes mutatoriæ dicuntur vestes pulchræ & præstantes quæ in festis commutantur cum vilioribus antea gestatis. — *Qui vestes mutatoriæ.*

[ *Benjamin vero dedit trecentos argenteos cum quinque stolis optimis*: ] Partim causa majoris affectus, partim quia nonnihil eum sine ipsius culpa contristaverat, majori illum benevolentia prosequitur donans illi trecentos florenos hujus patriæ: Nam argenteus ut cap. 20. diximus, idem valere videtur quòd siclus vel stater qui continebat quatuor regales argenteos. Pro quinque stolis optimis, Hebræa habent, quinque mutationes vestium; & significantur quinque vestes splendidiores, quæ commutari possent cum quotidianis.

[ ℣. 23. *Ex omnibus divitiis Ægypti*: ] Hoc est, ex rebus quibuscumque pretiosioribus quæ reperiuntur in Ægypto.

[ ℣. 24. *Proficiscentibus ait: Ne irascamini in via*. ] Hoc præcipit Joseph, quia partim ex iis quæ ipsos loquentes audiverat cap.42. partim ex eorum indole quam noverat, justam habebat causam metuendi, ne alioquin invicem altercarentur de peccato in ipsum commisso, & quisque studeret illud transferre in alium, sicque oriretur contentio inter ipsos. Videri potest Chrysost. hom.64. in Genes. & hinc sumi exemplum occurrendi rixis & pugnis, earumque materiam tollendi.

℣. 25. *Qui ascendentes ex Ægypto*, ] Moraliter observa eos qui ad loca prophana transeunt, dici descendere; qui ad sacratiora, ascendere; quia illi inferno sunt viciniores, isti cœlo.

[ ℣. 26. *Quo audito Jacob, quasi de gravi somno*

*evi-*

*evigilans*, ] Antonius & stupens similis illi qui è gravi somno evigilat. In Hebr. *elanguit*, seu dissolutum est cor ejus, hoc est, animo defecit, præ stupore nimirum.

[ *Tamen credebat eis.* ] Partim quia quidem conati fuerant illi persuadere quòd fera devorasset Josephum; partim quia

*Rara solet magnis rebus adesse fides:*

Quod in miseris est verissimum, quorum mens eò magis est incredula, quò tenacius animo infixerunt se de suis miseriis liberari non posse.

[ ℣. 27. *Illi econtra referebant omnem ordinem rei.* ] Conantes persuadere patri ut crederet,

[ *Cumque vidisset plaustra, &c. revixit spiritus ejus,* ] Sibi quasi redditus fuit; & cujus cor prius elanguerat inopinatæ & incredibilis rei admiratione, jam præ gaudio alacrior & vivacior factus est. Quidam ex 70. legunt reaccensus est spiritus ejus, & similitudinem adferunt, quoniam sicut ignis in lucerna quando deficit oleum, propè est ut extinguatur; quando autem oleum superfunditur, qui videbatur extingui clariorem lucem emittit; ita senex ille præ tristitia mori visus (*nolebat* enim *consolationem accipere* cap. 37.) deposita mœroris nebula vegetior est redditus.

[ ℣. 28. *Sufficit mihi si adhuc Joseph filius meus vivit:* ] Hebr. Multum est mihi, quasi diceret, Abundè gaudeo: Istud nuntium superat vota mea, non est quod hic aliud desiderem. Sic & nos de Christi resurrectione & exaltatione gaudere decet, ac per nostri humiliationem descendere, ipsum hic per fidem visuri, & in patria facie ad faciem.

## CAPUT XLVI.

*Jacob proficiscitur, & Dei monitu descendit in Ægyptum cum filiis ac nepotibus, quorum nomina recensentur. Cui occurrens Joseph suadet ut Pharaoni dicant se esse pastores ovium.*

[ ℣. 1. **P**Rofectusque Israel cum omnibus quæ habebat, venit ad puteum juramenti. ] Sive in Bersabee, ut est in Heb. quæ uno modo interpretatur puteus septem; alio modo puteus juramenti quemadmodum cap. 21. diximus. Ad hunc locum nunc venit Jacob, tum quod ex Hebron ubi ipse habitabat euntibus in Ægyptum occurrat Bersabee; tum quòd locus iste sanctus esset ac divino cultui deputatus, cap. 21. vers. 33. & cap. 26. versibus 24. & 25. velletque ibi sacrificium offerre, & Deum super sua profectione ejusque successu consulere. Quo exemplo docemur nihil aggredi, præsertim quod magni sit momenti, ut sunt longinquæ profectiones, mutationes status, & alia hujusmodi, nisi prius nos & nostra Deo commendemus.

[ *Et mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac,* ] Id est, oblatis ibi sacrificiis Deo quem pater ejus colnerat.

[ ℣. 3. *Noli timere, descende in Ægyptum,* ] Multiplex erat Jacobo causa timoris; partim de successu itineris ne ipse vel ejus familia in damnum aliquod incideret, ipseque in itinere moreretur; partim ne ejus posteritas deliciis terræ Ægypti delectata, eligeret ibi manere, sicque reditum in terram Chanaan quæ ipsi promissa erat negligeret; partim ne ex Ægyptiorum conversatione, ipsorum idololatriam aliosque mores pravos imitaretur. Deus autem seu Angelus in persona Dei loquens, Jacobum confortat, ut omni timore depulso in Ægyptum descendat, & addit:

[ *Quia in gentem magnam faciam te ibi:* ] Posteros tuos illic multiplicabo, ut futuri sint una gens valde magna.

[ ℣. 4. *Ego descendam tecum illuc,* ] Ero tibi comes, imò dux viæ, tibi adero, & favebo, teque protegam.

[ *Et ego inde adducam te revertentem:* ] Jacob nunquam ex Ægypto rediit in terram Chanaan: Ideo quidam hæc interpretantur de corpore Jacobi mortuo quod in eam terram fuisse relatum patet ex cap. 50. Sed verosimilius est hæc intelligenda esse de Jacob non in se, sed in suis posteris, ut sicut ipse dicitur futurus in gentem magnam, non quia ipsemet ibi esset aliquos liberos procreaturus & sic multiplicandus, sed quia ejus posteri erant illic multiplicandi atque ipse in suis posteris; ita dicatur reversurus ex Ægypto in Chanaan, quia ejus posteri erant in eam reversuri, sicut etiam Deo mirabilia operante reversos fuisse docet liber Exodi.

[ *Joseph quoque ponet manus suas super oculos tuos:* ] Hoc est, tibi morienti aderit, & oculos claudet: quod officium charissimi præstare solent mortuis.

[ ℣. 7. *Filii ejus & nepotes, filiæ, & cuncta simul progenies.* ] Unicam habuit filiam, scilicet Dinam; ideoque per filias hic vel intelliguntur etiam nurus seu uxores filiorum: vel per enallagen; numerus pluralis ponitur pro singulari.

[ ℣. 8. *Hæc sunt autem nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Ægyptum,* ] Ita tamen ut ipse Israel etiam computetur; sequitur enim.

[ *Ipse cum liberis suis* . ] Ideo autem hæc nomina recensentur, ut in exitu de Ægypto clarè pateat quantopere fuerint multiplicati in tam paucis annis.

[ *Primogenitus Ruben* . ] Primò numerantur geniti ex Lia, quia primi quos Jacob filios habuit, ex ea nati fuerunt.

[ ℣. 10. *Filii Simeon; Jamuel, & Jamin, & Ahod, & Jachin, & Sohar, & Saul filius Chananitidis.* ] Totidem iisdemque nominibus recensentur filii Simeon Exod. 6. v. 15. At Numer. 26. v. 12. tantùm hi quinque numerantur, Namuel, Jamin, Jachin, Zare, Saul, sicut etiam 1. Paralip. 4. v. 24. ubi pro Jachin ponitur Jarib. Author quæstionum Hebr. super lib. 1. Paralipp. apud Hieron. cap. 4. ait eosdem diversis licèt nominibus, esse significatos: sextum verò prætermissum, eò quòd nulla ex ipso fuerit progenies.

[ ℣. 12. *Filii Juda: Her & Onan* &c. ] Isti duo recensentur, non quòd ingressi fuerint Ægyptum, vel secundùm se, cum hic sequatur.

[ *Mortui sunt autem Her & Onan in terra Chanaan* . ] Vel in suis filiis; cum absque liberis mortuos esse habeamus ex cap. 38. Sed ut omnes filii Judæ simul recenseantur.

*Natique sunt filii Phares: Hesron & Hamul.* ] Hi numerantur cum descendentibus in Ægyptum, non quòd tunc nati essent quando Jacob personaliter descendit in Ægyptum, cum ipse Phares non multis ante illum decennium annis potuerit esse natus: In hoc enim descensu Joseph erat triginta novem annorum; Judas autem uxorem acceperat cum Joseph explevisset annos sexdecim, ut ex cap. 37. & 38. colligere est; Annis autem Josephi circiter decimoseptimo, decimooctavo, decimonono, Judas successivè genuit Her, Onan, & Sela; Deinum autem post adultam horum ætatem, Judas cognovit nurum suam Thamar, ex qua suscepit Phares: qui proinde tempore prædicti descensus, non poterat plus quàm tertium vel quartum ætatis annum agere. Ideo igitur hic numerantur filii Phares, quia ipsi descenderunt in Ægyptum in suo progenitore. Et quoniam tum stirps regia & Davidica, tum Christus Dominus descendit ex Phares, propterea peculiaris fuit ratio, ejus filios tametsi necdum natos exprimendi, scilicet propter ejus dignitatem, præsertim cum juxta Beatum Augustinum quæst. ultim. in Genes. & lib. 16. de civit. capit. 40. ingressus Jacob in Ægyptum non debeat accipi præcisè pro tempore illo quo ipse personaliter illuc descendit, sed pro toto illo tempore quod fuit à descensu Josephi usque ad mortem ipsius. *Quoniam* (inquit) *causam intrandi in Ægyptum Jacob in Joseph habuit, totum tempus quo in Ægypto vixit Joseph, ingressio erat Jacob in Ægyptum per suam progeniem, quæ vivo illo propagabatur, per quem factum est ut ingrederetur.* Quod tempus comprehendatur in descensu Jacob in Ægyptum.

[ ℣. 17. *Hi filii Liæ, quos genuit in Mesopotamia Syriæ* &c. ] Non possunt ista verba sic intelligi quasi omnes qui tamquam filii Liæ in textu recensentur, nati sint secundùm se in Mesopotamia; sed quia illic nati sunt sex ejus filii: Nepotes autem ejus qui ex illis sex nati fuerunt, nati sunt in terra Chanaan, & non in Mesopotamia, nisi in suis parentibus, seu quia parentes eorum ibi fuerunt nati. Aut certè, ista verba, *Hi filii Liæ*, videri possunt esse referenda ad solos eos quorum filii recensentur, & non

non ad filios eorum recensitos, hoc est, ad sex filios Liæ, non verò ad illorum filios.

[ *Omnes animæ filiorum ejus & filiarum, triginta tres.* ] Per animas filiorum intelliguntur tum filii proximè geniti ex Lia, tum filii filiorum, id est, nepotes. Quod autem additur, *& filiarum*; dicitur propter Dinam quæ sola fuit filia Liæ. Ab hoc numero excludendi sunt Her & Onan: quoniam licèt numerentur inter filios Judæ, non possunt tamen numerari inter eos qui ingressi sunt in Ægyptum, cum ut versu 12. legitur, *mortui sint in terra Chanaam*. Si quis autem voluerit eos computare, non solùm inveniet triginta tres, sed triginta quatuor. Unde fit consequens, quòd illis exclusis tantùm sint triginta duo. Ut ergo habeantur triginta tres, convenienter computabitur ipse Jacob, & quidem primus in ordine. Neque refert quòd Jacob non sit de filiis & filiabus Liæ: quia illud. *Omnes animæ filiorum ejus & filiarum, triginta tres*; accipiendum videtur non excluso capite; sed incluso. Versu enim 8. sic dicitur: *Hæc sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Ægyptum, ipse cum liberis suis*. Sunt qui ut triginta tres inveniant, non addunt Jacob, sed Jocabed matrem Moysi de qua Exod.6. Sed incertum quo fundamento. Ut autem computentur filii cum parente, fundamentum habemus ex cap. 3. vers.8.

[ ℣. 17. *Filii Aser: Jamne & Jesua* ] Hujus Jesvæ stirps putatur periisse in Ægypto ante egressum Moysi, quia non recensetur cum aliis Numer.26.

[ *Sara quoque soror eorum*. ] Fortè hæc nominatur in honorem nominis quod ei commune est cum Sara uxore Abrahæ.

[ ℣. 18. *Et hos genuit Jacob* ] Seu Jacobo, nimirum Zelpha. Nam Jacob in Hebræo est tertii casus, quemadmodum & vers. 22. & 25. in simili phrasi.

[ ℣. 20. *Manasses & Ephraim*. ] His filiis Josephi interpretes 70. addunt quinque nepotes ex istis filiis descendentes: qui quidem Jacobo Ægyptum ingrediente necdum nati esse poterant, sed tamen eos recensere voluerunt, tum propter honorem Josephi; tum propter prærogativam tribus illius quæ in duas fuit divisa; tum quia in tribu Ephraim regnum Israeliticum & Sedes regia constitit. Quibus accedit quòd illi nepotes dici possunt descendisse in Ægyptum in suo patre qui illuc descendit, & quo ibi vivente nati sunt. Quoniam verò Hebræa non habent hoc loco nepotes Joseph, verisimile est quòd vel olim eos habuerint, vel interpretes 70. eos eorumque nomina huc transtulerint ex Numer.26. & ex 1. Paralipp.7.

[ ℣. 21. *Filii Benjamin:* ] Tam in textu Hebr. quàm in Latina editione vulgata recensentur decem filii Benjamin quoniam tamen non omnes ex eo fuerunt immediatè geniti, ideo sub filiorum nomine comprehenduntur nepotes imò & pronepotes, ut evidenter patet ex 70. qui post recensitos filios Benjamin, Bela, & Bechor, & Asbel: ita habent: *Facti sunt filii Bala, Gera & Noeman, & Anchis, & Rhos, & Mamphim, Gera autem genuit Arad*. Clarum proinde est non omnes qui hic dicuntur filii Benjamin, natos fuisse ante ingressum Jacob in Ægyptum; quia Benjamin eo tempore solùm erat annorum circiter viginti quatuor, ac per consequens non poterat habere nepotes vel pronepotes, imò nec multitudinem filiorum. Est ergo hic prolepsis seu anticipatio, & multi dicuntur Ægyptum ingressi, quia erant in lumbis patris sui eam ingredientis, quo modo Levi qui erat in lumbis Abrahæ, decimatus dicitur ad Hebr.7.

Si cum hæretico dicas anticipationem hic repugnare consilio Spiritus sancti, quod erat declarare exiguitatem familiæ quam Jacob habuit intrans in Ægyptum, ut sic comparatione multitudinis ad quam excrevit, illustraretur benedictio Dei. Responderi potest Neg. Assumpt. Maximè enim illustratur admissa anticipatione; quoniam hoc modo ostenditur quòd familia Jacob tametsi exigua, necdum actu & re ipsa tanta erat, quanta hic recensetur, sed quadam ex parte solùm potentia & virtute. Observandum porrò quòd horum trium Judæ, Joseph, & Benjamin nepotes necdum nati recenseantur cum descendentibus in Ægyptum, potius quàm aliorum, propter prærogativam & dignitatem illarum tribuum, ut de Juda & Joseph notissimum est quæ plurimos reges de se ortos genuerunt. De Benjamin verò quoniam ex illa tribu fuit primus rex populi Israelitici.

[ ℣. 23. *Filii Dan: Husim*. ] Qui Num. 26. vocatur Suham. Utroque loco pluraliter dicitur, *filii*, pro singulari, *filius*: quamquam & sic exponi possit: Filii Dan, non alii fuerunt quàm Husim.

[ ℣. 26. *Cunctæ animæ quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, & egressæ sunt de fæmore illius*, ] Synecdochicè pars ponitur pro toto, anima pro homine; ne quis hinc colligere velit, ut brutorum ita & hominum animas cum corporibus traduci. Dicuntur autem homines egressi de alicujus fœmore, quando sunt ex eo nati, quia Hebræi ponunt fœmur pro partibus quæ sunt inter fœmora, sive pro principio generationis.

[ *Absque uxoribus filiorum ejus*, ] Hinc patet in numero ingredientium Ægyptum, non haberi rationem mulierum, nisi Dinæ & Saræ quæ nominatim fuerunt expressæ, & contentæ; una in numero triginta trium v. 15. altera in numero sexdecim v.18.

[ *Sexaginta sex*. ] In hoc numero non comprehenditur Jacob, neque Joseph cum suis duobus filiis; sic enim invenirentur septuaginta. Non Jacob; quia illi soli numerantur qui egressi sunt de fœmore ipsius quod ei non convenit. Non Joseph & ejus filii, quia ipsi non descenderunt in Ægyptum cum Jacob, sed Joseph diu ante, filii verò ibi nati sunt antequam Jacob illuc veniret, unde hic sequitur:

[ ℣. 27. *Filii autem Joseph, qui nati sunt ei in terra Ægypti, animæ* ] Id est, personæ.

[ *Duæ*. ] Versus autem vigesimus sextus loquitur de illis qui ingressi fuerunt cum Jacob.

[ *Omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta*. ] Nihil in hac sententia dicitur, ob quod excludendi sint Jacob & Joseph, & duo filii Joseph, Ephraim, & Manasses. Nam Jacob erat de domo seu familia sua, utpotè ejus caput; & Joseph revera fuit ingressus Ægyptum, atque in eo ipsius filii qui ibi fuerunt nati. Et propterea isti quatuor intelligendi sunt hic esse comprehensi, ut inveniatur numerus septuaginta. Qui numerus tam in Hebræo quàm in editione Latina exprimitur quoque Exod. 1. & Deut. 10.

Sed quæritur, quomodo cum his consentiant 70. interpretes, qui tum cap.1. Exod. ponunt animas septuaginta quinque. Resp. quoniam ipsi præter duos filios Joseph, etiam recensent eorum filiorum filios ac nepotes; Manasse quidem filium, Machir, & ex eo Nepotem Galaad: Ephraim autem Sutalaam & Taam; ex Sutalaa verò, Edem: qui numero quinque nati fuerunt in Ægypto, cum Joseph adhuc esset ibi superstes. At dices, Unde ergo factum est quod iidem 70. interpretes Deut. 10. solùm habent numerum septuaginta. Resp. spiritum sanctum ita calamum illorum direxisse, ut tam in Genesi quàm in Exodo ponerent numerum eorum qui Ægyptum ingressi fuerunt potentia seu in suo progenitore; in Deuteronomio autem illos qui actu existebant tunc quando Jacob illuc descendit. Quæres ulterius; quare B. Stephanus Act. 7. exprimit numerum septuaginta quinque. Resp. quia sequitur versionem quam dederunt Septuaginta interpretes tum in Genesi tum in Exodo; quæ versio 70. tunc temporis magis erat recepta magisque celebris quàm alia quæ ex Hebræo: ob quam proinde causam Apostoli & Evangelistæ eorumdem versionem in scriptis suis solent allegare. Audiendi itaque non sunt, qui vel librariorum errorem hic esse censent, vel errasse dicunt Septuaginta, eorumque errorem secutum fuisse B. Lucam.

> Quomodo interpretes 70 ponunt personas 75. & alii 70.

[ ℣. 28. *Misit autem Judam ante se ad Joseph*, ] Hunc tamquam honoratiorem & prudentiorem præmisit Jacob, non ut Joseph honoris causa ei occurreret, sed ob necessitatem, nesciebant enim quibus in domiciliis essent recipiendi & hospitaturi, vel ubi consisterent.

[ *Et occurreret in Gessen*. ] Locum hunc nominat Jacob, quia jussum erat ei nuntiari quòd habitaturus esset in Gessen, cap.45. Pro *Gessen*, urbem heroum dicunt 70. & veteres alii interpretes.

[ ℣. 29. *Irruit super collum ejus, & inter amplexus*

levit

*flevit.* ]Scilicet Joseph præ amoris erga patrem diu non visum magnitudine. Flevisse quoque Jacobum eadem ex causa non est dubium. Istum affectum naturalis propensionis exprimit scriptura, ut sciamus non omnes naturales effectus esse malos, ac proinde non omnes ex fomite carnisque inordinatione vitium contrahere.

[ ℣. 34. *Respondebitis : viri pastores sumus servi tui ab infantia nostra* &c. ] Quia Joseph desiderabat fratres suos habitare in terra Gessen, tamquam ipsis futura commodissima, ideo illos instruit ut sermone ad eam rem apud Pharaonem idoneo utantur, unde subjungit :

Cur Joseph cuperet suos habitare in Gessen.

[ *Hæc autem dicetis, ut habitare possitis in terra Gessen* : ] Cur desideraret fratres suos ibi habitare, una ratio est, quòd illa terra utpotè fertilis & uberrimis pascuis abundans, esset commodissima pastoribus pecorum. Secunda, quòd cuperet fratres suos à regiis functionibus abesse, ne vel Ægyptiorum vitiis facilè inquinarentur, vel obnoxii redderentur suspicionibus de affectata regni invasione, aut paterent calumniæ & tyrannidi. Tertia, ne filii Israel ab invicem dividerentur & permiscerentur Ægyptiis, sicque desinerent esse unus populus ab aliis gentibus separatus. Quarta est, quam textus exprimit.

[ *Quia detestantur Ægyptii omnes pastores ovium.* ] Atque ita evidens periculum erat, ne continuæ essent contentiones ac pugnæ Israelitis contra Ægyptios, si omnino permixti habitassent. Cur autem Ægyptii detestarentur omnes pastores ovium, sive ut Hebræa sonant, pecudum vel pecorum, sub quibus comprehenduntur non tantùm oves, sed etiam hirci, capræ, boves, & vaccæ; ratio erat, quia pastores istiusmodi animalia percutiebant, occidebant, & comedebant; Ægyptii autem illa habebant & colebant pro diis.

Quare Ægyptii detestabantur pastores ovium.

Si dicas etiam Ægyptios nutrivisse oves & boves, quemadmodum patet ex cap. seq. v. 17. Resp. non nutrivisse vel ad esum, vel ad eum usum quo malè tractarentur; sed ad alium nimirum ad lanam & lac, ad oblectationem & ad agrorum stercorationem, &c. ac fortasse ad vendendum aliis quos non credebant malè tractare ista animalia. Ac proinde quod hic dicitur, *quia Ægyptii detestantur omnes pastores ovium*; rectè intelligitur de pastoribus alienigenis quos audierant durè tractare oves & boves, & alia ejusmodi animalia.

Pro moribus duo hinc dici possunt. Unum, quòd sicut Joseph ad Ægypti principatum evectus, vult in Regis aula sciri se esse fratrem pastorum pecudum; ita qui ex vili conditione promoventur ad sublimem, libenter agnoscere debeant suos parentes & consanguineos, licèt in statu ignobili constitutos. Alterum, quòd sicut Joseph non curavit fratres suos ad alta evehere, sed in arte pastoritia eos conservavit : ita qui ad magnas dignitates elevantur, non debeant suos consanguineos & affines supra modum ditare, evehere; & ad præbendas, sacerdotia, vel officia sive Ecclesiastica, sive sæcularia, quorum non rarò sunt incapaces, promovere : Alioqui videant ne faciant eos filios gehennæ duplo quam se.

## CAPUT XLVII.

*Jacob cum quinque filiis Pharaoni sistitur, eisque Terra Gessen datur ad inhabitandum, fames ita premit Ægyptum ut venditis pecoribus, terram quoque vendere sint coacti : quo factum est ut quinta pars fructuum perpetuò regibus Ægypti cedat, præterquam in possessionibus sacerdotum, Jacob morti vicinus adjurat Joseph ut ipsum in Chanaan sepeliat.*

[ ℣. 1. **P***Ater meus & fratres* &c. *& ecce consistunt in terra Gessen.* ] Statione opus habebant statim ut ingressi erant terram Ægypti, propter pecora & familiam copiosam, atque ut regis voluntatem intelligerent. Eam autem stationem Joseph eis assignaverat in terra Gessen, quia cupiebat illam à Pharaone eis concedi ad habitandum ob rationes cap. sup. datas. Commemorat oves eorum & armenta, ut indicet opus illis esse terra pascuosa, qualis erat terra Gessen: Et non vult quòd eam occupent citra expressam Regis licentiam, partim civilitatis & reverentiæ in regem, partim securitatis causa, ne inde possent facile amoveri.

[ ℣. 2. *Extremos quoque fratrum suorum quinque viros constituit coram rege* : ] Seu regi præsentavit. 70. non habent extremos, habet tamen textus Hebræus ita sonans, *Et de extremitate fratrum suorum* &c. Ambiguum autem est, quæ extremitas significetur; Utrùm principii, an finis. Abulensis putat quod principii, volens quòd Joseph è fratrum numero, majores, præstantiores, & eloquentiores Pharaoni præsentaverit, ut ita sui generis nobilitatem ostenderet, essetque tam ipse quàm ejus cognatio gratior. Oleastri tamen, Delrionis, Marzillæ, & aliorum interpretatio; qui finis extremitatem intelligunt, verisimilior est : quia non hoc spectabat Joseph, ut sua cognatio haberetur nobilis & esset in honore vel æstimatione apud regem, sed ut fratres sinerentur in libera cui assueverant vita simul permanere, & vitam pastoritiam agere quæ apud Ægyptios erat vilis, imò odiosa. Et confirmatur, Si Joseph eò spectasset ut generis sui nobilitatem ostenderet, non ita fuisset sollicitus ut fratres profiterentur & se & patres suos, esse pastores ovium; utque ipsis tamquam pastoribus obtineret terram Gessen. Sensus igitur est, quòd Pharaoni præsentaverit quinque ultimos fratres suos, seu quinque quoad speciem abjectiores & imbecilliores, ut ita probaret eos non aliud esse quàm pastores pecorum, utque regi adimeret occasionem detinendi apud se in Aula eos qui præ aliis eminebant. Quoniam verò non solùm fratres non puduit abjecti apud Ægyptios muneris, sed nec ipsum Joseph, discant hinc qui vilibus officiis destinati sunt, modò vitio careant, non pudescere; & qui in statu sublimi sunt, non erubescere de pristina vili sorte sua & suorum.

[ ℣. 4. *Ad peregrinandum in terra tua venimus:* ] Ita significant se non perpetuum in Ægypto domicilium cogitare :

[ *Quoniam non est herba gregibus servorum tuorum,* ] Erat herba in Ægypto; propterea quippè illuc venerant cum suis pecoribus : dicitur autem non esse in Chanaam. Neque refert quòd siccitas & sterilitas esset communis non minùs Ægypto quàm terræ Chanaan : quamvis enim ita esset quoad rem frumentariam; quoad herbas tamen erat diversitas. Cùm enim terra Chanaan esset altior neque abundaret fossis vel locis palustribus; ita erat exsiccata, ut nec frumentum, nec herbam produceret: At Ægyptus cum esset inferior, maximè autem terra Gessen; cumque multis fossis ex Nilo ductis esset irrigua, satis herbarum ferebat pecoribus alendis, etsi non ferret frumenta. Augustinus quæst. 160. addit, in Ægypto esse paludes quæ tum maximè producunt gramina, quando Nilus minùs exundat.

[ ℣. 6. *Terra Ægypti in conspectu tuo est* : ] Sive, in arbitrio & potestate tua est, ut quam velis Ægypti partem eligere possis patri & fratribus tuis. De ista phrasi vide quæ diximus cap. 13. v. 9.

[ *In optimo loco fac eos habitare,* ] Hebr. sonat, in benefaciente terra, hoc est, in terra fertili quæ bonum fructum facit.

[ *Quod si nosti in eis esse viros industrios,* ] Hebr. viros roboris seu robustos ac fortes. Quoniam autem sermo est non tam de corporis quàm de animi fortitudine, noster interpres rectè vertit viros industrios, quomodo Proverb. 31. Mulier fortis ponitur pro muliere strenua, sedula, & animi planè virilis.

[ *Constitue illos magistros pecorum meorum.* ] Habebat Pharao pecora, non tantùm equos, asinos, & camelos, sed etiam oves & boves, quemadmodum ex v. 17. intelligi potest, ac per consequens habebat etiam pastores. Sed quia non alebant ista animalia ut ea occiderent & comederent, sed ob alias commoditates; ideò credibile est quòd Ægyptii non detestarentur pastores suæ gentis, quòdque tales pastores non durè sed religiosè tractarent pecora ab Ægyptiis in honore habita. Utrùm verò Joseph aliquos fratrum præposuerit pecoribus Pharaonis, incertum est : Quidam affirmant : sed alii verisimilius negant, partim ne fratribus invidiam aliorum crearet, partim ne ipsi multum permiscerentur Ægyptiis.

[ ℣. 7.

[ ℣. 7. *Qui beneditens illi*, ] Jacob non tantùm ſalutavit regem, ſed etiam illi benedixit, ſive benè precatus eſt, ejus vitam & ſalutem Deo commendans; eò quòd regis incolumitatem, ſuam ſuorumque pacem eſſe non dubitaret.

[ ℣. 9. *Dies* ] Seu tempus.

[ *Peregrinationis meæ* ] Vitam præſentem vocat Jacob peregrinationem primò, quia multum fuit de loco in locum peregrinatus, ut ex præcedentibus capitibus patet. Secundò, quia non poſſedit terram Chanaam velut ſuam ſibique jure proprietatis competentem, conformiter ei quod Act. 7. legitur de Abraham, *Non dedit illi hæreditatem in ea nec paſſum pedis*. Tertiò, quia veteres patres confiteri ſolent ſe eſſe peregrinos & hoſpites ſuper terram, per hoc ſignificantes ſe patriam inquirere, nimirum cæleſtem, ad Hebr. 13. Unde David tametſi rex terræ promiſſæ, dicit tamen Pſalm. 38. ſe eſſe advenam & peregrinum, ſicut omnes patres ſuos. Docendi hinc fideles, ut neque hic theſaurizent, neque affectum ſuum ad præſentem vitam figant, ſcientes quòd ſolùm ſunt peregrini, debeantque idcirco ad patriam tendere.

Vitam ſuam quare Jacob vocat peregrinationé.

[ *Centum triginta annorum ſunt*, ] Erat hoc anno Joſeph annorum 39. unde ſequitur eum fuiſſe natum anno patris ſui nonageſimo primo. Confer quæ diximus cap. 30. ad verſum 25.

[ *Parvi & mali*, ] Parvi, quia pauci comparatione annorum quibus vixerunt ejus patres, Abraham & Iſaac. Unde ſubdit.

[ *Et non pervenerunt uſque ad dies patrum meorum quibus peregrinati ſunt*. ] Seu hic vixerunt. Etſi enim ignoraret quamdiu eſſet deinceps victurus, ſentiens tamen vires ſuas tum ætate, tum laboribus fractas, facilè colligebat ſe non perventurum ad ætatem patrum ſuorum; quorum Abraham vixit annis centum ſeptuaginta quinque; & Iſaac annis centum octoginta. Mali dicuntur dies vitæ Jacob, quia fuerunt laboribus & ærumnis pleni, quemadmodum ex præcedentibus patet, Cæterum licèt dies Jacob ſpecialiter mali fuerint, uti etiam quibuſdam aliis evenit, communi tamen ratione omnium hominum dies poſſunt dici mali, imò & parvi: quia omnium *dies velocius tranſeunt, quàm à texente tela ſucciditur & conſumuntur abſque ulla ſpe*, Job. 7. *& homo brevi vivens tempore repletur multis miſeriis*, ita ut ſit veriſſimum, *Breves dies hominis ſunt*, Job 14.

[ ℣. 10. *Et benedicto rege, egreſſus eſt foras*. Hoc eſt, rege ſalutato eique vale dicto cum bona apprecatione. Quomodo eadem phraſis ſumitur 2. Reg. 14. ubi dicitur quòd Joab cadens ſuper faciem ſuam in terram, *adoravit & benedixit regi*.

[ ℣. 11. *Joſeph verò patri & fratribus ſuis dedit poſſeſſionem in Ægypto in optimo terræ loco, Rameſſes, ut præceperat Pharao*. ] Quoniam ex ſuperioribus conſtat fratres Joſeph petiviſſe, ac Pharaonem juſſiſſe ut habitarent in terra Geſſen; omnino exiſtimandum Rameſſen fuiſſe illius terræ partem, eamque optimam. Eſt autem Rameſſes urbs quam filii Iſrael ædificaverunt in Ægypto, ut legitur Exod. 1. de qua etiam cap. 12. ſermo eſt cum filii Iſrael dicuntur profecti de Rameſſe in Sochot. Ab hac autem urbe, tota provincia quam cum filiis ſuis illic inhabitavit Jacob, vocata fuit Rameſſes, aut ab ipſa provincia ita prius cognominata, urbs quæ poſtea fuit ædificata, nomen accepit. Si quæras, quomodo Joſeph potuit hoc tempore fratribus dare poſſeſſionem in Rameſſe, cum ea civitas nondum extaret: Reſp. quòd ſpectata hiſtoriæ & temporis ſerie Moyſes hic Rameſſeo poſuerit per anticipationem, quomodo vocabatur dum ipſe Geneſim ſcriberet; ut ſit ſenſus, in Rameſſe, hoc eſt in eo loco qui nunc appellatur Rameſſes. Ex his intelligi poteſt Iſraelitas non occupaſſe totam terram Geſſen, ſed ejus partem dumtaxat; aliam verò partem habitatam fuiſſe ab Ægyptiis: unde ex cap. 11. & 12. Exodi liquet aliquos Ægyptios fuiſſe vicinos Iſraelitis. Qui proinde licèt non omnino fuerint Ægyptiis permixti, nam Rameſſes in extremis erat finibus Ægypti, non fuerunt tamen etiam ab eis totaliter ſeparati.

℣. 12. *Et alebat eos, omnemque domum patris ſui, præbens cibaria ſingulis*. ] Heb. uſque ad os parvuli. Ubi parvulus pro minimo familiæ ponitur, & os pro voluntate & deſiderio, ſicut ſupra c. 24. Hebræa habent interrogemus os ejus; pro eo quod nos habemus, ejus voluntatem. Et Oſeæ 10. Metite in ore miſericordiæ, id eſt, copioſiſſimè, quantum optat miſericordia. Senſus igitur loci præſentis eſt, quòd Joſeph præberet cibaria omnibus & ſingulis, etiam minimis quantum volebant.

[ ℣. 13. *In toto enim orbe* ] Per hyperbolen magna orbis pars ſignificatur, ſecundùm ea quæ diximus cap. 41. v. 54.

[ *Panis deerat & oppreſſerat fames terram*, ] Seu incolas terræ.

*Maximè Ægypti & Chanaan*. ]

[ ℣. 14. *E quibus* ] Ægyptiis ſcilicet & Chananæis.

[ *Omnem pecuniam congregavit pro venditione frumenti*, ] Joſeph, tamquam fidelis diſpenſator, frumenta ſuæ fidei commiſſa non dabat, ſed in utilitatem ſui Domini vendebat, omnemque pecuniam ex venditione provenientem congregabat.

[ *Et intulit eam in ærarium regis*. ] Nihil penitus inde ſibi reſervans. Notatur itaque integritas Joſephi, qui inter tantos pecuniarum acervos, puras manus ſervavit, & tangens picem, non eſt inquinatus ab ea; contra quàm hodie multis in more eſt, quæ ſua ſunt potius, quam quæ regum & dominorum ſuorum, quærentibus.

[ ℣. 15. *Cumque defeciſſet emptoribus pretium, venit cuncta Ægyptus* ] Hoc eſt, omnium locorum Ægypti procuratores.

[ *Ad Joſeph, dicens: Da nobis panes*: ] Seu frumentum ex quo poſſimus panes pinſere.

[ *Quare morimur coram te, deficiente pecunia?* ] Quare ob defectum pecuniæ te ſciente ac vidente qui remedium adhibere potes, ad extremum uſque fame cruciamur & morti exponimur?

[ ℣. 16. *Adducite pecora veſtra, & dabo vobis pro eis cibos*, ] Quaſi diceret, quamvis non habeatis pecuniam, non idcirco vobis frumenta gratis dare debeo, cum alia habeatis quæ poteſtis in commutationem dare, nimirum pecora.

[ ℣. 17. *Dedit eis alimenta pro equis, & ovibus, & bobus, & aſinis*: ] Licèt aliqui multa pecora darent, non tamen multum frumenti accipiebant, ut patet ex eo quòd cibus pro pecoribus datus non duravit ultra annum, ideo namque anno ſequenti compulſi ſunt iterum venire ad petendum cibos; ut infra habetur. Hujus autem ratio fuit, quòd pecora tunc parvi æſtimarentur, utpotè parum utilia in tempore tantæ ſiccitatis & ſterilitatis, in qua non minùs deficiebant alimenta pecoribus quàm hominibus, frumentum verò tamquam maximè neceſſarium magnæ erat æſtimationis.

At dices, aliqui valde pauca pecora habebant, quorum pretium non ſufficiebat ad cibos unius anni: Alii autem nulla habebant pecora, ſicut contingere videmus in urbibus & pagis, ubi ſatis multi reperiuntur, qui vel pauca vel nulla habent pecora: unde ergo his proviſum fuit de cibo? Reſp. eam fuiſſe Joſephi prudentiam & charitatem, ut nullos ſcienter permitteret mori fame: Et ideo illis qui pecora ſaltem aliqua habebant, vel alia ſupellectilia (quorum eadem videtur eſſe ratio quæ pecorum) per commutationem eorum ſubminiſtrabat frumentum parcius vel abundantius prout ratio poſtulabat, omnibus tamen ad inediam levandam ſufficienter. Illis verò qui nec pecora, nec ulla ſupellectilia habebant, cibos ſuppeditabat, vel applicando ipſos ad opera regis publica; vel ſi non erant ad ea idonei, gratis. Cum enim Ægyptii petierunt panes à Joſeph, conquerentes ſe coram eo mori fame; ipſe reſpondit ut pecora adducerent: unde conſequens videtur quòd ſi nihil habuiſſent, nihil fuiſſet petiturus, ſed gratis alimenta conceſſurus.

[ ℣. 18. *Venerunt quoque anno ſecundo*, ] Annus hic ſecundus non à ſterilitate vel fame inchoata ſupputandus eſt, ſed ab eo tempore quo Ægyptii propter defectum pecuniæ ſua pecora dederunt pro alimentis, quibus uno tantùm anno fuerunt ſuſtentati. Putaturque hic annus fuiſſe quintus vel ſextus, vel ut alii, ſeptimus ab inchoata fame. Hæc ſupputatio in Hebræo & Græco manifeſta eſt, ubi ſic ſonat, *finitus eſt annus ille, & venerunt ad eum anno ſecundo*.

[ *Non*

[ *Non celabimus dominum nostrum, quod deficiente pecunia, pecora simul* ] Seu etiam.

[ *Defecerunt*, ] Omnibus anno superiore traditis in commutationem pro cibo.

[ *Nec clam te est, quòd absque corporibus & terra* ] Seu agris, prædiis rerumque immobilium possessionibus.

[ *Nihil habeamus.* ] Ex quo possimus frumenta nobis comparare.

[ ℣. 19. *Cur ergo moriemur te vidente?* ] Nostramque egestatem sciente?

[ *Et nos & terra nostra tui erimus:* ] In quantum Pharaonis vices geris ejusque causam agis: quod enim non intenderent se subjicere Josepho ut habenti propriam familiam ejusque curam gerenti, ex immediatè sequentibus eorum verbis liquet: Dicunt namque

[ *Eme nos in servitutem regiam*, ] Hoc est, ut simus servi regis. Hactenus solùm fuimus regis vasalli, parati sumus fieri ejus mancipia. Ubi notandum quòd famis vitandæ causa, non se tantùm, sed liberos quoque suos possit quis vendere. Per pronomen autem nos, Ægyptii intelligunt & personas suas, & suam terram, quemadmodum ex Hebræo & 70. liquet qui expresè dicunt, eme nos & terram nostram.

[ *Et prabe semina*, ] Hinc videtur quòd durantibus annis sterilitatis posset quibusdam in locis seri, & aliquantulum supra sementem meti, Alioquin isti non petiissent semina. Cæterum, etsi hoc omnino probabile sit, ut c. 45. v. 6. dicebamus; ex his tamen verbis non efficaciter concluditur, cum potuerint fuisse dicta initio anni septimi sterilitatis.

[ ℣. 20. *Emit igitur Joseph omnem terram Ægypti*, ] Id est, omnes agros, villas & domos quæ in Ægypto possidebantur à particularibus: unde sequitur.

[ *Vendentibus singulis possessiones suas* ] Tam rusticas quàm urbanas, ita ut ne nullus esset qui eas non venderet, exceptis sacerdotibus.

[ *Subjecitque eam Pharaoni*, ] Quoad proprietatem & utilitatem:

[ ℣. 21. *Et cunctos populos ejus*, ] Ita ut tam cuncti Ægyptii, quàm omnia eorum prædia, agri, domus & villæ essent in dominio Pharaonis.

[ *A novissimis terminis Ægypti usque ad extremos fines ejus*, ] Hoc est, ab uno fine Ægypti usque ad alium finem ejus. In Hebr. aliquid hic significatur quod neque 70. indicant, neque noster interpres. Ita enim habent: *Et fuit terra Pharaoni*, nimirum propria: *Et populorum transire fecit ad civitates ab extremitate termini Ægypti usq; ad extremitatem ejus.* Quasi dicerent, quòd Joseph incolas Ægypti migrare fecerit de una civitate in aliam, etiam remotissimam, hos nimirum illuc, & illos huc, ut domiciliis ita mutatis facilius intelligerent se non amplius possidere in Ægypto aliquid proprium. Porro, etsi Josephum ita fecisse non sit improbabile; Hebræorum tamen lectio quibusdam est suspecta; cum neque Hieronymus ita legerit, neque dudum antea Interpretes 70. Probabile est Abulensi olim in Hebræo fuisse vocabulum, quod cum Daleth in fine, significat, *subjecit in servitutem*; post Hieronymi verò tempora, per Hebræorum inadvertentiam, substitutam fuisse litteram, *Res* in fine, (quæ mutatio facilis est) vocabulum autem sic mutatum significat, *transire fecit*.

[Joseph non debuit omnes Ægyptios gratis alere.]

Quæri potest, cum eleemosyna sit in præcepto, præsertim tempore gravis aut extremæ necessitatis, cujusmodi fuit Ægyptiorum necessitas: quomodo Joseph qui fidelis erat ac sanctus, quique summam habebat curam administrandi bona Pharaonis, non gratis aluit cunctos Ægyptios, faciendo eleemosynam potius quàm non solùm eorum pecora & terras, sed etiam ipsos emeret in servitutem.

Resp. in primis, quòd quamdiu Ægyptii habebant pecora & terras, non erant in extrema, imò neque in gravi necessitate simpliciter, sed tantùm secundùm quid, quandoquidem non deessent eis media ordinaria acquirendi ea quæ ipsis ad victum opus erant: In ejusmodi autem casu non esse necessarium dare gratis, sed subveniri posse vendendo & commutando, diximus 2. 2. q. 32. art. 6. quæsito 5.

Resp. 2. quòd in ea angustia in qua erant omnes Ægyptii, non potuisset omnibus rectè provideri, donando gratis frumentum, ne quidem tunc quando à se abdicaverant pecora. Cùm enim Ægyptii (sicut testantur Josephus lib. 2. contra Apionem, Origenes hom. 16. in Genesim, Delrio, & Marzilla, hic) essent in omne malum valde proni; &, nisi servitute premerentur, admodum seditiosi; nequaquam contineri & in ordinem redigi potuissent, si vel bonorum proprietate, vel libertate eis relicta, omnes fuissent gratis aliti.

Resp. 3. Josephum ita terras Ægyptiorum ipsosque Ægyptios acquisivisse Pharaoni, ut tamen eos dura servitute non opprimeret, sed rem illorum utiliter ageret, conditionemque illis pergratam statueret, quemadmodum liquet ex versu 24. & 25.

[ ℣. 22. *Præter terram sacerdotum quæ à rege tradita fuerat eis:* ] Apparet hinc quanto honore donati, & quo privilegio gavisi fuerint sacerdotes Ægyptii. Nam rex agros eis jam antea dederat, ex quibus victum competentem possent habere: postquam autem generalis illa calamitas advenit, ut & illorum agri communem sterilitatem paterentur, rex eis succurrit: sequitur enim

[ *Quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur*, ] Rege nimirum ita volente ac naturalem rationem sequente, quæ dictat sacrorum ministris deberi sustentationem à regibus & populo, propter eminens divinum officium, cui vacant ad communem utilitatem. Solùm hic fuit error in applicatione istius naturalis rationis, quia scilicet sacerdotibus idololatris illa præbebantur à rege, putante ipsos veri Dei sacerdotes esse, quæ unius veri Dei ministris debentur. Neque verò culpandus est Joseph qui non ignorabat sacerdotum illorum superstitionem & idololatriam: quia textus non dicit Josephum dedisse alimenta illis sacerdotibus, sed tantùm quòd præbebantur eis cibaria ex horreis publicis: Imò Hebræa clarissimè dicunt fuisse Pharaonem qui sacerdotibus victualia assignavit. Et quidquid Joseph dicatur in eo negotio fecisse, non nisi ex regis sui mandato fecit; etsi verò regem moveret officium & dignitas sacerdotii idololatrarum; non tamen hoc erat quod Josephum movebat, sed regis voluntas, aut vetus privilegium: Præbere autem impiis sacerdotibus alimenta, non favore superstitionis eorum, sed alia ex causa, non est per se malum.

[ *Et idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas.* ] cum aliter haberent ad victum sufficientia.

[ ℣. 23. *Dixit ergo Joseph ad populos:* ] Anno videlicet sterilitatis septimo & ultimo, cum anno proximo spes esset fertilitatis.

[ *Accipite semina, & serite agros*, ] Tradit nunc eis majorem quantitatem tritici, quàm annis præcedentibus, ad victum scilicet & ad sementem, cum aliàs solùm tradidisset ad victum. Ne verò id quod pro semente dabat, Ægyptii impenderent in cibos, veteres scribunt Josephum adhibuisse observatores.

[ ℣. 24. *Ut fruges habere possitis.* ] Redeunte jam tempore fertilitatis.

[ *Quintam partem regi dabitis: quatuor reliquas permitto vobis* ] Terras ab Ægyptiis venditas, eis reddit colendas in perpetuam emphiteusim. Et cum illi seipsos quoque vendidissent, in servos atque ideo rex illis uti posset ad quodcumque ministerium sibi utile, & curare ut agros quos vendiderant, excolerent, non in eorum sed in regis commodum; Joseph tamen non totum laboris fructum ab eis requirit, sed quintam solùm partem proventuum, reliquas quatuor partes eis concedens. In Hebr. pro quatuor partibus legitur, quatuor manus: Solent enim Hebræi manum ponere pro parte, quia manu partimur.

[ *In sementem, & in cibum familiis & liberis vestris.* ] Liberi seu filii ordinariè computantur in familia patris: At hic non computantur cum distinctè exprimantur. Unde per familiam intelliguntur servi & ancillæ & vernaculi. Benignè ergo admodum egit Joseph cum Ægyptiis, magnaque usus fuit in suo principatu moderatione, dum & regem insigniter auxit, & subjectum ei populum non oppressit, sed fovit & humaniter tractavit.

[ ℣. 25. *Qui responderunt: Salus nostra in manu tua est:* ] Heb. *vivificasti nos.* q. d. Tu es per quem salvati sumus, Tibi vitam nostram ferimus acceptam; æquum propterea est, ut voluntati tuæ pareamus.

[ *Respi-*

[ *Respiciat nos tantùm dominus noster* , ] Benigno tantùm vultu nos aspiciat.

[ *Et læti serviemus regi.* ] Onus quintæ partis Regi solvendæ libenter subibimus.

[ ℣.26. *Ex eo tempore usque in præsentem diem, regibus quinta pars solvitur:* ] Dies præscus denotat tempus quo ista scribebantur. Sed & postea idem post Moysen ita observatum fuisse scribit Abulensis, confirmarique potest ex eo quod sequitur:

[ *Et factum est quasi in lege,* ] Quasi diceret, id quod Joseph tunc constituit, accepit vim perpetuæ legis. Sic sumitur vocula, quasi non ad diminutionem sed ad veritatem denotandam. Dan.10. *quasi similitudo filii hominis:* Et Joan.1. *quasi unigeniti à Patre*. Et hic tam in Hebr. quàm apud 70. simpliciter dicitur, *Posuit illud Joseph in statutum*.

[ *Absque terra sacerdotali:* ] Hoc est, absque possessionibus ad sacerdotes pertinentibus.

[ *Quæ libera ab hac conditione fuit.* Ita ut sacerdotes ex fructibus suarum possessionum non deberent quintam eorum partem Regi solvere. Quod & Artaxerxes Persarum quodammodo servasse legitur 1. Esdræ 7. ubi subditis suis prohibuit ne ullis sacerdotibus, & Levitis, & cantoribus imponerent tributum & vectigal.

Ex his tria possunt observari. Unum, Regum ac Principum consiliarios vel adjutores non debere suis, sed dominorum suorum commodis studere, sicut fecit Joseph.

Secundum; quòd clericorum novi testamenti exemptio à vectigalibus & tributis, ex Principum privilegiis eis competens, habet fundamentum in ratione naturali, quemadmodum B. Thomas in cap.13. ad Romanos ostendit.

Tertium, quòd eorum qui Christiano nomine censentur quidam sint minùs rationabiles, quàm Pharao: Nam is etiam in maxima totius Ægypti necessitate nihil subtraxit sacerdotibus, neque in aliquo ipsos oneravit, idque propter honorem eorum qui putabantur, sed non erant dii, quinimò liberaliter ipsos aluit: illi autem veros Dei viventis sacerdotes, eorum immunitate violata, oneribus & exactionibus gravant, etiam extra talem necessitatem qualem patiebatur Ægyptus, & ad hoc satagere videntur ut in necessitatibus occurrentibus exemptos & privilegiatos promiscuè involvant ac onerent. Quos Theodoretus q.106. in Genesim perstringit.

[ ℣.27. *Habitavit ergo Israel* ] Seu Jacob.

[ *In Ægypto, id est, in terra Gessen, & possedit eam:* ] Tum inhabitando, tum fructibus ejus ad suam utilitatem utendo, etsi non possederit velut suam propriam.

[ *Auctusque est,* ] Divitiis, multorumque bonorum affluentia.

[ *Et multiplicatus nimis.* ] Copiosè seu in immensum, non quòd alios filios, ipse genuerit, sed quia ejus filii ac nepotes genuerunt, sicque in illis vehementer fuit multiplicatus, in tantum ut cum 70. homines in Ægyptum descenderint, post annos circiter ducentos quindecim exierint sexcenta millia virorum Exod.12. Unde meritò Moyses Deut.10. sic populum alloquitur, *In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Ægyptum, & ecce nunc multiplicavit te Dominus Deus tuus sicut astra cœli.*

[ ℣.28. *Et vixit in ea decem & septem annis:* ] Qui si addantur centum triginta annis quos habebat quando in Ægyptum descendit, clarum erit quod sequitur.

[ *Factique sunt omnes dies* ] Seu omne tempus.

[ *Vitæ illius centum quadraginta septem annorum.*

[ ℣.29. *Si inveni gratiam in conspectu tuo.* ] Si tibi gratus sum, si umquam ad te benè merui.

[ *Pone manum tuam sub femore meo:* ] Juramentum exacturus Jacob à Joseph super sepultura sua, hanc ceremoniam requisivit eadem fide & fidei protestatione, qua Abraham cap.24.

[ *Et facies mihi misericordiam* ] Hoc beneficium mihi præstabis.

[ *Et veritatem,* ] Fideliterque exequeris.

[ *Ut non sepelias me in Ægypto:* ] Cur illic sepeliri nollet Jacob, ratio una est, ne ipsius posteri habentes in Ægypto sepulchrum sui patriarchæ, nimium ad eam afficerentur sicque non curarent transire in terram Chanaan quæ promissa illis erat. Alia ratio fuit, quòd in Ægypto nullus sanctorum patrum esset sepultus.

Cur Jacob noluit in Ægypto sepeliri.

[ ℣. 30. *Sed dormiam cum patribus meis,* ] Dormire aliquando idem significat quod mori, & distinguitur à sepelire, ut 3. Reg.2. *Dormivit David cum patribus suis, & sepultus est in civitate David:* At hic dormire accipitur pro sepeliri: manifestum enim est sermonem esse de sepultura.

[ *Et auferas me de terra hac,* ] Postquam mortuus fuero.

[ *Condasque in sepulchro majorum* ] Seu patrum.

[ *Meorum.* ] Hoc sepulchrum fuisse in spelunca duplici, in Hebron terra Chanaan, de qua superiùs cap.23. dictum est, ex fin. cap.49. liquet.

Variæ autem causæ fuerunt, cur Jacob ibi cuperet sepeliri. Una, quia sancti ejus patres Abraham cum Sara, Isaac cum Rebecca illic erant sepulti, imò uxor ejus Lia: Fideles autem libenter sepeliuntur cum justis, iisque parentibus suis.

Cur Jacob sepeliri cuperet in Chanaan.

Secunda, ut filiis nepotibusque ac toti suæ posteritati certum faceret, quòd essent ex Ægypto exituri, ac in terram promissam venturi, eosque excitaret ad illuc eundum.

Tertia, quia sciebat in illa terra Deum verum à suis posteris cultu sincero ac solemni colendum.

Quarta, quia credebat Messiam in terra illa nasciturum, prædicaturum, moriturum, & resurrecturum. Sunt qui dicant Jacob spiritu prophetico prævidisse quòd una cum Domino resurgente multi in illa terra sepulti resurgerent & quidem ad vitam immortalem, è quorum numero se futurum speraverit: quod tamen ut non negamus, ita nec omnino asserimus.

[ *Cui respondit Joseph:* ] Justum agnoscens patris desiderium, speransque quòd Pharao daret ei licentiam foras eundi ad sepeliendum patrem suum, acquiescit ejus petitioni, non tamen ut petitioni, sed magis ut mandato: Dicit enim,

[ *Ego faciam quod jussisti.* ] Cæterum, quare Jacob de corpore suo in terram Chanaan sepeliendo peculiariter Josephum requisierit, facilè intelligi potest, si consideremus reliquos ejus filios fuisse personas privatas, quorum authoritas nihil valuisset vel pro impetranda facultate exeundi de Ægypto, vel pro consequendis sumptibus & itineri & funeri necessariis: Joseph autem cum esset princeps Ægypti, ad hæc omnia valebat.

[ ℣.31. *Et ille: Jura ergo, inquit, mihi* ] Juramentum exigit Jacob, non quòd diffideret de verbo Josephi: sed partim ut probaret se istud sepulturæ suæ negotium valdè magni facere, quandoquidem tam arcto vinculo filium talem obstringebat; partim ut Joseph Pharaoni assereret se ita esse obstrictum, (quemadmodum & cap.50. asseruit) sicque faciliùs obtineret licentiam eundi in terram Chanaan, causa sepulturæ patris.

[ *Quo jurante, adoravit Israel Deum, conversus ad lectuli caput.* ] Jacob postquam Joseph ei juravit quòd sepeliret eum in terra Chanaan in sepulchro patrum suorum, gavisus ac de sua petitione factus securus, Deum adoravit, gratias illi agens quòd eam mentem Josepho dederit. Sed & eidem Josepho gratias egisse intelligi potest ex seqq. In Hebr. non legitur Deum vel Dominum, sed tantùm, *Et incurvavit se Israel super,* seu ad *caput lecti:* Sanctus tamen Hieronymus tam hic quàm in qq. Hebraicis rectè intellexit eam incurvationem sive adorationem fuisse Dei, quemadmodum & August. qu.162. in Genesim, qui ambo docent quòd Jacob ita lectum in quo jacebat, haberet compositum ut ipse jacentis habitus absque difficultate ulla ad orationem esset paratus. Unde accepto filii juramento, se seu sui corporis parte superiorem convertit ad caput lecti, hoc est, ad eam lecti partem in qua est cervical, sicque se convertendo, Deo inclinavit, ipsum adorans. Septuaginta interpretes longè aliter vertentes hunc locum, ita habent: *Et adoravit Israel super summitatem virgæ ejus.* Et quamvis pronomen ejus, possit in Græco esse ambiguum, referrique vel ad Jacob, vel ad Joseph, ita ut legatur super summitatem virgæ suæ, aut super summitatem virgæ ejus; potius accipiendum est de virga Josephi; tum quia non est verisimile

mile Jacob in lecto jacentem gestasse baculum quo se sustentaret; tum quia Apostolus ad Hebr. 11. sequens versionem 70. non dicit virgæ suæ, sed *adoravit fastigium virgæ ejus*; eaque lectio plus mysterii continet; præterquam enim quòd præsentem Josephi dignitatem honorabat, sicque prædictionem de sole Josephum adoraturo implebat; in virga Josephi, quam ipse tamquam prorex gestabat, Jacob adoravit regiam Christi dignitatem quæ per eam virgam significabatur, ipsumque Christum per Joseph figuratum.

Si quæras, unde ista versionis varietas provenerit, & utra lectio sit retinenda, Hebræorum quam hic habemus, an Græcorum quos Apostolus ad Hebr. 11. fuit secutus? Resp. varietatem ex eo provenisse, quòd vox Hebræa tametsi sit una eademque quando scribitur sine punctis (quo modo certum est scripsisse Moysen) duo significet, lectum videlicet & virgam; Interpres autem vulgatus Geneseos secutus est unam significationem, & 70. interpretes, aliam. Et quoniam Ecclesia utramque lectionem recipit ac probat; utraque retinenda est tamquam vera & à Spiritu sancto profecta, quemadmodum etiam Jacob utrumque fecit, & se nimirum inclinavit ad caput lecti, adorans Deum ipsique gratias agens; & summitatem virgæ Josephi honoravit vel eam deosculando, aut manu apprehendendo, vel versus eam se incurvando, sicque etiam Josepho gratias egit pro juramento per eum præstito. Observandum ergo quòd 70. non hic reddiderint lectum sed virgam, nequaquam provenisse ex ignorantia significationis vocabuli Hebræi, sed ex Spiritus sancti providentia & voluntate: Nam cap. seq. v. 2. idem vocabulum verterunt lectum. Observandum præterea quàm sit antiquum habere curam ut fideles inter fideles sepulturam accipiant.

Jacob Deum adoravit, & modo quodam Josephi virgam.

## CAPUT XLVII.

*Joseph patrem suum Jacob ægrotantem invisit cum duobus suis filiis. Eos Jacob sibi adoptat ac benedicit minoremque præfert majori: Josepho autem unam partem supra fratres tribuit.*

℣. 1. **H**is ita transactis, ] Postquam Joseph juravit Jacob patri suo quòd eum sepeliret in Chanaan atque ab eo recessit, dimittens ipsum utcumque pro senii ratione valentem.

[ *Nuntiatum est Joseph quod ægrotaret pater suus :* ] Pro ægrotaret, quidam ex Græco vertunt, *turbatur*: sensus autem est quòd nova morbi molestia affligeretur; sicque cum nostra lectione coincidit.

[ *Qui, assumptis duobus filiis Manasse & Ephraim, ire perrexit.* ] Seu festinavit. Filios secum assumpsit, ut Jacob benedictionem eis impenderet.

[ ℣. 2. *Dictumque est seni:* ] Prius quam Joseph ingrederetur ad eum:

[ *Qui confortatus sedit in lectulo.* ] Filii adventantis & appropinquantis nuntio exhilaratus Jacob, seipsum animavit ac roboravit, corpusque suum levans, ut poterat, sedere cœpit in lecto in quo ante jacebat. Vides (ait Chrysostomus homil. 66.) quomodo amor erga filium senem firmabat, alacritas superabat infirmitatem.

[ ℣. 3. *Et ingresso ad se* (Joseph) *ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza,* ] Quam Jacob appellavit Bethel supra c. 28. Istam Jacob moriturus commemorat, partim volens promissionem de terra Chanaan sibi à Deo factam animo Joseph filiorumque ejus, imò & totius posteritatis firmiter inhærere; partim ostendens se habere jus dividendæ terræ Chanaan, & asciscendi filios Joseph quos sibi nunc erat adoptaturus, in partem hæreditatis. Bis apparuit Deus Jacobo in Luza; semel cum iret in Mesopotamiam, cap. 28. Deinde, cum ex ea rediret, cap. 35. Et cum utraque vice idem illi promiserit, probabile est Jacobum ad utramque apparitionem hìc respicere.

Cur Jacob apparitionem istam nunc memorat.

[ *Benedixitque mihi,* ] Bona maxima mihi promittendo:

[ ℣. 4. *Et ait: ego te augebo* ] Divitiis & potestate.

[ *Et multiplicabo,* ] Filiorum, nepotum, ac posterorum copiosam multitudinem tibi dabo.

[ *Et faciam te in turbas populorum:* ] Sive, ut multi populi ex te oriantur.

[ *Dabo tibi terram hanc,* ] Chanaam in qua est Luza.

[ *Et semini tuo post te,* ] Sensus est: Dabo tibi, & id est, semini tuo vel tibi in tuo semine, seu in tuis posteris.

[ *In possessionem sempiternam.* ] Seu longo tempore duraturam, eoque tali cujus non præfigitur ullus terminus: ejusmodi enim tempus æternum vel sempiternum vocari solet. Confer quæ diximus ad c. 17. v. 7.

[ ℣. 5. *Duo ergo filii tui, qui nati sunt tibi in terra Ægypti antequam huc venirem ad te,* ] Patet hoc quia nati sunt, antequam veniret fames, cap. 41. Jacob autem descendit in Ægyptum cum cepisset biennium famis, cap. 45.

[ *Mei erunt:* ] Per adoptionem. Eos mihi adopto, & volo quòd perinde sint ac computentur inter fratres tuos, ac si ex me geniti essent.

[ *Sicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi.* ] Petes, quid magnum, reputari sicut Ruben & Simeon, cum hi cap. seq. pro benedictione magis videantur reportasse maledictionem. Resp. cum Estio, non fieri comparationem in benedictione, sed in jure filiorum. Istos tamen potius nominat Jacob, quàm alios: quia hi erant natu maximi; quibus proinde si Ephraim & Manasses æquantur in jure filiorum, multò magis intelligendi sunt æquari cæteris. Hujus igitur scripturæ sensus est: Ephraim & Manasses pari jure censebuntur, mihique ita succedent in adeunda hæreditate terræ promissæ, sicut Ruben & Simeon, sic nimirum ut quilibet eorum accipiat portionem in terra promissionis sicuti illi, constituantque duas tribus, uterque suam sicut cæteri filii mei. Hoc modo Jacob filium suum Joseph singulari privilegio honorat, quo ipse unus duas tribus faciat, dum duo ejus filii periode ac si essent hæredes in primo gradu, æqualiter cum suis patruis seu filiis proximè genitis ex Jacob, succedunt avo suo: Imò jus quoddam primogenituræ secundùm carnem competens Rubeno, in Joseph transfert, quemadmodum 1. Paralipp. 5. significatur. Cùm enim primogenito danda essent duplicia, Deut. 21. Josepho in ejus filii duplam hìc portionem attribuendam esse decernit.

[ ℣. 6. *Reliquos autem quos genueris post eos.* ] Neque scriptura neque traditio refert Josephum alios filios genuisse post Ephraim & Manassen; nec verisimile est quòd post hoc tempus aliquos genuerit, cum isti jam à viginti uno vel duobus anni nati essent. Quod ergo hìc dicitur, conditionaliter accipiendum est: Si qui post hos tibi nascentur, quomodo habet versio Vatabli, imò & Augustinus qu. 164. in Genesim, interpretanturque Abulensis, Delrio & alii.

[ *Tui erunt,* Tibi manebunt, nec reputabuntur filii mei (quia illos non adopto) sed tui.

[ *Et nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis.* ] Id est, nominabuntur in tribu Ephraim & Manasse, & cum illis accipient possessionem, non verò diversam, sicut si essent capita diversarum tribuum; quia non constituent aliam tribum.

[ ℣. 7. *Mihi enim, quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel, in terra Chanaan, in ipso itinere,* ] Duo hìc possunt quæri. Prius, quomodo Jacob dicit Rachelem mortuam in itinere, quando ipse veniebat de Mesopotamia, cum inter egressum ejus de Mesopotamia & mortem Rachelis, anni ut minimum decem fluxerint, eoque tempore intermedio habitaverit primùm in Sochot, deinde in Sichem? Resp. quia totum spatium inter terminum à quo quis recedit & terminum ad quem pergit, vocatur via, etiamsi alicubi eum contingat morari diutius; Jacob autem exiens de Mesopotamia intendebat venire ad patrem suum Isaac qui habitabat in Hebron, ut patet ex cap. 31. v. 3. & ex cap. 35. v. 27. Rachel verò mortua est prius quam Jacob ad patrem suum perveniret, eodem cap. 35. ver. 19. Posterius, quare Jacob hìc commemorat mortem ac sepulturam Rachelis? Resp. quòd varias ob causas. Una est, ut Josepho rationem ostendat cur ejus filios sibi adoptet, quia nimirum Rachel tunc ei fuit per mortem erepta, quando ex illa potuisset plures

filios

filios sperare; quorum proinde defectum supplere vult sibi adoptando Ephraim & Manassen. Ita Marzilla, secundùm quem optimè quadrat vocula rationalis, enim. Abulensis, Delrio, & nonnulli alii istam causam adferunt, ne Joseph miretur, cur ipse Jacob tantopere sollicitus sit ut in Mambre seu Hebron sepeliatur, cum uxorem suam dilectissimam, Josephi matrem non ibi sepelierit, sed juxta Ephrata, sive Bethlehem. Docet enim se id non sponte fecisse, sed necessitate compulsum, eò quòd mortua sit in via ubi nec habebat commoditatem ejus corpus transferendi, nec copiam impediendi fœtores qui ex mortuo corpore facillimè oriuntur, præsertim verno tempore quando propter auram tepidiorem citissimè oritur putredo. Et juxta hæc quidam voculam, enim, accipiunt pro autem, quomodo habet lectio 70. Sixtina. Alii eam propriè acceptam retinent, ut illa verba *Mihi enim*, sint ratio ejus quod à Josepho posset probabiliter objici. Si dicas non tantam fuisse distantiam à Bethlehem usque in Hebron quin corpus Rachelis commodè potuisset illuc transferri. Resp. ita quidem esse si Jacob non habuisset copiosam familiam, gregesque numerosos; sed cum istis omnibus non poterat sine periculo gravis infectionis, & nocumenti animalium quæ fœta erant, in Hebron divertere. Unde patet cur ipse dicat:

[ *Eratque vernum tempus:* ] Ut nimirum indicet se non potuisse corpus Rachelis deferre in Hebron. Licèt enim expedito viatori foret iter breve; tottamen greges & fœtas lactentesque pecudes secum ducenti erat iter plurium dierum.

[ *Et ingrediebar Ephratam,* ] Seu territorium urbis illius: Non enim intelligendum est quòd ipsam urbem ingrederetur, cum Rachel mortua fuerit ac sepulta non in urbe Ephrata, sed in via quæ ad eam ducit.

[ *Quæ alio nomine appellatur Bethlehem.* ] Unde Hieronymus ad cap. 35. sic ait: *Ephrata & Bethlehem unius urbis vocabulum est.*

[ ℣. 8. *Videns autem filios ejus dixit ad eum: Qui sunt isti?* ] Petes quandoquidem Jacob videbat filios Joseph, quare interrogat qui sunt isti? Resp. quia videbat duos juvenes Josephum comitantes, sed non discernebat qui essent; eò quòd longius distarent, & ejus oculi caligabant. Prius patet, quoniam si propè fuissent, non dixisset.

[ *Adduc, inquit, eos ad me,* ] Posterius quoque clarum est ex seq. cum dicitur.

[ ℣. 10. *Oculi enim Israel caligabant præ nimia senectute, & clarè videre non poterat.* ] Petes insuper, quomodo Jacob hactenus decrevit filios Joseph esse capita tribuum, & accipere partes in terra promissionis, sicut Ruben & Simeon, si illos non cognoscebat, nisi postquam quæsivit qui essent: Resp. Jacob benè scivisse quòd Joseph haberet duos filios, qui vocabantur Manasses & Ephraim, sed non cognovisse an illi essent qui remotius quàm Joseph stabant, nisi postquam Joseph ei dixit, vers. 9.

[ *Filii mei sunt, quos donavit mihi Deus.* ] Ex quo responso notandum est non esse in potestate hominum habere filios, sed Deum dare illos quibus voluerit. Et hinc est quòd conjuges à Deo soleant filios petere.

[ ℣. 10. *Applicitosque ad se, osculatus & circumplexus eos,* ] Ita paternum erga nepotes affectum ostendens.

[ ℣. 11. *Dixit ad filium suum:* ] Tametsi nepotes deoscularetur & amplexaretur, ad Joseph tamen sermonem dirigit, quia propter eum ista faciebat.

[ *Non sum fraudatus aspectu tuo:* ] Fraudari quapiam re is dicitur qui eam quam desiderabat, non obtinet. Valde autem desideraverat Jacob videre filium suum Joseph, & eum nunc videt: ergo aspectu quem sic desideraverat, frustratus non fuit.

[ *Insuper ostendit mihi Deus semen tuum.* ] Quasi diceret, Deus plura mihi præstat quàm petebam. Ego enim solùm petebam te videre, Deus autem & te mihi ostendit, ac insuper semen tuum, idest, filios tuos.

[ ℣. 12. *Cumque tulisset eos Joseph de gremio patris,* ] Sive ut 70. & alii ex Hebræo vertunt, *de genibus ejus.* Accedentes enim ad senem in lecto sedentem, verisimiliter genua flexerant, atque ita, ut eum osculari & amplexari possent, incurvabantur ad crura vel genua ejus. Ne ergo ipsum gravarent, & ut illis commodius benedictionem impertiretur; Joseph illos inde amovit, atque ut sequitur.

[ *Adoravit pronus in terram.* ] Septuaginta, adoraverunt in faciem super terram, ut etiam ad filios Joseph ista adoratio pertineat; omninoque credibile est tam filios quàm patrem sui inclinatione & incurvatione reverentiam Jacobo exhibuisse. Unde Chrysostomus, vide quomodo & pueros statim ab initio debitum seni honorem reddere docuit.

[ ℣. 13. *Et posuit* ] Joseph scilicet.

[ *Ephraim* ] Natu minorem.

[ *Ad dexteram suam, idest, ad sinistram Israel: Manassen verò* ] Natu majorem.

[ *In sinistra sua, ad dexteram scilicet patris,* ] Utrumque juxta nativitatis prærogativam ordinans, & cupiens ut Manasses tamquam primogenitus benedictionem primogeniti acciperet; Ephraim verò minorem benedictionem velut secundò genitus.

[ ℣. 14. *Qui extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim &c.* ] Jacob sciens quid Joseph faceret, quòdque optaret potiora suo primogenito, & quòd dextera esset index prærogativæ, dexteram imposuit minori, nimirum Ephraim, ipsum præferens Manasse, & significare volens quòd Ephraim ejusque posteri præferendi essent Manasse, tametsi primogenito ac illius posteris. Quomodo factum esse eventus docuit. Tribus namque Ephraim multò fuit celebrior, quàm tribus Manasse, cum ex Ephraim natus fuerit Josue dux populi Israelitici; sicut & Jeroboam primus rex decem tribuum, earumque alii multi reges post eum, adeò ut in sacris litteris non rarò per Ephraim designetur regnum decem tribuum. Ephraim præponitur Manasse.

[ *Commutans manus.* ] Hoc est, unam alteri transversaliter superponens in modum crucis. In Hebr. legitur: Intelligere fecit manus suas, idest prudenter eas direxit atque composuit; per quam phrasim significatur id quod & textus noster clarè indicat v. 19. Jacob non casu commutasse manus, sed scienter ac prudenter.

Allegoricè hic observa Christum per Jacob figuratum, sibi adoptasse duos populos, Judaicum qui per Manassen significatur; & gentilem, qui per Ephraim. Quemadmodum verò Jacob prætulit Ephraimum Manasse, sic & Christus populum Gentilem prætulit Judaico; cum Ecclesia Christi potissimum constet ex gentilibus, Judæos autem habeat paucissimos; juxta illud, *cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret* ad Rom. 11. His & nominum significatio convenit: Manasses enim interpretatur oblivio; & de populo Judaico legimus dictum Deuteron. 32. *Oblitus es Domini creatoris tui;* Ephraim autem interpretatur ubertas; & gentiles sunt ad Christum conversi, qui gratiarum ubertate redundant.

Insuper, sicut commutatio manuum Jacob, crucis figuram habuit; ita significatum est per quid gentiles prælati fuerint Judæis, nimirum per crucis & crucifixi humilitatem.

Quoniam verò Calvinus ridiculos arbitratur eos qui volunt in ista manuum commutatione inclusum fuisse crucis mysterium; contra illum videndi sunt sancti & antiqui Doctores qui manifestè illud mysterium agnoscunt, Isidorus Pelusiota lib. 1. epistola 362. Hieronymus in cap. 31. Jeremiæ, Beda in cap. 48. Genes. Isidorus Hispalensis cap. 30. super Genes. Damascenus lib. 4. de fide cap. 12. Quibus addi potest Tertullianus lib. de baptismo cap. 8. Contra Calvinum.

Moraliter hinc discimus alia esse judicia Dei, secundùm quæ procedebat Jacob; alia hominum, secundùm quæ Joseph volebat majorem natu præferri minori: Deum quoque unum præ altero gratis eligere, nec habere rationem quis apud homines sit major, quis minor. Unde hinc (quemadmodum & ex prælatione Jacob cap. 27.) sumi potest exemplum gratuitæ electionis & prædestinationis ad gratiam & gloriam, quæ adumbrabatur per temporalia filio juniori destinata.

Observari etiam hic potest non nunc tantùm, sed etiam olim dextram fuisse honorariorem sinistra; & hinc est quòd variæ prærogativæ soleant per dextram exprimi: cum ipsa sit primò symbolum roboris & fortitudinis, juxta illud Psalm. 43. *Brachium eorum non salvavit eos, sed dextera tua & brachium tuum:* Dextra honorabilior quàm sinistra.

cum quibus confer cap. 15. Exod. v. 6. Secundò, dextera est symbolum auxilii, secundùm illud Job 14. *Operi manuum mearum porriges dexteram*, Et Psalm. 15. *à dextris est mihi, ne commovear*. Tertiò, per dexteram honor & gloria significatur, Salomon enim matrem suam Betsabee honorare volens 3. Reg. 2. fecit eam sedere ad dexteram. Vide & Psalm. 44. v. 10. Psalm. 109. v. 1. Matth. 25. v. 33. Quartò, dextera significat amorem aliquem eximium; Unde Cantic. 2. *Dextera illius amplexabitur me*. Quintò, voluptatem ac dulcedinem: Sextò, id quod bonum est ac sanctum, unde Psalm. 15. *Delectationes in dextera tua usque in finem*; & Proverb. 4. *Vias quæ à dextris sunt novit Dominus*; ex opposito autem ea quæ mala sunt, sinistra dicimus, hinc sinistra opinio vocari solet ea quæ mala est. Septimò significat vitæ æternitatem, juxta Sapientem qui Proverb. 3. dicit, Longitudo dierum in dextera ejus.

[ ℣. 15. *Benedixitque Jacob filiis Joseph*, ] Tenens manus & brachia in modum crucis extensa, dextram super caput Ephraim, sinistram super caput Manassæ, illis benè precatus est: hujus enim benedictionis formam fuisse precatoriam liquet ex seqq. ex quibus tamen cum eventu postea secuto collatis, etiam constat fuisse efficacem.

[ *Et ait: Deus in cujus conspectu ambulaverunt patres mei* ] Hoc est, cui servierunt, in omnibus obsecuti sunt, & placuerunt. Considerari hic potest Jacobi modestia & humilitas, qui non audet vitam suam bonam allegare & dicere, Deus cui benè placui; sed patrum suorum merita allegat, dicendo quemadmodum observavit Chrysostomus, *Deus cui placuerunt patres mei*.

[ *Abraham & Isaac*, ] Alii fuerunt patres Jacobi, Thare, Nachor, & illi de quibus cap. 11. quos tamen hic non nominat; quia non erat illis facta promissio terræ Chanaan, uti nec seminis in quo benedicendæ essent omnes gentes sed demum Abrahæ & Isaac.

[ *Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem:* ] Pro, ab adolescentia, in Hebr. legitur, *ab adhuc me*, idest, postquam fui seu esse habui, q. d. qui ex eo tempore quo incepi esse usque nunc me nutrit, necessaria suppeditando, vitamque meam moderando & dispensando. Subintelligendum est ex subsequentibus, *benedicat* seu benefaciat *pueris istis*. Et cum subditur.

[ ℣. 16. *Angelus, qui eruit me* ] Subaudienda est vocula, *quoque*, aut similis: quasi diceretur, Angelus quoque qui eruit me.

[ *De cunctis malis*, ] Seu periculis & adversitatibus. Angelum hunc quidam Christum accipiunt qui vocatur magni consilii Angelus Isai. 9. juxta versionem 70. & Angelus testamenti, Malach. 3. Sed communior sententia intelligit Angelum propriè dictum, eum scilicet qui Jacobi custos erat, eique sæpius apparuerat.

Contra Junium hæreticum.

[ *Benedicat pueris istis:* ] Benè illis faciendo. Neque hinc sequitur id quod Junius hæreticus voluit Jacobum pari honore dignari Angelum quo Deum: primò enim nominat Deum, postea Angelum: hoc est, primò authorem causamque principalem; deinde ministrum causamque instrumentalem eo modo quo in testamentis fideles & pii suos liberos primò commendant Deo, deinde amicis, non quòd hos pari honore dignentur cum Deo, sed quòd Deum omnibus præponant: quia tamen ipse per media operatur, aliis etiam suos commendant, quamvis non nisi in ordine creaturarum. Confirmatur, ex eo quod cap. 14. Exodi de Israelitis dicitur. *Crediderunt Domino & Moysi servo ejus*; Itemque 1. Reg. 14. *Timuit omnis populus nimis Dominum & Samuelem*; non sequitur eos pari honore dignatos fuisse Moysen vel Samuelem, quo Deum: ergo neque ex præsenti loco consequens est parem honorem tribui Angelo & Deo.

[ *Et invocetur super eos nomen meum* &c.] Hebr. *Vocetur in eis nomen meum*, idest, dicantur filii mei, vocentur Israelitæ de genere Abraham Isaac & Jacob. Cui simile est quod Isa. 4. legimus, *invocetur nomen tuum super nos*, hoc est, vocemur uxores tuæ. Phrasis quippe Hebræis peculiaris est, qua vocari nomen alicujus super alium, usurpant pro ipsum vocari ejus nomine, & quidem vocatione non nuda, sed utili ac favorabili iis qui sic vocantur: Ideo namque Jacob inter bona quæ precatur filiis Joseph eos benedicendo, supputat invocationem Abraham Isaac & Jacob super eos.

[ *Et crescant in multitudinem* ] In Hebr. est unicum verbum quod Latinè uno verbo reddi non potest, nisi dicamus, *piscescant*, quod alii sic reddunt, instar piscium multiplicentur. Pisces mirum in modum multiplicari tum ex ovorum multitudine, tum per experientiam constat.

[ ℣. 17. *Videns autem Joseph* &c. *graviter accepit:* ] Joseph ignarus divinæ voluntatis ac providentiæ, arbitrabatur patrem qui occultum Spiritus sancti ductum sequens, prærogativam honoris quam natura primogenito dederat, transferebat in secundo genitum, ex hebetudine visus errare: & hinc est quòd factum patris improbat & vult corrigere, dicens:

[ ℣. 18. *Non ita convenit, pater: quia hic* ] Nimirum Manasses.

[ *Est primogenitus, pone dexteram tuam super caput ejus*. ] Juris naturalis ordinem ac dispositionem servando.

[ ℣. 19. *Qui renuens*, ] (Facere quod Joseph volebat)

[ *Ait: scio: fili mi, scio:* ] Non attendit ad causam à Joseph prætensam, nec allegat aliam, contentus ostendere se non ex errore, sed ex scientia agere: Ac nihilominus Joseph ei acquiescit; per quod magna ejus promptitudo cedendi patris voluntati probatur.

[ *Et iste quidem erit in populos*, ] Hoc est multi populi de eo nascentur, vehementerque multiplicabuntur.

[ *Sed frater ejus minor*, ] (Scilicet Ephraim.)

[ *Major erit illo:* ] Potentia, honore, & multitudine.

Differentia gentis & populi.

[ *Et semen illius crescet in gentes*. ] Si quæras, quæ sit differentia inter populos & gentes. *Resp.* eam esse, quòd quælibet civitas seu civium communitas constituit populum, at non gentem; quia gens est multitudo non unius urbis sed unius regionis vel provinciæ, tametsi illa multas civitates, multasque diversarum urbium communitates contineat. Unde Manasses prædicitur futurus in populos, quia plures urbes, atque in eis plures populos habiturus: Ephraim verò prædicitur futurus in gentes, quia non tantùm urbes urbiumque populos sub se erat habiturus, sed etiam gentes diversas, diversarum scilicet regionum ac provinciarum multitudines, utporè decem tribus. In Hebr. de Ephraim dicitur, quòd *erit plenitudo gentium*; hoc est, in gentes plenas & numerosas.

[ ℣. 20. *Benedixitque eis in tempore illo*, ] Quo scilicet manibus extensis in modum crucis, dexteram tenebat super Ephraim, & sinistram super Manassen.

[ *Dicens: in te benedicetur Israel*, ] Seu populus Israeliticus: Quod non eodem sensu accipiendum est quo illud ad Abraham dictum cap. 12. *In te benedicentur universæ cognationes terræ*; sed significatur adeò manifestum & illustrem futurum effectum benedictionis in his duobus filiis Joseph, ut Israelitæ sint eos assumpturi in exemplum benedicendi sive benè precandi aliis, iisque desideraturi similia his quæ isti filii obtinuerunt: ut proinde sensus sit: Quando Israelitæ volunt aliquem benedicere, aut alicui benè apprecari, dicent: Ita Deus tibi benefaciat, sicut benefecit Ephraim & Manasse; Sic namque se explicat Jacob, subjiciens:

[ *Atque dicetur: faciat tibi Deus sicut Ephraim, & sicut Manasse* ] Ubi prius nominat Ephraim, tametsi secundo genitum; quia ut sequitur.

[ *Constituitque Ephraim ante Manassen* ] Non legitur Jacob benedixisse aliis filiis suorum filiorum; Nam Ephraim & Manassæ hæc fuit prærogativa singularis, qui connumerati sunt filiis proximè ex Jacob genitis, & facti sunt capita tribuum sicut ipsi. Qua in re pater eorum Joseph fuit honoratus. Mutatur autem hic numerus: Cum enim præcedat, *Benedixitque eis*, subjungitur, *dicens: In te benedicetur Israel*; quia filiorum benedictio & prosperitas censetur esse ipsius patris, multiplicatisque ac prosperè agentibus Ephraim & Manassæ: necessarium erat semen Josephi multiplicari & prosperè agere 70. legunt in plurali: *In vobis benedicetur Israel*.

[ ℣. 21. *En ego morior, & erit Deus vobiscum*, ] Vos multi-

multiplicando, protegendo, & de variis calamitatibus liberando.

*Terra Chanaan cur terra patrum dicta.*

[ *Reducetque vos ad terram patrum veſtrorum* . ] Terra Chanaan vocatur terra patrum Iſraelitarum, quia patribus eorum fuerat promiſſa, ipſique in ea erant verſati: Dicit autem quòd Deus eos illuc reducet; quia vult animis filiorum ſuorum eſſe infixum quòd juxta promiſſiones Abraham, Iſaac, & ſibi factas, ex Ægypto reducendi erant ad terram Chanaan poſſidendam.

[ ℣. 22. *Do tibi partem unam extra fratres tuos*, ] Quaſi diceret, illius terræ patribus atque adeò vobis promiſſæ do tibi partem unam, præter eam quam cum fratribus tuis in diviſione terræ Chanaan es accepturus, ſi non in perſona tua, ſaltem in tuis filiis.

Quæ fuerit iſta pars, quidam ambigunt, voluntque eſſe urbem Sichem, eò quòd 70. interpretes habeant. *Do tibi Sichimam præcipuam*, & addunt Jacobum dicere quòd eam tulerit in gladio & arcu ſuo, quia ejus filii Simeon & Levi armis eam ſubjugarunt, cap. 34. Sed quoniam iſtud filiorum ſuorum facinus ſemper improbavit Jacob, non videtur eò nunc reſpicere. Et quod eſt apud 70. verificari poteſt per *Sichimam præcipuam*, intelligendo prædium ſelectum, Sichimæ adjacens quod erat ipſius terræ Sichimitæ pars egregia.

*Quæ ſit ea pars agri quam dedit Joſepho.*

Communis ergo ſententia partem Joſepho datam dicit eſſe illam partem agri, quam Jacob poſtquam venit in Salem urbem Sichimorum, cap. 33. ſcribitur emiſſe à filiis Hemor. Idque ſignificatur Joan. 4. ubi Jeſus dicitur veniſſe *in civitatem Samariæ quæ dicitur Sichar* (aliàs Sichem) *juxta prædium quod dedit Jacob, Joſeph filio ſuo*. Et confirmari poteſt ex Joſue ult. ubi ſic legimus. *Oſſa quoque Joſeph, quæ tulerant filii Iſrael de Ægypto, ſepelierunt in Sichem in parte agri quem emerat Jacob à filiis Hemor patris Sichem:* Nulla quippe alia apparens ratio dari poteſt, cur illo in agro ſepultus fuerit Joſeph, niſi quia ipſi donatus fuerit à patre.

[ *Quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo*. ] Hoc eſt, vi & armis. Solent enim gladii & arcus nomine, omnia inſtrumenta bellica ſignificari, ut Pſalm. 43. *Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſalvabit me*. At dices, partem agri de qua cap. 33. Jacob emit centum agnis; ſive, ut Joſue ult. dicitur, *centum novellis ovibus:* ergo diverſa eſt ab ea cujus hìc fit mentio, cum hæc non fuerit empta, ſed armis occupata. Reſp. Neg. Conſ. Eamdem enim agri partem Jacob primò emit: Sed cum poſtea vel Jacobo propter cædem Sichimis factam inde recedente, vel aliquo alio caſu Amorrhæi agrum illum occupaſſent, ipſe armis poſtea eum recuperavit, ac de manu injuſtorum poſſeſſorum extorſit. Quæ quidem non omnia in ſacris litteris exprimuntur: At multa à ſacris ſcriptoribus fuiſſe prætermiſſa; non eſt dubium. Scimus per gladium & arcum Jacob, quoſdam intelligere ipſius juſtitiam, propter quam factum ſit ut agro quem emerat non excideret, inimicis à Deo timore concuſſis, ut poſt Sichimorum ſtragem non auderent ipſi nocere. Cui expoſitioni conſonat Paraphraſis Chaldaica quæ pro gladio & arcu, habet oratione & obſecratione. Alii divinum favorem intelligunt. Alii pecuniam multo labore acquiſitam: Sed prius allatam expoſitionem velut magis propriam magiſque litteralem præferendam arbitramur.

*Allegoricè.*

Allegoricè B. Ambroſius lib. de benedictionibus Patriarch. cap. 3. ſic hujus portionis donationem explicat: *Interpretari poſſumus per Sichimam humeros ſignificari, per humeros opera. Hæredem ergo bonorum benedictionibus operum ſanctum Joſeph præ cæteris elegit cujus opera fratres æquare non poterant. Quis enim facta Chriſti poterat adæquare?*

## CAPUT XLIX.

*Jacob filiis ſuis eventura prophetat ac benedicit, datoque de ſepultura ſua mandato, moritur.*

SUnt qui caput hoc *De benedictionibus Patriarcharum*, inſcribunt: quod aliis minùs probatur, exiſtimantibus rerum futurarum prædictiones hic contineri potius quàm benedictiones. Unde Ambroſius lib. de benedictionibus Patriarcharum cap. 2. de iis quæ ad Ruben dicuntur, *Prophetia*, inquit, *magis quàm benedictio eſt*.

Nihilominus cum ipſe Ambroſius caput iſtud pertractans, librum ſuum de benedictionibus Patriarcharum inſcribat; cumque paterna Jacobi correptio quam quibuſdam filiorum ſuorum adhibet, non parvum illis beneficium fuerit atque adeò inſtar cujuſdam benedictionis; & textus expreſsè poſtea habeat, quòd *benedixit ſingulis benedictionibus propriis*, non videtur illa inſcriptio reprehendenda; tametſi verum ſit magnas hic prædictiones contineri.

[ ℣. 1. *Vocavit autem Jacob filios ſuos*, ] Poſtquam filiis Joſeph benedixerat, & advertebat mortem ſibi proximè imminere.

[ *Et ait eis:* ] Cum integris adhuc eſſet ſenſibus:

[ *Congregamini, ut annuntiem quæ ventura ſunt vobis* ] Sive in perſonis veſtris, ſive in poſteris. Hinc manifeſtum eſt iſto cap. contineri prædictiones, quæ tamen benedictiones non excludunt. Quoniam verò futura prænoſcere ac prædicere ſolius Dei eſt, juxta illud Iſa. 41. *Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia dii eſtis vos;* dicendum eſt annunciationem hanc fuiſſe propheticam, & Jacob in omnibus quæ ſequuntur prædicendis, divinitus fuiſſe illuſtratum contra quam Rabini quidam fabulantur. Id quod etiam confirmari poteſt tum ex rerum quæ hic annunciantur majeſtate, tum ex ſtylo ſermonis qui ſpiritum propheticum prorſus redolet.

[ *In diebus noviſſimis*, ] Hoc eſt, ſecuturis temporibus, ſive in poſterum, ſecundùm ea quæ notavimus cap. 33. v. 2. Neque enim eſt ratio reſtringendi hanc phraſim ad ultima tempora mundi; cum eorum quæ prædicit Jacob, aliqua pertineant ad tempus paulò poſt ſubſecutum, ut quòd poſteritas Ruben non multum eſſet multiplicanda: quædam ad tempus ſortitionis terræ Chanaan, ut quæ de Simeon & Levi dicuntur v. 7. & quæ poſtea de Zabulon: quædam, ad tempus poſſeſſionis illius terræ, ut quæ de Iſſachar, Dan, & quibuſdam aliis leguntur: quædam & quidem præcipua, ad tempus Meſſiæ, ut quæ ſunt de Juda & Joſeph: quædam denique, ad tempora Antichriſti, prout in decurſu capitis videbitur. Hinc intelligi poteſt priſci moris fuiſſe, quòd patres ac Superiores filios vel alios curæ ſuæ commiſſos, imminente morte convocarent, ſalutis monita illis daturi ac benè precaturi, vel futura prædicturi. Ita præter Jacob fecerunt Moyſes, Deuteron. 31. 32. 33. Joſue, libri ſui cap. ult. Samuel 1. Reg. 12. Tobias ſui libri cap. 4. Matathias 1. Machab. 2. Chriſtus Dominus Joan. 14. & ſeqq. Cauſa porro cur Jacob voluerit hæc quæ ſequuntur, annuntiare ſuis filiis, potiſſima fuiſſe videtur, partim ut tam ipſi quàm eorum poſteri non caſui vel naturali neceſſitati tribuerent illorum eventum, ſed divinæ ordinationi ac providentiæ; partim ut inſtruerentur de adventu Meſſiæ.

[ ℣. 2. *Congregamini, & audite filii Jacob*, ] Bis dicit, *congregamini;* & bis, *audite:* Nomen quoque ſuum cum mutatione ingeminat, & ſe patrem eorum nominat, ut majorem in illis excitet attentionem, ſimulque ſignificet magni momenti eſſe quæ eis vult annuntiare.

[ ℣. 3. *Ruben primogenitus meus*, ] Nimirum ſecundùm carnem: Nam primogenituræ jura ſeu prærogativæ in alios fuerunt translatæ: dupla quidem portio, in Joſephum, cap. 48. & 1. Paralipp. 5. principatus, in Judam, infra verſu 8. ac poſtea regnum duarum tribuum in tribum Juda; regnum verò decem tribuum, in Ephraim; & ſacerdotium in tribum Levi. Prædictiones ſuas Jacob orditur à Rubeo, quia erat primogenitus, ordinemque generationis ſervat in tribus etiam ſequentibus ac in duobus poſtremis; in intermediis, non item: quam ob cauſam, incertum eſt ſicut nec liquet quare ſcriptura texens catalogum filiorum Jacob, ſolita ſit eos non eodem ordine recenſere. Non honoris tamen cauſa primum nominat ac primogenitum vocat Ruben, ſed ad probrum potius, ut qui primogeniti prærogativis indignum ſe præſtiterat.

[ *Tu fortitudo mea*, ] Secundùm effectum generationis, quaſi diceret, Tu es primus effectus primumque indicium meæ fortitudinis, quia videlicet eum in pleno ætatis robore primum omnium genuit,

sicque primò ostendit virtutem suam generativam seu se esse potentem ad generandum. Quidam exponunt Ruben dici fortitudinem Jacob, eò quòd conveniebat ipsum, utpotè primogenitum, esse fulcimentum patris paternamque familiam sustentare ac defendere. At cum non his, sed subsequentibus demum verbis dicat Jacob quid Rubeno competisset, si prout primogenitum decebat, erga patrem se gessisset; prior expositio tenenda est. Unde quod additur.

[ *Et principium doloris mei:* ] Non rectè exponeretur convenisse ut Ruben patri suo esset initium doloris, sed sensus est, quòd ipse revera fuerit patri principium doloris. Cum enim nati liberi multam adferant parentibus curam, anxietatem laborem, & dolorem ut eos instituant, eisque de hæreditate prospiciant; hujus laboris & doloris principium est primogenitus, qualis erat Ruben. Si dicas primogenitum potius matri principium doloris esse quàm patri: Resp. ita esse quantum ad dolores partus, quemadmodum ex Tob. 4. Eccles. 7. Joan. 16. intelligi potest; non autem quantum ad sollicitudinem educationis & provisionis bonorum temporalium in futura tempora, quæ magis ad patrem spectant eique dolores varios adferunt. Sunt qui interpretantur Ruben dici principium doloris Jacobi esse quia per suum incœstum cap. 35. relatum patri dolorem maximum causavit. Quæ tamen interpretatio non aliter videtur recipienda, quàm ut jam prius allatæ velut principaliori adjuncta. Pro principium doloris, 70. habent, principium filiorum. Sanctus Hieronymus in qq. Hebr. ait in Hebræo ita scriptum esse, capitulum in liberis meis. Alii vertunt initium roboris, ut idem significetur quod priori vocabulo. Aquila & Symmachus nostro interpreti conformiter reddiderunt caput seu principium doloris. Varietas autem ex hoc nata videtur, quòd vox Hebræa diversam habeat significationem, significetque tum potentiam & robur quod in filiorum generatione ostenditur; tum laborem, angustiam, & dolorem.

[ *Prior in donis, major in imperio.* ] Scilicet esse debueras & futurus eras, propter primogenituram; nisi crimen incœstus obstaret. *Prior in donis*, quia duplicem in bonis paternis portionem habebat primogenitus: *Major in imperio*, quia primogenitus quoddam imperium & dominatum habebat in reliquos fratres, ut notum relinquimus ex dictis cap. 25. Pro illis verbis, Prior in donis, major in imperio, Hieronymus in qq. Hebr. ex 70. interpretibus legit, *durus ad ferendum, & durus procacitate:* dicit autem in Hebræo ita scriptum esse, *Major ad portandum, & major robore*. Quæ quidem versio cum nostra vulgata potest conciliari, si intelligatur quòd Ruben fuisset major ad portandum sive asportandum & accipiendum dona duplicia, & major fortitudine imperii. Sed lectio 70. potius videtur significare causam ob quam Ruben exciderit jure primogeniti, quia scilicet non tantùm peccaverat, sed etiam erat durus & contumax, ita ut propter animi contumaciam ferri non posset. Diversitatis hujus rationem adferunt, quòd vox Hebræa significet abundantiam quamdam in quoque genere, & 70. acceperint de abundantia in malo. Alii aliter ex Hebræo vertunt, sed à communi nostra versione nequaquam est recedendum.

[ ℣. 4. *Effusus es sicut aqua,* ] Præceps in scelus ruisti, nec ullum tuæ incontinentiæ frænum posuisti ut eam coercerea, sed habenas ei laxasti ut instar aquæ effunderetur. Vehementi enim seu omnimoda rei alicujus eruptio vel diffusio solet in sacris litteris significari per effundere quasi aquam: eò quòd si oleum, mel, aut quid simile effundas ex vase, non sic totum effundis, quin aliquid ejus ipsi adhæret: Aqua verò cum effunditur, nihil ejus manet residuum, non color, non odor, non sapor. Hinc Deut. 12. *Absque esu dumtaxat sanguinis, quem super terram quasi aquam effundes*, totum vidalicet ita ut nihil ejus remaneat. Et cap. 15. *Hoc solum observabis, ut sanguinem eorum non comedas, sed effundas in terram quasi aquam*. Psalmo etiam 21. dicit Christus. *Sicut aqua effusus sum*, idest, totum sanguinem meum effuderunt. Ideo autem incontinentia effusioni aquæ comparatur, quòd illa similiter quidquid in homine reperit rectæ rationis, totum abripit & eripit, judicium, sapientiam, boni exempli

Cur incontinentia comparatur effusioni aquæ.

curam. Quibus addi potest idcirco etiam hanc comparationem institui, quòd sicut aqua abundanter sine magno delectu effunditur, ita Ruben libidinem suam sine delectu effudit, nihil attendens de tempore, loco, & persona inconveniente.

[ *Non crescas,* ] Sive non cresces: Prophetica enim est prædictio potius quàm imprecatio. Significatur autem quòd Ruben non crescet neque dignitate, ut scilicet imperium super alias tribus habeat; neque numero, eo nimirum quem habitura fuisset ejus posteritas si incœstum non perpetrasset. Huic prædictioni non obstat quòd tam cap. 1. quàm 26. Numer. tribus Ruben inveniatur esse numerosior quàm quædam aliæ: quia non significatur hic quòd futura sit omnium minima; sed tum quòd non sit futura de maximis; tum quòd non ita sit numerosa futura sicut si primogenitura non excidisset. Huic prædictioni conforme est quod Moysen Deuter. 33. orat ut *Ruben vivat*, sive ut ejus tribus non extinguatur; sed saltem *sit parvus in numero*.

[ *Quia ascendisti cubile patris tui,* ] Adulterium simul & incœstum committendo, ut ex cap. 35. patet, non sine magna in parentem injuria. Hinc discimus divinam ultionem, tametsi seram, non esse tamen irritam, frustraque peccatores ex eo sibi promittere impunitatem, quòd non statim puniantur, de quibus Ecclesiastes cap. 8. ait, *Quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala*. Cum enim Ruben post 40. annos sceleris commissi pœnam accipiat, quis se impunem futurum spondere poterit? Qualiter hæc possint ad benedictionem pertinere, petendum est ex dicendis ad versum 28.

Juxta allegoriam veteres per Ruben intelligunt populum Judaicum à Deo donis prærogativisque variis auctum quibus postea excidit, quia indignè violavit humanitatem carnemque Christi tamquam lectum quemdam divinitatis eam inhabitantis: Aut quia legem per quam Deus in eo populo habitabat, maculavit pervertitque per inobedientiam & per carnalem intelligentiam, perque vanam in ea gloriationem, ac Christi ad quem ipsa ducebat, contemptum.

Ad mores accommodando, optimè hæc ad eos referri possunt, qui cum sint primi in Ecclesia, utpotè pastores & præfecti, ad illicita tamen diffluunt, Ecclesiamque Christi sponsam contaminant, & sic divinis donis excidunt. Conferri possunt Ambros. de benedictionibus Patriarch. cap. 2. & Rupertus lib. 9. in Genes. cap. 26. Sed observandum quòd jam dictæ allegoriæ non ita sint accipiendæ, ut litteralis sensus antea explicatus excludatur; cum Jacob eum apertissimè tangat. Et propterea quod Ambrosius isto cap. 2. videtur illum impugnare tamquam Judaicum, ita est accipiendum, ut Judaicum sit si quis in eo solo velit sistere, & non ad rem significatam transire, quemadmodum annotavit Leonardus Marius.

[ *Et maculasti stratum ejus.* ] In Hebr. sic, *tunc polluisti, stratum meum ascendit:* ita ut significetur quòd Jacob post increpationem Ruben qua illi improperat quòd maculaverit Patrem, novercam, totamque prosapiam, sermonem suum convertat ad ejus fratres, dicatque tam audax & impius fuit, ut stratum meum violare non sit veritus. Verisimile autem est nostrum interpretem, vel non legisse in Hebræo istud verbum *ascendit*; vel legisse in secunda persona, *ascendisti*; non repetiisse autem quia putabat sufficere quòd paulo ante fuisset expressum. Unde 70. legunt, *tunc violasti stratum quo vel cum ascendisti:* & B. Hieronymus in qq. Hebr. scribit sic haberi in Hebræo, contaminasti stratum in ascensu.

[ ℣. 5. *Simeon & Levi fratres:* ] Etsi non solùm hi duo essent fratres uterini, ex Lia Jacobo geniti, sed insuper erant alii quatuor, rectè tamen isti duo vocantur fratres, partim propter nativitatem carnalem, partim propter iniquam in sceleris ultione concordiam & societatem, morumque malorum similitudinem.

[ *Vasa iniquitatis bellantia:* ] Hoc est, instrumenta iniqua ad bellandum etiam injustè, prompta. Vas enim pro instrumento frequenter ponitur, & vasa iniquitatis pro vasis seu instrumentis iniquis, frequens est hebraismus. Significatur autem quòd isti duo fuerint causæ injusti belli contra Sichimitas gesti, quod cap. 34. fuit narratum, accipiendo scilicet vasa seu

instru-

inſtrumenta generaliter pro cauſa per quam res geritur, ſive ſit ſolùm inſtrumentalis ſive etiam principalis. Unde 70. pro dictis verbis ita habent, *conſummaverunt iniquitatem propoſiti ſui*, ſive ut, Hieronymus in qq. Hebr. *adinventionis ſuæ*.

Jacob numquam approbavit cædem per Simeon & Levi factam.

[ ℣. 6. *In conſilium eorum non veniat anima mea*, ] Abſit quòd eorum conſilium de perdendis Sichimitis aliquando approbem. Olim deteſtatus ſum, & nunc deteſtor.

[ *Et in cœtu illorum non ſit gloria mea:* ] Numquam ego glorier tamquam ſi eſſem de cœtu & congregatione illorum qui cædem Sichimitarum fuerunt machinati. 70. habent, *In congregatione eorum, non contendant viſcera mea*, ſive, ut Hieronymus, *non æmuletur jecur meum*, hoc eſt, non ſit amor meus, non cor meum, quia jecur ſedes eſt amoris. Translationis diverſitas provenit ex eo quòd vox Hebræa ſignificet utrumque, & gloriam, & jecur.

[ *Quia in furore ſuo* ] Seu furentes & ira perciti.

[ *Occiderunt virum*, ] Vel eſt enallage numeri, & ſingulare ponitur pro plurali, virum pro viros; unde 70. habent, *interfecerunt homines:* Vel per virum intelligitur Sichem ſtuprator Dinæ, propter quem illi fratres exarſerunt in cædem, occideruntque eum, & propter ipſum cæteros omnes ita ulciſcentes ſe de injuria per Sichem facta ſorori ac ſibi.

[ *Et in voluntate ſua ſuffoderunt murum.* ] Hebr. ſonat, *eradicaverunt*, vel deſtruxerunt. Per *murum*, vel muros rectè intelliguntur muri urbis Sichem quos interfectis omnibus, urbeque depopulata, diruerunt. Neque refert ex hiſtoria quæ cap. 34. refertur, non haberi quòd muros urbis diruerint: frequenter enim id quod ſcriptura uno loco tacet, in alio exprimit. Pro, ſuffoderunt murum 70. legunt, *ſubnervaverunt taurum:* Vox enim Hebræa, parum variè lecta; & murum & taurum ſignificat. Juxta quam lectionem id quod verbis prioribus dictum fuerat, aliis verbis repetitur: Nam per taurum intelligitur Sichem qui ſic vocatur, partim propter robur ætatis virilis, partim propter potentiam & principatum, partim quia inſtar tauri laſciviebat & in fœminas inſiliebat. Similiter propter opulentiam robur & potentiam, primores Judæorum tauri vocantur Pſalm. 21. *Tauri pingues obſederunt:* Et Pſalm. 67. *Congregatio taurorum in vaccis populorum*.

Sichem quomodo deſignetur per taurum.

[ ℣. 7. *Maledictus furor eorum, quia pertinax:* ] Seu multum tenax ac permanens. Alii ex Hebr. vertunt, *quia fortis* vel robuſtus, eò quòd ſcilicet frangi non potuerit: atque ita in eumdem ſenſum redit.

[ *Et indignatio* ] Seu ira

[ *Eorum, quia dura:* ] Hoc eſt, indurata. Iſta autem maledictio furoris & iræ, etiam eſt maledictio furentium & iratorum: unde ſubjungitur pœna illorum.

[ *Dividam eos in Jacob, & diſpergam eos in Iſrael.* ] Cujus ſententiæ duplex ſenſus reddi poteſt. Unus, quo ſignificetur futurum, ut tribus Simeon & Levi non ſint ſimul habitaturæ, neque una juxta alteram, ſed ſint ab invicem dividendæ ac diſpergendæ inter alias tribus Iſrael, ne videlicet adhuc ſimul conſpirent in facinus præcedenti ſimile, ſicque fiant intolerabiles. Alter, ut ſimpliciter ſignificetur quòd illæ tribus non ſint habituræ ſortem ac portionem terræ promiſſionis ab aliarum tribuum ſorte ſeparatam, ſed diſpergendæ ſint ac inter illas habitaturæ. Quod quidem in Levi clariſſimum eſt. Conſtat enim ex Num. 18. Deuteron. 10. Joſue 21. quòd Levitæ non acceperint ſortem in diſtributione terræ Chanaan, ſed per omnes tribus diſperſi fuerint, ac inter eas habitaverint. Unde Hieronymus in qq. Hebr. *Levi* ( inquit ) *hæreditatem propriam non accepit, ſed in omnibus ſceptris paucas urbes ad habitandum habuit*. At de tribu Simeon res non adeò clara eſt. Nihilominus ex Joſue 19. habemus quòd ei non obtigerit ſors propria & in totum ab aliis diſtincta, quoniam ibi dicitur quòd filiorum Simeon hæreditas *fuit in medio poſſeſſionis filiorum Juda*, Et poſtea, *Hæc eſt hæreditas filiorum Simeon juxta cognationes ſuas, in poſſeſſione & funiculo filiorum Juda*. Hinc B. Hieronymus. *De Simeon* ( ait ) *in libro Jeſu ſcriptum eſt, quod & ipſe proprium funiculum non fuerit conſecutus, ſed de tribu Juda quiddam acceperit*. Et mox, *In Paralipomenis autem manifeſtius ſcribitur* (ſcilicet 1. Paralip. 4.) *quod cum multiplicatus fuiſſet, & non haberet poſſeſſionis locum, exierit in deſertum*, occupaturus videlicet terram reliquiarum Amalech. Atque ita etiam in Simeon completa fuit iſta prophetia.

Levi quomodo diviſus.

Quomodo Simeon.



Cæterum etſi hæc tum diviſio tum diſperſio fuerit originaliter illis tribubus pœna ſceleris paterni; Deus tamen qui ex malis bona elicit, & de tenebris facit lucem ſplendeſcere, vertit eam in bonum; inprimis quidem populi Iſraelitici, ut ubique haberent Sacerdotes & Levitas, ac inſuper Scribas & Legiſperitos ex tribu Simeon oriundos, qui eum in lege rebuſque divinis inſtruerent: Nam & hi æquè ut Sacerdotes fuere per omnes tribus diſperſi. Deinde in ipſarum quoque tribuum bonum, Levitarum quidem quatenus Deus voluit eos melioribus quàm temporalibus bonis ſine cura & ſollicitudine intendere, & ſacrificiis vacare, ipſeque eſſe eorum pars & hæreditas; ipſorum verò ac ſimul Simeonitarum, quatenus effecit ut partim ob miniſterium ſacerdotale, partim ob doctrinam & docendi officium eſſent honorabiles in populo. Et iſtam ob cauſam factum eſſe videtur quòd cum Numer. 18. Deut. 10. & alibi non aſſignatur Levitis pars in diſtributione terræ promiſſionis, non exprimitur hæc cauſa ex crimine paterno, ſed alia.

Senſu allegorico eoque præſertim à Spiritu ſancto intento, per Simeonem intelliguntur ſcribæ; per Levi, Sacerdotes qui occiderunt viros, ſcilicet Prophetas & Apoſtolos, & adversùs Chriſtum Dominum tale malignum conſilium cogitaverunt quod Patriarcha Jacob in ſpiritu prævidens ſemper abhorruit; ac tandem ejus mortem procuraverunt & ſubnervaverunt taurum, illum videlicet cornua producentem, & ungulas, quem vident pauperes & lætantur; id eſt, Chriſtum; propter quod peccatum diſperſi ſunt in Iſrael ſpiritualiter intellecto, hoc eſt, inter Chriſtianos. Hanc allegoriam indicavit Hieronymus in qq. Hebr. luculentè autem deduxit Ambroſius lib. de benedictionibus Patriarch. cap. 3.

[ ℣. 8. *Juda, te laudabunt fratres tui:* ] In Hebr. ſic, *Juda tu, laudabunt te fratres tui*. Ubi inſignis eſt alluſio ad vocabulum Juda, quod laudem & laudis confeſſionem ſignificat; quaſi diceretur. Meritò tibi Judæ nomen eſt inditum. Meritò tu vocaris & es laudatio, quia fratres tui te laudibus efferent. Fuit enim Judas reliquis fratribus ſuis ( excepto Joſeph qui Ægypti princeps erat ) honoratior & præſtantior, atque ut 1. Paralipp. 5. dicitur, inter eos fortiſſimus. Similiter autem & tribus ab eo denominata, fratrum ſuorum tribubus præclarior, animoſior, & fortior extitit. Prima enim Moyſen ſequi auſa eſt per mare rubrum. Hæc Joſue mortuo cæterarum tribuum dux fuit in prœliis, Judic. 1. ex hac ortus eſt rex David potentiſſimus, cui cunctæ tribus regnum detulerunt, itemque ſapientiſſimus Salomon & alii reges duarum tribuum uſque ad captivitatem Babylonicam. Ex eadem proceſſit Zorobabel qui fuit dux populi redeuntis ex captivitate, ac tandem Meſſias Chriſtus Jeſus. Ab eadem quoque tribu, omnes Iſraelitæ denominati ſunt Judæi. Ex quibus patet meritò S. Hieronymum in qq. Hebr. dixiſſe: *Licèt de Chriſto grande myſterium ſit, tamen juxta litteram prophetatur quòd reges ex Juda per David ſtirpem generentur*.

Encomia tribus Juda.

[ *Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum*, ] Id eſt, inimicos tuos ſubjugabis. Quod conforme eſt iis quæ Deuteron. 33. etiam de Juda dicit Moyſes, *Manus ejus pugnabunt pro eo, & adjutor illius contra adverſarios ejus erit*. Impleri cœpit hæc prophetia Judic. 1. quando tribus Juda ex Dei reſponſo juſſa eſt anteire, & ducem ſe præbere filiis Iſrael ad debellandos poſt mortem Joſue Chananæos, quos & debellavit. Amplius deinde impleta eſt in Davide, quemadmodum liquet ex ejus victoriis quæ referuntur 2. Reg. 8. & 10. 1. Paralip. 18. 19. 20. & alibi; ita ut Deo gratias agens illi ſic confiteatur Pſalm. 17. *Supplantaſti inſurgentes in me ſubtus me, & inimicos meos dediſti mihi dorſum, & odientes me diſperdidiſti*. Et Eccleſiaſtici 47. *Contrivit inimicos undique & extirpavit Philiſthiim contrarios*. Et iterum: *Dedit illi contra inimicos potentiam*. Sed & in Salomone Davidis filio ſingulariter impleta fuit hæc prophetia: Ut enim 3. Reg. 4. legimus,

Ut Judas ſuos inimicos debellarit.

L 3 *Habe-*

*Habebat omnia regna à flumine terra Philistiim usque ad terminum Ægypti; offerentium sibi munera, & servientium ei cunctis diebus vitæ ejus; ipseque obtinebat omnem regionem quæ erat trans flumen, & cunctos reges illarum regionum.* Quidam præterea alii reges Juda, ut Asa, Josaphat, Ezechias insignes de hostibus suis victorias Deo auxiliatore reportarunt. Quoniam porro Judæ benedictio mystica est juxta Hieron. in cap. 63. Isai. Ambr. lib. de benedict. Patriarch. cap. 4. Aug. lib. 12. contra Faust. cap. 42. & alios sanctos Patres præfigurans ea quæ ad Christum pertinent; observandum est in eo perfectissimè impletum fuisse quod ipsum laudarent fratres sui, essetque omnibus omnino honoratior ac fortior. Ipsum enim laudant fratres ejus Apostoli, & omnes cohæredes ejus, non suam gloriam quærentes, sed ipsius. Ipse Dominus virtutum & rex gloriæ. Ipse fortitudo nostra. Ipse inimicos suos debellat, & manus ejus sunt super dorsa inimicorum ejus, dum ipsi deprimuntur atque curvantur ad terram crescentibus populis Christianis, dumque iisdem manibus atque eadem passione suos texit, & subjugavit adversarias potestates, omnesque fidei & pietatis exortes subditos sibi fecit, quemadmodum loquitur S. Ambrosius.

[ *Adorabunt te filii Patris tui.* ] In Hebr. *incurvabunt se tibi*, tamquam videlicet præcellenti, & tamquam si esses primogenitus. Sermo autem est de incurvatione quæ fit honoris exhibendi causa, & intelligitur honor civilis, sive ad personam Judæ, sive ad reges temporales ex ea oriundos referatur. Dicit *filii Patris*, non addens, & filii matris: quia fratres Judæ omnes eumdem patrem habuerunt, at non eamdem matrem, & loquitur hic de omnibus ejus fratribus. Et hia cum iis quæ cap. 25. notavimus, collatis; habemus partem prærogativarum primogeniti delatam esse Judæ Patriarchæ. Quod autem 1. Paralipp. 5. de Ruben dicitur quòd *ipse fuit primogenitus: sed cum violasset thorum patris sui, data sunt primogenita ejus filiis Joseph filii Israel, & non est ille reputatus in primogenitum*; significat quidem Ruben excidisse juribus primogeniti, & aliquid eorum jurium fuisse translatum in Joseph; illud scil. de habenda duplici portione, quam Joseph in filiis suis habuit; non tamen significat omnes primogeniti prærogativas Josepho fuisse collatas.

Mysticè hæc ad Christum evidenter pertinent. Qui enim sunt per adoptionem filii Dei Patris, ipsum adorant adoratione spirituali & religiosa qualis ei competit, juxta illud Joan. 5. *Omnes honorificent filium sicut honorificant patrem.*

[ ℣. 9. *Catulus Leonis Juda:* ] Rectè subaudiri potest nota similitudinis, *sicut*, juxta idiotismum Hebræis familiarem, secundùm quem Zachar. 7. Hebræa dicunt, *cor suum posuerunt adamantem*; Latina verò, *cor suum posuerunt ut adamantem*. Et sensus est: Sicut catulus Leonis es, ô Juda: Quemadmodum enim *leo fortissimus est animalium*, Proverb. 30. Ita Judas fuit fortissimus fratrum hostibus formidabilis, & in bellis impavidus. Hinc de persona Judæ 1. Paralipp. 5. dicitur quòd *Judas erat inter fratres suos fortissimus*. Ipsam quoque tribum instar catuli leonis fortissimam fuisse, ex supra dictis liquet, ac specialiter Davidem ex ea genitum, qui non solùm quando vir factus, hoc est, quando fuit Leo, contrivit inimicos & extirpavit Philistiim, sed etiam in juventute, idest, adhuc catulus, *cum leonibus lusit quasi cum agnis, & in ursis similiter fecit*, Ecclesiastici 47. robustissimumque giganteum Goliath prostravit & interfecit, 1. Reg. 17. Catulus leonis aliquando is dicitur, qui pusillus planè est ac per ætatem nondum aptus est prædari, veluti Naum 2. *Leo cœpit sufficienter catulis suis:* At hic ponitur pro catulo grandiusculo, qui & prædas agere cœpit, & robur ac audaciam habet ad insigniter prædandum, quemadmodum & Psalm. 103. *Catuli leonum rugientes ut rapiant.*

[ *Ad prædam fili mi ascendisti:* ] In Hebræo, *A præda*. Illud præteritum, ascendisti, more prophetico positum est pro futuro, *Ascendes*, quemadmodum & aliquot alia sequentia. Et significatur quòd Judas seu ejus posteri ad instar catuli leonis quasi continuas prædas esset facturus, de præda in prædam ascendendo, & de victoria in victoriam progrediendo: Id quod maximè patet in Davide qui gradatim ascendit à laceratione ursi & leonis, ad spolia Goliath de quo victoriam reportavit 1. Reg. 17. Inde ad ducatum militiæ & ad prædam centum præputiorum Philistiim, 1. Reg. 18. Mox è terra Philistiim, de vicinis incircumcisis quotidianas prædas egit 1. Reg. 27. Postea factus rex super universas tribus, maximas de Ammonitis, Moabitis, Philistæis & Syris prædas abduxit 2. Reg. 8. 10. 12. & alibi. Septuaginta, pro, ad prædam vel à præda habent, *è germine ascendisti*, quemadmodum & Ambrosius, Augustinus, aliique non pauci veterum. Ad litteram autem intelligi potest positum esse germen in significatione multitudinis, pro arbustis seu locis arbustorum, ut significetur quòd è saltu, vel silva ubi leonum habitacula esse solent, catulus leonis ascenderit, scilicet ad prædam.

Allegoricè præsignificatur Christus qui tamquam frutex ex germine, hoc est ex B. Virgine ascendit, tulitque prædam tartari, quemadmodum canit Ecclesia: & his consonat Isaias cap. 11. prædicens quòd *egredietur virga de radice Jesse.*

[ *Requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna,* ] Alii, sicut leo & leo major; nomina enim animalium apud Hebræos sunt communis generis; designatur autem bestia leonini generis ferocissima & robustissima, hoc sensu, Sicut Leo & leæna seu leo major præda potitus se incurvat & recumbit ut eam devoret, nihil metuens ab aliis bestiis; ita tu Juda, tuive posteri, devictis & subjugatis deprædatisque inimicis tuis, securè victurus ac quieturus es in tuo principatu: Id quod maximè contigit post victorias Davidis, & tempore Salomonis. Unde 3. Reg. 5. dicit Salomon, *Requiem dedit Dominus Deus mihi per circuitum & non est satan*, idest, adversarius, *nec occursus malus.*

[ *Quis suscitabit eum?* ] Scilicet impunè, quasi diceret: Quemadmodum leonem ita requiescentem nemo suscitare seu lacessere audet, sic Judam post partas victorias regnumque suum stabilitum nullus audebit irritare, finesve ejus invadere, quin statim pœniteat, cladem que sentiat. Quod experti sunt tempore Davidis Philistæi in quatuor prœliis continuis 2. Reg. 2. & Zara rex Æthiopum sub Asa, 2. Paralipp. 14. Sennacherib quoque rex Assyriorum sub Ezechia 4. Reg. 19.

Allegoricè Christus est leo: de ipso quippe dicitur. Apoc. 5. *vicit leo de tribu Juda;* & catulus leonis, quia non solùm rex, sed & regis filius cui convenit ascendisse ad prædam, tum quia ejus nomen vocatum est, *Accelera spolia detrahere, festina prædari* Isai. 7. tum quia crucem ascendit, victoriam de diabolo reportaturus, & infernum spoliaturus. Idem ipse requiescens accubuit ut leo; sive, quando *inclinatu capite emisit spiritum;* sive quando jacuit in sepulchro; quoniam ut leo cum sua præda quiescens terribilis est, nec ullus audet ipsum impunè lacessere; sic Christus somno corporalis mortis quiescens fuit diabolo formidabilis, nec ullus inimicorum ejus potest eum impunè irritare. Quamquam & aliud quidpiam in ista clausula, *quis suscitabit eum*, lateat; nimirum quòd solus Christus sua suique Patris virtute seipsum potuerit à mortuis suscitare.

[ ℣. 10. *Non auferetur sceptrum* ] Pro, non auferetur, alii ex Hebr. vertunt, *non recedet*, 70. *non deficiet*, penitus scilicet, ita ut numquam sit deinceps restituendum. Pro sceptrum, 70. dicunt, *princeps:* Alii Hebræi, *virga*, omnes eodem sensu; cum & virga, utpotè insigne regni vel principatus, idem valeat quod sceptrum, significetque potestatem regiam; non enim de virga tribulationis sermo est, sed de virga dominationis; & per sceptrum metonimicè intelligatur is qui regnum vel principatum habet.

[ *De Juda,* ] Hoc est, de tribu Juda, vel de gente illorum qui à Juda cognominandi sunt Judæi.

[ *Et dux* ] Ita etiam reddiderunt 70. cum alii ex Hebræo vertant, *legislator:* Sed quoniam ex authoritate leges ferre, atque adeò esse legislatorem simpliciter; summi est principis; sive dicatur legislator sive dux, idem est sensus.

[ *De fæmore ejus,* ] Septuaginta *de fæmoribus*. Hebræa, *de inter pedes ejus;* seu de pedibus, vel de medio pedum ejus. Quæ omnia idem significant, perindeque valent, ac de semine, vel stirpe ejus; fœmur enim pro principio ex quo filii generantur, solere poni ostendimus cap. 24. Pedum autem nomine Hebræi etiam fœmora comprehendunt, cum ipsi pedibus tribuant,

buant; quidquid est infra ventrem. Unde ubi nos habemus Judic. 3. *purgat alvum*, in Heb. est, *Ipse tegens pedes suos*, Similiterque 1. Reg. 24. ubi noster interpres vertit, *ut purgaret ventrem*. Eòdem facit quòd crines pubis ac verendorum vocantur pili pedum Isai. 7. & quòd lotium vocatur urina pedum Isai. 36.

[*Donec veniat qui mittendus est*; ] In Hebr. est, *donec veniat Siloh*; quod interpretes secundùm variam istius vocis derivationem & significationem variè vertunt. Chaldæus enim vertit, *donec veniat Messias cujus est regnum*. Nec dissimiliter Pagninus. Quidam interpretantur vocabulum Hebræum significare pacificum: Quò pertinet quod Isai. 9. legitur Christus appellandus *princeps pacis*. Alii vocem Hebræam significare volunt filium mulieris, dicentes notari nativitatem Christi ex virgine sine Patre. Nonnulli ipsam vocem dividentes, ex una faciunt duas quæ significent eum qui, vel cui. Unde Irenæus l.4. contra hæreses cap. 23. Athanasius de passione & cruce Domini sub fin. Tertullianus l. 3. Carminum contra Marcionem cap. 2. Chrysostomus hom. 67. in Genesim, Ambrosius l. de benediction. Patriarch. cap. 4. Hieronymus epist. 27. c. 4. itemque in cap. 11. Isajæ, & in cap. 21. Ezechielis legunt, *donec veniat cui repositum est*: quæ verba sunt Messiæ Periphrasis, cum ipsi à Patre repositum esset regnum spirituale, non solùm tribus Juda vel aliarum etiam tribuum; sed universi orbis terræ, juxta illud Psalm. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*: Et Isai. 49. *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & fæces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Justinus autem martyr in dialogo cum Tryphone ita legit, *donec veniant quæ reposita sunt ei*. Hanc lectionem Cyprianus lib. 1. Testimoniorum cap. 21. sequitur, sicut etiam Augustinus lib. 16. de civit. cap. 41. & lib. 12. contra Faustum cap. 42. & quidam alii veteres. Et habetur in versione 70. Juxta quam lectionem relativum, ei, refert Judam; ea autem quæ reposita erant, est ipse Christus ac bona illa spiritualia quæ secum attulit. Judæ namque ac ejus tribui in divina ordinatione repositum erat, quòd Christus omnium bonorum nostrorum author ex illa descenderet. Noster interpres vocem Hebræam sic accepit quasi significaret missum aut mittendum; sive eum qui venturus erat, idque meritò, nomen enim piscinæ quæ vocatur Siloe, S. Joannes cap. 9. sui Evangelii exponens, ait significare Missum: Per eum porro qui mittendus ac venturus erat, Messias seu Christus designabatur; quia sicut ipse singulariter & præ omnibus erat promissus, ita etiam præ omnibus expectabatur mittendus & venturus; adeò ut appellatione ejus qui erat venturus, vulgariter ipse Christus intelligeretur, ut patet ex Matt. 11. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Cæterum quomodocumque legatur clausula jam dicta, in eo expositiones omnes Catholicorum, imò & Judæorum pleræque conveniunt, sermonem hic esse de Messia seu Christo, & significari quòd potestas regia & ducalis non esset auferenda de Juda, donec Messias veniret.

Verùm circa hujus vaticinii veritatem non parvæ sunt difficultates.

Prima est, Principatus seu Ducatus Israelitarum ab initio fuit penes Moysen ortum de tribu Levi: deinde penes Josue, de tribu Ephraim: postea penes Judices quorum pauci reperiuntur fuisse de tribu Juda, soli nimirum Othoniel & Abesan. Postremò successerunt reges quorum primus Saul fuit de tribu Benjamin, cui demum successit David de tribu Juda. Cum ergo ab hujus vaticinii tempore usque ad regem de Juda oriundum plus quàm sexcenti anni fluxerint; quomodo hujus vaticinii veritas potest subsistere? Secunda, eaque gravior, sceptrum & ducatus defecit vel in Jeconia seu Joachin, de quo Jeremiæ 22. dicitur, *Scribe virum istum sterilem &c. nec enim erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Juda*; vel in Sedecia, sub quo contigit captivitas Babylonica. Et quamvis post captivitatem Zorobabel de tribu Juda dux populi Israelitici extiterit, non tamen videtur posse dici quòd potestas ducalis aut gubernativa fuerit continuata in Juda; cum Machabæis qui erant de tribu Levi, ducatus obtigerit, cumque annis multis tenuerint; ab illis siquidem usque ad Christum numerantur anni centum sexaginta quinque.

Accedit quòd Machabæorum quoque potestas diu ante Christi nativitatem desierit. Herode alienigena annis viginti novem Judæis imperante. Sed ad has difficultates responderi potest.

Ad primam quidem istius vaticinii veritatem subsistere; quia in eo, Jacob neque dicit sceptrum regium statim futurum in tribu Judæ, neque definit tempus quo ad illam sit perventurum; sed significat quòd ex eo tempore quo sceptrum regium Judæ obtigerit, ab eo non sit penitus seu totaliter auferenda potestas dominativa, sive ea sit regia sive ducalis, donec veniat Messias: hoc est, quin brevi post, sive quin circa idem tempus Messias veniat: Regium autem sceptrum Judæ hic attributum seu promissum, illi tribui demum obtigit in Davide, atque ex initio regni ejus præsentis vaticinii veritas æstimanda est.

Ad 2. Resp. Negando ducatum defecisse vel in Jeconia seu Joachin, vel in Sedecia: qui Zorobabel filius Salathiel filii hujus Jeconiæ, Matth. 1. & 1. Esdræ 2. 3. 4. 5. & Aggæi 1. fuit post captivitatem dux populi Israelitici, multique alii post eum duces fuerunt de Juda, scilicet usque ad Machabæos.

Quod autem ex Jerem. 22. opponitur; non significat Jeconiam futurum sine liberis; cum 1. Paralipp. 3. recenseantur octo ejus filii: sed quòd ita erit sterilis, ut non sit habiturus filium successorem in regno, qui sedeat super solium regium Davidis, habeatque regalem potestatem.

Sceptrũ non fuit ablatum à Juda tẽpore captivit.

Posset quidem ipsius Babylonicæ captivitatis tempore, quando series Regum Juda finem habuit, videri ablatum fuisse tam Sceptrum quàm principatum, vel ducatum à Juda; sed revera non fuit ablatus; sive quia solùm fuit quædam interruptio, & quidem cum certa spe ac promissione imperium seu ducatum recuperandi, sicut post captivitatem recuperatum fuit in ducibus; talis autem interruptio non est ablatio totalis de qua procedit vaticinium Jacobi; sive quia Jeconia seu Joachin existens in captivitate non magis desiit esse rex, quàm Manasses in Babylone vinctus 4. Reg. 21. & 2. Paralipp. 33. & quàm Franciscus primus Galliæ rex Madriti captivus, præsertim cum hunc Joachin Evilmerodach rex Babylonis ad solium regni è carcere sublimaverit 4. Reg. ult. Accedit quòd in eadem captivitate regis Babylonis permissu, Judæi de gente sua judices habuerunt, qui caussas ipsorum etiam criminales judicarent, quemadmodum ex Dan. 13. patet.

Quod attinet ad tempus quo Machabæi (quos de tribu Levi fuisse constat ex 1. Machab. 2. & aliundè) potiti sunt rerum in Judæa, inter varias expositiones de quibus 3. p. q. 35. art. 8. diximus, duæ videntur probabiliores. Una quæ Machabæos dicit per lineam maternam fuisse de tribu Juda: id quod suadere potest tribuum post captivitatem permixtio, & quòd qui de tribu Levi erant non prohibebantur accipere uxores de tribu Juda, imò nec de aliis tribubus, cum sortem in terra promissionis non accepissent, ideoque abesset periculum confusionis sortium, ut tradit B. Thomas in 4. d. 30. q. 2. quamvis autem aliquis non censeretur simpliciter de una certa tribu secundùm lineam maternam, quidam tamen putant genus maternum sufficere ad salvandam hujus vaticinii veritatem: quoniam qui ex matre de tribu Juda oriunda nati sunt, verè progeniti sunt de Juda & de fœmoribus ejus, utpotè ex aliqua ipsius filia.

Alia expositio eaque ferè communis veterum quos dicta quæst. 35. adduximus, est, qua per Judam non intelligitur sola tribus Juda præcisè, sed etiam illi de Benjamitis, Levitis, aliisque tribubus qui tribui Juda inserendi & cooptandi erant: simulque cum ea unum populum constituturi qui à Juda denominandus esset populus Judaicus & gens Judæa, sicut factum est in reditu ex captivitate Babylonica quando sola tribus Juda rediit cum paucis ex Benjamin, Levi, & aliis tribubus. Tunc enim omnes de quacumque essent oriundi, vocati sunt Judæi, eò quòd essent commixti cum Juda, unamque cum eo Rempublicam facerent. Ita sumitur Judas pro omnibus Judæis in tota Judæa habitantibus Malach. 2. *Placebit Domino sacrificium Juda.* Nec

Per Judam intelligi potest tota gens quæ à Juda fuit vocata Judæa.

dissimiliter 1. Machab. 1. quando semel & iterum nominantur civitates Judæ. Hujus proinde vaticinii sensus ita reddi potest. Ex quo tempore tribus Juda regnum habere cœperit, numquam totaliter auferetur regia & ducalis potestas à Juda, hoc est, à tribu vel gente Judæa, ita nimirum ut ad alienigenas transferatur, donec Christus veniat; sive, quin Christus circa illud tempus veniat. Et secundùm hæc, ex præsenti loco Christiani solidè contra Judæos concludunt Christum advenisse, dum Herodes Ascalonita in Judæa regnaret, quoniam usque ad illud tempus Judæis semper aliquis de eorum stirpe præfuit, & ipse primus fuit alienigena qui Judæorum Rempublicam gubernavit.

*Sensus prophetiæ de sceptro non auferendo à Juda.*

Si objicias istud vaticinium soli Judæ dici: ergo sicut ea quæ Jacob dicit Josepho, Beniamin, & reliquis suorum filiorum, ad eos pertinent & non ad Judam, vel alios: ita quæ dicuntur Judæ, ad eum solum pertinere debent. Resp. in primis Neg. Cons. quia nullus filiorum Jacob futurus erat tanti nominis, ut tribus ab eo descensura nomen suum daret toti genti Israelitarum, sicut à tribu Juda totus populus denominandus erat ac etiamnum denominatur Judæus. Unde Resp. 2. verba Jacobi peculiari quadam ratione ad solum Judam pertinere; partim quia solus ipse, seu sola sua tribus datura erat nomen suum toti genti; partim quia in ea sola sceptrum regium diutissimè erat futurum, sicut & postea potestas ducalis.

Neque verò his obstat quòd Christus non venerit statim atque Herodes cœpit in Judæa rerum potiri, sed anno demum regni ejus 29. quoniam istud, *donec veniat*, non debet accipi pro eadem hora, die, mense, vel anno; sed ut idem valeat, quòd circa illud tempus, seu sub eo rege sub quo deficiet dux de Juda.

[ *Et ipse erit expectatio gentium.* ] Relativum, *ipse*, refert eum qui mittendus est, sive Messiam, non verò ut aliqui Judæi voluerunt, Davidem; cum neque de Davide sermo præcesserit, neque Davide veniente sceptrum fuerit à Judæis ablatum, neque gentes avidè Davidem expectarint, ut ipse dici potuerit expectatio gentium. Si dicas, neque etiam Christo convenire esse expectationem gentium; cum gentes non scirent nec crederent Christum esse venturum, ideoque ipsum nequaquam expectaverint. Resp. Neg. Assumpt. quamvis enim gentes (paucis quibusdam exceptis qui fide instructi erant) nihil noscerent de Christi adventu, ipse tamen verissimè erat expectatio gentium, atque ut Aggæi 2. dicitur, desideratus cunctis gentibus, partim quia futurum erat ut gentes ad Christum conversæ totam spem & expectationem suam in eo ponerent: partim quia Christus tantum tamque necessarium bonum erat cunctis gentibus, etiam ejus adventum nescientibus, ut esset illis maximè expectabilis ac desiderabilis, utque ipsum actu & reipsa summo desiderio expectassent, si & propriam indigentiam, & quam Christus ei sublevandæ necessarius erat, agnovissent. Juxta quem sensum *expectatio* ponitur pro re summopere expectabili; & *desideratus*, pro maximè desiderabili. Confirmatur, Scriptura non infrequenter rebus inanimatis tribuit desiderium & expectationem ejus rei qua valdè indigent, quamque, si ratione præditæ forent, ardenter desiderarent; quomodo Deuteron. 11. terra dicitur, *de cœlo expectare pluvias*; & Oseæ 2. dicit Deus, quòd *exaudiet cœlos*, quasi nimirum optantes perfundere terram imbribus, *& illi exaudient terram*, optantem scilicet pluviam, *& terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum*, quæ cupiunt seu appetunt copiosè nasci. Illud enim unaquæque res desiderare dicitur, quo maximè indiget, & quod ei optimum est ut habeat. Similiter igitur gentes rectè dicebantur expectare & desiderare Christum, quamvis eum nescirent, quia vehementer eo indigebant, & optimum illis erat eum habere, ipsumque desiderassent si novissent. Septuaginta nostro interpreti consentiunt, leguntque, *& ipse est expectatio gentium*. At Pagninus & quidam alii ex Hebræo vertunt, & erit ei aggregatio vel obedientia populorum; sive, ad eum gentes confluent eique obedient. Alii, & ipse vel ipsi erit munditia gentium, hoc est, ipse gentes mundabit. Quæ omnia & per vocem Hebræam significari possunt, & Christo aptissimè conveniunt de quo Psalm. 71. legimus, *omnes gentes servient ei*; & Isai. 2. *fluent ad eum omnes*

*Christus quomodo expectatio gentium.*

*gentes*, & Zachar. 13. *In illa die erit fons patens domus David & habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Unde Angelus Matth. 1. *Ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Nihilominus à lectione vulgata non est recedendum, cum eam & Hebræa quoque significent, & Ecclesia semper receperit.

[ ℣. 11. *Ligans ad vineam pullum suum*, ] Ista ligans non intelligitur Judas, sed Messias, seu Christus, idem scilicet qui prius dictus est expectatio gentium. Et confirmatur. Cum enim Jacob alloquatur Judam, dicere debuisset ligans ad vineam pullum tuum, si ligantem intellexisset esse Judam. Pro vineam, alii vitem hic legunt, sicut etiam B. Hieron. in qq. Hebr. & vox Hebræa tam vitem quàm vineam significat, ait Delrio; idemque est sensus. Per pullum, asini pullus intelligitur:

[ *Et ad vitem, ô fili mi, asinam suam.* ] Hinc patet quòd loquatur suo filio, nimirum Judæ. Pro ad vitem, Hieronymus dicit haberi in Hebræo, *ad Sorek*: quod quoad sensum non differt, quia Sorek significat vitem electam, sive, ut alii vertunt, optimam.

Ad litteram quidam hæc interpretantur de fertilitate sortis seu portionis terræ quæ tribui Judæ erat obventura, quasi significetur quòd illa tanta esset futura, ut tum pullus asini tum asina posset ad vitem alligari, & ex ejus fructu onerari.

Huic tamen interpretationi obstat quòd per ligantem intelligat Judam, cum intelligendus sit Messias; quòdque non tantus fuit excessus fertilitatis in sorte Juda præ aliis tribubus, quantum versus iste undecimus significat.

Insistendum proinde veterum Patrum expositioni, qui litteraliter hæc de Messia accipiunt. Revera enim Messias pullum suum, idest, populum gentilem qui jugum legis non tulerat, ligavit ad vineam, hoc est, ad Ecclesiam quam ex Judæis primò collegerat; & asinam suam (per quam significatur populus Judaicus legis jugo assuetus) ad vitem, hoc est, ad se, qui Joan. 15. dicit, *ego sum vitis vera*: Per seipsum quippe populo Judæorum prædicavit, sicque illos ad se convertit ac sibi junxit; gentiles verò per Apostolos eorumque discipulos ad Ecclesiam aggregavit. Conferri possunt Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus & alii, observarique his consentire quod Zachar. 9. & Matth. 21. Christus legitur sedisse super asinam & super pullum asinæ.

*Quid hic vinea, quid vitis, quid pullus, quid asina.*

Septuaginta ubi nos habemus ad vitem, habent *ad helicem*, quomodo etiam est apud Cyprian. lib. 1. testimoniorum cap. 21. sensu tamen non diverso. Cum enim helix sit illa clavicula seu surculus qua vitis se circumvolvit stipitibus & palis, ut sese erectam teneat ac sustentet, ligare ad helicem perinde est ac ligare ad vitem. Nec discrepat Hieronymus in qq. Hebr. legens funiculo: cum ejusmodi surculus sit instar cujusdam funiculi; funiculisque fidei, spei, & charitatis Judæos sibi alligaverit Christus. Ambrosius lib. de benedictionibus Patriarcharum cap. 4. & August. lib. 12. contra Faust. cap. 42. legerunt, *cilicio* vel ad cilicium secundùm quos significatur Christus alligasse populum suum in cilicio pœnitentiæ, seu prædicando pœnitentiam: quæ tamen lectio ex corruptione vocis Græcæ orta esse putatur, cum in Græco sit ἕλιξ.

[ *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum.* ] In Hebr. est *lavit*, præteritum pro futuro. Suppositum verbi lavabit, ut ex contextu liquet, est is qui mittendus est, sive Christus, de quo hæc ad litteram dicuntur: Per stolam, corpus ejus intelligitur, quemadmodum & per pallium; Divinitas enim illo corpore velut quodam operimento seu vestimento tegebatur. Per *sanguinem uvæ*, intelligitur succus uvæ, idest, vinum ob similitudinem coloris rubei, sicut Deuteron. 32. *sanguinem uvæ biberet meracissimum*. Unde fit consequens posteriori membro idem aliis verbis dici, quod priori. Vinum porrò, Christi sanguinem accipere debemus: Prædicitur namque futurum, quòd Messias aliquando sit perfusurus ac loturus totam suam carnem proprio sanguine, id quod in passione sua fecit, quando rubrum fuit ipsius indumentum, ut Isa. 63. dicitur, idest, corpus: & quando lavit illud seu promeruit ut lavaretur ab omnibus passibilitatis,

morta-

mortalitatis, aliisque hujus vitæ miseriis, quas nostri causa susceperat, resurgeretque gloriosum, ut 3.p.q.19. art.3.diximus.

Sensu mystico per stolam & pallium significatur Ecclesia quam Christus velut poderem induit, quo filium hominis amictum vidit S. Joannes Apoc. 1. quamque ipse lavat in vino sanguinis sui, de quo Matth. 26. pronunciavit quòd pro multis effunderetur in remissionem peccatorum. Videri possunt Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus.

[ ℣. 12. *Pulchriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* ] Relativum *ejus*, refert Christum, quemadmodum ex antecedentibus patet, significaturque quòd ipsius oculi futuri essent splendidiores, magisque radiantes & fulgentes quàm vinum: Simul autem indicatur facies, præsertim post resurrectionem, fuisse venustissima & micantissima, ita ut inesset ei vis exhilarandi, incendendi, ac detinendi homines ipsum intuentes, magis quàm vino inest vis lætificandi, de quo habemus Judic.9. *quòd lætificat Deum & homines*; Et Ecclesiasticis 31. *quòd in jucunditatem creatum est*. Unde cap. 40. *Vinum & musica lætificant cor.* Expositionem hanc confirmat quòd ( ut legitur in scholiis Septuaginta interpretum editionis Romanæ ) pro pulchiores 70. aliique vetusti codices, & Cyrillus in glaphiris, & Diodorus Tharsensis, & Theodoretus, habent *gratifici*; Hieronymus in cap. 55. Isai. *gratiosi*, Ambrosius, *hilares*, Augustinus contra Faustum *fulgentes*, 16. de civit. *fulvi*. Sunt qui sine comparatione membrum hoc accipiant, quasi significetur quòd vinum sit causa pulchritudinis oculorum. Sed quia rubedo oculorum causata per vinum, sonat in vitium; & quia membrum posterius clarissimè comparationem continet, etiam prius comparativè debet intelligi, sicut & 70. intellexerunt, qui sic habent, *Gratifici oculi ejus super vinum*, hoc est, plus quàm vinum. Quod de candore dentium additur, pertinet etiam ad Christi pulchritudinem: hæc enim in oculis, genis, ac dentibus maximè spectatur.

Mysticè per oculos Christi significantur prophetæ & Apostoli, de quibus accipi potest illud Zachariæ 3. *Super lapidem unum*, hoc est super Christum, *septem oculi sunt*: Hi enim per vitæ puritatem, per candorem sapientiæ, per Evangelicæ prædicationis lucem & per gloriam miraculorum, pulchriores & splendidiores fuerunt vino, id est asperitate & zelo veteris legis. Per dentes designantur Doctores & concionatores Christianæ pietatis, qui sicut candidi & validi dentes serviunt verbis rectè efformandis & pronunciandis, cibumque spiritualem dividunt & comminuunt ad aptam concoctionem, & vitia peccatorum mordent dum reprehendunt. Sunt hi, si vivunt ac docent sicut oportet, lacte seu legis veteris doctrina candidiores, quia nec Judaicarum umbrarum nebulæ ipsos obfuscant, nec bonos eorum mores aliorum pravitas.

[ ℣. 13. *Zabulon in littore maris habitabit*, ] Post quatuor filiorum Liæ benedictiones aut prophetias, Jacob transit ad Zabulon qui erat sextus; partim quia tribus ipsius nobilior futura erat, quàm tribus Issachar qui fuit quintus; partim quia Christus de quo proximè dixerat, in sorte Zabulon erat B. Virgini annunciandus, ab eaque ibi concipiendus, scilicet in Nazareth: Ac insuper in Capharnaum ( quæ ad eamdem tribum pertinuit ) multum conversaturus: adeò ut vocata fuerit ejus civitas Matth. 11. vers. 1. Spiritu autem prophetico prædicit locum habitationis, quem in terra Chanaan habituri erant Zabulonitæ. Quæ prædictio valebat tum ad confirmationem promissionis de terra illa filiis Israel danda; tum ad significationem felicitatis & opulentiæ quæ ipsis erat obventura; Opportunitas enim maritima plurimum ad eam facit, quam & Moyses Deuteron. 33. ita prædixit: *Lætare Zabulon in exitu tuo*, hoc est, in prospera egressione navium tuarum ad commercia. *Qui inundationem maris quasi lac sugent*; sive maritimarum mercium abundantia perfruentur. Pro, *in littore maris*, 70. habent, juxta mare: In Hebr. est, *juxta portum marium*: & quia Zabulon habitationem significat, allusio est ad nomen, cum dicitur habitabit: prædicitur autem quòd ea tribus habitura erat commoditatem navigii & diversorum commerciorum per navigium, utpotè habitatura non procul à mari, nimirum mediterraneo, ac etiam à stagno Genezareth, quòd aliàs vocatur mare Galilææ, & varios portus occcupatura, eosque securos. Ideo namque subditur.

[ *Et in statione navium* ] Ubi vox Hebræa portum significat, sicut in priori membro.

[ *Pertingens usque ad Sidonem.* Si dicas sortem Aser mediam fuisse inter Zabulonitas & Sidonios, ideoque tribum Zabulun non potuisse pertingere usque ad Sidonem: Resp. non potuisse quidem immediatè pertingere usque ad Sidonem, unde Josue 19. ubi fines Zabulonis disertè assignantur, nulla Sidonis fit mentio: mediante tamen sorte Aser, Zabulun dici potest ad Sidonem pertigisse; quia sic illi vicinus erat, ut navigiorum commercia cum Sidoniis velut cum vicinis celebraret. Unde sic in Hebr. sonat: *Latus ejus ad Sidonem*; & subaudiri potest, spectat vel prospicit; ut Zabulon significetur futurus esse vicinus Sidoniis.

Allegoricè, per Zabulon significatur Ecclesia quæ est fidelium habitaculum, quietum & opulentum; animarum mercaturæ deditum, & quæ licèt circa fluctus habitet, fluctibus tamen non opprimitur. Ex hac prodeuntes Apostoli pertigerunt prædicando usque ad Sidonem variasque gentes.

Moraliter Zabulon est typus omnium qui sibi quærunt habitacula, vel bona, & sic in littore habitant, sed fluctibus tentationum non dejiciuntur: vel mala, & isti sic habitant in littore, ut fluctibus & undis tribulationum deprimantur.

[ ℣. 14. *Issachar asinus fortis* ] Sensum reddidit interpres: Nam in Hebr. est *asinus osseus*, os autem pro fortitudine ponitur, Et quamvis posteri Issachar fortes in bello fuerint, quemadmodum patet ex prælio contra Sisaram Judic. 5. & ex bellis pro Davide 1. Paralipp. 7. hic tamen maximè spectatur fortitudo in ferendis laboribus & oneribus agriculturæ, ut sequentia indicant. Unde Hieronymus in qq. Hebr. *Asinum osseum vocat, & humerum ad portandum deditum, quia in labore terræ & vehendis ad mare oneribus, quæ in suis finibus nascebantur, plurimum laboraret*. Septuaginta hic aliter vertunt: habent enim, *Issachar bonum desideravit*, seu concupivit; eamque diversitatem quidam accidisse putant ex eo quòd pro Chamor, id est, asinus, legerunt Chamad, id est concupivit: Alii, ex eo quod Paraphrastes egerint, hoc sensu Issachar existimavit esse bonum fortiter agriculturæ labores sustinere: hoc autem idem valet quod esse asinum fortem. Asinus osseus idem quod asinus fortis.

[ *Accubans inter terminos.* ] Hoc est, pacatè habitans seque continens in sua sorte, contentus suis terminis: per quod significatur quòd homines istius tribus non essent per varias regiones vagaturi, mercimoniis & navigationibus vacantes, sed intra fines suos mansuri & agriculturam exerciturì. 70. sic habent, *requiescens inter medios cleros seu sortes*, sua nimirum, & ita sensu conveniunt cum nostra versione. In Hebr. sonat inter terminos duos, & hi rectè intelliguntur termini quos illa tribus habuit ab Oriente & Occidente, mare scil. mediterraneum & Genesareth.

[ ℣. 15. *Vidit requiem quòd esset bona;* ] Id est, consideravit vitam quietam & tranquillam, procul à turbis negotiorum ac periculis quibus negotiatores terra marique se exponunt, separatam, esse valdè bonam, eamque elegit.

[ *Et terram, quòd optima*, ] 70. Quia pinguis: Sensus est: consideravit etiam terræ seu sortis suæ fertilitatem & amœnitatem, & ex ejus cultura uberem fructum sperans, vitam laboresque agricolarum elegit.

[ *Et supposuit humerum suum ad portandum*, ] Onera scilicet quæ incumbunt agricolis sive dum serendum est ac metendum, sive dum frumentum usque ad mare est deferendum, sive alias, 70. habent, *ad laborandum*, sensu non diverso; cum jam dicta onera ferre, valdè sit laboriosum.

[ *Factusque est tributis serviens.* ] Significatur quòd posteri Issachar passuri essent se præ aliis gravari tributis; quia diligenter excolentes terram proventibus fertilem & divitiis abundantem, seque eximentes oneribus

bus & ministeriis aulicis & bellicis, quietam vitam suam redempturi essent majore tributorum solutione. Consentiunt 70. dicentes, *& factus vir agricola*: qui enim toti sunt agriculturæ dediti, alia publica onera non subeuntes, magis serviunt tributis persolvendis.

Allegoricè, Issachar (quod merces interpretatur) est Christus cui convenit esse mercedem necessariam; & qui instar asini fortis fuit ad labores, eum dicat, *In laboribus à juventute mea*, Psalm.87. bonum etiam concupivit, utpote *sciens reprobare malum & eligere bonum*. Isai. 7. Recubit quoque inter terminos seu inter sortes veteris ac novi testamenti; vel in medio Prophetarum. Ideo enim inter Moysen & Eliam apparuit, Matth. 17. Approbavit quietem beatæ resurrectionis, & elegit gentilitatem velut terram fertilem quæ dono suæ gratiæ fructum uberrimum faceret. Supposuit quoque humerum cruci ad portandum onera nostrorum peccatorum, & factus est tributis serviens, dum Matth. 17. solvit tributum.

Moraliter Issacar est typus justorum ac præsertim religiosorum, qui onera disciplinæ regularis fortiter ferunt, & intra sui monasterii fines quiescunt, vitam securam eligunt, quietem æternam spectantes, & fructum boni operis ferentes in Ecclesia vel monasterio, per terram optimam significato.

[ ℣. 16. *Dan judicabit populum suum* ] Allusio est ad nomen Dan, quod interpretatur judicium. Et quoniam erat ex famula natus, viderique propterea potuisset imperio indignus; opinionem hujusmodi excludit patriarcha Jacob, perinde ac si diceret: Etsi Dan sit ancillæ filius, non erit tamen inter suos ignobilis. Nam ipse seu qui ex ipso nascetur judicabit populum suum, hoc est, erit judex ac vindex sui populi, eumque defendet ac liberabit de manu hostium, ubi nomine populi non intelligitur sola posteritas Dan, sed generaliter populus Israeliticus, in quo Samson (qui de tribu Dan ortus est, & de quo hæc ad litteram dicuntur) judex fuit, & Philisthæos ingenti plaga percussit Judic. 15. & 16.

[ *Sicut & alia tribus in Israel*. ] Non significatur quòd omnes aliæ tribus sint judicaturæ: Nam de Ruben, Simeon, & Aser nulli judices fuerunt, probabileque est quòd nec de Gad, cum Jephte quem aliqui putant fuisse de tribu Gad, ab aliis dicatur esse de Manasse: sed sensus est, quòd Dan non minus quàm alia tribus judicabit, sive quòd si qui futuri sint judices ex aliqua alia tribu, etiam ex Dan aliquis sit futurus.

[ ℣. 17. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita*,] Fiat pro *fiet*, dictum est, cum sit prophetica rei futuræ prædictio. Quoniam verò Dan est indeclinabile, dubium nascitur, sitne hic in tertio an in primo casu accipiendum. Et sunt qui accipiunt in tertio quasi diceretur, fiat coluber ipsi Dan, ut prænuncietur Dalila serpentino astu deceptura Samson; juxta quem sensum loquitur B. Hieronymus lib. 1. contra Jovinian. cap. 13.

At sanctorum, Ambrosii de benedictionibus Patriarch. cap. 7. Gregorii lib. 31. Moral. cap. 18. aliorumque Patrum sententia communis in recto seu in primo casu accipit; idque velle videntur Hebræa & Græca, quia Dan sine ullo articulo ponunt, quod signum est recti seu nominativi casus. Significatur ergo quòd Dan futurus esset similis colubro, sive (ut alii ex Heb. reddunt) serpenti, cujus species quædam est coluber; & instar ceraste, pro quo regulum vertit Hieron. in qq. Heb. qui in via & juxta semitam latere ac insidiari solent. Verissimèque impleta est hæc prædictio in Samson de tribu Dan orto.

De Samsone. Primò, quia sicut animalia serpentina magno sunt hominibus horrori ac terrori; ita Samson terribilis fuit suis hostibus, id est, Philisthæis: adeò ut quemadmodum per viam serpentibus infestam homines transire non audent, ita Philisthæi Samsonem; & quos ipse protegebat, infestare formidabant.

Secundò, sicut illi serpentes in viis ac semitis sub frondibus aut arenis latitantes, ex improviso aggrediuntur incautos, ita Samson Philisthæos nihil minus cogitantes callidè aggressus est, eosque vehementer afflixit: veluti cum segetes illorum combussit, cumque in mandibula asini percussit mille viros. Judic. 15.

Tertiò, sicut cerastes (à cornibus quæ sæpè quadrigemina habet, ita vocatus) reliquo corpore in arena vel aliter occultato, sola cornua prominentia ostendit & agitat, ut aves illiciat ad eis insidendum & sic eas devoret, teste Plinio l. 8. cap. 23. & eo quoque astu pollet, quemadmodum hic in seqq. indicatur, ut cum nequit equitem vulnerare, equi calcaneum sauciet, ita ut vel equus cum equite ruat, vel vi doloris, efferatus ipsum equitem dejiciat: ita Samson concussis columnis quibus innitebatur domus, & eam, & illos qui de tecto ac solario spectabant dejecit, omnemque multitudinem quæ ibi erat occidit. Addi potest quòd sicut serpens nisi aurem benè obturet, incantatur: ita Samson verbis Dalilæ aurem præbens deceptus fuit & captus. Jam dictis ergo convenit quod in textu additur:

[ *Mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro*. ] Pro *ungulas*, ex Hebræo alii vertunt *calcaneum*; sed quoniam calcanei equorum habent ungulas, & per eas designatur posterior pars plantæ; ideo noster interpres benè vertit ungulas, quod idem est ac calcaneum ungulatum Pro *ut cadat*, vertunt, *& cadet*: sed non sine causa B. Hieronymus quamvis in qq. Heb. legerit, *& cadet*, hic reddidit, *ut cadat*; quo etiam modo habet S. Ambrosius citato superius cap. 7. Hanc tribus Dan benedictionem & prophetiam de Samsone interpretantur S. Hieronymus tam lib. 1. contra Jovinian. quàm in qq. Hebr. Beda super Genesim, Procopius, Rupertus, Liranus, Dionysius Carthusianus, Abulensis, Delrio, & alii non pauci.

Alia tamen præterea est ejusdem prophetiæ expositio, eaque vel litteralis (cum non repugnet ejusdem scripturæ plures esse sensus litterales, ut ostendimus 1. p. quæst. 1. art. 10.) vel saltem allegorica, de Antichristo. Pro qua expositione supponendum est Antichristum de tribu Dan nasciturum: Quod quidem ex scriptura convinci nequit (tametsi quidam adducant verba Jerem. 8. ubi secundùm 70. sic legimus: *E Dan audiemus vocem fremitus equorum ejus: A voce hinnitus equitatus equorum ejus commota est omnis terra, & veniet & devorabit terram* &c. sed ex veterum traditione magnam habet probabilitatem. Ita namque tradunt Irenæus lib. 5. contra hæref. cap. 30. Hyppolitus oration. de consummatione sæculi, Ambrosius lib. de benedict. Patriarch. cap. 7. Augustinus quæst. 22. super Josue, Theodoretus quæst. 109. in Genes. Gregorius lib. 31. Moral. cap. 18. Rupertus lib. 9. in Genes. cap. 32. Prosper lib. Dimidium temporis cap. 9. quos plerique recentiorum sequuntur, cum illis existimantes hanc esse causam, cur Apoc. 7. non nominetur tribus Dan, nec numerus signatorum ejus, in detestationem scil. Antichristi ex ea nascituri. Neque refert vel quòd in tanta confusione tribuum quæ modò est ac deinceps erit, non facilè sit observare de qua tribu veniet Antichristus: vel quòd Judæi suum Messiam atque adeò Antichristum expectant de tribu Juda oriundum. Quoniam revera venire poterit ex Dan, etiamsi non discernatur quòd inde veniat. Deinde, quamvis Judæi sint dispersi multumque confusi, adhuc tamen diligenter observant suarum tribuum distinctiones, licèt eo subinde falli non sit negandum. Denique, ut non est infrequens quosdam nobilibus familiis se inserere qui de illis originem non trahunt; ita credibile est Antichristum palam se jactaturum de tribu Juda oriundum, etiamsi de illa non sit. De Antichristo.

His ita suppositis, facilè est de Antichristo interpretari verba sancti Patriarchæ. Antichristus enim judicabit populum suum, quia habiturus est imperium (licèt tyrannicum) in populum Judæorum, eosque tamquam verus Messias Christique Domini adversarius sibi conciliabit, ac verificabitur illud Joan. 5. *Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*. Erit etiam sicut coluber in via, quia fallacia lubricus, eos qui latam viam quæ ad perditionem ducit, incedunt, voluptatibus, blanditiis, honoribus ad se alliciet ac decipiet: & sicut

cut cerastes in semita, quoniam eos qui arctioris & continentioris vitæ sunt, cornibus impetet, hoc est, vi & potestate opprimere satagit. Mordebit ungulas sive extremitatem equi, hoc est, mundi qui per equum significatur tamquam per animal superbum & ambitiosum, ut ascensor ejus cadat retro, id est, ut homines mundani turpiter & periculosè cadant.

[ ℣. 18. *Salutare tuum expectabo Domine*. ] In Heb. pro salutare tuum, legitur *salutem tuam*, hoc est salutem quam Salvator; nimirum Messias, est allaturus, ipsumque Salvatorem expectabo. Apud 70. sic habetur, *Salutem expectans Domini*, & subaudiri debet, sum, ne quis hoc putet referendum esse ad Samsonem vel ad Antichristum, cùm ex Hebræis latinisque libris, atque etiam ex patribus constet referendum esse ad Jacob.

Sed qua occasione in ejusmodi vocem eruperit, & quomodo illa connectatur cum præcedentibus, non facilè est explicare. Dici potest quòd cum Jacob de potestate judiciali Dan, deque ejus validitate qua hostes superaturus & suum populum vindicaturus erat, verba fecisset, considerans quòd ejusmodi liberatio non diuturna esset futura, ad Deum se convertit; quasi diceret: Non is qui ex Dan veniet, nos populumque tuum veraciter liberabit: Sed expectabo Domine, Salvatorem quem missurus es, & qui veram æternamque salutem nobis daturus est, nimirum Messiam.

Quatenus verò ad Antichristum referuntur præcedentia, etiam quadrat ista exoptatio. Prævidens enim Jacob adventum Antichristi, & quòd ipse serpentina calliditate plurimos esset decepturus, ac à Judæis tamquam Messias suscipiendus, se à tanta perfidia profitetur alienum, dicens: Ego autem Domine nolo illum suscipere, sed salutare tuum expectabo, Christum scil. qui circa finem mundi Antichristum interficiet, veramque salutem dabit reliquiis populi tui. Hinc Gregorius dicto cap. 18. *Quia Judæa erroris sui laqueis capta, pro Christo Antichristum expectat, benè Jacob repentè in electorum voce conversus est dicens: Salutare tuum expectabo Domine, id est, non sicut infideles, Antichristum, sed eum qui in redemptionem nostram venturus est, verum credendo*, sive ut est apud Rupertum, *credo fideliter Christum*.

[ ℣. 19. *Gad accinctus præliabitur ante eum*: ] Illud, *eum*, refert popolum Israeliticum, de quo versu 26. Quoniam verò Gad accinctum significat, egregia est allusio, quasi diceretur, Gad juxta nomen suum accinctus erit, & bellicosus, armatusque populum reliquum antecedet in prælio. Quod fecisse tribum Gad cum tribu Ruben & cum media tribu Manasse, ut cæteras tribus duceret in possessionem terræ promissionis, ex Num. 31. & Josue 1. constat.

[ *Et ipse accingetur retrorsum*. ] Hoc est, retrogradiendo, sive ad sua redeundo etiam accinctus & armatus erit, variisque spoliis onustus: Id quod accidisse postquam annis quatuordecim occupati fuissent Gaditæ in conquirendis sortibus aliarum tribuum, illisque pacem habentibus ad propria redirent, ex Josue 22. patet. Quamvis autem hæc communia sint tribui Gad cum tribu Ruben, & dimidia Manasse; peculiariter tamen dicuntur de Gad, & non de illis: partim quia propter incestum Ruben, Jacob noluit ei fausta prædicere, sed quæ vituperium pœnamque habebant: Manasse autem non erat nisi dimidia tribus, cujus etiam integræ hic non meminit Jacob sed Joseph patris ejus: partim quia tribus Gad in bellica fortitudine excelluit, quemadmodum Deut. 33. significatur. Ex Hebræo aliter alii vertunt. Septuaginta, *Gad, tentatio tentabit eum, & ipse tentabit eum secus pede*. Hieronymus in qq. Heb. *Gad latrunculus latrocinabitur eum, & ipse latrocinabitur plantam*. Arias, *Gad exercitus superabit* (seu potius, ut Oleaster, *exercitabit*) *eum, & ipse superabit tandem*. Quarum omnium lectionum idem sensus esse potest quem Vatablus attulit, nimirùm quòd tribum Gad latrunculus sive adversarium exercitus infestabit, tandem verò Gaditæ sint eos superaturi, sicut 1. Paralipp. 5. contigit circa Agaræos.

*Cur ista peculiariter dicantur de Gad.*

Observandum tamen quod S. Hieronymus ibidem ait. *Ubi nos latrunculum posuimus, ibi scriptum est Gedud, ut ad Gad nomen alluderet qui significantius accinctus sive expeditus exprimi potest*; exponitque deinde juxta sensum primò allatum, nostræ editioni vulgatæ conformiter.

Allegoricè per Gad significatur Ecclesia, ejusque filii, qui ut cum hostibus suis sive visibilibus sive invisibilibus pugnent, semper accincti esse debent, ut finaliter victoriam obtineant.

[ ℣. 20. *Aser pinguis panis ejus*. ] Subaudi, erit. Et prædicitur quòd sors Aser futura esset ferax optimi frumenti, aliarumque rerum ad victum pertinentium. Nam hæ nomine panis comprehenduntur. Vox Hebræa pro qua nos habemus, pinguis, propriè significat olei pinguedinem, ideòque non tantùm frumenti bonitas & copia, sed olei quoque abundantia significatur, quo & panis & alius cibus delibutus esse possit. Unde Moyses Deut. 33. de Aser dicit. *Tingat in oleo pedem suum*: hoc est, tanta olei ubertate potiatur, ut pedes suos possit oleo si opus foret, abluere.

[ *Et præbebit delicias regibus*. ] Quia & cibos optimos præbebit, & tantam olei abundantiam, ut pretiosa regaliaque unguenta inde conficiantur. Moris enim fuisse regibus ac nobilibus tum in signum lætitiæ, tum ad delicias, oleo & unguentis uti, doceri potest, ex Ruth. 3. vers. 3. ex 2. Reg. 14. vers. 2. ex 4. Reg. 4. v. 4. ex Judith. 16. vers. 10. ex Esther 2. v. 12. & aliundè. Hinc Matth. 6. ut qui jejunat, ostentationem vitet, ac lætitiam præ se ferat potius quàm tristitiam, ei dicitur, *ut ungat caput suum*.

Per Aser, Christus figuratur, cujus panis est pinguis & præbet delicias spirituales regibus seu iis qui se suosque appetitus regere student; quia sub specie panis dat nobis in Eucharistia seipsum, qui est panis vivus & quem qui manducat, vivet in æternum, Joan. 6. Ad Eucharistiam prædicta verba applicat B. Thomas in officio Venerabilis Sacramenti.

[ ℣. 21. *Nephtali, cervus emissus*, ] rectè subintelligitur nota similitudinis, quasi diceretur, Nephtali est sicut cervus emissus. Quemadmodum enim cervus è canum dentibus & ex venatorum insecutione elapsus, insperatam salutem libertatemque adeptus exilit, & citato cursu fossas ac dumeta pertransit; ita Nephtali seu Barac Nephtalites in hostium cuneos celeriter ac fidenter irruit, Judic. 4. juxta illud cap. 5. *Qui quasi in præceps ac barathrum se discrimini dedit*. Paratur autem cervo potius quàm leoni, quia initio aliquid timiditatis præ se tulit, dicens ad Deboram illo cap. 4. *Si venis mecum, vadam: si nolueris venire mecum, non pergam*. Neque refert in Hebræo haberi cervam; tum quia vocabulum Hebræum & cervum & cervam significat; tum quia sexus discretio nihil ad rem præsentem facit. Non refert etiam quòd istius victoriæ quæ Judic. 4. describitur, laus non videatur ascribenda tribui Nephtali, sed soli Barac; imò ne illi quidem præ aliis, quandoquidem cap. 4. & 5. dicatur quòd Zabulon & Issachar cum ipso ad prælium iverint. Rectè enim laus illa ascribitur tribui Nephtali, sicut tribui Dan ascribuntur Encomia Samsonis: quia laus civium præsertim primariorum redundare solet in laudem patriæ; & laus unius magni in laudem familiæ. Præ aliis autem tribubus laus illa tribuitur Barac, quia ipse fuit caput belli & dux totius exercitus.

*De Barac Nephtalite.*

[ *Et dans eloquia pulchritudinis*. ] Seu pulchra; id quod contigit, quando Barac cum Debora pulcherrimum canticum in gratiarum actionem cecinit quod habetur Judic. 5. Sunt qui aliter explicent verba hujus prophetiæ; per [illegible] volentes significarum, quòd Nephtali propter optimam suæ sortis terram maximèque fertilem, instar cervi è cavea lapsi jucundè esset exiliturus, ac præ aliis habiturus fruges celeriter maturescentes, sicut cervus emissus celeriter currit. Daturus quoque eloquia pulchritudinis, quia futurus facundus, comis, & humanus, qui aliorum animos facilè sibi conciliaret sua comitate. Quia tamen de hujus tribus magna præ reliquis fertilitate, deque celeriori frugum ejus maturitate non constat, uti nec de singulari hominum illius comitate; prior expositio præferenda est, cùm id contineat quod certum est accidisse, quamvis posteriorem non rejiciamus.

Pro cervus emissus, Alii vertunt, *ager irriguus*:

Qui-

Quidam, *vitis remissa*; 70. *virgultum resolutum*. Quæ varietas unde contigerit, non habetur compertum: Voces enim Hebrææ cervum emissum significant, sicut habet nostra versio.

Allegoricè per Nephtali Christus significari potest, qui tamquam cervus emissus Matth. 4. & Lucæ 4. prosilit celeriterque perrupit castra diaboli ad Evangelium prædicandum in finibus Zabulon & Nephtali, ibique dedit eloquia pulchritudinis.

Joseph quomodo accreverit.

[ ℣. 22. *Filius accrescens Joseph, filius accrescens & decorus aspectu :* ] In verbo accrescendi allusio est ad nomen Joseph quod significat additamentum vel augmentum. Accrescens autem dicitur, & quidem cum geminatione, tum quia parentibus fuit additus tamquam notabile incrementum familiæ; tum quia mirum in modum ipse crevit factus princeps Ægypti, tum denique, quia factus est caput duarum tribuum, Ephraim & Manasse. Pro *decorus aspectu*, ex Hebræo vertunt alii, *super fontem:* ut sensus sit, Josephum ita feliciter crescere sicut arbor benè plantata juxta fontem. Alii, *super oculum*, quia vox Hebræa & oculum significat, sensusque esse potest, quòd Joseph esset crescens super oculos intuentium, sive sic ut intuentium oculos, animosque caperet, hoc autem est esse decorum aspectu.

[ *Filiæ discurrerunt super murum.* ] Sermo est de puellis Ægypti, quæ ut tam formosum juvenem cultu regio augustum viderent, muros & alia domorum & urbis loca edita cito gressu petierunt. Septuaginta habent, *filius meus adolescentior ad me revertere*. Sed oportet eos aliter legisse in Hebræo, si textus illorum sit incorruptus: quamvis enim intelligi possit indicatum, quòd Jacob tandem aspectu Josephi sit potitus, & eum quem existimaverat esse mortuum, viderit: nostra tamen versio Hebræis codicibus conformior est.

[ ℣. 23. *Sed exasperaverunt eum, & jurgati sunt, inviderunt que illi habentes jacula.* ] Quantumvis Joseph esset decorus aspectu & amabilis, fratres tamen ejus ipsum exasperaverunt, verbis duris animam ejus replentes amaritudine. Ut enim cap. 37. habetur, *oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui*. Insuper jurgati sunt dicentes eodem cap. *Numquid rex noster eris, aut subjiciemur ditioni tuæ?* Invideruntque quemadmodum ibidem expressè dicitur: Pro, *habentes jacula*, in Hebr. est, *Domini sagittarum*, sed est Hebraismus quo Dominus rei alicujus dicitur is qui in ea excellit: ut proinde domini sagittarum, idem valeat quòd periti sagittarii. Quid per sagittas & jacula significetur, ambigitur. Verisimile est ea omnia intelligi quibus tamquam armis Josephum impetierunt & oppugnaverunt fratres, ut sunt convicia, contumeliæ, calumniæ, juxta illud Psalm. 54. *Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula:* Et Psalm. 56. *Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ: & lingua eorum, gladius acutus.* Simul autem comprehendi gladios aut alia instrumenta offensiva, probabile facit quòd cogitaverint eum occidere.

[ ℣. 24. *Sedit in forti arcus ejus,* ] per arcum significatur robur & præsidium Josephi; & sensus est, quòd ejus fortitudo fundata & innixa fuit in Deo, cujus epitheton est fortis, secundùm quod Psalm. 41. dicitur. *Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum:* & cap. 15. Exodi, *Quis similis tui in fortibus Domine?* Atque hinc factum, quòd Joseph nullis rebus succubuit. Sapientia enim *eum venditum non dereliquit, sed à peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni.* &c. Sap. 10. Septuaginta ad fratres Josephi hæc referunt, ita habentes, *& contriti sunt cum potentia arcus eorum.* Sed hoc non est ex Hebræo prout nunc extat, quamvis ex nostra versione sit consequens. Si enim Joseph in Deo confisus, per ejus auxilium non succubuit fratrum suorum calumniis & machinationibus, sequitur eorum arcus fuisse contritos.

[ *Et dissoluta sunt vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis Jacob:* ] Hoc est, vincula quæ brachiis ac manibus ejus in carcere constituti, injecta erant, soluta fuerunt per vires & auxilium Dei. Potens enim Jacob, est Deus potens quem Jacob veneratur & colit In Hebr. legitur, *Roboraverunt se brachia manuum ejus*. Quæ verba eumdem cum nostris sensum habent: Qui enim vinculis exolvitur, evadit robustior.

[ *Inde pastor egressus est lapis Israel.* ] In Hebr. sic; *Inde pastor lapis Israel*. Ubi illud, *egressus est*, non exprimitur, subintelligitur tamen Inde, id est, ex vinculis divina ope solutis, Joseph factus est princeps ac prorex qui Ægyptum pasceret, ac etiam factus est lapis Israel, hoc est, firmamentum & fulcimentum Israelis, qui nimirum & Israelem & ejus filios totamque progeniem in terra Ægypti sustentaret ac fulciret. Unde Ecclesiastici 49. vocatur *princeps fratrum; firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi*.

Allegoricè per Joseph figurabatur Christus, qui in gloria & exaltatione nominis sui mirabiliter crevit secundùm quod Joan. 3. de eo scriptum est, *Illum oportet crescere;* conformiter ei quod Daniel. 2. lapis de monte sine manibus abscissus dicitur factus esse mons magnus & implevisse universam terram. Qui etiam ita fuit decorus aspectu, ut Psalm. 44. prædicetur *speciosus forma præ filiis hominum*; cujus diem ut videret Abraham, *exultavit, & vidit & gavisus est*, Joan. 8. Quem etiam omnes justi veteris testamenti videre desideraverunt, adeò ut in officio nativitatis Domini canat Ecclesia, quòd *ejus vultum desiderat universa terra*. Justorum quoque mentes discurrerunt super muros sapientiæ, quando alis fidei & spei se extulerunt super omnem. Etsi autem talis tamque desiderabilis esset Christus, fratres tamen ejus Judæi calumniis & contumeliis eum impetiverunt, clamaveruntque, Tolle, crucifige eum. At tota ipsius fortitudo fuit in Deo per quem mortis vincula sunt soluta, & victor mortis resurrexit, factusque est summus pastor & totius Ecclesiæ lapis fundamentalis. De Christo.

[ ℣. 25. *Deus patris tui erit adjutor tuus,* ] hoc est, Deus quem colo (de se enim in tertia persona loquitur Jacob) & qui me per omnia direxit, te quoque diriget ac juvabit:

[ *Et omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli desuper,* ] dabit tibi de cœlo pluviam opportunam, & rorem; ac nivem temporibus suis, benignumque solis & reliquorum cœlestium corporum influxum, quibus terra fœcundetur, & frugum abundantiam fetat.

[ *Benedictionibus abyssi jacentis deorsum,* ] abyssus est magna aquarum profunditas, quæ sub terra latet, terramque irrigat ac fœcundat per suas venas & rivos. Unde benedictiones abyssi sunt opportunæ irrigationes aquarum quæ sunt sub terra, ut illa benè fructificet.

[ *Benedictionibus uberum & vulvæ.* ] Ut habeas copiosam sobolem; tum brutorum animalium tum hominum qui ex te originem ducent; quoniam vulva generationem denotat, ubera nutritionem, & benedictio copiam ac bonitatem.

Allegoricè designatur Christus, cujus ita Pater æternus fuit adjutor, ut ipse Joan. 8. dicat: *Qui me misit mecum est, & non reliquit me solum.* Qui etiam habuit benedictiones cœli desuper & abyssi deorsum: partim quia ab initio incarnationis fuit plenus gratia & gloria; partim quia & Angeli nascentem eum glorificaverunt Lucæ 2. & sancti patres in limbo laudarunt, Zach. 9. Benedictiones quoque uberum & vulvæ, quia plurimos ei parit Ecclesia filios Isa. 60. & alibi; quos Sacramentorum usu mirificè pascit.

[ ℣. 26. *Benedictiones Patris tui confortatæ sunt Benedictionibus patrum ejus:* ] Pro confortatæ sunt, in Heb. sonat, *prævaluerunt*, aut fortiores fuerunt: unde apparet sententiam comparativè esse intelligendam. Sensus autem variè potest reddi. Uno Benedictiones seu beneficia quæ ego pater tuus à Deo accepi, majora fuerunt illis quæ ipsi ab eo acceperunt, nec ea Deus implere cessabit donec veniat desiderium collium æternorum, optoque ut in te veniant. Ita ferè Liranus & Abulensis, qui explicant beneficia Jacobo collata fuisse majora quantum ad explicationem, eò quòd plura fuerint de Christo clarius ei explicata quàm ejus patribus. Alio modo, Benedictiones quas tibi imper-

pertior, majores sunt illis quas patres mei sunt mihi impertiti; quia scil. cum Jacob à patre suo benediceretur supra cap. 27. non legitur expressè benedictus fuisse de multiplicatione propagationis hominum & aliorum animalium, nec de bona nutritione eorum, sicut Jacob hic benedicit Josephum, sed tantùm apprecando ei quæ ad abundantiam frumenti & vini pertinent. Ita Burgensis additione 9. ad Liranum. Et hic sensus ut simplicior, ita videtur germanior.

[ *Donec veniret desiderium collium æternorum:* ]Hoc est, implendæ vel quæ implebuntur donec veniat Messias qui per desiderium collium æternorum intelligitur. In Hebr. non habetur, *donec veniret*, sed, *usque ad*. Et potest dici quòd in nostro textu sit enallage modi. Colles æterni, sive ut alii ex Heb. reddunt, colles seculi rectè intelliguntur colles ita duri & lapidosi ut videantur posse durare usque ad finem mundi & longè amplius. Istorum collium desiderium erat Christus; partim quia eum velut totius universi reparatorem appetitu naturali desiderabant; partim quia eum affectuosissimè desiderassent si essent ratione præditi: & scivissent quantum bonum erat allaturus, secundùm ea quæ notavimus ad v. 10.

Allegoricè colles æterni sunt patriarchæ, prophetæ, & sancti illustriores qui animi celsitudine ac sanctitate cæteris eminent sicut colles eminent vallibus, sicque eminebunt in perpetuas æternitates. Qui quàm avidè Messiam desideraverint, liquet tum ex hoc cap. ubi Jacob ait, *Salutare tuum expectabo Domine*: tum ex Psalm. 84. ubi David sic orat: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis*: tum ex Isai. 16. clamantis, *Emitte agnum Domine dominatorem terræ*; & ex cap. 45. *Rorate cæli desuper & nubes pluant justum: Aperiatur terra, & germinet Salvatorem*, & alibi.

[ *Fiant in capite Joseph*, ] Quasi diceret, benedictiones illæ quas nunc dixi, fiant in capite Joseph, hoc est, adveniant Josepho, in eoque firmiter quiescant, & compleantur. Verbum enim, *fiant*, pendet à voce benedictiones, quæ præcessit; ita ut totius sententiæ iste sensus reddi possit: Benedictiones patris tui quæ confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, & quæ implendæ sunt donec veniat desiderium collium æternorum, fiant in capite Joseph.

Quid hic Nazaræus.

[ *Et in vertice Nazaræi inter fratres suos*. ] Idem aliis verbis repetit. Nazaræus enim de quo loquitur, ad literam est Joseph; qui dicitur inter fratres suos Nazaræus; sive ut alii ex Hebr. vertunt, fratrum suorum Nazaræus, hoc est, separatus; quia sicut olim Nazaræi dicebantur qui erant peculiariter Deo consecrati, & ob id tamquam sanctiores à vulgo separati; ita Joseph præ fratribus suis sanctus fuit, & ab illis seu à pravis illorum moribus separatus: primùm quidem in domo paterna, ubi *fratres oderant eum nec poterant ei quidquam pacificè loqui*; Deinde in Ægypto, ubi non moribus tantùm, sed etiam loco fuit ab illis separatus. Pro Nazaræi, quidam vertunt coronati, eò quòd vox Hebræa & separationem seu consecrationem significet, & diadema seu coronam, & alludi putant vel ad Josephi dignitatem proregiam, vel ad regalem dignitatem quam habuit tribus Ephraim.

Allegoricè etiam hic figuratur Christus qui fuit verus Nazaræus, utpotè *segregatus à peccatoribus*, ad Hebr. 7. sanctus & Deo consecratus, Lucæ 1. & ad Heb. 5.

[ ℣. 27. *Benjamin lupus rapax, manè comedet prædam, & vespere dividet spolia*. ] Hebræi ista interpretantur de templo Jerosolymitano, quod futurum esset in sorte Benjamin, voluntque per lupum rapacem designari altare holocausti propter animalia quæ illic tamquam prædæ quotidie occidebantur, & manè immolabantur, & quorum partes vespere dividebantur. At huic interpretationi obstat in primis, quòd etsi templum fuerit in sorte Benjamin, Benjamitis tamen nulla templi cura incumbebat, neque ipsi hostias occidebant, vel partes earum dividebant, sed sacerdotes de tribu Levi. Deinde quòd & altare valdè indecenter vocetur lupus rapax qui sonat in malum, & indecentius sacræ hostiæ tum à Deo præscriptæ tum spontè oblatæ insigniantur nomine prædæ & spoliorum. Denique quòd in isto altari non tantùm offerebatur manè sacrificium, sed etiam vesperi ut ex Psalm. 140. patet, quòdque de sacrificio vespertino sacerdotes nullam haberent partem cum illud esset holocaustum, Numer. 28.

Duæ sunt aliæ expositiones probabiliores. Una, ut Benjamin intelligatur esse sicut lupus rapax, quia Benjamitæ futuri erant feroces & bellicosi, sicut apparet ex præliis Judic. 20. relatis; & prædationibus dediti, ut Judic. 21. patet, ac prædas ex hostibus devictis reportaturi, posteaque divisuri.

De Paulo Apostolo.

Alia, eaque expeditissima & probabilissima, ut hæc dicantur ad Benjamin propter Apostolum Paulum qui de tribu Benjamin erat nasciturus; & accipiendo manè & vespere, pro prius & posterius seu ante & post, significetur quòd ille Benjamita futurus esset ferox & sævus instar lupi rapacis, quòdque prius, id est ante suam conversionem prædas hostiliter caperet, quemadmodum fecit Apostolus cum adhuc esset Saulus & persequeretur Ecclesiam, raperetque & in carcerem mitteret eos qui confitebantur Christum Act. 9. & 26. Vespere autem, hoc est, postea, seu post suam conversionem divideret spolia, escas nimirum doctrinæ Evangelicæ & sententias legis ac prophetarum quas à Judæis acceperat, interpretando de Christo; & de potestate diaboli eripiendo eos quos Ecclesiæ aggregabat. Confirmatur, Hujus prophetiæ singula aptissimè in Apostolum Paulum competunt, & non est cur minus putemus hic de ipso prophetasse Jacobum, quam in præcedentibus de Samsone & Barac: ergo rectè, ut diximus intelligitur. Ita sentiunt Ambrosius de benedict. Patriarch. cap. 12. Hieronymus in qq. Hebr. Augustinus serm. 14. de sanctis, aliique veteres.

[ ℣. 28. *Omnes hi in tribubus Israel duodecim*: ] In Hebr. Omnes istæ tribus Israel duodecim, & subauditur, sunt q. d. Ab his duodecim filiis Jacob derivatæ ac denominatæ sunt duodecim tribus Israel. Quibus verbis indicatur vaticinia prædicta non solùm pertinere ad personas filiorum Jacob, sed extendi ad tribus quarum singuli ipsorum fuere capita.

Quomodo Jacob benedixerit singulis suis filiis.

[ *Benedixitque singulis, benedictionibus propriis*. ] Hoc est, unicuique convenientibus & accommodatis. Sed difficultas est propter Ruben, Simeon, & Levi quibus Jacob potius videtur maledixisse. Quæ tamen duobus modis solvi potest. Primò, si dicamus quòd post vaticinia jam explicata; Jacob de novo suis filiis benedixerit, cuique eorum apprecando bona eventura ipsis convenientia. Ita Liranus, Abulensis, Pererius, Delrio, & Marzilla. Secundò, si benedictiones de quibus hic sermo est, referamus ad ea quæ toto hoc cap. præcedunt, & quæ revera singulis filiorum Jacob sunt propria, continentque ipsorum benedictiones. Castigatio enim & objurgatio Ruben; Simeonis, & Levi quatenus erat paterna correptio, humiliationem, & salutem, quædam erat benedictio, eaque ipsis conveniens. Hæc est interpretatio Cajetani, Dionysii Carthus. Cornelii à Lapide, & quorumdam aliorum. Quæ confirmari potest; partim ex eo quòd alteri benefacere cum desiderio fructus ejus spiritualis, est quoddam benedicere; talis autem fuit paterna correptio Jacobi erga tres prædictos; partim, quia tota ista sententia, *Hæc locutus est eis pater suus benedixitque singulis benedictionibus propriis*, magis videtur referenda esse ad ea quæ in textu præcedunt (quomodo etiam refert Chrysostomus) quàm ad aliqua quorum scriptura non meminit; partim denique quoniam non apparet ratio ob quam Moyses prætermisisset benedictiones proprias si quæ aliæ fuissent, potius quàm prædictiones & benedictiones superius explicatas.

Allegoricè observa indifferenter benedici & hæredes terræ promissionis institui filios ancillarum cum filiis liberarum; quia hæc terra erat figura supernæ terræ viventium, in quam ingrediuntur omnes filii Dei, non habita distinctione nobilis & ignobilis, liberi & servi.

[ ℣. 29. *Et præcepit eis, dicens: ego congregor ad populum meum: sepelite me cum patribus meis*. ] de

hac

hac sepultura sua Jacob cap. 47. Josephum obsecravit, tum quia ipse erat princeps; tum quia ipsius authoritate & liberalitate exequendum erat hoc ejus desiderium; cæteris nunc præcipit, partim ne aliqua per eos fieret tergiversatio; partim quia plus habebat in eos potestatis, cum & privatæ essent personæ & semper cum illo vixissent ac ab eo dependissent. Cur autem de ista re tam esset sollicitus, vide ad dicti cap. 47. vers. 29. & 30. Quid sit congregari ad populum suum diximus cap. 25. v. 8.

[ *In spelunca duplici* ] de qua superius cap. 25. dictum est.

[ ℣. 31. *Ibi sepelierunt eum* ] Abrahamum scil. quem Hebræa & Græca exprimunt. Sepelientes autem fuisse Isaac & Ismaelem ex c. 25. liquet.

[ *Et Saram uxorem ejus:* ] Quam ibi sepelivit ipse Abraham cap. 23. uti Isaac Rebeccam, & Isaacum Esau & Jacob.

[ *Ibi & Lia condita jacet.* ] Hebr. Et ibi sepelivi Liam. Hinc patet falli eos qui volunt quòd Lia fuerit in Ægypto mortua, corpus autem ejus postea cum mariti corpore translatum in Chanaan: In terra namque Chanaan mortua ibique à Jacob sepulta est antequam descenderet in Ægyptum:

[ ℣. 32. *Finitisque mandatis quibus filios instruebat,* ] nimirùm de pietate ac veri Dei cultu retinendo, de fugienda Ægyptiorum idololatria, de mutua pace & concordia servanda, & de corporis sui sepultura. Ex his monendi parentes ut non solùm quando sani sunt, sed & dum morti proximi filiis suis benedicant & eos ad pacem ac concordiam hortentur salutaribusque monitis instruant ad piè ac sanctè vivendum in gremio sanctæ matris Ecclesiæ.

[ *Collegit pedes suos super lectulum,* ] hinc sequitur quòd super lectum sedens pedibus extra cum dependentibus præcedentia sit locutus, in honorem videlicet Dei cujus ministerium hic gerebat, & cujus verbum stantes vel sedentes annunciare solent; sermone autem finito pedes suos levavit, & super lectulum collegit ac extendit.

[ *Et obiit:* ] 70. Defecit, aut elanguit, cujusmodi phrasi solent uti ad significandam mortem placidam, qualis contingit iis quibus præ senio vires deficiunt. Obiit autem Jacob centum quadraginta septem annos natus. Ut cap. 47. dicitur.

[ *Appositusque est ad populum suum.* ] Seu ad consortium sanctorum prædecessorum, quoad animam scilicet transitos ad limbum patrum.

## CAPUT L.

*Joseph cum fratribus & Ægyptiis plangit patrem mortuum. Eum deinde effert, ac in Chanaan sepelit. Fratres pavidos consolatur. Et ubi mandasset de suis ossibus in terram promissam asportandis, moritur.*

[ ℣. 1. **Q***Uod cernens Joseph, ruit super faciem patris flens & deosculans eum,* ] Joseph filialis sincerique amoris erga patrem affectu permotus flet, ac eum jam mortuum deosculatur, impletque id quod Deus cap. 46. dixerat Jacobo: *Joseph quoque ponet manus suas super oculos tuos.* Ex his patet quòd fletus ac luctus mortui, quando ex intimo corde procedit & intra metas rationis continetur, sit laudabilis; neque enim sine causa hic eum scriptura expressit, sed ad laudem Josephi. Neque refert quòd naturalis & humanus affectus eum exprimat: Nam & ratio eumdem causare potest, non tantùm quatenus ipsa naturaliter movetur, sed etiam quatenus rationaliter, nempè prout considerat bonitatem & amabilitatem ejus qui morte est sublatus, incommodaque & detrimenta quæ ex illius morte eveniunt.

Fletus mortui ut sit laudabilis.

[ ℣. 2. *Præcepitque servis suis medicis* ] Septuaginta quos sequitur Augustinus in locutionibus super Genesim, non dicunt medicis, sed sepultoribus: quoniam tamen non intelliguntur sepultores illi qui corpora mortuorum in terra sepeliunt seu terræ mandant; sed qui ad talem sepulturam ea præparant vel condiendo vel siccando, vel involvendo & alligando, quemadmodum illic interpretatur idem Augustinus: Ideo noster interpres optimè reddidit medicis, id quod vox Hebræa significat. Neque refert medicorum esse incumbere sanitati conservandæ vel restituendæ: Ad eosdem enim etiam pertinet vel aromatibus mortuorum corpora condire si simul sint chirurgi; vel condientibus præesse, modum rationemque condiendi, ac aromata ipsa præscribere, si tantùm sint medici. Hoc autem loco Vox, *medici*, latè accipitur prout & chirurgos & medicos propriè dictos comprehendit.

[ *Ut aromatibus condiret patrem.* ] Septuaginta, ut sepelirent patrem, id est, ut eum curarent ac condirent, quod ex Hebr. verti potest, ut balsamarent; seu balsamo aliisque unguentis pretiosis condirent. Primus hic est, cujus mortui corpus legitur in scriptura conditum aromatibus. Habuit autem Joseph justam ejus rei faciendæ causam. Una est, quia ut corpus Jacob asservaretur sepulturæ ab eo præscriptæ, & ad terram Chanaan deportaretur sepeliendum in Hebron, necesse erat illud ita condire, cùm aliter à corruptione & fœtore nequivisset servari. Altera, quia volebat se conformare mori Ægyptiorum inter quos vivebat & quibus dudum assueverat, expediebatque quòd ita faceret ut illorum morem servans gratior eis esset, faciliusque obtineret paterni corporis translationem. Neque refert Ægyptios mortuorum corpora condire solitos, ut superstitiosè illa servarent mensisque adhiberent: Nihilominus enim ea condire est secundùm se licitum, modò & causa subsit, & nihil admisceatur ad superstitionem aut aliam vanitatem spectans, sicut Josephus nihil ejusmodi admiscuit, imò ad bonam significationem totum illud opus convertit, ad signum videlicet incorruptionis animarum, resurrectionisque corporum. Cujus fidei protestatio causa est, cur & hodie apud christianos honorificè tractentur corpora fidelium defunctorum, & olim apud Judæos aromatibus condirentur; quod & circa Christi Domini corpus factum legimus Joan. 19. cum ista clausula, *sicut mos est Judæis sepelire.* Cæterum si vel sine causa, vel cum superstitione aut excessu, vel ex ambitione corpora mortuorum condiantur, vitio non caret, quemadmodum circa corpus regis Asa factum est 2. Parali. 16. Observandum interim felicem esse illam animam, quæ virtutum aromatibus condita, in loculo licèt corporis existens, æternæ vitæ reservatur.

Cur Joseph aromatibus condiri voluit corpus Jacob.

[ ℣. 3. *Quibus jussa explentibus, transierunt quadraginta dies: iste quippe mos erat cadaverum conditorum.* ] Sermo est de more apud Ægyptios usitato qui dies quadraginta impendebant in corporibus mortuorum siccandis, condiendis, & curandis. Totidem verò dies impendi voluit Joseph in corpus paternum; partim ne minori quàm deceat affectu videretur patrem prosecutus, partim ne offenderet Ægyptios si morem eorum qui malus non erat, violasset.

[ *Flevitque eum Ægyptus septuaginta diebus.* ] Additis nimirum triginta diebus, supra quadraginta jam memoratos; qui sic impensi fuerant in curando & condiendo corpore ut simul defleretur seu lugeretur defunctus; fletus tamen ad alios triginta dies extendebatur. Per fletum autem tot dierum non continuas lachrymas oportet intelligere, sed luctum & ceremonias funebres, cujusmodi sunt vestes lugubres & alia quæ tristitiam denotant.

[ ℣. 4. *Locutus est Joseph ad familiam Pharaonis: Si inveni gratiam in conspectu vestro, loquimini in auribus Pharaonis.* ] Quasi diceret, si vobis gratus sum, loquimini pro me ad Pharaonem. Humiliat se Joseph coram aulicis Pharaonis: eosque adhibet intercessores & suffragatores ut bona illius pace ac venia posset funus patris efferre, tum quòd absque regis consensu non liceret ei fines regni exire, propter principatum quem in Ægypto gerebat, quòd elatio corporis paterni extra Ægyptum, erat res quædam Ægyptiis odiosa, quæ nimirùm videri poterat continere contemptum terræ, imò & religionis ipsorum, nisi vera causa fuisset per amicos manifestata.

[ ℣. 5. *Eò quòd pater meus adjuraverit me,* ] Necessitatem in sua postulatione exponit Joseph, quòd pa-

pater ipsum adjuraverit, hoc est, juramento obstrinxerit, per hoc sufficienter indicans non esse sui arbitrii eligere sepulturam patri, & eum sepelire in Ægypto propter fidem jurisjurandi qua per patrem adjuratus se ei obstrinxerat cap. 47. sub fin.

[ *In sepulchro meo quod fodi mihi in terra Chanaan, sepelies me.* ] Valet quoque hæc allegatio ad tollendam offensam, ad ostendendum scilicet quòd non recenter cepetit Jacob ejus esse voluntatis ut sepeliretur in Chanaan, seò à tempore quo adhuc in ea degebat, quandoquidem ibi sepulchrum sibi fodetit. Fodere interdum pro emere sumitur, ut Deut. 2. vers. 6. ubi quod in Hebr. legitur, *aquas fodietis ab eis in argente, & bibetis*; noster textus habet, *aquam emptam haurietis & bibetis*; atque in hunc sensum quidam interpretantur ista verba Jacob, *quod fodi mihi*, intelligentes quòd speluncam duplicem quæ erat in agro Ephron Hethæi (de hac quippe esse sermonem constat ex cap. 49. vers. 29.) Jacob dicat se emisse, vel quia Abraham cujus ipse erat hæres, illam emerat cap. 23. vel quia orta super ejus possessionem controversia per Hethæos aut Esau, Jacob secundò eam emerit seu redemerit. Sed nihil est, quod ad hanc interpretationem cogat, eum optimè verificari possit quòd in spelunca duplici quam emit Abraham, Jacob sibi fodetit sepulchrum, quatenus illic vel per se vel per suos terram eruis, fossamque fecit, ac ita sepulchrum paravit. Spelunca enim illa erat lata & ampla ad plures sepeliendos, non tamen effossa erant sepulchra singulorum sed pro illorum varietate varia oportebat fodi; Jacob autem suum ibi fodetat ac paraverat, cùm adhuc esset in terra Chanaan, quemadmodum indicat August. quæst. 170. in Genes. quem sequuntur Marius, Marzilla, & Cornelius. Neque refert non inveniri scriptum quando id fecerit; cùm non omnia debeant esse scripta, sufficiatque hic dici quòd fecerit.

[ *Ascendam igitur, & sepeliam patrem meum, ac revertar.* ] Quasi diceret. Rogare ut permittat me ascendere & patrem meum sepelire; quod cum fecero, statim in Ægyptum evertar. Hoc autem ideo addit, ne Pharao existimaret Josephum alias sedes cogitare.

[ ℣. 6. *Dixitque ei Pharao: Ascende, & sepeli patrem tuum* ] Quamvis ad Pharaonem missi essent aulici, verum tamen est quòd ipse hæc Josepho dixerit, sive quia sicut illi ex persona Josephi loquebantur regi, ita rex illis velut personam Josephi gerentibus: sive quia post Aulicorum cum rege colloquium, ipse quoque Joseph ad illum ingressus fuerit.

[ ℣. 7. *Quo ascendente, ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis,* ] hoc est, omnes senati, prudentes, & honorabiles qui erant de familia Pharaonis.

[ *Cunctique majores natu Terræ Ægypti:* ] Sive, qui in Ægypto grandioris erant ætatis pariter & nobilitatis. In eo quod dicitur, *omnes*, & *cuncti*, est hyperbole, perindeque valet ac valdè multi.

[ ℣. 8. *Domus Joseph cum fratribus suis,* ] hoc est, familia seu domestici Josephi, omnesque ejus fratres.

[ *Absque parvulis, & gregibus, atque armentis, quæ dereliquerant in terra Gessen.* ] Qua nimis grave ac inutile fuisset omnia ista ducere ac reducere. Cùm parvulis autem matres & ancillas remansisse; & cum pecoribus, eorum custodes ac pastores, quamvis scriptura non exprimat, res ipsa requirit.

[ ℣. 9. *Habuit quoque in comitatu currus & equites:* ] Qui partim honoris causa comitabantur, partim defensionis, si qui voluissent in Josephum aut in ejus familiam insurgere.

[ ℣. 10. *Veneruntque ad Aream Atad,* ] Ita legendum, *Atad*, ex Hebræo constat atque etiam ex melioribus codicibus latinis, non autem *Arad*. Significat autem Atad, rhamnum seu spinas grandiores quibus quoniam abundabat area vel campus ille, vocatus est Area Atad. De quo scribit Procopius quòd situs est locus ille ad tertium lapidem ab Hierichunte, & distat à Jordane duobus lapidibus seu duobus millibus passuum. Nunc nomen ei est Bethagia, id est, domus circuli: Nam cum ibi lugerent Jacob defunctum, in orbem circumstererunt & quasi corona circumdederunt cadaver. Sic & Hieronymus in locis Heb. & postea Adrichomius.

[ *Quæ sita est trans Jordanem:* ] Respectu eorum qui ex Ægypto proficiscuntur in Chanaan non recto itinere, sed per desertum per quod Israelitæ postea transierunt. Si quæratur cur non rectà iverint in Hebron, sed viam longiorem elegerint: Responderi potest cum Augustino quæst. 171. in Genes. id factum vel vitandorum hostium causa: vel ad significandum aliquod mysterium, nimirum quòd filii Jacob aliquando essent in terram sibi promissa ituri per eam viam.

[ *Ubi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi,* ] Ad exequias pertinebant, jejunium usque ad vesperam 1. Reg. ult. & 2. Reg. 1. fletus & planctus, Num. 20. virtutum defuncti commemoratio & laudatio cum voce lugubri, 2. Reg. 1. & 3. & alibi. Causa planctus jam renovandi erat quòd ingrederentur terram in qua funus ejus quem diligebant, erat sepeliendum, ideoque ab ipsorum oculis tollendum; sicut etiam nunc plangitur homo dum moritur, & novus dolor postea excitatur, quando terræ mandatur. Sed quare planctum hunc & exequias non fecerunt in Hebron circa tumulum, ut videri potest fuisse convenientius. Resp. rationem esse, vel quòd Chananæos metuerent, vel quòd nollent eos sua numerosa turba offendere aut sinistræ suspicionis occasionem dare.

[ *Impleverunt septem dies.* ] Commendat hunc numerum in luctum mortuorum B. Augustinus quæst. 172. tum ex scriptura Ecclesiastici 22. *Luctus mortui septem dies*; tum quia septenarius numerus propter sabbati Sacramentum præcipuè quietis indicium est, ideoque mortuis tamquam requiescentibus meritò exhibetur quasi expectantibus diem octavum qui est resurrectionis, id est, ipsam resurrectionem. Unde usque hodie inter Christianos dies septimus ad memoriam defunctorum observatur, sicut & dies trigesimus, ut quod in decalogum deliquerunt, Sanctæ Trinitatis commiseratione deleatur. Post curatum namque corpus Jacob, eum triginta diebus defleverunt, totidemque diebus defletus est Aaron Num. 20. & Moyses Deuteron. ult.

[ ℣. 12. *Fecerunt ergo filii Jacob sicut præceperat eis.* ] Notanda hoc capite est sollicitudo ac diligentia Josephi & fratrum ejus in adimplenda voluntate patris quantum ad ejus sepulturam, ut boni filii discant patrum suorum extremas voluntates sedulò adimplere.

[ ℣. 14. *Reversusque est Joseph in Ægyptum cum fratribus suis, & omni comitatu, sepulto patre.* Reversionis causa fuit, tum quòd ita spopondisset Joseph versu 5. tum quòd nondum advenisset tempus possidendi terram patribus promissam.

[ ℣. 15. *Quo mortuo, timentes fratres ejus,* ] Narrat Moyses post mortem & sepulturam Jacob, postque reversionem Josephi in Ægyptum, ejus fratres fuisse anxios ne de injuria sibi per eos illata vindictam sumeret. Quæ anxietas inde videri potest erorta quòd Josephum suo æstimarent ingenio; & quòd patris intuitu factum suspicarentur quòd ipso vivente Joseph fuisset eis benignus & placabilis: Timebantque propterea vindictam solùm fuisse dilatam, non culpam remissam. At nihil ejusmodi metuere debebant, si & innocentem vitam Josephi attendissent, & argumenta sinceri erga ipsos animi quæ toties fuerant experti. Sed in eis verificabatur illud quod Sap. 17. de nequitia dicitur: *Semper præsumit* sive suspicatur *sæva seu malà perturbata conscientia*, id est, per conscientiam, utpotè testem promeritæ condemnationis.

[ ℣. 16. *Mandaverunt ei dicentes: pater tuus præcepit nobis antequam moreretur.* ] *Mandaverunt*, hoc est, renunciaverunt vel submiserunt qui ex ipsorum nomine dicerent. Cùm enim vereundarentur ipsimet Josepho indicare, verisimile est quòd unum aut plures ad eum misetint, veluti Benjamin innoxium, & Judam ac Ruben qui pro eo fuerant sollicitri cap. 37. His non obstat apud 70. sic haberi, *Accedentes ad Joseph, dixerunt*: intelligi enim possunt accessisse per eos quos mise-

miserant; sicut cap. 8. Matth. Centurio dicitur accessisse ad Christum, scilicet per seniores quos Lucæ 7. legitur ad eum misisse.

[ ℣. 17. *Ut hæc tibi verbis illius diceremus*: ] Ista eos confinxisse verisimile est: Si enim Jacob de re illa fuisset sollicitus, ipsemet à Josepho plenam facinoris filiorum suorum veniam impetrasset priusquam moreretur.

[ *Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum*, ] Peccatum suum agnoscunt imò & aggravant, ita tamen ut rogent patris intuitu illud sibi ignosci. Nam, *ut obliviscaris*; idem est, ac ut non recorderis ad pœnam pro illo inferendam.

[ *Nos quoque oramus ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc.* ] Hæc est vera lectio, Hebræis Græcisque ac melioribus Latinis codicibus conformis; spuria autem ista, ut servo Dei patri tuo dimittas iniquitatem hanc: quamquam & hæc verificari possit, ita exponendo, ut propter servum Dei patrem tuum, sive ad mandatum & requisitionem ejus. 70. sic habent, *& nunc accipe iniquitatem servorum Dei patris tui*: sed accipe, illic idem valet quòd æquo animo accipe; ne indignè feras, quin potius ignosce ac remitte, ut interpretatur Augustinus in locutionibus super Genesim.

[ *Quibus auditis flevit Joseph.* ] Dolens fratres anxiari, nec fidere reconciliationi pridem factæ: qui quidem offendi poterat ista fratrum de se diffidentia; cùm plurima eaque certa & continuata exhibuisse eis argumenta perfectæ reconciliationis; sed afflictis & humiliatis potius compati elegit; eorumque infirmitati condescendens flevit, ac illo suo fletu verbisque amicabilibus ostendit quàm tenerè ipsos amaret, quàmque alienus esset ab expetenda vindicta. Observabile exemplum remissionis peccati proximorum, qua vir gravissimè læsus & annis multis benefecit læsoribus, & ad eorum deprecationem ita permotus est ut non tantùm ignosceret, sed etiam collachrimaretur. Id quod duros quosdam christianos meritò deberet pudefacere, qui fratribus in se peccantibus nolunt ignoscere, etiam multipliciter rogati.

[ ℣. 18. *Veneruntque ad eum fratres sui*: ] Postquam ex relatione eorum qui submissi fuerant, audivissent Joseph fraterna pietate commotum flevisse. In Heb. legitur *& iverunt etiam fratres ejus*, quasi legati antea missi fuerunt diversi à fratribus. Sed intelligi rectè potest significatum esse quòd reversis illis qui præmissi fuerant, omnes fratres etiam illi qui culpabiles erant, iverint ad Joseph.

[ *Et proni adorantes* ] sic humiliari decet eos qui gravis facinoris veniam impetrare desiderant: Et sic denuo impletur somnium de stellis undecim adorantibus Joseph c. 37. relatum.

[ *Dixerunt: servi tui sumus.* ] Quasi dicerent, graviter peccavimus, & mala multa meremur: sed ecce, si volueris, erimus tui servi.

[ ℣. 19. *Quibus ille respondit: Nolite timere; Num Dei possumus resistere voluntati?* ] Quam scilicet de me ac de vobis habuit, ut me exaltaret, vosque mediante meo ministerio, servaret? Cùm Deus me sublimare voluerit ad hoc ut vitæ vestræ servator essem, possumne ego dispositioni ejus contravenire, & gratiæ ac bonitatis ipsius infidelis esse dispensator, illosque prodere quos ipse voluit ut servarem? Non excusat facinus fratrum tamquam non sit ex eorum malignitate profectum, quinimò apertè accusat dicens.

[ ℣. 20. *Vos cogitastis de me malum*: ] Nam quod ait: *cogitastis*, significat ex intentione animi perversa ipsos voluisse eum occidere, & ex simili eum vendidisse; ex animi autem intentione vel in primis judicandum est de actionum malitia & bonitate. Cum addit:

[ *Sed Deus vertit illud in bonum*, ] significat malum quod fratres cogitaverunt ac fecerunt, Deum vertisse in bonum, Quia tamen hoc præter mentem eorum fuit, omninoque (quantum ad illos) per accidens contigit: Ideo peccatum ipsorum nequaquam excusat. Effectus enim ac eventus ille solius extitit bonitatis ac potentiæ Dei, qui teste Augustino cap. 11. & 100. Enchir. *non sineret mali aliquid fieri, nisi de malo facere posset bene*. Pro istis, *nam Dei possumus resistere voluntati*, 70. habent, *Dei enim sum ego*, servus videlicet, quem propterea imitor, & beneficia rependere studeo his qui non ferenda contra me fecerunt. Vide Chrysostom.

[ *Ut exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, & salvos faceret multos populos.* ] Populos scilicet duodecim tribuum Israel, ac etiam Ægyptios. Hæc est vera causa quare Deus permiserit quòd Josephum fratres sui venderent, ut nimirum ea occasione & Josephum sublimaret, & Jacobum ejusque posteritatem grassante validissima fame, servaret. Observandum non posse hinc probari vel quòd Deus fuerit author peccati fratrum Joseph: vel quòd ipsi necessariò vendiderint Josephum. Primò, quia textus manifestè malum ascribit solis fratribus Joseph, & non Deo; cui ipsam duntaxat mali conversionem in bonum attribuit, dicens: *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum*. Secundò, quia Deus neque impulit fratres Joseph ut eum venderent, neque etiam voluit ut hoc facerent, sed tantùm permisit. Voluntas enim Dei quam nominat Joseph vers. 19. non intelligitur ea qua voluerit ipsos vendere fratrem suum, sed vel qua voluit Josephi exaltationem fratrumque ejus conservationem; vel qua volebat ut fratribus parceret, secundùm ea quæ diximus 1. 2. quæst. 79. art. 1. ad 1. Deinde, quamvis Deus voluerit non impedire iniquam illam venditionem sed permittere, ex ea tamen sive voluntate sive permissione venditio non sequebatur necessariò.

[ ℣. 21. *Nolite timere: ego pascam vos & parvulos vestros*, ] Significat se non tantùm à malo eis inferendo abstenturum, sed etiam vitæ necessaria ipsis procuraturum.

[ *Et blandè ac leniter est locutus.* ] In Hebr. *Et locutus est ad cor eorum*: quæ est phrasis Hebraica idem valens quòd suaviter, & ea quæ animis audientium placent loqui.

[ ℣. 22. *Et habitavit in Ægypto cum omni domo patris sui* ] Hoc est, cum tota familia patris, ita ut nulli eorum reversi fuerint in Chanaan.

[ *Vixitque centum decem annis.* ] Ista periodus vitæ Joseph notari videtur, ut comparemus durationem vitæ calamitosæ Josephi cum duratione felicitatis ac prosperitatis ejus; quantòque hæc fuit longiturnior illa, tantò majorem sciamus prosperitatem fratrum Joseph, propter ipsum. Cùm autem Joseph triginta annorum esset, quando per Pharaonem fuit exaltatus, supra cap. 41. vers. & sedecim, quando fuit venditus, cap. 37. vers. 2. consequens est quòd annis octoginta fuerit in prosperitate, & tredecim in servitute & carcere.

[ *Et vidit Ephraim filios usque ad tertiam generationem.* ] In Heb. filios tertios vel tertiorum. Vidit scilicet filios, & nepotes, ac pronepotes.

[ *Filii quoque Machir filii Manasse* ] Stephanus Menochius & alii quidam scribunt hic numerum pluralem pro singulari positum, *filii*, pro *filius*, quia Machir unum tantùm filium suscepit. At plures eum filios habuisse, asserit Abulensis ad cap. 17. Josue: quod confirmari posse videtur ex 1. Paralip. 7. ubi postquam Machir dictus est esse pater Galaad, subditur; *Machir autem accepit uxores filiis suis*.

[ *Nati sunt in genibus Joseph.* ] Hebr. super genua; 70. super femora, Significatur quòd statim ut nati fuerunt, Joseph eos sibi adoptavit, eosque super genua sua tenuit, sicut moris est senum parvulos intimè dilectos super genua sua tenere, iisque oblectari.

[ ℣. 23. *Quibus transactis, locutus est fratribus suis*: ] Verisimile est quòd omnibus, quia Joseph videtur ante omnes suos fratres esse mortuus, & negotium omnes concernebat. De Levi qui annis quatuor vel quinque ante Joseph fuit natus, habemus Exod. 6. quòd vixerit annis centum triginta septem. In chronico hebræorum, ascribuntur Ruben centum viginti quatuor anni; Simeoni; centum viginti; Judæ, centum novemdecim; Issachar, centum viginti duo; Zabulon, centum viginti quatuor; Dan, centum viginti sex; Aser centum viginti septem; Benjamin, centum undecim: qui tamen omnes præter Benjamin, nati fuerunt ante Joseph. De annis Gad & Nephtali nihil ibi dici-

dicitur, Hebræorum tamen traditio eſt, ipſos quoque ſupervixiſſe Joſepho. Cæterum, quare Joſeph annis paucioribus vixerit, quàm ſui fratres, non alia nobis nota eſt ratio, quàm tum Dei voluntas, tum ſententia Eccleſiaſtici 10. *Omnis potentatus brevis vita.*

[ *Poſt mortem meam Deus viſitabit vos,* ] Sermo eſt de viſitatione in bonum, ſcilicet ad eos de Ægypto educendos, ut ex ſubſequentibus patet. De qua proinde loquitur Deus Exod. 3. *Viſitans viſitavi vos* &c. & Moyſes c. 4. *Audieruntque quòd viſitaſſet Dominus filios Iſrael, & quod reſpexiſſet afflictionem illorum.*

[ *Et aſcendere vos faciet de terra iſta ad terram quam juravit Abraham, Iſaac, & Jacob.* ] Exemplo patris ſui & avorum inculcat fratribus promiſſiones divinas de terra Chanaan ab eis ſeu eorum poſteris poſſidenda, ut illis fide, ſpe, ac amore inhæreant, longanimiterque illas præſtolentur.

[ ℣. 24. *Cumque adjuraſſet eos atque dixiſſet: Deus viſitabit vos: Aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto:* ] Sicut pater Joſephum adjuraverat cap. 47. ita Joſeph nunc adjurat fratres, atque ob eamdem cauſam, ſcilicet ut oſſa ipſius aſportarent de Ægypto in terram Chanaan: In qua terra iiſdem ex cauſis voluit corpus ſuum ſepeliri, ex quibus id voluiſſe Jacob illo cap. 47. diximus. Quoniam autem Joſeph adjuravit fratres ſuos, conſequenter dicendum eſt ipſos ei juraſſe; idque tum ſuo ſi forte contingeret quòd tempore exitus de Ægypto ſupervivesent, tum filiorum aliorumque ſuorum poſterorum nomine; qui propterea illo juramento tenebantur obſtricti, ſicut intellexit Moyſes Exod. 13. ubi dicitur: *Tulit quoque Moyſes oſſa Joſeph ſecum, eo quòd adjuraſſet filios Iſrael.* Hinc fortè eſt quòd de oſſibus Joſeph Eccleſiaſtici 49. ſcribitur quòd *poſt mortem prophetaverunt;* quia ſcilicet hoc ipſo quo translata fuerunt, teſtificata ſunt id quod Joſeph hic prædixerat, *Deus viſitabit vos, Aſportate oſſa mea vobiſcum;* eſſe verum, & ipſum Joſeph vera propheraſſe: Vel etiam quia totum illud mandatum Joſephi de ſuorum oſſium translatione, eorumque actualis translatio, fuit quoddam futuræ reſurrectionis prænuncium, ut expoſuimus 2. 2. q. 171. Id quod hebræo græcoque textui maximè eſt conforme, qui pro imperativo, *aſportate,* habent futurum indicativi modi, *aſportabitis.* Veriſimile eſt cæteros quoque patriarchas ſeu fratres Joſeph ſuorum etiam oſſium translationem in Chanaan mandaſſe iiſdem de cauſis quibus Jacob & Joſeph: eos enim in Sichem translatos fuiſſe aſſerit B. Stephanus Actor. 7. ibique ſepultos tradit Hieronymus epiſt. 27. & 101. etſi non improbabile ſit, quòd poſtea translati ac ſepulti etiam fuerint in Hebron, ut ad fin. cap. 23. notavimus: Nihilominus de translatione oſſium Joſeph tantùm hic agitur; quia is propter ſummam ſuam authoritatem qua pollebat, illuſtre dabat exemplum fidei divinarum promiſſionum, eas præferens omni gloriæ ac ſplendori quibus in Ægypto clarus erat. Quocirca Apoſtolus ad Hebr. 11. ex duobus quæ hic recenſentur, fidem Joſeph commendo: *fide,* inquit, *Joſeph moriens, de profectione filiorum Iſrael memoratus eſt: & de oſſibus ſuis mandavit.* Mandavit autem Joſeph non quemadmodum Jacob, ut ſtatim poſt mortem transferretur & ſepeliretur in Chanaan, ſed ut filii Iſrael de Ægypto exeuntes oſſa ipſius ſecum deferrent; idque propterea, tum quòd non ſine magna Ægyptiorum offenſione potuiſſent ſtatim efferre; noluiſſent enim tantum benefactorem & ſalvatorem ſuum, tamque ſapientem principem à ſe auferri, ne ingratitudinis arguerentur; tum quòd expediret ipſis Iſraelitis corpus Joſeph in Ægypto quieſcere donec ipſi inde exirent, partim ad conſervationem fidei & ſpei divinarum promiſſionum de terra Chanaan ipſis danda; partim ad memoriam beneficiorum ipſius in Ægyptiorum animis nutriendam. De definito ſepulturæ loco Joſeph non apertè præcipit; eum tamen fuiſſe partem agri in Sichem conſtat ex Joſue ult.

[ ℣. 25. *Mortuus eſt, expletis centum decem vita ſua annis.* ] Ante Iſraelitici populi egreſſum de Ægypto, annis centum triginta novem vel potiùs centum quadraginta quatuor, ut initio Exodi videbitur.

[ *Et conditus aromatibus, repoſitus eſt in loculo in Ægypto.* ] Quod Joſephi corpus fuerit aromatibus conditum, non debet mirum videri; fuit enim in ea major ratio quàm in patre, tum quòd eſſet princeps Ægypti atque honoratior, tum quòd ejus corpus eſſet diutiùs conſervandum. Nam ex eo quod additur, repoſitus eſt in loculo in Ægypto, apparet eum non fuiſſe ibi ſepultum, ſed loculo aliquo ſive ligneo ſive plumbeo vel alio ſupra terram incluſum ac ſervatum, fratribus ita procurantibus ut ſuo tempore poſſent illud aſportare; & conſentientibus Ægyptiis propter honorem & memoriam ſui ſervatoris. Allegoricè iſta conditura corporis Joſeph figuravit unctionem corporis Chriſti poſt ejus mortem, de qua Joan. 19.

Anagogicè autem, dum veteres illi patriarchæ, terram Ægypti pro ſepultura ſua reſpuunt & terram promiſſionis deſiderant, ſignificatur quòd non debemus huic mundo qui per Ægyptum figuratur, affici vel inhærere, ſed deſiderare terram viventium juſtis promiſſam, ut poſt mortem eam ingrediamur: Ad quam nos perducat, cui ſit laus & gloria & gratiarum actio in ſæcula ſæculorum, Sancta Trinitas unus Deus.

# FRANCISCI SYLVII COMMENTARIUS IN EXODUM.

## *OPUSCULUM NONUM.*

## PRÆFATIO

*De hujus libri nomine, argumento, & scriptore.*

Hujus libri nomina.

APUD Hebræos hic liber vocatur Veelle semoth, quod idem valet, atque *Hæc nomina;* quia familiare est Hebræis libros denominare ab initialibus eorum verbis; prima autem hujus libri verba sunt; *Hæc nomina.*

A Græcis & Latinis appellatur Exodus, id est, quia ipsi libros nuncupare solent ab argumento quod in illis tractatur; hujus verò libri argumentum est egressus filiorum Israel de Ægypto. Egressus tamen nomine comprehenduntur quædam quæ illum antecesserunt, & non pauca quæ aliquanto post fuere secuta. Quæ antecesserunt, hæc sunt, Israelitarum multiplicatio, eorum per ingratos Ægyptios oppressio, Moysi nativitas & educatio, ipsius fuga in Madian, Rubi ardentis visio, missio Moysi ad Pharaonem & Israelitas, redditusque in Ægyptum, signa divina per Moysen facta, & decem plagæ Ægyptiacæ: demum enim post hæc omnia filii Israel exierunt de Ægypto. Post quorum egressum ea in libro isto descripta contigerunt, lex de Phase & azymo, ac primogenitorum sanctificatione, transitus per mare rubrum demersis Ægyptiis, canticum gratiarum actionis, pluitio mannæ, victoria Amalec, adventus in Sinai, ibique Legis datio, sacerdotii Aaronici institutio, & tabernaculi erectio, in qua præsens liber finem accipit.

Quæ in hoc libro contenta præcesserunt egressionem de Ægypto.

Quæ sint secuta.

Quoniam porro tabernaculum fuit erectum mense primo anni secundi egressionis de Ægypto, quando Moyses erat ætatis annorum octoginta unius; à morte autem Josephi, (à qua liber Exodi sumit initium) usque ad nativitatem Moysi, computantur anni sexaginta quatuor; consequens est hoc libro contineri historiam centum quadraginta quinque annorum. Incertum autem valdè est quot annorum historiam contineat, Genesis; cùm ab Adam usque ad mortem Joseph, quidam numerent annos bis mille trecentos & decem: Alii bis mille trecentos nonaginta octo vel novem: Alii bis mille quadringentos. Alii plures, ut ex Eusebii chronico, Cornelio à Lapide, Leonardo Mario, Torniello, Saliano patet.

Authorem hujus libri primarium sicut etiam omnium aliorum sacrorum librorum, esse Spiritum sanctum omnibus in confesso est.

Authorem verò secundarium, sive qui illum scripsit, fuisse Moysen, certò constat ex perpetua traditione, quam sequuntur Augustinus lib. 2. de doctr. christian. cap. 8. Innocentius I. in epistola 3. ad Exuperium, Concilia Florentinum & Trid. totaque Ecclesia. Et isti traditioni consonum est quod de pugna contra Amalec legitur Dominus ad Moysen dixisse Exod. 17. *Scribe hoc ob monumentum in libro;* & generaliuac. 24. *Scripsit Moyses universos sermones Domini*, quos videlicet Dominus eo usque locutus fuerat pro ineundo fœdere cum Israelitis. Ac rursum c. 34. dixit Dominus ad Moysen, *Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum Israel pepigi fœdus.*

Moyses hunc librum scripsit.

Quamvis enim hæc non de toto libro dicta sint, de bona tamen ejus parte accipi debent.

Ad locum scriptionis quod attinet, is debuit esse desertum illud in quo per annos quadraginta vagati fuerunt Israelitæ prius quàm intrarent terram Chanaan, quia Moyses non est eam ingressus, neque ab egressu de Ægypto, alibi habitavit. Quo autem tempore scripserit librum integrum, an secundo vel tertio anno peregrinationis in deserto; non omnino liquet.

## CAPUT PRIMUM.

*Cùm Israelitæ post mortem Joseph vehementer multiplicarentur novus Pharao conatur eos partim onerum impositione, partim masculorum suffocatione opprimere. At illi sub oneribus magis multiplicantur; & obstetrices misericordia tactæ, masculis parcunt, ac ob id à Deo remunerantur.*

[ ℣. 1. HÆc *sunt nomina filiorum Israel* ] In Heb. *Et hæc nomina.* Ubi subauditur verbum, *sunt.* Voculam (*&*) quæ legitur in Heb. per pleonasmum more Hebræo quidam opinantur esse positam, & redundare: Frequenter enim Hebræos eam voculam ponere initio alicujus libri vel sententiæ velut ornatui dumtaxat servientem. At nihil prohibet sic eam accipere, ut intelligatur præsentis libri historiam copulare & continuare cum fine libri præcedentis, id est, Genesis; partim quia olim Pentateucus erat unus liber continuus, qui Hebraicè vocabatur Thora seu lex, & postea in quinque libros fuit divisus: partim quia libri præcedentis historiam perduxit Moyses usque ad mortem Patriarchæ Joseph, & hunc orditur ab ejus & fratrum ipsius morte.

[ *Qui ingressi sunt in Ægyptum cum Jacob:* ] Quare ab illis nominibus seu nominum enumeratione Moyses hic incipiat, duæ potissimum sunt rationes. Una, ad ostendendum causam ob quam Ægyptii sic Hebræos fuerunt odio prosecuti, ut conarentur eos opprimere, quia nimirùm viderant illos exiguo admodum numero fuisse cum descenderent in Ægyptum, postea autem cernebant in immensam propemodum excrevisse multitudinem, ideoque timebant ne numero & viribus fortiores effecti vel Ægyptiorum hostibus se jungerent, vel ipsimet Ægypti regnum invaderent.

Altera, ut Israelitis inculcaret magna jam ex parte impletam esse promissionem patribus factam de multiplicando eorum semine, sicut stellas cœli & pulverem terræ Gen. 15. 27. & 28. sicque ipsos animaret ad sperandum quòd similiter citò impleretur promissio de terra Chanaan eis in possessionem donanda.

Quo exemplo fideles omnes, cum in Ægypto hujus mundi sunt, sive dum curis sæcularibus occupamur, deberent cogitare se peregrinos solùm esse, & spe ad promissam patriam anhelare. Unde B. Petrus primæ suæ epist. c. 2. sic eos alloquitur. *Obsecro vos tamquam advenas & peregrinos.* Moralia.

[ *Singuli cum domibus suis introierunt:* ] Hoc est, cùm sua familia, nimirùm cum uxoribus, filiis ac nepotibus, totaque sua supellectile domestica.

[ ℣. 2.

Quis ordo hic ſervetur.

[ ℣. 2. *Ruben , Simeon , Levi , Judas* , ] Hi quatuor iſto quidem ordine fuerunt nati , non ſervatur tamen in tota hac enumeratione ordo nativitatis, cum Iſſachar & Zabolon , qui ſtatim poſt illos recenſentur , nati fuerint poſt Dan , Nephtali , Gad , Aſer ; & omnium poſtremus fuerit Benjamin , qui tamen non numeratur hic ultimo loco : ſed ordo thori conjugalis : primi enim ſex ſunt filii Liæ cum qua Jacob prius vixit conjugaliter ; ſeptimus; ſcilicet Benjamin , eſt filius Rachelis , cum qua Jacob conjugaliter vixit poſt hebdomadam cum Lia tranſactam Gen. 29. Dan & Nephtali ſunt ex Bala quæ fuit uxor Jacobi tertia ; Gad & Aſer ſunt filii Zelphæ uxoris quartæ . Omittitur hic Dina , non quòd tempore deſcenſus in Ægyptum vel mortua eſſet , vel alibi collocata in matrimonium; ſed quia Moyſes ſolùm intendebat nominatim exprimere duodecim filios Jacob.

Animæ ponuntur pro hominibus.

[ ℣. 5. *Erant igitur omnes animæ eorum qui egreſſi ſunt de fœmore Jacob , ſeptuaginta* . ] Septuaginta interpretes *Anima egreſſa ex Jacob* . Sed animæ per Synecdochen ponuntur pro hominibus; & per fœmur intelligitur principium generationis ; ita ut animas egredi de fœmore Jacob vel de Jacob , ſit homines ſecundùm carnem naſci ex Jacob : ideoque non eſt hinc concludendum animas hominum traduci ex parentibus . Quamvis autem Jacob non ſit de ſeipſo natus , in hoc tamen numero ſeptuaginta continetur tamquam aliorum caput . Continetur inſuper Joſeph cum duobus ſuis filiis Ephraim & Manaſſe in Ægypto natis , quoniam abſque his quatuor , ſolùm eſſent ſexaginta ſex , ut patet ex cap. 46. Gen. ubi explicatum etiam fuit qua ratione Græci codices pro ſeptuaginta , habeant ſeptuaginta quinque ; quia ſcilicet complectuntur nepotes Joſeph poſtea in Ægypto genitos.

[ *Joſeph autem in Ægypto erat* . ] Prius quam Jacob & alii cum ipſo in Ægyptum deſcenderent . Hiſtoria clara eſt ex Gen. 37. & ſeqq. ex quibus facile eſt intelligere Joſephum annis circiter viginti tribus in Ægypto fuiſſe ante Jacob . At dices, quandoquidem Joſeph jam antea erat in Ægypto, quomodo comprehenditur inter illos qui ingreſſi ſunt in Ægyptum cum Jacob . Reſp. non comprehendi inter illos , ſed inter eos ſeptuaginta qui dicuntur nati ex Jacob . Unde verſu 5. non additur iſta phraſis, *ingreſſi cum Jacob*, quæ fuerat poſita verſu 1. Perinde ergo eſt , ac ſi diceretur. Etſi Joſeph non introierit in Ægyptum ſimul cum Jacob, quia ibi erat ante ipſum, pertinet tamen ad numerum illorum qui egreſſi ſunt de fœmore Jacob & ingreſſi ſunt Ægyptum, atque adeò ad numerum ſeptuagenarium ſupradictum.

[ ℣. 6. *Quo mortuo & univerſis fratribus ejus , omnique cognatione illa* , ] quæ nimirùm deſcenderat cum Jacob in Ægyptum. Per illam quippe cognationem non poſſunt intelligi omnes poſteri Jacob: ſic enim nulli ſuperfuiſſent , quod manifeſtè contrarium eſt ſequentibus, ſed illi debent intelligi de quibus ſermo præcedit quòd de fœmore Jacob ſunt egreſſi, & cum eo Ægyptum ingreſſi.

[ ℣. 7. *Filii Iſrael* ] hoc eſt poſteri Jacob, ipſique Iſraelitæ.

[ *Creverunt* , ] Non ſignificatur quòd ante mortem Joſeph non creverant ; contrarium enim velut per ſe notum ſupponitur , patetque ex Gen. cap. 47. verſ. 27. ſed hoc dicitur ad denotandum quòd poſt illius mortem non deſierint creſcere , quin potius in maximam multitudinem creſcere perſeveraverint . Unde ſequitur.

[ *Et quaſi germinantes multiplicati ſunt :* ] Q. d. inſtar herbarum , & ſegetum , aliorumque germinum , in quibus ex uno grano multæ ſpicæ , & in ſingulis ſpicis multa grana germinant plurimum & citò ſunt multiplicati . Vocabulum Hebræum pro quo nos habemus *germinantes* ſignificat ebullire & inſtar piſcium aut reptilium multiplicari . Id quod à ſignificatione verbi , germino , non eſt alienum ; cùm & reptilia rectè dici poſſint germinare ſeu pullulare . *Ac roborati nimis* . Pro *nimis* , alii ex Hebr. reddunt , valde valde , ad ſignificandum multiplicationem innumeram ſeu longè maximam ; ejuſmodi enim multitudo eſt ingens robur . Roborationem iſtam explicuit David Pſalm. 104. Cùm enim de hac materia loquens dixiſſet , *Auxit populum ſuum vehementer* , ſubjunxit *& firmavit* ſeu roboravit *eum ſuper inimicos ejus*, id eſt plus quàm Ægyptios, qui inimici ejus erant. Quod conforme eſt iis quæ hic verſu 9. ſequuntur.



[ *Impleverunt terram* . ] In qua ſcilicet habitabant, ſeu terram Geſſen. Quanta porro fuerit multiplicatio Hebræorum in Ægypto, colligi poteſt ex cap. 1. Num. ubi primo anno egreſſionis recenſiti reperiuntur *à vigeſimo anno & ſupra qui poterant ad bella procedere , ſexcenta tria millia virorum , quingenti quinquaginta* . Et extra hunc numerum fuit tota tribus Levi quæ non erat cum reliquis numerata . Fuerunt inſuper omnes infantes , pueri , & adoleſcentes infra annum vigeſimum; omnes etiam ſenes & invalidi ad bella inidonei , totuſque ſexus muliebris.

Quomodo autem tanta multiplicatio intra ſpatium circiter ducentorum quindecim annorum , quibus filii Iſrael in Ægypto manſerunt , contigerit , quæri ſolet. Quidam volunt omnes mulieres ſemper uno partu plures genuiſſe ; quod tamen vel ex una Moyſi familia, in qua tribus diverſis partubus ſolùm tres nati fuerunt , Maria , Aaron , & Moyſes , falſitatis argui poteſt . Adde quòd etſi naturale ſit aliquas mulieres uno partu plures liberos gignere , ut tamen omnes fœminæ alicujus ampliſſimæ nationis per aliquot ſæcula ſemper ſic pariant, non videtur abſque miraculo fieri poſſe; nulla autem eſt neceſſitas agnoſcendi tam diuturnum tamque univerſale miraculum ; attenta enim Dei benedictione, ſingularique ejus providentia & auxilio ; conſiderata etiam uxorum pluralitate, quæ inter Hebræos uſitata erat ac licita , citra propriè dictum miraculum fieri potuit dicta multiplicatio; ſive quia omnes aut ferè omnes mulieres eſſent fœcundæ, ac maturè inciperent gignere , tardè autem deſinerent , anniſque ſingulis parerent , ſive aliter.

Allegoricè. Allegoricè Jacob cum duodecim filiis , ſignificat Chriſtum cum duodecim Apoſtolis . Numerus autem ſeptuagenarius deſignat vel ſeptuaginta Chriſti diſcipulos , vel paucitatem eorum qui ab initio crediderunt . At poſt mortem Joſeph ſeu Chriſti numerus fidelium mirabiliter excrevit , ita ut multiplicati ſint ſuper arenam . Pſal. 138.

[ ℣. 8. *Surrexit interea rex novus ſuper Ægyptum* , ] 70. habent rex alius. Aquila & Theodotio Hebræis noſtriſque codicibus conformiter rex novus . Quis fuerit ille rex ambigitur . Sunt qui exiſtiment non fuiſſe Ægyptium, ſed Aſſyrium , propterea quòd Iſai. 52. Deus ita loqui introducatur : *In Ægyptum deſcendit populus meus in principio , & Aſſur abſque ulla cauſa calumniatus eſt eum* . Sed quoniam ex hiſtoricis conſtat regnum Ægyptiorum non fuiſſe ad Aſſyrios devolutum , niſi aliquot centuriis annorum poſt tempora Moyſi ; iſtorum opinio communiter non tenetur . Ad argumentum verò Reſp. vel per Aſſur intelligi quidem Salmanaſar aut Sennacherib regem Aſſyriorum; at per populum Dei , quem ibi dicitur eſſe calumniatus ſeu calumniosè vexaſſe, non eſſe intelligendum illum ipſum qui illic dicitur deſcendiſſe in Ægyptum , ſed ejus poſteros ; quemadmodum ex B. Hieronymo interpretatur Sasboldus. Vel de illo populo, qui cum Jacob in Ægyptum deſcendit, ſermo eſt; ſed per Aſſur intelligitur iſte Pharao rex Ægypti qui populum illum oppreſſit, & qui, tametſi non eſſet Aſſyrius, ſed Ægyptius , vocatur tamen Aſſur propter potentiam & crudelitatem . Erat enim temporibus Iſaiæ nomen Aſſur in proverbio ad denotandum hoſtem aliquem Judæorum præpotentem & crudelitate inſignem . Ita Forerius in Iſaiam & Perer. in Exod. Alii ergo alium aſſerunt eſſe hunc regem : ſed Authoris hiſtoriæ Scholaſticæ , Abulenſis , Pererii , Marii , & plurium ſententia habet eum fuiſſe qui Armenophim fuit appellatus ; cujus regni anno decimo octavo natus ſit Moyſes . Hunc autem regem novum vocat ſacer ſcriptor, tum quòd eſſet ex alia familia quàm reges præcedentes, ut indicat Joſephus lib. 2. Antiquit. cap. 5. tum quia erat alterius ingenii & conditionis , crudelis videlicet ac inhumanus in Hebræos, quos reges ſuperiores propter Joſephum humanè tractaverant.

Ad mores.

[ *Qui ignorabit Joseph :* ] Hoc est, qui nesciebat, vel etiam scire & curare nolebat beneficia quæ Joseph tam regibus Ægypti contulerat, eorum redditus mirum in modum amplificando, quàm universæ genti Ægyptiorum, eam ab extremo famis exitio liberando. Hinc discimus etiam maximorum beneficiorum oblivionem citò subrepere, præsertim apud aulicos, quorum proinde gratia facilè amittitur.

[ ℣. 9. *Et ait ad populum suum: ecce, populus filiorum Israel multus, & fortior nobis est.* ] Similem occasionem accepit Abimelech Gen. 26. dimittendi à se Isaac sic ei dicens: *Recede à nobis quoniam potentior nobis factus es valdè.*

[ ℣. 10. *Venite, sapienter opprimamus eum,* ] Sapienter idem hic valet quod fraudulenter & astutè: Sermo enim est de sapientia hujus sæculi, quæ non erat, sed carnis sapientia est, quam Apostolus ad Rom. 8. scribit esse inimicam Deo.

Quando Israelitæ cœperint affligi in Ægypto.

Cæterùm quando cœperit oppressio atque adeò servitus Israelitarum in Ægypto, quotve annis duraverit, incertum est; satis constat non cœpisse ante mortem Joseph, cùm ipse tamquam Ægypti princeps regnum administraverit usque ad finem vitæ; cumque apertè hic dicatur quòd mortuo Joseph surrexit rex novus qui voluit Israelitas opprimere. Unde fit consequens servitutem non excessisse centum quadraginta quatuor annos, quia tot anni fuerunt à morte Joseph usque ad exitum de Ægypto. Quidam computant tempus servitutis à morte Levi qui post Joseph supervixit annis viginti duobus aut tribus ( natus enim fuit ante Joseph & vixit centum triginta septem annis infra cap. 6. ) & durasse volunt annis centum & viginti, octoginta scilicet annis vitæ Moysi, & quadraginta ante ejus nativitatem. Obstare tamen his videtur textus præsentis cap. qui significat oppressionem & consequenter servitutem cœpisse non statim post mortem Joseph & fratrum ejus, sed post mortem universæ cognationis ejus, sive mortuis omnibus qui cum Jacob intraverant Ægyptum, ac per consequens post mortem Caath & Phares, qui, ut ex cap. 46. Genes. apparet, fuerunt inter descendentes in Ægyptum cum Jacob, & post mortem Levi supervixerunt annis circiter quindecim aut sedecim. Ex hoc & ex seq. cap. satis constat oppressionem, seu servitutem Hebræorum cœpisse ante nativitatem Moysi: at quot annis antea constare non potest.

Quæst.

Probabile est quòd septem aut decem annis, nimirum circa tempus nativitatis sororis ejus, quæ ideirco traditur vocata esse Maria quod amaritudinem sonat, quia tunc nata fuit quando Israelitæ cœperant esse in amaritudine servitutis & afflictionis, ut post Hebræos docent Peretius, Cornelius & alii; Mariam autem fuisse annorum decem aut aliquantò plus vel minùs in Moysi nativitate ex cap. seq. haud obscurè deduci potest. Qui si addantur octuginta anni quos habebat Moyses in exitu Israel de Ægypto, verisimiliter concludetur servitutem Ægyptiacam durasse circiter nonaginta annos. Quod ex Gen. 15. posset opponi, ibi videatur explicatum.

Resp.

Quæritur deinde quare Deus tam diu populum suum graviter affligi permiserit. Resp. rationem unam esse ut sic eorum peccata & præsertim idololatriæ punirentur, quemadmodum scribit Abulensis quæst. 7. super hoc cap. nam quòd in Ægypto Idola coluerint, non tantùm B. Hieronymus affirmat in cap. 23. Ezechielis, sed etiam ipsa scriptura sacra dum Josue 24. populum ita monet, *Auferte deos quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia & in Ægypto:* nec minùs apertè Ezech. 20. vers. 8. & cap. 23. vers. 3. & 8. Atque hinc est quòd aliquantò post egressum de Ægypto, vitulum formaverunt & coluerunt, Exod. 32. quòdque ipsis utpotè ad idololatriam pronis tam frequenter eam prohibeat Moyses.

Quare Deus tam diu affligi permiserit Hebræos.

Secunda ratio fuit, ut Israelitæ ab Ægyptiis afflicti, impuros eorum mores tantò magis aversarentur, cuperentque ab ipsis exire & ad terram promissam tendere.

Tertia, ut postquam exivissent essentque à tantis malis liberati, non desiderarent in Ægyptum reverti.

Quarta, ut haberent occasionem justè spoliandi Ægyptios. Quinta, ut daretur occasio manifestandi potentiam divinam per prodigia & portenta varia quæ Deus postea fecit in Ægypto.

[ *Ne forte multiplicetur : &c.* ] Tres causas notat scriptura quæ moverunt Ægyptios ut Israelitas opprimerent. Prima erat metus qui hoc versu 10. indicatur, ne bello ingruente Ægyptiorum inimicis se jungerent, & expugnatis spoliatisque Ægyptiis exirent de Ægypto secundùm quod sciebant communi rumore vulgatum Israelitas aliquando in Chanaan velle transire. Ideo autem nolebant Ægyptii hos abire, quòd plurima per ipsos emolumenta percipere solerent. Atque hinc est quòd Pharao noluit postea eos dimittere.

Quid Ægyptios movit ad affligendū Hebræos.

Secunda causa est odium quod versu 12. exprimitur, oriebaturque partim ex diversitate religionis & quòd Israelitæ occiderent ac comederent illa animalia quæ Ægyptii ut deos suus colebant, partim ex amplissima sobole quam videbant longè copiosius illis nasci quam sibi: eratque proinde isti odio mixta invidia. Huc pertinet versus Psalm. 104. *Convertit cor eorum ut odirent populum ejus.* At quomodo convertit? Ne putes quòd vel odium illis infundendo vel efficienter voluntatem ad illud inclinando, sed per accidens & occasionaliter, in quantum & populo suo benefecit ex quo Ægyptii occasionem acceperunt ipsos odiendi, & pravam eorum voluntatem non impedivit sed permisit. Videantur Aug. & Theodoret. in Ps. & quæ 1. 2. q. 79. art. 1. diximus. Addit Josephus lib. 2. Antiquit. cap. 5. & aliam causam cur Ægyptii cuperent Hebræos extingui, scilicet quòd quidam de sacrarum litterarum peritis Pharaonis ac aliis prædixisset nasciturum ex Hebræis unum, qui si adolesceret, regnum Ægypti pessumdaret, suos autem mirabiliter exaltaret.

[ ℣. 11. *Præposuit itaque eis magistros operum,* ] In Hebr. Principes seu magistros vel præfectos tributorum. Nomine autem tributi intelligitur contributio, non pecuniæ, sed operis ac laboris, ita ut principes tributorum iidem sint qui magistri operum, qui scilicet instando & urgendo exigebant quotidianum pensum operis. Hi enim magistri operum non erant architecti qui opera dirigerent, sed imperiosi exactores qui ad opus urgerent, statutumque operis pensum exigerent.

[ *Ut affligerent eos oneribus:* ] Seu laboribus corporalibus, quibus non tam utilitatem propriam rex intendebat, quàm filiorum Israel debilitationem, ut cum essent laboribus fatigati non liberet eis generationi vacare, sicque desinerent crescere.

Sed quænam fuerunt hæc onera? Resp. fuisse varia, ut ædificare urbes, formare lutum in lateres, Nilum in fossas diducere ad irrigandum agros & prata, fossas aggeribus cingere, pyramides struere & alia hujusmodi, idque sine ulla requie vel remissione & supra vires, ut videre est apud Josephum l. 2. Antiq. cap. 5. & Philonem in vita Moysi.

Quæ onera Hebræis imposita.

[ *Ædificaveruntque urbes tabernaculorum Pharaoni,* ] 70. dicunt, urbes munitas: per tabernacula enim rectè intelliguntur arces vel turres præsidiariæ, aut etiam tentoria militaria, & alia quæ diversi generis munimenta bellica continebant. Hinc 2. Paralipp. 8. easdem Hebræas voces noster interpres conformiter 70. interpretibus vertit civitates munitissimas. Alii ex Hebr. hic reddunt urbes thesaurorum. Et quoniam præcipuæ opes ac consequenter thesauri Ægyptiorum erant frumenta; urbes thesaurorum perinde valent, ac urbes in quibus erant horrea & granaria amplissima, in regis & regni usum constructa.

[ *Phitom & Ramesses.* ] Genes. 47. Joseph legitur patri & fratribus dedisse possessionem in Ramesse: quomodo igitur verum esse potest quòd dudum postea filii Israel ædificaverint Ramessem. Resp. verum esse, quoniam Israelitæ urbem ædificaverunt in ea provincia quæ longè ante vocabatur Ramesse, & ab istius provinciæ nomine urbem ipsam cognominarunt. Ita significat Hieron. in locis Hebr. Alii dicunt Moysen in Genesi locutum esse per anticipationem, quia eo tempore quo scribebat Genesim, urbs illa vocabatur Ramesse: quasi dixisset: Joseph patri & fratribus suis dedit possessionem

in eo

In eo terræ loco, qui nunc, quando hæc ſcribo ( ſcribebat autem poſt egreſſum filiorum Iſrael de Ægypto, quemadmodum diximus Præfati. In Geneſim ) dicitur Rameſſe. Ita Abulenſis in Geneſ. Pereſius & Marius hic. Septuaginta his addunt tertiam urbem à filiis Iſrael ædificatam, ſcilicet On ſeu Heliopolim. Sed cum ex Geneſ. 41. conſtet Heliopolim diu antea extitiſſe, dicendum eſt vel ædificationem, de qua hic agitur, non eſſe accipiendam niſi pro reparatione, dilatatione, & munitione: vel duas fuiſſe Heliopoles, quarum unam ædificaverint Iſraelitæ.

Allegorica.

Allegoricè, Novus rex Ægypti eſt diabolus princeps hujus mundi, qui verè eſt novus rex, quia primus noſter dominus veruſque ac ſolus rex eſt Deus; diabolus autem eſt Deus alienus & recens. Unde Deuteron. 32. *Immolaverunt dæmoniis, & non Deo, diis quos ignorabant: Novi recenteſque venerunt, quos non coluerunt patres eorum*. Ut Pharao Joſeph; ita diabolus Chriſtum ignorabat, quia & beneficia ab eo, ut Deus eſt; ſibi olim collata non attendebat, & odio maximo ipſum perſequebatur. Poſt mortem quoque noſtri Joſeph ſeu Chriſti numerus Chriſtianorum mirabiliter excrevit; diabolus autem illorum felicitati invidens vehementer eos afflixit, idque tripliciter. Primò per apertas perſecutiones tyrannorum; Secundò per ſapientiam hujus ſæculi philoſophorum & hæreticorum: Tertiò per illecebras voluptatum, ſicut Numer. 25. Hebræi per muliebres blanditias victi leguntur. Sed & magiſtros operum conſtituit, miniſtros ſuos, tum dæmones tum malos homines, dum eos in ſervorum Dei odium & invidiam excitat. Pro ſenſu tropologico confer Auguſtin. ſerm. 84. de tempore & Dionyſium Carthuſ. ſuper hoc cap. art. 2.

Quibus modis diabolus affligit fideles.

[ ℣. 12. *Quantòque opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur, & creſcebant:* ] Id quod non ſine peculiari benedictione fuit; cum alioqui, inter labores exceſſivos, accedente præſertim anxietate ac dolore non ſoleat felix eſſe fœcunditas. Similiter Deo benedicente contingit quòd tyrannis ſævientibus roborentur & multiplicentur fideles. Non enim minuitur Eccleſia perſecutionibus, ſed augetur. Similiterque anima in virtutibus creſcit per adverſa quæ patienter tolerat.

[ ℣. 13. *Oderantque filios Iſrael Ægyptii*, ] In Hebr. & anguſtiabantur propter filios Iſrael. 70. Abhorrebant à filiis Iſrael. Syrus & Hebræus ſcholaſtes, Cruciabantur videntes illos augeri. Aquila, Execrabantur. Significant quòd Ægyptii propter filiorum Iſrael multiplicationem animo cruciarentur, quod invidiæ eſt; eoſque abominarentur, quod eſt odii.

[ *Et affligebant illudentes eis:* ] In Hebr. Et ſervire fecerunt Ægyptii filios Iſrael in duritia, hoc eſt durè & tyrannicè, ſine ulla clementia. Rectè autem vertit noſter interpres, *illudentes*. Hæc enim ſævitia ſumma eſt, violentè opprimere, & ſic oppreſſis illudere.

[ ℣. 14. *Atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum*. ] Faciebant ut vita eſſet ipſis valdè amara & mœrore plena

[ *Operibus duris luti & lateris*, ] quæ opera idcirco erant dura, partim quia vilia, partim quia moleſta & gravia, propter exactorum importunitatem.

[ *Omnique famulatu, quo in terra operibus premebantur.* ] Hoc eſt in omni ſervitute ruſtili, quemadmodum alii vertunt. Non contenti ſcilicet Ægyptii occupare Iſraelitas in lateribus formandis & in ædificiis conſtruendis, eos velut ſervos miſerrimos ad quævis opera ruralia compellebant.

[ ℣. 15. *Dixit autem rex Ægypti obſtetricibus Hebræorum:* ] Videns Pharao gentem Iſraelitarum laboribus quantumcumque duris & importunis non minui, ſed in dies nihilominus augeri; ad ſecundam calliditatem tyrannicam venit, ut obſtetricum opera gentem illam penitus extinguat. Has obſtetrices fuiſſe Hebræas, unamque fuiſſe Jocabed matrem Moyſi, alteram Mariam ipſius ſororem volunt Hebræi: Sed communis ſententia habet quòd fuerint Ægyptiæ. Quæ enim eſt apparentia quòd mandatum de necandis omnibus maſculis Hebræorum daret mulieribus Hebræis, & non potius Ægyptiis, cùm de illis perſuaſum habere deberet quòd ſuæ gentis amore quoſcumque potuiſſent maſculos potius occultarent quàm occiderent? Accedit quòd ipſæmet, verſu 19. ſatis produnt ſe eſſe Ægyptias: Maria quoque ſoror Moyſi puellula ſolùm tunc erat, obſtetricis propterea officio prorſus inidonea.

Obſtetrices non erant Hebrææ.

Si dicas, B. Auguſtinum lib. contra mendacium cap. 15. & 16. iſtas obſtetrices vocaſſe Hebræas. Reſp. ita vocaſſe, vel Hebræorum traditionem inſequendo, vel potius quòd famularentur Hebræis: Non univerſalem quippe traditionem fuiſſe liquet ex Joſepho qui eas vocat Ægyptias.

Si præterea dicas veriſimilius eſſe quod Hebrææ Hebræas obſtetrices aſſumerent. Reſp. ita quidem eſſe cum eis foret libertas eligendi: At nunc adempta illis erat iſta libertas. Alioquin enim vanum fuiſſet Pharaonis præceptum.

[ *Quarum una vocabatur Sephora, altera Phua*, ] Certum eſt duas obſtetrices non ſuffeciſſe omnibus Hebræis mulieribus, cùm hæ in maximo eſſent numero, ſed illæ duæ nominantur tamquam celebriores per quas regis mandatum denunciaretur reliquis.

[ ℣. 16. *Quando obſtetricabitis Hebræas, & partus tempus advenerit:* ] Et prope partum erunt, dicunt 70. Pro quibus in Hebræo eſt, & videritis ſuper ſellas: hoc eſt, in vulva ſeu in oſtiis vulvæ, quæ pueri ſedes eſt. Non erat Pharaonis intentio, ut proles aliquanto tempore ſervaretur viva, & poſtea interficeretur; ſed callida obſtetricum vaſritie volebat in ipſo partus momento necari; & quidem ita latenter ut vel caſu vel ex partus difficultate putaretur accidere, & non per induſtriam fieri. Senſus ergo eſt: Cùm videritis prolem in oſtiis vulvæ, diſpicite diligenter, ſitne mas, an fœmina: &

[ *Si maſculus fuerit, interficite eum:* ] In ipſo partu ſeu ſuſceptione, ipſum ſcilicet occultè ſtrangulando, comprimendo, vel ſuffocando, ne matres poſſint advertere.

[ *Si fœmina, reſervate*. ] Ideo non jubet fœminas interfici, ſed vult ſervari, tum quòd ab imbelli ſexu non eſſet ei metuendum; tum quòd multiplices ab illis utilitates expectaret in lanificiis, textrinis & famulitiis; tum quòd, ob majorem Hebræarum pulchritudinem quam Ægyptiarum, cuperet illas ſervire ad libidinem ſive in matrimonio ſive extra. Moraliter Pharao jubet maſculos interfici, partim quando diabolus perfectis hominibus inſidiatur ut eos perire faciat, partim quando ſanctas cogitationes diſſipat, maſcula ſeu fortia & egregia opera vel cepta facit interrumpere, vel ne incipiantur impedit. Fœminas autem ſervat; partim quando mundi amatores, otioſos, molliter cubare, delicatè vivere, ridere ac lætari delectantes fovet; partim quando opera ipſorum mala libenter ſuſtinet, imò & promovet. Obſtetrices autem duæ principales quibus ad iſta utitur; ſunt mundus & caro, hoc eſt mundi honores ac divitiæ & carnis voluptates.

Moralia.

[ ℣. 17. *Timuerunt autem obſtetrices Deum, & non fecerunt juxta præceptum regis Ægypti*, ] Hinc liquet obſtetrices plus Deum quàm regem timuiſſe: Utrùm verò illum timuerint ſolùm ut judicem ac vindicem, qui tale facinus naturali rationi clarè oppoſitum eſſet exemplariter puniturus; an etiam filiali timore ac reverentia fuerint ipſum reveritæ, incertum eſt. Potuerunt quidem ex anteriori converſatione cum Hebræis fidem pietatemque diſcere, ſed quid didicerint, quidve Deus eis contulerit, & an divinæ charitatis affectu operatæ fuerint, ſoli Deo notum arbitramur. Affirmat Hieronymus in cap. 65. Iſaiæ. Negat Gregorius lib. 18. Moral. cap. 2. Confer quæ diximus 2.2. quæſt. 110. art. 4.

[ ℣. 18. *Quibus ad ſe accerſitis*, ] vidit Pharao poſt aliquantum tempus quòd ſoſpites eſſent maſculi ab Hebræis mulieribus geniti, ſicque mandatum ſuum non fuiſſe ſervatum; Ideo ad ſe obſtetrices vocavit inquiſivitque quid eas moverit, ut contra ſuum præceptum maſculos ſervarent.

[ ℣. 19. *Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres:* ] Q. d. ne putes, domine rex, nos præceptum tuum contempsisse, sed illud non potest in Hebræis mulieribus ita perfici, sicut posset in Ægyptiis; quoniam Ægyptiæ non noverunt artem obstetricandi, & ideo non pariunt nisi tempestivè nos vocaverint ut eas adjuvemus; non sic autem Hebrææ.

[ *Ipsæ enim obstetricandi habent scientiam:* ] In Hebr. quia vivaces ipsæ: hoc est, quia ipsæ vivaci sunt ingenio ac corpore vegeto, ita ut ad pariendum non indigeant opera obstetricis, sed ipsæmet sibi sint obstetrices. Unde quod hic dicitur de scientia, accipiendum est de scientia practica seu de peritia obstetricandi. Sunt qui vocem Hebræam ita reddunt. Ipsæ sunt bestiæ Quasi dicerent, sicut bestiæ suos fœtus effundunt nullo obstetricante, ita pariunt mulieres Hebrææ.

Obstetrices fuerunt mentitæ.

[ *Et priusquam veniamus ad eas, pariunt.* ] Eas mentiri certum est, versu namque 17. disertè asseritur quòd non fecerunt juxta præceptum regis, & quòd conservaverint mares. Etsi verò quidam aliquando dubitaverint, utrùm obstetrices mentiendo peccaverint: supposito tamen, id quod ex scriptura & aliunde tamquam verissimum probavimus dicta quæst. 110. art. 3. omne omnino mendacium esse peccatum, incunctanter dicendum est illas peccasse. Quarum tamen mendacium non mortale sed veniale dumtaxat fuit peccatum, quia fuit officiosum: multis enim proderat, nimirùm Hebræis, & nulli nocebat, cùm non esset ulli præjudicium, quòd infantes Hebræorum sinerentur vivere.

[ ℣. 20. *Benè ergo fecit Deus obstetricibus:* ] *Non ideo quia mentitæ sunt*, ait August. lib. contra mendacium cap. 15. *sed quia in homines Dei misericordes fuerunt*. Tum addit: *Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia: benignitas mentis, non iniquitas mentientis*. Ideo namque Moyses statim subjicit.

[ ℣. 21. *Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos.* ] Ubi mercedem manifestè ascribit timori Dei tamquam causæ. Confirm. Ista duo, conservatio parvulorum, & mendacia obstetricum fuerunt opera omnino distincta, diversisque temporibus facta: ergo unum potuit compensari tamquam bonum & utile, quamvis alterum, utpotè malum minimè compensaretur. Dicitur autem Deus ædificasse domos obstetricibus, quia magnam familiam & copiosam posterorum stirpem eas habere fecit. Frequens enim in scriptura phrasis est, ædificare domum, pro facere progeniem, familiam & posteritatem: ut Deut. 25. *Sic fiet homini qui non ædificat domum fratris sui*, hoc est, qui non vult suscitare prolem fratri suo. Similiter Ruth. 4. Rachel & Lia dicuntur ædificasse domum Israel. Sunt qui hæc, *ædificavit eis domos*, aliter interpretentur: quasi vel Pharao domos fecerit obstetricibus, ad quas Hebrææ puerperæ diverterent, ne ullus earum masculus posset mortem evadere, vel populus Hebræus domos munitas fecerit contra impetum Ægyptiorum. Sed prætetquam quòd Ægypti nullam vim legantur intulisse obstetricibus; ex contextu clarum est, quòd suppositum verbi, ædificavit, non sit aliud quàm Deus. Alii illud, *ædificavit*, referunt quidem ad Deum, sed pronomen, *eis*, ad Hebræos referunt, non ad obstetrices, eò quòd in Hebræo sit masculini generis. Nihilominus ad obstetrices referendum est, juxta nostram versionem textui Hebræo conformem sicut etiam retulit Scholiastes Græcus. Neque obstat pronomen esse masculini generis: Docet enim & exemplis probat Oleaster, sæpè apud Hebræos pronomina masculina poni pro fœmininis, & contra; eumque sequuntur Pererius & alii Hebraicè periti. Quod autem apud 70. legitur, *fecerunt*, nimirum obstetrices, *sibi domos*; verificari quidem potest dicendo quòd ipsæ divino peculiarique auxilio adjutæ, sibi domos construxerint, suamque posteritatem auxerint: sed verisimilius est vitiosè positum esse, fecerunt, pro fecit. Cæterum, etsi ad litteram per ædificationem domus præmium temporale intelligamus, nihil tamen obstat spiritualem etiam ac æternam mercedem illis obstetricibus donatam esse, si ex fide per charitatem operante misericordes fuerint in Hebræos, atque ita perseveraverint. Id quod nos ignoramus.

Quid sit ædificare domos.

[ ℣. 22. *Præcepit ergo Pharao omni populo suo,* ] cernens se prioribus dolis ad Hebræorum extinctionem non proficere, ad apertam & publicam infantum necem gradum facit. Sic impii proficiunt in pejus 2. ad Tim. 3. Cui porro præceptum hoc dederit, solisne Ægyptiis, an etiam Israelitis, dubitatur. Abulensis & Oleaster volunt quòd solis Ægyptiis, tum quòd illi soli erant propriè populus Pharaonis; tum quia facilè credidisset Hebræos non futuros fuisse tam crudeles in suas proles. Si cui tamen cum Dionysio Carthus. videatur ad omnes tam Israelitas, quàm Ægyptios præceptum fuisse directum, nihil dicet improbabile. Nam & Israelitæ Pharaonis imperio subjecti, erant ejus populus; unde ipsi cap. 5. ad eum ita loquuntur, *injustè agitur contra populum tuum*; & regis malitia erat tanta, ut putaret metu mortis sibi obediendum, etiam ab Hebræis.

[ *Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite:* ] De solis Hebræorum masculis submergendis sermo est, ut ex præcedentibus patet, ac etiam ex eo quòd non Ægyptios perdere vellet Pharao, sed Hebræos tantùm. Unde 70. sic habent. *Omne masculinum quodcumque natum fuerit Hebræis, in flumen projicite*. Moraliter populus Pharaonis sunt dæmones & hæretici aliique homines improbi, quibus diabolus suggerit & mandat ut bonos inquietent ac perdant, sedulòque insidientur omnibus qui ad vitam spiritualem aut ad spiritualem perfectionem renascuntur, dum adhuc in ea sunt tenelli. Vult insuper diabolus masculos interfici & fœminas reservari, quatenus conatur sensum rationalem & Deum videntem extinguere, & quæ ad carnis concupiscentiam pertinent, reservare.

## CAPUT II.

*Moyses trium mensium infantulus aquis exponitur, ac propria matri à filia Pharaonis traditur educandus. Ex Ægypto propter cædem Ægyptii fugit in Madian, ibique uxorem ducit ac duos filios generat. Interim Israelitæ ad Deum clamant pro liberatione.*

[ ℣. 1. E*Gressus est post hæc vir de domo Levi: & accepit uxorem stirpis suæ.* ] Hic vir de domo seu familia Levi est Amram; & uxor quàm de sua stirpe accepit, est Jochabed, quemadmodum ex cap. 6. liquet. Utriusque autem genus ita notatur, ut sciremus Moysen tam secundùm paternam quàm secundùm maternam lineam esse de tribu Levi.

Quod dicitur, *egressus est*, non per loci mutationem accipi debet, sed per novi facti aggressionem, quia scilicet accepit uxorem, id quod antea non fecerat.

At dices, si demum accepit uxorem post illa quæ superius narrata sunt, atque adeò post mandatum de infantibus submergendis: quomodo servari potuit Aaron ne vel submergeretur vel aquis exponeretur sicut Moyses. Neque sufficit respondere ista duo verba, *post hæc*, nec in Hebræo reperiri, nec apud 70. cùm vulgata nostra editio non propterea possit rejici. Resp. vel Aaronem fuisse genitum, antequam illud crudele edictum de infantium masculorum submersione emanaret; ita ut istud, *post hæc*, non ad omnia præcedentia referatur, sed ad quædam eorum: Vel natum quidem fuisse post illud edictum, sed tunc quando illud necdum accuratè servabatur, sed potius tamquam nimis inhumanum negligebatur. Quidam explicant, quòd post omnia superius narrata Amram acceperit uxorem, non jam demum matrimonium contrahendo, cùm prius Mariam & Aaronem ex ea suscepisset, sed illum carnaliter cognoscendo, cùm plus quàm integro biennio abstinuisset. Verùm ista phrasis, *accepit uxorem stirpis suæ*, magis significare videtur quod acceperit eam in matrimonium; sicut &, quod Hebræa sonant, *Tulit filiam Levi*; & quod Græca, *sumpsit de filiabus Levi*.

Ob.

Resp.

Quoniam verò tum hic in Hebr. tum Numer. 26. etiam in Latina versione Jochabed vocatur filia Levi,

dis-

difficultas oritur, fueritne filia ejus immediata, sed proximè ex Levi genita, atque adeò amita Amram mariti sui, an solùm neptis Levi, & consobrina Amram. Quidam ex Hebraizantibus prius astruunt, addentes vocem Hebræam, doda, quæ cap. 6. reperitur, significare amitam, imò illic ita vertentes *Accepit Amram Jochabed amitam sibi in uxorem.*

At posterius verum esse probat nostra Latina editio quæ infrà cap. 6. Jochabed uxorem Amram expressè vocat patruelem ejus: quomodo etiam habet textus Ariæ Montani; conformiterque versio 70. interpretum dicit Amram duxisse filiam fratris patris sui. Cùm ergo patrueles dicantur liberi duorum fratrum, & duarum sororum; oportet quòd Amram & Jochabed essent consobrini; sive, ut alii loquuntur, cognati germani, geniti scilicet ex duobus fratribus; Amram quidem ex Caath; Jochabed verò ex Gerson vel Merari, quos constat fuisse fratres Caath. Ulterius autem sequitur quòd Jochabed tantùm fuerit neptis Levi, & non ejus filia immediata. Quæ etiam est sententia Lirani tum hoc, tum sexto cap. Neque refert Jochabed dici filiam Levi. Notum enim est frequenter in scriptura filium aut filiam alicujus vocari eam prolem quæ tantùm est ejus neptis vel proneptis, vel adhuc remotior. Sic Susanna Dan. 13. vocatur filia Juda, & aliæ mulieres filiæ Israel. Sic & Elisabeth Luc. 1. dicitur de filiabus Aaron: & Christus Dominus sæpe appellatur vel filius Abraham ut filius David. Erat ergo Jochabed filia Levi, quia ex tribu Levi genita.

Jochabed nō fuit nata immediatè ex Levi, sed fuit ejus neptis.

Non refert etiam quòd cum Numer. 26. Jochabed dicitur filia Levi, additur; *quæ nata est ei in Ægypto:* quia proles non patri dumtaxat immediato nascitur, sed etiam avo ac remotioribus genitoribus; sicut una persona dicitur genuisse aliam, non quia proximè illam genuit, sed quia per alios à se genitos, seu remotè: quomodo Matth. 1. Joram dicitur genuisse Oziam, etiamsi Ozias non nisi tribus mediantibus scilicet Ocozia, Joas & Amasia fuerit natus ex Joram. Ad vocis Hebrææ significationem quod attinet, certum est sicut Dod non tantùm patruum sed etiam patruelem & consobrinum significat, similiter Doda in fœminino significare non amitam solùm, sed insuper patruelem & consobrinam. Id quod B. Hieronymum, qui Exod. 6. vertit patruelem, non latuit, uti nec 70. interpretes neque Liranum omnes Hebraicè peritissimos.

[ ℣. 2. *Quæ concepit, & peperit filium:* ] Eum videlicet quem alii Mosen, nos Moysen vocare solemus. Josephus l. 2. Antiquit. cap. 5. refert Amram de fœtu uxoris suæ prægnantis ac de tota gente sua sollicito ac oranti, fuisse divinitus revelatum, quòd puer ei nasciturus non deprehenderetur ab observatoribus; & quòd postquam evasisset, nactusque esset præter opinionem educatores, Hebræos ex Ægyptia servitute liberaret. Et mox inquit, oraculo fidem fecit mulieris partus, quæ tam facilè tamque sine violento dolore est enixa, ut observatores fefellerit.

[ *Et videns eum elegantem abscondit tribus mensibus.* ] 70. habent videntes autem eum elegantem, occultaverunt eum &c. quo significatur res communi consilio mariti & uxoris esse gesta, quemadmodum & Apostolus ad Heb. 11. indicat scribens, quòd *occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eò quòd vidissent elegantem infantem.*

At dices, quid si inelegantem eum vidissent, an non servassent? Resp. quòd sic; scriptura tamen pro causa occultationis affert pueri elegantiam seu pulchritudinem & venustatem, quia præter amorem naturalem, quo parentes communiter prolem suam diligunt, ejus venustas & vultus gratiosus conciliare solet peculiarem benevolentiam & compassionem. Peculiariter autem hic conciliabat, quia videntes puerum tam formosum amabilem & gratiosum aspectu, crediderunt à Deo hoc esse; *ideoque per eum esse servandum.*

Dices iterum, Apostolus citato cap. 11. ascribit fidei parentum quòd Moysen occultaverint: non est ergo ascribendum ipsius elegantiæ. Resp. Neg. Cons. Nam & ipse Apostolus utrique ascribit, quemadmodum utrique est ascribendum: quia parentes Moysi permoti fuerunt ad eum servandum, eò quòd cum crederent liberationem populi Hebræi aliquando futuram, juxta promissiones patribus factas, confidebant eam hujus pueri, si adolesceret, opera & virtute complendam: *ex elegantia namque ipsius æstimabant aliquando virtutem Dei esse in illo*, ait B. Thomas lectio 5. in cap. 11. epistolæ ad Hebr. *& credebant Deum aliquid magni per eum facturum, cum esset adeò elegantis forma*, ait Anselmus seu potius Herveus apud Anselm. conformiter iis quæ Chrysostom. Theophilactus; & Theodoret. in eam epistolam scribunt. His adde quòd si vera est narratio Josephi, parentes ex conspectu pueri tam elegantis confirmati fuerunt in fide oraculi quod divinitus acceperant. Quapropter quòd parentes Moysi eum servaverunt non ex affectu carnali processit, sed ex fide divina & ex spe boni communis. Ideo Apostolus dicto cap. 11. addit, quòd *non timuerunt regis edictum.*

Parentes ex fide simul & ex elegantia Moysi, eum absconderunt.

[ ℣. 3. *Cumque jam celare non posset,* ] 70. rursum habent in plurali, *Quoniam autem non poterant ulterius ipsum abscondere.* Quærunt nonnulli quomodo non poterant eum celare ulterius, cùm tribus mensibus eum celavissent. Sed quis nesciat facilius quempiam abscondi exiguo tempore quàm longo! Qua ratione potuerunt, celaverunt puerum ab initio sive obstetricum fide, sive quòd mater obstetrice usa non fuerit, sive quòd infantum persecutio & inquisitio tepesceret vel omnino non fieret. At procedente tempore aut rumor aliquis obscurus spargi cœpit quòd Jochabed masculum peperisset, aut recrudescere cœpit persecutio, & fervore inquisitio. Scribunt enim Liranus & Abulensis quòd Pharao mandaverat quibusdam temporibus inquiri per domos Hebræorum an non laterent in eis aliqui parvuli. Adverterunt ergo parentes se diutiùs non posse suum infantem abscondere sine maximo periculo mortis & ipsius & suæ. Ideoque consilio inter ipsos inito Mater

[ *Sumpsit fiscellam scyrpeam,* ] hoc est, arculam seu parvam cistam junceam, sive ex juncis contextam: scyrpus enim idem est quod juncus. Ideo autem tam levem materiam accepit, ut fiscella super aquam facilè fluctuaret nec aliquo pondere mergeretur.

[ *Et linivit eam bitumine ac pice:* ] Extrinsecus scilicet, ne aqua fiscellam ingrederetur: eamque submergeret; non intrinsecus, ne gravis odor puerulo, qui tenellus erat, noceret.

[ *Posuitque intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis,* ] Carectum est locus in quo nascuntur carices. Cares Calepino est herba acuta & dura similis asparago: Abulensi & Pererio, est herba alta, in speciem gladii, & sub finem acuminata. Cùm igitur ejusmodi herbæ soleant in locis palustribus nasci, consequens est locum in quo fiscella Moysen continens fuit posita, fuisse palustrem, stagnantibus scilicet aquis Nili affusum ac densis juncis & caricibus plenum. Hinc 70. Thibin, pro qua noster fiscellam vertit, dicunt positam esse in palude secus flumen. Fallitur ergo Josephus dicens l. 2. antiq. c. 5. quòd vas in quo positus fuit Moyses, projectum fuerit in flumen, & ab aquis deportatum: filiam verò Pharaonis, missis natatoribus jussisse illud extrahi & ad se afferri: præsens enim textus clarè oppositum significat.

[ ℣. 4. *Stante procul sorore ejus, & considerante eventum rei.* ] Juxta imperium parentum qui sic ei mandaverant.

Si quæras, peccaverintne parentes filium suum aquis exponendo. Cum Lirano, Abulensi, Pererio, Mario, & aliis orthodoxis, Respondendum est non peccasse, sed prudenter egisse. Fecerunt enim ad eum salvandum quidquid humanitus facere potuerunt, cætera autem divinæ providentiæ commiserunt. In primis ipsum domi occultaverunt, quamdiu fuit eis possibile: & cum diutiùs occultare non possent, eum exposuerunt, quia vitam ejus aliter servare non poterant. Nam si ulterius occultare tentassent, haud dubiè per sagacissimos exploratores fuisset deprehensus, & tam ipse quàm parentes interfectus. Exposuerunt autem non quomodocumque, sed quàm tutissimè potuerunt: nimirum in fiscella be-

Non peccarunt parentes Moysi, eum aquis exponendo.

nè munita, quam aquæ non possent ingredi: & in loco tuto, scilicet in carecto ripæ fluminis, ne rapiditas aquæ posset fiscellam velociter aliorsum deferre. Deinde custodem adhibuerunt Mariam pueri sororem, ut si qua esset occasio ipsum salvandi, præsto esset, quæ tamen stabat procul, ne advenientes suspicarentur ipsam illic manere ad custodiam pueri. Quòd si nulla occurreret opportunitas puerum salvandi, ejus rei parentes moneret qui noctè eum tollerent ac postea tentarent rursum in eodem aut alio simili loco ipsum exponere divinæ providentiæ, in qua prorsus confidebant. Propter ea quæ ad vers. 2. attulimus. Allegoricè per Moysen aquis expositum propter tyrannidem Pharaonis, figurabatur Christus propter Herodis sævitiam fugiturus in Ægyptum: Moraliter autem quilibet fidelis persecutionibus & tentationibus variis expositus, qui dum est in fide vel justitia adhuc tenellus, non debet se vel periculis vel arduis negotiis objicere, sed infirmum animi & virtutis suæ robur fovere quamdiu potest; sicut Moysen foverunt ejus parentes quamdiu possibile ipsis fuit.

Allegorice. Moraliter.

[ ℣. 5. *Ecce autem descendebat filia Pharaonis* ] quam Josephus Thermutim vocat, similiterque alii post eum. Erat hæc filia, teste Philone in vita Moysi, unica patri suo, & quidem sine liberis licèt diu nupta.

[*Ut lavaretur in flumine*: ] Cùm non sit verisimile filiam regis nec aliam aliquam honestam fœminam voluisse lavari in loco publico cunctis videntibus: existimandum est fuisse locum aliquem secretiorem situm inter opaca condensaque juncorum & arundinum fluminis ubi ipsa lavaretur, quemadmodum Philo & Abulensis significant.

[*Et puella ejus* ] seu domicellæ ipsi servientes.

[ *Gradiebantur per crepidinem alvei*. ] Hoc est in ripa fluminis. In Hebr. legitur, juxta manum seu litus fluminis: 70. secus flumen, quæ idem valent.

[ *Quæ cum vidissent fiscellam in papyrione*, ] Hebr. in medio junceti. Papyrio est locus in quo frequentes oriuntur papyri: Papyrus autem est frutex instar junci seu scyrpi, vel ipse juncus. Unde fiscellam fuisse in papyrione, idem est quòd fuisse in carecto. Ex hoc porro frutice, quia olim fiebant chartæ ad scribendum, ideo charta nostra, licèt ex contritis lineis facta sit, papyrus vocatur, eò quòd eumdem scribendi usum præstet.

Allegoricè.

Observandum, quòd elegans infantulus vili scyrpo collocatur, quia futurum erat eo scribente, ut elegantia spiritus vilitate literæ tegeretur. Ipse papyrio scriptoris ejusdem futuri calamum præsignat, itud cum impetu fluminis qui lætificat civitatem Dei, contra illa vasa papyri, id est vasa scriptorum falsitatis, de quibus per prophetam dicit. *Væ terræ cymbalo alarum* &c. Ita Rupertus lib. 1. in Exod. cap. 9.

[ *Misit unam è famulabus suis*: ] Hinc liquet Josephum falli, cùm ait missos fuisse natatores qui fiscellam ex aqua educerent.

[ *Et allatam* ℣. 16. *Aperiens*, ] erat quippe appositum coopertorium supra fiscellam ne quidpiam subintraret puerulo noxium.

[ *Cernensque in ea parvulum vagientem, misertæ ejus*, ] humanum enim est viso infantulo, eoque elegante ac plorante commiseratione duci, & istam commiserationem disposuit Deus pro conservatione Moysi.

[ *Ait: De infantibus Hebræorum est hic*. ] Potuit hoc scire, tum ex sæpius publicato patris mandato, ut quiquid masculini sexus nasceretur Hebræis, projiceretur in flumen; tum ex eo quòd videret puerum esse circumcisum; Ægyptii enim, etsi postea circumcisionem susceperint, ut ex Jerem. 9. apparet; hoc tamen tempore, cùm Hebræos maximo haberent odio, ritus illorum non servabant.

[ ℣. 7. *Cui soror pueri*: ] Maria scilicet, quæ cum è longinquo observaret fratrem suum expositum, statim ut vidit eum ad filiam Pharaonis afferri, quasi fortuitò reique totius ignara accurrit, seque puellis aliis immiscuit. Josephus refert advocatas fuisse diversas mulieres, unam post aliam, quæ puero præberent ubera: & eum puer omnium mammillas aversaretur, ejus sororem dixisse: Nihil agis regina, dum nutrices infanti adhibes alieni generis mulieres: eademque referunt S. Gregor. Nyssenus in vita Moysi, Abulensis, & Marius. Tum ita subjunxit:

[*Vis, inquit, ut vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit infantulum?* ] Quam propositionem, quia videbatur esse rationabilis, approbans filia Pharaonis,

[ ℣. 8. *Respondit: Vade. Perrexit puella, & vocavit matrem suam*. ] In Heb. est, matrem pueri, eodem planè sensu; quia mater sororis, erat quoque mater pueri, etsi id nec à filia Pharaonis, nec ab aliis præsentibus sciretur.

[ ℣. 9. *Ad quam locuta filia Pharaonis: Accipe, ait, puerum istum, & nutri mihi*: ] B. Stephanus Act. 7. dicit filiam Pharaonis sibi nutrivisse Moysen: quod huic loco non repugnat; quoniam ipsa dicitur eum nutrivisse, in quantum curavit illum nutriri, & quidem sibi suoque nomine, tamquam scilicet filium suum adoptivum.

Moyses educandus datur propriæ matri.

[ *Ego dabo tibi mercedem tuam*. ] De hac respuenda nihil respondit mater, quamvis suum proprium puerum quælibet mater nutrire debeat absque mercede, quia reddidisset se suspectam pueroque suo periculum creasset, si mercedis promissionem non admisisset: Utrùm verò postea eam acceperit, vel ei oblata fuerit, est incertum.

[*Suscepit mulier, & nutrivit puerum*: ] Non ut alienum, sicut existimabat filia Pharaonis, sed ut suum proprium, sicut re vera erat.

[ *Adultumque tradidit filiæ Pharaonis*. ] In Heb. adduxit eum. Significatur quòd cùm puer esset ablactatus, & quartum vel quintum ætatis annum ageret, mater ipsum ad filiam Pharaonis, à qua nutriendum eum susceperat, adduxit, eique tradidit, postquam scilicet eum diligenter instruxerat de veri Dei notitia & cultu, deque veris ejus parentibus. Unde, ut ad Heb. 11. legitur, *Grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem*.

[ ℣. 10. *Quem illa adoptavit in locum filii*, ] Curavitque ut deinceps educaretur & instrueretur tum in morum civilitate, qualem decet filios regum, tum in diversi generis disciplinis: unde Act. 7. dicitur quòd *eruditus est omni sapientia Ægyptiorum*, quæ complectebatur Geometriam, Arithmeticam, Astrologiam, totamque Mathesim & rerum naturalium scientiam, ac insuper illam secretiorem quæ in notis hieroglyphicis consistebat.

Duo hic quæri possunt. Prius, quomodo Pharao Hebræorum osor infensissimus, permisit quòd sua filia puerum Hebræum sibi adoptaret.

Posterius, quare Deus puerum hunc voluerit educari more regio.

Ad prius Resp. Pharaonem fortassis non scivisse quòd iste puer esset Hebræus, etiamsi sciret esse adoptivum. Quòd si utrumque fuerit ei manifestatum, elegantia pueri & amor filiæ potuit efficere ut unius Hebræi vitam ipsi donaret, Deo, in cujus manu est cor regis Prov. 21. sic Pharaonis animum inflectente.

Ad posterius Resp. duas assignari posse rationes. Unam, ut futurus populi ductor ac rector, regalem addisceret urbanitatem, animique magnitudinem: Aliam, ut majoris esset authoritatis, quando ad Pharaonem mitteretur.

[ *Vocavitque nomen ejus Moyses*, ] in circumcisione parentes ei nomen imposuerant, vocantes eum Joachim, ut testatur Clemens Alexandrinus lib. 1. stromatum. At nunc illa, quæ eum sibi adoptavit, nomen aliud ei imponit, sumptum ab eventu. Unde sequitur in textu:

[ *Dicens: quia de aqua tuli eum*. ] Quæritur autem fitne, Moyses, Hebræum, an Ægyptium nomen. Quoniam Moses Hebraicè significat tractum vel extractum, & subaudiendum est ex aquis. Sunt qui Hebræum esse contendunt, adduntque genuinè pronunciandum esse Moses, corruptè dici Moyses.

Verisimilius tamen est quòd sit nomen Ægyptium, sicut

Moyſes eſt nomen Ægyptium. ſicut Joſephus, Philo, Clemens Alex. & alii tradunt; partim quia Mo Ægyptiis ſignificat aquam, Iſes verò ſervatum, ut Moyſes idem valeat quòd ex aqua ſervatus; partim quia non eſt credibile quòd mulier Ægyptia idioma Hebræum calleret; vel loqueretur, eo præſertim tempore quo gens Hebræa erat Ægyptiis maximè exoſa; illorum enim, quos odio magno habemus, & linguam & mores faſtidire potius quàm diſcere & imitari ſolemus, partim quia expreſſius ſignificatur eventus rei juxta etymon Ægyptium quàm juxta Hebræum: nam Hebræum ſolùm ſignificat extractus, & Ægyptium importat quod ex aquis.

Quod de pronunciatione adſertur, mirum eſt quomodo cum vulgata editione Latina poſſit conſiſtere, quæ conſtanter Moyſen vocat & non Moſen. Plus probabilitatis habet quod Marius notat juxta etymon Hebræum, dicendum eſſe Moſes ſine y; juxta Ægyptium Moyſes; ut ſit triſyllabum.

Allegoricè. Allegoricè obſerva antitheſim inter Chriſtum & Moyſen: nam Chriſtus venit in aqua & ſanguine 1. Joan. 5. quia & populum, qui per aquam ſignificatur, juxta illud Apoc. 17. *Aqua quas vidiſti, populi ſunt & gentes*, congregavit; & per ſanguinem ſuum redemit: At Moyſes qui ſolùm venit in aqua, populum quidem congregavit, ſed non redemit; eductio enim de Ægypto per virtutem ſanguinis Chriſti facta eſt. Figuram quoque Chriſti geſſit. Nam ſimili cum Pharaone Herodes ſuſpicione laborans, ad idem crudelitatis argumentum convertitur, & decipitur. Utrobique pro unius ſuſpecta perſona trucidatur numeroſitas puerorum. Utrobique is qui quærebatur evadit. Et quo modo Moyſen filia Pharaonis, ita Chriſtum quoque Ægyptus (quæ non immeritò filia Pharaonis intelligitur) ſuſcepit cuſtodiendum.

[ ℣. 11. *In diebus illis poſtquam creverat Moyſes*, ] Agebatque annum ætatis quadrageſimum, ſicut patet ex Act. 7. v. 23. Poſt infantiam Moyſi uſque ad hoc tempus nihil de Moyſe proditum eſt in ſacris litteris, quemadmodum nec de Chriſto poſt ejus infantiam uſque ad annum trigeſimum quidquam tradiderunt Evangeliſtæ, præter remanſionem ejus duodennis in templo Lucæ 2. Manſit ergo Moyſes in aula Pharaonis uſque ad quadrageſimum ſuæ ætatis annum: Quo tempore magni eum fuiſſe habitum paucis oſtendit B. Stephanus dicto cap. 7. dicens: *Et erat potens in verbis & in operibus ſuis;* non quòd jam tunc aliqua miracula faceret; non eſt enim veriſimile quòd ulla ediderit prius quàm mitteretur ad Pharaonem cap. 3. ſed quia ejus verba magni fiebant & in rebus agendis tam civilibus quàm militaribus præſtabat ſe virum egregium, ita ut & regi & aliis eſſet admirationi.

[ *Egreſſus eſt ad fratres ſuos:* ] Hoc eſt ad Hebræos qui cum illo ejuſdem gentis erant. Non dubium quin antea ſæpius fratres ſuos viſitaverit, duriſque laboribus oppreſſos conſolatus fuerit: At nunc peculiariter dicitur egreſſus, quoniam relicta aula regia, ſpretaque adoptione, qua filia Pharaonis, ipſum habebat pro filio, contribules ſuos filios Iſrael per Ægyptum ſparſos & variè ab Ægyptiis afflictos jam inviſit, palam
Moyſes viſitat Hebræos. profitens ſe Hebræum eſſe, & nequaquam filiæ Pharaonis filium, nec ad aulæ delicias redire cupiens: Hoc enim eſt quod Apoſtolus ad Hebr. 11. memorat: *Fide Moyſes grandis factus negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem.*

Sed quare hujuſmodi egreſſum ſuum tam diu diſtulit Moyſes? Reſp. rationem fuiſſe, non quòd de ſuorum liberatione non eſſet ſollicitus, ſed partim quia expectandam ſibi putabat eam ætatem, quæ magnis rebus gerendis maximè judicatur idonea; partim quia rem tantam, quam animo conceperat, non arbitrabatur aggrediendam ſine peculiari Dei inſtinctu quem antea necdum ſenſerat, nunc autem ſenſit: Nam quod Act. 7. legitur aſcendiſſe in cor ejus, ut viſitaret fratres ſuos, intelligendum eſt de eo quod venit illi in mentem divinitus illuſtratam ac motam.

[ *Viditque afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebreis fratribus ſuis.* ] Illam percuſſionem fuiſſe injurioſam teſtatur B. Stephanus eodem cap. 7. dicens, *cum vidiſſet quemdam injuriam patientem, vindicavit illum*. Quòd eſſet valde gravis, ex eo colligitur, quòd alioquin Moyſes qui erat vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terra, Num. 12. non voluiſſet eam morte percuſſoris vindicare.

[ ℣. 12. *Cumque circumſpexiſſet huc atque illuc, & nullum adeſſe vidiſſet*, ] qui ad Pharaonem eum deferret, vel aliis Ægyptiis nunciaret, qui majori in Hebræos odio & ira inde poſſent accendi:

[ *Percuſſum Ægyptium abſcondit ſabulo.* ] Q. d. Ægyptium illum interfecit, & interfectum in arena abſcondit.

In hac egreſſione Moyſes typum Chriſti geſſit, qui Allegoricè. de ſummo cœlo egreſſus eſt, viditque afflictiones eorum quos fratres ſuos vocare dignatus eſt, & Ægyptium qui Hebræo injurioſus erat, id eſt, diabolum debellavit; & quidem cum magna circumſpectione, quia non potentia eum vincere voluit, ſed humilitate & ſapientia. Percuſſum Ægyptium Moyſes abſcondit ſabulo; quia & diabolus & ejus tentationes abſconduntur in bonis hujus mundi, quæ inſtar arenæ vilia ſunt & inſtabilia.

Moraliter per Ægyptium & Hebræum litigantes re- Moralia. ctè intelliguntur ſtudia humanæ & divinæ ſapientiæ, quæ frequenter in uno homine luctantur. Oportet autem imitari Moyſen, & magno generoſoque animo percutere Ægyptium, pravas cupiditates amputando, & radicitus evellendo, ut veram ſapientiam poſſimus acquirere.

Quæſtio manet: utrùm Moyſes interficiendo Ægyptium peccaverit. B. Auguſtino viſum aliquando fuit eum peccaſſe, ob defectum poteſtatis, l. 22. contra Fauſt. c. 70. Sed in ea opinione ipſum non manſiſſe liquet ex iis quæ quæſt. 2. in Exod. ſcribit. Hebræi cædem hanc miraculo aſcribunt, dicentes Moyſen occidiſſe Ægyptium pronunciando nomen tetragrammaton: Sed abſque fundamento loquuntur, nec ſatis conſentaneè textui qui affirmat Moyſen percuſſiſſe Ægyptium; percutere autem non eſt verbo, ſed gladio vel aliis armis ferire.

Communis, omninoque tenenda Reſponſio eſt Moyſes non peccavit occidendo Ægyptium. Moyſen nequaquam in eo facto peccaſſe, Cùm enim laudetur tamquam vir mitiſſimus Numer. 12. manſuetudini autem maximè adverſetur injuſta hominis occiſio: Cumque inſigniter juſtus eſſet, utpotè *magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem*, ad Hebr. 11. non eſt credibile quòd tantum facinus tantamque injuſtitiam perpetrare voluerit, quantam continet homicidium.

Neque concedendum eſt quòd privata authoritate percuſſerit Ægyptium, ſed publica tum juris naturæ, tum divinæ inſpirationis: duobus namque modis iiſque non ſibi oppoſitis, ſed benè conſentientibus, vindicari poteſt Moyſes à culpa homicidii. Uno, dicendo quòd Ægyptium percuſſerit ex officio charitatis, & ex jure naturali, quo licet proximum innocentem ab injurioſo invaſore defendere, quòdque non aliter innocentem tueri potuerit, propter vehementiam invaſoris; & ideo non exceſſerit moderamen inculpatæ tutelæ. Altero, eoque maximè probabili & ſcripturæ convenientiſſimo, ſi dicamus Moyſen ex divino inſtinctu & authoritate divinitus accepta, cædem illam feciſſe. Hoc enim indicat B. Stephanus Actor. 7. Id fecit divina authoritate. ubi dicens, quòd *cum Moyſes vidiſſet quemdam injuriam patientem, vindicavit illum*, ſubdit: *Exiſtimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipſius daret ſalutem illis*. Factum quippe illud, ex Dei voluntate ſignificabat, quòd ſicut iſte Hebræus fuit per miniſterium Moyſi liberatus ab Ægyptii percutientis injuria; ita populus Hebræorum eſſet per ejuſdem miniſterium liberandus à ſervitute & oppreſſione Ægyptiaca: Et iſtam ſignificationem benè intelligebat Moyſes, exiſtimabatque quòd Hebræi contribules ſui etiam intelligerent: Unde fit conſequens quòd ſciret ſe eſſe à Deo deſtinatum defenſorem ac liberatorem ſuæ gentis, & quod in iſtius rei ſignum divina authoritate fecerit id quod hìc feciſſe legitur. Priorem modum tradit S. Ambroſ. lib. 1. de officiis cap. 36. & lib. 1. Hexameron cap. 2. Poſteriorem Auguſtinus, Rupertus, & Lyranus ſuper Exod. Oecumenius ſuper Acta. Utrumque B. Thomas 2. 2. q. 60. art. 6. ad 2.

Si di-

Solvitur ob. Si dicas, solam percussionem qua Ægyptius percutiebat Hebræum, ooo videri fuisse dignam morte: Resp. fuisse dignam in illis circumstantiis: Vel enim ita gravis erat & continua, ut Moyses non aliter posset vim repellere: Vel Deus inspiravit Moysi, ut illum interficeret, volens & Ægyptum punire, & Israelitis date signum liberationis.

Alia ob. Resp. Si præterea dicas Moysen non debuisse huc illuc circumspicere, si legitima authoritate præditus erat: Negandum est, quoniam nec moderamen inculpatæ tutelæ potuisset probare apud Pharaonem, si ad eum fuisset delatus; nec de divina vel authoritate, vel revelatione quidquam audire voluisset Pharao.

[ ℣. 13. *Et egressus die altero* ] Qui proximè sequebatur eum diem in quo percusserat Ægyptinm, ut habetur ex Act. 7. v. 26. collato cum versu 28. & cum præsentis cap. versu seq.

Allegorice. [ ℣. 14. *Quis te constituit principem & judicem super nos?* ] Ita Christum rejecerunt Judæi ne esset princeps super eos, cùm in propria venit, & sui eum non receperunt, Joan. 1.

[ *Num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium?* ] Id quod vel eminus ipse viderat, vel ab Hebræo quem defenderat Moyses, vel ab aliquo alio intellexerat.

[ *Timuit Moyses* ] ne res deferretur ad Pharaonem, & ne is vellet eum occidere.

[ *Et ait: quomodo palam factum est verbum istud?* ] Verbum pro re ponitur, sicut frequens est in sacris litteris, ut Deut. 8. v. 3. Isai. 39. v. 2. Luc. 2. v. 15. In Hebr. sic assertivè legimr: *Verè scita est res.* Non malè tamen noster vertit per interrogationem; quia est assertio admirationis plena: q. d. Itane res illa innotuit?

[ ℣. 15. *Audivitque Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Moysen:* ] Cujus virtutem & magnanimitatem verisimiliter jam antea suspectam habebat, postquam scivit quòd Hebræos visitaret, suis præsertim Ægyptiis eum incitantibus.

Quæst. [ *Qui fugiens de conspectu ejus,* ] ex his abundè constat Moysen fugam hanc arripuisse ex metu Pharaonis: unde quæritur quomodo Apostolus ad Hebr. 11. ita scribat de Moyse: *fide, reliquit Ægyptum, non veritus*

Resp. *animositatem regis.* Resp. Apostolum non loqui de hac fuga, sed de exitu illo quo Moyses reliquit Ægyptum, inde universum populum Hebræum, jubente Deo, educens. Quo tempore non solùm non est veritus regem, tametsi obstinatissimè repugnantem & ferocissimè comminantem, sed fide armatus, constans & imperterritus totam gentem suam ex Ægypti sedibus eduxit. Neque etiam postea timuit regem licèt eum exercitu validissimo insequentem, usque ad mare; sed credens Deum ea quæ promiserat, non obstantibus quibuscumque impedimentis præstiturum, intrepidus mansit, suosque fortiter animavit. Ita respondent Glossa interlin. Lyran. B. Thomas in cap. 11. ad Hebr. ibidemque Estius: & Pererius ac Marius in Exod. videturque illa responsio esse optima. Neque refert apud Apostolum sequi sermonem de celebratione paschæ, quæ tamen præcessit illum exitum, quo Moyses Ægyptum deseruit cum toto populo Hebræorum: Responderi enim potest in eo non servari ordinem rei gestæ, quemadmodum nec in illo quod ibidem refertur: *Jacob moriens singulos filiorum Joseph benedixisse, & adorasse fastigium virgæ ejus;* cùm ista adoratio prior fuerit benedictione filiorum Joseph, ut clarum est ex Gen. 47. & 48.

Verumtamen si quis existimet Apostolum in epistola ad Hebr. loqui de hac fuga Moysi; dicere potest eum B. Thoma in timore duo esse consideranda. Unum vituperabile, si propter timorem aliquid fiat quod non licet facere; vel aliquid omittatur quod non licet omittere: Alterum laudabile, quando quis salva fide & honestate refugit periculum quod rationabiliter metuit, & quod potest benè evitare. Quoad prius Moyses non timuit, quia propter timorem non omisit juvare fratres. Quoad posterius timuit, ac nihilominus ex fide reliquit Ægyptum, quia confidens de divino auxilio, ad tempus fugit, periculumque sicut poterat, vitavit.

[ *Moratus est in terra Madian,* ] Madian fuit urbs sic vocata à Madian filio Abrahæ ex Cætura: A quo etiam tota illa regio nomen habuit. Eam fuisse propinquam monti Sina, interjectamque inter Ægyptum & terram Chanaan, doceri potest tum ex cap. 3. ubi Moyses pascens gregem soceri sui Madianitæ, eum gregem duxit usque ad montem Horeb seu Sina; tum ex cap. 18. ubi idem socer ex regione Madian venit ad Moysen qui castrametatus erat juxta illum montem secumque duxit ejus uxorem ac filios: quod signum est regionem Madianitidem non valde remotam fuisse à monte Sioa. Neque refert hunc montem situm fuisse in Arabia, ad Galat. 4. Ad Arabiam enim etiam pertinebat terra Madian.

[ *Et sedit juxta puteum.* ] Abulensis observat ordinem hic esse mutatum: quoniam Moyses, ut advena, nesciens quò diverteret, prius sedit apud puteum, & postea liberatis filiabus sacerdotis Madian, in terra illa moratus est. Idemque etiam notavit Dionys. Carthus. Puteus ille in agro erat, sicut alius Genes. 29. omninoque credibile est Moysen, utpotè virum sanctum, magnis precibus Deo iter suum commendasse, Deum autem ei inspirasse ut juxta puteum istum sederet, quia ibi esset inventurus commoditatem habitationis.

[ ℣. 16. *Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ,* ] Raguel idem est qui & Jethro.
Tria hic quæri possunt. Primum quod hujus sacerdotis nomen. Secundum, fueritne verus sacerdos. Tertium utrùm Dei, an idolorum sacerdos fuerit.

Ad primum Resp. sacerdotem hunc appellatum fuisse Raguelem & Jethro, ut testatur S. Hieronymus cap. 7. contra Helvidium; intelligique potest ex hujus cap. versibus 18. & 21. collatis cum versu 1. cap. 3. ac etiam ex versione 70. qui hoc ipso cap. nunc Jetbro seu Jethro eum vocant, nunc Raguelem.

Hebræi tradunt ipsum fuisse quadrinomium, dicentes quòd etiam vocatur Cinæus Judic. 4. & Hobab Numer. 10. At Cinæus non proprium nomen est, sed gentilitium, quemadmodum patet ex Judic. 4. ubi dicitur quòd Haber Cinæus recesserat à cæteris Cinæis fratribus suis; & ex 1. Reg. 15. ubi Saul dixit Cinæo: abite, recedite, atque descendite ab Amalec. Hobab Hobab erat filius Raguelis. autem non est idem qui Jethro vel Raguel, sed erat filius Raguelis Num. 10. vers. 29. Vocat quidem Hieronymus lib. de locis Hebr. in verbo Madian, Hobab socerum Moysi: Sed respondet Pererius Hieronym. non tam authorem istius libri fuisse quàm interpretem. Librum enim ab Eusebio Græcè compositum Hieronymus in latinum sermonem convertit, ut ipse in libri præfatione ait.

Ad 2. quamvis vox Hebræa Cohen frequentissimè sacerdotem propriè dictum significans, interdum usurpetur ad designandum regem vel principem aulæ: unde quod 2. Reg. 8. dicitur, *Filii David sacerdotes erant,* 1. Paralipp. 18. sic transfertur: *Filii David primi ad manum regis:* vero tamen similius est hunc Jethro Jethro fuit verus sacerdos. seu Raguelem fuisse sacerdotem propriè dictum; tum quia 70. qui semper vocabulo sacerdotis propriè utuntur, eum vocant sacerdotem; tum quia inferius cap. 18. legitur obtulisse sacrificium. Eumdem autem simul fuisse principem nihil vetat; cùm & Melchisedech fuerit rex & sacerdos; pariterque Machabæi principes seu duces fuerint ac sacerdotes.

Ad 3. Abulensis & Pererius Respondent Jethro fuisse sacerdotem idolorum; partim quia erat sacerdos Madianitarum qui Deum verum non colebant; partim quia dicto cap. 18. indicatur quòd ad Dei cognitionem & cultum tunc demum conversus fuerit, quando Moyses ei narravit cuncta quæ fecerat Dominus Pharaoni & Ægyptiis propter Israel. Unde & dixit: *Nunc cognovi quod magnus Dominus super omnes Deos.*

Arborum nihil convincit. Sicut enim Melchisedech inter Chananæos idololatras habitans veri Dei cultor & sacerdos fuit; ita potuit esse Jethro inter Madianitas; præsertim cum videatur descendisse ex Abraham per Cæturam, Ideoque nihil mirandum si & ipse fidelis fuerit, & aliquot alii præter ipsum fideles fuerint in terra Madian: Neque ex cap. 18. concludi potest quòd Jethro tunc demum fuerit conversus ad Deum: est enim modus loquendi Hebræorum quo dicere solent *Nunc cognovi,* quando id quod prius cognoscebant,

per

per experientiam cognoſcunt, vel per aliquid novum in priori cognitione confirmantur. Unde 3. Reg. 17. Vidua quæ antea ſciebat Eliam eſſe virum juſtum & prophetam Dei; poſtquam ejus filium ſuſcitavit, exclamat: *Nunc in iſto cognovi quoniam vir Dei es tu*. Adde quòd etſi concederetur Jethro aliquando fuiſſe idololatram & idolorum ſacerdotem; non eſt tamen veriſimile quòd demum converſus fuerit, quando venit ad Moyſen cum ejus uxore & filiis: quis enim credat quòd toto quadraginta annorum ſpatio, quo Moyſes apud eum habitavit, eum non converterit?

Quapropter etſi non improbabiliter ſentiant qui dicunt illum fuiſſe ſacerdotem idolorum, quando Moyſes ex Ægypto fugiens venit in Madian: probabile nihilominus eſt quòd nunc eſſet ſacerdos Dei; tum quòd ſcriptura vocet eum abſoluté ſacerdotem; tum quòd nullum ſit argumentum efficacius concludens pro ſacerdotio idolorum. Videri poſſunt Eſtius & Bonfrerius.

[ *Quæ venerunt ad hauriendam aquam:* ] Pro gregibus adaquandis. Unde ſequitur.

[ *Et impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris ſui*. ] Honorabilem olim fuiſſe occupationem, paſcere greges, conſtat ex Gen. cap. 24. de Rebecca, cap. 29. de Rachele; & ex cap. 30. de filiis Laban: & hinc eſt quòd filiæ Jethro non dedignabantur paſcere greges, quamvis illarum pater eſſet vir honoratus.

Moralia. [ ℣. 17. *Supervenere paſtores, & ejecerunt eas:* ] Earumque greges abegerunt ne de canalibus impletis poſſent adaquari. Figurabant hi eos principes ac paſtores impios qui claudunt regnum cœlorum ante homines Matth. 23. & impediunt ne fideles veram doctrinæ ſalutaris aquam hauriant.

[ *Surrexitque Moyſes, & defenſis puellis, adaquavit oves earum*. ] Quo modo unus contra plures? Quia Moyſes ita erat reverendus, & elegantis formæ, & potens in verbis, ut ad ejus ſermonem cuncti cederint. Ita Chriſtus malos paſtores abigit, præbetque ſuis ovibus aquam vitæ. *Omnes ſitientes venite ad aquas*. Iſa. 55. *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat*, Joan. 7.

[ ℣. 18. *Quæ cum revertiſſent* ] ſic & Tullius uſurpat verbum *reverto*, dum ita loquitur lib. 2. off. ſi ille non revertiſſet, moriendum eſſet ipſi.

[ *Ad Raguel patrem ſuum*, ] hic eſt ille qui verſu 16. dicitur ſacerdos Madian, & cap. 3. vocatur Jethro.

[ *Dixit ad eas: Cur velocius veniſtis ſolito?* ] Sic interrogat, quia boni patris-familias eſt curare, an familia ſit in agendis ſedula, & inquirere de tarditate & celeritate negotiorum, præſertim quæ filias concernunt.

[ ℣. 19. *Reſponderunt: Vir Ægyptius liberavit nos de manu paſtorum:* ] Moyſen pro Ægyptio vel ex habitu cognoſcebant, vel ex eo quòd retuliſſet ſe in Ægypto natum, ibi diu habitaſſe & nunc inde venire.

[ ℣. 20. *Vocate eum ut comedat panem*. ] Ideſt, ut ſumat refectionem: panis enim nomine quilibet cibus ſignificatur. Unde Gen. 43. *Audierant quòd ibi comeſturi eſſent panem*.

[ ℣. 21. *Juravit ergo Moyſes quòd habitaret cum eo*. ] Scilicet Raguele. Plura hic brevitatis ſtudio prætermittuntur, quæ non dubium eſt interceſſiſſe; ſed relinquuntur ſubintelligenda: Nam puellæ, ſi non omnes, ſaltem aliquæ redierunt ad Moyſen, qui adhuc juxta fontem expectabat, eique patris voluntatem expoſuerunt, ac perſuaſerunt ſecum venire ad ipſius ædes. Ubi peramanter fuit ab eo ſalutatus, & menſa benignè exceptus, animadverſaque ejus indoles & prudentia. Deinde, poſt multa ultro citroque verba, rogatus an ibi vellet habitare, conſenſit, juramentoque promiſit quòd cum eo habitaret, neque ab eo ſine ejus licentia recederet. Cujus rei ſignum eſt quòd cum deberet in Ægyptum reverti, licentiam à ſocero ſuo petiiſſe legitur cap. 4. Pro, *Juravit*, alii ex Hebræo vertunt, voluit, ſeu acquievit habitare vel habitavit cum eo. Sed Marzilla & Hebræi apud Oleaſtrum dicunt quòd vox Hebræa etiam ſignificat jurare.

[ *Accepitque Sephoram filiam ejus uxorem:* ] Cum aliquamdiu ibi habitaſſet.

[ ℣. 22. *Quæ peperit ei filium, quem vocavit Gerſam*, ] Non ſtatim hunc peperit ut Moyſes in Madian habitare cœpit, ſed paucis annis antequam inde recederet: tam parvulus enim adhuc erat quando Moyſes in Ægyptum rediit, ut eum ejuſque fratrem & matrem aſino imponeret, ſicut habetur cap. 4. quod nimirum non poſſent ire pedeſtres.

[ *Dicens: Advena fui in terra aliena*. ] Rationem dat, quare ſic filium ſuum vocet, Nam Ger ſignificat peregrinum; & ſcam, illic; unde Gerſcam idem valet quod peregrinus illic. Ita Pater æternus Chri- Allegorice. ſto deſponſavit Eccleſiam ex gentibus collectam, quæ vocari poteſt Sephora ideſt, pulchra, juxta illud Cant. 4. *Quam pulchra es amica mea*. Et hæc parit advenam, quia Chriſtiani revera ſunt peregrini in hoc mundo *confitentes, quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram*, ad Hebr. 11. & quòd *non habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus*, ad Hebr. 13.

[ *Alterum verò peperit, quem vocavit Eliezer, dicens: Deus enim patris mei adjutor meus eripuit me de manu Pharaonis*. Iſta non ſunt in Hebræo, putaturque à quibuſdam quòd hic inſerta ſint ex cap. 18. Sed cum Interpretes 70. ſicut & B. Hieronymus ea hic habeant, dicendum eſt quòd Hebræa olim ea haberent etiam in præſenti cap. quòdque textus Hebræus non ubique ſit integer & incorruptus, quemadmodum probavimus lib. 1. controverſ. quæſt. 2. art. 4. Eli ſignificat Deus meus; Ezer, adjutor: unde patet iſtud nomen convenienter fuiſſe impoſitum. Maluit tamen Moyſes dicere Deus patris mei, quàm Deus meus, ut indicaret tum non novi Dei ſe eſſe cultorem, tum ſperare ſe exhibitionem illorum quæ Deus promiſerat patribus.

[ ℣. 23. *Poſt multum verò temporis mortuus eſt rex Ægypti:* ] Non ille ſub quo natus & educatus fuit Moyſes, nec is ſub quo fugit de Ægypto, ſed illorum ſucceſſor ſecundus vel tertius, erat enim Moyſes annorum octoginta, quando ex Madian rediit in Ægyptum.

[ *Et ingemiſcentes filii Iſrael, propter opera vociferati ſunt:* ] Antea quoque ingemuerant, ſed novo rege regnante, ipſoſque durius tractante magis ingemuerunt, magiſque permoti fuerunt ut ad Deum recurrerent, ac eum flebilibus vocibus invocarent.

[ *Aſcenditque clamor eorum ad Deum ab operibus*. ] Seu propter opera, eorumque importunam exactionem.

[ ℣. 25. *Et audivit gemitum eorum*, ] Loquitur ſcriptura de Deo ſecundùm modum humanum: Tunc enim dicitur aliquis audire clamorem anguſtiati & afflicti, quando incipit eum adjuvare.

[ *Ac recordatus eſt fœderis quod pepigit cum Abraham, Iſaac, & Jacob*. ] Non cadere in Deum re- Quid eſt Deum recordari afflictorum. cordationem, certum eſt, cùm nullius poſſit oblivisci, habeatque omnium clariſſimam & perfectiſſimam notitiam: ſed recordari dicitur quando ad modum recordantis ſe habet, quod eſt quando præbet auxilium eoſque liberare incipit quos antea permiſit cruciari, perinde ac ſi fuiſſet eorum oblitus. Ideo autem meminit fœderis cum patribus initi, ut oſtendat quòd eorum intuitu liberaverit Deus Hebræos.

[ ℣. 25. *Et reſpexit Dominus filios Iſrael*, ] vultu benigno volens eos liberare de ſervitute Ægyptiaca.

[ *Et cognovit eos*. ] Ita legendum, non verò, & liberavit eos, ex Hebræis melioribuſque Latinis codicibus patet. Sermo autem eſt de cognitione affectiva. q. d. Deus reipſa oſtendit quòd eorum curam haberet eoſque diligeret, mittendo nimirum eis liberatorem. Nec diſſentiunt 70. dicentes, *& cognitus eſt illis*: hoc eſt, re ipſa experti ſunt quòd Deus eorum curam haberet.

## CAPUT III.

*Dominus Moysi oves Jethro pascenti apparet in rubo, quem videt ardere & non comburi. Et Moyses destinatur ad Pharaonem liberaturus Hebraeos.*

[ ℣. 1. **M***oyses autem pascebat oves Jethro soceri sui* ] ita legendum, *soceri*, non autem ut quidam, cognati sui, ex Hebræis, Græcis, ac Latinis exemplaribus liquet. Cùm ergo Sephora uxor Moysi fuerit filia Raguelis cap. 1. & hinc constet eam fuisse filiam Jethro; consequens est Raguelem & Jethro fuisse eumdem. Cæterum quare Deus voluerit Moysen esse pastorem ovium, idque per annos quadraginta, duplex ratio reddi potest. Una ut ad principalem pastoratum prius erudiretur. Pastoralis enim ars quoddam præludium est ad regimen hominum, ut est apud Philonem in vita Moysi & Clementem Alex. lib. 1. strom. Altera, ut Moyses plus haberet otii ad vacandum Deo & orationi, sicque melius se præpararet ad officium ei injungendum.

Cur Moyses pastor ovium.

[ *Cumque minasset gregem* ] Minare pro ducere non barbarum esse sed latinum ex Calepino potest intelligi. Unde est versus quem Abulensis Ebrardo ascribit: Pastor oves baculo minat, lupus ore minatur.

[ *Ad interiora deserti*, ] Alii ex Hebr. post desertum, hoc est in posteriora & interiora loca deserti; tum ut uberiora pascua inveniret in ea deserti quam alii pastores minùs frequentabant; tum ut liberius vacaret contemplationi & orationi. Solitudo namque aptissima est ad tractandum cum Deo qui Oseæ 2. ait: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.*

Horeb & Sina unus mons, sed duo juga habens.

[ *Ad montem Dei Horeb.* ] Hieronymus in locis Hebraicis scribit sibi videri eumdem esse montem qui nunc Choreb seu Horeb, nunc Sina vocatur. A quo non penitus discrepant qui dicunt eumdem esse montem, sed bijugem seu bicollem; ita ut infernè esset unus mons qui supernè attollebatur in duo juga, quorum unum Sina dicebatur, alterum Horeb. Unde intelligi potest quare lex quæ communiter dicitur data in monte Sina, Deut. 5. significatur data fuisse in Horeb: & quare apparitio quæ hic scribitur facta in Horeb, Act. 7. legatur facta in deserto montis Sina. Vocatus autem est iste mons Horeb, sive ut Hebræi scribunt, Choreb; tum à siccitate, tum à solitudine; Hebræis enim Choreb utrumque significat: Sina verò à ruborum qui illic nascuntur frequentia: nam Sene à quo Sina dicitur, idem valet quod rubus.

Quæ notabilia contigerint in monte Horeb.

In hoc monte multa contigerunt notatu digna. In primis enim Deus ibi apparuit Moysi in rubo, ut mox dicetur. Secundò, Moyse illic petram percutiente, exivit ex ea aqua, infra cap. 17. Tertiò Moyses ibidem orans & manus levans obtinuit ut Josue vinceret Amalec, eodem cap. 17. Quartò Deus in eodem monte legem dedit, Exod. 19. & 20. Deut. 5. Act. 7. Quintò Moyses ibi jejunavit 40. diebus & 40. noctibus, Exod. 34. Sextò propter vitulum ibi adoratum Moyses multos è populo trucidavit, Exod. 32. & Levitæ Moysi adjutores à Deo laudari fuerunt, Deut. 34. Septimò usque ad hunc montem venit Elias ambulans in fortitudine cibi quem sumpserat, 40. diebus & 40. noctibus, viditque Dominum transeuntem in sibilo auræ tenuis, 3. Reg. 19. Octavò Corpus S. Catharinæ in eo monte sepultum fuit ab Angelis.

Mons Horeb cur mons Dei.

Si quæras quare mons prædictus vocetur mons Dei? sunt qui rationem hanc adferant, quòd vulgari rumore celebre esset apud istius loci accolas divinum numen illic habitare, qui propterea montem illum existimabant esse sacrum & inaccessum. At talis rationis nullum produci potest conveniens argumentum: Cum enim ejus regionis homines ferè omnes essent idololatræ, neque constet de Dei apparitionibus antehac ibi factis, unde natus fuisset hujusmodi rumor vel opinio? Imò cum Moyses vir sanctus illuc gregem duxerit nihil de loci sanctitate sciens, ut ex versibus 3. & 5. apparet; verò similius est nec alios quidquam audivisse de divini numinis illic habitatione.

Plus probabilitatis habet istum montem idcirco præsenti cap. vocari montem Dei, quia eo tempore, quo Moyses librum hunc scribebat, appellabatur à fidelibus mons Dei; etiamsi non sic vocaretur quando ad eum venit cum ovibus Jethro. Appellationis autem ratio una est quòd mons ille esset valde magnus: quæ autem sunt valde magna, fideles dicere solent esse Dei, quomodo dicimus cedros Dei. Alia eaque potissima est, quia in illo monte revelata fuerat gloria Dei & lex à Deo data.

[ ℣. 2. *Apparuitque ei Dominus* ] In Hebr. Angelus Domini: quomodo etiam legerunt 70. Quæritur autem qualis fuerit hic Angelus, creatus an increatus. Quidam è veteribus arbitrantur fuisse increatum, Dei scilicet filium: quia is qui apparuit, versu 4. seipsum vocat Deum, etiam juxta textum Hebraicum. Non potest autem fuisse Deus Pater, quia ipse non est Angelus, cùm à nullo mitti possit: Non potest quoque fuisse Spiritus sanctus, quia licèt mittatur à Patre & Filio, nusquam tamen vocatur Angelus. Restat ergo ut fuerit Dei filius, qui & Deus est, & magni consilii Angelus vocatur Isa. 9. apud 70. atque etiam in Introitu tertiæ Missæ Nativitatis Domini. Confirmarique potest hæc expositio ex sensu Ecclesiæ quæ in secunda Antiphona majori sic Deum alloquitur, qui Moysi in igne flammæ rubi apparuisti, & ei in Sina legem dedisti.

Non Deus sed Dei Angelus apparuit Moysi.

Nihilominus aliorum tam veterum quàm recentiorum sententia communiter recepta est, eum qui Moysi apparuit, non fuisse Deum in persona, sed Dei Angelum; tum quia B. Stephanus de præsenti apparitione loquens Actor. 7. clarè dicit quòd Moysi *apparuit in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi*; tum quia Apostolus ad Galat. 3. scribit legem ordinatam fuisse per Angelos, seu Angelorum ministerio, quemadmodum & ad Hebr. 2. v. 2. Idem verò fuit qui in Rubo Moysi apparuit, & qui in Sina legem ei dedit; tum denique quia omnes apparitiones Dei quæ ante Incarnationem leguntur, factas fuisse per Angelos docent sancti, Dionysius Areopag. cœlestis hierarch. cap. 4. Hieronymus in cap. 3. ad Galat. Aug. lib. 3. de Trinit. cap. 11. & B. Thom. q. 6. de pot. art. 7. ad 3.

Ad fundamentum autem oppositum Resp. Angelum rectè in ejusmodi apparitionibus vocare se Deum, quia in persona Dei apparebat & loquebatur. Videri possunt quæ diximus 1. p. q. 51. art. 2. & observari quòd Christus nusquam appelletur Angelus simpliciter seu sine addito: Cum autem nihil additur, ea vox propriè accipienda est, non verò dum ei quippiam additur.

Ad confirm. Resp. Ecclesiam ita loqui, quoniam ille Angelus erat typus Christi, eumque peculiariter repræsentabat: imò probabile admodum est quòd dum speciem humanam aspectabilem exhibebat, in eo schemate seu figura apparebat, in qua Christus aliquando erat in terris videndus.

Quisnam porrò fuerit iste Angelus, si quæritur: Resp. verisimiliter fuisse Michaelem; quia is olim synagogæ præsidebat, sicut nunc præsidet Christi Ecclesiæ: Angelus autem iste apparebat Moysi, non ut privatæ personæ, sed ut futuro duci totius populi Hebræorum.

[ *In flamma ignis* ] verum ignem fuisse probabilius est: partim quia nihil ex eo sequitur inconveniens: partim quia non fuisset res admiratione digna, quòd ignis non combureret rubum, si solùm imaginarius & non verus ignis esset, cùm tamen pro magno miraculo communiter habeatur quòd illum non combusserit. Eum ignem produxit Deus Angeli ministerio, vel ex aere, vel ex alia materia vicina, applicando activa passivis; similiterque aluit & conservavit sine alia materia. Dicitur autem Deus, hoc est, Angelus vicem Dei gerens, apparuisse in flamma ignis, quia non aliam ibi speciem exhibuit, quàm ignis, & in igne seu flamma ignis erat ac loquebatur.

Deus cur igni comparetur.

Cæterum cur tum in igne frequenter apparuerit Deus, tum igni subinde comparetur, variæ sunt rationes apud B. Thom. in cap. 10. Isai. & lect. 5. in cap. 12. epistolæ ad Hebr. veluti, quia sicut ignis habet majorem nobilitatem, & claritatem, & activitatem, & altitudinem quàm cætera elementa; estque etiam maximè subtilis, purgativus, & consumptivus; ita Deus omnibus præcellit, habetque maximam claritatem: *habitat* enim *lucem inaccessibilem*. 1. ad Tim. 6. est maximè activus, juxta illud Proverb. 16. *Universa propter*

*pter ſemetipſum operatus eſt Dominus*; Et Iſa. 26. *Omnia opera noſtra operatus es nobis*; Rurſumque 1. ad Cor. 12. *Operatur omnia in omnibus*: Altior eſt creaturis, *Excelſus ſuper omnes gentes Dominus: Quis ſicut Dominus Deus noſter qui in altis habitat*. Pſalm. 112. eſt etiam maximè ſubtilis, quia *Deus ſpiritus eſt*. Joan. 4. & 2. ad Corinth. 3. & maximè purgativus. Malach. 3. *Sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi*; Ad Hebr. 1. *Purgationem peccatorum faciens*; Maximè quoque eſt conſumptivus, ad Hebr. 10. *Terribilis autem quædam expectatio judicii & ignis æmulatio quæ conſumptura eſt adverſarios*. Et cap. 12. *Deus noſter ignis conſumens eſt*.

[ *De medio rubi:* ] In Hebr. de corde rubi. Sed quoniam uſitato Hebraiſmo cor ponitur pro medio, ſicut Prov. 30. ubi nos habemus *viam navis in medio mari*, Hebræis eſt, in corde maris. Quod ipſum, *in corde maris* habet vulgata noſtra editio Jonæ 2. Ideo noſter interpres claritatis cauſa rectè poſuit de medio rubi.

Si quæras, quare Deus voluerit apparere in rubo potius quàm in alia planta. Reſp. duplicem poſſe reddi rationem. Unam litteralem quam ex Philone adſerunt Pererius & Maraſila: quia Rubus figurabat conditionem Hebræorum in qua tunc erant: Rubus eſt frutex invalidus, aſpectu vilis, tactu horridus, & ſe tangentes vulnerans. Sic erat populus Hebræus, propter ſervitutem invalidus, vilis, & ærumnoſus; ſed qui tandem graviſſimas plagas inflixit Ægyptiis eum vexantibus. Alia ratio eſt myſtica, ut deſignaretur quòd Deus habitet in homine abjecto & mortificato, eique arcana ſua manifeſtet.

[ *Et videbat quòd rubus arderet & non combureretur.* ] Ardere ſi propriè accipiatur, eſt ex ſe flammam emittere; & tunc aliqua res ardet, cùm de ſubſtantia ſua flammam emittit, eſtque ejuſmodi res, cibus ignis. Non ſic ardebat rubus à Moyſe conſpectus, quia non emittebat flammam de ſua ſubſtantia, neque ignis erat in rubo tamquam in ſua materia vel cibo quo nutriebatur aut fovebatur; ſed erat in illa materia ex qua fuerat genitus; & ita erat rubo implicitus & circumfuſus, ut conjunctione immediatiſſima totum rubum omneſque ejus ramos & alias partes ambiret, nec humanitus diſcerni poſſet tamquam aliquid ſeparatum à rubo. Quod igitur ad humanos oculos attinet, non aliud poterat videri quàm quòd rubus arderet quamvis non arderet niſi impropriè, quia flammas quidem quodammodo emittebat, at non ex ſua ſubſtantia, ſed ex igne qui undique ipſum cingebat & tangebat. Non comburebatur autem, quia nec corticis viriditas, nec folium, nec quidquam de rubo deficiebat. Et hoc non niſi magno miraculo fiebat, Deo ſcilicet ſuum influxum & concurſum ſuſpendente. Cùm enim nulla res creata poſſit in actum & operationem exire ſine actuali Dei in illam & cum illa influxu & operatione; Cumque Deus cum ſuis creaturis liberè operetur & quando vult, & quantum vult: Cùm illo igne operabatur ut luceret, ideoque lucebat; non operabatur, ut ureret, & ideo non comburebat. Sicut etiam poſtea fecit in igne Babylonico, qui tres pueros in eum miſſos non læſit. Dan. 3.

*Si* quæras quid hæc viſio ſignificaret? Reſp. quòd ad litteram rubus ardens ſignificabat Hebræos per vim & injuriam oppreſſos: Ignis rubum ambiens, & ( ut apparebat ) inflammans, Ægyptios Hebræorum oppreſſores. Quòd rubus non comburebatur, portendebat Hebræos in fornace ferrea Ægypti exiſtentes non conſumendos, ſed incolumes inde exituros, ſicut & contigit. Ut enim Pſalm. 104. legitur Deus *eduxit eos cum argento & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus*.

Allegoricè. Allegoricè Rubus vilis ſignificat Chriſti humanitatem ærumnis ſubjectam. Ignis in rubo, Deum in humanitate, qui tamen humanitatem non abſumpſit. Vide Gregor. lib. 28. Moral. cap. 5. Significabat prætereà iſte rubus tum Eccleſiam flammis perſecutionum non conſumendam, tum B. Virginem quæ flammam & ignem emiſit, cum Chriſtum genuit; nec tamen combuſta eſt aut læſa, quia nec dolorem ſenſit, nec integritatem perdidit. Unde canit Eccleſia: *Rubum quem viderat Moyſes incombuſtum, conſervatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem: Dei genitrix intercede pro nobis*. Cui conforme eſt illud Gregorii Niſſeni ſerm. de Chriſti Nativit. ut illic frutex & incendit ignem, & non crematur: itidem etiam hic Virgo lumen parit, & pariendo non corrumpitur.

Moraliter Rubus in igne, & tamen non combuſtus repræſentat hominem juſtum qui vilis & abjectus quoad exteriorem ſpeciem, tribulatione non læditur. Anagogicè, Rubus intelligi poteſt eſſe homo; & ignis, lumen gloriæ ipſaque beatitudo. Moralia.

[ ℣. 3. *Dixit ergo Moyſes: Vadam, & videbo viſionem hanc magnam,* ] videbat eminus rem prorſus inſolitam & admirabilem; ſperans autem quòd propius accedendo & inſpiciendo poſſet cauſam cognoſcere, apud ſe reſolvit accedere & videre.

[ *Quare non comburatur rubus.* ] Exemplo iſto docemur apparitiones extraordinarias, etiamſi piæ videantur, nec ſtatim rejicere nec leviter admittere, ſed diligenter probare quales ſint, juxta illud 1. Joan. 4. *Probate ſpiritus ſi ex Deo ſint*.

[ ℣. 4. *Cernens autem Dominus quòd pergeret ad videndum,* ] Sermo eſt de Angelo in perſona & vice Dei apparente ac loquente:

[ *Vocavit eum de medio Rubi,* ] non vocavit eum ut ad ſe veniret, ſed ut attenderet ad ea quæ erat dicturus. Dicitur de medio rubi: quoniam illa vox formabatur ab Angelo in ipſo Rubo ſeu in flamma quæ videbatur de Rubo procedere: quomodo Deut. 4. & 5. legitur Deus in monte locutus de medio ignis.

[ *Et ait: Moyſes, Moyſes.* ] Ideo nomen Moyſi repetit, ut majorem attentionem ei excitet, & ultra progredi non audeat.

[ *Qui reſpondit: adſum.* ] Q. d. paratus ſum, jube quod placet.

[ ℣. 5. *At ille: Ne appropies, inquit, huc:* ] Ne propius ad Rubum accedas.

[ *Solve calceamentum de pedibus tuis:* ] Hujus præcepti ratio erat, ut Moyſes reverentiam exhiberet Deo qui ipſi apparebat, locumque ſacrum reverenter calcaret, & ut magna animi ſubmiſſione ac veneratione accederet ad ibi percipiendum divinum oraculum. Nudis namque pedibus ad ſacra loca progredi, humilitatis ac reverentiæ indicium eſt, valetque ad devotionem excitandam. Ideo Joſue 5. ſimiliter præceptum illi fuit, *Solve calceamentum tuum de pedibus tuis*. Et cum ſacerdotes Aaronici tabernaculum ingrederentur, ſacris miniſtraturi; ex cap. 30. ſeq. apparet quòd nudis pedibus intrare deberent, jubebantur enim lavare pedes; ea autem lotione non fuiſſet opus, ſi ingrederentur calceati. Ob quam etiam humilitatis cauſam ſacerdos crucem in Paraſceve adoraturus monetur deponere calceamenta. Sacerdotes Aaron nudis pedibus intrabant ad miniſtrandum.

Si petas, quare igitur Sacerdotes novi teſtamenti debent Miſſam facere calceati pedibus, ſicut habent Rubricæ. In primis Reſp. eam Rubricam non continere præceptum propriè dictum, ſed monitionem quid ex honeſtate conveniat fieri, quemadmodum diximus 3. p. in fin. q. 83. Deinde ratio diverſitatis eſſe poteſt, tum quòd Agnus Paſchalis, qui peculiariter Euchariſtiam figurabat, ſumi debuerit à calceatis, infra cap. 12. tum quòd ut ſacrificium noſtrum longè excellentius eſt eo quod olim offerebatur ex brutis animalibus; Ita deceat illius miniſtros honeſtius ad illud accedere, & lotionis interioris præcipuam curam habere: tum quòd calceatum incedere ſignum eſt libertatis; nudis autem pedibus progredi, ſervitutis. Unde Iſaias cap. 20. ut portenderet captivitatem Ægyptiorum & Æthiopum ab Aſſyriis, jubetur ire nudus & diſcalceatus; contra verò, Hebræi de ſervitute Ægyptiaca egreſſuri jubentur habere calceamenta in pedibus. Exod. 12. Notum verò eſt legem novam eſſe legem libertatis, ſicut lex vetus erat lex ſervitutis. Quæſt. Reſp.

Quoniam porro calceamenta ex corio mortuorum animalium fiunt, depoſitio calceamentorum ſignificat Moyſi deponendum eſſe metum mortis in educendo Hebræos de Ægypto. Significat inſuper quòd qui ad munus aliquod à Deo aſſumitur, deponere debeat curas & ſollicitudines hujus vitæ mortalis, omneque peccatum. Moralia.

Petes, quare Moyſes non fuit juſſus denudare caput potius quàm pedes, ſicut pleriſque loca ſacra ingredientibus ſolemne eſt. Reſp. rationem eſſe vel quòd

Moyſes

Moyses esset capite detecto, vel quòd caput detegere, non haberetur olim inter Hebræos signum reverentiæ, sed luctus & tristitiæ. Familiare enim illis, ut & quibusdam aliis, fuisse nudato capite incedere, in luctu autem illud tegere; colligi potest tum ex 2. Reg. 15. ubi omnis populus qui erat cum David, operto capite incedebat plorans, sicut & cap. 19. David operuit caput suum ut lugeret Absalonem; tum ex Esther 6. ubi Aman festinavit ire in domum suam lugens & operto capite, quemadmodum & Jerem. 14. de Judæis dicitur, *confusi sunt & afflicti & operuerunt capita sua:* Apparet ergo quòd extra luctum capitibus nudatis incederent; sicque videtur fuisse Manasses maritus Judith in æstu, Judith 8. & Jonas Jonæ 4. ipseque Christus quando mulier effudit super caput ejus unguentum pretiosum Matth. 26. Marci 14.

*Tegere caput erat signum luctus.*

*Terra quomodo sancta.*

[ *Locus enim, in quo stas, terra sancta est.* ] Terra in se sancta non est; sed hæc appellatur sancta, partim propter divinæ majestatis in ea apparitionem; partim quia locum istum elegerat Deus ad illa mirabilia in eo patranda quæ ad versum 5. notavimus. Hinc patet quasdam res inanimatas rectè dici sanctas, eò quòd in illis vel per illas Deus specialiter coli aut operari velit, quæ idcirco reverenter à nobis tractandæ sunt: ac per consequens quosdam hæreticos perperam reprehendere fideles orthodoxos, quòd Ecclesiam detecto capite ingrediantur.

[ ℣. 6. *Et ait: Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.* ] Q. d. Ego sum Deus quem Patres tui Abraham, Isaac, & Jacob, peculiariter coluerunt ac etiam nunc colunt, & qui eorum singularem curam habui, & nunc quoque habeo. Quamvis autem esset Angelus qui voces illas formabat & loquebatur; quia tamen non in sua sed in Dei persona loquebatur, non potest esse dubium quin verum dicat; sicut & legatus ille verum dicit qui edictum sui regis promulgans, hoc aut simili modo loquitur, ego tex qui vos de captivitate liberavi vestræque salutis curam semper habui, hæc vobis mando.

Tria hic quæri possent. Primò, quare Deus se illorum trium Deum appellet, & non etiam Deum Abel, Henoch, & Noe, quos Deo placuisse, eximièque sanctos fuisse constat: Resp. partim quia præter hoc quòd illi tres fuerunt valde sancti, & magni apud Deum meriti, Deus eis promiserat terram Chanaan eorum posteris tradendam, in quam nunc volebat eos per Moysen inducere, quale quid istis aliis sanctis non promiserat; partim quia illi tres fuerunt proximi & præcipui authores & conditores populi Hebræi, & in his ipsis populus Dei segregatus est ab infidelibus; partim quia illis tribus sæpè ac familiariter Deus apparuit, eisque sic benefecit ut etiam promiserit eorum posteris benefacere: & hinc est quòd Hebræi tres illos maximè fuerint venerati, & ad Deum exorandum eorum merita & authoritatem proponere soliti.

Secundum, quare ad singulos repetitur nomen Deus, dicendo: Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Resp. rationem unam esse, ut Deus expressius significaret quòd horum singulorum peculiariter sit ac fuerit provisor ac pater beneficus. Alia ratio est, ut mysterium Sanctissimæ Trinitatis sic adumbratè monstraretur: Nam unum nomen Dei ter in tribus illis personis repetitum, insinuat unam divinam essentiam tribus divinis personis esse communem, ut Pererius notat. Et Abraham quidem repræsentat Patrem, quòd primus fidei Pater fuerit appellatus, & Filium suum unigenitum immolare paratus. Isaac ligna humeris suis gestans quibus immolaretur, Dei filium qui crucem suam bajulavit: Jacob ab Abraham & Isaac procedens, Spiritum sanctum, qui à Patre filioque procedit.

Tertium, quare, & quomodo Christus Matth. 22. usus fuerit hac sententia, ad probandam resurrectionem mortuorum, contra Sadducæos; cum apertioribus Scripturæ Sacræ testimoniis uti posset, veluti ex Job 19. Isai. 26. Dan. 12.

Ad priorem partem Resp. Christum ideo voluisse hac sententia probare mortuorum resurrectionem; partim quia loquebatur contra Sadducæos, qui solos quinque libros Moysi recipiebant pro sacris & canonicis: partim quia Sadducæi conati fuerant ex authoritate Moysi fidem resurrectionis evertere, ideoque conveniebat ut ex ejusdem Moysi testimonio ipsi arguerentur inscitiæ, & probaretur resurrectio. Sed cum & alibi in Pentateucho Moysi appelletur Deus Abraham, Isaac, & Jacob: quare Christus hujus loci sententia peculiariter uti voluit? Resp. rationem esse tum quòd Deus nunc primùm se illorum trium Deum appellavit; tum propter memorabile prodigium rubi ardentis & non combusti.

Ad posteriorem partem Resp. ex præsenti sententia mortuorum resurrectionem dupliciter probari posse; vel immediatè concludendo immortalitatem animæ, & ex ea deinde resurrectionem, propterea quòd anima sit essentialis pars hominis, & naturalis forma humani corporis; quæ proinde non potest in perpetuum esse sine suo corpore: Vel immediatè concludendo ipsam resurrectionem, & non solùm animæ immortalitatem: quia illi tres patriarchæ introducuntur tamquam viventes secundùm se totos, nimirum Deo cui omnes vivunt Luc. 20. & cum spe certa resurrectionis. Confer quæ diximus Supplem. q. 75. art. 1.

[ *Abscondit Moyses faciem suam:* ] Vultum scilicet declinando in terram, vel pallio sicut Elias 3. Reg. 19. operiendo, in signum & reverentiæ erga Deum, & submissionis sui agnitionisque propriæ vilitatis. Absconsio namque faciei, & vultus in terram dejectio indicium est tum reverentiæ erga alterum, tum propriæ verecundiæ & indignitatis, qua quis profitetur se non esse dignum in faciem alterius intueri. Unde sequitur

[ *Non enim audebat aspicere contra Deum.* ] Sive, non audebat visum dirigere ex opposito versus locum in quo Deus apparebat & loquebatur. Sic Esdras 1. Esdræ 9. *erubescebat levare faciem suam ad Deum:* & Publicanus Luc. 18. *nolebat nec oculos ad cælum levare.* Unde patet externum ritum reverendi & colendi Deum, antiquum & laudabilem esse, contra quem senserunt quidam hæretici.

[ ℣. 7. *Cui ait Dominus: vidi afflictionem populi mei in Ægypto,* ] etiam antea Deus viderat afflictionem Hebræorum, qui hic per populum Dei designantur, eò quòd ipse illos elegerit ut esset populus ejus peculiaris. Deut. 7. Nunc tamen ideo dicit se vidisse, nimirum quasi oculo compassionis & miserationis, quia volebat eos jam liberare.

[ *Et clamorem ejus audivi* ] hoc est, gemitum & ululatum quem emittunt.

[ *Propter duritiam eorum qui præsunt operibus:* ] Quæ tanta erat ut tot & talia opera imponerent Hebræis, quæ non poterant præstare; ac nihilominus eos flagellabant aut aliter cruciabant, quando injuncta omnia non implebant.

[ ℣. 8. *Et sciens dolorem ejus, descendi ut liberem eum* ] non potest Deus descendere mutando locum; sed descendisse dicitur, ratione novi effectus quem in istis inferioribus erat operaturus, jamque incipiebat operari in ordine ad liberationem Hebræorum.

*Deus qua ratione dicitur descendere.*

[ *Et educam de terra illa in terram bonam, & spatiosam, in terram quæ fluit lacte & melle,* ] terra quam Deus Hebræis Hebræorumque patribus ad litteram promiserat dicitur bona, quia fuit valdè fœcunda, multorumque bonorum feracissima, ut tum ex præsenti versu, tum ex Num. 13. v. 28. & ex Deut. 8. v. 7. & 8. & aliunde constat, testanturque Josephus lib. 5. Antiquit. cap. 1. & lib. 5. de bello Judaico cap. 4. Brocardus in descriptione terræ sanctæ apud Perer. disp. 21. super cap. 3. Exodi, & Adrichomius in præfat. theatri terræ sanctæ. Neque refert Hieronymum in cap. 49. Isa. scribere terram illam Jerosolymitanam esse aridam & sterilem: quia tantùm ibi loquitur de Jerosolyma & solo ei vicino, non de tota Palæstina, nec de potissima ejus parte.

*Terra promissionis erat fertilis.*

Quòd eadem terra dicitur fluens lacte & melle, est locutio metaphorica, ad significandum quòd haberet copiosissima & optima pascua, quibus ingens multitudo animalium lactiferorum aleretur; & abundantiam florum, herbarumque & arborum odoriferarum quæ idoneæ sunt ad mellificandum. Quamquam nomine lactis & mellis non sint intelligendi isti duo liquores præcisè, sed omne id quod in esculentis & poculentis gratum est: Nam Caleb & Josue Num. 13. probarunt illam terram revera fluere lacte & melle, quia abundabat maximis uvis & botris; ut proinde terra fluens lacte &

cte & melle, fit periphrasis terræ uberrimæ & feracissimæ omnium quæ ad cibum ac potum pertinent.

Fertilitas erat naturalis. Si quæras, An fertilitas terræ promissionis fuerit naturalis: Resp. fuisse naturalem, quia talis erat, dum Chananæi homines sceleratissimi terram illam possidebant. Quòd tamen fertilitas ex speciali Dei providentia provenerit Judæis eam possidentibus, notum est ex eo quòd eum in veri Dei cultu & mandatorum ejus observatione manebant, experiebantur magnam fertilitatem; secus dum ad idololatriam aliaque flagitia convertebantur, secundùm ea quæ Levit. 26. Deut. 11. & 28. leguntur.

Quæst. Sed difficultas est quomodo terra promissionis vocetur spatiosa; cum B. Hieron. Epist. 129. ad Dardanum scribat quòd vix centum sexaginta milliarium spatio in longum tenditur; loquitur autem de milliaribus Italicis; quæ si reducantur ad milliaria, quorum unum una hora confici solet, non reperientur plus quàm sexaginta septem milliaria, juxta Adrichomium: in latitudine autem longè pauciora continet:

Resp. Resp. cum Pererio disp. 10. terram illam dici spatiosam, non absolutè, sed comparatione terræ Gessen, quam tunc incolebant Hebræi, huic enim comparata terra Chanaan erat amplissima & spatiosissima, maximèque capax gentis Hebrææ tam quoad victum quàm quoad habitationem: Unde nec de angustiis terræ unquam fuerunt conquesti, nec de dilatandis extra illam finibus aliquando egerunt.

[ *Ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Hevæi, & Jebusæi.* ] Non plures quàm istas sex gentes hoc loco recenset textus Hebræus: 70. tamen addunt Gergesæus. Quomodo numerentur interdum decem, aliàs septem; aliquando quinque, vel plures, vel pauciores, diximus Gen. 15.

[ ℣. 9. *Clamor ergo filiorum Israel venit ad me:* ] Vocula, *ergo*, magis videtur hic esse continuativa sermonis, quàm illativa. Quidam hinc colligunt quòd oppressio pupillorum & pauperum sit unum è peccatis quæ dicuntur clamantia in cœlum, de quibus diximus Gen. 4. & 18.

[ ℣. 10. *Sed veni, & mittam te ad Pharaonem,* ] Illud *veni*, intelligi potest vel quoad animi promptitudinem, q. d. jam sis omnino paratus ad exequendum quod volo: Vel ut invitetur Moyses ad propius accedendum ad locum ex quo Deus loquebatur, & ad colloquium familiarius. Ita humilitas faciem suam coram Deo velantis, meruit majorem cum eo familiaritatem, quæ deinceps perseveravit, quemadmodum patet ex seq. cap. 33. & ex Numer. 12.

[ *Ut educas populum meum, filios Israel de Ægypto.* ] Ut tamquam princeps & dux populi mei Pharaonem alloquaris, ejusque dimissionem solicites, ac tandem educas Israelitas quos elegi ut sit populus meus peculiaris.

[ ℣. 11. *Dixitque Moyses ad Deum: Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto?* ] Q. d. ego sum insufficiens omninoque inidoneus ad ejusmodi commissionem exequendam. Pridem sciebat Moyses se ad istud munus esse à Deo electum, ut cap. 2. v. 12. diximus; unde hic non simpliciter illud detrectat, sed (quod modestiæ est) infirmitatem incapacitatemque propriam confitetur, ac tacitè petit ut si Deus absolutè velit eo uti negotium tanti momenti, donet ei eloquentiam, animi fortitudinem & cætera pro illo benè exequendo necessaria.

Moralia. Moralites hinc discimus munus regendi ac pascendi alios, cum timore esse suscipiendum quando Deus ad illud vocat, non verò ambitiosè vel præsumptuosè quærendum. Confer quæ diximus 2. 2. qu. 185. art. 1.

[ ℣. 12. *Qui dixit ei: ego ero tecum:* ] Ego qui omnia possum, & cui nemo potest resistere, tibi adero, præbendo omnia auxilia quibus indigebis, & per te faciendo mirabilia ad liberationem populi mei. Felices illi qui ad officium aliquod assumpti possunt sibi gratulari quòd Deus est cum illis: Id quod nequaquam possunt, qui vel simoniacè, vel aliis modis illicitis consequuntur beneficia, ut nec illi qui postquam ea legitimè obtinuerunt, malè administrant, exemplo destruentes quod ædificare debebant.

[ *Et hoc habebis signum, quod miserim te:* ] Hic multum variant interpretes ad quid sit hoc signum referendum: Utrùm ad præcedentia de rubo, an ad subsequentia de immolatione sacrificii in monte, an ad aliquid aliud.

Probabilius videtur quòd non ad subsequentia de immolando in monte: quia datur signum divinæ missionis ad populum Israeliticum, & ad Pharaonem; quod proinde præcedere vel saltem comitari debuit missionem, non subsequi. Sed nec ad ea quæ de rubo præcedunt videtur referendum; tum quòd illa multum remota sint, tum quòd neque Pharaoni neque populo, qui rubum ardere non viderant, significare poterant missionem Moysi esse à Deo. Pertinet ergo ad id quod proximè præcedit, *Ego ero tecum*, hoc sensu: Pro signo quòd ego te miserim, & quòd non tua propria auctoritate, sed mea susceperis officium educendi Hebræos de Ægypto, habebis meam præsentiam, cujus virtute prodigia & miracula talia facies, ut ex illis tam Pharao, si voluerit, quàm populus intelligere possit te à Deo missum esse; cum ea non nisi virtute divina possint fieri. Quapropter id quod sequitur: Præsentia Dei ad miracula patranda datur in signum quod Moyses esset à Deo missus.

[ *Cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum.* ] Sina scilicet, non ponitur tamquam signum; sed partim est promissio liberationis revera futuræ; partim est præceptum de sacrificio in gratiarum actionem offerendo. Pro, *immolabis Deo*, alii ex Hebræo reddunt, *coletis Deum*, quomodo etiam habet versio 70. Romæ impressa: Sermo autem est de cultu latriæ, cujus singularis actus exterior est sacrificare. Hujus præcepti executio facta legitur infra cap. 24. ubi per ministerium duodecim juvenum oblata sunt Deo holocausta ad radices montis Sinai; ac insuper cap. ult. ubi ipse Moyses adhuc existens intra montem Sinai, sacrificia obtulit.

[ ℣. 13. *Ait Moyses ad Deum: ecce ego vadam ad filios Israel,* ] non ait Moyses se iturum ad Pharaonem, licèt Deus dixerit ei, *Mittam te ad Pharaonem*; quia sciebat quòd prius quàm accederet Pharaonem, ipsum populum Israeliticum, seu primores ejus deberet accedere.

[ *Deus patrum vestrorum misit me ad vos.* ] Ex Ægypti nimirum servitute liberandos, & ex ipsa Ægypto educendos.

[ *Si dixerint mihi: quod est nomen ejus?* ] Non indiget Deus nomine, cum & unus sit, & ineffabilis, secundùm ea quæ diximus 1. p. q. 13. art. 1. Moyses tamen ut satisfacere possit populo sic locuturo: Tu dicis te à Deo ad nos missum; quod nomen est ejus qui misit te; de nomine Dei ad se loquentis interrogat, & Deus interrogationi ejus condescendit. Unde sequitur:

[ ℣. 14. *Dixit Deus ad Moysen: Ego sum qui sum.* ] In Hebræo legitur, ero qui ero: noster tamen interpres optimè vertit per præsens, *Sum qui sum*, quemadmodum & 70. interpretes verterunt: quia Hebræis maximè familiare est futura ponere pro præsentibus. Unde Gen. 37. ubi vir Joseph errantem inveniens interrogat juxta versionem 70. *quid quæris*, Hebraicè sonat quid quæres, ut Eugubinus, Marzilla, & Marius annotarunt. Et Job 1. pro eo quod habemus, *unde venis*, Hebraicè est, unde venies; (unque (ait Marius in digressione de nominibus Dei cap. 9.) hujus rei tot exempla in sacris litteris, ut non opus sit id notare. Apud Græcos tamen & Latinos in describenda Dei essentia melius ponitur tempus præsens; quia hoc, & futurum quoque continet, & præteritum; magisque pes illud importatur continuatio & permanentia in esse. Futurum aliquando ponitur pro præsenti.

Hujus porro sententiæ, *Ego sum qui sum*, sensus est: Ego sum ipsum esse incircumscriptum & illimitatum: Ego sum cui essentialiter, & immurabiliter & independenter competit esse: ego sum qui sum per meipsum & qui à nullo accipio esse, ac omnibus quæ sunt, do esse.

[ *Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.* ] Hebr. *Ero misit me ad vos.* Ubi rursum, juxta Hebræum idioma, futurum ponitur pro præsenti, quasi diceret: Deus cui nomen est, ero vel sum, misit me ad vos. Melius autem Latinus interpres attendens ad sensum orationis, vertit: *Qui est*; quàm, *Ero* vel Sum; quia Deus hic Moysen instruit de dicendis ad populum; ad eum autem aptius referenda erant sub tertia persona quàm sub prima. Unde & 70. habent sicut noster textus: Qui est, perinde

perinde ac si diceret: Ille qui per seipsum, atque adeò per essentiam suam est. Ille qui semper & incommutabiliter est, misit me ad vos.

Qui est nomen Dei maximè proprium.

Ex hac scriptura B. Thomas 1. p. quæst. 13. art. 11. & antea S. Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 2. & B. Damascenus l. 1. cap. 12. probant nomen illud, *Qui est*, esse maximè proprium Deo, conformiter ei quod Propheta Job, semel & iterum soli Deo tribuit esse, ut cap. 14. *Nonne tu qui solus es?* Et c. 23. *Ipse enim solus est*. Quò etiam pertinet quòd omnia creata tamquam nihilum esse dicantur comparatione Dei. Isai. 40. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo: & quasi nihilum & inane reputatæ sunt*. Dan. 4. *Omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt*: non quòd omnino non sint, sed partim quia non semper fuerunt, & aliquando non erunt, vel saltem possunt desinere esse, si Deus velit: partim quia esse quod habent, non per se vel ex seipsis habent, sed ab alio: partim quia plus habent de non esse, quàm de esse. Nam neque homo neque Angelus est suum esse, non est etiam sapientia, non bonitas, non misericordia, non justitia, non actus purus. Accedit quòd hoc nomen, *Qui est*, non significat aliquam formam, sed ipsum esse; in Deo autem eoque solo, idem est esse & essentia. Deinde, nomen istud est primum & omnium aliorum fundamentum, ac insuper universalissimum, significatque; rem sine ulla determinatione loci, qualitatis aut modi: Maximè igitur proprium est ad significandum eum qui est primus, qui infinitus, qui æternus, immensus, illimitatus, immutabilis, nullis accidentibus subjectus, nullis locorum spatiis comprehensus.

[ ℣. 15. *Dixitque iterum Deus ad Moysen:* ] In Heb. *Et dixit adhuc*, seu continuavit dicere: non enim describitur locutio prorsus nova, sed continuatio sermonis præcedentis, ad eum adjungens quæ sequuntur.

[ *Hæc dices filiis Israel: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, &c.* ] In Heb. (prout Cajetanus & alii observarunt) pro *Dominus*, habetur *Jehovæ* nomen Tetragrammaton; & pro, *Deus*, habetur *Elohim*, vel Elohe: quorum illud scilicet Jehova impositum est ad significandam naturam divinam ut incommunicabilem iis qui non sunt Deus, atque, si sic liceat loqui, singularem; significat enim Deum per modum singulariter subsistentis, ita ut Jehova, non tantùm significet Deum, sed istum Deum sive istum qui singulariter & per se semper existit.

De nomine Dei tetragrammaton.

Hoc porro nomen Jehova, sive (ut alii) Jehova, quod à quaternario numero litterarum dicitur Tetragrammaton, à Judæis dicebatur ineffabile; non quasi nullo modo posset pronuntiari, (sic enim non esset nomen;) sed quia propter venerationem non nisi rarissimus erat ejus usus, isque in sacris tantùm rebus. Unde cum in scriptura sacra interdum legendum occurrebat. Judæi consuetudine à majoribus accepta, soliti sunt ejus loco pronuntiare nomen *Adonai*, vel aliquid aliud; idque etiam in sua versione imitatus fuit B. Hieronymus infra c. 6. ibi, *Et nomen meum Adonai non indicavi eis:* Nam in Heb. pro, *Adonai*, est Jehova.

Alterum verò nomen, scilicet Elohim significat Deum quatenus est omnium creator, gubernator & protector. Unde fit consequens quòd cum dicitur Dominus Deus; sive Jehova Elohim patrum vestrorum; in posteriori nomine exprimitur Deus ut erga homines justus, benevolus ac benignus; in priori verò, Deus ut est in seipso: quasi diceret, Deus qui sum ipsum esse per me subsistens, qui patrum vestrorum curam & protectionem peculiariter habeo.

Cæterum, An istud nomen Jehova diversum sit ab eo nomine, qui est, si quæratur; cum Clem. Alex. l. 5. strom. Theodoreto q. 15. in Exod. Eugubino, Pererio, Marxilla, & aliis non paucis probabiliter responderi potest non esse diversum: quoniam Deus hoc loco præscribit Moysi ut si quis eum interroget, quis sit qui ipsum mittit, respondeat, *Qui est misit me ad vos*; & statim subdit *Jehova Elohim patrum vestrorum misit me ad vos*; probabile autem est quòd in utroque sermone; voluerit uti eodem nomine, sicut uno eodemque nomine jussit se vocari.

Si dicas. B. Hieronymum epistola 136. quæ est de decem Dei nominibus, ponere illa duo nomina tamquam diversa. Resp. fortassis hoc ideo esse, vel quia una Dei nomenclatura exprimitur per verbum, alia per nomen; vel quia unum exprimit rem significatam, aliud ipsum nomen quod eam rem significat: & sic diversa sunt nomina quantum ad litteras, & sonum, ac pronunciationem. Unde ubi nos habemus vers. 14. *Qui est*, non est in Hebræo illud quod versu 15. scribitur, *Jehova*. Quia tamen ejusmodi diversitas non est rei vel significationis, sed nominis solùm exterioris; ideo non malè dicitur quòd secundùm rem sint unum idemque nomen. Quoniam verò Dei natura est simpliciter infinita; hinc fit quòd quamvis istud nomen, *Qui est* vel *Jehova*, sit inter omnia Dei nomina maximè illi proprium, cum nullum aliud sit quod ejus naturam melius explicet, eam tamen non exhauriat, nec perfectè explicet

[ *Hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem & generationem.* ] Ambiguum est quò referatur illud, *Hoc nomen mihi est*; & quò illud, *Hoc memoriale meum*. Quidam enim totum referunt ad nomen Tetragrammaton: Alii quod prius est, ad illud nomen referunt; quod posterius, ad istud, *Deus Abraham* &c. Probabile est utrumque referri ad totum istud, Dominus Deus, sive Jehova Elohim patrum vestrorum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob; quia Deus statim versu 16. idem nomen resumit. Et secundùm hæc, sensus est: Hoc (Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob) est mihi nomen in æternum; sive in perpetuum ita vocabor: & hoc ipsum erit memoriale meum, id est, sub hoc nomine memorabunt.

[ ℣. 16. *Vade, & congrega seniores Israel,* ] non est sermo de senioribus ætate, sed de illi qui in populo majoris sunt authoritatis, cujusmodi sunt senatores & alii qui tamquam primores adhiberi solent quando de rebus arduis est deliberandum. Unde 70. pro seniores tam hic quàm postea habeat senatum.

[ *Et dices ad eos: Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, &c.* ] Ubi rursum pro, *Dominus*, in Heb. legitur, *Jehova*; & pro *Deus*, Elohim vel Elohe, sicut etiam versu 18. & cap. seq. v. 5.

[ *Dicens: Visitans visitavi vos,* ] quamvis Deus semper & ubique omnia videat; nihilominus quando suos in calamitatibus cernit, nec inde curat eripere, dicitur eos non videre; quia sic ad illos se habet, quemadmodum homines qui aliorum miserias non vident. At cum properat illos eripere, tunc dicitur eos videre & visitare, quia quodam quasi compassionis affectu eos videt. Sic in proposito Deus dicit, visitans visitavi vos; quoniam prorsus volebat eos nunc de Ægypti miseriis liberare. Respondet autem hic sermo ei quem Joseph Genes. ult. suis fratribus dixerat: *Post mortem meam Deus visitabit vos*, & utrobique verbum visitandi in bonum sumitur, secundùm quod importat voluntatem miserendi, & de miseria educendi: Aliàs autem sumitur in malum, pro punire: ut Psal. 88. *Visitabo in virga iniquitates eorum:* Et Sophoniæ 1. *Visitabo super omnem qui arroganter ingreditur super limen*.

Visitare ne in bonum & in malum sumitur.

[ ℣. 17. *Et dixi* ] hoc est apud me statui ac resolvi. Non quòd Deus novum aliquod decretum jam fecerit; sed quia id quod ab æterno decreverat, erat nunc impleturus.

[ *Ut educam vos de afflictione Ægypti,* ] nec tantùm de afflictione quam illic sufferetis, sed de ipsa quoque Ægypto. Ideò quippe addit:

[ *In terram Chananæi, &c.* ] Quæ patribus promissa fuerat, vocarique propterea solet Terra promissionis.

[ ℣. 18. *Et audient vocem tuam:* ] Ei videlicet credendo & acquiescendo. Cur seniores credituri essent Moysi; ratio erat, quia sciebant Abrahæ dictum fuisse Genes. 15. quòd ejus posteri reverterentur in Chanaan generatione quarta, erat autem nunc generatio quarta.

At dices, quomodo cum his consistit quod Moyses cap. 4. ait. *Non credent mihi neque audient vocem meam*. Resp. eum hoc non dicere de senioribus populi, de quibus hic agitur, sed de ipso populo seu plebe promiscua, ut ex fine cap. præsentis patet. Si præterea dicas etiam populum credidisse ut cap. 4. v. 31. dicitur. Resp. eum credidisse post ostensionem signorum, sicut v. 8. fuerat prædictum, sed non ante.

[ *Ingredierisque tu, & seniores Israel ad regem Ægypti,* ] vult eum senioribus Israel comitatum, ire ad regem, ut legatio sit honorifica, majoremque habeat

rex

rex occaſionem concedendi id quod ab illo petendum erat.

[ *Et dices ad eum. Dominus Deus Hebræorum vocavit nos:* ] In Hebr. *accurrit nobis*; id eſt ſponte ſe nobis obtulit & apparuit, vocans nos. Ita jubetur loqui Moyſes ad Pharaonem, ut ipſe poſſit intelligere voluntatem Dei eſſe, quòd Hebræi ſacrificium ei offerant extra Ægyptum.

[ *Ibimus viam trium dierum in ſolitudinem, ut immolemus Domino Deo noſtro.* ] Tantum itineris eſt à Ramesse ubi habitabant filii Iſrael, uſque ad montem Sinai, etſi ad eum non pervenerint niſi die quadrageſimo ſeptimo, ut eſt apud B. Hieron. epiſt. 127. Manſione 12. eò quòd neque continuò profecti fuerint, neque recta via. Quoniam verò Moyſi dictum fuerat, verſu 12: *Immolabis Deo ſuper montem iſtum*; Ideo quæ hic jubetur dicere, omnia ſunt vera. Nec refert quòd non ſolùm intenderet populum ducere viam trium dierum, ſed penitus educere de Ægypto; quia non ſemper oportet totam veritatem aperire, ſed quandoque licet aliquam ejus partem ſilere, modò nihil dicatur falſi. Omninoque conveniebat hic de totali eductione nihil dici, ut petitio eſſet moderata, ſicque rationabilius poſſe regem permovere, ſi voluiſſet rationis ductum ſequi.

Allegorica & moralia. Allegoricè via trium dierum eſt via fidei, ſpei, & charitatis, per quam imus ad Chriſtum. Moraliter eſt contritio, confeſſio, & ſatisfactio per quæ imus ad ſacrificium Euchariſtiæ. Anagogicè eſt dies paſſionis & mortis Chriſti, dies deſcenſus ad inferos, & dies reſurrectionis per quos in cœlum tendimus.

[ ℣. 19. *Sed ego ſcio quòd non dimittet vos rex Ægypti ut eatis,* ] hoc manifeſtat Deus Moyſi, ne repulſam paſſus à Pharaone, animo concidat, & ab incepto deſiſtere velit.

[ *Niſi per manum validam.* ] Id eſt, niſi per gravem punitionem, ſive niſi antea plagas graves ſentiat. Hebræa hodie habent, *& non in manu forti*; quod quidam ita explicant, non vos dimittet, non quod manum fortem ſeu militarem ſit contra vos adhibiturus, ſed me ita permittente. Sed noſtra lectio præferenda eſt, cui etiam 70. conſentiunt.

[ ℣. 20. *Extendam enim manum meam,* ] deſcribitur hic Deus quaſi eſſet vir pugnator, ante pugnam habens manum collectam, qui deinde illam extendat ad fortiter pugnandum. Unde c. 15. Moyſes ita canit: *Dominus quaſi vir pugnator.* Perinde autem eſt, ac ſi Deus diceret; Utar potentia mea:

[ *Et percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis,* ] hoc eſt, per cuncta mea ſigna & portenta mirabilia.

[ *Quæ facturus ſum in medio eorum.* ] Q. d. Non in cunctis mirabilibus meis ſimpliciter, ſed in cunctis illis quæ facturus ſum inter illos.

[ *Poſt hæc dimittet vos.* ] Non ſpontanea prorſus voluntate, ſed quaſi coactus per plagas quibus eum percutiam.

[ ℣. 21. *Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis:* ] Faciam ut populus Hebræus ſit gratioſus apud Ægyptios facilèque ab eis obtineat quæ volet.

[ *Non exibitis vacui:* ] Non ſine multis Ægyptiorum bonis.

[ ℣. 22. *Sed poſtulabit mulier a vicina ſua & ab hoſpita ſua,* ] hinc patet quòd in terra Geſſen Ægyptii habitarent Hebræis permixti, nec quomodocumque permixti, ſed ita ut quidam Ægyptiorum, partem domus ſuæ elocarent Hebræis, id enim importat iſtud, (*ab hoſpita ſua*) quando ſcil. Hebræi numeroſiſſimè fuerunt multiplicati, ut terra Geſſen non poſſet ſingulis præbere domicilium ſeparatum.

[ *Ponetiſque eas ſuper filios & filias veſtras,* ] ſive ut eis ad ornatum induantur, ſive etiam ut ſecum exportent.

[ *Et ſpoliabitis Ægyptum.* ] Quoad eam videlicet partem ubi vel cum Hebræis habitabant, vel Hebræis vicini erant Ægyptii. Quomodo non fuerit in iſto facto violata juſtitia, cap. 12. dicetur.

Moraliter ſpoliatur Ægyptus, quando elegantiæ philoſophorum & Oratorum gentilium transferuntur in uſum Chriſtianorum.

## CAPUT IV.

*Moyſes tribus ſignis à Deo acceptis, quibus ad populum Hebræum in Ægypto habitantem mittitur, eò proficiſcitur cum uxore & filiis. In itinere filius circumciditur, & Aaron Moyſi fratri ſuo occurrit, ſimulque ad filios Iſrael revertuntur.*

[ ℣. 1. R*Eſpondens Moyſes ait: Non credent mihi, neque audient vocem meam,* ] hæc loquitur Moyſes, non ut incredulus verbis Dei, quibus cap. præced. dixit, *audient vocem tuam*; quia ibi ſermo erat de primoribus; hic de minoribus, ſeu de plebe in qua multi erant imperiti & duræ cervicis.

[ *Sed dicent: non apparuit tibi Dominus.* ] Tu hoc fingis, ut habearis Dei nuncius; non eſt verum quòd Dominus tibi apparuerit.

[ ℣. 2. *Quid eſt quod tenes in manu tua?* ] Non hoc interrogat ut ignarus, ſed ut convenientius induceat ſignum quod facere intendebat.

[ *Reſpondit: virga.* ] Nimirùm paſtoralis qua ſolebat oves minare per paſcua, & qua etiam hoc tempore paſcebat oves Jethro, caſque minaverat ad interiora deſerti, ſupra cap. 3.

[ ℣. 3. *Dixitque Dominus; projice eam in terram. Projecit, & verſa eſt in colubrum, ita ut fugeret Moyſes.* ] Ex horrore ſcilicet animalis, quod ſtatim à primorum parentum peccato eſt omnibus hominibus abominabile, quodque hic propter ſuam magnitudinem (habebat enim magnitudinem virgæ paſtoralis) erat terribile. Quin verus coluber fuerit, nulla eſt ratio dubitandi.

Dubitari autem poteſt cur Deus velit Moyſen, quòd à Deo ſit miſſus probare per talia ſigna, qualia per malas artes alii facere poſſunt, quemadmodum c. 7. legimus factum à Magis: in his enim probatio non videtur minus eſſe ſuſpecta, quàm id quod eſt probandum. Reſp. Deum rationabiliter ita feciſſe; quia tantam ſignorum multitudinem facere intendebat, ut etſi primis credere nollent, eò quòd illa fortaſſis haberent ſuſpecta, credituri tamen eſſent propter eorum multitudinem, præſertim quoniam inter illa, quædam ejuſmodi eſſent, qualia per magos fieri non poſſent, ut contigit verſu 18. c. 8. & deinceps.

[ ℣. 4. *Dixitque Dominus: extende manum tuam, & apprehende caudam ejus.* ] Difficile admodum eſt ſerpentem, cùm ſit fluxibilis, per caudam tenere: quia tamen mox erat in virgam convertendus, tamquam aliquid durum per caudam teneri poterat. Obſervanda Moyſi obedientia qui ſtatim ad Dei mandatum apprehendit colubrum, quem ante fugiebat.

Sunt qui per virgam litteraliter intelligunt Joſephi principatum in Ægypto, florentemque ſub eo ſtatum Iſraelitarum: per illius autem projectionem in terram & converſionem in colubrum, populi Iſraelitici poſt mortem Joſeph dejectionem & afflictionem: Per hoc quòd deinde coluber in virgam verſus eſt, ejuſdem populi reſtitutionem in libertatem, imò & in regiam dignitatem. Sed hæc ſymbolicè potius ita explicantur. Ad litteram enim totum fuit à Deo datum in ſignum quòd ipſe miſiſſet Moyſen.

Allegoricè ſignificabatur Chriſtus qui cùm eſſet virga ſeu virtus & potentia Patris, erat in cruce exaltandus ſicut ſerpens; & poſt crucem ſceptrum regni accepturus.

Moraliter virga eſt caſtigatio quæ pueris & imperfectis videtur eſſe horrida ſicut ſerpens; ſed in fine cum fructum ejus experiuntur, agnoſcunt eſſe paſtoralem. Huc pertinet illud Pſal. 22. *Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* Hæc virga, ait S. Bruno Herbipolenſis Epiſcopus, illis vertitur in draconem qui leviter correpti emendare ſe nolunt, quia qui incorrigibiles exiſtunt, tandem divinæ ultionis iram ſuper ſe ſentiunt ſævientem. Unde Pſalmiſta (Pſalmus 2.) *Reges eos*, inquit, *in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos.* Sic igitur divina correptio aliis eſt virga, aliis eſt draco. Hujus autem caudam Moyſes tenet, & in virgam ſerpens con- Myſtica.

vertitur, quando aliquis vir justus vindictam peccatoribus imminentem suis orationibus avertit. Cùm enim Dominus ab ultionis ira placatur, draco sæviens in virgam convertitur. Hujus serpentis caudam tenuit David, cum 2. Reg. 24. dixit: *Avertatur obsecro furor tuus à populo tuo.* Similiter Phinees Psalm. 105. *Stetit Phinees & placavit, & cessavit quassatio.*

[ ℣. 5. *Ut credant, inquit, quòd apparuerit tibi Dominus Deus patrum suorum,* ] Q. d. Hoc signum feci, ut tu illud facias coram Hebræis, eo fine ut credant, quòd ego Deus illorum tibi apparui teque misi: non alium quippe Deum reciperent vel audirent, quam eum quem Patres eorum coluerunt. Pro *Dominus Deus*, in Hebr. legitur, Jehova Elohim: frequentissimèque exprimitur hoc cap. nomen istud *Jehova;* tum ut noviter manifestatum nomen magnificetur; tum ut ab ipso omnia pendere discamus; tum ad significandum, quòd ad ipsum essendi fontem pertinet mutare naturas rerum, ait Cajet.

[ ℣. 6. *Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cum misisset in sinum*, & ex eo produceret.

[ *Protulit leprosam* ] Lepra quadam valde candida, unde sequitur.

[ *Instar nivis.* ]

[ ℣. 7. *Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuum.* ] Id est, rursus pone manum tuam in sinu tuo.

[ *Retraxit,* ] sive, in sinu rursum posuit.

[ *Et protulit* ] seu produxit.

[ *Iterum,* ] de sinu.

[ *Et erat similis carni reliqua.* ] Symbolicè intelligi potest significatum quòd Moyses Hebræum populum, qui per manum designabatur, in sinu suo poneret, id est, ejus curam susciperet eumque foveret: Unde Num. 11. *Porta eos in sinu tuo.* Manus autem in sinu leprosa facta, significabat, quòd iste populus dum à Moyse foveretur, exosus & fœtidus esset Ægyptiis, juxta illud cap. 5. *Fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone & servis ejus*, qui tamen agente postea Moyse, sanati sunt & liberati.

Allegoricè. Allegoricè per manum intelligitur synagoga Judæorum, quæ lepra infidelitatis in Christum infecta, fuit à Deo rejecta; ei autem successit manus nitida, id est, Ecclesia Christianorum. Potest etiam per manum, Christus Dei filius intelligi per quem Deus Pater omnia operatur: Nam hic ab æterno est in sinu Patris, & cum per Incarnationem foras prodiit, reputatus fuit quasi leprosus Isa. 53. sed post Ascensionem sedens ad dexteram Patris, gloriosus apparuit. Ad Hebræorum mores, per manum in sinu Moysi positam significabatur populus Hebræorum in veri Dei cultu persistens: qui cum ab eo recedens in Ægyptiorum idololatriam lapsus est, leprosus factus fuit, postea verò ad sinum seu curam Moysi rediens, ad veri Dei cultum est reversus. Ad nostros mores significatum intelligi potest, quòd multi qui sibi videntur esse mundi, si manum in sinum mittant, id est, si suam conscientiam benè examinent, deprehendent eam esse immundam: Si autem iterum mittant manum in sinum, id est, si iterum atque iterum scrutentur suam conscientiam, deveniet munda, quia sic scrutando illa mundabitur.

[ ℣. 8. *Si non crediderint, inquit, tibi, neque audierint sermonem signi prioris.* ] Signum illud prius nullum propriè sermonem edebat: sed vel sermo pro re ponitur, sicut verbum 2. Reg. 1. Ubi David legitur dixisse. *Quod est verbum quod factum est*, sive quid accidit? Vel sermo signi prioris idem est quod sermo seu vox Moysi per prius signum confirmata, ut sensus sit: Si voci tuæ, qua dices te à me missum esse, non acquiescant, ad exhibitionem signi prioris quod per virgam facturus es. In hoc signo continebantur duo magna miracula. Unum, subita conversio virgæ in colubrum: Aliud, æquè subita conversio serpentis in virgam. Vocatur tamen signum prius, quasi esset unum; quia fiebat circa eamdem virgam, & quidem in continenti, nec habebat quidquam commune cum subsequenti, quod pari ratione unum posterius æstimabatur, licèt duo quoque contineret.

Verbum pro re.

Duo signa quomodo unum.

[ *Credent verbo signi sequentis.* ] Id est, credent verbo tuo per signum secundum confirmato: Vel, credent ipsi signo quod est verbum quoddam seu res.

[ ℣. 9. *Quòd si nec duobus quidem his signis crediderint,* ] non dubitabat Deus, quin Hebræi essent credituri ad exhibitionem signi secundi; sed more humano loquitur, & ad pacandum plenius animum Moysi, ex abundanti promittit illi signum tertium, dicens:

[ *Sume aquam fluminis, & effunde eam super aridam, & quidquid hauseris de fluvio, vertetur in sanguinem.* ] Sunt qui existiment hoc quoque signum expertum fuisse Moysen coram Deo in deserto: Sed non est verisimile, tum quòd ibi non esset fluvius, de quo aquam sumeret; tum quòd scriptura non magis taciturа fuisset hoc signum coram Deo factum fuisse, quàm reliqua. Unde Philo in vita Moysi scribit quòd hoc signum Ægypto servabatur, in quo nimirum per sanguinem præsignificanda erat Ægyptiorum cædes, futura partim in primogenitorum interfectione, partim in submersione maris rubri.

[ ℣. 10. *Ait Moyses: Obsecro Domine,* ] Q. d. Quæso Domine, Noli me mittere.

[ *Non sum eloquens ab heri & nudiustertius:* ] Id est, à multo tempore præterito: Neque enim heri & nudius tertius determinatè hìc sumitur pro secundo vel tertio die, sed indeterminatè pro tempore præcedenti: q. d. Jam pridem seu à multo tempore non sum eloquens, sive interim hoc ei fuerit ab infantia, ut quidam volunt, sive ut alii, ex longa desuetudine idiomatis Ægyptii, quo ad Pharaonem erat utendum, & quo per annos 40. usus non fuerat; sive alia ex causa.

*Et ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.* ] Non vult dicere, (etsi quidam ita explicent) se vel esse vel sibi videri esse minùs eloquentem ex eo tempore quo Deus est ad eum locutus, quasi ex illo alloquio vel creverit ejus ineloquentia, vel ea sibi videatur esse major; sed copulativa, &, quam dicit, *& ex quo*, idem valet quòd, *etiam*, hoc sensu: etiam ex quo locutus es ad me, sum ac permaneo linguæ impeditioris ac tardioris; ita ut quamvis linguas infantium facias, quando tibi sic placet, disertas, me tamen reliqueris ineloquentem & tardiloquum. Juvat hanc expositionem quod in Hebr. ita legitur: *Mi Domine, non vir verborum ego, etiam ab heri, etiam à nudiustertius, etiam ex eo tempore quo locutus es ad servum tuum, quia gravis ore & gravis lingua sum*, q. d. os & linguam tardam habeo ad loquendum. Nec dissentiunt vel 70. interpretes, vel S. Basil. in cap. 6. Isa. vel B. Ambr. l. 2. de Abraham cap. 10. sic reddentes. *Precor Domine, non sum dignus* seu idoneus vel eloquens *ante hesternam & nudiustertianam diem, neque ex quo cœpisti loqui servo tuo; gracili enim collocutione & tardiore lingua ego sum.* Ubi observandum quòd vir verborum, idem sit quod vir eloquens; sicut vir fortitudinis, idem est quod vir fortis; & vir divitiarum, idem quod vir dives.

Moyses an ineloquens ex Dei confortio.

His non obstat quòd B. Stephanus Act. 7. de Moyse dicit, quòd *erat vir potens in verbis:* Hoc enim dicit pro illo tempore quo Moyses habitabat in aula Pharaonis, quando propter insignem authoritatem qua pollebat & ob sapientiam, ac industriam quæ reddebant ipsum gratiosum; ejus verba magni æstimabantur plurimumque valebant ad persuadendum, idque tam Ægyptio quàm Hebræo idiomate, etsi jam tum esset linguæ impeditioris & tardioris. At nunc cum esset octoginta annorum desuevissetque habendis sermonibus publicis, præsertim lingua Ægyptiaca, quam per annos 40. non erat locutus; non erat ita potens in verbis, tum propter impedimentum linguæ, quod à nativitate habuit, tum propter dictam desuetudinem.

Si quæras, quare ad tanti momenti negotium Deus elegit Moysen indisertum, neque ipsi contulit dexteritudinem & facundiam. Resp. partim ne liberatio Israelitarum de Ægypto attribueretur humanæ eloquentiæ; partim ut Moyses conservaretur in humilitate; partim ut Deus ostenderet quòd per infirma mundi confundat fastum sæculi, sicut etiam fecit in electione Apostolorum, ubi *quæ stulta sunt mundi elegit, ut confundat sapientes*, 1. ad Corinth. 1. partim ut indicaret animi præstantiam non debere Quæst. Resp.

debere æſtimari ex exterioribus. Sicut enim inter urticas & carduos aliquando invenitur roſa; ita in homine infacundo ſubinde latet magna animi virtus, quemadmodum in Moyſe inſignis apud Deum facundia & orationis efficacia, ut liquet ex ſeq. cap. 32.

[ ℣. 11. *Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus eſt mutum & ſurdum, videntem & cæcum? nonne ego?* ] Q. d. Cum ego ſim qui homini do os ad loquendum, eique uſum ſenſuum, quando mihi ſic placet, tribuo; quando aliter placet non tribuo, non eſt quod timeas, vel cur tuam inſufficientiam ita ponderes: ego poſſum eam tollere, aut aliter tibi providere. Hinc diſcimus ſermonis eloquentiam & facundiam eſſe donum Dei, quando quidem naturale, aliquando verò ſupernaturale.

Eloquentia eſt donum Dei.

[ ℣. 12. *Perge igitur, & ego ero in ore tuo:* ] Subminiſtrabo tibi verba quæ loquaris, linguamque tuam movebo, ut ea dicas ſicut oportet.

[ *Doceboque te quid loquaris.* ] Etiam mentem tuam illuminabo, ut ſcias ea quæ loqueris. Conformia ſunt hæc iis quæ Chriſtus Matth. 10. dixit Apoſtolis: *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini* &c.

[ ℣. 13. *At ille: Obſecro, inquit, Domine. Mitte quem miſſurus es.* In Hebr. ſic: *Mitte quæſo per manum mittes*, ſeu quem mittes; ſubauditur enim ille accuſativus; *quem*. Mittere autem per manum illius quem mittes, phraſi Hebræa eſt mittere eum quem miſſurus es. Et ſenſus maximè obvius hic reddi poteſt: Cùm ſentiam me prorſus idoneum tanto munere, obſecro ut mittas quemcumque alium quem in tua præſcientia decreviſti mittere: nondum quippe intelligebat abſolutam eſſe Dei voluntatem quòd ipſe mitteretur. Quadrat huic ſenſui lectio 70. quæ ſic habet: *Elige alium qui poſſit*, ſeu potentem ac ſufficientem *quem mittes*. Non eſt tamen rejicienda explicatio quam Baſilius in cap. 6. Iſaiæ, Rupertus l. 1. in Exod. cap. 18. Et quidam alii veteres afferunt, volentes quòd Moyſes hic petierit mitti Meſſiam ſeu Chriſtum Salvatorem: Nam & Geneſ. 49. idem Meſſias deſignatur per eum qui mittendus eſt, & Moyſes benè ſciebat Meſſiam aliquando eſſe venturum, neque eſt inconveniens quòd eum hic deſideraverit, ſicut alii prophetæ in gravibus cauſis ad Chriſtum reſpiciebant & ſuſpirabant: ut Jacob Geneſ. 49. verſ. 10. & 18. Iſaias cap. 7. verſ. 14. & ſeqq. cap. 16. verſ. 1. Neque alicujus momenti eſt ratio, quam Abulenſis opponit, dicens quòd ſi Moyſes talia petiiſſet, Deus ad illa reſpondiſſet: Dici namque poteſt Deum idcirco non reſpondiſſe, quòd petitio eſſet intempeſtiva.

Si dicas Moyſen, ut cap. 2. ex Act. 7. diximus, dudum antea fuiſſe inſpiratum quòd Iſraelitæ per ipſum eſſent de ſervitute Ægyptiaca liberandi, ideòque nullam habuiſſe cauſam petendi vel Meſſiam vel quemcumque alium: Reſp. hoc non ſequi; quia non fuerat tunc ei revelatum quòd deberet Pharaonem ſævum ac durum regem perſonaliter adire.

Obſervari poteſt quòd Moyſes quinquies conatus fuerit miſſionem hanc declinare, primò propter ſuam imparitatem, dicens cap. 3. *Quis ſum ego* &c. ſecundò, propter Dei nomen ſibi ignotum eodem cap. 3. verſ. 13. Tertiò, propter incredulitatem Hebræorum, initio hujus cap. 4. Quartò, propter ſuam ineloquentiam, v. 10. Et cum videret ſuas excuſationes non admitti, Quinto loco addit ſupplicationem jam explicatam.

Moyſes variè declinat mitti ad Pharaonem.

[ ℣. 14. *Iratus Dominus in Moyſen*, ] Rabbini quidam hinc colligunt Moyſen graviter peccaſſe: idque etiam videtur poſſe confirmari ex eo quòd toties Deo reniti & non obedire, non poteſt carere gravi culpa. Reſp. certum eſſe, quòd Moyſes non graviter peccaverit, probabile verò quòd ne quidem venialiter: quia multiplex ejus excuſatio & tergiverſatio non eſt profecta ex incredulitate vel diffidentia, vel timore humano; ſed ex profunda humilitate & ex conſcientia propriæ infirmitatis, quomodo etiam Jeremias cap. 1. valdè recuſabat munus prædicationis ſibi à Deo injunctum. De quibus B. Thomas 2. 2. quæſt. 133. art. 1. ad 4. ita ſcribit: Moyſes & Jeremias digni erant officio ad quod divinitus eligebantur, ex divina gratia: Sed ipſi conſiderantes

Moyſes hic non peccavit.

propriæ infirmitatis inſufficientiam, recuſabant, non tamen pertinaciter.

Hinc eſt quòd cum Moyſes abſolutam Dei voluntatem agnovit, promptè obedivit, patienſque & conſtans & magnanimus in ſua legatione fuit. Accedit quòd Deus nulla pœna eum mulctaverit, quòdque ſancti patres Baſil. in cap. 6. Iſaiæ, Hieronymus epiſtola 142. Gregorius l. 35. Moral. cap. 13. iſtam Moyſi recuſationem velut ab humilitate profectam laudant, eoſque ſequitur Pererius. Neque refert textum præſentem aſſerere, quòd Deus iratus eſt Moyſi. Cùm enim ira non conveniat Deo ſecundùm affectum, ſed tantùm ſecundùm effectum; quando ipſi tribuitur ſignificat aliquid quod in homine ſolet eſſe effectus iræ; Hujuſmodi autem non ſolùm eſt vindicta, punitio, comminatio; verùm & ſermo durior, qualis interdum eſſe ſolet in parente erga filium & in domino erga ſervum, quando non ob aliquod ejus delictum iraſcitur, ſed irati ſimilitudinem induit durioribus verbis inculcans quid abſolutè velit ab eo fieri. Et juxta hæc intelligi poteſt Deus fuiſſe iratus Moyſi, quia ſcilicet durioribus verbis, tametſi ea non extent, ſit ad eum uſus.

Deus ut Moyſi iratus.

Non refert etiam quòd Moyſes videatur fuiſſe inobediens Deo: Non enim ita eſt; cum Deus nondum abſolutè præcepiſſet Moyſi, ut iret; & Moyſes deprecaretur ne Deus id ei præciperet.

Cæterum etſi hæc probabiliter dicantur; quia tamen boni ſunt authores qui Moyſen venialiter peccaſſe exiſtimant, nimis tergiverſando nec ſatis in divina ope confidendo; ideo ſententiam hanc non rejicimus ut improbabilem. Diſcimus autem hinc quòd munus prælaturæ nec ambitiosè ſit quærendum, nec cum pertinacia recuſandum quando imponitur.

[ *Aaron frater tuus Levites*, ] Additur, *Levites*, quia ob ſacerdotium in tribu Levi conſtituendum, erat honorabile, eſſe de illa tribu, ſignificaturque quòd de illa non minùs eſſet Aaron, quàm Moyſes.

[ *Scio quod eloquens ſit:* ] Hebr. quòd *loquendo loquetur ipſe*: hoc eſt, quòd ipſe ſit promptus ad loquendum, atque adeò eloquens & facundus. 70. habent: *quia loquens loquetur ipſe tibi*, id eſt, pro te.

[ *Ecce ipſe egreditur in occurſum tuum*, ] ne Moyſes dubitet, utrùm Aaron velit ſuſcipere legationem, datur ei ſignum per quod meritò credere debeat Deum moviſſe cor ejus, ut eam ſuſcipiat, ſcilicet quòd Aaron qui annis 40. abfuerat à Moyſe nec naturaliter quidquam ſciebat de ejus adventu, veniret in occurſum illius.

Cur iſta prædicantur Moyſi.

[ ℣. 15. *Loquere ad eum.* ] qualiter tibi apparuerim:

[ *Et pone verba mea in ore ejus*: ] Dic ei omnia verba quæ ad te ſum locutus.

[ *Et ego ero in ore tuo*, ] tibi verba ſuggeram, teſermoneſque tuos moderabor, ac linguam tuam movebo, ad ipſi nuntiandum omnia quæ volo ut ei referas.

[ *Et in ore illius*, ] eum quoque dirigam & ejus linguam movebo, ut appoſitè loquatur, neque in ullo aberret. Ut enim Proverb. 16. legitur, *Domini eſt gubernare linguam*. Unde Eſter 14. ſic Deum precabatur: *Tribue ſermonem compoſitum in ore meo*.

[ ℣. 16. *Ipſe loquetur pro te ad populum*, ] 70. *Loquetur tibi*, ſed tibi idem valet ac pro te.

[ *Et erit os tuum:* ] Erit tuus interpres: Illa quæ intellectu concipies & ordinabis, ipſe tamquam os tuum eloquetur.

[ *Tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent.* ] Hebr. *eris ei pro Deo*; id eſt, vice Dei, ex te voluntatem Dei intelliget. Tu voluntatem Dei ipſi referes.

[ ℣. 17. *Virgam quoque hanc ſume in manu tua*, ] Sermo eſt de virga paſtorali qua hucuſque uſus fuerat in paſcendis ovibus.

[ *In qua facturus es ſigna.* ] Cujus miniſterio per Dei virtutem facturus es miracula & portenta.

[ ℣. 18. *Abiit Moyſes*, ] volens omnino voluntati Dei obedire. Quoniam tamen Deus non ei juſſerat ut ſocero ſuo inſalutato proficiſceretur in Ægyptum, neque decens erat ut Madian desereret, ipſo non

præmonito: cum ab eo nihil periculi metueret, sicut Jacob timuit à Laban Genes. 31. propterea quòd nunc dicitur, *Abiit*, non significat eum jam rectà in Ægyptum abiisse; sed sensus est quòd à loco ubi Deus cum illo fuerat collocutus, abiit, statim postea legationem suam executurus. Unde sequitur.

Moyses nihil aperit socero.

[ *Et reversus est ad Jethro socerum suum, dixitque ei: Vadam & revertar ad fratres meos in Ægyptum*, ] Nec Dei apparitionem sibi factam, nec legationem sibi commissam refert socero suo; quia non suam sed Dei gloriam quærebat; hanc autem opportuno tempore visurus erat Jethro, absque eo quòd Moyses nunc ei referret divinum cum ipso colloquium, & quid in eo actum fuerit. Nihilominus ut veniam exeundi ab eo urbanè impetraret; aliam eamque justam causam adfert dicens.

[ *Ut videam si adhuc vivant*. ] Illi nimirum quos ante 40. annos de populo Hebræorum viderat, & cognoverat in Ægypto.

[ *Cui ait Jethro: Vade in pace*: ] Licèt Jethro præcipuam causam discedendi Moysi non audivisset; quia tamen vir erat rationabilis, illam quam audivit, accepit ut sufficientem, sicque abire permisit.

[ ℣. 19. *Dixit ergo Dominus ad Moysen in Madian: Vade, & revertere in Ægyptum*: ] Hæc dicta fuisse videntur in secunda apparitione, quando scilic. Moyses ad socerum redierat, ab eoque licentiam discedendi obtinuerat. Quoniam verò dum Moyses ex Ægyto fugit in Madian, aliqui erant qui volebant eum occidere; ne quid simile nunc timeat subesse, præmonetur & confortatur per ista verba.

[ *Mortui sunt enim omnes qui quærebant animam* ] seu vitam.

[ *Tuam*. ] Ut eam tollerent, teque interficerent. Quòd Pharao quæreret occidere Moysen, cap. 2. legitur: Sed quia Pharaonis aulici, aliique ejus adhærentes idem quærebant, ideo hic dicitur in plurali, *Mortui sunt* &c. Ex his liquet hunc Pharaonem ad quem mittitur Moyses, diversum fuisse ab eo quem isto cap. 2. fugit. Si petas quare hæc præmonitio non fuit facta in 1. apparitione. Resp. ut ejus obedientia & animi fortitudo magis probaretur. Similem monitionem sancto Josepho factam videre licet Matth. 2.

[ ℣. 20. *Tulit ergo Moyses uxorem suam, & filios suos, & imposuit eos super asinum*, probari hinc potest filios Moysi non fuisse natos ab initio quando ipse venit in Madian, ibique habitavit, sed dudum postea, aliquantò scil. priusquam juberetur in Ægyptum reverti, alioquin jam fuissent robusti & ad iter pedestre idonei.

Hebræi dicunt quòd iste est asinus qui portavit ligna, quando Abraham Gen. 22. ivit ad immolandum Isaac, quòdque super eumdem asinum sessurus sit Messias in suo adventu, juxta vaticinium Zacha. 9. tum quia asinus in Hebræo habet articulum seu he demonstrativum, quod emphasim habet, quasi esset asinus celebris, tum quia nisi esset asinus mirabilis, non posset ferre matrem cum filiis. At hæc & ridicula sunt & fabulosa; cum asinus aliquis non possit naturaliter tam diu vivere, nec nisi sit ratio agnoscendi tanti miraculi, ut ad aliquot millia annorum sit servatus; cumque Christus pridem advenerit, nec in suo triumphali ingressu super illum asinum sederit, sed super asinam & pullum asinæ, super quem nullus adhuc hominum sederat Matth. 21. Marci 11. & Luc. 19.

Ad 1. rationem oppositam Resp. cum Abulensi, non esse perpetuum quòd articulus alicui voci præfixus designet aliquid celebre seu speciale. Volentes enim loqui de aliquo communi, ex usu loquendi articulos apponimus. Et sic stat hic asinus pro aliquo asino, quicumque ille fuerit.

Ad 2. Resp. non esse quid mirum aut difficile, quòd unus asinus portet unam mulierem cum duobus parvulis: quamquam dici etiam posset singulare positum esse pro plurali, asinum pro asinos, sicut Psalm. 77. Deus dicitur misisse in Ægptios ranam, id est, ranas, ut ex hujus l. cap. 8. patet. Unde 70. pro super asinum, habent super subjugalia.

[ *Reversusque est in Ægyptum*, ] Sive aggressus est iter, ut in Ægyptum rediret, cœpitque in eam reverti: Non enim significatur quòd nunc Ægyptum fuerit ingressus, cum prius in itinere contigerint ea quæ versu 24. & aliquot sequentibus leguntur.

[ *Portans virgam Dei in manu sua*. ] Virga hæc erat baculus pastoralis quo Moyses solebat minare & pascere oves Jethro; qui vocatur virga Dei, quia Deus statuerat ejus ministerio uti ad signa illa patranda quæ postea fecit in Ægypto. Quòd Hebræi volunt virgam Dei dictam, eò quòd haberet nomen Dei tetragrammaton sibi inscriptum; adduntque illam fuisse quadrilateram, & in unoque latere fuisse unam litteram; figmentum est ad fabulas Judaicas pertinens.

[ ℣. 21. *Dixitque ei Dominus revertenti in Ægyptum*: ] Iterum apparet Deus Moysi; estque hæc apparitio tertia: Nam prima fuit ad montem Dei Horeb, supra cap. 3. Secunda in Madian, præsentis cap. v. 19.

[ *Vide ut omnia ostenta*, ] id est, signa & portenta

[ *Quæ posui in manu* ] sive, in potestate.

[ *Tua, facias coram Pharaone*: ] Istud ei inculcat, ut tenacius memoria teneat, nihilque prætermittat.

[ *Ego indurabo cor ejus*, ] partim non dando illi gratiam qua illius cor durum emolliatur, partim eos potentiæ meæ effectus circa ipsum & alios operando, ex quibus cum deberet emendari, ipse prava sua voluntate occasionem sumet magis magisque se durandi. Non enim Deus aliquem propriè indurat, causando scilicet in eo animi duritiem aut malitiam, sicut vult Calvinus, sed impropriè solùm dicitur indurare, tum non impertiendo gratiam, tum plagas immittendo, & beneficiis talibus cumulando ex quibus tametsi bonis quispiam magis se in malo obfirmat, ut latius deduximus 1. 2. qu. 79. art. 3.

Deus quomodo induret.

[ *Et non dimittet populum*. ] Propter mandatum quod es me illi nunciabis, imò nec propter prima signa quæ facturus es.

[ ℣. 22. *Dicesque ad eum: Hæc dicit Dominus: filius meus primogenitus Israel*. ] Loquitur Deus de toto populo Israelitico, sicut de uno homine: & sensus est: Israel seu Israeliticus populus est meus filius scilicet per adoptionem, & quidem primogenitus; quia eum inter omnes alios populos primum adunavi & adoptavi, qui mihi serviret meque coleret. Unde vicissim illum peculiariter diligo, sicut parentes solent plus diligere suos primogenitos quàm reliquos, sumque ipsius protector & provisor specialis.

Populus Israel est Dei filius primogenitus.

[ ℣. 23. *Dixi tibi: Dimitte filium meum ut serviat mihi*; ] Ista Deus dixit Pharaoni quatenus Moyses ex ejus mandato ipsi dixit. Sermo autem est de servitute suprema quæ vocari solet latria: ut serviat mihi, id est, ut eat ad sacrificandum mihi, secundùm ea quæ leguntur cap. 3. v. 18. & cap. 5. v. 1.

[ *Et noluisti dimittere eum: Ecce ego interficiam filium tuum primogenitum*. ] Ut pro retentione filii mei primogeniti, justas pœnas in primogeniti tui occisione luas. Hujus tantùm pœnæ quæ postrema erat futura, meminit; quia usque ad eam mansurus erat Pharao induratus, nolens populum dimittere, post illam verò erat dimissurus.

[ ℣. 24. *Cumque esset in itinere; in diversorio* ] Seu in hospitio, quod idcirco vocatur diversorium, quia viatoris ad illud divertunt causa refectionis aut hospitii.

[ *Occurrit ei Dominus*, ] id est, Angelus personam Dei repræsentans. Unde 70. sicut & paraphrasis Chaldaica pro Dominus, habent, *Angelus Domini*; Augustinus q. 11. habet tantùm Angelus; Symmachus autem & Theodotio habent Dominus sicut nostra versio.

[ *Et volebat occidere eum*. Evaginato gladio mortem intentat Moysi. Pronomen enim *eum*, refert Moysen de quo hactenus sermo, non autem filium incircumcisum, cujus nulla mentio præcessit. Cur Angelus Moysen occidere vellet, varias quidam assignant rationes: sed verissima est, quòd filium suum

ſuum parvulum non circumciderat juxta legem Gen. 17. relatam: Hanc quippe cauſam textus indicat, docens quòd uxor Moyſi ſtatim ut advertit ipſum eſſe in periculo, filium ſuum circumcidit, per quod datur intelligi eam exiſtimaſſe quòd propter omiſſam circumciſionem hoc fieret, cujus neceſſitatem & ritum à viro ſuo didicerat, ſive dum Gerſam primogenitum ſuum circumciderunt, ſive etiam antea dum Moyſes Hebræi populi mores enarraret in familia Jethro.

*Cur Moysi mors intentata.*

Sed unde uxor Moyſi potuit intelligere quòd eam ob cauſam intentaretur mors marito; Reſp. partim quia ſciebat ſuum ſecundo genitum, ſcilicet Eliezer non eſſe circumciſum: partim quia Angelus id ſatis ſignificabat, vel puerum oſtendendo, vel etiam de ipſo ad Moyſen verba faciendo, licèt ea non ſint ſcripta.

Si quæras, quid movere potuit Moyſen virum Deo charum, ut iſtum filium non circumcideret octavo die, ſicut primogenitum antea circumciderat. Reſp. cum Abulenſi & aliis fuiſſe periculum ex itinere quod ſtatim circa octavum nativitatis diem erat ſuſcipiendum: quia tamen iſtud periculum non erat tantum, ut propter illud prætermitti poſſet præceptum divinum, præſertim ab eo qui tamquam dux exemplo præire debebat aliis in lege ſervanda; ideo non omni culpa caruit, ſed quæ non fuit plus quàm venialis, propter apparentem rationem qua movebatur, & bonam fidem.

[ ℣. 25. *Tulit illico Sephora acutiſſimam petram,*] non quòd neceſſe foret circumciſionem fieri lapide, ſeu cultro lapideo, unde 3.p. qu. 70. art. 3. oſtendimus eum non fuiſſe neceſſarium: ſed quia mulier feſtinans & tremefacta id accepit quod in Arabia petræa, magis ferace lapidum quàm ferri, obvium habuit.

[ *Et circumcidit præputium filii ſui,* ] nimirum Eliezer, qui ſolus relictus fuerat incircumciſus. Per quod poſſumus diſcere nos non ſolùm debere circumcidere noſtrum intellectum, ſed etiam voluntatem: nec tantùm partem ſuperiorem, ſed etiam inferiorem.

[ *Tetigitque pedes ejus,* ] Relativum, *ejus* quidam referunt ad Angelum: alii ad puerum: Sed veriſimilius eſt referendum eſſe ad Moyſen, cujus pedes poſt filii circumciſionem ipſa tetigit, vel eos ſanguine filii aſpergendo, vel etiam ipſum præputium reſectum ad pedes ejus projiciendo.

[ *Et ait: Sponſus ſanguinum tu mihi es.* ] Hæc verba Sephoræ quidam interpretantur dicta eſſe ad Angelum, & habere ſenſum cauſalem hujuſmodi: Tu es cauſa cur ſponſus meus in poſterum ſit mihi futurus ſponſus ſanguineus, quia facis ut propter eum ſubitò & præter expectationem effundam ſanguinem filii mei. Verius tamen alii dicunt eſſe verba Sephoræ ad Moyſen; quem ideo vocat ſponſum ſanguinum ſeu ſanguineum, quia ad illum à morte ſervandum coacta eſt filii ſui ſanguinem fundere.

[ ℣. 26. *Et dimiſit eum* ] quidam volunt quòd Sephora Moyſen dimiſerit, rediens ſcilicet ad patriam cum filiis, idque volente Moyſe. At Auguſtinus qu. 11. in Gen. quem Abulenſis, Cajetanus, Marius & alii ſequuntur, probabilius intelligit, quòd facta circumciſione pueri, Angelus dimiſit Moyſen, ceſſavitque eum perſequi: Nam ut verſio 70. habet, *receſſit Angelus ab eo*, & verbum Hebræum non ſignificat remittere vel abire in alium locum, ſed dimittere in pace, & non vexare. Deinde verbum Hebræum eſt maſculinum, ideoque non poteſt intelligi quòd Sephora dimiſerit Moyſen. Et quia pronomen, *eum*, etiam eſt maſculinum, non poteſt quoque intelligi quòd Moyſes dimiſit Sephoram. Nec refert apud Hebræos interdum fieri commutationem generum in verbis: quia id valdè rarum eſt, nec ſine cauſa, quæ hic deeſt. Non refert etiam quòd ex cap. 18. conſtet Sephoram receſſiſſe à Moyſe, & abiiſſe in Madian cum ſuis filiis: quoniam eodem illo cap. ſatis ſignificatur quòd Sephora non ſponte ſeu ex propria electione receſſerit, ſed ex mandato Moyſi qui eam remiſit, incertum tamen quando: fortè poſtquam Aaroni expoſuit qualia Deus ei mandaverat, ut vult Abulenſis hic.

[ *Poſtquam dixerat:* ] Sephora ſcilicet.

[ *Sponſus ſanguinum ob circumciſionem.* ] Ne ſuſpicaretur quiſpiam Moyſen dici ſponſum ſanguinum, quia interfecerat Ægyptium, aut ex aliqua ſimili cauſa; Spiritus ſanctus veram cauſam exprimi voluit, quæ eſt propter ſanguinem in filii circumciſione fuſum.

[ ℣. 27. *Dixit autem Dominus ad Aaron:* ] In Ægypto degentem. Quando hæc apparitio facta fuerit, non liquet: Si tamen conſideremus quòd Aaron venit in montem Dei, & quòd ab Ægypto uſque ad illum montem erat longius iter quàm ex Madian; probabile videbitur quod obſervat Abulenſis, præſentem apparitionem eſſe factam Aaroni circa idem tempus quo Deus apparuit Moyſi in Madian, jubens ut reverteretur in Ægyptum v. 19.

[ *Vade in occurſum Moyſi in deſertum.* ] Nihil audiverat Aaron de reditu Moyſi; ideo divinitus admonetur; & ut impleatur quod Moyſi dictum fuerat verſ. 14. jubetur ire in ipſius occurſum.

[ *Qui perrexit obviam ei* ] divino mandato ſtatim obtemperans, itineri ſe dedit.

[ *In montem Dei,* ] 70. *Perrexit & occurrit ei in monte Dei.* Montem Horeb ſeu Sinai intellige, de quo cap. 3. verſ. 1. diximus. Hinc patet Aaronem occurriſſe Moyſi non longè de Madian egreſſo.

[ *Et oſculatus eſt eum.* ] Præ gaudio ſcilicet, ſecundùm quod Deus dixerat v. 14. *videnſque te, lætabitur corde.*

[ ℣. 28. *Narravitque Moyſes Aaron omnia verba Domini quibus miſerat eum:* ] Ideo hoc fecit Moyſes, tum quia ſic ei præceperat Deus v. 15. dicens, *Pone verba mea in ore ejus*; tantùm quia Aaron erat verba Dei elocuturus ad populum, ut ibidem dicitur: Alii legunt, *pro quibus*, ſed omittenda eſt præpoſitio conformiter Hebræis & Græcis.

[ *Et ſigna quæ mandaverat.* ] Illa nimirum tria initio cap. nominata, de converſione virgæ in colubrum, de manu leproſa, & de converſione aquæ in ſanguinem.

[ ℣. 29. *Veneruntque ſimul,* ] remiſſa veriſimiliter Sephora in Madian cum filiis, ut Moyſes eſſet liberior ad vacandum ſuæ legationi, & ne diceretur ab Iſraelitis, Si eſſet nos liberaturus & eduoturus de Ægypto, non huc veniret cum uxore & parvulis.

Petes, quare igitur egrediens de Madian illam ſecum aſſumpſerat. Reſp. quia penitus deſerebat habitationem Madian, & necdum adverterat uxorem ſibi futuram impedimento, id quod jam vel Aarone ſuggerente, vel Deo inſpirante cognovit.

[ *Et congregaverunt cunctos ſeniores filiorum Iſrael.* ] Hoc eſt, primores & honorabiliores, ſicut c. 3. v. 15.

[ ℣. 30. *Locutuſque eſt Aaron omnia verba quæ dixerat Dominus ad Moyſen:* ] Aaron incipit exercere munus ad quod Deus eum deſtinaverat, & eſſe os ſeu interpres Moyſi, quemadmodum v. 16. erat prædictum.

[ *Et fecit ſigna coram populo,* ] quænam ſigna fuerint, hic non exprimitur: vix tamen dubium eſſe poteſt, quin fuerint illa, de virga, de manu leproſa, & de ſanguine quæ initio hujus cap. ſunt expreſſa. De ſuppoſito verbi, *fecit*, ambigitur. Abulenſis vult eſſe Aaronem. At Liranus, Cajetanus, Dionyſ. Carth. & alii plures cenſent eſſe Moyſen qui immediatè præcedit; quia ſic inter eos partita erant officia, ut Aaron quidem loqueretur, ſed Moyſes ſigna faceret unde ipſe erat qui ferebat virgam in qua facturus erat ſigna v. 17.

[ ℣. 31. *Et credidit populus.* ] Poſtquam vidit ſigna per Moyſen facta in confirmationem ſuæ legationis & eorum quæ Aaron erat locutus.

[ *Audieruntque* ] non ſolùm ſeniores, ſed etiam plebei.

[ *Quòd viſitaſſet Dominus filios Iſrael,* ] mittendo eis liberatorem, nimirum Moyſen.

[ *Et quòd reſpexiſſet afflictionem illorum:* ] volendo eos liberare. Semper quidem vidit Deus Hebræorum afflictionem: At nunc dicitur eam reſpexiſſe, benevolo ſcilicet affectu, quia volebat ipſorum miſereri eoſque liberare.

[ *Et proni adoraverunt* ] Gratias agentes Deo.

## CAPUT V.

*Moyses incipit legationem suam cum fratre exequi : Eos Pharao contemnit & gravius Hebræos affligit. Hebræi contra Moysen murmurant : Moyses populi miseriam coram Deo deplorat.*

[ ℣. 1. *Post hæc ingressi sunt Moyses & Aaron, & dixerunt Pharaoni :* ] Nulla hic fit mentio seniorum, cùm tamen cap. 3. dictum esset Moysi, *Ingredierisque tu & seniores filiorum Israel ad regem Ægypti :* Unde Abulensis & Pererius censent seniores non ivisse ad Pharaonem, sed solos Moysen & Aaron, quia hi tantùm nominantur tam vers. 1. quàm v. 4. & quoniam sententia cap. 3. dicta fuit prius quàm Aaron adjungeretur Moysi, dicunt Aaronem fuisse postea illi adjunctum loco seniorum. Sed hujus rei nullum est argumentum. Addidit enim ei Deus Aaronem eò quòd esset eloquens, ut pro Moyse loqueretur, non solùm ad Pharaonem, sed etiam ad populum populique Primores, uti patet ex versibus 16. 29. & 30. cap. 4. At quòd Aaron esset loco seniorum, nusquam dicitur, Et ideo potius videtur dicendum quòd in hoc ingressu ad Pharaonem adfuerint seniores cum Moyse & Aaron, quia non apparet sententiam capitis 3. fuisse retractatam vel mutatam, sed isti duo solùm nominantur tamquam principales, & quibus commissum erat negotium. Ita Liranus & Carthusianus; in quam etiam sententiam inclinat Cajetanus dicens quòd ista verba Pharaonis, *ite ad onera vestra*, innuunt seniores Israel adfuisse, & ad eos dicta esse : quod valdè est verisimile, præsertim si consideremus illam interrogationem; *Quare Moyses & Aaron sollicitatis populum ab operibus suis.* Si enim isti duo soli comparuissent coram Pharaone, quid eum movisset dicere, quòd sollicitarent populum ab operibus, quandoquidem non vidisset ullum abesse ab opere ?

[ *Hæc dicit Dominus Deus Israel : Dimitte populum meum* ] Longè benigniùs aggrediuntur veram populi liberationem, quam hæretici nostri falsò promissam : nam hi per arma & seditiones vim tentant, & principum suorum obedientiam excutiunt ; Moyses autem & Aaron regi quamvis tyrannicè Hebræos opprimenti suaviter exponunt Dei mandatum, conanturque illum inducere ad spontaneam concessionem.

[ *Ut sacrificet mihi in deserto.* ] 70. & alii ex Hebr. vertunt *ut festa mihi celebrent in deserto :* nulla tamen est contradictio, quia modus præcipuus Deo festa celebrandi, est per solemnem sacrificii oblationem.

[ ℣. 2. *At ille respondit : Quis est Dominus ut audiam vocem ejus, & dimittam Israel?* ] Q. d. quantæ majestatis vel authoritatis est Deus de quo vos loquimini, ut debeam ipsi obedire, & propter ipsum dimittere Israelitas !

[ *Nescio Dominum,* ] id est, non curo Deum vestrum, nec habeo ipsum pro Deo. Sic 1. Reg. 2. de filiis Heli dicitur, quòd essent *filii Belial nescientes Dominum*, hoc est, non æstimantes nec curantes Deum. Ita autem superbè & arroganter loquitur Pharao, vel quòd esset Atheus, nullum Deum agnoscens ; vel quòd cum Ægyptiorum errore, putaret quosdam, esse deos majores & alios minores, non crederet autem Deum Hebræorum esse de majoribus ; vel etiam quòd non vellet agnoscere ullum Deum qui esset ipso superior, & cui ipse deberet obedientiam. Quomodo Holofernes Judith 6. dixit, *Ostendam tibi quoniam non est Deus nisi Nabuchodonosor*. Neque refert quòd Deum esse, sit per se notum : Sicut enim cum B. Thoma ostendimus 1. p. qu. 2. art. 1. est quidem per se notum secundùm se, sed non quoad nos.

[ ℣. 3. *Dixeruntque :* Moyses & Aaron : etsi enim solus Aaron ad Pharaonem loqueretur ; quia tamen loquebatur ex voluntate Moysi, imò etiam ex ejus instructione, juxta illud cap. 4. *Pone verba mea in ore ejus : & ego ero in ore tuo & in ore illius* ; Ideo verum est quòd ambo dixerint.

[ *Deus Hebræorum* ] qui quidem jure creationis, gubernationis & provisionis est Deus universorum ; sed ratione cultus specialiter dicitur Deus Hebræorum ; quia jam olim etiam ante Israelis exortum, ipsum coluerunt Hebræi qui ab Heber descenderunt.

[ *Vocavit nos,* ] non tantùm per inspirationem internam, sed etiam per externam denunciationem, qua Angelus in Dei persona Moysi apparens jussit cap. 3. ut sic diceret, *Dominus Deus Hebræorum vocavit nos* &c.

[ *Ut eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro :* ] Quæri potest, quomodo hæc sint vera, cum Deus vellet educere Israelitas ad inhabitandum terram Chanaan supra cap. 3. v. 8. cumque postea egressi non sacrificaverint in solitudine, post viam trium dierum. Duæ quæst.

Ad prius Resp. illa esse vera : quoniam Deus ita præceperat isto cap. 3. v. 18. idque propterea, ut dum aliquid moderatum peteretur à Pharaone, minorem haberet causam recusandi.

Ad posterius Respondet August. quæst. 13. in Exod. quoniam Deus præsciebat Pharaonem non consensurum ad populum dimittendum, illud primò dictum esse, quod etiam primitus fieret, si ille dimitteret.

[ *Ne fortè accidat nobis pestis aut gladius.* ] Sive, ne si diutius differamus, vel etiam prætermittamus eum placare per oblationem sacrificii, nobis iratus, peste vel gladio nos affligat. Cur autem non in Ægypto sacrificarent, ratio habetur cap. 8. v. 26. Notandum porro quòd si antiqua sacrificia valebant ad ejusmodi mala avertenda, quantò magis sacrificium Eucharistiæ.

[ ℣. 4. *Quare Moyses & Aaron sollicitatis populum ab operibus suis?* ] Quare vana spe liberationis quam populo promittitis, facitis eum cessare ab operibus quæ illi injunxi ?

[ *Ite ad onera vestra.* ] Pertinet hæc jussio non tantùm, imò nec præcipuè ad Moysen & Aaronem, sed ad ipsorum comites, quos videbat à laboribus abesse.

[ ℣. 5. *Dixitque Pharao :* ] Ad suos aulicos famulosque conversus.

[ *Multus est populus terræ.* ] Hebræos intelligit eosque contemptim ita appellat, prout & in subsequentibus vocat turbam, dicens:

[ *Videtis quòd turba succreverit :* ] Et sensus est : Hebræi qui in terra Gessen morantur, supra modum sunt multiplicati. Unde fit consequens quòd edictum de masculis Hebræorum submergendis sub alio Pharaone prius emanatum non perduraverit, sed velut nimis crudele pridem fuerit abrogatum; Alioqui non potuissent sic multiplicari.

[ *Quantò magis si dederitis eis requiem ab operibus?* ] Existimabat Pharao Hebræos multò magis fuisse multiplicandos, si quievissent ab oneribus laboriosis; quibus eos affligebat.

[ ℣. 6. *Præcepit ergo in die illo præfectis operum & exactoribus populi,* ] Erant hi tam præfecti quàm exactores de gente Ægyptiorum, quorum illi operibus præerant, ordinando quid & ubi esset faciendum ; isti autem pensum injunctum exigebant. Quoniam verò postea v. 14. dicitur quòd flagellati sunt qui præerant operibus filiorum Israel ab exactoribus Pharaonis ; Abulensis, Marius, & Marzilla observant duplices fuisse Duplices fuerunt præfecti operum.
præfectos operum ; quosdam Ægyptios, quibus hìc loquitur Pharao ; Alios Hebræos, sub illis Ægyptiis constitutos, de quibus illo vers. 14. sermo est, ac etiam vers. 15.

[ ℣. 7. *Nequaquam ultra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, sicut prius :* ] Paleæ serviebant majori conglutinationi & firmitati laterum : Cùm enim concisæ fuerint, tenacius coagulant lutum & argillam, eam præsertim quæ fuerit pinguior ; Unde Ezech. 13. de muro quem liniebant luto absque paleis dicitur, quòd casurus sit.

[ *Sed ipsi vadant, & colligant stipulas.* ] 70. & alii ex Hebr. reddunt paleam, sicut prius. Sive autem

paleas,

paleas, ſive ſtipulas dicatur, intelligitur totum id quod demeſſo vel excuſſo frumento remanet.

[ ℣. 8. *Et menſuram laterum, quam prius faciebant, imponetis ſuper eos,* ] compelletis ut tantum numerum tantamvè molem laterum ſingulis diebus faciant, & perſolvant, quam hactenus facere debuerunt quando dabantur eis paleæ.

[ ℣. 9. *Opprimantur operibus, & expleant ea:* ] Impoſita magnitudine operum valdè premantur, & cogantur etiam per verbera, ea explere.

[ *Ut non acquieſcant verbis mendacibus.* ] Quæ Moyſes fingit, dicens ſe à Deo miſſum eſſe. Ita rex impius ſanctiſſimum prophetam inſimulat mendacii, ſicut familiare eſt improbis calumniari bonos.

Moralia. Varia hic pro moribus obſervanda. Primum, quòd optimum remedium adversùs cogitationes ſit labor corporalis. Sicut enim ad excutiendas cogitationes bonas de ſacrificando Deo, rex Ægypti laborem manuum auxit; ita ad expellendas cogitationes pravas anachoritæ ſolebant olim manuum laborem adhibere. Unde Caſſianus l. 10. cap. 23. Hæc eſt, inquit, apud Ægyptum ab antiquis patribus ſancita ſententia, operantem monachum dæmone uno pulſari; otioſum verò innumeris ſpiritibus devaſtari.

Secundum, quòd ſicut Pharao tunc gravius afflixit Hebræos, quando volebant egredi terram ejus, ac Deo ſacrificare in ſolitudine; ita diabolus tum per ſe, tum per ſuos tunc acrius tentat fideles, quando volunt deſerere terram Ægypti, ſeu mundo mundique illecebris renunciare, & viam virtutum amplecti.

Tertium, quòd ſub jugo Pharaonis fiunt opera lutea, ſic & ſub jugo diaboli fiunt opera ſordida. Ab eo dantur paleæ, id eſt, malæ cogitationes quæ inſtar palearum citò accenduntur. Poſtea Pharao non dat paleas, quando non à dæmone immittuntur pravæ cogitationes, ſed malus quiſque eas ſibi accerſit, *à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus,* Jac. 1. Paleis ſolidabatur lutum in latere: ſimiliter prava deſideria quæ ſunt quaſi lutum, variis cogitationibus malis obfirmantur.

[ ℣. 10. *Igitur egreſſi præfecti operum & exactores,* ] quorum utroſque diximus fuiſſe Ægyptios.

[ *Ad populum* ] ſcilicet Hebræum,

*Dixerunt: Sic dicit Pharao: Non do* ] ſeu deinceps non dabo.

[ *Vobis paleas:* ] Quæ interpretatio clara eſt ex verſo 18. ubi Pharao dicit, paleæ non dabuntur vobis.

[ ℣. 12. *Diſperſuſque eſt populus per omnem Terram Ægypti ad colligendas paleas.* ] Sermo eſt de populo Hebræorum, cui imponebatur certa ſumma ſeu quantitas laterum in dies ſingulos facienda, non viritim ab unoquoque (nam hoc fuiſſet longiſſimæ moræ ac nimis multos ſuperintendentes requiſiviſſet) ſed in communi ab ipſo populo. Qui quidem quando paleæ præbebantur ab Ægyptiis, totus incumbebat ad complendum numerum ſeu acervum laterum præſcriptum; ſed poſtquam negatæ ſunt eis paleæ, aliqui terram miſcebant & formabant laterea. Alii eos coquebant, alii paleas quaquaverſum per Ægyptum colligebant, ubi poterant invenire.

[ ℣. 13. *Præfecti quoque operum inſtabant,* ] Ægyptii operibus Hebræorum præfecti inſtanter & importunè urgebant Hebræos, ut eumdem numerum eamdemque quantitatem laterum quotidie facerent, quam ſoliti erant præſtare, quando dabantur ipſis paleæ; & ſi non faciebant, malum redundabat in Hebræos Hebræis præpoſitos: Unde ſequitur. (Præfecti Ægyptii inſtabant.)

[ ℣. 14. *Flagellatique ſunt qui præerant operibus filiorum Iſrael, ab exactoribus Pharaonis,* ] Ægyptii non flagellabant Ægyptios, ſed Hebræos: unde fit conſequens quòd qui dicuntur hic fuiſſe flagellati, eſſent Hebræi operibus Hebræorum præfecti, de quibus mox additur.

[ ℣. 15. *Veneruntque præpoſiti filiorum Iſrael, & vociferati ſunt ad Pharaonem, dicentes; Cur ita agis contra ſervos tuos?* ] Cur tam durè agis nobiſcum qui ſervi tui ſumus, ut impoſſibilia nobis imperes?

[ ℣. 16. *En famuli tui flagellis cædimur, & injuſtè agitur contra populum tuum.* ] Non dicunt injuſtè agis, ne regem exaſperent; ſed injuſtè agitur, nimirùm à tuis miniſtris, illam injuſtitiam aliorum crudelitati aſcribentes. Duo ſiquidem mala erant. Unum quòd Hebræorum labores vehementer augebantur. Alterum, quòd non perſolventes penſum diurnum ordinarium flagellabantur. Prius regi tribunt, quia clariſſimum erat regis mandatum: poſterius, ejus miniſtris; quia nihil eis apparebat quantum ad hoc de mandato regis, & nolebant eum offendere. Sed nihilominus regis animus manet inflexus, & durè reſpondet:

[ ℣. 17. *Vacatis otio,* ] Hebr. otioſi eſtis otioſi, id eſt, otioſiſſimi eſtis, & maximo otio torpetis:

[ *Et idcirco dicitis: Eamus & ſacrificemus Domino.* ] Sic mundi hujus amatores frequenter in malam partem interpretantur opera pietatis quæ ſervi Dei faciunt aut facere volunt.

[ ℣. 19. *Videbantque ſe præpoſiti filiorum Iſrael in malo,* ſcilicet eſſe, ſeu ſecum valde malè agi, & ſe ad maximas anguſtias eſſe redactos.

Ad mores obſerva quòd ſicut Deus eo tempore liberavit Iſraelitas, quo in maximis verſabantur anguſtiis; ita populum Chriſtianum ſæpè tunc liberat, quando eſt in extremis periculis; Id quod Domus Auſtriaca ſatis fuit annis ſuperioribus experta.

[ ℣. 20. *Occurreruntque Moyſi & Aaron, qui ſtabant ex adverſo, egredientibus à Pharaone:* ] Quidam legunt egredientes, & referunt non ad Moyſen & Aaron, ſed ad præfectos qui occurrerunt Moyſi & Aaroni. Sed retinendus eſt caſus tertius, ita ut ſignificetur quòd qui ex Hebræis præpoſiti erant operibus filiorum Iſrael, poſtquam ingreſſi fuiſſent ad Pharaonem, nihilque profeciſſent, occurrerunt Moyſi & Aaroni, qui cum & ipſi ad Pharaonem iviſſent, jamque ab eo egrederentur, ſtabant ex adverſo præſtolantes audire quid reſpondiſſet eis Pharao.

[ ℣. 21. *Et dixerunt ad eos: Videat Dominus & judicet,* ] in Hebr. Videat Dominus ſuper vos, & judicet. Senſus eſt, Deus de vobis vindictam ſumat voſque puniat, & ſic oſtendat ſe videre injuriam quam nobis facitis, poſtulando à Pharaone ut ſinat nos exire de Ægypto.

[ *Quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum* ] Metaphorica locutio eſt, idem valens quod reddidiſtis nos odioſos, ita ut & rex & ſervi ejus non poſſint ferre noſtram præſentiam, ſicut non poſſumus ferre præſentiam ejus qui odorem habet valdè fœtentem. Similis in Hebr. phraſis eſt Gen. 34. ubi noſter interpres ad ſenſum reddidit, odioſum me feciſtis. En hominum inconſtantiam & ingratitudinem. Paulò ante crediderunt Moyſen & Aaronem à Deo miſſos pro ipſorum liberatione: Nunc eos calumniantur, eiſque mala imprecantur.

[ *Et præbuiſtis ei gladium, ut occideret nos.* ] Dediſtis ei per verba veſtra, occaſionem gravius nos affligendi. *Quidquid pungit & percutit, & torquet, & cruciat, in ſcripturis ſanctis gladius appellatur,* ait Hieron. cap. 66. Iſai. Hinc præbere gladium, eſt præbere occaſionem mortis aut vexationis.

[ ℣. 22. *Reverſuſque eſt Moyſes ad Dominum,* ] non reſpondet præfectis, utpote nimium exaſperatis & ſalutarium monitionum incapacibus, ſed ad Deum recurrit. Quod ergo dicitur, ad Deum reverſus, non plus ſignificat, quàm quòd vel mente converterit ſe ad Deum, vel ſecretum orationis locum petierit ibique cum Deo locutus fuerit. (Moyſes quomodo ad Deum reverſus.)

Diſcimus hinc non reſpondere calumniantibus & murmurantibus in nos, quando non eſt ſpes profectus; ſed ad Deum converti, totumque ipſi committere.

[ *Domine, cur afflixiſti populum iſtum? quare miſiſti me?* ] Afflixiſſe dicitur, quia occaſionem dederat, ex qua major Hebræorum afflictio ſequebatur. Cum enim juſſiſſet Moyſi, ut à Pharaone peteret dimiſſionem Hebræorum ex Ægypto, iratus Pharao cœpit vehementius eos affligere. Dicta porro verba etſi ſint interrogatoria, nullam tamen continent vel infidelitatem, vel detrectationem officii ſuſcepti, vel indignationem, ſicut calumniator Calvinus; ſed orationem, & cauſæ ſimul ac demeriti inquiſitionem. Qui modus orandi frequen- (Contra Calvinum.)

quentissimus est in scriptura: ut Judic. 21. *Quare Domine Deus Israel factum est hoc malum in populo tuo?* Ps. 2. *Quare fremuerunt gentes?* Psal. 21. *Quare me dereliquisti?* Ps. 43. *Quare obdormis Domine &c.* Hinc August. qu. 14. in Exod. *Non contumacia verba sunt vel indignationis, sed inquisitionis & orationis. Quod ex his apparet quæ illi Dominus respondit: non enim arguit infidelitatem ejus, sed quid sit facturus aperuit.* Observandum ergo quòd Moyses à Deo quidem didicerat Pharaonem induraturum esse cor suum, nec populum dimissurum: sed quòd populus foret gravius affligendus, non erat ei significatum; & propterea causam habuit sic orandi & inquirendi, quemadmodum hic facit. Illa porro verba.

[ *Quare misisti me?* ] Tantum ab infidelitate absunt, ut sensum contineant plenum fiduciæ, quasi Moyses Deo diceret, Domine quare misisti me ad Israelitas, & ad Pharaonem? nonne ut illos liberares de Pharaonis tyrannide? & ecce durius eos vexat.

[ ℣. 23. *Ex eo enim quo ingressus sum ad Pharaonem ut loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum:* ] Longè plus quàm antea.

[ *Et non liberasti eos.* ] Sed permittis eos in maximis esse angustiis. Fac quæso id; propter quod me misisti, & libera eos. Non multum absimilis est modus orandi Davidis, cum Psalm. 118. dicebat, *Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.* q. d. Memor esto promissionis quam mihi fecisti, & propter quam me in spem erexisti, eamque adimple.

## CAPUT VI.

*Deus consolatur Moysen spondens vicinam esse liberationem populi, & nomen suum peculiare ei revelat: texiturque genealogia Ruben, Simeon & Levi usque ad Moysen & Aaron.*

[ ℣. 1. D*ixitque Dominus ad Moysen:* ] Orantem, ut ex fin. cap. præced. patet. Dixit autem, vel per Angelum in specie visibili apparentem, eique vocaliter loquentem; vel per inspirationem internam, sicut frequenter locutus est prophetis.

[ *Nunc videbis quæ facturus sum Pharaoni:* ] Vocula, *Nunc* emphasim habet: quasi diceretur, jam; & significat proximum esse ut graves plagas immittat Pharaoni, sicque liberentur Hebræi. Similes sunt emphases Ps. 11. *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus:* Et Psal. 76. *Dixi, Nunc cœpi:* & aliis locis, quibus significatur adesse tempus definitum rei agendæ.

[ *Per manum enim fortem dimittet eos,* ] Hebræos pro quibus oras.

*Et in manu robusta ejiciet illos de terra sua.* ] Manus robusta idem est quod manus fortis: sed ita repetitur ad majorem expressionem. Non tribuitur autem manus robusta vel fortis Pharaoni, quasi ipse in magnitudine potentiæ suæ ejecturus esset populum Israeliticum de terra Ægypti; non enim indigebat potentia ad illum ejiciendum, cum nuda ejus permissio sufficeret: sed intelligitur manus robusta Dei, significaturque quòd per Dei robur ac potentiam coactus Pharao Hebræos dimitteret, imò ejiceret de sua terra, sicut factum legimus cap. 12. v. 30. & 39. Noluit porrò Deus Israelitas vi armorum educere, ne gloriarentur in fortitudine sua, & ne dicerent, *Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Deut. 32.

Quæ manus robusta.

[ ℣. 2. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ego Dominus* ℣. 3. *qui apparui Abraham, Isaac, & Jacob, in Deo omnipotente:* ] Hoc est, qui apparui ut Deus omnipotens. 70. reddiderunt, *Deus existens eorum.* Sensus est, Apparui illis tamquam Deus omnipotens, eisque notificavi me talem esse. Phrasi enim Hebraica apparere in Deo omnipotente, est sic apparere, ut is qui apparet, illa apparitione manifestet se esse Deum omnipotentem. Pro, *Deo omnipotente*, in Hebræo sunt duo nomina Dei; El & Saddai; quorum prius significat fortem; & posterius omnipotentem, vel ut alii, sufficientem; non tantùm scilicet sibi, sed & omnibus aliis rebus.

[ *Et nomen meum Adonai non indicavi eis.* ] Hoc nomen Gavantus & alii benè monent esse trisyllabum, non quadrisyllabum; ideoque secundùm rigorem sic pronunciandum est, A do nai; non, A do na i. Septuaginta pro dictis verbis reddiderunt, *Et nomen meum Dominus non indicavi eis.* Solent enim illi nomen tetragrammaton, scilicet Jehova, quod hic est in Hebr. exprimere per nomen Κύριος id est, Dominus; quemadmodum noster interpres solet ejus loco ponere, vel Adonai, vel Dominus, vel aliquod aliud Dei nomen, ob causam cap. 3. dictam. Itaque Adonai non debet in præsenti loco accipi pro significatione sua propria, quæ est Dominus, sed stat pro nomine, Jehova, cujus loco hic positum fuit ab interprete: sensusque est, ego Deus manifestavi frequenter Abrahæ, Isaac & Jacob me esse Deum fortem, omnipotentem & sufficientem, dum videlicet eis apparui, meque ipsis revelavi, & evidentes fortitudinis omnipotentiæque meæ effectus eis ostendi, sicut patet ex Genesi: Nomen tamen meum Jehova, quod mihi maximè proprium est, quodque manifestavi tibi (scilicet cap. 3.) non indicavi eis. Expositionem hanc sequuntur Theodoretus, Procopius, Eugubinus. Cornelius, Marius, & quidam alii; secundùm quam fatendum est veteribus patribus ante Moysen ignotum fuisse hoc nomen. Neque refert in Heb. haberi Genes. 4. & 6. & alibi, imò & ubi patriarchæ introducuntur loquentes, ut Genes. 15. vers. 8. & cap. 22. vers. 14. Nam ipsi fuerunt usi nomine Adonai, vel Saddai, aut aliquo alio quod tunc erat in usu; Moyses autem qui postea scripsit, omnibus istis locis posuit nomen Jehova, quod fuerat sibi revelatum, quodque eumdem Deum significat; non enim verba quibus usi sunt patres reddere voluit, sed sensum eorum. Quamvis autem jam dicta expositio ut planissima & simplicissima, sit maximè probabilis; non est tamen contemnenda ea quam alii adferunt, reddentes hunc loci præsentis sensum: ego patriarchis apparui in Deo omnipotente, seu in forti & omnipotente ac sufficiente; horumque nominum & attributorum vim abundè illis declaravi: At nomen meum Jehova, non indicavi illis sicut tibi. Non quòd non sciverint Deum sic vocari, quòdvè istius nominis quoad vim & significationem non habuerint confusam aliquam notitiam; sed quòd non ita distinctè fuerit ipsis explicata vis nominis istius, sicut fuit Moysi.

Adonai est nomen trisyllabum.

[ ℣. 4. *Pepigique fœdus cum eis, ut darem eis Terram Chanaan,* ] quomodo ut daret eis, cum ipsi non possederint illam? Resp. quòd promiserat dare illis, hoc est, illorum posteris, atque adeò ipsis in sua posteritate.

[ ℣. 5. *Ego audivi gemitum filiorum Israel,* ] numquam non audivit Deus Israelitas, dum ab Ægyptiis oppressi gemebant; sed nunc dicit se audivisse, quia illos exaudivit, jamque est eos liberaturus.

[ *Et recordatus sum pacti mei.* ] Hoc ideo dicit, quia per modum recordantis se habuit, actualiter adimplere nunc incipiens ea quæ diu ante promisit.

[ ℣. 6. *Ego Dominus qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum,* ] hoc est de laboribus & oneribus quæ cogimini subire in Ægypto. Cui sensui convenit quod ad verbum legitur in Hebr. de sub oneribus Ægyptiorum. Et quoniam ergastulum est locus quo captivi vel servi coguntur laborare, ideo noster interpres ad sensum optimè vertit.

[ *Ac redimam in brachio excelso,* ] Hebr. extento; scilicet ad feriendum q. d. magna mea patientia. More humano loquitur Deus de se tamquam de homine qui magnum & extentum habet brachium ad percutiendum.

[ *Et judiciis magnis.* ] Judicium pro judicii effectu sumitur, & sensus est: magnis plagis quas justè infligam Ægyptiis.

[ ℣. 7. *Et assumam vos mihi in populum,* ] hoc est, ut sitis populus meus peculiaris de cunctis populis, ut patet ex Deuter. 7. Quamvis enim omnes populi sint populi Dei, in quantum Deus illos creavit & continuò gubernat; Hebræi tamen peculiariter futuri erant

Hebræi populus Dei peculiaris.

erant populos Dei, quia Deo specialiter addictus, eum erat præ reliquis culturus, & ut unum ac verum Deum honoraturus. A tempore quidem Abrahæ Deus gentem Hebræam assumpsit ad peculiarem amorem, & ad speciales promissiones ei faciendas: sed hucusque non assumpsit in populum suum; partim quia non tanti erant ut facerent populum sicut ex Gen. 46. & ex hujus l. cap. 1. liquet, ubi dicitur quòd omnes animæ domus Jacob quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta; partim quia dum in Ægypto fuerunt multiplicati, coluerunt idola, quemadmodum habemus ex Levit. 17. & Josue 24. neque adhuc legem peculiarem à Deo acceperant, quam postea per Moysen acceperunt.

[ *Et ero vester Deus*: ] Vestri curam specialiter habebo, eroque vester provisor, gubernator, protector, & conductor.

[ *Et scietis* ] Experientia cognoscetis & sentietis, tum per mirabilia quæ propter vos faciam, tum per beneficia quæ vobis conferam.

[ ℣. 8. *Super quam levavi manum meam* ] de qua juravi, solebant enim olim jurare manu in altum sublata Gen. 14. & 2. Esdræ 9. sicut & modò. Quamvis autem istud juramentum non inveniatur singulis patriarchis sigillatim factum; sufficit tamen illud quod Gen. 22. legimus factum Abrahæ.

[ *Ut darem eam Abraham, Isaac, & Jacob*: ] Scilicet in eorum posteris. Speciatim verò præter Abraham exprimitur Isaac & Jacob, ut constet, quòd neque Ismael, neque Esau venturi sint in partem hæreditatis terræ promissæ, tametsi ex Abraham descendant; sed soli illi qui ex Abraham descendunt per Isaac, & qui ex Isaac per Jacob.

[ *Daboque illam vobis possidendam*, ] si obicem non posueritis, ait Dionysius: propter suas enim murmurationes, non ipsi sunt eam ingressi, sed eorum pueri infra annum ætatis vigesimum, ut ex Num. 14. habetur, ac insuper Levitæ. Pro, *possidendam*, in Hebr. habetur, *hæreditatem*; per quod significatur modus quo Deus daturus erat Israelitis terram Chanaan possidendam, ut scilicet eam possideant tamquam hæreditatem sibi à Deo datam. Et hoc ad dignitatem filiorum pertinet.

Synagoga ubi nata, ubi Deo sponsata.

Observandum quòd Deus verbis jam explicatis exprimit quasi sponsalia matrimonii quod postea initurus erat cum populo Hebræo, seu cum Synagoga. Hæc namque mulieri comparatur Ezech. 16. cujus nativitas fuit in Ægypto, quando post mortem Joseph cœperunt valdè multiplicari; sponsalia cum Deo, nunc ubi Deus promittit quòd eam assumet in suum populum: Matrimonium, Exod. 20. ac deinceps, ubi re ipsa Deus eam assumpsit, & fœdus cum populo iniit ac juramento confirmavit cap. 24. Sive autem historiam sive allegoriam spectemus Moyses valdè convenienter utitur verbo assumendi, quia secundùm historiam Hebræi jacebant in afflictione & servitute intolerabili; secundùm allegoriam verò, quilibet homo sibi relictus jacet in suis peccatis, donec Deus illum erigat & assumat: ut proinde fideles meritò debeant dicere illud Psalm. 64. *Beatus quem elegisti & assumpsisti*; itemque versum Psal. 88. *Domini est assumptio nostra, & Sancti Israel regis nostri*; neque enim ad fidem & ad Christianam religionem assumitur quispiam ex merito vel labore suo, aut propter decorem vel sanctitatem, sed propter solam Dei benignitatem & misericordiam, sicut etiam Deuter. 7. rectè intelligitur adumbratum, ubi sic legitur: *Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis junctus est Dominus, & elegit vos &c. sed quia dilexit vos Dominus.* Confer etiam c. 36. Ezech. vers. 22.

Vocatio ad fidem est merè gratuita.

[ ℣. 9. *Narravit ergo Moyses omnia filiis Israel*: ] postquam Moyses ex verbis Dei consolationem accepit, quoniam illa non tantùm erant pro ipsius, sed etiam pro populi consolatione; narravit omnia Israelitis; ut in spem erecti labores noviter impositos æquanimiter ferrent usque dum velociter Deus eos liberaret.

[ *Qui non acquieverunt ei*, ] Ei non crediderunt, neque ex ejus verbis consolationem acceperunt. Liranus, Dionysius, Abulensis hæc interpretantur de communi populo qui mala præsentia magis attendit, quàm bona promissa, consequenter docentes aliquos è senioribus acquievisse Moysi.

[ *Propter angustiam spiritus*, ] propter cordis amaritudinem, mœrorem; & perplexitatem. Potest etiam verti, præ pusillanimitate. Quidam vertunt propter brevitatem spiritus, non diverso sensu; cùm pusillanimes esse soleant, qui in magna sunt amaritudine vel perplexitate, quemadmodum & brevis respirationis.

[ *Et opus durissimum*. ] Luti, laterum, & palearum.

[ ℣. 10. *Locutusque est Dominus ad Moysen*, ] Hæc est alia locutio postquam populus non acquievit iis quæ Moyses retulerat.

[ ℣. 11. *Ingredere, & loquere ad Pharaonem* ] Solum nunc Moysen mittit, si fortè consentiat, solus ingredi ad Pharaonem.

[ ℣. 12. *Respondit Moyses coram Domino*: ] Hinc colligitur quòd Deus visibiliter apparebat & loquebatur Moysi.

[ *Ecce filii Israel non audiunt me*: ] Mihi non acquiescunt, nec obtemperant.

[ *Et quomodo audiet Pharao*, ] Multò minus acquiescet meis sermonibus. Quæ non proterviendi vel inobediendi animo loquitur Moyses: sed ut negotii difficultatem alleget, ac se humiliter excuset. Cum enim aliquid præcipitur ad excellentiam pertinens, non est contra perfectionem obedientiæ, si quis difficultatem allegando conetur se excusare.

[ *Præsertim cum incircumcisus sim labiis*? ] Hoc est, cum vitio linguæ laborem, sim que tardioris & impeditioris linguæ, ut c. 4. fuit dictum. Hebræis incircumcisi corde, mente, aut lingua dicuntur, qui aliquo vitio cordis, mentis, aut linguæ laborant. Sicut enim circumcisio erat primum ac præcipuum illorum sacramentum, ita esse incircumcisum erat summum dedecus ac vitium, ideoque per incircumcisionem significare solebant vitium.

Ex his patet quòd ad rubum Deus Moysi non abstulit defectum elocutionis, etsi quidam id existimaverint; Ideo autem non abstulit, tum ut Moysi humilitas exerceretur, tum ut Deus ostenderet se infirmis uti instrumentis, sicque gloria soli Deo detur, & non instrumentis. Huic querelæ Moysi Deus initio cap. 7. respondet: quæ autem jam sequuntur, viam sternunt ad genealogiam Moysi.

[ ℣. 13. *Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron*, ] cum Moyses se excusaverit ne solus mitteretur, nunc Deus utrumque mittit, & Moysen & Aaronem.

[ *Et dedit mandatum ad filios Israel, & ad Pharaonem regem Ægypti, ut educerent filios Israel* ] quidam hunc sensum reddunt. Dedit eis mandatum ad filios Israel, ut eos consolarentur; & ad Pharaonem ut illi graviter minarentur, nisi dimitteret Israelitas. Germanior tamen sensus hic esse videtur: Moysi & Aaron mandatum dedit, ut irent & ad filios Israel, & ad Pharaonem; utque ipsi educerent Israelitas de Ægypto, & in illa eductione essent duces.

Moralis.

Notat Dionysius hinc nos doceri voluntatem Dei esse, ut qui præsunt aliis, non citò nec facilè desistant ab eorum exhortatione, quamvis duri existant, sed eam sæpius repetant ac inculcent, faciantque quod Apostolus, 2. ad Tim. 4. monet, *prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina*.

[ ℣. 14. *Isti sunt principes domorum per familias suas*. ] In Hebr. *Ista sunt capita domus patrum eorum*. Domus pro familia seu cognatione ponitur, & sensus est. Isti qui statim nominabuntur, sunt capita seu principes familiarum, singuli per suas familias. Etsi verò Ruben, Simeon, & Levi fuerint prima capita omnium ex se descendentium; pronomen tamen *isti*, non eos demonstrat, sed eorum filios, quorum singuli proprias ac distinctas familias constituerunt: secundùm quod Num. 26. legimus, *Ruben primogenitus Israel: hujus filius Henoch, à quo familia Henochitarum: & Phallu à quo familia Phalluitarum*, &c.

Sacræ porro scripturæ intentio hic est texere genealogiam Moysi & Aaron, ut constaret quinam ipsi essent, per quos tantæ liberationis negotium Deus fuit operaturus; ideòque sistit in Levi, de quo ipsi fuerunt prognati, & non descendit ad reliquos filios Jacob. Incipit tamen à Ruben & Simeon, partim quia in ordine

Nati-

Nativitatis erant ante Levi, partim quia Jacob moriturus contra eos locutus fuerat Gen. 49. sicut & contra Levi. Ne igitur illi duo viderentur cum sua posteritate reprobati, si genealogia Levi texeretur, & non illorum; eorum quoque genealogiam recensere voluit.

[ ℣. 16. *Et hæc nomina filiorum Levi per cognationes suas :* ] Hebr. *secundùm generationes eorum :* Generatio autem, cognatio, & familia hic sumuntur pro eodem, ac proinde per cognationes, idem est, quòd per familias.

[ *Anni autem vitæ Levi fuerunt centum triginta septem.* ] Quando Jacob Ægyptum fuit ingressus, Joseph qui anni quatuor erat junior quàm Levi, erat triginta novem annorum, ac per consequens Levi, quadraginta trium: In ipsa autem Ægypto vixit Levi nonaginta quatuor annis, sicque obiit centum viginti uno annis, ante egressum Israelitarum de Ægypto, & post mortem Joseph viginti tribus annis.

[ ℣. 20. *Accepit autem Amram uxorem Jocabed patruelem suam :* ] Jocabed fuisse mariti sui patruelem, id est cognatam, & non amitam, tam versio 70. quæ hic habet *filiam fratris patri sui*, quàm nostra vulgata editio clarè docent. Neque ad veritatem istam infringendam licitum est, vel ad alias translationes recurrere, vel ad vocem Hebraicam, prout quidam recurrunt; cum & nostra editio sit authentica, & vox Hebræa pro qua nos habemus patruelem, non solùm significare soleat amitam, sed etiam patruelem, ut diximus cap. 2.

] *Quæ peperit ei Aaron & Moysen.* ] Quidam addunt, & Mariam, sed ut ex Hebr. & aliis codicibus correctioribus habetur, non est hujus loci.

[ ℣. 23. *Accepit autem Aaron uxorem Elisabeth filiam Aminadab, sororem Nahason,* ] ex num. 1. constat hunc Nahason in exitu de Ægypto fuisse principem tribus Juda: Deo autem disponente ita factum est, ut Aaron de tribu Levi acceperit uxorem de tribu Juda: quia futurum erat, ut tribus sacerdotalis & regia commiscerentur. Cæterum quòd Aaron nominetur ante Moysen, ideo est quia erat senior: Aliàs verò Moyses prius nominatur, quia erat dux & legislator; quem etiam Aaron Dominum suum vocat cap. 32.

[ ℣. 25. *Hi sunt principes familiarum Leviticarum per cognationes suas.* ] Hebr. *Ista capita patrum*; hoc est, qui inter patres fuerunt capita seu principes familiarum Leviticarum, singuli per familias suas.

[ ℣. 26. *Iste est Aaron & Moyses, quibus præcepit Dominus ut educerent filios Israel de terra Ægypti per turmas suas.* ] Id est, per tribuum suarum cognationes seu familias. Nam in egressu de Ægypto non erant omnes Hebræi indifferenter permixti, quia multitudo confusa difficulter regitur, sed quælibet tribus procedebat segregata ab alia tribu: & rursus quot in illa tribu erant familiæ, tot fiebant divisiones, & sic progrediebantur.

[ ℣. 27. *Hi sunt, qui loquuntur ad Pharaonem* ] Aaron præcipuè loquebatur; Ideo namque dictus fuit os Moysi cap. 4. Ipse tamen Moyses interdum etiam aliqua loquebatur, ut patet ex c. 8. 9. 10.

[ *Iste est Moyses & Aaron,* ℣. 28. *in die qua locutus est Dominus ad Moysen,* [ Id est, isti duo quorum genealogiæ fuerunt jam descriptæ, sunt Moyses & Aaron eo tempore viventes, quo Deus locutus est Moysi in terra Ægypti.

[ ℣. 29. *Et locutus est Dominus ad Moysen,* ] narrationem superius interruptam per descriptionem genealogiarum, resumit hic Moyses, ut convenientius illam prosequatur.

[ Dicens: *Ego Dominus:* ] Ego qui tibi præcipio, sum Dominus non tantùm tuus; sed universorum; ideò debes obedire, & nihil timere.

## CAPUT VII.

*Moyses & Aaron à Deo missi loquuntur ad Pharaonem: Virgam vertunt in serpentem & aquam in sanguinem. Cum vero Magi facerent similia, Pharao magis induratur.*

[ ℣. 1. D*ixitque Dominus ad Moysen: ecce constitui te Deum Pharaonis:* Excusationi quam Moyses v. 12. cap. præced. attulerat, ne cœptam legationem deberet prosequi, tum quòd Pharao non esset eum auditurus, tum quòd ipse esset incircumcisus labiis, Deus nunc respondet: quoad primum quidem, perinde ac si diceret: Nequaquam tibi metuendus est Pharao: Decrevi siquidem tibi dare, ac etiam dabo tantam authoritatem, tantamque potentiam, ut ipse te formidet quasi Deum suum: Tu mandabis ei quid faciat, & nisi fecerit graviter eum punies, immittendo plagas quas potestati tuæ committo. Quoniam verò reges neminem agnoscunt superiorem à quo puniantur præter Deum, eris ei instar Dei. Cùm ergo Moyses dicitur constitutus Deus Pharaonis, non intelligitur Deus per naturam, neque per unionem hypostaticam; sed per participationem authoritatis & potentiæ. Alii ex Hebr. vertunt, *constitui te judicem vel principem Pharaonis:* sed nostræ versioni consentiunt 70. interpretes, ut & Aquila & Symmachus; eaque benè quadrat sequentibus: ubi quoad secundum à Moyse allatum Deus sic ei respondet:

Moyses quo sensu Deus Pharaonis.

[ *Et Aaron frater tuus erit propheta tuus:* ] Seu Interpres. Non erit necesse quòd per te ipsum multa loquaris Pharaoni. Sicut ego loquor per meos Prophetas, eis inspirando quæ volo ut loquantur; ita tu loqueris per fratrem tuum Aaronem, ei suggerendo ac dicendo quæ cupies eum dicere, atque ita ipse erit tuus interpres, interpretando seu loquendo Pharaoni quæ ad illum erunt dicenda. Unde sequitur.

[ ℣. 2. *Tu loqueris ei omnia quæ mando tibi: & ille loquetur ad Pharaonem,* ] Quæri hic potest. Utrùm Aaron fuerit verus Propheta. Resp. fuisse. Quamvis enim præsenti loco id non efficaciter colligatur, eò quòd Aaron non hic vocetur Propheta Dei, vel Propheta simpliciter, sed Propheta Moysi: Aliud tamen habetur quòd fuerit Propheta Dei, partim ex cap. 4. ubi Deus ei revelavit occultum reditum Moysi, jussitque ut iret in occursum ejus: partim ex 1. Reg. 2. ubi Deus per Prophetam dicit ad Heli, *Numquid non apertè revelatus sum domui patris tui, cum esset in Ægypto in domo Pharaonis?* Quod non potest intelligi de Moyse, quia Heli non erat de familia Moysi, sed de familia Aaron. Et adhuc manifestius patet ex eo quod ibidem sequitur: *Et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, & adoleret mihi incensum*; constat enim Aaronem ejusque domum esse electum à Deo, ut in ea esset sacerdotium, non verò familiam Moysi.

Aaron fuit verus Propheta.

[ ℣. 3. *Sed ego indurabo cor ejus,* ] Deus neminem indurat, mittendo ei malitiam, vel affectum in malo obfirmatum: sed quando malis meritis ita exigentibus justo suo judicio non impertitur gratiam qua peccatores emolliantur, eaque circa illos operatur, ex quibus, licèt per se bonis, videt ipsos suo vitio depravatos, occasionem accepturos se magis magisque obdurandi; dicitur eos seu eorum cor indurare. Neque refert quòd indurare sonet activè: primò, quia frequentissimum est, ut tum permissio tum occasio efferatur nomine actionis, juxta illud vulgare.

Quando Deus induret.

*Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.*

Secundò, quia in obduratione peccatorum ut Pharaonis, Deus quædam efficienter agit, nimirum bonas inspirationes immittendo, & miracula vel alia mirabilia operando ex quibus occasionem accipunt se in malia obdurandi, sicque illi seipsos indurant: sicut de Pharaone dicitur cap. 8. v. 15. *ingravavit cor suum:* Et cap. 9. pro eo quod nos habemus; & ingravatum est cor ejus; in Hebr. legitur, *Et aggravavit cor suum ipse*, quemadmodum & in fin. cap. 8. Hebræa dicunt, *aggravavit Pharao cor suum*. Ex quibus rectè colliges quòd quotiescumque noster interpres in

Exod.

Exod. vertit, induratum eſt cor Pharaonis, intelligi debeat induratum eſſe à Pharaone; ſive quòd ipſe Pharao cor ſuum induravit.

[ *Et multiplicabo ſigna & oſtenta mea in Terra Ægypti*, ] multa faciam miracula & portenta.

[ ℣. 4. *Et non audiet vos:* ] Etſi Pharao corporalibus auribus vos audiet, non exaudiet tamen, nec verbis veſtris acquieſcet, faciendo id quod petitis.

Quid manum immittere.

[ *Immittamque manum meam ſuper Ægyptum* , ] Percutiam & affligam Ægyptum, ipſoſque Ægyptios. Immittere enim vel extendere manum ſuper aliquem in ſcriptura ſumi ſolet pro percutere, & plagis aut verberibus afficere, quia ( ut loquitur Hieronymus in c. 1. Sophoniæ ) *extenſio manus geſtum percutientis oſtendit*. Unde Job 1. *Extende paululum manum tuam*; id eſt, aliquantulum eum percute & affige. Iſai. 5. *Iratus eſt furor Domini in populum ſuum, & extendit manum ſuam ſuper eum, & percuſſit eum*. Sophon. 1. *extendam manum meam ſuper Judam*. Quòd autem immittere manum, idem hic valeat ac manum extendere, manifeſtum eſt ex verſu ſequenti, *qui extenderim manum meam ſuper Ægyptum*.

[ *Et educam exercitum & populum meum filios de Terra Ægypti* ] vocula, *&*, non legitur in Hebræo, neque in 70. In noſtra autem verſione non accipitur copulativè, ſed exegeticè, perinde ac ſi diceretur, exercitum, id eſt, populum vel exercitum qui eſt populus meus. Intelligi autem poteſt quòd filii Iſrael vocentur exercitus & populus: exercitus, quantum ad viros aptos ad pugnam; populus, quantum ad multitudinem innumeram virorum & mulierum, ſenum ac juvenum de quibus infra cap. 12. verſ. 37. & 38.

[ *Per judicia maxima*. ] Per maximas plagas quibus juſtè afficiam Ægyptios; notumque omnibus faciam, quàm judicia mea ſint erga eos juſta.

[ ℣. 5. *Et ſcient Ægypti* ] per experientiam & plagarum ſævitiam cognoſcent.

[ *Quia ego ſum Dominus* ] quòd ego ſum univerſalis & abſolutus Dominus omnium: Videbunt enim me talia facere, qualia nullus facere poteſt qui non ſit abſolutus omnium rerum dominus. Sic ille qui cap. 5. legitur dixiſſe, *Non novi Dominum*, malorum tandem experimento compulſus eſt eum agnoſcere, & Moyſi atque Aaroni dicere ut orarent Dominum pro ipſo cap. 8. & 9.

[ *Qui extenderim manum meam ſuper Ægyptum*, ] ad percutiendum eam:

[ *Et eduxerim filios Iſrael de medio eorum*. ] Sicut manifeſtata fuit potentia Dei in admirabili percuſſione Ægyptiorum, ita & in ſubſequente eductione Hebræorum: Utraque ſiquidem fuit opus divinæ omnipotentiæ, & quidem valdè ſtupendum, quod nullus facere poſſet qui non eſt Deus.

[ ℣. 6. *Fecit itaque Moyſes & Aaron ſicut præceperat Dominus:* ] Per anticipationem hæc dicuntur; demum enim poſtea Moyſes & Aaron iverunt ad Pharaonem & executi ſunt quiſque pro ſua parte, quæ Deus juſſerat: Ponuntur tamen hoc loco, ut ita greſſum faciat Moyſes ad enarrandum modum quo fuerunt acta.

[ *Ita egerunt*. ] Eſt pleonaſmus ſeu cumulatio, adjectio ſcilicet rei non neceſſariæ, cum immediatè idem præceſſerit.

[ ℣. 7. *Erat autem Moyſes octoginta annorum, & Aaron octoginta trium, quando locuti ſunt ad Pharaonem*. ] Horum ætas notatur, ad oſtendendum eam fuiſſe idoneam tanto muneri ad quod mittebantur, eoſque in toto ſuæ legationis officio nihil per paſſionem egiſſe; quæ cum in juvenibus facilè dominetur, in ſenibus ( præſertim illi qui virtutum exercitio aſſueverunt ) vel extincta eſt, vel mortificata. Additur Aaron fuiſſe tribus annis ſeniorem Moyſe, quia non decebat juvenem eſſe qui pro tanto negotio jungebatur ſeni, tamquam ejus propheta locuturus ad regem obſtinatiſſimum.

Ex his porrò duo colligi poſſunt. Unum, quòd Moyſes totis quadraginta annis habitaverit in Madian, unde jam veniebat, quia erat annorum quadraginta quando illinc ivit. Alterum, quòd hoc ipſo anno filii Iſrael exiverint de Ægypto; ac per conſequens quòd plagæ Ægyptiacæ totaque legatio Moyſi ad Pharaonem non duraverit per integrum annum, ſed per aliquot ſolùm menſes: Mortuus enim eſt Moyſes ſub finem anni quadrageſimi quo Iſraelitæ erant in deſerto, cum ipſe eſſet centum viginti annorum, ideòque oportet quòd ex Ægypto in deſertum abierint quando Moyſes octoginta erat annorum.

[ ℣. 8. *Dixitque Dominus ad Moyſen & Aaron:* ] Non ad utrumque pariter; ſed ad Moyſen immediatè: ad Aaron autem mediante Moyſe: Nam Moyſes ea quæ Deus ipſi loquebatur, debebat Aaroni exponere, juxta illud cap. 4. *Ipſe loquetur pro te ad populum & erit os tuum: tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent.*

[ ℣. 9. *Cum dixerit vobis Pharao, Oſtendite ſigna:* ] Non vult Deus quòd ſigna ſpontè faciant, niſi fuerint rogati & quadam neceſſitate compulſi. Sciebat autem quòd Pharao petiturus eſſet ab illis ſigna quibus demonſtrarent Deum velle, ut Hebræos ex Ægypto dimittat: quæ niſi facerent, ipſos tamquam mendaces argueret, nec ultra audiret: Ideò non ait conditionaliter. Si dixerit, ſed aſſertivè. *Cùm dixerit, oſtendite ſigna*. Et quamvis infra non dicatur quòd Pharao ſigna petierit, non eſt tamen dubitandum quin ea petierit, quandoquidem Moyſes & Aaron leguntur ea feciſſe.

[ *Dices ad Aaron:* ] Hinc colligitur quòd Deus ad ſolum Moyſen proximè loquebatur, ut ſupra dictum eſt.

[ *Tolle virgam tuam*, ] eadem virga vocatur interdum virga Aaron, interdum virga Moyſi, aliàs virga Dei: quia omnium illorum fuit inſtrumentum ad patranda miracula; peculiariter tamen dicitur Moyſi, quia ipſe fuit ea uſus in paſcendis gregibus, eamque attulit ex Madian.

*Et projice eam*. Mandatur projici, ut in terra converteretur in colubrum, & non in manu Aaron; ne putaretur quòd per aliquas ſpecies in manu Aaronis contentas, ipſe faceret apparere ſerpentem qui non eſſet verus; ſed ex motu quem in terra haberet conſpiceretur eſſe verus.

[ *Ac vertetur* ] ita ex Hebr. & Græcis, melioribuſque Latinis codicibus legendum eſt in futuro, non in imperativo, vertatur.

[ ℣. 10. *Fecerunt ſicut præceperat Dominus*. ] Primò ſcilicet petierunt à Pharaone, ut dimitteret populum Iſraeliticum de Ægypto ſicut cap. 6. verſ. 11. & hoc c. 7. v. 2. juſſum fuerat: & poſtquam id facere abnuit, ſignaque petiit; tunc Aaron à Moyſe monitus, Tulit, ſive (ut Hebræa ſonant) projecit.

[ *Virgam coram Pharaone & ſervis ejus*. ] quatenus miraculum ita eſſet publicum, ut celari non poſſet.

[ *Quæ verſa eſt in colubrum*. ] Fuit autem iſta converſio virgæ in colubrum, vera & realis, & non ſolùm apparens; quia Deus eam faciebat per Moyſen in teſtimonium quòd ipſe eſſet qui illum mittebat, velletque Iſraelitas ex Ægypto dimitti, opera autem quæ Deus in teſtimonium veritatis adhibet, vera ſint oportet.

Fuit vera converſio virgæ in ſerpentem.

[ ℣. 11. *Vocavit autem Pharao ſapientes & maleficos:* ] Vocula, *&* poteſt capi exegeticè, quaſi diceretur, ſapientes id eſt maleficos, ut poſterius explicet eorum ſapientiam non fuiſſe veram, ſed maleficiis & malis artibus plenam. Poſſunt etiam per ſapientes intelligi, qui magiæ naturalis, aliarumque rerum arcanarum periti erant, & ideo ſapientes reputabantur, per maleficos autem, illi qui non tantùm magiam naturalem exercebant, ſed dæmonum invocatione & auxilio magicis artificiis utebantur, quales ſunt præſtigiatores, incantatores, & magi. Inter hos ſive ſapientes ſive maleficos fuerunt Jannes & Mambres, ut ex 2. ad Tim. 3. liquet, iique aliorum maleficorum principes, & juxta quorumdam ſententiam, fratres, ut Moyſi & Aaroni fratribus mirabilia patrantibus duo fratres opponerentur. Horum porrò nomina cum ſcriptura vetus illa reticeat, Apoſtolus per traditionem accepiſſe videtur, aut alioquin per Spiritus ſancti inſpirationem, qui Moyſi dictavit ea quæ ſcripſit.

[ *Et fecerunt etiam ipſi per incantationes Ægyptiacas* ] quia malefici verborum vel carminum quorundam reci-

recitatione sua perficiunt, eorum actio communi nomine incantatio fuit nuncupata: Hic autem vocatur Ægyptiaca, non quòd in Ægypto primùm fuerit inventa; sed vel quia verbis & ritibus Ægyptiacis fiebat, qui diversi erant à ritibus quos aliæ gentes adhibere solebant in suis incantationibus: vel quia in Ægypto maximè vigebant incantationes.

*In antationes cur dictæ Ægyptiacæ.*

Quoniam verò aut incantatorum verba secreta erant ut non audirentur ab aliis, aut modus quo operabantur, erat occultus: ideo additur,

[ *Et arcana quadam* ] cæterum quis Magiæ dæmoniacæ fuerit primus inventor, non omnino liquet. S. Augustinus l.21. de civit.cap.14. & post eum Ludovicus Vives in comment. ad istud cap. censent fuisse Zorgastrem qui vixit temporibus Nini primi regis Assyriorum. Sunt qui eam faciant diluvio priorem, ac in tempus illud referant quo progenies Seth admixta fuit impiæ generationi Cain, dicentes quòd per Cham fuerit conservata & propagata, apud Cassian. Collat. 8. cap.21.

[ *Similiter.* ] Cùm malefici Pharaonis, non ex divino adjutorio operarentur, sed ex dæmonum ope; dæmones autem non possint virgas realiter mutare in serpentes, quando scriptura hìc refert illos fecisse similiter, non est necessarium intelligere quòd secundùm veritatem ita fecerint; sed quòd ita videbatur, & spectantium judicio sic existimabatur. Qua etiam ratione tres Angeli qui Genes.18. apparuerunt Abrahæ, vocantur viri, & dicuntur manducasse, quia secundùm speciem externam sic apparebat, nec ab intuentibus aliter poterat æstimari.

[ ℣. 12. *Projeceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones:* ] Cùm de virga Moysi dicit textus quòd versa est in colubrum seu serpentem; de virgis autem Magorum quòd versæ sunt in dracones, non significat fuisse animalia specie diversa: Nam & in Hebr. eadem est vox, & Septuaginta utrobique vertunt dracones, sicut etiam alii quidam: & omnino existimandum est, ne ars videretur dissimilis, effectus fuisse similes.

*Per dracones intelliguntur serpentes.*

Per dracones autem intelliguntur serpentes qui in genere serpentis erant perfecti.

Sed quæstio est, Utrùm serpentes Magorum fuerint veri, An autem oculorum delusione tales apparuerint, Magis nimirum ita suis præstigiis præsentium oculos ludificantibus. Et quamvis in utramque partem boni sint Authores, potius tamen assentimur B. Augustino l.3. de Trinit.cap.8. qu.21. in Exod. l. qq. octoginta trium qu.79. Theodoreto super Exod. S. Thomæ 1.p. quæst.114. art.4. in corp. & qu.6. de pot. art.5. ad 8. & aliis post eos dicentibus veros fuisse serpentes; tum quia sacer textus illos pariter vocat dracones seu serpentes, ut eum in quem conversa fuit virga Moysi; neque repugnat veros intelligi; tum quia, si non fuissent veri serpentes, nihil convenientius facere potuisset Moyses quàm detegere fallaciam, & coram omnibus ostendere virgas in sua natura permanere; tum denique, quia certum est dæmones contra Moysen omnes vires suas exeruisse, ut ostenderent se posse similia facere illi quod ipse faciebat. Cùm ergo possent veros serpentes vel applicando activa passivis producere, vel ante productos aliundè latenter præsentare oculis Pharaonis & Ægyptiorum, verisimile est quòd veros serpentes exhibuerint.

*Veri fuere serpentes magorum etsi non vere conversio.*

Dubium verò manet, quomodo id sit factum. Ad quod Resp. alterutro horum modorum fuisse factum. Prior est, quòd dæmones occultè applicaverunt semina quæ naturalem vim habebant putrefaciendi virgas, atque ex eis generandi serpentes. Et quoniam huic modo opponitur opus fuisse justa temporis mora, ut sic activa naturalia passivis applicarentur, virgæque Magorum putrefierent; qui hunc sustinent, dicunt multum temporis intercessisse à Magorum vocatione usque ad projectionem virgarum coram Pharaone, illo autem tempore operatos fuisse dæmones disponendo virgas per agentia naturalia, easque sic mutando, ut postea projectæ statim converterentur in dracones. Sed contra, si virgæ sic erant alteratæ seu usque ad mutationem in serpentes dispositæ; quomodo potuerunt à magis teneri & projici? Resp. quòd Deo in pœnam Pharaonis permittente, id opera dæmonia fieri potuerit.

Si cui tamen ista minùs probentur; Posterior modus dicendi est, quòd virgis secundùm rei veritatem non mutatis nec conversis, dæmones imperceptibiliter eas abstulerint; & earum loco celeriter substituerint veros serpentes, aut ex applicatione causarum naturalium quam ipsi fecerant, aut aliundè allatos.

*Quomodo veri serpentes per magos exhibiti.*

Neque refert quòd juxta hunc modum virgæ non fuerint revera conversæ in dracones: Rectè enim scriptura intelligi potest dixisse, non id quod secundùm veritatem factum fuit, sed quod videbatur, & quod spectantium judicio putabatur; eo præsertim considerato quòd quippiam dici solet converti in illud quod ei succedit vel substituitur: Quomodo 2. Reg. 19. legimus quòd versa est victoria in luctum, quia victoriæ successit luctus: Et Job 30. *Versa est in luctum cithara mea:* Et Joan.16. *Tristitia vestra vertetur in gaudium.*

[ *Sed devoravit virga Aaron virgas eorum.* ] Id est, serpens in quem virga Aaron fuerat conversa, devoravit serpentes in quos virgæ Magorum erant vel videbantur esse conversæ. Solet enim res quæ in aliud conversa est; suum pristinum nomen retinere. Quomodo caro Christi in Eucharistia, vocatur panis Joan.6. & 1. ad Corinth.11.

Si quæras, quo evaserint virgæ Magorum, postquam virga Aaron suam pristinam formam recepit. Resp. vel illam receptis intra se, aliis virgis fuisse crassiorem, vel istas occultè sublatas fuisse ab Angelis.

Notandum porrò quòd Moyses semper Ægyptiis prævaluit, etiam tunc quando ipsi fecerunt seu facere visi sunt similia iis quæ Moyses faciebat. In suis quippe prodigiis semper aliquid peculiare potuit, quod ipsi non poterant; ut vel Ægyptii adverterent, alia virtute Moysen, alia Magos sua facere. Nam in primo signo serpentes Magorum devorati sunt à serpente Moysi: In aliis signis potuerunt quidem Magi aliquas plagas suo populo immittere, sed non potuerunt eas amovere. Unde sequitur quòd Deus Ægyptios castigaverit non solum plagis per Moysen illatis, sed iis etiam quas Magi eorum procuraverunt.

Sequitur prætetea quòd Deus permittendo maleficia quorumdam signorum, quibus Ægyptii lædebantur, operationem, non obfuit Moysi, neque ejus fidei quidquam derogavit; sed potius profuit, cum ab eo solo plagarum amotionem petere deberent & accipere.

Cæterum quare permiserit Deus ut Magi facerent similia iis quæ faciebat Moyses; variæ possunt esse rationes. Prima, ad probandam & exercendam Moysi, Aaronis, & Hebræorum constantiam. Secunda, ut Pharaonis & Ægyptiorum duritiem per ipsosmet Ægyptios puniret. Tertia, ut evidens esset discrimen Magorum à Moyse, manifestèque appareret, Moysen non esse magum, sed Dei servum. Quarta, ut palam fieret pietatem ac veritatem semper esse obnoxiam multis contradictionibus, speciem pietatis ac veritatis præ se ferentibus, quam rationem indicavit Apostolus 2. ad Timoth. 3. dicens, *Quemadmodum Jannes & Mambres restiterunt Moysi: ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* Quinta, ut isto exemplo aliisque similibus innotesceret quàm sit verum quod dici solet dæmonem esse Dei simiam. Sexta, ut fideles admonerentur quòd turbari non debeant, nec scandalizari per signa & prodigia quæ interdum faciunt impii, quasi illa essent vera miracula & virtutis divinæ testimonia: Hinc enim aptè cognoscitur multa esse quæ miracula videntur, & non sunt; ac diabolo proprium esse se transfigurare in Angelum lucis, & simulare miracula ad homines decipiendos.

*Cur Deus permisit Magos facere mirabilia.*

[ ℣. 13. *Induratumque est cor Pharaonis,* ] ab ipso nimirum Pharaone, dum vidit Magos suos facere similia his quæ Moyses faciebat, nec consideravit eorum serpentes à serpente Moysi fuisse devoratos. Sic hæretici frequenter animum advertunt ad ea quibus foveri putant suam hæresim & non ad discrimen quod est inter eam & veritatem. In Hebr. est, *Roboravit se cor Pharaonis.*

[ *Et non audivit eos,* ] 70. *Non exaudivit eos*, quia nimi-

nimirum non boc fecit quod petebant, ſive non dimiſit Hebræos.

[ *Sicut praceperat Dominus.* ] Ut populum Hebræum dimitteret. Alii ex Hebr. vertunt ſicut locutus eſt Dominus: quod etiam referri poteſt adhoc quod Deus antea dixit, non audiet vos, &c, *praceperat*, accipiunt pro prædixerat.

[ ℣. 15 *Vade ad eum manè, ecce egredietur ad aquas:* ] Sive exſpatiandi, ſive alterius rei gratia.

[ *Et ſtabis in occurſum ejus ſuper ripam fluminis:* Præ venies ejus adventum ad ripam fluminis Nili, & ibi ſtabis, quaſi eum expectans.

[ *Et virgam qua converſa eſt* ] Seu fuit.

[ *In draconem, tolles in manu tua.* ] Hinc, ut & ex aliis ſcripturæ locis colligimus virgam Moyſi poſtquam devoraſſet virgas Magorum, ad id quod prius fuerat rediiſſe, virgæque naturam & ſpeciem recepiſſe, ut per eam alia deinceps miracula patrarentur. Ter verò contigiſſe quòd virga illa in ſerpentem verteretur ac deinde rurſus in virgam: Primò, in monte Horeb: Secundò, in Ægypto coram populo Iſrael: Tertiò, coram Pharaone, liquet ex cap. 4. verſ. 3. 4. & 30. cum præſenti cap. collata.

[ ℣. 17. *Hæc igitur dicit Dominus: In hoc ſcies quòd ſim Dominus:* ] Antea dixiſti, *Neſcio Dominum*, experimento nunc diſces quòd ſim Dominus.

[ *Ecce percutiam virga, quæ in manu mea eſt, aquam fluminis,* ] ſcilicet Nili, quem & in ſequentibus nominat fluvium abſolutè per antonomaſiam. Hæc ſunt verba Dei quæ Moyſes jubetur nunciare Pharaoni: neque refert, quòd non Deus virgam manu ſua teneret, ſed Moyſes: Quoniam enim Moyſes conſtitutus erat Deus Pharaonis, ipſeque erat manus ſeu inſtrumentum Dei, Deus intelligi poteſt virgam manu ſua tenuiſſe, in quantum tenebat manu Moyſi. Alii cenſent iſta verba, *ecce percutiam virga aquam fluminis*, eſſe Dei loquentis, iſta verò, *quæ in manu mea eſt*, eſſe verba Moyſi per parenteſim interjecta, ad indicandum & demonſtrandum quam virgam Deus intelligeret.

Mirabilia fecit Deus per res inanimatas.

[ *Et vertetur in ſanguinem.* ] Statim ad tactum virgæ. Ex quo, ut & ex ſequentibus exemplis, evidens ſit Deum per res inanimatas, multa ſive pro hoſtium ſuorum punitione, ſive pro amicorum benedictione operari ſupra naturam, ut proinde adverſarii nobis immeritò objiciant rerum inanimatarum conſecrationem & uſum cum fiducia divini auxilii. Memorabile exemplum ex antiquis refert Baronius to. 4. Annal. ad ann. Chriſti 388. de victoria interventu ſuperhumeralis & baculi quæ Senuphius monachus ad Imperatorem Theodoſium miſit; eòdemque pertinent quæ Act. 5. leguntur de ſanatis ad umbram B. Petri, & quæ Actor. 19. dicuntur de ſudariis & ſemicinctiis, quæ à S. Pauli corpore deferebantur ad languidos, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.

[ ℣. 18. *Piſces quoque, qui ſunt in fluvio, morientur,* ] cum non poſſint vivere extra aquam, præſertim in ſanguine, eſt enim contra naturam aquatilium, in ſanguine vivere.

[ *Et computreſcent aquæ,* ] ex morte piſcium in aquis, ſeu in ſanguine: Aquas enim vocat, quæ prius quam in ſanguinem converterentur, aquæ erant. 70. habent effervеſcet fluvius, calore ſcilicet ſanguinis qui niſi calidus ſit, conſervari non poteſt, tandemque putreſcet.

[ *Et affligentur Ægyptii bibentes aquam fluminis.* ] Hoc eſt; cum deſiderabunt bibere aquam fluminis, & non poterunt. In Hebr. habetur, *Laborabant Ægyptii ut bibant aquam à flumine*, id eſt, cruciabuntur videntes ſe non poſſe bibere de aqua fluminis.

[ ℣. 19. *Dixit quoque Dominus ad Moyſen:* ] Continuatio eſt ſermonis in eadem apparitione facti.

[ *Dic ad Aaron,* ] poſtquam jam dicta interminaveris Pharaoni:

[ *Tolle* ] ſeu accipe.

[ *Virgam tuam,* ] Sermo eſt de virga, de qua verſu 15. legitur dictum Moyſi ut tolleret eam in manu ſua, Nunc verò ipſi jubetur ut cum verba ſua ad Pharaonem finierit, curet Aaronem illam accipere.

[ *Et extende manum tuam* ] elevando virgam in manu.

[ *Super aquas Ægypti, & ſuper fluvios eorum, & rivos ac paludes, & omnes lacus aquarum,* ] fluvios nominat, quamvis in Ægypto non ſint fluvii præter Nilum, quia per fluvios aut ſeptem Nili oſtia intelliguntur, aut torrentes qui frequenter in ſcriptura fluviorum nomine ſignificantur. Per rivos, earum aquarum decurſus intellige, quæ ex fontibus fluunt, ac etiam quæ ex Nilo circumcirca agros & hortos deducebantur ad irrigandandam terram. Per paludes loca paluſtria cum aquis ibi exiſtentibus. Pro omnes lacus, Alii quibus 70. conſentiunt, reddunt, omnem congregationem aquarum: Unde colligitur omnem omnino aquam Ægypti, etiam puteorum, fontium, & ciſternarum fuiſſe converſam in ſanguinem: quod ex eo quoque confirmatur, quia alioquin Ægyptii non fuiſſent compulſi fodere circa Nilum ut biberent aquam. Extenſio porrò de qua hìc agitur, moralis intelligenda eſt quantum ad aquas quæ erant extra Nilum: etſi enim Aaron realiter virgam elevaverit, eaque partem aquæ Nili percuſſerit, nequaquam tamen omnes Ægypti aquas percuſſit, ſed virtus moralis illius percuſſionis ex Dei poteſtate, atque ex Aaronis percutientis, & ex Moyſi jubentis intentione extendebat ſe ad omnes aquas Ægypti, etiam ad illas quæ erant in vaſis ligneis & ſaxeis. Omnis aqua Ægypti ſuit in ſanguinem verſa.

[ *Et ſit cruor in omni Terra Ægypti,* ] ac per conſequens etiam in terra Geſſen, ubi non ſoli Hebræi habitabant, ſed Ægyptii quoque, qui cum Hebræos ſicut alii oppreſſiſſent, ejuſmodi plaga digni erant.

Petes, unde igitur Hebræis aquæ potabiles? Joſephus lib. 2. Antiquit. ſcribit aquam Hebræis dulcem fuiſſe ac potabilem, naturamque priſtinam retinuiſſe. Philo lib. 1. de vita Moyſi ſic ait: *Fluvius verſus erat in ſanguinem, at non Hebræis; his enim haurientibus fiebat potabilis.*

[ ℣. 20. *Feceruntque Moyſes & Aaron ſicut præceperat Dominus:* ] Juxta morem ſuum Moyſes ſummariè narrat integrum factum, dicens, *feceruntque* &c. deinde, ipſum per partes diſtinguit. Dicitur autem, feceruntque Moyſes & Aaron, non quòd ambo virgam elevaverint, ſed quia Moyſes ea locutus eſt Pharaoni quæ in mandatis habebat, dixitque Aaroni ut virgam tolleret, manumque extenderet ſuper aquas Ægypti; Aaron autem id executus eſt.

[ *Et elevans virgam percuſſit aquam fluminis coram Pharaone & ſervis ejus: quæ verſa eſt in ſanguinem.* ] Deo ſic volente & operante, aqua Nili non tantùm colorem ſanguinis accepit, ſed in verum ac propriè dictum ſanguinem converſa eſt, adeò ut ſi quis ſiti coactus bibere tentaret, teſte Joſepho, acri dolore corriperetur. Similiterque in verum ſanguinem omnes aliæ aquæ Ægypti converſæ fuerunt.

Quæritur autem, An totus Nilus ita fuerit converſus. Reſp. quòd non totus ſimpliciter, ſed totus in Ægypto, ſive quatenus in Ægyptum porrigitur uſque ad exonerationem in mare. Nam in Æthiopia puras ferebat aquas; ſed ubi attingebant fines Ægypti, mox in ſanguinem vertebantur; ſicque perſeverabant uſque dum exonerarentur in mare: & hoc per ſeptem dies continuos duravit, Deo ſemper miraculum iſtud operante.

[ ℣. 21. *Et non poterant Ægyptii bibere aquam fluminis,* ] quia jam non erat aqua, ſed verus ſanguis. Atque hæc fuit prima plagarum, quibus Deus Ægyptios flagellavit ut populum Hebræum dimitterent: In univerſum autem fuiſſe decem plagas communis eſt interpretum ſententia: Prima fuit converſio aquæ in ſanguinem, Secunda, ranarum ebullitio: Tertia, culicum ſeu cyniſum: Quarta, muſcarum: Quinta, peſtis & interitus pecorum: Sexta, veſicæ turgentes & ulcera tam in hominibus quàm in brutis. Septima, grando, tonitrua, & fulmina: Octava, bruchus ſeu locuſtæ omnia depaſcentes. Nona, tenebræ triduanæ. Decima, primogenitorum non hominum tantum, ſed aliorum etiam animalium occiſio. Decem fuerunt plagæ Ægypti.

Unde verſus:

*Sanguis, rana, culex, muſca, pecus, ulcera, grando,*
*Bruchus, caligo, mors pignora prima necando:*

Sive ut alii,

*Sanguis, rana, cyniphs, hinc muſca, peſtis, & ulcus,*
*Gran-*

*Grando, bruchus, tenebra, morsque; flagella decem.*

Neque moveat quòd Psalm. 77. aliæ plagæ recenseri videantur, quarum Moyses hic non meminit, scilicet æruginis, pruinæ, & ignis: Non enim quod ibi dicitur, sic accipi debet, quasi illæ tres plagæ fuerint à decem jam dictis diversæ, sed singulæ ad aliquam istorum pertinent; ærugo, ad octavam; pruina & ignis, ad septimam.

De plagis æruginis, pruinæ, & ignis.

Si dicas addendam esse submersionem Ægyptiorum in mari rubro: Negandum est, quia hæc contigit post Hebræus ex Ægypto emissos; plagæ verò Ægyptiacæ acciderunt in Ægypto, ut Hebræi inde dimitterentur.

Quæres 1. quare decem plagis percussi fuerunt Ægyptii. Resp. cum Philone lib. 1. de vita Moysi, ut ipsi perfecto pœnarum genere punirentur sicut peccatorum eorum mensura erat plena & perfecta; Denarius enim est symbolum perfectionis. Deinde, ut tot plagis punirentur, quot mandata Deus erat populo suo daturus.

Quæritur 2. quis fuerit harum decem plagarum author, physicè ac realiter eas causando. Resp. quòd aliquarum solus Deus, earum scilicet quæ omnem vim creatam superant; Aliarum autem Deus per Angelos bonos, quorum ministerio sicut punivit Sodomitas Gen. 19. & exercitum Sennacherib 4. Reg. 19. ita verisimile est, quòd nunc Ægyptum punire voluerit, non verò per dæmones. Nec obstat illud Psal. 77. *Immissiones per Angelos malos*: Angeli enim mali illic intelliguntur causaliter, qui mala seu pœnalia infligebant, Unde Symmachus habet, *per Angelos affligentes*.

Quæritur 3. quare prima plaga fuerit conversio aquæ in sanguinem: Resp. ut sicut Ægyptii aquas suas Hebræorum infantium sanguine infecerant, illos submergendo; ita nunc aquis punirentur; verificareturque quod postea scriptum est, Sap. 11. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, conformiter Angelo Apoc. 16. dicenti, *Quia sanguinem sanctorum, & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere, digni enim sunt.*

[ ℣. 22. *Feceruntque similiter malefici Ægyptiorum*] Quantum scilicet ad exteriorem apparentiam; sive quantum intuentibus apparebat. Non poterant enim dæmones (quorum opera utebantur Malefici) aquas in verum sanguinem convertere, sed sanguinem aliundè allatum occultè substituerunt loco aquæ, ita ut præsentes non aliud judicare possent, quàm aquas illas esse in sanguinem versas. Ac nihilominus magna fuit disparitas, tum quòd non omnes aquas Ægypti, imò non omnes eas quas voluissent, ita poterant corrumpere; non enim aquam quam bibebant, vel qua ad alios suos usus utebantur Hebræi in terra Gessen; tum quia verisimile est quòd non poterant sanguinem reducere in speciem aquæ, sicut sanguis in Nilo & alibi per ministerium Moysi existens post finem hujus plagæ in naturam ac speciem aquæ rediit.

At quæres, Cum omnes aquæ Ægypti essent versæ in sanguinem, Undenam Malefici aquam habere potuerunt quam converterent seu convertere viderentur in sanguinem. Resp. illam habere potuisse, vel ab Hebræis quando in suos usus hauserant sanguinem qui naturam aquæ recipiebat, vel ex mari vicino, vel aliunde, dæmonibus latenter adferentibus.

[ ℣. 23. *Avertitque se, & ingressus est domum suam,*] Nihil curans plagam sanguinis, nec pluris æstimans quod per Moyseo factum erat, quàm quod per suos maleficos.

[ *Nec apposuit cor etiam hac vice*. ] Non adjecit animum, ut Deo Moysique ejus servo crederet, ac populum dimitteret.

[ ℣. 24. *Foderunt autem omnes Ægyptii per circuitum fluminis aquam ut biberent:* ] Hoc est, per circuitum Nili foderunt, ut invenirent aquam quam biberent. Etsi verò fodiendo quærerent aquam, non dicitur tamen quòd aquam invenerint. Et ut plaga esset perfectior, credibilius est quòd pro aqua, non aliud quàm sanguinem invenirent, Deo sic aquas subterraneas convertente, sicut convertebat eas quæ defluebant ex Æthiopia, quando Ægyptum attingebant. Unde Philo lib. 1. de vita Moysi scribit quòd novas venas aperientibus pro limpido liquore sanguis emicaret tamquam è vulnere.

[ *Non enim poterant bibere de aqua fluminis*. ] Eò quòd in flumine non esset aqua, sed sanguis.

[ ℣. 25. *Impletique sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluvium*. ] Sive, septem diebus perduravit sanguis in fluvio, seu plaga sanguinis, ut Philo, Dionysius Carthus. Abulensis, & alii communiter interpretantur: Alioquin, si quemadmodum quibusdam placuit, uno tantùm die durasset, Ægyptii non fuissent compulsi fodere ad quærendum aquam. Post septimam verò diem sanguis ubique desiit, & in speciem ac naturam aquæ fuit conversus, idque non rogatu Pharaonis, sed sola Dei voluntate: qui cum videret Pharaonem manere induratum, nec petere cessationem hujus plagæ, eam ipse sustulit, Moysique mandavit ire ad Pharaonem, & novam ipsi plagam comminari.

Plaga sanguinis, per septem dies duravit.

At dices. quomodo potuerunt Ægyptii septem diebus vivere sine aqua. Resp. plurimos lacte & vino, quibus abundabant, fuisse adjutos, multos autem siti periisse. Scribit namque Philo, quòd hominum siti enectorum magnus numerus acervatim jacebat in triviis, non sufficientibus domesticis ad sepulturæ officia.

Allegoricè per virgam Moysi tum Christus, tum lex Christi Euangelica designatur: per hoc quòd in colubrum versa est, significatur Christus diabolo universisque improbis futurus terribilis: Per hoc quòd virga Moysi devoravit virgas Magorum, ostenditur quòd Christus legisque ipsius prædicatio prævaleret omnibus machinationibus diaboli, cunctæque sapientiæ philosophorum, & signis sapientum hujus sæculi; qui quidem aliqua faciunt apparenter similia operibus justorum, sed insipientia illorum tamdem manifesta erit. Per aquas Ægypti adumbrantur scientiæ profanæ horum gentilium. Convertuntur autem in sanguinem per virgam Moysi, dum per æterni Verbi sapientiam convincuntur esse falsæ, ac tales quæ nullo modo sitim seu appetitum scientiæ possint restinguere. Propter quod valdè afflicti sunt, quia talibus scientiis volebant refici, videntes se superari; & foderunt ut invenirent aquam, quando undique quæsierunt argumenta quæ contra veritatem Euangelicam opponerent; sed non repererunt nisi sanguinem, quia quò profundius talia argumenta scrutabantur, eò magis erroribus & vitiis implicabantur. Computruitque inanis eorum scientia, quia *stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi*, 1. ad Corinth. 1. *Et comprehendit sapientes in astutia eorum* c. 3. Ita ut in illis verificetur quod Isai. 47. legimus, *Sapientia tua & scientia tua, hæc decepit te.*

Allegorica.

## CAPUT VIII.

*Immittit Deus Ægyptiis secundam plagam quæ est ranarum; & tertiam, quæ est culicum; & quartam, quæ est muscarum: nec Pharao dimittit Israelitas.*

[ ℣. 1. D*ixit quoque Dominus ad Moysen:* ] Die sequenti post cessationem plagæ sanguinis; hoc est, die octavo à percussione fluvii.

[ *Ingredere ad Pharaonem*, ] In aulam Regiam. Decet enim Prophetam, & Dei legatum non timere potestates adversarias.

[ ℣. 2. *Ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis*. ] Hoc est, omnea tuas regiones usque ad ultimos terminos earum.

[ ℣. 3 *Et ebulliet* ] Seu, in maxima copia ex se emittet.

[ *Fluvius ranas* : ] Ita ut videatur eas ebullire. Vox, *fluvius*, vel synecdochicè ponitur pro omni aquarum congerie; constat enim quòd omnes fluvii, rivi, ac paludes Ægypti ranarum multitudinem emiserint, secundùm ea quæ leguntur versu 5. vel si per fluvium intelligatur Nilus, quia is maximam ranarum multitudinem ebullit, simul tamen in eo omnes aquæ intelliguntur. Meritò puniuntur Ægyptii

ranis

Convenientia hujus plagæ.

ranis quæ sunt animalia aquatilia & garrula: quoniam in aquis submerserant Hebræorum iofantes, & ut quorum gemitus & lachrymæ ipsos ad miseriam non commoverant, oune ranarum coaxatione, & horrido aspectu, ac sordibus crucientur.

[ *Quæ ascendent ; & ingredientur domum tuam , & cubiculum lectuli tui, & super stratum tuum, & in domos servorum tuorum , & in populum tuum , & in furnos tuos,* ] Nullus omnino locus Ægyptiorum erat ranis impervius , sed Angelo eas impellente vel etiam deferente , ipsæ omnia loca tam sacra quàm profana , tam publica quàm privata , & cuncta vasa , eibos , lectos, apotbecas , viasque omnes occupabant ac fœdabant, ita ut eum nec foras progredi possent bomines , viia oppletis ; nec Intus manere , refertis etiam intimis penetralibus , & ad summas quoque cootignationes ranis obrepentibus , ad extremam despetationem redactos fuisse testetur Philo . Sic à ranis civitatem in Gallia pulsam ex Varrone scribit Plinius l.8.cap. 29. & Abderitas propter Intolerandæ multitudinis ranas & mures, relicto patrio solo & antiquis babitaculis emigrasse, novasque sedes quæsiisse , Paulus Orosius l.3.cap.23.

[ *Et in reliquias ciborum tuorum:* ] 70. in conspersis tuis: sive, in farinam eonspersam. Cujus diversitatis lectionis ratio provenit ex verbo Hebræo quod utrumque significat.

[ ℣. 4. *Et ad te, & ad populum tuum , & ad omnes servos tuos, intrabunt ranæ .* ] Hebræi sic ista ioterpretantur , ot significent ranas intraturas corpora dormientium: sed scripturæ phrasis id non importat. Sicut enim versu 1. dictum est Moysi, *Ingredere ad Pharaonem :* Et Gen.19. *Ubi sunt viri qui introierunt ad te* ; neque significatur quòd intraverint in corpus vel Pbaraonis vel Lot; ita præseotis sermonis sensus est , quòd ranæ intrabunt in domos Pbaraonis, & populi ac servorum ejus, & pervenieot usque ad ipsos.

[ ℣. 5. *Dixitque Dominus ad Moysen :* ] Eodem scilicet die quo Moyses Pharaoni omnia jam dicta ex parte Dei comminatus erat , ac oihilominus manebat obfirmatus , nolens populum Hebræum dimittere.

[ *Dic ad Aaron : Extende manum tuam* ] Cum virga nimirum , qnam manu tenes ; Hebræa siquidem addunt , *cum virga tua*, quibus & Græca consentiunt.

[ *Super fluvios ac super rivos & paludes, & educ ranas*] seu manda ranis ut ex aquis exeant , & ad maodatum tuum citò exibuot . Non est tamen existimandum quòd ab illis solis ranis , quæ in aquis erant, vexata fuerit Ægyptus ; cum eæ non tanto essent oumero quantum fuisse constat ex versibus 9. & 14. sed ab aliis etiam plurimis quas Deus ad extensionem virgæ Aaron subitò produxit ; vel eò adduxit.

[ *Super Terram Ægypti.* ] Ut sint in civitatibus , domibus , & villis ac plateis per universam terram Ægypti .

[℣.6. *Et extendit Aaron manum super aquas Ægypti ,* ] boc est, versus omnes partes Ægypti, ubi erant aquæ. Utrùm ita manum extenderit , quemadmodum pro plaga sanguinis percussit virga aquam fluminis: ita nunc fecerit, non liquet ; veluti nec coostat ubi manum extenderit, utrùm in aula Pharaonis, an iode egressus . Sed cum scriptura nihil de percussione hic loquatur , sicut in plaga præcedente fuit locuta , satisque ad moralem virgæ efficaciam fuerit, illam versus aquas extendi; verisimilius videtur nullam intervenisse percussionem vel attactum aquæ.

[ *Et ascenderunt ranæ ,* ] Tam quæ prius erant io aquis, quàm quæ fuerant de novo productæ, vel aliundè adductæ seu allatæ.

[ *Operueruntque Terram Ægypti.* ] Noo totam absolutè, sed civitates & domos & loca io quibus habitabant Ægyptii , ut ibi affligerentur , ranæ autem quæ essent in locis Ægypti non babitatis, noo affligerent Ægyptios, & ideo ibi non erant.

[℣. 7. *Fecerunt autem & malefici per incantationes suas similiter, eduxeruntque ranas super terram Ægypti.* ] Non tanto quidem numero , quanto Moyses & Aaron , nec divina virtute sicut illi; sed longè pauciores ranas eduxerunt , quæ per dæmones vel eò adferebantur alibi antea productæ ; vel ex applicatione causarum naturalium recens in aquis eraot factæ .

[ ℣. 8. *Vocavit autem Pharao Moysen & Aaron , & dixit eis : Orate Dominum ut auferat ranas à me & à populo meo.* ] Tria hinc colligi possunt ; Primum, nunc verificari id quod cap.7. Deus jusserat dici Pharaoni, *In hoc scies quod sim Dominus* , scilicet per plagas quas immittam : Plagis enim coactus jam agnoscit Deum eas intulisse , & posse eas auferre.

Plaga ranarum gravior quàm sanguinis.

Secundum, plagam ranarum fuisse graviorem plaga sanguinis , ideo namque Pharao petit rogari Deum pro hujus amotione , quod non legitur fecisse pro amotiooe præcedentis . In eo autem fuit hæc gravior , quòd prima non aliud sustulerat quàm aquam , unde Pharao & alii potentes non admodum cruciabantur , cum vino, lacte & aliis quibusdam uti possent , loco aquæ: ranæ autem tam divites quàm pauperes , tam regem quàm subditos insigniter affligebant, & quidem quoad omnes sensus . Visum enim sua magnitudine & deformitate cruciabant: Auditum, assiduis coaxationibus inconditis ; gustum , esculentis ac poculentis se immiscendo , eaque conspurcando : odoratum fœtorem teterrimum exhalando ; tactum, mensas, sedes, lectos, vasaque omnia occupando , personarumque corpora , facies, pedes &c. invadendo.

Tertium , maleficos non potuisse ranas amovere, Deo nimirum id oolente , ut Ægyptii agnoscerent se à solo Deo posse juvari, atque ita recurrerent ad ipsum per interventionem Moysi.

] ℣. 9. *Dixitque Moyses ad Pharaonem: Constitue mihi* ] in Hebr. gloriare super me.

[ *Quando deprecer pro te, &c.* ] Q.d. ut nostra oratione & noo casu fortuito intelligas quòd ranæ recedent , honorem hunc & gloriam tibi assume , ut quamvis meum esse deberet eligere ac definire tempus quo orem pro ranarum ablatione, tu tamen illud eligas & constituas . Ideò autem Moyses ita loquitur, ne si ipse tempus deprecandi elegisset, incantatores & astrologi dicerent istud momentum temporis quo ranæ recederent , esse illud quod ex inspectione boræ vel novi sideris asceodentis venabantur: ac per consequens non peculiari Dei virtute eas recedere , sed ex causis naturalibus , quas ipse Moyses velut etiam astrologus considerasset. Cui calumniæ occurrit Moyses , temporis determinationem relinquendo Pharaoni . Neque per hoc recenseri potest Deum tentasse : ex præcedeotibus namque promissionibus, necnon ex maxima familiaritate eum Deo, certus erat de divina assistentia.

[ ℣. 10. *Qui respondit : Cras* . ] Non petit Pharao ut Moyses statim deprecetur Deum , quia volebat experiri num ranæ fortassis per se deficerent , quasi casu illuc allatæ.

Quanto tempore duraverit plaga ranarum.

Cæterum quamdiu bæc secunda plaga duraverit , scriptura tacet , & aliunde nihil babetur certi. Duobus, aut tribus diebus durasse verisimile est , tum ut ejus acerbitatem perfectius experirentur omnes Ægyptii , tum quia non est credibile Pharaonem diu distulisse vocare Moysen pro illius ablatione.

[ ℣. 11. *Et recedent ranæ à te , &c. & tantum in flumine remanebunt.* ] Illæ nimirum quæ viventes persistent : extra flumen enim plurimæ tantisper manebunt , sed mortuæ, ut ex v.14.patet.

[ ℣. 12. *Et clamavit Moyses ad Dominum* ] non voce exteriore , sed interna supplicatione , & magna elevatione mentis in Deum clamavit : quomodo ad Moysen ore taceotem Deus cap.14. dicit, *Quid clamas ad me?*

[ *Pro sponsione ranarum quam condixerat Pharaoni.* ] Hoc est pro ranis tollendis , secundùm quod Pharaoni pollicitus erat.

[ ℣. 13. *Et mortuæ sunt ranæ de domibus, & de villis, & de agris.* ] Quæ erant in flumine , non sunt mortuæ , sed in eo permanserunt viventes. Reliquæ autem sunt mortuæ, idque non media virgæ seu maouum Moysi aut Aaron operatione , sed solo Dei jussu seu vòluntate ; per quod intelligi potest Deus promptior esse ad miserendum quàm ad flagellandum ; cum solus auferat plagam, quam non nisi interveniente Moyse & Aarone immiserat.

[ ℣. 14. *Congregaveruntque eas in immensos aggeres,* [ Hinc liquet ranarum multitudinem fuisse maximam.

ximam. Non fecit Deus quòd ranæ statim evanescerent, ne quis diceret fuisse præstigium, & non veras ranas. Quoniam verò ranarum acervos neque in fossis subterraneis sepelierunt, neque combusserunt; ideo maximus fœtor fuit exortus, & quemadmodum sequitur.

[ *Et computruit terra.* ] Id est, corrupta & infecta est ex cadaveribus fœtoribusque ranarum.

Per ranas significari possent homines garruli & clamosi; qui ut ranæ pacem aliorum perturbant, & domos lectulosque eorum qui Ægyptiacè, hoc est, mundanè vivunt, fœdant; Hebræis autem seu justis nocere non possunt. Videri possunt Nyssenus de vita Moysi, & Aug. tum serm. 87. de tempore, tum in fragmentis, fragmento 2. & Rupertus qui lib. 1. in Exod. cap. 32. per ranas, loquaces poetas intelligit.

[ ℣. 15. *Videns autem Pharao quòd data esset requies,* ] seu quòd plaga ranarum totaliter cessaret.

[ *Ingravavit cor suum,* ] Ipsemet voluntatem suam obfirmavit in malo, In Hebræo siquidem habetur, quòd aggravavit cor suum.

[ ℣. 16. *Loquere ad Aaron: Extende virgam tuam,* ] Deus soli Moysi apparebat, eique præscribebat quod Aaroni dicere deberet.

Quæritur autem utrùm tertiam plagam immiserit Deus Pharaoni de illa non præmonito. Probabile quidem est quòd sic, quandoquidem præviæ monitionis nullam scriptura mentionem faciat. At quæ sit hujus rei ratio; ambiguum est. Quidam volunt eam esse, quòd & fidem Moysi datam versu 8. fregerit, & cor suum ingravaverit. Verùm, etsi postea similiter peccaverit dixeritque cap. 9. vers. 28. *Orate Dominum ut desinant tonitrua Dei & grando*, ut (sive quemadmodum tam Hebræa quàm 70. habent,) & eam fidem postea fregerit, & cor suum induraverit, adhuc tamen postea legitur fuisse præmonitus ante plagam locustarum. Potius ergo dicendum videtur Deum utroque modo voluisse plagas mittere, quasdam non præmonendo Pharaonem de illis, ut hanc & duas postremas; quasdam autem præmonendo, ut ita variis modis induci posset ad cor suum emolliendum.

[ ℣. 17. *Et extendit Aaron manum, virgam tenens: percussitque pulverem terræ,* ] quæ percussio de se erat inefficax ad effectum intentum, sed assumebatur ad significandum contactum, quo divina virtus tetigit pulverem terræ, & ex eo fecit sciniphes. Unde sequitur.

[ *Et facti sunt sciniphes in hominibus, & in jumentis:* ] Non est intelligendum quòd sciniphes producerentur ex hominibus; producebantur enim ex pulvere terræ tamquam ex materia: sed sensus est, quòd ascenderunt super homines & jumenta, fueruntque in illis ad eos cruciandum. Neque refert quòd jumenta non peccaverant; Voluit enim Deus punire Ægyptios, non tantùm in ipsis, sed etiam in ipsorum possessionibus; ita ut hoc in damnum eorum redundaret: Nam jumenta duris sciniphum aculeis terebrata consistere non poterant, nedum ad laborandum adhiberi.

[ *Omnis pulvis terræ versus est in sciniphes* ] per hyperbolen hoc dicitur, *Omnis*, id est, quamplurimus. Ideo autem puniuntur Ægyptii, per elementum terræ, quia Hebræos afflixerant operibus lateris & luti; atque ita, *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.*

Tertia plaga Ægypti est cinifum.

[ *Per totam Terram Ægypti.* ] In qua erant Ægyptii, vel eorum jumenta. Hæc est tertia plaga Ægypti, quam quidam sciniphum, alii cinifum, alii culicum vocant.

Quæritur autem quid sint isti sciniphes. Quidam interpretantur fuisse pediculos: At hoc alii improbant, quia pediculi non ex pulvere generantur, sicut hos sciniphes generatos esse tradit scriptura, sed qui in hominibus sunt, ex humana carne. Alii pulices esse volunt. Sed neque hoc aliis placet; quia hi nec in oculos involant, nec vocantur sciniphes aut culices, sed pulices.

Quid sciniphes.

Ex Origine quem sequitur B. Aug. serm. 87. de tempore, Resp. sciniphes esse animal quod pennis per aera volitat, adeò subtile ac minutum, ut oculi visum, nisi acutè cernentis, effugiat, corpus tamen cum insederit, acerbissimo terebrat stimulo; ita ut quem volitantem videre quis non valeat, sentiat stimulantem. Addit August. tom. 10. fragmento 2. cap. 3. hoc animal minutissimum, esse inquietissimum, inordinatè volitans, in oculos irruens, non permittens hominem quiescere; dum abigitur, iterum irruit, dum abactum fuerit rursum redit. Quæ satis conveniunt cum iis quæ scripsit Philo in vita Moysi, sic dicens: Ubi terram virga percussit, tot sciniphes ex ea profusi sunt, ut velut extensa nubes totam obtineret Ægyptum. Id animal est molestissimum, quamvis minutum admodum; Nam non solam superficiem cutis lædit pruritu noxio, verùm etiam interiora per aures naresque penetrat, involat & in oculos, nisi quis caveat: sed qui cavere poterant tot dira examina? Simili plaga percussos & fugatos Persas, cum Nisibim obsiderent narrat Theodoret. l. 2. historiæ ecclesiasticæ cap. 30. Quæri hic possunt duo.

Prius, quare Deus tam vilibus animalibus ad vindictam uti maluerit, quàm ursis, pardis, leonibus, cæterisque feris carnivoris. Resp. partim quia volebat Ægyptios castigare, & non è medio tollere, partim ut ostenderet robur suæ potentiæ, dum non valida assumpsit media vel instrumenta, sed vilia & infirma.

Moralia.

Posterius, quid moraliter significetur per sciniphes: Resp. cum Origene & August. significari hæreticos hæreticorumque calliditatem qui minutis subtilibusque verborum stimulis animas terebrant; & tanta calliditate circumveniunt, ut deceptus quisque nec videat nec intelligat unde decipitur.

[ ℣. 18. *Feceruntque similiter malefici incantationibus suis,* ] Sive, similiter conati sunt facere per suas incantationes.

[ *Ut educerent sciniphes,* ] Faciendo illos videri coram Pharaone, vel aliunde opera dæmonum illuc adductos seu allatos, vel ex applicatione causarum naturalium recens productos.

Petes, cum sciniphes ad percussionem virgæ Aaron exorti totam terram Ægypti operirent, essentque in hominibus & jumentis: quomodo videri poterat, utrùm malefici educerent sciniphes an non? Abulensis respondet potuisse videri, quia dum Moyses & Aaron stabant coram Pharaone ad videndum quid malefici facerent, mandato Aaron in virtute Dei abigebantur ab eo loco sciniphes per ipsum excitati.

Cur malefici non potuerint educere sciniphes.

[ *Et non potuerunt:* ] Etsi alii alias rationes adferant, quare malefici non potuerint sciniphes educere; non alia est quærenda quàm Dei voluntas & potentia, quæ dæmonem impedivit. Unde Aug. l. 3. de Trinit. cap. 9. scribit non aliam rationem occurrere, nisi quia major aderat dominatio prohibentis: quod & ipsi magi confessi fuerunt dicentes, *digitus Dei est hic.*

Sed quare Deus qui permisit eos majora signa, saltem quantum ad apparentiam, facere; non permisit ut similiter has bestiolas facerent: Resp. ut dæmonum magorumque imbecillitas magis appareret, qui in tam exiguis animalculis defecerunt; scirique posset quòd nec in magnis nec in parvis quidquam possint sine permissione Dei. Unde certissimum hoc documentum deducimus, Deum nobis timendum esse, non diabolum; ut qui nec in minimis nocere possit nisi Deus ei permittat. Quò etiam pertinet quòd neque in porcos ire potuerit legio dæmonum, nisi prius Christum rogassent ut permitteret eis in illos ingredi, Lucæ 8,

Diabolus non est timendus, sed Deus,

[ ℣. 19. *Et dixerunt malefici ad Pharaonem.* ] Volentes se excusare cur non educerent sciniphes.

Digitus potentiam Dei significat,

[ *Digitus Dei est hic.* ] Ad litteram sensus est: Hic est Dei virtus & potentia quæ assistit Moysi, & nos impedit. Per digitum enim vel digitos Dei solere potentiam ejus significari, liquet ex Psalm. 8. *Videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum*; Et ex Isai. 40. *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* Ideo fortasse, quòd sicut homini facillimum est digitum movere, ita Deus sine difficultate per suam potentiam operatur quidquid ei placuerit. Ob id autem potentia divina nunc per digitum in singulari, nunc per digitos in plurali

tali exprimitur; quoniam etſi in ſe ſit una & ſimplex, cauſaliter tamen eſt multiplex, cauſans nimirum effectus multiplices. Ex his duo colligi poſſunt.

Unum, Magos iſto opere convictos agnoviſſe Deum Moyſi eſſe verum Deum, etiamſi non fuerint ad eum converſi, quinimò deinceps adhuc tentaverunt aliarum plagarum effectum impedire, ut infra ex cap. 9. v. 11. & ex Sap. 17. v. 7. dum ſeqq. deduci poteſt.

Alterum, ad hoc ut vel infideles vel alii peccatores convertantur, non ſufficere opera externa, niſi divina operatio corda interius moveat. Myſticè per digitum Dei, Spiritus ſanctus intelligitur, quemadmodum Lucæ 11. ubi Chriſtus dicitur *in digito Dei ejicere dæmonia*, pro quo Matth. 12. dicitur, *in ſpiritu Dei*.

Comparatio digiti & Spiritus ſancti.

Obſervandum autem pulchram eſſe analogiam digiti ad Spiritum ſanctum. Sicut enim digitus à brachio & manu procedit; ita Spiritus ſanctus à Patre & Filio. Et ſicut multi ſunt unius hominis digiti, ita multiplicia ſunt dona Spiritus ſancti 1. ad Cor. 12. & quemadmodum tot ſunt dextræ manus digiti, quot ſiniſtræ; ita pariter indigemus donis & auxilio Spiritus ſancti ad proſpera benè ſuſtinenda, ſicut ad tolerandum adverſa.

Cæterum quòd veteres aliquando dicunt maleficos defeciſſe in tertio ſigno, non eſt accipiendum de ſignis ſimpliciter, cum primum ſignum fuerit converſio virgarum in ſerpentes; ſecundum, ſanguinis; tertium, ranarum, quartum, ſciniphum: ſed de ſignis quæ ſimul fuerunt plagæ; plaga enim tertia fuit ſciniphum:

[ *Induratumque eſt cor Pharaonis*, ] in Hebr. *roboravit ſe cor Pharaonis*. Accepta veriſimiliter occaſione ex eo quòd malefici dicerent ſe poſſe etiam ſciniphes facere, ſi à Deo non impedirentur, Pharao fuit indignatus quòd ipſe maleficos ſuos impediret, ſicque voluntatem ſuam in malo obſirmavit.

[ *Et non audivit eos* ] Moyſen & Aaronem: ſive, non acquievit eorum voluntati, nec complevit ipſorum petitionem.

[ ℣. 20. *Dixit quoque Dominus ad Moyſen:* ] An quando adhuc durabat plaga ſciniphum, non liquet.

[ *Conſurge diluculo, & ſta coram Pharaone: egredietur enim ad aquas:* ] Cur ad aquas ſæpius iret Pharao, quidam dicunt quòd cauſa ſanitatis: Alii quòd cauſa idololatriæ: & quòd ſicut Chaldæi colebant ignem, ita Ægyptii aquam.

[ *Dimitte populum meum ut ſacrificet mihi*. ] Ut extra Ægyptum exeat mihi ſacrificaturus in ſolitudine.

[ ℣. 21. *Quòd ſi non dimiſeris eum, ecce ego immittam in te, & in ſervos tuos, & in populum tuum*, ] in futura punitione primò nominat regem, quia ipſe principaliter peccabat: Deinde ſervos ſeu miniſtros qui erant de ejus familia; & poſtea populum; ſive quia omnes regi aſſentiebantur, ſicque peccati ejus erant participes; ſive quia rex in ſuo populo juſtè puniri poteſt.

[ *Omne genus muſcarum*, ] Vox Hebræa *Arob*, ſecundùm ſuum etymon ſignificat mixturam ſeu mixtionem, unde aliqui volunt omne genus ferarum, leones, ſerpentes, urſos, pardos mixtim fuiſſe in hac plaga miſſos. Quibus tamen adverſatur Sapiens, qui dum Sap. 11. dicit non fuiſſe Deo impoſſibile immittere illis multitudinem urſorum, aut audaces leones, aut novi generis ira plenas ignotas beſtias &c. ſatis indicat ejuſmodi magnas beſtias non fuiſſe Ægyptiis immiſſas & ideo muſcarum mixtio intelligenda eſt. Septuaginta, & qui verſionem eorum ſecuti ſunt, tam hic quàm Pſalm. 77. & 104. legunt cynomyam, quod muſcam caninam ſignificat. At S. Hieronymus epiſtola 135. quæ eſt ad Suniam & Fretelam contendit non eſſe legendum cynomyam per y Græcum in prima ſyllaba, ſed *cœnomyam* per œ diphtongon, quod ipſe vertit omne genus muſcarum: alii muſcam communem vel miſcellam muſcarum, hoc eſt turbam variarum muſcarum. Aquila, omnimodam muſcam dixit, eodem ſenſu. Hieronymum ſequuntur ac cœnomyam legunt in Pſalmis, Lindanus, Bellarminus, & interpres pſalterii Quincupli, ipſaque vulgata editio Latina. Quibus conſentiunt Genebrardus, Janſenius, & alii.

Cæterum ſive 70. ſive qui cum illis legunt cynomyam, ita intelligendi ſunt unam ſpeciem muſcarum poſuiſſe, ut alias muſcas non excluderent; ſed præcipuè caninam muſcam nominarunt, quòd ea propter inſignem audaciam violentiam eſſet mirabilior.

[ *Et implebuntur domus Ægyptiorum muſcis diverſi generis;* ] multa eſſe genera muſcarum ſcribit Abulenſis, & per experientiam conſtat. Earum autem tanta multitudo prænunciatur futura in Ægypto, ut ubicumque eſſent Ægyptii, aut quocumque fugerent, vel ſe occluderent, muſcæ illos perſequerentur, involantes ſcilicet in vultum eorum, & in diverſas corporis partes, ut ipſos affligerent ac fœdarent.

[ *Et univerſa terra in qua fuerint*. ] Scilicet Ægyptii, ut ex Hebr. patet, & contextus requirit. Unde ſi qui Ægyptiorum de domo vel civitate fugerent in locum ubi antea non erant muſcæ, illuc eos ſequebantur ne impuniti evaderent.

[ ℣. 22. *Faciamque mirabilem in die illa Terram Geſſen, in qua populus meus eſt*, ] Mirabile ſiquidem eſt quòd Hebræorum habitatio immunis eſſet à tanta muſcarum varietate & multitudine, cum Ægyptii nullatenus poſſent eas effugere, quocumque ſe reciperent.

Hebræi à muſcis immunes.

[ *Ut non ſint ibi muſcæ:* ] Non ſignificatur quòd muſcæ nullo modo futuræ eſſent in terra Geſſen. Cum enim in ea multi Ægyptii Hebræis permixti habitarent, ut ipſi non manerent impuniti, neceſſe erat ibi eſſe muſcas, cum univerſa terra in qua erant Ægyptii, impleretur muſcis, quemadmodum hìc præcedit: Sed ſenſus eſt, quòd terra Geſſen pro ea parte in qua erant Hebræi, eſſet omnino immunis à muſcis.

Sed contra, quidam Hebræi terram Geſſen incolentes morabantur in domibus Ægyptiorum, ſicut ex cap. 3. patet, *poſtulabit mulier à vicina ſua, & ab hoſpita ſua &c.* quomodo igitur terra Geſſen potuit eſſe ſine muſcis pro ea parte ubi erant Hebræi? Reſp. quòd in ea parte domus ubi erant Ægyptii, erant etiam muſcæ; in ea autem parte ubi erant Hebræi, non erant muſcæ. Et ſi contingeret, vel Hebræos ire ad locum Ægyptiorum, vel Ægyptios ad locum Hebræorum, muſcæ non affligebant Hebræos, ſed ſolos Ægyptios.

[ *Et ſcias quoniam ego Dominus in medio terræ*. ] Hoc eſt, quòd ego dominor in terra lata & ampla, facioque in ea quæcumque mihi placent. Familiare eſt Hebræis medium terræ vel medium maris dicere pro terra lata, & pro mari profundo; ponitur autem hic ſpecialiter in terra; tum quia de operibus quæ in terra fiebant ſermo eſt; tum ad elidendum errorem illorum qui dixerunt Deum non habere providentiam eorum quæ in terra geruntur, ſed circa cœli cardines ambulare, de quibus 1. p. q. 22. art. 2. diximus.

[ ℣. 23. *Ponamque diviſionem inter populum meum & populum tuum:* ] Hoc eſt, inter Hebræos & Ægyptios. Uterque erat populus Dei, jure creationis, conſervationis, & gubernationis: ſed Hebræi peculiariter dicuntur populus Dei; tum quia ipſum colebant; tum quia beneficiis ac promiſſionibus ſpecialibus à Deo afficiebantur.

Etiam ab aliis plagis exempti fuere Hebræi.

Pro, *diviſionem*, in Hebr. legitur *redemptionem*; eodem tamen ſenſu, quaſi diceret; populum meum redimam ſeu liberabo à plaga quam populus tuus patietur. Hæc eſt prima Hebræorum exemptio expreſſa à plagis Ægypti, unde quiſpiam exiſtimare poſſet quòd à præcedentibus non fuerint exempti. Sed ea collectio nullius eſt momenti: Nam quod in hac plaga, ut & in quibuſdam ſubſequentibus fuit expreſſum, idem quoque intelligere oportet eſſe factum in aliis, ubi eſt tacitum, juxta B. Aug. q. 26. in Exod. ut nimirum Hebræi ab omni Ægyptiorum plaga immunes fuerint, ſecundùm illud Pſalm. 124. *Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum*. Cur autem ſcriptura id primùm in quarta plaga expreſſerit, & in tribus prioribus tacuerit; idem Aug. rationem dat, quia opportunum fuit ut ibi hoc primum aptè poneretur, ubi cœperunt ſigna quibus Magi nec ſimilia fecerunt, nec facere conati ſunt. Auguſtinum ſequitur Pererius diſp. 12. in cap. 7. Exodi.

Quarta plaga muſcarum.

[ ℣. 24. *Et venit muſca graviſſima* ] Ideſt, muſcæ plurimæ, eæque moleſtiſſimæ & nocentiſſimæ. In Hebr. dicitur *mixtio gravis*, quod idem valet ac moleſta turba omnis generis muſcarum. Hæc eſt quarta plaga Ægypti, quam Deus ſe ſolo inflixit, ſine extenſione vel percuſſione virgæ, & ſine alio ſigno ſen

sibili, ne quis suspicaretur non esse Deum qui ista signa patrabat, sed secretam virgæ virtutem, aut aliquid hujusmodi.

[ *Corruptaque est terra ab hujuscemodi muscis.* ] Infecta nimirum tabe talium muscarum quæ terram ipsam ejusque fructus fœdabant & corrumpebant, & homines gravissimè mordebant. Unde Psalm. 77. dicitur, *Misit in eos cœnomyiam & comedit eos.*

Hæ duæ plagæ, sciniphum & muscarum respondent illis Ægyptiorum impietatibus, quibus Hebræos vexaverunt trudendo, pungendo, verberando & subsannando.

Moralia. Moraliter per has muscas significantur tum hæretici, tum homines maledici, qui impudenter mordent & lacerant alios. Sanctus autem Bruno, per muscas spiritum fornicationis, ipsamque omnium vitiorum turpissimam libidinem intelligit, à qua corrupta est terra seu caro nostra, juxta illud 1. ad Corinth. 6. *Qui fornicatur, in corpus suum peccat.* Et hujus muscæ multæ sunt species, sicut varia sunt genera muscarum. At hæ muscæ non fuerunt in terra Gessen ubi filii Israel habitabant; quoniam sancti viri jejuniis, vigiliis, carnisque maceratione omnem impetum libidinis à se repellunt.

[ ℣. 25. *Vocavitque Pharao Moysen & Aaron,* ] quia videbat se suosque graviter à muscis affligi nec ullum sibi remedium suppetere.

[ *Ite & sacrificate Deo vestro in terra hac.* ] Q. d. ite vos ad terram Gessen in qua sunt alii Hebræi, & ibi sacrificate Deo vestro, non exeuntes terram Ægypti.

[ ℣. 26. *Et ait Moyses: non potest ita fieri: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro.* ] Q. d. non possumus in Ægypto sacrificare, quia immolaturi sumus Deo nostro ea quæ colunt Ægyptii: nam quæ hic vocantur abominationes, statim post vocantur ea quæ colunt Ægyptii. Colebant autem ipsi tauros, boves, & vitulos: quia in ejusmodi figura apparebat & adorabatur Apis Deus eorum. Colebant etiam oves & arietes; quia Jupiter in tali forma fingebatur, & apparebat. Colebant & capras; quia dæmones admiranda facientes in caprorum specie apparebant, eos autem venerabantur Ægyptii. Imò scribit B. Hieronymus lib. 2. contra Jovinian. cap. 6. quòd *singulæ pene in Ægypto civitates singulas bestias & monstra venerantur: & quodcumque coluerint, hoc inviolabile & sacrum putant.* Erant verò Israelitæ immolaturi Deo boves, oves, capras; quod etsi Moyses non certò sciret, ut ex cap. 10. patet, ubi dicit, *cum ignoremus quid debeat immolari*; probabiliter tamen poterat conjecturare tum ex sacrificiis quæ obtulerat Noe de cunctis pecoribus & volucribus mundis Gen. 8. tum ex iis quæ Abraham Gen. 15. & aliunde.

Cur Ægyptiorum abominationes. Ex his fit consequens quòd illa animalia, dicantur abominationes Ægyptiorum, non quia Ægyptii ea abominarentur; sed quoniam secundùm quod ab Ægyptiis æstimabantur, seu quatenus ab eis habebantur sacra, & divina quædam numina, erant res abominandæ. Idola abominationes dicta. Abominationum enim nomine non rarò in sacris litteris intelliguntur idola, ut 4. Reg. 23. *Melchon abominationem filiorum Ammon polluit rex.* Et 2. Paralipp. 34. *Abstulit Josias cunctas abominationes*, idest, omnia idola. Neque ab hac explicatione dissentiunt, qui abominationes Ægyptiorum interpretantur ea animalia quorum cædem abominabantur Ægyptii, utpote habentes illa pro sacrosanctis.

Moralia. Moraliter, Abominationes Ægyptiorum sunt vera & simplex virtus, de qua Job 12. legimus: *Deridetur justi simplicitas. Lampas contempta apud cogitationes divitum.*

[ ℣. 27. *Viam trium dierum pergemus in solitudinem:* ] Non est sensus quòd eundo & redeundo tres dies impenderent, sed quòd tribus diebus progrederentur in solitudinem, ac tum demum offerrent Deo sacrificium: Ideo namque sequitur.

[ *Et sacrificabimus Domino Deo nostro,* ] hæc solitudo est desertum illud per quod postea transierunt Hebræi ut venirent in terram Chanaan. Ita nos ut Deo sacrificemus, & ad terram promissam pertingamus, debemus exire de Ægypto, idest, de curis hujus mundi, ubi paleæ & lateres quæruntur, & tres gradus complere, incipientium, proficientium, & perfectorum.

[ ℣. 28. *Dixitque Pharao: ego dimittam vos* ] Necessitate pressus & muscarum multiplicium plaga vehementissima coactus concedit rex impius quòd petebatur, sed postmodum completa conditione revocavit.

[ *Verumtamen longiùs ne abeatis, rogate pro me.* ] Ut Deus vester hanc plagam cessare faciat in toto meo regno.

[ ℣. 29. *Et ait Moyses: egressus à te, orabo Dominum: & recedet musca* ] seu muscarum multitudo. Ita confidenter loquitur; quoniam & propter familiaritatem cum Deo, & quia Deus fecerat eum Deum Pharaonis, certus erat de effectu.

Duo monuerat Pharao, scilicet ne irent longius quàm iter trium dierum, & ut pro illo rogarent. Moyses verò sciens voluntatem Dei esse ut educeret Hebræos non ampliùs in Ægyptum reversuros, solùm respondet ad posterius.

[ *Verumtamen, noli ultrà fallere,* ] sicut supra fefellit, quando promisit dimittere populum ut sacrificaret Deo, si Deus ranas auferret, & non stetit promissis.

[ ℣. 31. *Non superfuit ne una quidem.* ] Magnum fuit hoc miraculum, quòd Deus ne unam quidem ex tot tamque diversis generibus, muscam in Ægypto reliquerit.

[ ℣. 32. *Et ingravatum est cor Pharaonis,* ] In Hebr. *& aggravavit Pharao cor suum*, & sic etiam est apud 70.

## CAPUT IX.

*Describitur immissio quinta plaga, quæ est pestis in jumentis: sexta, ulcerum: septima, grandinis, fulgurum, & tonitrui; nec Pharao dimittit Hebræos.*

[ ℣. 1. D*ixit autem Dominus ad Moysen:* ] Postquam Pharao cessante plaga quarta Hebræum populum non dimittebat.

[ ℣. 3. *Ecce manus mea* ] idest, virtus seu potentia per quam plagas infero, atque adeò plaga proximè immittenda.

[ *Erit super agros tuos:* ] Non ut lædat fruges & arbores, quod grandini & locustæ servabatur, sed ut occidat animalia quæ sunt in agris. In Hebr. namque legitur, *Ecce manus Domini est in pecudibus tuis quæ sunt in agro.* Apud 70. ecce manus Domini inerit in pecoribus tuis quæ in campis. Secundùm quæ nostræ versionis sensus est: Super agros tuos, idest, super pecora tua quæ sunt in agris. Quinta plaga pestis pecorum quæ in agro erant.

[ *Et super equos,* ] Vocula, *&* exegeticè sumitur, pro, *idest*, quasi diceretur: Plaga hæc erit super agros tuos, idest super equos & asinos, & camelos & oves & boves qui sunt in agris. Etsi verò Ægyptii detestarentur, pastores pecorum alterius gentis quàm suæ, eò quòd boves & oves quæ Ægyptiorum erant numina, durè tractarent imò & occiderent; habebant tamen etiam ipsi talia pecora, sive ad labores agrarios, sive ad lacticinia, sive ad vestitum & ad negotiationem, ac per consequens habebant quoque istorum pecorum pastores, ut liquet ex Genes. 46. & 47. sed ut verisimile est, suæ gentis tantummodò. Ægyptii habebant pastores ovium.

[ *Pestis valdè gravis.* ] Qua tamen non homines interirent, sed animalia tunc in agris existentia: Potuit quidem hujus pestis initium fuisse ex naturali causa, ex ranarum scilicet sciniphumque putrefactione: sed verisimile est concurrisse novas aeris corruptiones & inflammationes à Deo peculiariter missas.

[ ℣. 4. *Et faciet Dominus mirabile, inter possessiones* ] idest, inter pecora quæ possident Hebræi, & Ægyptii. Fuit profectò valde mirabile, quòd cum permixta essent Hebræorum & Ægyptiorum pecora in agris terræ Gessen, & pestis valde gravis interficeret Ægyptiorum pecora, ne unum pecus Hebræorum tangeret.

[ ℣. 6. *Mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum:* ] Quomodo omnia, cum infra v. 9. legamus ulcera in jumentis, & v. 19. jubeantur congregari jumenta. Resp. vel omnia, pro valde multa esse posita, sicut aliàs non infrequenter: vel sermonem esse de omnibus animantibus quæ tunc in agris erant, conformiter iis quæ ad v. 3. notavimus.

[ ℣. 7. *Et misit Pharao ad videndum:* ] An non similiter interirent animantia Hebræorum: cupiebat enim scire, num vera essent quæ Moyses dixerat

nihil

nihil omnino periturum ex his quæ ad filios Israel pertinebant, simulque volebat probare, an plaga ista immitteretur à Deo, an casu accideret. Si Hebræorum pariter ut Ægyptiorum animantibus fuisset communis, casu accidisse judicasset; si solis Ægyptiorum, à Deo esse missam.

Petes, quare in præcedentibus plagis Pharao non pariter misit ad videndum, utrùm illæ evenirent Hebræis sicut Ægyptiis. Resp. rationem esse, quia in tribus primis Moyses non dixerat Israelitas fore ab eis liberos, de quorum propterea immunitate inquirenda, non fuit Pharao sollicitus: in quarta verò dixerat quidem Moyses eam in terra Gessen non futuram; sed viæ sic erant muscis repletæ, ut non esset opportunitas in terram illam eundi: modò autem solùm in brutis animantibus erat plaga, & sic nihil impediebat ire per vias.

Hæc quinta Ægyptiorum plaga respondet pœnæ qua ipsi afflixerunt Israelitas, eorum pecora oneribus importabilibus gravando & enecando, juxta Abulensem. Respondet etiam peccatis quæ commiserunt, brutis animalibus divinum cultum exhibendo.

Moraliter pecorum plaga denotare potest passionum & motuum rebellium occisionem in peccatoribus; non sic tamen ut penitus intereant & in eis non sint, sed quia fiunt in eis peccata mortalia, dum illos fræno rationis non cohibent, nulla verò peccata si nullo modo, ne quidem imperfectè consensum præstent.

[ *Ingravatumque est cor Pharaonis,* ] Hebr. *Et aggravavit se cor Pharaonis.* Non legitur Pharao pro hujus plagæ amotione, sicut pro præcedenti esse deprecatus, vel quia tam subitus fuit omnium animalium quæ in agris erant interitus, ut deprecationi petendæ locus non fuerit, vel quia sic ex malitia cor suum aggravavit, ut de deprecatione non curaverit, sicut etiam fecit in plaga sciniphum.

[ ℣. 8. *Et dixit Dominus ad Moysen & Aaron:* Non sic, quasi ad ambos simul loqueretur, cum esset Moyses qui divinas revelationes à Deo accipiebat, quique notificabat illas Aaroni ut eas eloqueretur, quemadmodum ex cap. 4. & 7. patet; sed sensus est quòd Deus dixit immediatè ad Moysen, & mediante Moyse ad Aaronem.

[ *Tollite plenas manus cineris de camino,* ] vox Hebræa piach significat cineres adhuc carbonibus inhærentes & calentes, seu albam illam favillam quæ needum est omnino conversa in cineres, estque ita calens ut ea ejus attactu facilè nascantur ulcera propter caloris adustionem. Hinc tam in Hebræo quàm apud 70. pro cineris, legitur favillæ, sicut & pro camino, fornacem habent, eodem prorsus sensu. Talis enim favilla cinis quidam est, ut & fornax caminus. Inflicta est hæc sexta plaga propter iniquissimam illam afflictionem qua Ægyptii oppresserunt Hebræos coctione laterum & ardoribus ignis: ob quorum vehementiam servitus Ægyptiaca vocatur interdum fornax ferrea Ægypti, ut Deut. 4.

[ *Et spargat illum Moyses* ] uterque tam Aaron quàm Moyses tulit cinerem, solus tamen Moyses sparsit, ut manifestius ostenderetur potestas quam ipse habebat. Portarunt autem manibus usque ad Pharaonem, quia coram eo spargendus erat, & nemo ibi facile ipsis dedisset.

[ *In cœlum* ] ut Pharao videat quòd ista plaga veniat à Deo per ministerium Moysi, & non accidat naturaliter.

[ ℣. 9. *Sitque pulvis super omnem Terram Ægypti:* ] Q. d. volo quòd statim ut cinerem sparseris, per totam terram Ægypti sit pulvis. Venit autem iste pulvis non ex solo illo cinere quem Moyses in aerem jactavit, cum ille non esset tantus ut per totam Ægyptum esse posset, sed divina virtute productus fuit partim ex illo cinere, partim aliunde, & super Ægyptios eorumque animalia decidit instar nivis aut pruinæ copiosissimæ. Neque erat sicut pulvis terræ, sed habebat vim igneam & adustivam à Deo sibi inditam, ita ut ulcera & vesicas causaret. Unde sequitur

[ *Eruntque enim in hominibus & jumentis ulcera, & vesicæ turgentes,* ] quidam opinantur quòd vesicæ turgentes præcederent, & cum resolverentur, desinerent in ulcera, ut Abulensis: Alii quòd ulcera antecedentia causarent vesicas seu tumores & inflammationes, quia ex Hebræo verti potest, ulcus germinans inflammationes. Sed nihil obstat quominus tum in diversis sive hominibus sive jumentis, tum in iisdem secundùm diversas corporis partes, utroque modo fieret. Quàm *Sexta plaga fuit ulcerum.*
gravis verò fuerit hæc plaga ulcerum, quæ inter Ægyptiacas sexta recensetur, discere possumus partim ex iis quæ hic sequuntur, *Nec poterant malefici stare coram Moyse propter ulcera quæ in illis erant*; partim ex Deut. 28. ubi transgressoribus legis tamquam gravissimam pœnam intentat Moyses dicens: *Percutiat te Dominus ulcere Ægypti.* Et Philo lib. 1. de vita Moysi scribit fuisse Ægyptiis quasi unum ulcus à capite usque ad imos pedes, his quæ membratim sparsa erant, continua serpigine in unum coeuntibus.

[ *In universa Terra Ægypti.* ] Ubi erant Ægyptii, adeò ut & illi qui fortasse domi conclusos se continebant, ab hac plaga non essent immunes.

[ ℣. 11. *Nec poterant malefici stare coram Moyse* ] Hinc videtur quòd Magi licèt victi fuerint; in primis dum virga Aaron devoravit virgas eorum; deinde cum ne secundùm apparentiam quidem potuerunt educere sciniphes: non desierunt tamen assistere Pharaoni, eumque quibus potuerunt modis contra Moysen adjuvare.

[ ℣. 12. *Induravitque Dominus cor Pharaonis,* ] non quòd positivè cordis duritiem in eo causaverit, sed quatenus ea prodigia coram eo fecit, ex quibus prava ejus voluntas seipsam in malo obfirmavit, neque illam obfirmationem impedivit Deus, permisit.

Moraliter per ulcera, cum ea causari soleant ex humorum peccantium abundantia, designari possunt pravæ cogitationes, quæ ad exteriora facinora inclinant; & per vesicas turgentes corda superborum inflata.

[ ℣. 14. *Quia in hac vice mittam omnes plagas meas* ] non intelligitur quòd in hac vice, idest, nunc quando proxima plaga infligetur, omnes aliæ sint simul infligendæ; constat enim quatuor subsequentes plagas sigillatim & successivè immissas fuisse. Nec etiam intelligitur in hac vice, idest, sola hac admonitione interposita; nam & ante plagam grandinis, de illa fuit Pharao præmonitus. Sed sensus est, nisi populum meum dimittas, deinceps non cessabo te affligere, sed mittam omnes plagas meas: donec te cum populo tuo disperdam. Quod tamen non de omnibus plagis quas Deus immittere posset, accipiendum est; cum potentia ejus utpote infinita, nec exhauriri possit, nec ad determinatas plagas limitari; sed sermo est de omnibus plagis quas Deus statuerat mittere in Pharaonem.

[ *Super cor tuum,* ] hoc ideo additur, quia plagæ immittendæ, quamvis essent corporales, maximè erant animum Pharaonis afflicturæ mœstitia & anxietate.

[ *Et super servos tuos,* ] Qui in domo tua tibi assistunt & ministrant.

[ *Et super populum tuum:* ] Qui in cunctis regni tui locis moratur.

[ *Ut scias* ] ut experimento cognoscas

[ *Quòd non sit similis mei in omni terra.* ] Qui tam varias tamque graves plagas possit immittere.

[ ℣. 15. *Nunc enim extendens manum* ] seu potentiam meam. Metaphoricus sermo est de Deo perinde ac si esset vir pugnator.

[ *Percutiam te & populum tuum peste,* ] per pestem *Pestis hic generaliter sumitur pro quavis plaga mortifera.*
non intelligitur hìc morbus ille contagiosus, qui pestis nomine solet designari, cum de illa nihil in sequentibus legatur: sed ponitur pro quavis plaga & percussione mortifera. Unde 70. nihil de peste dicentes, tantum habent percutiam te, & populum tuum morti tradam. Ita generaliter usurpatur vocabulum pestis Psalm. 77. ubi Hebræa dicunt, *Jumenta eorum peste conclusit,* pro quo nos habemus, *in morte.* Et Osee 13. *Ero mors tua ò mors;* Hebraicè, *ero pestis tua, ò mors.* Itaque pestis generatim sumitur, quando nefarii quidam homines dicuntur esse pestes, idest, corruptiones & excidia reipublicæ; & compotationes, studiosorum pestes.

[ ℣. 16. *Idcirco autem posui te,* ] 70. habent, conservatus es, aut servavi te; cujus lectionis etiam meminit B. Thomas in cap. 9. ad Rom. In Hebr. dicitur, *stare feci te;* sive, ut ad Rom. 9. legimus, *excitavi te.* Sensus autem est, Idcirco seu ad eum finem te excitavi ad regnum, regemque posui: & quamvis dignus esses

mori propter mala quæ feceras, in vita tamen atque etiam in regno servavi.

[ *Ut ostendam in te* ] seu circa te,

[ *Fortitudinem* ] idest, potentiam

[ *Meam*, ] multa stupenda & horrenda signa operando. Nequaquam ergo hìc significatur id quod volunt Calvinistæ, Deum eo consilio excitasse Pharaonem, tum ad vitam, tum ad regnum, ut eum ad inobedientiam & ad injustam Hebræorum oppressionem inclitaret, ac tamdem ut ipsum puniendo, potentiam justitiamque suam manifestaret; Deus enim ut Psalm. 5. dicitur, *non est Deus volens iniquitatem:* sed ut Pharaonis duritiem quam prævidebat, & quam permissurus erat, castigando, suam potentiam notam faceret.

[ *Et narretur nomen meum in omni terra.* ] Ubique divulgetur ac celebretur Deus, qui etiam reges ita novit percutere & punire.

[ ℣. 17. *Adhuc retines populum meum:* ] Ex Hebr. alii vertunt, adhuc calcas: alii, adhuc te elevas in populum meum: 70. Adhuc tu insultas populo meo? q. d. Cum tot tantisque plagis te hactenus percusserim, adhucne populum meum tibi violentè subjicia, & sic superbia elevaris ut eum retineas, nec dimittere velis?

[ ℣. 18. *En pluam cras hac ipsa hora grandinem multam nimis*, ] hoc est, plurimam. Ad majorem certitudinem est, quòd non tantùm dies, sed etiam hora præfigitur.

[ *Qualis non fuit in Ægypto*, ] Sunt qui dicant in Ægypto neque pluere neque grandinem unquam decidere, quod & ex Deut. 11. colligi videtur, ubi terra Chanaan dicitur non esse similis terræ Ægypti, sed expectare pluviam de cœlo. Verùm ex præsenti loco oppositum colligi potest: quorsum enim diceretur tantam grandinem casuram qualis antea non fuit in Ægypto, si nulla umquam in Ægypto fuisset? Pro conciliatione dicendum, in Ægypto non cadere pluvias sicut in aliis terris, frequentes nimirum & copiosas quæ ad terram irrigandam & ad fructus terræ producendos sufficiant; aliquas tamen in quibusdam Ægypti partibus sed raras ac subtiles decidere. Scribit namque Philo gente ac professione Judæus, at patria Ægyptius & quidem Alexandrinus, quòd Ægyptus circa brumam irroratur parvis rarisque pluviis, dumtaxat in locis maritimis; supra Memphim autem regiam nullas omnino sentit.

*In Ægypto sunt pluviæ, sed raræ.*

[ *A die qua fundata est*, ] hoc est, à tempore quo cepit inhabitari. Nam postea v. 24. ubi hujus prædictionis executio describitur, dicitur quòd tantæ magnitudinis fuit grando, quanta ante numquam apparuit in universa terra Ægypti, ex quo gens illa condita est: Id quod fuit post diluvium quando Mesraim cœpit terram Ægypti inhabitare, ut diximus ad cap. 10. Genes. statim scilicet post dispersionem gentium factam in Babel, Gen. 11.

[ *Usque in præsens tempus*. ] Addit hoc Moyses, ut narrationi ejus contrarium nemo existimet, si post ejus tempora majorem contingeret grandinem decidere, sicut fuit ea de qua Conimbricenses tract. 7. de meteoris cap. 6. scribunt Isidorum referre cecidisse aliquando grandines non minores humano capite. Quales etiam fuerunt magni lapides grandinis, Josue 10. & erunt illi de quibus Apoc. 16. significatur quòd in fine mundi descendet grando magna sicut talentum; talentum enim mille quingentas uncias continet.

[ ℣. 19. *Mitte ergo jam nunc, & congrega jumenta tua, & omnia quæ habes in agro:* ] Quanta Dei bonitas, qui hostem maximè obstinatum frequenterque inobedientem adhuc punire volens iram suam clementia temperat, monetque ac consulit qualiter pœnam imminentem possit evadere. Hoc autem consilium non soli Pharaoni datum esse, sed reliquis quoque Ægyptiis qui audire potuerunt, ex seqq. patet.

[ ℣. 20. *Qui timuit verbum Domini de servis Pharaonis, fecit confugere servos suos & jumenta in domos:* ] Ut ibi tuta manerent.

[ ℣. 21. *Qui autem neglexit sermonem Domini*, ] neque illi fidem adhibens, neque pœnam comminatam metuens.

[ *Dimisit servos suos & jumenta in agris*. ] Tamquam nihil damni essent illic passuri.

[ ℣. 22. *Et dixit Dominus ad Moysen: Extende manum tuam in cælum, ut fiat grando* ] Non quòd illa manus extensio aliquid physicè operaretur, sed ut esset signum quòd mandante Moyse, ad voluntatem Dei grando descenderet.

[ ℣. 23. *Extenditque Moyses virgam* ] 70. hic sicut versu præcedente habent manum: sed intellige manum qua virgam tenebat.

[ *Et Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura* ] scilicet per Angelorum ministeria. Postulat enim suavis divinæ providentiæ ordo, ut quæ vim creaturæ non superant, per administratorios spiritus ea faciat, nisi necessitas aut peculiaris utilitas aliud requirat, quæ hìc non apparet aliud requisivisse. Pro tonitrua, 70. & alii ex Hebr. vertunt voces. Sed B. Augustinus notat scripturam voces solere appellare tonitrua. Ad fulgura additur epithetum, discurrentia, quemadmodum etiam Naum 2. propter agilitatem & celeritatem ignis qui in illis maximè dominatur. Unde in Hebr. sicut & apud Septuaginta hìc legitur ignis, loco fulgurum.

[ *Pluitque Dominus grandinem super Terram Ægypti*. ] Hoc est, lapides grandinis ita descendebant sicut pluvia solet defluere.

[ ℣. 24. *Et grando & ignis mista pariter ferebantur:* ] 70. dicunt, erat autem grando & ignis flagrans in grandine. Erat ergo illud mirabile, quòd grando ignem non extingueret aut vim ejus minueret, neque ignis grandinem liquefaceret, sed ut Sap. 16. dicitur, *In aqua quæ omnia extinguit, plus ignis valebat, & in aqua supra virtutem ignis exardescebat. Nix autem & glacies sustinebant vim ignis; & non tabescebant.*

*Septima plaga grandinis.*

[ ℣. 25. *Et percussit grando in omni Terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine usque ad jumentum:* ] Inclusivè scilicet, hoc est, & homines & jumenta, reliquaque animalia quæ in agris erant occidit, secundùm quod v. 19. fuerat prædictum. Unde sequitur sermonem hìc esse de percussione usque ad mortem, sive de interfectione, sicut & cap. 12. *Percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.*

[ *Cunctamque herbam agri percussit* ] Seu destruxit

[ *Grando*, ] Herbam intellige eam quæ perfectè orta erat: Nam tenuia germina servata sunt locustæ.

[ *Et omne lignum regionis confregit*. ] Per lignum, phrasi scripturæ usitata intelliguntur arbores; per herbam autem, quidquid graminum, frugum, ac segetum virens erat ac floridum, vel perfectè maturum; atque hæc est septima plaga Ægypti, & respondet afflictioni qua Pharao coegit Hebræos colligere paleas per omnem terram Ægypti ad numerum laterum implendum, cap. 5.

Allegoricè, quemadmodum occisi fuerunt homines & jumenta non congregata in domos; ita pereunt omnes qui non sunt in Ecclesia. Per grandines autem, tonitrua, & fulgura partim significantur ea quæ ante finem mundi evenient Matth. 24. & Lucæ 21. partim adumbrantur pœnæ inferni.

[ ℣. 26. *Tantùm in Terra Gessen, ubi erant filii Israel, grando non cecidit*. ] Non quòd per totam terram Gessen nulla fuerit grando (sic enim impuniti evasissent Ægyptii qui illic habitabant, cum tamen non sit verisimile ipsos in Israelitas fuisse æquiores, quàm eos qui longius ab illis habitabant:) sed quia ibi non cecidit ubi erant filii Israel eorumvè jumenta: neque Hebræorum fruges, segetes, aut herbæ quidquam damni passæ fuerint, Deo etiam in hac plaga mirabilem divisionem Hebræorum ab Ægyptiis faciente.

*Ob.*

At dices, Hebræi non erant ultra collecturi segetes in Ægypto, nec ibi agros possessuri, cum brevi essent inde exituri: nihil ergo attinebat segetes & agros Hebræorum servare. Resp. neg. C. Ideo enim conveniebat illa servari, tum ne Ægyptii gauderent videntes plagam istam, aliqua ex parte communem esse Hebræis; tum ne Hebræi nimium affligerentur, putarentque Deum sibi esse adversum.

*Resp.*

[ ℣. 27. *Misitque Pharao, & vocavit Moysen & Aaron*, ] si quæras, quomodo servi Pharaonis potuerint pervenire ad Moysen inter tot grandines & tonitrua quæ interficiebant omnes qui erant in agris. Resp. divina providentia factum esse, ut quoniam ibant pro petenda misericordia, illæsi servarentur.

[ *Pec-*

Illa peccati agnitio fuit ſine pœnitentia.

[*Peccavi etiam nunc:*] Agnoſcit ſe tum antea tum etiam nunc peccaſſe, non acquieſcendo illis quæ Moyſes ex parte Dei propoſuerat: non quòd doleret de peccato propter offenſam Dei, ſed quia timebat vel totam Ægyptum tonitruis & fulminibus perituram, vel graviores adhuc pœnas ſibi infligendas.

[*Dominus juſtus: ego & populus meus, impii.*] Quia ego malum feci; populus autem meus conſentit, vel etiam ad illud inſtigat. Primus hic locus in quo ſe peccaſſe dicit Pharao, & juſtè punitum. Ex quo proinde licet æſtimare grandinum, fulgurum, & tonitruorum vim, quæ Pharaonem hucuſque induratum aliquo modo emollierint ac mitigarint.

[℣. 28. *Orate Dominum ut deſinant tonitrua Dei:*] id eſt, vehementiſſima, & à Deo immiſſa

[*Ut dimittam vos,*] Pro, *ut*, in Hebr. & 70. legitur, *&*

[*Et nequaquam hic ultrà maneatis.*] Q.d. Orate Deum ut & hanc plagam totaliter ceſſare faciat, & tunc ſinam vos ire in ſolitudinem ad ſacrificandum, ſicut petieratis, & nequaquam vos detinebo, ne quidem ad tempus modicum.

Geſtus orantis.

[℣. 29. *Ait Moyſes: Cum egreſſus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum,*] ille geſtus orantis, ut etiam ex c.17. ac inſuper ex 1. ad Tim. 2. & aliunde patet. Volebat autem Moyſes urbem Regiam egredi ad orandum; ſive quia ſecretiorem locum habebat in quo familiarius ei Deus loquebatur; ſive quia urbem impiam non cenſebat eſſe locum tali orationi convenientem.

[*Et ceſſabunt tonitrua, & grando non erit:*] Promittebat Moyſes effectum ſoli Deo proprium, neque tamen erat temerarius; quia ſciebat Deum ei commiſiſſe totum iſtud negotium, ita ut & promittere & facere poſſet circa Pharaonem quæ vellet.

[*Ut ſcias quia Domini eſt terra:*] Quæ propterea ſic ad Dei voluntatem reſpondet, ut quidquid ipſe voluerit de illa faciat, ac per conſequens ceſſationem tonitruorum & grandinum non naturæ vel caſui aſcribas, ſed divinæ potentiæ.

[℣. 30. *Novi autem, quòd & tu, & ſervi tui, necdum timeatis Dominum Deum.*] Timore in primis filiali, quo Deum offendere metuerent ex amore & reverentia, ſicut filius patrem ſuum offendere metuit: Deinde, nec timore ſervili, qui metu pœnarum efficaciter illos permoveret ad obſequendum divinæ voluntati: Alioquin quòd cum plagæ durarent, aliqualiter Deum timuerint; ex eo quod poſtulaverint preces ad Deum haud difficulter colligi poteſt.

[℣. 31. *Linum ergo & hordeum læſum eſt, eò quòd hordeum eſſet virens,*] ſeu viride, ut alii ex Heb. vertunt. 70. habent, ad vigorem venerat.

[*Et linum jam folliculos germinaret:*] Alii Hebr. calamum reddunt, eodem ſenſu: Nam folliculus cum variè uſurpetur, hic ſumitur pro theca ſeu extrema parte calami erumpentis, qua ſemen lini tegitur involutum. Significatur ergo quòd linum & hordeum læſa fuerint per plagam grandinis, quia jam perfectè orta fuerant; plaga autem illa percuſſit omnia quæ perfectè orta erant, ſive eſſent virentia aut florida, ſive ad maturitatem perducta, ita ut nihil in Ægypto reliquerit virens aut floridum.

[℣. 32. *Triticum autem & far non ſunt læſa,*] pro fare alii ſpeltam legunt, alii Zeam intelligunt.

[*Quia ſerotina erant.*] Heb. quia caliginoſa ſeu obſcura: hoc eſt, quia necdum apparebant, ſed adhuc latebant in tenui gramine. Sub his autem duobus comprehenduntur omnia quæ ſerius matureſcunt.

[℣. 33. *Nec ultrà ſtillavit pluvia*] Hebræa quoque & Græca pluviam exprimunt: intelligitur autem pluvia quæ cum grandine ceciderat durante illa plaga: Simul enim cum grandine decidiſſe pluviam, tum hinc, tum ex ſeq. verſu liquet.

[℣. 34. *Videns autem Pharao quòd ceſſaſſet pluvia, & grando, & tonitrua, auxit peccatum:*] Nolendo etiam nunc dimittere populum Hebræum, ſicut promiſerat.

[℣. 35. *Et ingravatum eſt cor ejus, & ſervorum illius,*] in Heb. & aggravavit cor ſuum ipſe & ſervi ejus: unde patet quòd illi ſeipſos induraverunt; quòdque cum dicitur, ingravatum eſt cor Pharaonis, intelligendum ſit eſſe ingravatum ab ipſo.

[*Sicut præceperat Dominus per manum Moyſi,*] Manus, cum ſit organum organorum, & in genere inſtrumentorum executivorum teneat principatum, aliquando ponitur pro aliis inſtrumentis, ac ſpecialiter pro verbo vel ſermone: Unde 2. Reg. 14. *Numquid manus Joab tecum eſt?* Dici quoque poteſt illud, *per manum Moyſi*, valere idem quod per miniſterium Moyſi, ſeu per Moyſen.

## CAPUT XI.

*Octava plaga quæ eſt locuſtarum; & nona, quæ eſt tenebrarum immittitur: quibus Pharao mollitus dimittit Hebræos. Sed Moyſe urgente omnium, etiam pecorum dimiſſionem, Pharao rurſum ſe indurat, Moyſique minatur.*

[℣. 1. *Ingredere ad Pharaonem:*] Ne Moyſes tædio affectus deſperare poſſet de Iſraelitarum liberatione, videns quòd tot plagarum inflictione nihil proficeret; Deus iterum ei loquitur, & prænuncians quid ſit futurum, ad Pharaonem eum denuò mittit.

[*Ego enim induravi cor ejus,*] non quòd duritiem cordis immiſerit, aut dederit ei Deus, qui peccati author eſſe non poteſt; ſed partim quia permiſit, ut Pharaonis voluntas magis ac magis ſe in malo obfirmaret; partim quia ejuſmodi circa illum operari non deſtitit, ex quibus, tametſi revera bonis, prævidebat ipſum magis ſe induraturum.

[*Ut faciam ſigna mea hæc*] quæ deinceps facturus ſum.

[*In eo,*] Seu, circa eum. Vocula, *ut*, rectè intelligitur denotare habitudinem cauſæ finalis, quemadmodum explicat Leonardus Marius; ita nimirum ut Deus eo fine & ea intentione permiſerit Pharaonem indurari, ut ipſe plura circa illum ſigna faceret, & gloriam ſuam magis manifeſtaret. Cum enim Deus non permittat peccata, niſi propter aliquem bonum finem; manifeſtatio divinæ gloriæ eſt cauſa finalis, propter quam ipſe permittit hominum indurationes & peccata.

[℣. 2. *Et narres in auribus filii tui, & nepotum tuorum:*] Signis & miraculis ſuis Deus non eos tantùm docere vult qui illo tempore & loco præſentes ſunt, quando & ubi fiunt, ſed etiam poſteros & abſentes. Unde quemadmodum hic Moyſi tamquam Hebræorum duci; ita omnium quoque temporum Principibus, præſertim Eccleſiaſticis ea cura demandata cenſeri debet, ut ſui temporis beneficia & prodigia extraordinaria, poſterorum memoriæ tranſmittere ſatagant. — Dei mirabilia ſunt a ſuis narranda.

[*Quoties contriverim Ægyptios,*] Verbum Hebræum non ſignificat qualemcumque contritionem, ſed eam quæ jocosè ſeu illuſoriè fit. Unde 70. dicunt, *quæcumque illuſi Ægyptiis:* quibus conſentit Cajetanus, & revera ſic Deus Ægyptios hucuſque afflixit & vaſtavit, ut ad ſimilitudinem illudentis ſe habuiſſe videri poſſit, dum non maximas, ſicut poterat, plagas immiſit, dumque modò plagas inflixit, & ſtatim eas abſtulit, rurſumque novas immiſit, quas etiam citò amovit.

[*Et ſciatis quia ego Dominus.*] Non ſolùm Ægyptii, ſed & vos Hebræi per ſignorum multiplicitatem & evidentiam cognoſcatis quòd ego ſum Dominus, non reſtrictè unius & alterius populi, ſed abſolutè omnium, utpotè habens omnipotentiam, ſicut ſigna demonſtrant. Neque refert quòd Hebræi per fidem id noſſent; ſemper enim Hebræi fuerunt duri, non facilè abſque ſigno credentes. Unde ad Chriſtum Matth. 12. dicebant. *Magiſter volumus à te ſignum videre:* & cap. 16. *rogaverunt eum ut ſignum de cœlo oſtenderet eis*, & alibi ſæpè: adeò ut Chriſtus Joan. 4. ipſis dixerit, *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis:* Et Apoſtolus 1. ad Corinth. 1. *Judæi ſigna quærunt.*

[℣. 3. *Introierunt ergo Moyſes & Aaron ad Pharaonem, & dixerunt ei:*] Mandavit Deus Moyſi primis verbis hujus cap. ut ad Pharaonem intraret; ibi tamen non legitur mandaſſe quid ipſi diceret: Sed quoniam c. 4. promiſerat Deus Moyſi dicens: *Ego ero in ore tuo & in ore illius*, ſcilicet Aaronis: & quoniam ſtatim ſequitur,

[*Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum:*] Dubitare non debemus quin Deus mandaverit ea loqui, quæ dixe-

dixerunt ad Pharaonem: dixerunt autem, non quasi ambo simul loquerentur, sed quia Moyses Aaroni dicebat quid & quomodo loqui deberet; Aaron autem illa ipsa eloquebatur, secundùm ea quæ habentur cap. 7.

[ *Usqueque non vis subjici mihi?* ] Mira Dei erga homines benignitas, qui quos etiam invitos potest subjicere, suaviter increpando invitat, ut sponte faciant id quod ab eis requirit.

[ *Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi.* ] Non est sensus, permitte ut mihi sacrificet; Id enim concesserat Pharao, dicens cap. 8. *Sacrificate Deo vestro in terra hac:* Sed, dimitte ut eat in solitudinem ad mihi sacrificandum.

[ ℣.4. *Sin autem resistis,* ] si adhuc pergis populum Hebræum retinere.

[ *Ecce ego inducam cras locustam* ] Seu locustarum multitudinem. Dicendo *cras*, concedit tempus deliberandi ad majorem suæ benignitatis declarationem.

[ *In fines tuos:* ] Idest, intra terminos terræ Ægypti.

[ ℣. 5. *Quæ operiat superficiem terræ, ne quidquam ejus appareat,* ] significatur quòd tot ac tantæ erunt locustæ, ut ipsam terram Ægypti, seu ejus superficiem operiant, vel totam simpliciter, vel quasi totam; ita ut vix quidquam illius videri possit non coopertum locustis.

[ *Sed comedatur quod residuum fuerit grandini.* ] Hoc est, quæ consumpta non fuerunt à grandine, fulgure, & tonitruo; ista enim omnia comprehenduntur sub plaga grandinis: Imò & verisimile est sub eadem comprehendi pruinam & ignem, de quibus Psalm. 77. dicitur quòd *occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina; & quod tradidit grandini jumenta eorum, & possessionem eorum igni.* Sicut in plaga locustæ comprehenditur bruchus & ærugo, de quibus eodem Psalm. dicitur. *Dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locustæ:* & Psalm. 104. *Dixit, & venit locusta & bruchus, cujus non erat numerus.*

[ *Corrodet enim omnia ligna quæ germinant in agris.* ] Sub lignis intelliguntur arbores, frutices, herbæ, & quæcumque fructum ferunt aut virorem: & sub agris, horti quoque comprehenduntur, ut verificari possit quod postea versu 15. dicitur, nihil omnino virens relictum esse in lignis & in herbis terræ in cuncta Ægypto.

Locustarum plaga quàm noxia. [ ℣. 6. *Et implebunt domos tuas, &c.* ] Prædicitur quòd locustæ in magna copia futuræ essent in domibus Pharaonis & aliorum Ægyptiorum, irruentes scilicet in eorum lectos, cibos, vultus, eosque mordentes, & omnia fœdantes, ut etiam ab ipsis progredientibus conculcatæ in saniem verterentur, & horridæ valde essent, ait Abulensis. Quæ satis sunt consentanea iis quæ Sap. 16. de Ægyptiis dicuntur, *Illos locustarum & muscarum occiderunt morsus, & non est inventa sanitas animæ illorum.* De locustarum natura magnitudine, & nocumentis differit Plinius lib. 11. cap. 29. & aliqua etiam habet lib. 8. cap. 29. Narrat quoque Surius ad ann. 1541. maximam locustarum copiam in regionibus Poloniæ regno finitimis ingentia damna dedisse.

[ *Quantam non viderunt patres tui, & avi ex quo orti sunt super terram* ] Refertur hoc ad præcedens, inducam cras locustam. Et quamvis exprimantur solùm patres & avi, etiam de reliquis prædecessoribus intelligendum est: significatur enim quòd ex eo tempore quo fundata seu habitata est Ægyptus, non fuerit illic tam numerosa multitudo locustarum.

[ *Avertitque se, & egressus est à Pharaone.* ] Scilicet Moyses, satis ex vultu, gestu aliisque indiciis advertens Pharaonem manere obstinatum, nec velle populum Hebræum dimittere. Sermo autem est de Moyse singulariter tamquam de principali; & quo nominato, Aaron per quamdam consequentiam sit intelligendus.

[ ℣. 7. *Dixerunt autem servi Pharaonis ad eum:* ] Calamitatum & gravissimarum plagarum pertæsi, quas jam frequenter patiebantur, propterea quòd Hebræi non dimitterentur ad petitionem Moysi.

[ *Usquequo patiemur hoc scandalum:* ] Quasi dicerent, usquequo vis quòd tanta mala patiamur, tantisque calamitatibus illaqueemur, quantas hucusque sumus experti. Pro scandalo quidam laqueum vertunt. Sive autem hoc sive alio modo dicatur; scandalum vel laqueus hic sumitur pro gravi ruina vel calamitate, in quam velut in laqueum ab insidiatore paratum aliquis labitur.

[ *Nonne vides quòd perierit Ægyptus?* ] Ob id nimirum quòd Hebræos non dimittis. Periisse intelligunt, quia per plagas præcedentes plurimum erat vastata. Ex Hebræo sic etiam verti potest, num ante scies quòd periit Ægyptus. q. d. Visne experiri quòd tota Ægyptus funditus pereat, prius quam illos dimittas?

[ ℣. 8. *Revocaveruntque Moysen & Aaron ad Pharaonem:* ] Servi nimirum Pharaonis, vel id jubentis, vel saltem consentientis.

[ *Qui dixit eis: Ite, sacrificate Domino Deo vestro: quinam sunt qui ituri sunt?* ] Nec enim omnes abire debetis, sed illi tantùm qui necessarii sunt ad sacrificium Deo vestro offerendum.

[ ℣.9. *Ait Moyses: Cum parvulis nostris & senioribus pergemus, cum filiis & filiabus, cum ovibus & armentis:* ] Per oves designantur omnia minora animalia, quæ communi nomine vocantur greges, ut sunt oves & capræ: per armenta, majora animalia, ut boves & vaccæ. Causa autem, quare ista omnia ire deberent, ita subditur:

[ *Est enim solemnitas Domini Dei nostri.* ] Idest magnum & solemne festum est quod Deo nostro celebrare debemus, ideoque omnes oportet illi interesse, quia omnium ipse est Deus, omnesque ipsi debent & quod sunt & quod habent. Offerri quoque debent in sacrificium diversa animalia, & non constat nobis quæ & quot illa sint. Solemnitas quam Moyses intelligit, non est ea quam celebraturi fuissent Hebræi post iter trium dierum, si Pharao Hebræos dimisisset, sicut cap. 5. fuit requisitus; sed illa quam in Sina celebrarunt in confirmatione legis, dedicatione tabernaculi & consecratione sacerdotum, quando multas eos victimas obtulisse patet ex hujus lib. cap. 24. & 29. atque ex Levit. 8. & 9. Neque est quòd Moysen falsitatis argui posse aliquis contendat: quoniam etsi non omnia Pharaoni aperiat, nihil tamen contra veritatem est locutus; tacere autem verum, ubi nulla est obligatio illud manifestandi, non ad mendacium spectat, sed ad prudentiam. Hinc fideles sumere possunt exemplum suos parvulos ducendi ad Ecclesiam, & à teneris annis ipsos instruendi in iis quæ sunt divini cultus: pecora quoque sua, idest, appetitus & passiones peculiares, saltem in solemnitatibus, occidendi, mentem ab eis avertendo, ac de illis pœnitentiam agendo. Moralia.

[ ℣. 10. *Et respondit Pharao: Sic Dominus sit vobiscum, quomodo ego dimittam vos, & parvulos vestros.* ] Ex Hebr. sic alii vertunt: sit ita Dominus vobiscum, sicut dimittam vos. q. d. eo modo sit Deus vobiscum, quo ego vos dimittam; ego autem vos non dimittam, itaque nec Deus sit vobiscum.

[ *Cui dubium est quod pessimè cogitetis?* ] Quandoquidem vultis ire cum parvulis & senioribus, & uxoribus, ita ut nullus de vobis maneat; necnon cum gregibus & armentis: nemini dubium esse potest, quin pessimè cogitetis, totaliter scilicet Ægyptum deserere: quam desertionem Pharao reputabat pessimam, quia toti suo regno maximè noxiam.

[ ℣. 11. *Non fiet ita,* ] quòd nimirum omnes eatis cum ovibus & armentis.

[ *Sed ite tantùm viri, & sacrificate Domino:* ] Volebat uxores & liberos manere tamquam obsides.

[ *Hoc enim & ipsi petistis.* ] Nusquam Moyses aut Aaron petierat ut soli viri irent, sed generaliter, ut populus Hebræus; sub populo autem & mulieres continentur & parvuli qui vehiculis ire poterant. At Pharaonem mentiri non pudet, qui timorem Dei à se excluserat, nec ullius reprehensionem metuebat.

[ *Statimque ejecti sunt de conspectu Pharaonis.* ] Ipso nimirum sic jubente. Si quæras, quomodo non juberet eos interfici, videns tot & tam graves plagas per eos sibi evenire: Resp. divinæ providentiæ hoc esse ascribendum, juxta illud cap. 7. *Constitui te Deum Pharaonis.*

[ ℣. 12. *Dixit autem Dominus ad Moysen: Extende manum tuam super terram Ægypti* ] ista extensio manus non erat effectiva, sed tantùm significativa, Quæ extensio manus ad locustam.

ad

ad significandum scilicet quòd plaga mox eventura, non eveniret naturaliter, sed Deo illam ad voluntatem Moysi immittente.

[ *Ad locustam*, idest, quasi vocans locustam. Extendere enim manum ad alterum solet esse signum vocandi eum, si fiat cum aliqua ejusdem manus incurvatione erga se, aut cum alio simili signo. Videtur autem hic esse quædam prosopopeja seu personæ fictio: Ita quippe jubetur Moyses extendere manum ad locustam, quasi advocaturus esset aliquam personam.

[ *Ut ascendat super eam*, ] Utitur verbo ascendendi; sive quia ingens locustarum multitudo ex vicinis Arabiæ & Æthiopiæ locis collecta, ac extraordinariè de limosa terra divinitus producta, in Ægyptum erat advolatura, sive quia subitò adventura erat tamquam milita & exercitus Dei; frequenter enim scriptura utitur verbo ascendendi in expeditionibus militaribus.

[ ℣. 13. *Et extendit Moyses virgam* ] mandatum fuit quòd extenderet manum; sed intelligebatur manus gestans eam virgam, per quam Deus signa faciebat.

[ *Et Dominus induxit ventum urentem* ] in Hebr. ventum Orientalem: apud 70. ventum Austrum. Quæ conciliari possunt, dicendo ventum illum fuisse medium inter Orientem & Meridiem; atque ita partim fuisse Orientalem, partim Australem; & nunc ab uno extremo, nunc ab altero nominari. Qui quoniam erat caloris vehementissimi, propterea dicitur ventus urens. Et hoc vento uti voluit Deus, ut ejus calore foveretur tum aer humidus, tum terra limosa unde locustas mirabiliter producturus erat.

[ *Tota die illa & nocte:* ] Postquam Moyses virgam manumque extenderat.

[ *Et mane facto, ventus urens* ] similiter ut prius, Hebræa ventum Orientalem hic habent, & 70. austrum.

[ *Levavit locustas.* ] Faciendo eas subitò advolare super universam terram Ægypti.

[ ℣. 14. *Et sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum* ] hoc est, intra terminos totius Ægypti, ut vastarent quidquid possent invenire.

[ *Innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant: nec postea futuræ sunt.* ] Quod posterius non nisi
Octava Ægypti plaga. ex spiritu prophetico scire potuit Moyses. Cum dicit, quales; maximè ad quantitatem discretam respicit, ut ex præcedenti voce, *innumerabiles*, datur intelligi: nihil tamen vetat ipsum etiam respicere ad corpulentam substantiam, & ad voracitatem, aliasque qualitates.

Dices, Joel. 1. Cum de eruca, locusta, brucho, & rubigine prophetatur; dicitur nihil tale fuisse in diebus patrum ipsorum: ergo non benè hic dici videtur de locustis, quòd tales non sint postea futuræ. Resp. Neg. C. quia apud Joelem non est sermo de veris locustis, sed per eas allegoricè significantur gentes Judæorum inimicæ, nimirum Chaldæi, qui diversis vicibus erant Judæam vastaturi, unde statim ibi sequitur: *Gens enim ascendit super terram meam fortis & innumerabilis* &c. Et postea, *quasi vastitas à potente veniet.* Ideo autem Joel quatuor plagas recenset, quia Chaldæi erant Judæam quater vastaturi, scilicet sub Joacim, Joacin, & Sedecia: ac denique quando templum fuit succensum.

[ ℣. 15. *Devorata est igitur* ] hoc est, consumpta, fracta, & dissipata,

[ *Herba terræ*, ] per herbam intelligitur omne virens, quod non est arbor, neque ex arbore.

[ *Et quidquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat:* ] Pomum hic genericè sumitur pro omni fructu arborum, sive essent mollis sive duri corticis; & sive essent flores & gemmæ arborum, sive fructus magis ad maturitatem propinqui, vel etiam maturi. Nam in Hebr. sicut & in 70. pro quidquid pomorum, legitur, *omnem fructum arboris*. Hæc est Ægypti plaga octava optimè respondens illi duræ afflictioni qua Ægyptii ad amaritudinem perducebant vitam Hebræorum,
Moralia. supra cap. 1. B. Gregorius lib. 31. Moral. cap. 20. sic ad mores transfert hanc plagam, ut per locustas, adulantium linguas intelligat quæ omnem virtutum vigorem corrumpunt, dum ad appetendas laudes transitorias animum operantis inclinant: herbam comedunt, quando verba loquentium favoribus extollunt: Poma arborum devorant, quando vanis laudibus quorumdam jam quasi fortium opera enervant. Huc pertinere potest quod Apoc. 9. facies locustarum describuntur tamquam facies hominum, diciturque quòd habebant caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis earum: est enim hoc adulationi proprium, ut sub blandis verbis & vultibus venenum tegant, & tunc maximè lædant, cum minimè læsuros se fingunt, sicut Joab fecit Amasæ 2. Reg. 20.

Possunt præterea per locustas hæretici intelligi qui per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentum ad Rom. 16.

[ ℣. 16. *Quam ob rem festinus Pharao vocavit Moysen & Aaron*, ] Festinationis causa erat, quòd Pharao videret dissipari triticum & far, & cætera in quibus erat spes sequenti anno vivendi, metueretque sui populi fame cruciandi rebellionem. Intelligere hinc licet homines ad auxilium divinum festinare, quando plagis gravibus afficiuntur. *Cum occideret eos, quærebant eum, & diluculo veniebant ad eum*, Psalm. 77. & Oseæ 6. *In tribulatione sua mane consurgent ad me*. Mane, hoc est, citissimè & diligentissimè. Ea siquidem est vis tribulationis, ut quodammodo compellat homines etiam invitos ad opem Dei confugere, ut à pœna liberentur. Major enim in illis frequenter est pœnæ timor, quàm culpæ. Cujus indicium est, quòd sublata pœna, citò ad culpam redeunt, sicut patet in Pharaone.

[ *Et dixit eis: Peccavi in Dominum Deum vestrum, & in vos.* ] Non dicit, in Deum absolutè, vel in Deum meum, quia non habebat Deum Hebræorum, qui solus est Deus, pro Deo suo, quamvis potentiam ipsius agnosceret, eamque tantam cui non posset resistere. Sequebatur scilicet errorem gentilium illorum qui plures Deos agnoscebant, alios majores, alios minores, tametsi non omnes colerent. Hæc ergo verba non significant veram Pharaonis pœnitentiam aut seriam peccati tamquam divinæ Majestatis offensivi agnitionem, sed talem qualem necessitas & afflictio extorquebat: Dicit autem Pharao se non solùm peccasse in Deum, sed etiam in Moysen & Aaronem: quia ipsorum monitiones contempserat, eosque fefellerat non servando pacta cum eis inita.

[ ℣. 17. *Sed nunc dimitte peccatum mihi* ] 70. habent suscipite. Qua locutione usos fratres Joseph Genes. 50. ubi juxta eosdem 70. dixerunt, *Accipe iniquitatem servorum Dei patris tui*, scribit Aug. in locutionibus super Exod. Sensus autem est, æquo animo accipite, seu nolite ægrè ferre, imò ignoscite mihi peccatum meum.

[ *Et rogate Dominum Deum vestrum, ut auferat à me mortem istam.* ] Non petit rogari ut Deus sibi culpam ignoscat, qui sunt in peccatis indurati, non culpam æstimant, sed pœnam: Per mortem, plagam locustarum intelligit; quam idcirco mortem vocat, tum quòd videns per eas corrodi & corrumpi omnia ex quibus pendebat victus anni sequentis, non aliud judicabat quàm toti Ægypto mortem imminere; tum quòd multis jam tunc mors inferebatur, juxta illud Sap. 16. *Illos locustarum & muscarum occiderunt morsus*.

[ ℣. 18. *Egressusque Moyses de conspectu Pharaonis oravit Dominum.* ] Sciebat Moyses ex iis quæ Deus ad illum dixerat versu 1. Induravi cor ejus, quòd Pharao non dimitteret populum; & tamen Deum orat, partim ut Pharaoni satisfaceret, partim ut Deo signa sua complente, ejus justitia magis eluceret. Ex quo discere possumus non esse nobis ab oratione desistendum, quamvis noverimus illos esse obstinatos pro quibus oramus.

[ ℣. 19. *Qui flare fecit ventum ab Occidente* ] In Hebr. & 70. dicitur ventum maris; sermo autem est de mari quod est Ægypto Occidentale, & est è regione maris rubri.

[ *Et arreptam locustam* ] Arreptam dicit, ad significandum quòd locustæ herbis, arboribus, aliisque rebus insidere volentes, cum violentia raptæ fuerint, & ab Ægypti limitibus evulsæ.

[ *Projecit in mare rubrum:* ] Ita etiam 70. Hebræa autem fixit eam in mare Suph. Fixit, hoc est, acervatim dejecit & mersit. B. Hieronymus epist. 127. ad

Fabiolam Mansione 7. dicit Suph vocari rubrum & scyrpum: quod sic potest accipi, non quasi Suph utrumque significet, sed quia latinè nunc uno, nunc altero modo vertitur. Propriè autem Suph significat scyrpum seu juncum, ita ut mare Suph idem valeat, quod mare juncosum sive junceis abundans.

Cæterum quare istud mare dicatur rubrum, non convenit. Dicendum tamen non sic vocari à colore aquæ. Nam Conimbricenses tract. 8. Meteor. cap. 2. scribunt Joannem Barrium præclarum Indicarum rerum historiographum referre, quòd qui mare illud pervagati sunt, compererunt ejus aquas præ se ferre colorem rubeum; ut autem coloris causam noscerent, aquam è mari hausisse, eamque pellucidam, & omnis ruboris expertem vidisse.

Cur mare rubrum.

Rubrum igitur vocatur ab arenis rubeis quibus illius maris fundus abundat, & quæ faciunt ut ejus aquæ, tametsi non rubræ, rubeum tamen colorem exhibeant. Huic sententiæ præter Conimbricenses consentiunt Plinius lib. 6. cap. 23. & Andreas Masius in cap. 2. Josue.

Non omittimus tamen Curtium, Philostratum, & Solinum prout allegant Conimbricenses, existimare quòd mare rubrum ita sit vocatum ab Erythra rege, qui illic imperavit, & ex suo nomine mare appellavit: Nam Erithra Græcè, Latinè rubrum dicitur. Et hujus opinionis meminit quoque Plinius, & eam sequitur Pererius disp. 8. in cap. 14. Exodi.

[ *Non remansit ne una quidem in cunctis finibus Ægypti.* ] In quo patet Dei potentia, quoniam si ventus quantumcumque vehemens solùm naturaliter locustas abstulisset, saltem aliquæ hic illic remansissent sub fruticibus occultatæ, aut aliter vim venti effugientes.

[ ℣. 20. *Et induravit Dominus cor Pharaonis,* ] quatenus scilicet cor ejus durum non emollivit, sed justo suo judicio reliquit durum.

[ ℣. 21. *Dixit autem Dominus ad Moysen:* ] Postquam locustarum plaga cessavit, ac Pharao Hebræum populum dimittere noluit.

[ *Extende manum tuam in cœlum:* ] Hoc erat ad significandum quòd plaga mox secutura, esset desuper mittenda. Et quamvis sola manus nominetur, probabile tamen est intelligi manum cum virga, seu quæ virgam teneat, sicut versu 12. & 13.

[ *Et sint tenebræ super terram Ægypti, tam densæ, ut palpari queant.* ] Etsi tenebræ, cum sint privatio luminis, non sint palpabiles: tenebræ tamen Ægyptiacæ dicuntur potuisse palpari, quia non fuerunt nuda luminis privatio; sed juxta Abulensem habuerunt aliquid privativum, & aliquid positivum. Privativum, erat radiorum solis ac reliquorum astrorum retractio, ita ut versus Ægyptios ubicumque essent, radios suos non emitterent. Positivum, erat aeris & vaporum supernaturaliter congregatorum condensatio tanta, ut tactum paterentur & palpari possent. At Pererius Philonem & Burgensem secutus, supervacaneum putat miraculum subtractionis radiorum solis & aliorum siderum; cum sola caligo & constipatio aeris, nubiumque condensatio tanta, ut nullo lumine esset penetrabilis, sufficiens causa fuerit illarum tenebrarum; non sint autem miracula sine necessitate multiplicanda. Huc pertinet quod Sap. 17. legimus, *Ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpida flamma illuminare poterant illam noctem horrendam.* Quibus verbis significatur tantam fuisse aeris caliginosi densitatem, ut neque ignis, neque siderum lumen admitteret. Ex quo patet non esse recipiendum quod voluit Cajetanus, dicens Ægyptios fuisse solùm privatos lumine siderum cœlestium, non autem lumine ignis, lucernarum aut facularum.

Cæterum, sive hoc sive illo modo causatæ fuerint tenebræ, necdum apparet quomodo palpari potuerint, cum etsi aer condensatus esset palpabilis, ipsæ tamen tenebræ non idcirco essent palpabiles. Duo sunt modi explicandi. Prior; quo per tenebras non intelligantur illæ significari secundùm se, prout scilicet sunt privatio luminis, sed ipse aer tenebrosus. Posterior, ut per hyperbolen tenebræ dicantur potuisse palpari, ad significandum quòd fuerint maximæ.

Tenebræ Ægypti quomodo palpabiles.

[ ℣. 22. *Et factæ sunt tenebræ horribiles* ] horribiles autem erant, non solùm ob densam caliginem & omnis luminis remotionem, sed etiam ob horribiles visiones, de quibus Deut. 4. vers. 34. & ob spectra formasque horrificas quæ in tenebris cernebantur ab Ægyptiis, quemadmodum Sap. 17. describitur.

[ *In universa Terra Ægypti* ] ubicumque essent Ægyptii.

[ *Tribus diebus.* ] Quod satis erat afflictioni Ægyptiorum: Nam si pluribus diebus mansissent tenebræ, omnes aut plerique Ægyptii fame & angustia periissent, cum illis durantibus nec edere nec bibere, nec loco se movere auderent, juxta id quod sequitur.

Nona plaga Ægypti.

[ ℣. 23. *Nemo vidit fratrem* ] Seu proximum

[ *Suum* ] ne illum quidem qui sibi vicinus erat in eadem domo, vel etiam in eodem cubiculo; ac proinde si quis apud eos erat ignis, vel extinctus fuit, vel à Deo impeditus ne fulgeret.

[ *Nec movit se de loco in quo erat:* ] Quod intellige, non solùm quia ex suis locis seu domiciliis non se moverent, egrediendo ad alia loca; sed quia ex eo loco, in quo erant quando occupaverunt eos tenebræ, non se moverunt Ægyptii, transeundo in alium: & hoc non quia essent facti immobiles, sed quia tam insolita, tamque densa tenebrarum caligine stupefacti, & spectris sonitibusque horribilibus perterriti, ac veriti ne si se moverent, statim perirent, non audebant se movere, sicque manebant quasi fuissent vinculis in carcere constricti. Hinc Sap. 17. dicuntur: *vinculis tenebrarum & longæ noctis fuisse compediti;* additurque quòd *sonitus descendens perturbabat illos, & personæ tristes illis apparentes, pavorem illis præstabant:* aliaque plura ibi exprimuntur ad gravitatem hujus plagæ pertinentia.

Respondet autem nona hæc Ægyptiorum plaga eorum peccato. Cum enim Hebræos injustè detinerent velut captivos, ne possent exire, digni erant ut etiam ipsi detinerentur, & quidem una catena tenebrarum; quia retinebant eos per quos toti mundo lumen veritatis erat exoriturum, sicque etiam æstimare debebant gravitatem æternarum tenebrarum.

Moraliter enim tenebræ Ægyptiacæ significant tenebras inferni.

[ *Ubicumque autem habitabant filii Israel,* ] Hebr. in sedibus seu in habitaculis eorum.

[ *Lux erat.* ] Per quod significatur quòd Hebræi luce gauderent non solùm in vicis & plateis, & in domibus quæ vicinæ erant Ægyptiis, sed etiam in illis ipsis ædibus in quibus habitabant cum Ægyptiis, Deo per maximum miraculum faciente ut solis & aliorum siderum lux sine ullo impedimento illuminaret Hebræos ubicumque essent, etiamsi fortè apud Ægyptios; ipsis autem Ægyptiis caligo densissima omne lumen auferret: & Hebræi quidem Ægyptiorum ejulantium voces audiebant, ipsos tamen non videbant, ut habetur Sap. 18. v. 1.

[ ℣. 24. *Vocavitque Pharao Moysen & Aaron,* ] Si nullus se movit de loco suo, propter tenebras; quomodo Pharao potuit mittere ad Moysen? Resp. cum Dionys. Carthus. Abulensi, Pererio, & aliis, misisse post triduum tenebrarum, illisque discussis; unde non petiit à Moyse ut rogaret Deum pro cessatione plagæ, sicut fecit quando in secunda, quarta, septima & octava, vocavit Moysen: sed immediatè

[ *Et dixit eis: Ite sacrificate Domino:* ] Plagis affectus Pharao didicit vocare Dominum, de quo dixerat cap. 5. *Nescio Dominum.*

At dices, Si tenebræ cessaverant, jamque liberatus erat Pharao à plaga tenebrarum: qui factum est ut diceret: Ite, sacrificate, cum aliis vicibus post cessationem plagæ, id recusaret: Resp. hoc ideo fuisse, quia atrocitatem hujus plagæ & visionum horribilium terrorem expertus, duriora sibi servata velut sui suorumque perditionem putavit, nisi tandem Hebræos ire sineret ad sacrificandum.

[ *Oves tantùm vestræ & armenta remaneant,* ] Tamquam loco pignoris ne fugerent, nec amplius redirent.

[ *Parvuli vestri eant vobiscum.* ] Horum expressè meminit, quia prius vers. 11. illos exceperat. Sub nomine autem parvulorum intelliguntur omnes imbecilles, ut senes & mulieres, totaque supellex, sive ea consisteret in servis & ancillis, sive in aliis bonis, unde

unde *parvuli vestri*, 70. habent, *apparatus vester*; Similis phrasis est Genes. 45. ubi Pharao vult tolli plaustra ad subvectionem parvulorum ac conjugum; & cap. 46. dicitur ea plaustra misisse ad portandum senem.

[ ℣. 25. *Ait Moyses*: ] Non consentiens isti conditioni.

[ *Hostias quoque & holocausta dabis nobis*, ] hoc est, debes etiam permittere, ut ducamus nobiscum pecora, pro hostiis & holocaustis.

[ *Quæ offeramus Domino Deo nostro*. ] In Hebr. sicut etiam apud 70. pro offeramus, habetur faciamus: unde colligitur quòd non solùm apud Latinos, sed etiam apud alios, facere usurpatur pro sacrificare.

Facere pro sacrificare.

[ ℣. 26. *Non remanebit ex eis ungula*: ] Proverbialis sermo est, quo significatur quòd nullum ex pecoribus, ne minimum quidem remaneret.

[ *Cum ignoremus quid debeat immolari*, ] Deus nondum ipsis determinaverat, ideoque nondum certi erant, quæ & quo animalia deberent immolare. Petes quomodo Pharao non respondit Moysi ut ducerent pecora de omnibus speciebus, & de qualibet specie quantumcumque vellent, non omnia abducerent, cum nequaquam esset verisimile quòd omnia prorsus essent immolanda. Resp. quoniam excæcaverat eum malitia ipsius.

[ ℣. 27. *Induravit autem Dominus cor Pharaonis*, ] Tum faciendo quòd Moyses peteret non tantùm Hebræos dimitti, sed cuncta etiam illorum pecora; tum gratiam quam toties erat demeritus, ei non dando ut cor ipsius emollitetur.

[ ℣. 28. *Dixitque Pharao* ] Maximè indignatus quòd Moyses nollet conditionem oblatam acceptare, & cum Hebræis absque illorum pecoribus ire ad sacrificandum.

[ *Et cave ne ultrà videas faciem meam*: ] Ne deinceps ad me audeas accedere.

[ *Quocumque die apparueris mihi, morieris*. ] Curabo te interfici. Ita nunc comminatur, Deo jam permittente id quod antea non permiserat, non tamen interficit, quia Deus qui corda regum in sua potestate habet, Proverb. 21. hoc non permittit.

[ ℣. 29. *Non videbo ultra faciem tuam*. ] Sponte non amplius ad te veniam. Cum quo consistit quod adhuc semel venerit; quia non nisi vocatus venit, ut habetur c. 12. v. 31. Probabile est hæc contigisse pridie cædis primogenitorum, etsi c. 11. & 12. quædam referantur quæ antea contigerunt.

## CAPUT XI.

*Dominus Moysen monet ut Hebræi vasa Ægyptiorum postulent, ac primogenitorum Ægypti stragem prædicit.*

[ ℣. 1. ET dixit Dominus ad Moysen: ] Antequam Moyses recederet à conspectu Pharaonis hæc dixit Deus. Plagam enim sequentem Moyses Pharaoni nunciavit, neque tamen nunciavit postquam à Pharaone recesserat, quia Pharao sub mortis interminatione mandaverat ne amplius coram eo compareret, idque Moyses acceptaverat, in fin. cap. præced. Illa ergo quæ hic sequuntur, Deus Moysi dixit in domo Pharaonis, atque ipso Pharaone

Illa locutus est Deus Moysi sine apparitione visibili. præsente. Sed quoniam non conveniebat, ut Deus coram Pharaone appareret Moysi in specie visibili, sicque ipsi loqueretur; Ideo existimandum est Deum ista quæ sequuntur, dixisse per locutionem intellectualem, intellectum scilicet Moysi illuminando & elevando ad cognoscendum ea quæ Deus ipsi revelabat, & quæ debebat nuntiare Pharaoni, etiamsi aliàs non infrequenter locutum esse Deum Moysi in forma visibili non sit negandum.

[ *Adhuc una plaga tangam Pharaonem & Ægyptum*, ] Illa nimirum quam cap. 4. prædixit. *Ecce ego interficiam filium tuum primogenitum*.

[ *Et post hæc dimittet vos, & exire compellet*. ] In Heb. & 70. sic legitur: *Postea dimittet vos hinc. Cum autem dimiserit vos omnino*, hoc est, cum omnibus vestris rebus, nihil amplius excipiendo, sicut hactenus fecit, *ejiciendo ejiciet vos*: q.d. veraciter ac velociter vos exire compellet, timens ne alioquin omnes moriantur c. 12. v. 33.

[ ℣. 2. *Dices ergo omni plebi*, ] In 70. codicibus, Hebræis consentientibus, exprimitur modus quo illud populo erat propalandum, scilicet clam, & in auribus cujusque, ita enim habent: *Loquere ergo secretò in aures populi*. Qui quidem modus sufficienter ex conditione rei quæ agenda erat, intelligitur, & idcircò noster interpres eum non expressit.

[ *Ut postulet vir ab amico suo*, ] pro amico 70. dicunt, *proximo*: Alii ex Hebræo reddunt, *socio*: quæ omnia per vocem Hebræam significantur. Monentur ergo Hebræi ut ab Ægyptiis sive amicis seu sociis, sive aliter conjunctis aut proximis.

[ *Et mulier à vicina sua*, ] ac etiam ut cap. 3. legitur, ab hospita sua postulent, non dono gratuito, sed ad utendum in suum commodum: Unde cap. 12. v. 36. significari videtur quòd acceperint commodato. Neque refert quòd non intenderent reddere: Non enim pugnat accipere rem aliquam commodato, id est, utendam in suum commodum, & velle eam retinere; modò justè retineatur; sicut rem propriam ab alio injustè occupatam potest Dominus ab eo utendam in suum commodum accipere, & deinde non reddere. Cæterum quomodo hæc licitè retinuerint Hebræi, c. 12. videbitur.

[ *Vasa argentea, & aurea*. ] 70. addunt, *& vestem*: quod quidem ab Hebr. codicibus hoc loco abest; sed exprimitur cap. 3. v. 22. & cap. 12. v. 35. unde verisimile est illos accepisse, ut hic ponerent. Estque omnino probabile Hebræos præter vasa aurea & argentea, non solùm petiisse vestes plurimas, easque pretiosas, sed etiam tapetes & alia quæque nobilioris materiæ. Videmus enim quòd multa hujusmodi obtulerint ad constructionem tabernaculi, infrà cap. 25.

Petes, quare non fuerunt jussi postulare pecuniam potius quàm vasa argentea & aurea. Resp. duplici ex causa. Prior est, quia non potuissent cum bono colore postulare pecuniam; petierant enim ire viam trium dierum in solitudinem; in solitudine autem per homines non habitata nullus aut exiguus poterat esse pecuniarum usus; postulandi autem vasa & alias res pretiosas optimus erat color, quia pervulgatum erat ipsos velle ire ad solemnitatem Deo celebrandam, & ad sacrificium ipsi offerendum, promptum verò est intelligere, quòd in talibus, multis rebus pretiosis sit opus. Posterior causa est, quia pecuniæ Ægyptiorum parum utiles fuissent Hebræis, qui totaliter deserturi erant Ægyptum Ægyptiorumque consortia & commercia; vasa autem, vestes, & alia pretiosa plurimum eis profutura erant, tum ad constructionem tabernaculi & vasorum ejus; tum ratione valoris, ut inde possent habere alia necessaria.

Cur ab Ægyptiis non petierint Hebræi pecuniam.

[ ℣. 3. *Dabit autem Dominus* ] Hic variatur modus loquendi: hactenus namque Angelus verba protulit in prima persona, loquens in persona Dei, *tangam*; nunc idem Angelus in persona sua loquitur de Deo, quasi personam ejus non amplius repræsentans.

[ *Gratiam populo suo coram Ægyptiis*. ] Faciet ut Hebræi placeant Ægyptiis sintque illis gratiosi; ac proinde existiment Hebræos rem æquam postulare, & dignos esse ut ipsius detur. Fecit autem hoc Deus, partim in Hebræis operando gestus, motus, verba quibus reddebantur amabiles & gratiosi; partim Ægyptiorum corda inflectendo ad tenerum quemdam ac benevolum amorem erga Hebræos. Sunt enim hominum corda in manu Dei, facilèque potest eos ex odientibus facere amantes.

[ *Fuitque Moyses vir magnus valde in terra Ægypti, coram servis Pharaonis & omni populo*. ] Ad quid referenda sit hæc sententia, non liquet. Quidam referunt ad præcedentia; hoc sensu: Moyses in valde magna reputatione fuit in tota Ægypto, & hinc est quòd quæ petierunt Hebræi ab Ægyptiis ex mandato Moysi, facilè acciperent. Alii ad subsequentia, q.d. Moyses fuit Ægyptiis maximè reverendus & formidandus,

pro-

propter quod tam constanter & absque timore loquebatur coram Pharaone, ut quascumque plagas juberet Deus, ei prænunciaret imperterritus, etiam illam quæ fuit ultima. Sensum hunc suadet quod sequitur.

[ ℣. 4. *Et ait: Hæc dicit Dominus: media nocte egrediar in Ægyptum:* ] Non potest Deus egredi, locum mutando, cum ipse sit ubique, sed benè aliquid novum operando; sicque hic dicitur egressurus, quia cædem primogenitorum erat operaturus. Si tamen per Dominum qui ista loquitur, velimus intelligere Angelum in Dei persona loquentem, egressus propriè dictus accipi potest, quoniam Angeli non sunt ubique, & is qui ad Moysen hæc dicebat ex Dei mandato, erat de loco uno egressurus in Ægyptum. Pro, *media nocte*, 70. habent circa mediam noctem. Alii vertunt circa medium noctis, ut proinde quod hic dicitur, *media nocte*, & cap. 12. *in noctis medio*, Et Sap. 18. *cum nox in suo cursu medium iter haberet*, non sit necessarium accipere de medio mathematico; eo quoque adjuncto quòd scriptura non soleat ita exactè & mathematicè loqui de medio, sicut patet ex Tob. 2. *mediis noctibus sepeliebat ea*; Job 34. *In media nocte turbabuntur populi*: Psalm. 118. *media nocte surgebam*. Etsi verò tempus noctis determinet Deus sive Angelus, non tamen determinat quanam nocte futurum esset id quod prænunciat, utrùm proximè subsequente, an secutura post aliquot dies intermedios. Quæ causa est cur interpretes varient, quibusdam noctem proximam, aliis aliam intelligentibus, qui post hunc sermonem volunt intercessisse omnia quæ narrantur cap. 12. usque ad percussionem primogenitorum, atque ita multos dies.

Nihilominus quia in reliquis plagis post earum comminationem, non diu distulit Deus illas infligere; & quia contextui magis convenit (licèt Pharao excæcatus id non perciperet) intelligere noctem proximam: Ideo verisimile est Moysen ista mane esse locutum Pharaoni, & intellexisse quidem noctem proximam, noluisse tamen hoc ipsi aperire, tum ut supplicium inopinato superveniret; tum ne Ægyptii turbarent Hebræos circa immolationem agni occupatos.

Prius id gestum. Quapropter ut Hebræi ab Ægyptiis peterent vasa argentea & aurea, vel moniti fuerunt statim ac Moyses à Rege discessit; idque ipsi etiam tunc facere cœperunt: vel antea factum fuit, & in hoc cap. per recapitulationem ponitur, ait Abulensis. Et juxta hanc sententiam, Hebræi prius per Moysen admoniti, decimo die primi mensis comparaverunt sibi agnum Paschalem, ut jusserat Deus: die undecimo inflicta est plaga tenebrarum, quæ triduo perduravit, cessavitque propterea die decimotertio finiente; mane autem diei decimi quarti Pharao vocavit Moysen, & tunc Moyses prius quam à Pharaone exiret, prædixit ei cædem primogenitorum, quæ sub medium noctis sequentis facta est. Unde sequitur in cap. 12. esse histeron proteron, ac posterius narrari quædam quæ prius acciderunt, cujusmodi sunt ea quæ de præparatione agni scribuntur. Voluit enim Moyses omnium signorum & plagarum Ægypti historiam simul texere, ac deinde narrare egressum Hebræorum de Ægypto; cui præmittit præparationem & ritum agni Paschalis, utpotè egressus istius tesseram & symbolum.

[ ℣. 5. *Et morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum*. ] Angelo scilicet quem Deus mittet, omnia Ægyptiorum primogenita interficiente.

[ *A primogenito Pharaonis qui sedet in solio ejus*, ] Qui sedet accipi potest, pro eo qui jus sedendi habet, in quantum primogenitus habebat jus succedendi in locum ac in regale solium patris: aut intelligi potest sedisse in solio Pharaonis, quia jam erat rex coronatus vel designatus, sicut 3. Reg. 1. Salomon unctus fuit rex & sedit in solio Davidis adhuc viventis.

[*Usque ad primogenitum ancillæ*] nominat duo extrema, scilicet primogenitum Pharaonis qui honoratissimus erat inter Ægyptios, & primogenitum ancillæ qui erat vilissimus & abjectissimus, ut sic comprehendantur omnes primogeniti intermedii.

[ *Quæ est ad molam*, ] Sive, quæ ponitur ad molendum. Ancillare olim ac fœmineum officium fuisse, molere, tum hinc, tum ex Matth. 24. colligi potest; sicuti & quòd fuerit officium valdè abjectum ex Isai. 47. Pro his verbis, *ancilla quæ est ad mola*, infrà cap. 12. dicitur, *captiva quæ erat in carcere*. Sed ista idem valent: Nam ancillæ vel servi per diem cogebantur sedere ad molam, terendo frumentum; in nocte verò claudebantur in carcere, & sic semper erant in ergastulo seu carcere.

[ *Et omnia primogenita jumentorum*. ] Jumenta generaliter hic vocantur omnia animalia domestica, ut equus & mulus, asinus, boves; oves, canes, catti, aves domesticæ, & alia hujusmodi: In his enim omnia primogenita fuere mortua, non quia peccaverant: sed ut in illis punirentur Ægyptii. Justè autem ipsi puniuntur cæde primogenitorum, quia populum Hebræum oppresserant, quem Deus filium suum primogenitum vocavit cap. 4. Quid jumenta.

[ ℣. 6. *Eritque clamor magnus*] Lugubris scilicet ac gemebundus.

[ *In universa terra Ægypti, qualis nec ante fuit, nec postea futurus est*. Quia omnes aliæ plagæ modici tum momenti tum nocumenti æstimabantur comparatione hujus, cum filii primogeniti sint majora bona quæ parentes diligunt & servari desiderant: unde & dolor de morte primogeniti solet poni pro maximo dolore, Zach. 12. *Dolebunt super eum ut doleri solet in morte primogeniti*; cumque hic dolor futurus esset per Ægyptum universalissimus, ita ut non esset domus in qua non jaceret mortuus, nec tantùm dolerent de morte filiorum, sed suam quoque metuerent, dicentes *omnes moriemur*, cap. 12. Magna quidem fuit afflictio, quando Pharao & qui cum eo erant omnes submersi fuerunt in mari rubro, nec unus superfuit ex eis, cap. 14. Verùm neque fuit tam universalis, cum non de qualibet domo fuerit aliquis mortuus, neque mors Pharaonis, cujus culpa tantas clades incurrerant, erat eis causa magnæ tristitiæ. Cur dolor fuit tantus.

[ ℣. 7. *Apud omnes autem filios Israel non mutiet canis* ] Doloris nimirum vel tristitiæ causa. Sentiunt enim bruta, naturæ ductu, funera suorum, atque ex his luctum quemdam & dolorem concipiunt ac ostendunt. Est autem hic sermo proverbialis, quo significatur altissima pax futura. Sed difficultatem parit quod sequitur.

[ *Ab homine usque ad pecus*: ] Cum canis non rectè numeretur inter homines, id quod videtur hic fieri. Quæ tamen tolli potest, dicendo nequaquam numerari canem inter homines, cum sensus sit quòd apud Hebræos canis non latrabit ab homine occiso usque ad pecus occisum, sive quòd non allatrabit vel homini vel pecori occiso, hoc est, neque propter hominem, neque propter pecus occisum; sed summa erit apud eos quies neque homo neque pecus ullum interficietur inter Hebræos. Cui interpretationi consentiunt Abulensis & Vatablus, necnon Oleaster, quatenus ita vertit: omnibus filiis Israel non movebit canis linguam, sive non latrabit, viro & usque in jumento.

[ ℣. 8. *Descendentque omnes servi tui isti ad me*, ] descendent, quia de loco eminentiori in quo situm erat Pharaonis palatium veniet.

[ *Et adorabunt me*, ] Reverenter ac humiliter supplicabunt.

[ *Dicentes: egredere tu, & omnis populus qui subjectus est tibi*: ] Heb. qui est in, vel sub pedibus tuis: quæ verba subjectionem significant.

[ *Post hæc egrediemur*. ] Postquam oraverint me servi tui ut egrediar.

[ ℣. 9. *Et exivit à Pharaone iratus nimis*. ] Ista ira non fuit peccatum, quia procedebat ex zelo amoris & honoris divini, atque ex detestatione rebellionis Pharaonis.

[ *Dixit autem Dominus ad Moysen*: ] Vel postquam egressus erat à Pharaone; vel est epilogus præcedentium; idemque valet ac, *dixerat autem*, Dominus, scilicet c. 3. v. 19.

[ *Non audiet vos Pharao, ut multa signa fiant* ] vocula, *ut*, non accipitur causaliter, sed consecutivè, q. d. quo occasione multa signa fient.

Ad

Ad motes quod attinet, primogenita Ægypti ſeu hujus mundi, ſunt diabolus, mundus, caro, quæ Chriſtus vincit.

## C A P U T XII.

*Deſcribitur ritus agni Paſchalis immolandi. Quo immolato, & ejus ſanguine in ſuperliminaribus Hebræorum illito caduntur primogenita Ægyptiorum, & Hebræi exeunt.*

[ ℣. 1. D*Ixit quoque Dominus ad Moyſen* ] Conformiter ad præcedentia, hæc ad Moyſen dicta fuere antequam denunciaret Pharaoni cædem primogenitorum, cœpto quidem menſe primo, ut patet ex verbis ſequentibus, *Menſis iſte*; & aliquot diebus ante decimum quia ſic jubetur, *Decima die menſis* hujus tollat unuſquiſque agnum.

[ ℣. 2. *Menſis iſte, vobis principium menſium: primus erit in menſibus anni.* ] Poſterior clauſula poteſt eſſe explicatio prioris, ſicut frequenter fit, quando aliquid fuit ſubobſcurè dictum: ut eſſe principium, vel ut in Hebræo eſt, caput menſium, ſit eſſe primum in menſibus ſeu inter menſes anni. Poteſt etiam eſſe ſenſus: Iſte menſis qui jam currit, deinceps erit vobis præcipuus inter alios menſes, ac etiam erit primus inter menſes anni. Sermo autem eſt de menſe qui poſtea vocabulo Chaldaico dictus eſt Niſan, & plerumque reſpondet noſtro partim Martio, partim Aprili. In eo ſiquidem Menſe Judæi ſuum Paſcha celebrare debebant luna decima quarta ad veſperam, quæ incidebat in æquinoctium vernum, aut proximè poſt ipſum.

Dices, mundus ut habet opinio probabilior, conditus fuit in æquinoctio verno, ideoque veriſimile eſt Hebræos ab illo æquinoctio annos computaſſe, prius quam liberarentur de Ægypto: quid igitur novum hic ſtatuitur.

Unde initium anni computarēt Hebræi.

Reſp. ipſos antequam deſcenderent in Ægyptum, computaſſe annos ab æquinoctio verno: ſed cum in Ægypto morarentur, ſe accommodaſſe Ægyptiis qui annos computabant ab autumno, ſcilicet à menſe Tiſri, qui reſpondet partim Septembri partim Octobri. Nunc autem propter maxima beneficia hoc menſe præſtita ſtatuitur Hebræos debere in poſterum computare annum à Vere, primumque ejus menſem facere illum in quo eſt æquinoctium vernum. Et hoc quidem ita ſervaverunt quoad feſta & alias res ſacras: quoad negotiationes autem & negotia civilia continuaverunt annos computare ab autumno, ſecundùm ea quæ latius diximus 1. p. quæſt. 74. art. 3. ſicque facta eſt diſtinctio anni vulgaris ſeu communis, à ſacro.

[ ℣. 3. *Loquimini ad univerſum cœtum filiorum Iſrael*, ] non erat humanitus poſſibile, quòd Moyſes congregaret omnes filios Iſrael in Ægypto, eiſque congregatis loqueretur; quia erant ſexcenta ferè millia virorum; infra verſu 37. tantus autem numerus non potuiſſet in unum convenire ſine magno ſtrepitu ac tumultu, ac per conſequens non clam Ægyptiis: Ægyptii verò nequaquam permiſiſſent talem conventum, partim quia timuiſſent rebellionem, aut aliam machinationem Ægypto noxiam; partim quia noluiſſent ab omnibus intermitti opera ad quæ præfecti urgebant Hebræos. Sed jubetur Moyſes loqui ad univerſum cœtum filiorum Iſrael, quia debebat loqui ad Seniores ſeu ad Primores, per quos deinde cuique de populo ſignificaretur. Unde cum de hujus mandati executione agitur, verſu 21. ſic dicitur, *Vocavit autem Moyſes omnes Seniores filiorum Iſrael, & dixit ad eos: Ite tollentes animal* &c.

[ *Decima die menſis hujus tollat unuſquiſque agnum per familias & domos ſuas.* ] Per unumquemque hic intelligitur quilibet Dominus domus, ſeu paterfamilias: & cum jubetur ut tollat ſeu aſſumat agnum, ſermo eſt de illo cujus familia propter exiguitatem non deberet jungi alteri ad comeſtionem agni. Mandatur aſſumi agnus, tum quòd ſit animal ſimplex & mundum, parvique pretii, ac per conſequens haud difficulter comparabilis etiam à paupere familia; tum quòd optimè conveniret ad repræſentandum Chriſtum, qui dicitur agnus Dei tollens peccata mundi, in cujus figuram inſtituebatur illa immolatio.

Quando familiæ erant magnæ, ita ut ei reficiendæ non ſatis eſſet unus agnus, non idcirco licebat loco agni vitulum aut bovem immolare; quia juſſum erat immolari agnum, non verò bovem aut vitulum; ac inſuper poſtea prohibitum, ne ad præceptum Dei quidquam adderent vel auferrent Deut. 4. & 12.

Sed neque plus quàm unum agnum immolare debebant, quia non obligabantur ſumere de agno ad ſatietatem, ſed poterant aliis cibis refici, modò aliquid ſumerent de agno, & nihil de eo relinqueretur. Jubetur autem ut decima die menſis primi agnum acciperent, qui demum decimaquarta die immolandus erat, partim ut quatuor diebus intermediis ex agni balatu, aſpectu vel præſentia excitarentur in ſpem proximæ liberationis de Ægypto, ſeque ad exitum præpararent; partim ut interea diſpicerent an agnus eſſet ad ſacrificium idoneus, poſſentque deprehendere, ſi quod fortaſſe vitium haberet. Sunt qui exiſtiment hanc cæremoniam, ut die decima ſumeretur agnus, ſolùm pertinere ad primum Paſcha quod jam erat in Ægypto celebrandum, ut Abulenſis & Peretius. Sed veteres Epiphanius hæreſi 50. S. Thom. lection. 1. & 3. in cap. 12. Joannis, Liran. ibidem, Anſelmus ſeu quiſquis eſt author comment. in Matth. cap. 12. Rupertus in cap. 11. Joannis, eoſque ſecuti aliquot recentiores cenſent etiam ad reliqua deinceps paſchata pertinuiſſe. Unde & Chriſtus cum die decima quarta ſeipſum eſſet immolaturus incruentè, prius die decima introductus fuit Jeroſolymam cum triumpho, ſicut ſolent hoſtiæ ſolemnes frondibus & ramis exornari. Neque refert quòd infra cap. 23. Deut. 26. & alibi, cum de immolatione agni Paſchalis agitur, nulla hujus cæremoniæ fiat mentio: Nam nec quarumdam aliarum cæremoniarum mentio fit, veluti quòd caput cum pedibus & inteſtinis eſſet comedendum, & quòd reſiduum, igne comburendum, quas tamen ſemper obſervare debuerunt Judæi: quia ſufficiebat generaliter eſſe præſcriptum infra v. 25. *Obſervabitis ceremonias iſtas*: Et Num. 9. *Juxta omnes cæremonias.* Porro juxta verſionem vulgatam, Agnus jubetur aſſumi non ſolùm per domos, ſed etiam per familias; quia in una domo interdum ſunt plures familiæ, ſicque plures agni debebant in ea immolari, niſi fortè aliqua familia eſſet tam parva ut deberet jungi alteri. Juxta textum Hebr. ſic legitur: *Accipient ſibi unuſquiſque agnum per domum patrum, agnum per domum*: hoc eſt, unum agnum pro quaque domo, ubi eſt unus paterfamilias. Ex quo non difficile eſt intelligere plures agnos tunc fuiſſe aſſumendos, quando erant plures patresfamilias: quod erat cum eſſent plures familiæ.

[ ℣. 4. *Sin autem minor eſt numerus, ut ſufficere poſſit ad veſcendum agnum,* ] hoc eſt, ſi alicujus familiæ numerus tam ſit exiguus, ut non ſufficiat ad comedendum agnum.

[ *Aſſumet vicinum ſuum qui junctus eſt domui ſuæ,* ] non intelligitur quilibet vicinus (conſtat enim ex ſeqq. Gentiles & incircumciſos non potuiſſe de agno Paſchali manducare) ſed Hebræus.

[ *Juxta numerum animarum* ] (ſeu hominum)

[ *Quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni.* ] Non aſſumet quot voluerit, ſed tot perſonas, quot ſufficere poſſint ad eſum agni: perſonæ autem ex illa domo reſiduæ, ſi ſatis magno numero erant; debebant & ipſæ agnum immolare; ſi nimis exiguo, alicui alteri domui ſeu familiæ debebant jungi. Non determinatur quot perſonæ ad eſum unius agni ſufficerent: ſed Hebræi, ſcribunt non ſolere pauciores adhiberi, quàm decem viros.

[ ℣. 5. *Erit autem agnus abſque macula,* ] non ſumitur hic macula pro varietate coloris, ſicut enim oves & boves ſparſi velleris poterant Deo in ſacrificium offerri, ita & agni; cum circa colores hoſtiarum nihil Deus præſcripſerit, præterquam in ſacrificio vaccæ rufæ, Num. 19. ſed pro fractura & defectu ſeu

vitio

vito quod corpus animalis fœdat vel deturpat. Censebatur ergo agnus habere maculam si erat cæcus, claudus, æger, scabiosus, ulcerosus, sicut patet ex Levit. 22.

[ *Masculus*, ] mirum fortasse videbitur, cur de agno dicatur quòd debeat esse masculus, cum agnus non nisi masculus esse possit: Hanc difficultatem quidam tollere putant ex voce Græca Πρόβατον, quæ extendi potest ad masculum & fœminam. Sed cum etiam in Hebræo, ex quo nostra biblia translata sunt, ad agnum addatur masculus: ille modus tollendi difficultatem non sufficit.

Dicendum ergo vocabulum Hebræum, pro nos habemus agnum, comprehendere utrumque sexum: & propterea ut determinaretur ad unum, addi oportuit masculum.

[ *Anniculus:* ] In Heb. filius anni, non quòd integrum annum haberet, sed quòd infra annum esset, vel saltem annum non excederet. Poterat autem iste agnus assumi post septimum diem completum, ut patet ex Levit. 22.

Moraliter discimus offerre Deo quæ sunt integra & sine vitio, quæ præstantiora, & quæ delicatiora.

[ *Juxta quem ritum tolletis & hædum.* ] Si videlicet agnus defuerit, vel commodè haberi non possit. Non enim ista verba sic debent accipi, ut conjunctio, *&*, sic copulativa, quasi Israelitæ debuerint & agnum & hœdum immolare in Paschate; cum neque Christus in ultima cœna id servaverit, neque alii Judæi umquam ita practicasse legantur; sed vel habet vim disjunctivæ, vel sententia accipienda est conditionaliter. Hebræa, quibus consentiunt interpretes 70. sonant ex agnis & ex capris seu hœdis accipietis. Non ut simul utrumque immolent, ait Theodoret. quæst. 24. in Exod. sed ut is qui ovem habet, agnum immolet: qui verò caret ove, sacrificet hœdum: quam interpretationem solere à Judæis adferri testatur August. quæst. 42. Illa autem verba, *juxta quem ritum*, significant in hædulo easdem conditiones requiri, quæ in agno præscriptæ sunt, ut nimirum sit masculus, anniculus, immaculatus, & decimo die accipiatur, assumaturque vicinus ad ejus esum, si numerus familiæ non sufficiat.

[ ℣. 6. *Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel* ] Relativum *eum*, non refertur ad hœdum, quem aliqui putaverunt post agnum à tota multitudine immolandum (quia nullus erat sic immolandus) sed ad quemlibet eorum, sive agnum, sive hœdum, quem universa multitudo debebat immolare, non sic quasi multitudo simul juncta unum immolaret; sed quia in qualibet familia totius multitudinis, si erat sufficiens, immolari debebat unus sive agnus sive hœdus; si verò non erat sufficiens, vel assumebatur à vicino vel assumebat vicinum ad vescendum agnum seu hœdum.

Si dicas immolari debuisse hœdum, juxta illud quod ex B. Thoma canit Ecclesia, *Immolabit hœdum multitudo:* negandum est: figurata enim est illa locutio, & species ponitur pro genere, ita ut sub hœdo agnum comprehendi oporteat.

[ *Ad vesperam.* ] Deut. 16. dicitur, *vespere ad solis occasum.* Sermo est de vespera diei decimæ quartæ.

Quæstio autem est an de vespera priore, id est, quæ antecedebat diem 14. an de posteriore, hoc est, quæ claudebat diem decimum quartum, eratque finis illius. Sed vera omninoque tenenda est communis sententia, quæ posteriorem diei decimæ quartæ vesperam intelligit. Communi enim usu loquendi, quando quidpiam dicitur esse factum vel faciendum ad vesperam alicujus diei, nemo hoc intelligit de vespera quæ sit illius diei initium, sed de ea quæ est ejus finis. Deinde Hebræi exiverunt de Ægypto die qui proximè sequebatur immolationem agni: exiverunt autem die decimo quinto, ergo agnum immolaverant die decimo quarto finiente. Videantur hujus cap. versus ult. & cap. 33. Num. versus 3. Hinc Josephus lib. 3. Antiq. cap. 10. *Pascha*, inquit, *celebramus per cognationes, nihil è victimis in sequentem diem relinquentes, quæ est quintadecima & azymorum festivitatis prima.* Conferantur quæ diximus 3. p. quæst. 73. art. 5. Neque refert apud eumdem Josephum, lib. 2. cap. 13. al. 5. legi Judæos sacrificasse agnum illucescente decima quarta die, vel cum instaret decimus quartus dies: tales enim versiones non sunt sinceræ, cum in Græco sit participium aoristi, & indefiniti temporis, quod aliquando habet significationem præteriti plus quam perfecti, ut idem sit quòd cum jam præsens fuisset decimus quartus. Unde versio Basileæ impressa ann. 1567. ita habet: *Ubi verò venit quarta decima, omnes ad exitum animati sacrificabant.*

Difficultas superest quid sibi velit textus Hebræus, qui pro ad vesperam, habet, *inter duas vesperas.* E diversis explicationibus ea melior est quæ dicit Judæos distinxisse duplicem vesperam ejusdem diei: unam, ab hora nona completa usque ad occasum solis: aliam ab occasu solis usque ad finem lucis. Et intra illas vesperas immolari debebat agnus, pararique ad manducationem quæ fiebat post solis occasum quando erat initium azymorum. Explicationem hanc juvat quod Josephus lib. 7. de bello Judaico cap. 17. scribit Judæos in Paschate ab hora nona usque ad undecimam hostias cædere. Duplex ejusdem diei vespera apud Hebræos.

Petes, cum constet immolationem agni Paschalis fuisse verum sacrificium, quinam sacerdotes illum offerrent, præsertim postquam institutum fuit sacerdotium Aaronicum, & templum ædificatum. In comment. ad 2. 2. quæst. 85. diximus fuisse patresfamilias. Quæst.
Allegoricè Christo agnus Dei immolatus fuit vergente mundi vespere, seu in consummatione sæculorum, ac insuper nocte sacrificium Eucharistiæ instituit, suique corporis Sacramentum tunc dedit Apostolis manducandum. Resp.

[ ℣. 7. *Et sument de sanguine ejus* ] Sive agni sive hædi.

[ *Ac ponent super utrumque postem, & in superliminaribus domorum*, ] hujus rei causa fuit, ut cum Angelus primogenita Ægyptiorum percutiens videret in postibus & superliminaribus sanguinem, domos illas pertransiret, nec in eis quemque interficeret, sicut ex versibus 13. & 23. patet. Quoniam verò non de quibuslibet domibus sermo est, sed de illis.

[ *In quibus comedent illum.* ] Scilicet agnum vel hœdum, & ex superioribus habemus quasdam fuisse domos Israelitarum, in quibus non comedebant agnum, illas scilicet quæ quòd parvo numero essent, aliis jungebantur; consequens est non omnes domos Hebræorum fuisse sanguine tinctas.

Si quæras, quomodo igitur non fuerint ibi percussa primogenita. Resp. integras tales familias illic mansisse ubi agnum comedebant cum aliis Hebræis, quorum proinde postes & superliminare tincta erant sanguine. Familiæ porro quæ sic ad alias Hebræorum domos jungebantur, illæ potissimum fuisse videntur quæ habitabant cum Ægyptiis, in eorum domibus: Alioquin enim vel non omnia Ægyptiorum primogenita fuissent occisa; vel aliqua in domibus Hebræorum sanguine tinctis occidi debuissent, quæ ambo fuissent contra Dei ordinationem.

Ad allegoriam sic ista transfert B. August. lib. 12. contra Faust. cap. 30. Sanguine illinuntur postes, ut pernicies depellatur. Signantur signo dominicæ passionis in frontibus populi, ad tutelam salutis. Et tract. 50. in Joannem: Sanguine occisi pecoris Judæorum postes signati sunt: sanguine Christi frontes nostræ signantur &c. Signum Christi à nobis expelit exterminatorem, si cor nostrum recipiat Salvatorem. Allegorica.

Utrùm verò ista cæremonia tingendi postes & superliminaria sanguine agni, solùm data fuerit pro hoc tempore, non constat. Ita opinatur Abulensis: quia ejus ratio, nempè ut Angelus viso sanguine pertransiret domos Hebræorum nec ibi quemquam occideret, non habuit locum nisi in Ægypto. Verùm etsi ea locum non habuerit extra Ægyptum: quia tamen beneficii illius memoria, quam Deus in sequentibus paschatibus celebrari volebat, illam cæremoniam postulabat, aliis non improbabile videtur quòd sequentibus etiam temporibus observata fuerit. Neque refert quòd Num. 9. ubi iterum de modo edendi agnum paschalem agitur, nihil dicatur de ista litura: satis enim est generaliter dici juxta omnes cæremonias, & juxta omnia quæ mandaverat Dominus Moysi, omnem ritum Phase observabunt.

[℣. 8.

[ ℣. 8. *Et edent carnes nocte illa* ] seu initio noctis incipientis post decimum quartum diem primi mensis. Sub carnibus intelliguntur etiam nervi, viscera & quidquid in agno est comestibile.

Cur agni carnes assæ sint.

[ *Assas igni*, ] Partim in signum quòd Hebræi fuerant in Ægypto quasi assi in operibus luti & lateris, æstuque vehementi: partim quia carnes citius assantur quàm lixantur, atque ita assatio erat symbolum festinationis Hebræorum parantium se ad exitum: partim quia carnes assæ sunt solidioris nutrimenti, magisque roborant laborantes; laboraturi autem erant Hebræi longum iter facientes.

[ *Et azymos panes* ] id est, absque fermento factos. Cur id præciperetur, una ratio est quòd ejusmodi panes citius parati sunt, quàm qui cum fermento fiunt. Altera, quòd panes azymi sint insipidi ac difficilioris concoctionis, minusque roborent corpora: unde Plinius lib. 18. cap. 11. scripsit, *validiora esse corpora quæ fermentato pane aluntur*. Sicque per panes azymos recordari poterant, tum festinationis ad exitum, tum duræ insipidæque servitutis Ægyptiacæ.

{*Cum lactucis agrestibus*.] Seu amaris. Lactucæ enim istæ dicuntur esse quædam herbæ amaræ ad similitudinem lactucarum quæ in hortis nascuntur, sed minores, sunt etiam asperiores & amaræ, ait Abul. jubentur autem adhiberi, ad refricandam memoriam amaræ servitutis Ægyptiacæ, & edi debebant non post manducationem agni, sed cum agno.

[ ℣. 9. *Non comedetis ex eo crudum quid*, ] prohibentur edere carnem tum crudam, tum semicrudam, vel semicoctam: partim quia talem carnem comedere, redolet quamdam barbariem; partim quia ejusmodi caro noxia est stomacho & sanitati. Per hæc autem significatur, quòd ad Sacramenta per agnum Paschalem significata, accedendum sit cum contritione & satisfactione, & non cum irreverenti & temeraria illorum consideratione, neque existimando Christum esse purum hominem.

[ *Nec coctum aqua*, ] quia talis paratio est tardior: & quoniam Christus verus agnus nihil in sua passione recepturus erat solatii & mitigationis.

[*Sed tantùm assum igni*:] Sicut Christus erat totus amore torrendus & quasi assandus.

[*Caput cum pedibus ejus & intestinis vorabitis*.] Neque in Hebr. neque apud 70. est vorabitis; omnia referuntur ad illud præcedens, *comedetis*: noster tamen interpres lucis gratia expressit, & exprimendo uti voluit eo verbo, *vorabitis*, ad indicandam festinationem quæ in agno comedendo erat adhibenda. Quoniam verò caput, pedes, & intestina magis solent elixari quàm assari, ne quis opinaretur in agno paschali, qui non erat elixandus sed assandus, ista non debere comedi: Ideo Deus expressè addidit ut comederentur simul, significans agnum debere manere integrum. Sub intestinis autem comprehenduntur omnes partes interiores quæ aptæ sunt esui ut jecur, pulmo &c. non fel & sordes quæ non solent ad esum servire hominibus. Nec moveat quod in Heb. sic legitur, *caput super genua ejus*: Vocula enim *super* ponitur pro, *cum*; & vox Hebræa non tantùm significat genua, sed etiam crura, imoque pedes.

[ ℣. 10. *Nec remanebit quidquam ex eo usque mane: Si quid residuum fuerit, igne comburetis*. ] Hujus legis ratio erat instans iter quod summo mane aut nocte adhuc profunda aggressuri erant Israelitæ, & quidem cum maxima festinatione, in qua facilè contigisset residuas agni carnes, si quæ superfuissent, indignè tractari, vel ab ipsis Hebræis festinantibus, vel ab Ægyptiis, vel etiam à bestiis. Annis autem sequentibus ea lex mansit in memoriam tam festinatæ egressionis & liberationis de Ægypto.

Cum dicitur, *si quid residuum fuerit*, nomine residui intelliguntur pelles & ossa, ac etiam carnes si qua ratione fuissent relictæ & non comestæ.

Allegorica.

Allegoricè observa quòd cum caput Christi sit Deus 1. ad Corinth. 11. caput Christi vorare, est divinitatem ejus fide percipere; cum pedibus, id est, cum humanitate; & intestinis, hoc est, verborum & mandatorum ipsius reconditis mysteriis. Non debet quidpiam remanere usque mane, quia ejus dicta diligenter sunt pervestiganda, ut ante diem resurrectionis ea compleamus. Quidquid remanet quod vel de divinitate vel de humanitate Christi capere non possumus, igne comburendum est, potestati scilicet Spiritus sancti humiliter relinquendo.

[ ℣. 11. *Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus*, ] Pro pedes calceamentis, per hypallagen.

[*Tenentes baculos in manibus*, ] ista omnia festinationem indicant (unde sequitur,)

[ *Et comedetis festinanter* : ] Suntque illorum qui jam jam aggressuri sunt iter longum & laboriosum.

Moralia.

Moraliter autem significatur, quòd qui manducare volunt corpus Christi qui verus est agnus, debent esse accincti renes, concupiscentiam edomando: *Lumbos quippe præcingimus cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus*, ait B. Grego. hom. 13. in evangelia. Debent habere calceos in pedibus, id est, mortuorum Sanctorum vitam & exempla intueri, ut secundùm illa progrediantur & vivant, Baculum quoque in manibus tenere, ad corrigendos suos excessus & defectus; sicque comedere festinanter, avidè ad cœlestem patriam anhelando.

Stantes agnum comedebant.

Quæri solet. Num Hebræi agnum Paschalem comedere debuerint stantes. Resp. nullum ea de re præceptum fuisse datum: verisimile tamen esse, quòd stantes comederent, quia baculos in manibus tenere, magis convenit stantibus, quàm sedentibus vel discumbentibus. Neque refert Christum & Apostolos non stetisse in ultima cœna, sed sedisse vel recubuisse, juxta ea quæ loquuntur Joan. 13. *Surgit à cœna; cum recubuisset iterum: erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu*. Dici enim potest Christum & Apostolos more Judaico stetisse comedendo agnum; postea verò sedisse vel discubuisse ad mensam & refectionem communem seu usualem, quæ post cœnam agni secuta est, & de qua surrexit Christus ad lotionem pedum, eaque peracta iterum recubuit.

[ *Est enim Phase ( id est transitus ) Domini*. ] Illa verba, *id est transitus*, neque sunt in Heb. neque apud 70. sed ab interprete fuerunt addita pro explicatione vocis obscuræ. Nam Phase quod Hebraicè dicitur, Pesach, Chaldaicè Pischa vel Pascha, quomodo 70. reddiderunt, vocabulum est Hebræum, idem valens quod transitus vel transilitio.

A quo transitu dicitur Phase.

Quoniam verò tres transitus hic reperiuntur, primus Angeli transeuntis per Ægyptum, ac in domibus Ægyptiorum interficientis primogenita, domos autem Israelitarum prætereuntis & intactas relinquentis: Secundus, populi Hebræorum transitus de Ægypto in Palæstinam: Tertius eorumdem transitus per mare rubrum, quæri potest, à quo potissimum transitu, hoc Phase denominetur. S. Hieronymus in cap. 26. Matth. tradit quòd à transitu Angeli: Idque præsentis loci contextus clarè significat, ubi velut pro ratione statim sequitur.

[ ℣. 12. *Et* ] seu quia.

[ *Transibo per terram Ægypti nocte illa*, ] nimirum per Angelum vel Angelos imperii mei executores & ministros. Quamquam sicut dicti tres transitus fuerunt conjuncti, ita quilibet eorum rectè intelligitur significari per Phase. Neque moveat quòd quidam veteres dixerunt Pascha non esse Hebræum, sed Græcum derivatum à πάσχω, quod est patior: loquuntur enim per abusionem & accommodationem, ad passionem Christi designandam, & non juxta proprium vocis etymon. Etsi verò Phase transitum significet, ipsum tamen sive Phase, sive Pascha translatum est ad significandum, quandoque agnum Paschalem, ut Lucæ 22. *Venit dies azymorum in qua necesse erat occidi Pascha*: quandoque festum seu solemnitatem paschalem, ut eodem c. *Appropinquabat dies festus azymorum qui dicitur Pascha*; interdum, totam hebdomadam paschalem, ut Act. 12. *volens post Pascha producere eum populo*: interdum victimas paschales, ut Deut. 16. *Immolabis Phase Domino Deo tuo de ovibus & de bobus*.

Phase varia significat.

Abutuntur porro hæretici hac sententia, est enim Phase, id est transitus Domini, contra veritatem Sacramenti Eucharistiæ. Cum enim illa propositio careat

reat

reat subjectū, volunt ita ex præcedentibus esse supplendam: Agnus enim ille est Phase, id est, transitus. Et quoniam Agnus non potest dici esse transitus, nisi quia significat transitum; addunt verbum *est* poni pro significat, atque ita etiam esse accipiendum in ista forma: *Hoc est corpus meum*.

Contra hæreticos. Quibus in primis respondendum est, si verbum, *est*, aut hoc loco, aut uspiam alibi ponatur pro significat, non sequi quòd sic accipiatur in forma Eucharistiæ: quia termini qui in ea reperiuntur, *hoc*, & *corpus meum*, non sunt inter se incompatibiles, sicut sunt *Agnus* & *transitus*, quorum unus est animal, alius actio. Deinde, nec necesse est propositionem ita suppleri, Agnus est transitus; nec, si sic suppleretur, concedi oportet, *est*, poni pro significat, secundùm ea quæ diximus 3. p. quæst. 78. artic. 2. Ista namque sententia, *est enim Phase*, rectè intelligitur sine ulla suppletione tamquam absolutè posita: hoc modo; *Comedetis festinanter, est enim Phase, id est, transitus Domini:* q. d. Ideo debetis comedere festinanter, quia jam jam erit Phase Domini; sive quia jam nunc Dominus est transiturus: Aut si quis propositionem ita supplendam putet, Agnus enim ille est Phase Domini, intelligi potest Phase seu transitum idem valere, ac hostiam pro transitu.

[*Percutiamque omne primogenitum in Terra Ægypti ab homine usque ad pecus*: Inclusivè, hoc est, tam hominum quàm pecorum.

[*Et in cunctis diis Ægypti faciam judicia*, ] Pro quo 70. habent, ultiones. Dicunt autem Hebræi, teste B. Hieronymo epistola 127. Mansione 1. quòd nocte qua egressus est populus, omnia in Ægypto templa destructa sint, sive motu terræ, sive ictu fulminum: Alii addunt omnia Ægyptiorum idola fuisse tunc vel comminuta & in pulverem resoluta, vel liquefacta & in terram fusa. Per transitum Hebræi populi de Ægypto

Mystice. allegoricè designabatur transitus Christi de hoc mundo ad cœlum; Moraliter autem egressus animæ fidelis à cogitationibus Ægypti, seu à peccatis ad opera virtutum laboriosa quibus ad patriam tendit: ea autem sic egrediente, oportet quòd errorum idola corruant, perversaque doctrina desinat.

[℣. 13. *Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis:* ] Sermo est de sanguine qui jubebatur poni super postes & in superliminaribus domorum, in quibus Hebræi comedebant agnum. Qui sanguis erat eis signum quòd Angelus eos non percuteret, sed intactos pertransiret. Unde addit:

[*Et videbo sanguinem, & transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens quando percussero Terram Ægypti.*] Non quòd Angelus tali signo indigeret, sed quia Deus volebat Hebræos eo signo expectare tutelam & salutem, in typum sanguinis Messiæ, per quem liberandi aliquando erant de morte æterna. Sicque per ejusmodi cæremoniam Hebræi implicitè profitebantur se per sanguinem Christi liberandos esse de potestate diaboli & inferni.

[℣. 14. *Habebitis autem hunc diem in monumentum:* ] Seu memorialem q. d. hunc diem specialiter habebitis in memoria propter singularia beneficia in eo vobis præstita.

[*Et celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris*] in omnibus familiis quæ ex vobis descendent.

Quid sempiternum. [*Cultu sempiterno*. ] Sive ut vers. 17. dicitur, ritu perpetuo. Sempiternus autem & perpetuus dicitur iste cultus, non quia duraturus esset in æternum propriè loquendo, cum jam diu cessaverit; sed quoniam scriptura illud vocare solet sempiternum ac etiam æternum, vel perpetuum, quod diu servandum præfigitur absque temporis determinatione, & ita ut non liceat pro libitu intermittere vel mutare, quamvis postea ex præcipientis voluntate mutetur: Agni autem Paschalis immolationem ejusque ritum sic servari jubebat Deus.

[℣. 15. *Septem diebus azyma comedetis:* ] Hi dies distinctè exprimuntur versu 18. nempè à vespera diei decimæ quartæ finientis aut finitæ quando incipiebat dies decimus quintus, usque ad vigesimum primum diem inclusivè.

At dices Septuaginta infra cap. 13. vers. 6. expressè dicunt, sex dies comedetis azyma, similiterque habet nostra versio Deut. 16. vers. 9. Contra verò Josephus lib. 2. Antiquit. cap. 5. ponit octo dies azymorum.

Resp. scripturam constanter præcepisse septem dies azymorum, etiam illo cap. 16. Deuteron. ubi sic dicitur, *Septem diebus comedes absque fermento:* Et postea, *Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis septem diebus:* Ac proinde quod ibi sequitur, *Sex diebus comedes azyma, & in die septima, quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus*, non significat sex tantùm diebus comedendum esse azyma, sed hunc habet sensum: Sex diebus comedes azyma, non teneberis tamen omnibus illis diebus cessare ab opere: Septimo autem die, quia tunc est dies collectæ seu cœtus, præter hoc quòd vesceris azymis, debes etiam vacare ab opere. Eademque responsio adhibenda est ad lectionem 70. Ad Josephum quod attinet, ipse lib. 3. cap. 10. disertis verbis scribit festum azymorum durare dies septem, per quos panibus non fermentatis vescuntur Judæi: & revera non sunt plures, computando dies à vespera in vesperam, sicut solebant computare dies festos, quamvis inveniri possint synecdochicè dies octo, si dies computentur ab ortu solis, & primus dies azymorum statuatur dies decimus quartus ut separatus à decimo quinto, & non quatenus ejus vespera erat initium diei decimi quinti.

Observandum hic istud præceptum de azymis per septem dies edendis, non pertinere præcisè ad primam celebrationem Paschæ factam in Ægypto, sed ad eas quæ celebrandæ postea erant in Palæstina. Quamvis enim egressi de Ægypto fuerint usi azymis per triginta dies, ut ex seq. cap. 16. colligi potest; hoc tamen non fecerunt ex præcepto, sed ex necessitate, quia Ægyptii urserant eos ad exitum, & non dederant spatium temporis ad fermentandum necessarii, infra vers. 39. In hujus autem rei memoriam Deus futurorum præscius septem dies azymorum præscribit postea observandos, sicut manifestum est ex Deuteron. 16. v. 3.

[*In die primo non erit fermentum in domibus vestris:*] Hoc ita specificatur, ne si fermentatum in cellis aut promptuariis fuisset permissum, multi occasionem inde acciperent comedendi de fermentato. Quoniam verò quæri potest, quis esset ille primus dies, notari convenit quòd festum azymorum incipiebat simul cum esu Agni Paschalis, quia cum eo agno comedendi erant panes azymi: Ac proinde dies primus azymorum incipiebat in vespera, quæ erat finis diei decimi quarti, & initium decimi quinti.

[ *Quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel*, ] hoc est, interficietur, ex sententia nimirum judicis, si res judicialiter constiterit: Si autem non constiterit, Deus ipse vindicabit nisi per pœnitentiam fuerit placatus. Quamvis ergo comedere fermentatum posset secundùm se videri leve; quia tamen tam severè id prohibebatur Hebræis, mortale ipsis erat legem illam transgredi.

[*A primo die usque ad diem septimum*. ] Id est, à vespera diei decimi quarti finientis seu finiti, usque ad vesperam diei vigesimi primi inclusivè.

[ ℣. 16. *Dies prima erit sancta atque solemnis*, ] divino videlicet cultui dicata & festiva, solemnisque propter publica & solemnia sacrificia quæ tunc offerri debebant, Num. 28.

[ *Et dies septima eadem festivitate venerabilis:* ] Æquè nimirum festiva, & pari grado ac cultu solemnizanda.

[*Nihil operis facietis in eis*, ] in prima nimirum & septima die: sermo autem est de opere servili, quod in festis diebus generaliter erat prohibitum.

[ *Exceptis his quæ ad vescendum pertinent*. ] Sabbatū erat quadam ratione sanctius quam Phase.
Unde colligunt Liranus & Abulens. quòd Israelitæ in istis diebus poterant cibos parare, & ad illos tum parandos tum coquendos aquam haurire, ignem accendere, ligna que componere, imò & scindere: cujusmodi opera cum in sabbato non licerent, infrà cap. 35. & Numer. 15. consequens est

quod

quòd etſi primus ac ſeptimus dies azymorum eſſent ſolemniores ſabbatho, quantum ad populi conventus & ſacrificia: ſabbatbum tamen quadam ratione, fuerit ſanctius.

[ ℣. 17. *In eadem enim ipſa die edacam exercitum veſtrum de terra Ægypti,* ] dies illa prima eſt azymorum, & decima quinta primi menſis. Pro *edacam*, in Hebr. eſt, *eduxi:* ſed tum 70. tum noſter interpres intelligentes præteritum, pro futuro eſſe poſitum, rectè verterunt *educam:* exercitum veſtrum, hoc eſt vos, veſtramque multitudinem inſtar exercitus ordinatam & adunatam.

[ *Et cuſtodietis diem iſtum in generationes veſtras ritu perpetuo.* ] Quomodo ritus ille dicatur perpetuus, vide adverſum 14. Liranus, Dionyſius Carthuſianus & alii ſcribunt hujus præcepti obligati obligationem fuiſſe ſuſpenſam uſque dum filii Iſrael eſſent in terra promiſſionis; non enim leguntur celebraſſe Phaſe in deſerto, niſi ſemel, nimirum in ſecundo anno egreſſionis de Ægypto, Num. 9.

] ℣. 19. *Septem diebus fermentum non invenietur in domibus veſtris.* ] Non ſolùm probibentur totis illis diebus comedere fermentatum, ſed & retinere in domo, idque tum in memoriam quòd exeuntes de Ægypto, non potuerant fermentare farinam, tum ad cautelam, ut magis caveretur ab ejus manducatione.

Qui hic advenæ.

[ *Tam de advenis quàm de indigenis terræ.* ] Advenæ hic vocantur, non illi qui ſolùm adveniebant ad habitandum vel ad negotiandum: ſed qui de Gentilitate veniebant ad Judaiſmum, & vocari ſolent Proſelyti; obligabanturque, poſtquam circumciſionem ſuſceperant, ad omnes ceremonias legis Moſaicæ, ut Apoſtolus ad Galat. 5. teſtatur, & eidem pœnæ ſubjacebant, ſi eas tranſgrederentur, cui Iſraelitæ. Indigenæ autem dicuntur, qui de terra noſtra ſunt oriundi: hoc eſt, in propoſito, qui nati erant de genere Hebræorum. Indigena porro non denominatur à verbo indigeo, ſed idem valet quod inde genitus, & non aliunde proveniens.

Qui indigenæ.

[ ℣. 20. *In cunctis habitaculis veſtris edetis azyma.* ] Diſcrimen erat quantum ad manducationem agni & azymorum; quòd azymis ubique deberent veſci per univerſas domos ſuas; agnum verò comedere debebant in Jeruſalem, poſtquam in ea fuit tabernaculum. Et hæc cauſa eſt, cur Judæi moderni exactè ſervent legem de azymis, non ſimiliter de Agno Paſchali, eò quòd non poſſint ire in Jeruſalem.

[ ℣. 21. *Vocavit autem Moyſes omnes ſeniores filiorum Iſrael,* ] hoc ante decimum diem primi menſis factum eſt, ut per Primores populo manifeſtaretur lex de agno azymis, & die decimo agnum ſeu hœdum aſſumerent, die decimo quarto ad veſperam immolandum.

[ *Ite tollentes animal* ] in Hebr. Trahite & accipite vobis pecus. Quod Oleaſter refert ad tractionem agni à grege, à quo non ſponte ſeparabatur, ſed trahebatur ad ſacrificium. Etſi verò indeterminatè hic legatur, *tollentes animal*: quia tamen ſi Moyſes non plus dixiſſet, Hebræi non intellexiſſent de quo animali loqueretur, an de bove, capra, vel ariete; non dubium eſt quin & ſpeciem & qualitatea animalis expreſſerit, præſertim cum referret mandatum à Deo acceptum, ut populus exactè illud ſervaret. Sed ſcriptura breviter narrat ea quæ Moyſea dixit, relinquens ex ſuperioribus intelligendum, quodnam eſſet illud animal, & quas deberet habere qualitates.

[ *Per familias veſtras,* ] Sive per ſingulas familias, quæ nimirum ſufficientes ſunt ad veſcendum agnum: Alioquin plures familiæ ſimul congregari debebant ad ejus eſum.

[ *Et immolate Phaſe.* ] Id eſt, ſacrificium tranſitus, ſeu hoſtiam Paſchalem.

Quo instrumento tingendi erant poſtes.

[ ℣. 22. *Faſciculumque hyſſopi* ] explicant iſta verba ritum quo poſtea & ſuperliminaria deberent tingi ſanguine, nempè non digito, aut aliquo bacillo, ſed hyſſopi ramulis inter ſe colligatis in faſciculum. Qui ritus etſi antea non legatur dictus Moyſi, omnino tamen exiſtimandum eſt quòd Deus illum ei mandaverit, omnes quippe Agni Paſchalis ceremoniæ à Deo fuerunt inſtitutæ. De hyſſopo quæ Hebraicè dicitur Ezbo, variè diſputant ſcriptores: ſed nihil vetat intelligere herbam illam quæ communiter vocatur hyſſopus & habet vim purgativam; eſtque de numero herbarum quæ & mundæ ſunt, & viles, ideoque apta ad repræſentandam munditiam & humilitatem. Neque refert quòd 3. Reg. 4. hyſſopus ſcribatur egredi de pariete. Duplex enim eſt hyſſopus: una montana, alia hortenſis, juxta Dioſcoridem à Marioſiic & à Sanctio in libros Regum citatum; Montana autem in locis ſaxoſis, imò inter ſaxa naſcitur.

De hyſſopo.

[ *Tingite in ſanguine qui eſt in limine,* ] ſeu juxta limen, ſive juxta oſtium. In Hebr. *qui eſt in pelvi*. Sanguis quippe agni quo poſtes & ſuperliminaria erant linienda, excipiebatur in pelvi, ſeu aliquo alio vaſe honeſto, & vas iſtud ponebatur juxta oſtium domus, ut is qui liniturus erat, in promptu haberet ſanguinem in quo faſciculum hyſſopi tingeret, ſicque poſtes & ſuperliminare linire poſſet. Videri poteſt Auguſt. ſuper Exodum.

[ *Nullus veſtrùm egrediatur oſtium domus ſuæ uſque manè.* Tum ne in Angelum primogenitorum Ægypti percuſſorem incidat, & ab eo propter inobedientiam percutiatur; tum ne obvius fiat Ægyptiis, qui inde ſuſpicentur Hebræos mali quidpiam machinari. Ex quibus rationibus probabile fit iſtud præceptum non ſpectaſſe niſi ad hoc paſcha, eo etiam conſiderato, quòd non contineat ceremoniam ad agni immolationem vel eſum pertinentem, ſed ſolùm quiddam poſterius. Neque cenſendi ſunt Iſraelitæ feciſſe contra iſtud præceptum, de nocte egrediendo Ægyptum. Cum enim in noctis medio percuſſa fuerint primogenita & inde magnus clamor in Ægypto exortus fuerit, ac poſtea Pharao Moyſen & Aaron ad ſe vocaverit, eiſque mandaverit ut cum toto populo exirent, facilè eſt intelligere, quòd duabus vel tribus horis poſt mediam noctem exiverint, atque ita mane: Nam & is dicitur manè ſurgere ad orandum vel ſtudendum, qui circa ſecundam vel tertiam horam poſt mediam noctem ad hoc ſurgit. Dici etiam poteſt hic præcipi ut nullus egrediatur domo, ſponte & priuſquàm ſit tempus egredi de Ægypto; Iſraelitæ autem non ſponte fuerunt egreſſi, ſed cogentibus exire Ægyptiis, & quidem de Ægypto.

[ ℣. 23. *Tranſibit enim Dominus percutiens Ægyptios.* ] Quatenus ſcilicet Angelus ille tranſibit, qui Deum Deique perſonam repræſentat.

[ *Et non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras & lædere.* ] Hinc quidam colligunt Angelum, qui Ægyptiorum primogenita percuſſit, fuiſſe malum, utpotè ira erga Hebræos affectum, ut ſi Deus non impediviſſet, eorum quoque primogenitos occidiſſet. Verùm Cajetanus, Pererius, & alii benè oſtendunt eam collectionem non valere: Nam pro non ſinet, in Heb. ſonat, *non dabit*: & ſive hoc, ſive altero modo legamus, ſenſus eſt, quòd Deus ordinabit ut Angelus percuſſor non ingrediatur domos ſanguine agni ſignatas, quòdque præcipiet, ut illas pertranſeat. Introducitur enim Deus tamquam præſidens Angelo vel Angelis percuſſoribus, perinde ac ſi dua præſens diceret: Hanc domum intrate, illam verò non intrate, ſed præterite. Juxta quæ nihil de Angeli contra Hebræos affectu dicitur. Et cum ex cap. 14. appareat, bonum fuiſſe Angelum, qui ſubmerſit Ægyptios; idem videtur dicendum de percuſſore primogenitorum. Quod autem ex Pſalm. 77. poſſet opponi, ſolutum fuit ad cap. 7. verſum 21.

Non fuit malus Angelus.

Quæſtio autem eſt, utrùm interfectio primogenitorum Ægypti facta fuerit per unum Angelum, an per plures.

Pererius Cajetanum ſecutus probabiliter putat quòd per plures, ita ut cujuslibet civitatis vel magnæ habitationis fuerit unus Angelus percuſſor: Terra enim Ægypti longiſſimè ac latiſſimè patet, habens plurimas civitates longiſſimis diſſitas intervallis; cædes autem illa facta eſt in tota Ægypto, ubicumque locorum verſabantur Ægyptii, & quidem breviſſimo tempore; ut proinde non appareat quòd per unum Angelum fieri potuerit, tranſeuntem per ſingulas domos quæ erant quaſi innumerabiles. Legimus quidem 2. Reg. 24. unum

An-

Angelum occidisse septuaginta millia Hebræorum, sed ea per triduum occisa fuere. Quarti quoque Reg. 19. Angelus interfecit centum octoginta quinque millia Assyriorum, sed illi erant simul in uno exercitu. At cædes Ægyptiaca longè fuit amplior, atque in plurimis ac multum inter se distantibus locis, & brevissimo temporis spatio peracta. Cæterum, quia virtutes Angelorum non sunt nobis plenè perspectæ, ideo solùm ut probabilia hæc dicuntur: Quibus favet quod Psalm. 77. dicitur de Angelis malis in plurali.

[ ℣. 24. *Custodi verbum istud legitimum tibi & filiis tuis usque in æternum*, ] Verbum hoc, est præceptum de immolatione Agni Paschalis, cum suis ritibus; & de excludendo per septem dies ab omnibus Hebræorum habitaculis fermentato.

Demum post ingressum terræ promissionis debuerunt omnes ceremonias servare.

[ ℣. 25. *Cumque introieritis terram*, ] ex hoc apparet filios Israel post egressum de Ægypto non fuisse obligatos observare ceremonias paschales quousque intrassent terram promissionis. Neque refert quòd Num. 9. legantur eas servasse anno secundo egressionis: quia hoc fecerunt ex mandato illic expresso, & non ex vi legis antea latæ: unde totis 40. annis quibus in deserto fuerunt, non leguntur celebrasse Pascha, nisi illa vice. Quinimò credibile est nec ad alias legis ceremonias eos tunc fuisse obligatos, præter quam ad observationem sabbathi.

[ *Observabitis ceremonias istas*. ] In memoriam scilicet prodigiosæ liberationis de Ægypto.

[ ℣. 26. *Et cùm dixerint vobis filii vestri: Quæ est ista religio?* ] Hebr. quis est iste cultus, sive, propter quid introductæ sunt, ac etiam num servantur istæ ceremoniæ, seu iste ritus colendi Deum. Talis namque interrogatio non est principaliter de quid, sed de propter quid: hoc est, de causa ob quam talia servantur.

Ceremoniarum sacrarum utilitas.

Hinc patet ceremonias ad hoc esse utiles, ut dum rudiores eas vident, instruantur de illarum significatione, sive ea sit commemoratio alicujus beneficii præteriti, prout hic fuit; sive beneficii adhuc futuri, in cujus spem erigimur; sive rei præsentis, sed quæ non cadit sub sensum.

[ ℣. 27. *Dicetis eis: Victima transitus Domini est*, ] Sive, est victima in memoriam & actionem gratiarum, pro eo transitu quo Dominus interficiens primogenita Ægyptiorum, transivit ac præteriit domos Hebræorum, neminem in eis percutiens.

[ *Incurvatusque populus adoravit*. ] Gratias agens pro tanto beneficio, & eo ritu profitens se rata & grata habere quæ Moyses dixit. Per populum hoc intelliguntur Seniores seu Primores populi, quia soli illi fuerant vocati versu 21. & isti rectè vocantur populus, tum quòd reliqua multitudo virtualiter includitur in primoribus, tum quòd ipsi populum repræsentant.

Seniores cur vocentur populus.

[ ℣. 28. *Et egressi filii Israel* ] referri hoc potest, vel ad seniores quos Moyses ad se vocaverat, ut sensus sit, quòd postquam ipsi sermonem suum ad illos finierat, ab eo egressi statim cœperunt exequi id quod mandatum fuerat: Vel ad totum populum, qui accepto Dei mandato per Seniores, mox cœperunt illud implere, die decimo quærendo agnum, quem decimo quarto immolarent.

[ ℣. 29. *Factum est autem in noctis medio*, ] Secundùm quod cap. 11. prædictum fuerat.

[ *Percussit* ] seu interfecit.

Qui primogeniti.

[ *Dominus omne primogenitum in terra Ægypti*, ] Primogeniti vocantur ante quos nulli erant nati, sive interim aliqui post eos nati essent, sive nulli.

Quæritur autem 1. si omnes primogeniti fuerunt occisi, quomodo non etiam Pharao, qui primogenitus patris sui fuisse videtur, quandoquidem ei successerit in regnum. Quidam respondent ipsum non fuisse patris sui primogenitum, neque habuisse regnum per successionem, sed per electionem. Quod aliqualiter doceri potest ex eo quòd regnum Ægypti non semper manebat in eadem linea, vel generatione, sed modò regnabant hi, modò illi. Alii dicunt primogenitos alicujus domus vel familiæ more scripturæ vocari eos qui in ea domo vel familia erant primò nati; Pater autem alicujus familiæ, tametsi fuisset primogenitus sui patris, non erat tamen primogenitus suæ familiæ, sed caput. Ac proinde quamvis daretur quòd Pharao fuerit patri suo primogenitus, non comprehendebatur inter primogenitos qui per Angelum interficiebantur: quia non erat primogenitus suæ domus vel familiæ, sed caput & paterfamilias.

Quæritur 2. quid si in aliqua domo mortuus antea fuisset is qui erat primogenitus? Resp. quòd ibi occidebatur is qui in jus & locum primogeniti successerat, juxta Cajet. magis tamen crediderim in nullis Ægyptiorum domibus defuisse veros primogenitos.

Quæritur 3. quid si præter primogenitum patrisfamilias, fuisset alius ex altera ejus uxore primogenitus. Resp. eum quoque fuisse occidendum, quandoquidem esset in domo illa primogenitus, saltem respectu matris.

Quæritur 4. An filiæ primogenitæ fuerint comprehensæ in cæde primogenitorum. Ita quidam opinantur: in partem tamen negativam cum Lorino in cap. 18. Sap. & aliis magis propendeo; tum quòd sicut latinus, ita Hebræus textus tantùm loquitur de primogenitis masculini generis; tum quòd fœminæ non gaudebant jure primogeniti; tum quòd præceptum de primogenitis Deo offerendis infra cap. 13. solùm de masculis procedit, cum ista ratione subjuncta. *Occidit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti à primogenito hominis usque ad primogenitum jumentorum: Idcirco immolo Domino omne quod aperit vulvam masculini sexus, & omnia primogenita filiorum meorum redimo.* Quæ ratio ut benè quadret, dicendum videtur non alios quàm masculos primogenitos fuisse in Ægypto occisos: Si enim occisæ fuissent Ægyptiorum fœminæ primogenitæ, quare Deus non exegisset primogenita sicut masculini, ita & fœminei sexus? Accedit quòd pro primogenitis Deus sibi voluit substitui ac consecrari Levitas Numer. 3. idque propterea, quia interfecit omne primogenitum Ægypti, eodem lib. cap. 8. Sicut ergo solos masculos sibi sanctificari voluit, ita solos masculos interfecit.

Filiæ primogenitæ non fuerunt occisæ, sed tantum filii.

[ ℣. 30. *Surrexitque Pharao nocte*. ] Excitatus, ut verisimile est, dolore ac gemitu filii sui primogeniti, prius quam animam exhalaret: Probabile enim est primogenitos Ægyptiorum, neque omnino subita, neque facili morte obiisse, ut tantò gravior esset & ipsorum & parentum pœna, ob non exauditos gemitus tum infantium Hebræorum in aquas projectorum, tum parentum eorum. Id namque indicatur Sap. 18. ubi de hac primogenitorum cæde sermo est: *Tunc continuò visus somniorum malorum turbaverunt illos, & timores supervenerunt insperati. Et alius alibi projectus semivivus propter quam moriebatur, causam demonstrabat mortis.*

[ *Et ortus est clamor magnus in Ægypto:* ] Qui dicto cap. 18. sic paulò ante describitur: *Resonabat autem inconveniens* ( seu dissona, qualis esse solet ejulantium) *inimicorum vox, & flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium.* Eumdem clamorem describit Philo lib. 1. de vita Moysi.

[ *Neque enim erat domus in qua non jaceret mortuus*. ] Quibusdam non videtur verisimile in omni domo per universam Ægyptum, fuisse aliquem primogenitum; sive quia aliqui recenter essent matrimonio juncti, sive ob alias causas. Ideo sunt qui sententiam hanc ita interpretantur: Non erat domus in Ægypto habens aliquem primogenitum, in qua non jaceret mortuus. Alii sic, vix erat aliqua domus in qua &c.

Non videtur tamen necessarium ad aliquam ejusmodi explicationem recurrere; cum Deo ita disponente fieri potuerit quòd in omnibus omnino domibus Ægyptiorum esset aliquis primogenitus, ideoque vera sint Sacræ Scripturæ verba, sicut sonant. Et hæc est sententia B. Augustini quæst. 44. in Exod. & post eum Lirani: Juxta quam ulterius dicendum est, Deo sic ordinante aut nullos tunc in Ægypto fuisse recens conjugatos; aut si qui erant, eos adhuc mansisse in domo parentum, in qua vel ipsi, vel aliqui alii erant primogeniti.

[ ℣. 31. *Vocatisque Pharao Moyse & Aaron nocte*, ] Magnis tum doloribus tum clamoribus angustiatus Pharao,

rao, majoraque adhuc metuens mala, utpotè ſui ac ſuorum totale exitium ſi Hebræi diutiùs in Ægypto manerent, velociter fecit vocari Moyſen & Aaron, poſt mediam noctem

[*Ait: Surgite & egredimini à populo meo,*] hoc eſt, de Ægypto.

[*Vos & filii Iſrael: Ite, immolate Domino ſicut dicitis.*] Euntes ſcilicet viam trium dierum, quemadmodum petiiſtis, ſupra c.3.v.18.

[℣. 32. *Oves veſtras & armenta aſſumite ut petieratis,*] Cap. ſcilicet 10. v. 25. & 26. Nihil dicit de parvulis & ſenibus, quia hos jam antea deduci conſenſerat, nimirum dicto cap. 10. v. 24.

[*Et abeuntes benedicite mihi.*] Bona pro me & regno meo precamini. Hoc non dicit vera animi pœnitentia ductus, ſed tantùm ex timore graviorum malorum, unde nec veriſimile eſt Moyſen, qui obſtinationem ejus non ignorabat, id feciſſe.

[℣. 33. *Urgebantque Ægyptii populum de terra exire velociter,*] Sicut Pharao Moyſen & Aaron urgebat; ita reliqui Ægyptii populum Hebræum urgebant ut citò recederent. Experti enim erant quòd poſt unam plagam quando Pharao Hebræos detinebat, ſtatim ſequebatur alia; ideo quia poſt cædem primogenitorum nulla gravior plaga reſtabat, niſi ut omnes Ægyptii perirent, putaverunt ſe omnes perituros, ſi Hebræi diutiùs apud ſe manerent: & propterea ſubjungunt.

[*Omnes moriemur.*] Niſi videlicet vos omnes velociter exieritis.

[℣. 34. *Tulit igitur populus conſperſam farinam*] Farina conſperſa eſt maſſa ſeu paſta ex aqua & farina commixta, & manibus pedibuſve ſubacta.

[*Antequam fermentaretur:*] Ut enim habetur verſu 39. *Non poterant eam fermentare, cogentibus exire Ægyptiis, & nullam facere ſinentibus moram.* Ex quo patet Iſraelitas omnino cogitaſſe panes fermentatos ſibi parare ad iter, ſed opinione ſua citius compulſos fuiſſe exire: Ac proinde quòd poſt manducationem agni diu fuerint uſi azymis, fuit ex neceſſitate.

[*Et ligans in palliis,*] in Heb. & 70. in veſtimentis ſuis, ſub quibus comprehenduntur mappæ & ſindones lineæ ad paſtam continendam idoneæ.

[*Poſuit ſuper humeros ſuos.*] Quoniam ad portandos parvulos & alia ſupellectilia vix ſufficiebant jumenta, ideo multi debuerunt maſſas farinæ conſperſæ imponere humeris.

[℣. 35. *Feceruntque filii Iſrael ſicut præceperat Moyſes: & petierunt ab Ægyptiis vaſa argentea & aurea veſtemque plurimam.*] Jam hoc factum fuerat ante mortem primogenitorum Ægyptiorum, ſed nunc per recapitulationem repetitur, ait Auguſt. quæſt. 45. in Exod. Confer quæ ad cap. 11. diximus.

[℣. 36. *Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis*] Sicut c. 11. promiſerat.

[*Ut commodarent eis.*] In Heb. 70. *Et commodaverunt eis,* arbitrati nimirum Hebræos opus habere talibus rebus pretioſis ad ſacrificia & feſta quæ debebant in deſerto facere.

[*Et ſpoliaverunt Ægyptios.*] Quibus conformiter Sap. 10. legimus quòd *juſti tulerunt ſpolia impiorum*: ſpolium autem eſt quidquid ab hoſtibus detrahitur, etiamſi juſtè.

Cæterum an Hebræi in iſta ſpoliatione peccaverint vel peccato furti, res Ægyptiorum ipſis invitis auferendo ac detinendum: vel peccato mendacii, fingendo ſe petere, ut poſtea redderent, quæri poteſt. Sed Reſp. ipſos nullo modo peccaſſe.

Hebræi non peccaverunt ſpoliando Ægyptios.

Non peccato furti, quia nihil acceperunt vel detinuerunt invito Domino: Deus enim, qui bonorum Ægypti, ut & omnium aliorum quæ homines poſſident, verus eſt Dominus & cuicumque vult aufert, donatque cui voluerit, juſſerat ut Hebræi omnia illa peterent ab Ægyptiis cap. 3. & 11. voluntatiſque ejus fuit quòd ea retinerent, ut tum ex iiſdem locis liquet, tum ex Sap. 10. ibi, *Reddidit juſtis mercedem laborum ſuorum.* Diu ſiquidem multumque tametſi liberi & ingenui ſervierant Ægyptiis, nec ullam tam laborioſæ ac diuturnæ ſervitutis mercedem acceperant; Deus autem illa Ægyptiorum bona eis dedit loco mercedis. Vide B. Th. 2. 2. q. 66. art. 5. ad 1. & quæ ibi diximus. Si quæras An ejuſmodi mercedis titulo potuiſſent omnia illa auferre, ſi non interceſſiſſet juſſio vel donatio Dei. Reſp. quòd ſic, ſi ſolùm à Pharaone & à duris operum præfectis abſtuliſſent eorum bona. Sed quoniam etiam ab amicis & vicinis & hoſpitibus ſuis illa abſtulerunt; qui non fuerunt, ſaltem omnes cauſa laborum quos Hebræi ſuſtinere debuerunt, non videntur potuiſſe illa omnia auferre citra Dei juſſionem vel donationem.

Non peccaverunt quoque Hebræi peccato mendacii, petendo ab Ægyptiis bona eorum; quia vel non petierunt titulo commodati, ſed ſimpliciter ad utendum eis in ſuum commodum: vel ſi eo titulo petierunt, qui probi erant, habebant intentionem reddendi, niſi per aliquem alium modum eſſent aut fierent ſua, ſibique propria, ſcilicet per donationem Dei.

Moraliter obſerva quòd ſicut Hebræi cum de Ægypto ſunt egreſſi, pretioſiſſimis quibuſque bonis ſpoliaverunt Ægyptios, eaque poſtea dederunt in effectionem & ornatum tabernaculi, aliosque ſacros uſus; ita qui ex gentilitate tranſierunt ad Chriſtianam religionem, in eaque fuerunt Chriſtianæ diſciplinæ Doctores, omnibus ferme bonis artibus & diſciplinis ſpoliaverunt ethnicos, eaque ſpolia magnificè atque utiliter contulerunt ad fidei Chriſtianæ defenſionem, ad eruditionem populi fidelis, ad Scripturæ Sacræ explanationem, atque ad errorum confutationem. Eodem pertinet quod Auguſt. lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 40. monet philoſophos, ſi qua forte vera & fidei noſtræ accommoda dixerunt, non eſſe formidandos; ſed ab eis tamquam injuſtis poſſeſſoribus in uſum noſtrum vendicanda; exemplumque adfert de Ægyptiis qui non ſolùm idola habebant, ſed etiam vaſa aurea & argentea. Sic enim doctrinæ gentilium non ſolùm continent ſuperſtitiones, ſed etiam liberales diſciplinas uſui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta utiliſſima; ac nonnulla inſuper vera de Deo colendo.

Myſtica.

[℣. 37. *Profectique ſunt filii Iſrael de Rameſſe*] Quadraginta duæ manſiones Hebræorum de Ægypto in terram promiſſionis tranſeuntium numerantur à B. Hieronymo epiſtola 127. ad Fabiolam, & aliis, conformiter ad ea quæ Num. 33. ſcribuntur: ita tamen ut prima manſio computetur in Rameſſe: Ad hanc quippe urbem quæ in extremis Ægypti finibus erat, populus congregatus eſt qui in deſertum exire cupiebat, ait Hieron. dicta epiſtola manſione 1. Ita nimirum jubente Moyſe, ut omnes ſimul recederent, & haberent unum ducem, ne diſperſim vagarentur. Non videtur tamen quòd ſola urbs Rameſſes, ſit hic intelligenda, ſed tot inſuper loca adjacentia, quot tantæ hominum multitudini capiendæ erant neceſſaria. Et quando fuit de Rameſſe proficiſcendum, veriſimile eſt ibi ſuper eos veniſſe nubem quæ dirigeret exercitum eorum, quia Dominus præcedebat eos ad oſtendendum viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut dicitur cap. 13. & quia alioqnin exeuntes de Rameſſe, neſcirent quam viam tenere deberent, & forte ambulaſſent per viam terræ Philiſtiim quæ vicinior eſt & populoſior.

Prima manſio fuit in Rameſſe.

Rameſſes S. Hieronymus interpretatur tonitruum gaudii. Inſolito namque gaudio illic perfuſi fuerunt Hebræi, quòd ex duriſſima longiſſimaque ſervitute viderent ſe jam liberari.

[*In Socoth,*] hæc eſt ſecunda manſio, in qua primùm fixerunt tentoria ſeu tabernacula; unde (ut ait Hieronymus) ex re nomen accepit: Socoth enim ſignificare tabernacula habetur Gen. 33.

Secunda manſio in Socoth.

[*Sexcenta ferè millia peditum virorum, abſque parvulis.*] Quidam addunt & mulieribus; ſed abeſt à latinis exemplaribus correctioribus, uti & ab Hebræis; ſubintelligitur tamen, quia maſculorum dumtaxat mentio fit. 70. habent præter apparatum ſeu ſupellectilem: quo nomine ſignificatur omnis familia minimè ad bellum idonea, ſicut per pedites viros intelliguntur illi qui ad bella erant apti, cujuſmodi erant qui annum ætatis vigeſimum attigerant. Ab illo enim anno ſolent Hebræi ſuos conſcribere ad militiam, uſque

ad ætatem decrepitam. Quapropter non continentur in hoc numero sexcentorum millium, parvuli, adolescentes infra annum vigesimum, senes decrepiti, mulieres sive juvenes sive senes. Qui si omnes computentur, facilè reperientur plus quam decies & quinquies centena millia gentis Hebrææ exiisse de Ægypto. (Qui non essent numerati in numero sexcent. millium.) Abulensis putat etiam Levitas non fuisse comprehensos in numero hic expresso: sed oppositum est verisimilius, quia Levitæ necdum fuerant à reliquo populo segregati.

Quæri potest quomodo hic dicantur sexcenta ferè millia, quod notat quamdam diminutionem, cum cap. 1. & 2. Numer. numerentur sexcenta tria millia quingenti quinquaginta præter Levitas. Quidam respondent voculam, *fere*, non esse hic diminutivam, sed idem valere quod, plus minus: nam in Hebr. sonat, quasi sexcenta millia. Unde Josephus lib. 2. Antiquit. cap. 5. al. 3. scribit quòd sexcentorum millium numerum explebant. Addi potest numerationem quæ est in lib. Numer. factam esse uno anno & decem vel duodecim diebus post egressionem Israelitarum de Ægypto: quo tempore multi potuerunt pervenisse ad annum suæ ætatis vigesimum.

[ ℣. 38. *Sed & vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis*, ] Vulgus promiscuum vocat scriptura turbam Ægyptiorum vel etiam aliarum nationum omnis ætatis, conditionis, & sexus, qui conversi ad Judaismum abeuntes Hebræos comitari voluerunt; adeò ut his computatis non improbabiliter quidam opinati sint universam multitudinem exeuntium, fuisse tricies centena millia hominum, ait Peter. disput. 19.

At quomodo illi permissi fuerunt exire cum Hebræis? Resp. quia tam Pharao quàm reliqui Ægyptii ita erant cædibus suorum primogenitorum consternati, & ad eorum sepulturam occupati, ut partim non adverterent, partim non curarent.

[ *Oves & armenta* ] sub ovibus capræ comprehenduntur, quia ista duo pertinent ad greges: Armenta autem vocantur boves, vaccæ, & hujusmodi.

[ *Et animantia diversi generis* ] ut asini, equi, cameli.

[ ℣. 39. *Coxeruntque farinam, quam dudum de Ægypto conspersam tulerant:* ] Neque Hebræa neque 70. quæ nunc sunt in manibus, addunt voculam, *dudum*: Rectè tamen additur, quoniam pro subjecta materia erat dudum quòd farina fuerat conspersa, nimirum plus quàm integer dies: Dudum autem quandoque diem non transcendit, velut cum dicitur dudum intravi, dudum te expecto, id est, hora una atque altera est quòd intravi, quòd te expecto, sicut observavit Ambrosius Calepinus.

[ *Et fecerunt subcinericios panes azymos*: ] In hac nimirum secunda mansione.

[ *Neque enim poterant fermentari* ] Scilicet panes. Alii legunt non poterat, nimirum farina: & sermo est de illo tempore quo adhuc erant in Ægypto, & quo voluissent farinam conspersam fermentare, si tempus habuissent. Unde ratio sequitur.

(Quid pulmentum. Moralia.) [ *Cogentibus exire Ægyptiis, & nullam facere sinentibus moram: nec pulmenti quidquam occurrerat præparare*. ] Pulmentum est omne illud quod cum pane comeditur, ut carnes, pisces, olera, & alia hujusmodi.

Ad mores quod attinet, debemus de pejoribus ad meliora transeuntes, tenebrosam Ægyptum relinquere. Cumque commoti fuerimus tonitruo gaudii de salute nobis per Christum futura, sic tabernacula figamus, ut meminerimus nobis ad ulteriora pergendum, neque comedamus de fermento Ægypti, de fermento malitiæ & nequitiæ, sed vescamur azymis sinceritatis & veritatis 1. ad Corinth. 5. Domini præceptum opere consummantes, *Cavete à fermento Pharisæorum*, Matth. 16.

[ ℣. 40. *Habitatio autem filiorum Israel qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum*. ] Non sunt hi anni computandi, vel à venditione Joseph in Ægyptum Genes. 37. vel ab eo tempore quo Jacob illuc cum suis descendit Genes. cap. 46. sic enim non posset tantus annorum numerus invenire; sed à promissione seminis facta Abrahæ Gen. 12. quando Abraham erat septuaginta quinque annorum: Ab eo namque tempore quadringentos & triginta annos computat Apostolus ad Galat. 3. Et quoniam non tot annis fuerunt filii Israel in sola Ægypto, ideo vel sub Ægypto, intelligenda etiam est terra Chanaan & quod dicitur de filiis Israel, de progenitoribus quoque ipsorum, Abraham, Isaac, & Jacob accipi debet, conformiter iis quæ sunt apud interpretes 70. *in Ægypto & in terra Chanaan*; atque ut legit August. quæst. 47. in Exod. *ipsi & patres eorum*: (Unde isti anni computandi.) Vel sensus est, non quòd filii Israel habitaverunt in Ægypto quadringentis triginta annis, sed quòd eorum habitatio in Ægypto pervenit usque ad quadringentesimum trigesimum annum peregrinationis Abrahæ & seminis ejus, qua nimirum peregrinari cœpit exiens de Ur Chaldæorum: aut quòd pervenerit ad quadringentesimum trigesimum annum à promissione seminis facta Abrahæ. Ita Cajetanus, eumque sequens Cornelius. Simili phrasi legitur Judith ult. quòd ipsa mansit in domo viri sui annos centum quinque, id est, usque ad annum suæ ætatis centesimum quintum.

[ ℣. 41. *Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti.* ] Significatur quòd post quadringentos illos & triginta annos, una eademque die simul exiverint omnes Hebræi de Ægypto, & quidem non confusè, sed per turmas benè dispositas, & tamquam instructo agmine in modum exercitus benè ordinati procedentes.

[ ℣. 42. *Nox ista est observabilis Domino*, ] Q. d. ista nox digna est quæ ad honorem Dei observetur, & in peculiari cultu habeatur.

[ *Quando eduxit eos de terra Ægypti:* ] Dicitur Deus eduxisse Hebræos nocte; (Cur dicatur eduxisse nocte.) partim quia nocte fecit ut educerentur, compellens tunc Pharaonem ut eos dimitteret, faciensque ut varii nuntii noctu mitterentur ad illos, & monerent quatenus citò egrederentur: partim quia Hebræi nocte cœperunt egredi. Quemadmodum enim præmoniti fuerant à Moyse cum Ægyptii urgerent illos ad exeundum, omnes cum suis supellectilibus venerunt ad urbem Ramesses; cumque ibi essent congregati, per turmas & sodalitia fuerunt à patribusfamilias & præfectis distributi: quæ omnia plurium horarum tempus requirunt, in multitudine præsertim tam copiosa: Ac deinde dato signo egressi sunt mane, videntibus cunctis Ægyptiis, & sepelientibus suos primogenitos, ut ex Numer. 33. patet, ita ut facilè dies clara fuerit prius quàm omnes essent egressi. Voluit verò Deus egressionem hanc nocte inchoari, ut tempus ipsum esset typus tum calamitatis in Ægypto toleratæ ab Hebræis, tum earum tenebrarum è quibus Christus nos eduxit: Solet enim scriptura miseriis tenebris significare.

[ *Hanc observare* ] seu celebrem habere.

[ *Debent omnes filii Israel in generationibus suis*. ] Id est, ipsi & qui ab ipsis descendent. Sermo est de nocte illa, in cujus vespera Israelitæ celebrarunt Pascha, & in cujus medio percussa fuere primogenita Ægypti, ac deinde Hebræi dimissi. Discimus hinc contra sectarios meritò dies quosdam vel noctes præ aliis debere observari; & quæ hujus observationis sit ratio, nempè beneficia quæ in illis Deus nobis præstitit.

[ ℣. 43. *Hæc est religio Phase*: ] Hic est, ritus servandus in celebratione Phase, seu in immolatione Agni Paschalis.

[ *Omnis alienigena non comedet ex eo*. ] Id est nullus alienigena. Per alienigenam intelligitur is qui alienus erat à gente & religione Judaica. Quæ observatio etiam in Eucharistia tenenda est; quia nulli danda est, nisi qui sit catholicus & bonæ vitæ.

[ ℣. 44. *Omnis autem servus empritius circumcidetur, & sic comedet*. ] Quidam hoc ita accipiunt, quasi præcipiatur Hebræis ut servum emptitium circumciderent etiam invitum, & tunc ex agno comederet. Sed quoniam circumcisio erat Sacramentum & protestatio fidei, ita ut quicumque eam susciperet, debitor fieret universæ legis ad Gal. 5. ad fidem verò & religionem Judaicam non magis cogendi erant servi emptitii, quàm alii, eò quòd fides sit libera,

& fa-

& ſalus tunc haberi poſſet à gentilibus abſque circumciſione: Ideo tam 3. p. quæſt. 70. quàm in cap. 17. Geneſis oppoſitum velut probabilius docuimus; ut proinde hujus ſententiæ ſenſus ſit, quòd ſervus emptitius, quamvis ſit de veſtra familia, non ſit tamen admittendus ad eſum agni, niſi prius fuerit circumciſus: ſed ſi eum comedere voluerit, antea circumcidatur, & ſic comedat. Neque refert ſcripturam diſtinguere ſervum ab advena & mercenario; propterea enim diſtinguit, ne putaretur quòd ſervus, utpotè domeſticus & pars familiæ, poſſet cum aliis domeſticis edere de agno paſchali, etiamſi non eſſet circumciſus. Ut proinde iſte ſenſus reddi poſſit. Omnis ſervus emptitius, quantumvis ſit domeſticus, non poteſt tamen agnum comedere, niſi prius fuerit circumciſus.

[ ℣. 45. *Advena & mercenarius* ] Advena non ſumitur hic ſicut verſu 19. pro proſelyto, ſed pro gentili qui ad Hebræorum terram veniret ad habitandum vel mercandum inter illos: Mercenarius autem, qui mercede conductus pro illis operabatur.

[ *Non edent ex eo.* ] Niſi videlicet prius fuerint circumciſi.

[ ℣. 46. *In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus ejus foras,* ] hinc patet agnum Paſchalem non debuiſſe in templo comedi, ſed totus comedi debebat in ea domo in qua erat immolatus, nec illius pars mitti poterat ad eos qui erant in aliis domibus, ad ſignificandum quòd agnus verus, id eſt, Chriſtus in Euchariſtia ſumendus ſit in Eccleſia quæ eſt una. Licèt enim plures agni fuerint & in pluribus domibus immolati; tamen omnes agni unum Chriſtum, & omnes domus unam Eccleſiam ſignificabant, in qua ſumendum eſt Sacramentum Euchariſtiæ, & non in conventiculis hæreticorum, neque quidquam de ſpeciebus Euchariſtiæ efferendum eſt ad eos qui vel per gentilitatem, vel per hæreſim aut excommunicationem ſunt extra Eccleſiam.

Allegoriam. [ *Nec os illius confringetis.* ] Prout ſolent qui medullam volunt exugere, quia non erit vobis tantum otii ad quærendam voluptatem ex cibo, ſed debebitis feſtinare. Allegoricè ſignificabatur quòd in paſſione & morte Chriſti nullum os ejus eſſet confringendum. Unde Joan. 19. iſta ſcriptura dicitur eſſe impleta, quando milites ad Chriſtum venientes & videntes eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura. Significabatur præterea quòd Chriſtus in Euchariſtia non eſſet confringendus. Unde B. Thomas: *Nulla rei*, hoc eſt, corporis Chriſti *fit ſciſſura, ſigni*, hoc eſt ſpecierum *tantùm fit fractura, qua nec ſtatus nec ſtatura ſignati*, id eſt Chriſti, *minuitur.*

[ ℣. 47. *Omnis cœtus filiorum Iſrael faciet illud.* ] Scilicet Phaſe ſeu ſacrificium Paſchale, per ſuum nimirum patremfamilias. Omnis non ſumitur collectivè quaſi omnes ſimul unum agnum ſeu hœdum immolare deberent, ſed diviſivè: ut ſit ſenſus, quòd unaquæque domus unum agnum immolare deberet, ſi nimirum eſſet ſufficiens ad eſum agni; Alioquin ſi non erat ſufficiens, tot vicini aſſumebantur quot ſufficere poterant, ſupra verſu 4.

[ ℣. 48. *Quòd ſi quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam,* ] ſeu cultum & ritum, amplectendo ſcilicet veſtram religionem.

[ *Et facere Phaſe Domini,* ] id eſt, immolare agnum Paſchalem in ſua domo, cujus ipſe eſt caput.

[ *Circumcidetur prius omne maſculinum ejus*, hoc eſt, omnes maſculi qui ſunt de ejus familia circumcidentur: Non enim ſatis erat quòd ipſe circumcideretur, ſed oportebat idem facere omnes ejus domeſticos.

[ *Eritque ſicut indigena terræ:* ] Sicut is qui de terra veſtra eſt genitus, ac per conſequens ſicut natus in Judaiſmo, ſimiliſque erit Judæo.

[ ℣. 49. *Eadem lex erit indigenæ & colono qui peregrinatur apud vos.* ] Hoc eſt, eadem ſervare debet pro immolatione agni Paſchalis ille qui de terra & de ſemine veſtro genitus eſt, ac ille qui de gentilibus converſus eſt ad eumdem Dei cultum, & apud vos moratur.

[ ℣. 51. *Eduxit Dominus filios Iſrael de terra Ægypti per turmas ſuas.* ] Ita ſcilicet ut quælibet tribus per ſe exiret, non permixta alteri; & in unaquaque tribu quælibet familia per ſe ab aliis diſtincta; & in quavis familia, quælibet domus, ut evitaretur confuſio.



## CAPUT XIII.

*In gratiarum actionem pro cæſis Ægyptiorum primogenitis & pro liberatione de Ægypto, Deus jubet ſibi ſanctificari omne primogenitum Hebræorum, & veſci azymis. Iſrael egrediens ſecum tulit oſſa Joſeph, & accipit columnа ducatum.*

[ ℣. 1. L*Ocutuſque eſt Dominus ad Moyſen,* ] Quando iſta locutus ſit Deus, non liquet. Adricomius & Marius arbitrantur quòd die decima tertia, cum Hebræi eſſent in Socoth, ibique fixiſſent tabernacula: Alii, quòd die decima quinta.

[ ℣. 2. *Sanctifica mihi omne primogenitum* ] hoc eſt, à communibus uſibus ſegrega, & in cultum meum applica omne primogenitum, ſcilicet maſculini, ut exprimitur verſu 12. ex quo etiam habetur jam dicta explicatio hujus præcepti, *ſanctifica*, dicitur enim ibi *ſeparabis omne quod aperit vulvam* &c. *Quidquid habueris maſculini ſexus, conſecrabis Domino.* Hujus ergo legis ratione omnia primogenita maſcula erant Deo offerenda & conſecranda, ita ut in cultum Dei cederent; ac proinde ſi munda erant animalia, debebant Deo immolari; ſi immunda, permutari cum mundis quæ immolarentur Deo: homines autem primogeniti debebant in tabernaculo ſeu poſtea in templo offerri Deo, cujus oblationis & ſanctificationis vi oportuiſſet ipſos tota vita manere in Dei ac templi obſequium, ſed Deus eorum loco Levitas aſſumpſit; voluitque ut omne primogenitum hominis redimeretur quinque ſiclis, Num. 18.

[ *Quod aperit vulvam* ] Sive, quod egreditur de vulva, ipſam, cum antea eſſet clauſa, reſerando. Id quod duplici ex cauſa videtur eſſe additum. Prior eſt, ut ſignificaretur quòd Chriſtus iſta lege non comprehenderetur, ut qui matris ſuæ vulvam non aperuerit, ſed clauſo ejus utero natus ſit. Neque refert B. Ambroſium ſuper Lucam, & quoſdam alios veteres, ſcribere quòd Chriſtus B. Virginis vulvam aperuerit; quia aperire ſumunt impropriè; vel pro fœcundare, vel pro exire ſine impedimento, ſeu tam facilè ac ſi vulva fuiſſet aperta. Vide quæ ad 3. p. q. 28. art. 2. diximus. Poſterior, ut ſciremus non de quolibet primogenito hic agi, ſed de eo qui reſpectu matris eſt primogenitus: Unde fit conſequens quòd ſi vidua poſt prolem ex priori marito ſuſceptam, nuberet alteri, & ex eo filium gigneret, ille filius tametſi ex patre virgine natus, non eſſet ad ſenſum hujus legis primogenitus; nec deberet Deo offerri. Contra verò, ſi viduus poſt ſuſceptam prolem ex priore uxore duceret Virginem & ex ea filium ſuſciperet, iſte filius eſſet primogenitus, atque ut talis offerri debebat Deo; quia vulvam matris aperiebat. Idemque dicendum eſt de illo qui plures habebat uxores, quòd earum ſcilicet ſingularum primogeniti; quamvis ex uno patre diverſis temporibus nati, deberent juxta legem primogenitorum offerri; quia ſinguli vulvam matris aperiebant. Si verò fœmina eſſet primogenita, nec ipſa nec maſculus poſt eam natus offerri debebat, quia talis maſculus non aperiebat vulvam matris, & lex non pertinebat ad fœmellas primogenitas.

Chriſtus nõ fuit iſta lege comprehenſus.

[ *In filiis Iſrael,* ] Hoc eſt, inter filios Iſrael.

[ *Tam de hominibus quàm de jumentis:* ] Q. d. omnia primogenita quæ ſunt inter filios Iſrael, ſive ſint primogenita hominum, ſive jumentorum. Ex quibus confirmari poteſt quòd diximus primogenitum ex parte matris ſpectandum fuiſſe; quia pariter mandatur de pecorum & de hominum primogenitis, manifeſtum eſt autem in pecoribus primogenitum ex parte matris ſpectari debuiſſe & offerri; Jumenta ſtrictè loquendo tamquam juvamenta vocantur majora illa animalia quæ homines juvant in illis, vel in rebus illorum ſubvehendis, ut ſunt equi, aſini, muli, cameli; diſtinguun- Quid jumenta.

rutque tum contra feras bestias, ursos, leones, & hujusmodi, tum contra pecora mansueta, ut sunt oves, capræ, & similia. At hoc loco non videtur esse sermo de jumentis ita strictè acceptis, primò quia primogenita pecorum debebant Deo immolari, infra v. 15. nulla verò jumenta strictè accepta immolari poterant. Secundò quia cum ex jumentis primogenitos asinos Deus sibi reservavit eosque, quòd in sacrificium offerri non possent, commutari vellet ovibus, id speciali præcepto statuit: signum ergo est ipsos generali lege non fuisse comprehensos. Et cum de camelis, mulis, equis permutandis nihil ordinaverit, consequens est, eos nec immolari nec permutari debuisse, tametsi Philo aliter senserit.

Pro quibus hic ponuntur jumenta.

Quapropter jumenta hic latè accipiuntur pro pecoribus mansuetis; ita ut Deus sibi offerri tantùm voluerit primogenita de bobus, ovibus, & capris. Sola enim illa erant ad immolationem idonea.

Si dicas, Num. 18. præcipi ut omne animal immundum redimatur, ideoque equos, mulos, & camelos lege primogenitorum fuisse comprehensos, sed debuisse redimi. Resp. id non sequi: quia quod in lib. Numer. dicitur, non pertinet ad animalia quæ secundòm speciem suam erant immunda, cujusmodi sunt equi, muli, & cameli; sed ad ea quæ cum ex specie sua sint munda, immunda tamen per peculiare ipsorum vitium, veluti per cæcitatem, claudicationem, aliumve similem defectum.

Primogenita Israelitarum peculiariter sunt Dei.

[ *Mea sunt enim omnia*. ] Sermo est de primogenitis, sicut ex Hebræo patet. Etsi verò omnes omnino res sint Dei, juxta illud Psal. 23. *Domini est terra & plenitudo ejus*; peculiariter tamen Israelitarum primogenita dicuntur esse Dei; quia ejus erant non solum generali titulo creationis, gubernationis, & conservationis, quemadmodum aliæ res; sed insuper speciali titulo liberationis, qua in cæde primogenitorum Ægypti tutatus est primogenita Hebræorum ne interficerentur cum aliis; ac etiam ratione præcepti, quo jubebat ea sibi relinqui & offerri. Unde sequitur id quod Oleaster hic notavit, patrem non habuisse ullum jus in suum primogenitum, nisi redemisset juxta legem, de qua versu 31.

[ ℣. 3. *Et ait Moyses* ] Referens populo quæ Deus ipsi locutus fuerat.

[ *Mementote diei hujus* ] scilicet decimæ quintæ mensis primi.

[ *In qua egressi estis de Ægypto & de domo servitutis*, ] Quoniam in Ægypto inviti fuerunt detenti, & operibus duris luti & lateris oppressi. Exod. 1. Ideo Ægyptus fuerat Hebræis vera domus servitutis.

[ *Quoniam in manu forti* ] Per magna signa & per multos effectus divinæ potentiæ secundùm quod cap. 6. erat prædictum, *in brachio excelso*.

[ *Eduxit vos Dominus de loco isto:* ] Hoc est, de Ægypto. In quem autem finem deberent tum ipsi, tum eorum posteri meminisse istius diei; mox sequitur.

[ *Ut non comedatis fermentatum panem*. ]

[ ℣. 4. *Hodie egredimini mense novarum frugum*. ] Malè quidam verterunt, mense Julii; cum neque vox Hebræa Abib significet Julium, sed spicam, aut quiddam noviter virens, unde 70. habent, *in mense novorum* seu novarum frugum; neque pascha, de quo hic agitur, celebratum fuerit in Julio, sed in mense Nisan qui respondet, saltem ex parte, nostro Martio. Vocatur autem mensis spicarum & mensis novarum frugum, tum quòd in regionibus calidis, quales sunt Ægyptus & Chanaan, eo mense grana spicas habent easque incipientes maturescere; tum quòd illo mense fiebat oblatio de primitiis novarum frugum, Levit. 23. Opportuno autem tempore Deus eduxit Hebræos de Ægypto, quando neque æstus viget neque frigus, sed tempus commodum est ad iter faciendum.

Nisan cur dicatur mensis novarum frugum.

[ ℣. 5. *Cumque introduxerit te Dominus* ] ex his cum versu 11. collatis, patet legem de agno Paschali & azymis comedendis, deque offerendis primogenitis demum obligasse Hebræos postquam fuerunt ingressi terram promissionis, conformiter iis quæ dicuntur Deut. 12. eò quòd per desertum vagantes non haberent sedem stabilem. Quæ autem leguntur vel Num. 3. de primogenitis, vel Num. 9. de Phase, ex specialibus præceptis tum datis facta fuerunt.

[ *In terram Chananæi &c.* ] Sub quinque populis hic expressis subintelliguntur alii, secundùm ea quæ diximus Gen. 15.

[ *Quam juravit patribus tuis* ] Expressè quidem Abrahæ Gen. 22. de aliis vide quæ dicimus infra cap. 33. vers. 1.

[ *Terram fluentem lacte & melle*, ] id est, uberrimam & omnium quæ ad cibum ac potum pertinent, feracissimam. Confer quæ ad c. 3. diximus.

[ *Celebrabis hunc morem sacrorum* ] id est, hunc ritum in sacris cæremoniis.

[ ℣. 6. *Septem diebus vesceris azymis*, ] 70. habent sex diebus: sed ipsi non computant septimum, de quo mox sequitur; eo autem computato, fiunt septem.

[ *Et in die septimo erit solemnitas Domini*. ] Sive dies septima festi Paschalis erit solemnis sicut prima, & celebrior quàm dies intermedii, ita ut in eo nullum servile opus facere possitis, Lev. 23. exceptis nimirum his quæ ad vescendum pertinent, sup. c. 12.

[ ℣. 7. *Nec in cunctis finibus tuis*. ] Idem hoc esse videtur, quod cap. 12. dicebatur, in cunctis habitaculis vestris: Nam quòd aliquid fermentati maneret in aliquo loco ad quem homines non accedunt, non videtur esse prohibitum, ait Abulensis.

[ ℣. 8. *Narrabisque filio tuo in die illo*, ] seu in tempore illo cum ingressus fueris terram promissionis. Ex quo discere debent parentes ut filiis suis inculcent beneficia à Deo nobis præstita.

[ *Hoc est quod fecit mihi Dominus* ]. Q. d. Deus fecit ut comederemus azyma, quando Ægyptii compulerunt nos velociter exire de Ægypto, nobis non permittentes tantum temporis spatium ut possemus farinam conspersam fermentare: Fecit insuper, ut nostra primogenita servarentur, interfectis omnibus primogenitis Ægyptiorum: Ideò jubet quòd has cæremonias observemus.

[ ℣. 9. *Et erit quasi signum in manu tua, & quasi monimentum ante* ] seu ut alii ex Hebr. vertunt, inter [ *oculos tuos:* ] Judæi crassè hæc accipientes curabant legem in membranulis describi, easque gestabant in fronte, brachiis & fimbriis, præsertim illi qui præ aliis sanctiores videri volebant, ut Pharisæi: atque ista sunt phylacteria quæ reprehendit Christus Matth. 23. cum longè alius sit præsentis scripturæ sensus: Hac enim phrasi Deus jubet Hebræis ut beneficii in paschate ipsis præstiti, legisque propter hoc latæ continuam habeant memoriam, & sicut signum quod ex fronte pendet vel est in manibus continuò versatur ante oculos corporis; ita jam dicti beneficii & legis memoria semper eis versetur ante oculos mentis.

De Judæorum Phylacteriis.

[ *In manu enim forti* ] Id est, magnis viribus, multisque prodigiis.

[ *Eduxit te Dominus de Ægypto*. ] Quod scriptura frequenter commemorat, ut Hebræi promptiores redderentur ad mandata Dei exequenda.

[ ℣. 10. *Custodies hujuscemodi cultum statuto tempore* ] die scilicet decima quarta primi mensis ad vesperam immolando Phase, & ab eo tempore usque ad diem vigesimum primum vescendo azymis.

[ *A diebus in dies*. ] Id est, ab anno in annum, atque adeò singulis annis: sicut 1. Reg. 1. ubi nos habemus, *Ascendebat vir ille de civitate sua statutis diebus*, Hebraice legitur, *à diebus in dies*, id est, ab anno in annum.

[ ℣. 12. *Quidquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino*. ] Quia sexus masculinus præstantior est fœmineo, & Deus sibi vult offerri præstantiora.

Moralia & Allegorica, Mystica.

Ex lege primogenitorum docendi sunt parentes non obsistere filiis, tametsi primogenitis, imò & unigenitis cupientibus ad religionem transire: Omnes autem hinc discere debent offerre Deo sua primogenita, id est, corda sua, & operum suorum primordia.

Allegoricè verò Christus per primogenita figurabatur, qui fuit Deo Patri sanctificatus & oblatus.

[ ℣. 13. *Primogenitum asini* ] seu asinæ, hujus enim aperitur vulva, & asinus tam marem quàm fœminam significat.

[ *Mu-*

[ *Mutabis ove* : ] Verisimile est quòd etiam mutari posset hœdo, quia in Heb. est vox communis, ad ovem & ad hœdum.

Petes, quare tum ex jumentis, tum ex animalibus secundùm speciem immondis sola asini primogenita Deus commutari voluit pecude quæ posset immolari. Resp. rationem esse, quia Judæi asinorum opera maximè utebantur; equorum autem & camelorum longè minùs frequenter.

Moraliter primogenitum asini redimere ove, est vitæ immundæ primordia in innocentiæ simplicitatem convertere: Vel etiam, indisciplinatum quempiam, increpando, monendo, obsecrando, ad ovinam simplicitatem reducere.

[ *Quòd si non redemeris, interficies.* ] Non immolando eum in sacrificium, cum asinus non esset animal immolaticium, sed cæde alia quæ non esset species divini cultus. Hujus præcepti rationem adfert Cajet. quòd contingere poterat asinum esse suo Domino inutilem; qui proinde non curaret eum ove redimere, sed mallet asino carere quàm ove. In quo eventu præcipitur hic ut talis asinus primogenitus interficiatur, quia Dei est, & non redemptus; esset autem contra honorem debitum rei sacræ, si res quæ peculiariter Dei est, vel in profanos usus verteretur, vel maneret neglecta seu derelicta. 70. habent, Si non mutaveris, redimes: quasi diceretur, si primogenitum asini non mutaveris ove aut hœdo, redimes illum pecunia. Sed verisimile est mendum irrepsisse in codicibus 70. & pro redimes, legendum esse cruentabis, seu sanguinem ejus fundes & interficies: Magna enim est affinitas inter λυθρόω, quod est cruento, & λυτρόω, quod est redimo. Accedit quòd nostra versio non solùm est conformior Hebræo, sed consentit etiam cum translatione Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis.

[ *Omne autem primogenitum hominis de filiis, pretio redimes.* ] Scilicet pecuniario. Id enim significare voluit noster interpres; Alioquin neque in Hebræis neque in Græcis reperitur vox, *pretio*. Pretium autem illud, ut ex Num. 3. patet, erant quinque sicli; quia tantum fuit datum pro quolibet de illis primogenitis filiorum Israel, qui excreverunt ad numerum Levitarum. Hujus redemptionis ratio erat, tum ut refricaretur memoria de servatis in Ægypto primogenitis Hebræorum; tum quia primogenita hominum non poterant in sacrificium offerri, neque conveniebat omnia Israelitarum primogenita Deo consecrari ad ministerium tabernaculi seu templi; cum ad hoc tribus Levitica esset deputanda, cujus proinde primogeniti non fuerunt redimendi, quandoquidem manserint sacro ministerio deputati. Et consequenter id quod universaliter dicitur de omni primogenito hominis de filiis populi Israelitici redimendo; intelligendum est, demptis primogenitis Levitarum, qui quidem debebant offerri Deo, at non redimi.

Primogeniti Levitarum non redimebantur.

Petes, quid dicendum de primogenitis alienigenarum, qui morabantur inter Israelitas. Resp. certum esse, quòd non comprehendebantur lege primogenitorum, quamdiu erant incircumcisi: Postquam verò parentes circumcisionem susceperant, ita in Hebræorum coloniam ac religionem transeuntes; sicut debebant suos parvulos circumcidere, ita probabile est quòd debebant suos primogenitos Deo offerre & redimere, juxta illud ad Gal. 5. *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ*. Neque obstat quod hic dicitur, da filiis tuis; per eos enim non intelliguntur soli illi qui nati sunt de semine Hebræorum, sed generaliter omnes qui erant de populo Israelitico: De illo autem populo erant, qui circumcisionem & religionem Judaicam suscipiebant ac profitebantur, quia per hoc illi populo incorporabantur, ait Abulens. q. 6. in hoc cap.

[ ℣. 15. *Idcirco immola Domino omne quod aperit vulvam masculini sexus,* ] in Ægypto Deus interfecerat omnia primogenita jumentorum, tam ex specie sua immundorum, ut sunt equi, asini, cameli; quàm mundorum; tamen in istius rei memoriam, sola mundorum animalium primogenita sibi offerri voluit ab Hebræis; quia sola animalia munda sibi delegit in sacrificium: ex immundis autem, asini tantùm primogenita jussit redimi vel interfici.

[ ℣. 16. *Et quasi appensum quid,* ] 70. vertunt immobila, quod nimirum ante oculos ita est appensum, ut dimoveri non possit, adeòque semper conspicitur. Vide quæ ad versum 9. diximus.

[ ℣. 17. *Non eos duxit Deus per viam terræ Philisthiim quæ vicina est* : ] Scilicet Ægypto, imò & Palæstinæ seu terræ promissionis. Ex Ægypto enim in Palæstinam via per Philisthiim erat brevis, quam aliqui trium, alii decem dierum spatio definiunt: Noluit tamen Deus per viam illam brevem ducere Hebræos in Palæstinam, duas potissimùm ob causas.

Cur Deus nõ duxit Hebræos per viã breviorem.

Una hic exprimitur, [ *reputans ne forte pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, & reverteretur in Ægyptum.* ] Q. d. ne videntes bellum, & se propè Ægyptum esse, redirent in Ægyptum. Potuisset quidem Deus vel bella impedire, vel animos Hebræorum roborare ut non obstantibus bellis ulterius progredi vellent; sed mediis ordinariis utendum judicavit, atque ita potius non ponere ea quibus permoverentur ad malum, quàm malum ipsum extraordinariè avertere. Monet hic B. August. q. 46. prudenter agendum esse ad evitanda pericula, etiam quando Deus est adjutor. Quod autem dicitur. *Ne forte*, non significat rem Deo esse dubiam, sed ex casibus occurrentibus verisimiliter ita futuram.

Si dicas, etiam per viam qua egressi fuerunt Hebræi, bellum eis fuisse contra Amalec. cap. 17. Resp. istud bellum non fuisse ipsis motum statim initio itineris sicut fuisset si breviori via exivissent, sed demum post triginta & amplius dies variis mansionibus expletis.

Moraliter hinc discimus è sæculo, vel etiam è peccato ad meliorem vitam transeuntibus quandoque non statim prælia immitti, sed postquam experti sunt pacem & tranquillitatem conscientiæ, juxta B. Gregor. lib. 24. Moral. cap. 13. Alia causa exprimitur Deut. 8. ut scilicet per diversa plurium annorum itinera Deus probaret Hebræos, utrùm ipsi eum timerent, an non. Addi potest & hæc ratio mystica, ut in Hebræorum longa circumductione per desertum annis quadraginta; inque bellis & casibus qui tunc occurrerunt, figuraretur tempus hujus sæculi quo, dum ad terram promissionis tendimus, id est ad cœlum, varios patimur casus & bella.

[ ℣. 18. *Et armati ascenderunt filii Israel* ] dicitur ascenderunt, quia Ægyptus de qua exibant, erat declivior quàm Palæstina ad quam tendebant. Sed unde arma Israelitis? qui cum durissima servitute oppressi fuerint in Ægypto, non est verisimile quòd permissi fuerint habere arma. Resp. quosdam ante discessum ex Ægypto illa sibi comparasse, alios ab Ægyptiis unà cum vasis aureis & argenteis accepisse, ut in solitudinem proficiscentes tueri se possent contra feras & contra hostes, si qui vellent eos invadere vel impedire.

Pro, *armati*, alii ex Hebr. vertunt *quintati vel quini*; per quod significatur quòd processerint in quinque distributi, seu quini, & quini, sicut exercitus benè instructus & ordinatus. Varietatis hujus ratio est quòd vox Hebræa derivatur à chamas quod significat quinque: quæ tamen interdum etiam idem valet quod armati: Unde Symmachus & Aquila verterunt sicut noster interpres, *armati*: Aquilam verò propriè transtulisse, omnis Judæa conclamat, & synagogarum consonant universa subsellia, ait Hieron. epistola 125. ad Damasum q. 2. subjiciens quòd idem sermo & iisdem litteris scriptus diversas apud Hebræos & voces & intelligentias habeat. Apud 70. pro armati, legitur, quinta generatione; quæ tamen vox, *generatione*, non est in Hebr. sed cum ibi legissent quinta, quod minus videbatur intelligi, adjuncta generatio est, ait Hieron. Quomodo autem de Ægypto ascenderint quinta generatione, cum Gen. 15. dicatur quòd quarta generatione reversuri sint in Palæstinam, ita explicari potest, quòd computando à Phares usque ad Naasson fuerint quinque generationes, scilicet Phares, Esron, Aram, Aminadab, Naasson; sicuti & computando ab Esron usque ad Salmon: invenientur autem solùm quatuor, si prætermittatur ea quæ in Ægyptum descendit, & initium fiat ab ea quæ illic nata est.

[ ℣. 19. *Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum* :

*eo quod adjuraſſet filios Iſrael* ] quæ adjuratio extat Gen. 50. Aliorum quoque Patriarcharum oſſa fuiſſe in Palæſtinam translata, ex Act. 7. habemus. Et quoniam non apparet quando commodius id fieri potuerit; Ideo veriſimile eſt quòd nunc una cum oſſibus Joſeph translata fuerint, ſicut docet S. Hieron. epiſt. 53. ad Riparlam. Solorum tamen oſſium Joſeph fit mentio, quia ipſa fratres ſuos de hoc adjuraverat.

[ ℣. 20. *Profectique de Socoth, caſtrametati ſunt in Etham* ] hæc eſt tertia manſio filiorum Iſrael.

[ *In extremis finibus ſolitudinis*, ] Seu in extremo ſolitudinis, non procul à mari rubro. Etham nobis ſonat fortitudo atque perfectio, ait Hieron. in Manſione 3. Præparemus nobis fortitudinem, aſſumamus perfectum cor, ut inter errorum tenebras, quæ per Ægyptum ſignificantur, & confuſionem noctis, cujus ſymbolum eſt ſolitudo ſeu deſertum, ſcientiæ Chriſti lumen appareat.

[ ℣. 21. *Dominus autem præcedebat eos* [ non nunc demum, ſed jam inde ſtatim à principio quo receſſerunt ex Rameſſe, ut diximus cap. 12. Per Dominum intelligitur Angelus, quemadmodum ex verſu 19. cap. ſeq. liquet.

[ *Ad oſtendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis:* ] Ubi varia quæri poſſunt.

Primum, an fuerit vera nubes & verus ignis.

Secundum, quare vocetur columna.

Tertium, fuerintne duæ diverſæ columnæ, una nubis, altera ignis.

Quartum, quomodo moveretur.

Quintum, quodnam fuerit ejus officium.

Sextum, quando defierit. Ad quæ ſic videtur respondendum.

*Columna ignis non erat verus ignis.*

Ad 1. non fuiſſe verum ignem; partim, quia id quod hoc & 40. cap. rurſumque Pſalm. 104. & Sap. 18. vocatur ignis aut columna ignis, Numer. 9. bis appellatur *quaſi ſpecies ignis*; quod non dixiſſet ſcriptura ſi fuiſſet verus ignis. Nam quod eſt verus ignis, nec propriè nec verè dicitur eſſe quaſi ſpecies ignis, ſeu habere quaſi ſpeciem ignis: partim, quia ſi fuiſſet verus ignis, multiplicanda fuiſſent plura miracula, ut quòd per annos 40. eſſet extra locum naturalem, quòd ſine pabulo, ſine defectu, ſine vi calefaciendi & urendi. Veriſimilius igitur eſt fuiſſe tantum ſpeciem ſeu ſimilitudinem ignis, Idemque eſt de nube exiſtimandum, quòd ſcilicet non fuerit vera nubes, quia nec minuebatur, nec diſſipabatur, nec movebatur, neque conſiſtebat ſicut nubes, ſed erat quiddam ſimile nubi, quantum ad colorem & materiæ qualitatem.

*Cur dicatur columna.*

Ad 2. Reſp. corpus illud nubilum ſeu nubi ſimile vocari columnam; quia quantum ad rectitudinem & figuram habebat ſimilitudinem columnæ; erat quippe ſecundùm altitudinem verſus cœlum, valdè excelſum & ſublimiter porrectum; craſſitudinis autem longè minoris, inſtar ſcilicet turris admodum altæ.

*Non fuerunt duæ columnæ, una ignis, altera nubis, ſed una eademque.*

Ad 3. Reſp. communiorem ſententiam eſſe, quòd non fuerint duæ columnæ; ſed una quæ per diem apparebat ut columna nubis; per noctem ut columna ignis ad illuminandum caſtra: Num. enim cap. 9. ea columna quæ tota nocte conſpiciebatur, id eſt, columna ignis vocatur nubes, Ibi. *Si fuiſſet nubes à veſpere uſque mane &c.* Et ſimiliter hujus lib. cap. 14. ubi de tempore noctis ſermo eſt, vocatur columna nubis; imò una eademque dicitur ibi fuiſſe ſimul columna nubis & ignis; nubis Ægyptiis; ignis Hebræis.

*Movebatur ab Angelo.*

Ad 4. Reſp. columnam illam neque cum cœlis, ipſorum motu fuiſſe motam; ita enim circulariter moveri debuiſſet; neque flatu ventorum, quia etiam flante vento ſtare poterat, & eo ſtante, moveri: ſed ab Angelo qui eam regebat, ducebat, & movebat. Ideo namque tum hic, tum Num. 14. Deut. 1. & 2. Eſdræ 9. dicitur quòd Deus Hebræos duxerit ſeu præceſſerit in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem; quia Angelus Dei imperio columnam illam gubernabat, & præcedens ipſe, ipſam quoque præcedere faciebat.

*Officium columnæ.*

Ad 5. Reſp. prædictæ columnæ officium fuiſſe, oſtendere viam Hebræis, eiſque præbere ducatum ne per loca ſolitudinis inviæ penitus incomperta errarent; ac inſuper, indicare quando eſſet proficiſcendum, quando manendum. Cum enim erat proficiſcendum, columna movebatur de loco in quo conſtiterat, & populum præcedebat inſtar ducis; cum autem erat ſubſiſtendum, ab initio caſtrorum redibat ad medium eorum ſeu ad locum tabernaculi, poſtquam fuit conſtructum, ibique deſuper quaſi ſuſpenſa quieſcebat.

*Duplex columnæ quies.*

Obſervat porro Pererius diſput. 7. in hoc cap. duplicem fuiſſe quietem columnæ: Unam temporariam, quæ ſcilicet brevi tempore durabat, & fiebat quotide ſemel aut bis, ut populo ejuſque pecoribus daretur tempus idoneum ad comedendum & quieſcendum: Aliam diuturniorem, quando in eodem loco erat diutiùs quieſcendum, figebanturque tentoria. Et hæc eſt quies quæ à manendo vocabatur manſio, cujuſmodi manſiones per annos quadraginta ſolùm fuerunt quadraginta duæ. quæras, unde poterant cognoſcere, num quies columnæ ſignificaret parumper eſſe quieſcendum, an diu, ut proinde caſtra eſſent metanda, & figenda tentoria? Reſp. quòd hac ratione. Si circa meridiem aut ad veſperam quieſcebat; hoc erat tum ad refectionem, tum ad quietem capiendam: ſi verò poſt meridiem, vel etiam poſt noctem tranſactam, manebat quieſcens, ſignum erat diutiùs illic manendum.

Dubium aliud movetur, An præter jam dicta columnæ officia, non fuerit aliud, ſcilicet Hebræos obumbrare, & à Solis ardoribus qui in regionibus illis, ſunt valde magni, eos protegere. Certum quidem eſt, quòd per nubem protecti fuerint: dicitur enim Pſalm. 104. *Expandit nubem in protectionem eorum:* Et Sap. 10. *Fuit illis in velamento diei, & in luce ſtellarum per noctem:* Rurſum cap. 19. *Nubes caſtra eorum obumbrabat:* Incertum verò, per quam nubem.

*Alia nubes fuit Hebræos ab ardore ſolis protegens.*

Probabile eſt præter columnam nubis, quæ quotidie apparebat præmonſtrans iter cum eſſet proficiſcendum; & ſubſiſtens quando manendum, fuiſſe aliam nubem, Angeli opera procuratam, quæ in ſublimi aere conſiſtens ab eodem Angelo movebatur ad motum Solis, eique objiciebatur ex ea parte qua alioquin ſol caſtra Hebræorum ſuis radiis aduſſiſſet. Et hæc non ſemper apparebat, ſed tempore tantùm æſtivo, eoque non toto, ſed eo ſolùm quo ſolis ardor potuiſſet Hebræos offendere: Nam tunc demum eos obumbrabat, & à Solis ardoribus protegebat.

Neque his obſtat quòd ſcriptura nullibi apertè nominet duas nubes: ſatis enim eſt eam talia dicere, ut non omnia poſſint in unam columnam nubis convenire, ideoque præter illam columnam, alia nubes ſit agnoſcenda, quæ non præiret, ſed obumbraret, neque haberet ſimilitudinem columnæ. Et has tum nubem tum columnam nubis haud obſcurè diſtinguit ſcriptura, dum Num. 14. dicit, *& nubes tua protegat illos, & in columna nubis præcedas eos per diem.*

*Per deſertū etiam nocte aliquando proficiſcebantur.*

Difficultas præterea eſt. An Hebræi poſtquam pervenerunt in deſertum, aliquando nocte profecti fuerunt. Sunt qui negant. Sed ſcripturæ conformius loquuntur qui affirmant. Præſenti enim cap. diſertis verbis habemus quòd Dominus præcedebat Hebræos *ad oſtendendum viam non ſolùm per diem in columna nubis;* ſed etiam *per noctem in columna ignis*, idque ut dux eſſet itineris utroque tempore: conſequens ergo eſt quòd utroque tempore, & diei ſcilicet, & noctis aliquando proficiſcerentur. Unde 2. Eſdræ 9. prædicat Nehemias de Deo, *In columna nubis ductor eorum fuiſti per diem, & in columna ignis per noctem, ut appareret eis via per quam ingrediebantur.* Et poſtea, *Columna nubis non receſſit ab eis per diem, ut duceret eos in viam: & columna ignis per noctem, ut oſtenderet eis iter per quod ingrederentur.* Ex quibus omnino apparet quòd interdum etiam nocte iter fecerint; ſive ad refrigerium quando diurnæ profectiones fuiſſent nimis moleſtæ, ſive ob alias cauſas.

Quod autem illas ſcripturas quidam ita interpretentur, ut ſignificent columnæ ignis beneficio factum fuiſſe, quòd ex uno tabernaculo poſſent nocte in aliud commeare, neque in ipſis tabernaculis egerent lumine quo aliàs in noctibus ſolebant egere; non videtur ſufficere: cum ſcripturæ plus requirant, & loquantur de itinere

que

quo tòtus populus gradiebatur, ſive per diem ſive per noctem.

Ad 6. Reſp. quoſdam Hebtæos voluiſſe quòd columna nubis & ignis deſierit ad mortem Aaronis, ſeptem ſcilicet menſibus ante ingreſſum terræ promiſſionis: ſed abſque ſundamento; cum & in reliquo itinere adhuc egerent ducatu. Et Deut. 31. paulò ante mortem Moyſi, ejuſdem columnæ fiat mentio. Unde hic dicitur verſ. 22. *Numquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo*: quod ut

Columna deſiit moriente Moyſe.

minimum uſque ad mortem Moyſi debet intelligi. Verius eſt quod B. Auguſt. quæſt. 3. in Joſue indicat, quòdque poſt illum docent Maſius & Abulenſis in cap. 3. Joſue, columnam illam deſiiſſe Moyſe mortuo, cum in proximo eſſet ut Hebræi tranſirent Jordanem: Tunc enim non jubentur aſpicere ad columnam, ut eam ſequantur, ſed ad arcam à ſacerdotibus bajulatam & eminus præeuntem. Confirm. Si enim tunc habuiſſent ducatum columnæ, Joſue non habuiſſet rationem dicendi ad populum de arca, *ut procul videre poſſitis & noſſe per quam viam ingrediamini, quia prius non ambulaſtis per eam*. Addi poteſt ratio myſtica Conveniens enim erat quòd duce Joſue qui erat figura Jeſu Chriſti, ceſſaret nubes ſeu velamen.

Allegoricè columna nubis & ignis Chriſtum ſignificat, qui propter rectitudinem & ſtabilitatem, & quia fulcit Eccleſiam, eſt columna: & in quantum Deus, eſt columna ignis; in quantum homo columna nubis; quando erat nox ignorantiæ & obſcuritatis, erat ſolùm ignis; quando advenit tempus ſeu dies gratiæ, factus eſt nubes, id eſt, homo, & impletum illud Iſai. 19. *Dominus aſcendet ſuper nubem levem*, id eſt, ſuper humanitatem. Ipſe quoque eſt nobis dux viæ, tum ut fugiamus à Pharaone, id eſt, à diabolo tum ut per deſertum hujus ſæculi ambulemus. Plura videri poſſunt apud Rupertum.

## CAPUT XIV.

*Pharao pœnitens quòd Hebræos dimiſiſſet, collecto exercitu illos perſequitur, Mari autem diviſo pro tranſitu Hebræorum, ipſe cum ſuis Ægyptiis in eo ſubmergitur.*

[ ℣. 1. LOcutus eſt autem Dominus ad Moyſen, ] ſeu Angelus perſonam Dei gerens.

[ ℣. 2. *Loquere filiis Iſrael: Reverſi caſtrametentur è regione Phihahiroth*, ] Jubentur non pertranſire deſertum Etham in quo erant, ſed quodam circuitu aliquantulum reverti verſus Ægyptum, & caſtrametari è regione, id eſt, contra Phihahiroth, ubi fuit quarta Hebræorum manſio. Juſſionis hujus rationem aſſignant Liranus & Abulenſis, ut Pharao crederet Hebræos errare in itinere, & ita majorem ſumeret audaciam ad eos perſequendum: quod non ita intelligunt quaſi Deus voluerit Pharaonem inducere ad peccatum, ſed quia peccatis ejus ita exigentibus volebat ipſum punire & cum toto exercitu ſubmergere, ſicque actionem ſecundùm ſe bonam ponere qua ſciebat Pharaonem eſſe abuſurum in ſui perniciem, iſtum autem abuſum permittere.

Si quæras, quare Deus de hac reverſione locutus ſit, cum eam columna nubis ſufficienter poſſet indicare ſuo motu & profectione. Reſp. Deum propterea voluiſſe ad Moyſen iſta loqui, & quidem, ut veriſimilius videtur, voce ſenſibili & publica, ut populus faciliùs conſentiret in reverſionem verſus Ægyptum, cum alioquin cogitatio ipſis obvenire potuiſſet de incerto ducatu columnæ & de errore itineris.

[ *Quæ eſt inter Magdalum & mare contra Beelſephon.* ] Phihahiroth interpretatur os nobilium, ait Hieron. epiſt. 127. Alii dicunt ſignificare os foraminum: hoc eſt, anguſtum ingreſſum; ad quem cum ſit difficilis aditus non niſi fortes atque ex robore nobiles poſſunt intrare. Magdalum magnitudinem vel turrim ſignificat; Beelſephon aſcenſionem ſpeculæ. Quæ omnia ſatis indicant iſta loca fuiſſe prærupta & quaſi inacceſſa.

Moralia.

Moraliter autem ſignificatur iter quo ad cœlum tendimus, eſſe anguſtum & difficile, ac requirere aſcenſiones, juxta illud Matth. 7. *Anguſta porta & arcta via eſt quæ ducit ad vitam*; Et Pſal. 82. *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.*

[ *In conſpectu ejus* ] Id eſt, contra Phihahiroth.

[ *Caſtra ponetis ſuper mare.* ] Super, hic ponitur pro juxta, ſicut Pſal. 136. *Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus.*

[ ℣. 3. *Dicturuſque eſt Pharao ſuper* ] Hoc eſt, de

[ *Filiis Iſrael:* ] Ductus nimirum pœnitentia quòd illos dimiſerit.

[ *Coarctati ſunt* ] Apud 70. eſt, errant ſeu deviant. Quidam ex Hebr. vertunt, confuſi ſunt, quaſi non ad loci, ſed ad animi ſolùm anguſtias pertineat: At noſter interpres conſultò poſuit coarctati ſunt, ut & animi & loci anguſtias ſignificaret: Senſus enim eſt Pharaonem ab exploratoribus quos miſerat, edoctum, de filiis Iſrael dicturum eſſe; Ipſi jam ſunt perplexi & animo confuſi, ac undique in arctis conſtituti, nequaquam effugere poterunt manus noſtras. Sicut enim ſcribunt Joſephus lib. 2. antiquit. cap. 6. Liranus, Dionyſius Carthuſ. & alii ſuper Exod. tali loco conſtituti erant Iſraelitæ, ut ab una parte haberent mare, & ex altera montes aſperrimos & immeabiles, ita ut non pateret eis fuga, niſi ex illa parte per quam venturus erat Pharao cum ingenti exercitu contra illos.

[ *Concluſit eos deſertum.* ] Hinc patet non tantùm fuiſſe deſertum trans mare rubrum reſpectu Ægypti, ut quibuſdam placuit, ſed etiam citra: Non enim Iſraelitæ jam poterant eſſe concluſi deſerto quod erat trans mare rubrum, cum necdum eſſent illud tranſgreſſi, ſed eo tantùm quod erat eis mare.

[ ℣. 4. *Et indurabo cor ejus*, ] Sive, permittam eum indurari; imò talia ejus menti proponam, ex quibus tametſi bonis ipſe occaſionem capiet ſe magis ac magis obdurandi, neque hoc impediam. Hujuſmodi ſunt quòd Iſraelitæ non tantùm irent viam trium dierum, ſed fugerent; quòd jam caſtrametarentur juxta mare rubrum; quòd circumſepti eſſent aſperitatibus montium & mari; quòd eſſent numero quaſi immenſo, poſſentque propterea ſuis ſervitiis plurimum prodeſſe regno Ægypti.

[ *Et glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu ejus.* ] Juſtitiæ & præſentiæ meæ magnitudo palam declarabitur in eo quod facturus ſum Pharaoni & toti ejus exercitui, ſicque glorioſus apparebo.

[ *Scientque Ægyptii* ] Re ipſa experientur.

[ *Quia ego ſum Dominus.* ] Supremus ſcilicet qui & meos ſicut volo defendo, & hoſtes eorum mirabiliter caſtigo & deleo.

[ ℣. 5. *Et nuntiatum eſt regi Ægyptiorum quòd fugiſſet populus:* ] Per exploratores ſcilicet qui ex modo procedendi Iſraelitarum, cognoverunt quòd non ibant viam trium dierum ad ſacrificandum, ſed ad totaliter recedendum.

[ *Immutatumque eſt cor Pharaonis &c.* ] Antea ſiquidem ipſos exire coegerant; & nunc volebant eos cogere ad redeundum.

[ *Quid voluimus facere ut dimitteremus Iſrael, ne ſerviret nobis?* ] Euſebius lib. 9. de præpar. evangel. cap. 4. refert Hieropolitas ſolitos dicere, quòd Pharao perſecutus fuerit Hebræos quia non reſtituerant vaſa aurea & argentea quæ ab Ægyptiis ad uſum acceperant; nec improbabile eſt eam quoque cauſam commemoraſſe Pharaonem ut populo perſuaderet illos perſequi: Ad hoc enim perſuadendum non parum valebat, & ſcriptura non ubique omnia exprimit: expreſſit autem hic cauſam publicam quæ totius regni maximam utilitatem continebat nimirum ſervitutem, quia hæc erat præcipua.

[ ℣. 6. *Junxit ergo currum, & omnem populum ſuum aſſumpſit ſecum.* ] Hoc eſt, valde magnam partem populi; id enim poſtulat vocula, omnem, quæ etiam eſt apud 70. etſi non reperiatur in Hebr.

[ ℣. 7. *Tulitque ſexcentos currus electos*, ] Solere veteres uti curribus ad bellandum, ex libris Judicum, Regum, & Paralippomenon eſt evidens; eos autem in Ægypto abundaſſe, liquet ex 3. Reg. 10. ſub fin.

[ *Et quidquid in Ægypto curruum fuit:* ] Quos Pharao præter illos ſexcentos electos nanciſci potuit.

[ *Et duces totius exercitus* : ] 70. & Tristatas super omnes. Tristatæ ait Hieron. in cap. 23. Ezech. nomen est apud Græcos, secundi gradus post regiam dignitatem, de quibus scriptum est 1. Paral. 11. Verumtamen ad tres primos non pervenerat, qui principes equitum peditumque erant, & tributorum; quos nos Magistratus utriusque militiæ, & præfectos annonarii tituli nominamus. Quibus conformiter 4. Reg. 7. iidem 70. habent, *Et respondit Tristata super quem rex innitebatur* : ubi nostra versio habet, *Respondens unus de ducibus super cujus manum rex incumbebat*. Unde patet Tristatas pro ducibus & principibus poni. Moraliter hinc discimus quòd dum aliquis è cœno peccatorum ad meliorem vitam transit, diabolus per Pharaonem figuratus, cum ministris suis vigilantissimè illum persequitur, nitens eum ad pristina vitia retrahere, & venit cum curribus & equitatibus, id est, cum omnibus humanæ salutis impedimentis quæ potest excogitare.

Moralia.

[ ℣. 8. *Induravitque Dominus cor Pharaonis regis Ægypti*, ] quemadmodum v. 4. prædixerat.

[ *At illi* ] ( Filii Israel. )

[ *Egressi erant in manu excelsa*. ] In mirabili fortique potentia, innati nimirum adjutorio Dei qui eos educebat.

[ ℣. 9. *Cumque persequerentur Ægyptii vestigia præcedentium*, ] Israelitarum scilicet, quæ vel ipsi facilè poterant observare propter numerosissimam multitudinem eorum qui viam illam transierant, vel etiam scire poterant tum per exploratores, tum per alios. Observat diabolus vestigia animæ pœnitentis, omnes ejus actiones diligenter explorando, ut si quid suum repererit, eam ad se pertrahat.

[ *Repererunt eos in castris super* ] seu juxta

[ *Mare* : ] Quiescentes scilicet, neque cogitantes quòd Pharao illos insequeretur; neque de ulteriori via sollicitos, cum scirent se habere columnam nubis & ignis pro duce.

[ *Omnis equitatus & currus Pharaonis, & universus exercitus, erant in Phihahiroth* ] per equitatum significantur illi qui equis insidebant sine curru: per currus, plaustra cum equis, & cum viris bellatoribus qui super illa erant: per universum exercitum, reliqui ad præliandum instructi.

Quæri potest. Unde Pharaoni & Ægyptiis tantus equorum numerus, cum supra cap. 9. de equis, asinis, & camelis, dicatur, *Mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum*. Resp. cum Abulensi, quòd scriptura illa intelligenda est de animantibus quæ in agris erant; equi autem meliores non fuerant tunc in agris. Deinde, multi Ægyptii plagam à Deo comminatam metuentes, fecerant confugere servos suos & jumenta in domos, ut ex ejusdem cap. 9. v. 20. patet.

[ ℣. 10. *Cumque appropinquasset Pharao*, ] quo tempore appropinquaverit, incertum est. Philo lib. 1. de vita Moysi scribit quòd circa prandium, estque id valdè verisimile; ita nimirum ut præcursores circa meridiem appropinquaverint, ac successivè reliquus exercitus, qui ut erat copiosissimus, non exigua temporis mora indiguit ut totus propinquaret, sicque sole ad occasum vergente propinquus fuit Hebræis.

[ *Elevantes filii Israel oculos*, ] Exciti strepitu tantæ multitudinis hominum, equorum, & curruum.

[ *Viderunt Ægyptios post se : & timuerunt valdè* : ] Scientes nullum naturaliter sibi patere effugium, propter mare ab una parte, & montium asperitates ab altera, & hostem infensissimum.

[ *Clamaveruntque ad Dominum*, ] Quosdam clamasse, Deum suppliciter orando, ex Josue 24. apparet, ubi significatur quòd eorum clamor fuerit exauditus: Alios autem clamasse non orando, sed in voces desperantium erumpendo, ex seqq. manifestum est.

[ ℣. 11. *Et dixerunt ad Moysen: forsitan non erant sepulchra in Ægypto*, ] Mordax est sarcasmus, Moysen procaciter irridentium & increpantium, perinde ac si dicerent: Tu voluisti nos educere de Ægypto ut omnes hic moriamur, quasi non essent ibi sepulchra pro nobis sepeliendis.

[ *Quid hoc facere voluisti, ut educeres nos ex Ægypto?* ] Ad quid tam grande malum nobis inducere voluisti, ut nos exire faceres de Ægypto, cum illic nobis longè melius esset quàm hic.

Ex his liquet magnam esse mortalium inconstantiam, dum Israelitæ non obstantibus tot promissionibus promissionumque confirmationibus per plurima signa & prodigia ministerio Moysi facta, tam citò in gravissimum murmur eruperunt: Probabile tamen est hanc phrasim juxta scripturæ morem esse accipiendam; & pluraliter id de populo dici quod magnæ ejus parti convenit: Vix enim credibile est nullos in tanto populo fuisse qui spem divinarum promissionum retinentes, à murmuratione abstinerent uti nec est verisimile Caleb & Josue fuisse de numero murmurantium. Accedit quòd ex Josue 24. intelligi potest aliquos de populo clamasse ad Deum suppliciter eum invocando, *Clamaverunt*, inquit, *ad Dominum filii Israel qui posuit tenebras inter vos & Ægyptios*, misertus scilicet clamoris eorum.

Non omnes murmurarunt.

[ ℣. 12. *Nonne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Ægypto dicentes: Recede à nobis ut serviamus Ægyptiis?* ] Nonne jam eventu rerum experimur id quod in Ægypto tibi dicebamus, nequaquam nobis expedire inde egredi, sed melius esse servire Ægyptiis, quàm postea per illos interfici in solitudine. Timuerant siquidem Hebræi quòd si exirent de Ægypto, caperent eos Ægyptii & occiderent. Si petas, quando Hebræi fuerint ejusmodi sermonem locuti ad Moysen. Resp. quòd tunc quando Moyses cepit agere cum Pharaone, qui verbis Moysi irritatus jussit flagellari Hebræos operibus præpositos, supra cap. 5. Unde ad Moysen & Aaron dixerunt, *Videat Dominus & judicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone & servis ejus*.

[ ℣. 13. *Nolite timere* : ] Ægyptios nimirum. Unde patet quàm verè dixerit Apostolus ad Heb. 11. quòd *Moyses reliquit Ægyptum non veritus animositatem regis*. Tantum quippe abest ut eum potentissimo licèt exercitu stipatum timuerit, quin è contrario in fide firmissimus persistens, suos insigniter animavit & roboravit. Unde exemplum accipere possunt tum fideles singuli, ut in omnibus anxietatibus fidant in Deum; tum pastores & prælati, ne subditorum pusillanimitate dejiciantur, vel propter eorum ingratitudinem, ipsos statim deserant.

[ *State, & videte magnalia Domini quæ facturus est hodie* : ] Q. d. non est quòd timeatis, neque quòd aliquid agatis, tantùm expectate patienter, & videte mirabilia magna Dei, seu salutem Domini, ut alii ex Heb. vertunt, id est, salutem quam mirabili modo Deus est hodie facturus.

[ *Ægyptios enim quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis usque in sempiternum*. ] Id est, numquam posthac eos videbitis viventes vosque persequentes: Ejusmodi phrasis est Joan. 13. *Non lavabis mihi pedes in æternum*, id est, numquam.

[ ℣. 14. *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*. ] Non pugnabitis, sed quiescetis: Tacere enim vel silere non solùm significat abstinentiam à verbis, seu propriè dictam taciturnitatem, sed etiam aliquando idem valet quòd cessare ab agendo, ut 2. Reg. 19. *Usquequo siletis*, sive, *quiescitis & non reducitis regem?* Et Psalm. 27. *Deus meus ne sileas à me, nequando taceas à me, & assimilabor descendentibus in lacum*: id est, nisi opem mihi tuleris, ero similis illis qui descendunt in lacum.

[ ℣. 15. *Dixitque Dominus ad Moysen: Quid clamas ad me?* ] Clamabat Moyses, ardenti oratione Deum precando. Et quamvis nulla ejus vox audiretur, dicitur tamen clamasse, quia in scripturis non tantùm est clamor vocis, sed etiam cordis, quando ferventi mentis ad Deum elevatione oratur: unde Psalm. 118. *Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine*. Clamat cor nostrum non sono corporis, sed cogitationum sublimitate concentuque virtutum, ait Ambr. serm. 19. in dictum Psalm. Ista porro phrasis, *Quid clamas ad me*, non significat vel clamorem Moysi fuisse Deo ingratum, vel Moysen propter illum clamorem, reprehensum; sed est consolatio & instructio: quasi Dominus familiariter & blandè Moysen alloquens dixisset, non est necesse quòd ulterius clames ad me, orationem tuam exaudivi.

Clamor non tantum est vocis, sed etiam cordis.

[ *Lo-*

[ *Loquere filiis Israel ut proficiscantur* ] Eant directè ad mare rubrum. Docemur hinc Deum à nobis esse orandum, etiam pro beneficiis quæ certò scimus quòd sint nobis conferenda, sicut fecit Moyses: multa enim decrevit Deus dare non nisi interventu nostrarum orationum. Docemur præterea sic nos oportere orare, ut tempore opportuno manum quoque adhibeamus operi.

[ ℣. 16. *Tu autem eleva virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & divide illud* : Ita loquitur Deus, hoc est, Angelus ex persona Dei; quia ad elevationem virgæ Moysi, & ad extensionem manus erat dividendum, etsi ipse Moyses divisionem illam non esset realiter effecturus, sed moraliter solùm: Per hoc significabatur Hebræis, quanti Moyses apud Deum esse meriti.

[ *Ut gradiantur filii Israel in medio mari* ] seu per mare; non enim hic medium propriè & strictè accipitur.

[ *Per siccum*. ] Id est, per mare exsiccatum.

Quomodo Deus induravit Ægyptios ut persequerentur Israelitas.

[ ℣. 17. *Ego autem indurabo cor Ægyptiorum ut persequantur vos* : ] Id fecit Deus, eorum oculis & menti objiciendo vestigia Israelitarum, ipsosque Israelitas per mare, sicco pede transeuntes, & adimendo eis timorem & apprehensionem intrandi mare: Inde enim factum est quòd fidenter & audacter ingrederentur mare ad insequendum Hebræos.

[ ℣. 18. *Et scient Ægyptii quia ego sum Dominus, cum glorificatus fuero in Pharaone, & in curribus atque in equitibus ejus*, ] Postquam Deus fuit in istis omnibus glorificatus; sive postquam ipsi fuerunt submersi, ne unus quidem superfuit ex eis, ac per consequens non est hic sermo de Ægyptiis illis qui cum Pharaone venerunt, sed de aliis qui remanserant in Ægypto, quique tanti prodigii evidentia cognoverunt Deum esse supremum Dominum, etsi non ideirco fuerint ad fidem conversi.

[ ℣. 19. *Tollensque se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel*, ] Iste erat Angelus dux & princeps populi Israelitici, qui columnæ nubis & ignis aderat: eamque cum esset progrediendum, movebat, & visibili ejus motu populum ducebat, ipsum antecedens & viam præmonstrans.

[ *Abiit post eos*: ] Ad finem castrorum populi Israel se transferens.

[ *Et cum eo pariter columna nubis*, ] In qua Angelus latebat eamque regebat.

[ ℣. 20. *Stetit, inter castra Ægyptiorum & castra Israel* : ] Non stabat inter hæc castra jam quiescentia & fixa; Nam Israelitæ proficiscebatur versus mare, & Ægyptii insequebantur eos; sed inter exercitus gradientes. At dices, quomodo jam progredi poterant Israelitæ, cum non haberent columnam ducem itineris, sed ipsa esset media inter castra eorum & adversariorum. Resp. quòd etsi columna sic esset media; nihilominus præmonstrabat viam Hebræis, eosque ducebat, quia sic illuminabat totum illorum exercitum ut spargeret lumen usque ad initium exercitus; quod lumen ibi movebatur, & suo motu indicabat esse ulterius progrediendum.

[ *Et erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem*, ] Simul seu eodem nocturno tempore erat tenebrosa versus Ægyptios, & lucida versus Hebræos. Ex his confirmari potest quod cap. 13. dicebamus, nubis & ignis columnam fuisse unam: tum quia si fuissent duæ, earum altera potuisset semper manere in principio castrorum, & alia in fine, nec oportuisset columnam nubis transferri ab initio castrorum Israel ad eorum finem; tum quia satis hic significatur eamdem columnam gessisse officium nubis tenebrosæ & lucis, nihil autem fuisset opus columnam nubis spargere lucem versus Hebræos, si habuissent aliam columnam ignis, eorum illuminationi destinatam.

[ *Ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent*. Ita ut Ægyptii non possent accedere ad Hebræos: Impediebat enim illos columna nubis quæ inter utrosque erat media, & ab Ægyptiorum parte multum tenebrosa; instar nimirum maximæ ac densissimæ nubis, unde etiam fiebat quòd nec Ægyptii Hebræos, nec Hebræi Ægyptios videre possent. Neque tamen existimandum est quòd Ægyptii destiterint progredi & Hebræos insequi; Aliquanto namque tum lunæ, tum aliorum siderum lumine illustrati pergebant post densam illam nubem, sed non audebant eam ingredi.

Mystica.

Allegoricè columna illa est crux Christi quæ inter fideles & fidelium adversarios, nempe dæmones media; illos tuetur, istos impedit: credentibus est virtus, Judæis autem est scandalum & gentibus stultitia.

Moraliter designat virtutem quæ una eademque justis lucet, & impiis est instar tenebrarum.

[ ℣. 21. *Cumque extendisset Moyses manum* ] simul virgam elevans, ut versu 16. mandatum erat.

[ *Super mare*, ] illud nimirum percutiendo, quemadmodum tradunt Origenes hom. 5. in Exod. Epiphanius hæresi 64. August. serm. 89. & 90. de tempore.

[ *Abstulit* ] id est, divisit.

[ *Illud Dominus flante vento vehementi & urente* ] Qui ablativi intelligendi sunt esse per se positi, ad denotandum quòd eodem tempore quo divisum est mare, ventus vehemens spiraret; non significatur autem quòd Dominus illo vento usus fuerit ad dividendum mare, etsi non desint qui ita existiment, quasi videlicet ventus ille aquas extruserit & elevaverit elevatasque tenuerit; secundùm hæc enim cessante vento, aquæ fuissent in suum alveum relapsæ; cessavit autem ventus, dum transirent Hebræi; (alioquin fuisset eis molestissimum transire: id quod Sap. 19. negat scriptura docens quòd illis fuit. *In mari rubro via sine impedimento* ) neque tamen aquæ tunc fuerunt relapsæ: Dicendum ergo quòd dum Deus per Angelorum ministerium citissimè illud divisit, ventus autem vehemens & urens, quem orientalem vocant Hebræi, fuitque verisimiliter Euroaquilo, siccavit fundum maris, ut sine incommodo possent Hebræi illud transire.

Moyses virga sua percussit mare.

[ *Tota nocte*, ] hoc est, magna parte noctis. Hebræi namque sub noctis initium pervenerunt, usque ad littus maris, ibique substiterunt, ad quos tamen Ægyptii non potuerunt accedere, propter columnam nubis intermediam. Tum Moyses virga mare percussit, quod virtute divina statim fuit divisum flante autem vento vehementi usque ad mediam noctem & ultra, fundum maris siccatum est; quo exsiccato, & vento non amplius spirante, Hebræi in tertia noctis vigilia, hoc est, post noctis medium ingressi sunt viam in mari apertam, columna nubis quæ adhuc erat inter ipsos & Ægyptios media, per lumen expansum eis viam monstrante ac ducente, tandemque omnes evaserunt ad aliud littus incolumes circa medium quartæ vigiliæ. Ægyptii verò ad finem tertiæ vigiliæ, ut viderunt Hebræos maris alveum ingressos sine ullo nocumento progredi & recedere, ipsos insecuti sunt ac mare pariter ingressi, ita ut omnes durante adhuc quarta vigilia noctis illud intraverint.

[ *Et vertit in siccum*: ] Non quia aquas ipsas siccaverit, sed quia fundum maris antea humidum, fecit siccum.

An fuerint plures divisiones maris.

[ *Divisaque est aqua*. ] Origenes & alii quidam tradunt plures fuisse divisiones, juxta illud Psalm. 135. *Qui divisit mare rubrum in divisiones*: & sicut erant duodecim tribus, ita volunt duodecim fuisse divisiones, ut unaquæque tribus suam haberet divisionem seu aperturam per quam transiret. Sed Philonis, Theodoreti, Lirani, aliorumque communior & verisimilior sententia, est unicam fuisse maris divisionem sive sectionem; quoniam neque in præsenti narratione historica, neque in sequenti cantico gratiarum actionis Moyses plurium divisionum meminit, quas tamen velut res maximè admirabiles convenisset significare. In libro quoque Sap. ubi nonnulla per Moysen prætermissa narrantur, nusquam mentio est plurium viarum, sed unius tantùm, ut cap. 10. *Deduxit illos in via mirabili &c. Et transtulit illos per mare rubrum*: cap. 14. *Dedisti & in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam*: cap. 19. *Ex aqua quæ ante erat, terra apparuit arida, & in mari rubro via sine impedimento*. Accedit quòd præsentis cap. scriptura satis indicat unicam viam, dum asserit aquam fuisse quasi murum à dextris Hebræorum & à sinistris, eosque per medium alveum transiisse. Ad versum autem Psal. 135. Resp. divisiones

illic

illic pro partibus divisis esse positas, ut significetur quòd Deus mare divisit in duas partes, sive in duo latera quæ hinc & inde stabant instar duorum murorum. Via porro inter ista duo latera tam lata & ampla fuit, quàm necessaria erat ut tantus hominum jumentorumque numerus pauculis horis transiret, quantus erat Israelitarum exercitus.

[ ℣. 22. *Et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris:* ] Idest, per alveum aut fundum maris exsiccatum. Quis fuerit primus ingressus, scriptura tacet. Josephus lib. 2. Antiq. cap. ult. scribit fuisse Moysen; estque id valde verisimile, cum ipse esset dux populi & minister divisionis maris, sicque mari propinquior. Aliud tradunt Hebræi: sed eam traditionem B. Hieronymus habet pro fabula ad finem cap. 11. Oseæ.

[ *Erat enim aqua quasi murus à dextra eorum & læva.* ] In altum erecta & stans instar muri, tum à dextris Hebræorum, tum ab illorum sinistris.

*Allegorica.* Pro allegoria observandum, quòd in virga Moysi sit mysterium crucis Christi. Sicut enim si virga non fuisset elevata, populus Dei non evasisset tyrannidem Pharaonis, ita si crux Christi non fuisset elevata, non evasissemus tyrannidem diaboli. Elevata autem virga, idest, cruce erecta, cedit mare & fluctus ejus, hoc est, vincitur mundus & mundi tentationes. Deinde transitus Hebræorum per mare rubrum figurabat Christianos per baptismum & sanguinem Christi transituros in novam vitam, quemadmodum 1. ad Corinth. 10. indicat Apostolus, & per nubem protegendos, idest, per Spiritum sanctum sanctificandos.

[ ℣. 23. *Persequentesque Ægyptii ingressi sunt post eos,* ] non minori dementia quàm audacia, nihil formidantes. Deus autem, qui ut v. 17. visum est, dixerat quòd illos excæcaret, sic eos ingredi permisit, quòd & omnes Hebræi ad littus pervenerant, & omnes Ægyptii maris alveum intraverant, prius quam aquæ in locum suum redirent.

[ ℣. 24. *Jamque advenerat vigilia matutina,* ] hoc est, sub auroram. Dividebatur enim nox in quatuor vigilias, quarum unaquæque tres horas continebat; atque ita quarta vigilia incipiebat circa horam quæ nobis est tertia matutina.

[ *Et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis,* ] Dominus hic intelligitur Angelus qui columnam nubis fecit quasi aperiri tamquam ex ea intueretur castra Ægyptiorum, ejaculaturus inde tonitrua & fulmina, & alia hujusmodi quibus uti solet Deus tamquam suis militibus. Vocatur autem columna ignis & nubis, quia erat nubes tenebrosa & illuminans noctem, atque ita quantum ad partem Hebræorum quos illuminabat, vocabatur columna ignis; & quantum ad partem Ægyptiorum qui manebant in tenebris, vocabatur nubes, quia erat densa ac tenebrosa.

[ *Interfecit exercitum eorum:* ] Idest, magnam partem exercitus: ex quo alii exerciti cognoverunt Deum pugnare pro Hebræis, & ceperunt fugere.

Si quæras, quomodo hos interfecerit prius quàm aquæ relaberentur in locum suum: Resp. quòd per tonitrua & fulgura, ignitaque tela quæ Angelus ex vicino aere fecit ac in Ægyptios misit, juxta illud Psalm. 76. *Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes. Etenim sagitta tua transeunt, vox tonitrui tui in rota.*

[ ℣. 25. *Et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum.* ] Maris scilicet alveum, aquis adhuc vacuum, sed mox replendum.

Moraliter per rotas curruum Pharaonis, significantur omnes adjutores & fautores malorum, quos Deus tamdem impedit & subvertit.

[ *Dixerunt ergo Ægyptii:* ] Illi qui per ejusmodi tempestatem & cladem non occubuerant.

[ *Fugiamus Israelem:* ] Ne ulterius insequamur Israelitas, sed recedamus ab illis & citò redeamus ad propria.

[ *Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* ] Videbant enim sibi obvenire fulmina, sagittas ignitas & alia tormentorum genera, de alto, & sciebant Israelitas multum à se distantes non pugnare.

[ ℣. 26. *Et ait Dominus ad Moysen:* ] Postquam Moyses & cum eo Hebræi omnes mare pertransierant, & in tuto erant.

[ *Extende manum tuam super mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios* ] illa extensio de se nihil efficaciæ habebat, ut aquæ per Dei potentiam antea retentæ, jam in suum locum redirent; sed Deus voluit eam adhiberi, tum ut Moysi authoritas cresceret apud Hebræos, noscerentque amplius eum sibi à Deo datum esse ducem; tum ut præfiguraretur quòd per virtutem crucis in altum elevatæ vincendus esset diabolus per Pharaonem designatus. *Ad quid manus extensio.*

[ ℣. 27. *Reversum est primo diluculo* ] cum inciperet dilucescere; sive ad initium auroræ.

[ *Ad priorem locum:* ] In Hebr. ad fortitudinem suam. Dum enim mare stetit, quasi ligatum fuit, ne robur suum haberet, quod est, moveri & fluere, & quidquid reperit, abripere: cum autem est permissum fluere, quod fuit quando ad priorem locum redivit, quasi pristinum robur recepit.

[ *Fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ,* ] cum Ægyptii viderent Deum pugnare contra ipsos, cœperunt fugere & reverti ad littora per quæ maris alveum intraverant, sed ipsis ita fugientibus aquæ ad pristinum suum locum relabentes occurrerunt.

[ *Et involvit eos Dominus in mediis fluctibus.* ] Omnes quotquot fuerant ingressi mare ad persequendum Hebræos: unde postea dicitur.

[ ℣. 28. *Nec unus quidem superfuit ex eis.* ] Quam quidem sententiam aliqui opinati sunt in Hebr. esse ambiguam, & per eam significari quòd ex omnibus Ægyptiis unus remanserit, scilicet Pharao. Sed eorum opinatio nullius est ponderis; tum quia id quod alii ex Hebr. vertunt, *non remansit in eis ad unum*, eumdem cum versione nostra sensum postulat, unde 70. habent, *non remansit de eis ne unus quidem*; tum quia Psalm. 105. prorsus ita sicut hic dicitur, *unus ex eis non remansit*, ut & Judith 5. *ut non remaneret, vel unus qui factum posteris nuntiaret*. Ex quibus errasse convincitur Manethon qui referente Josepho lib. 1. contra Apionem dixit hunc Pharaonem post egressum Hebræorum de Ægypto, regnasse viginti quinque annis & quatuor mensibus: certum enim est cum reliquis Ægyptiis eum in mari periisse. Peremptorium autem animarum Josephus lib. 2. Antiquit. facit, præter sexcentos currus, quinquaginta millia equitum, & ducenta millia peditum. *Pharao periit cum aliis.*

[ ℣. 29. *Filii autem Israel perrexerant per medium sicci maris &c.* ] Per recapitulationem ista dicuntur: Antequam enim mergerentur Ægyptii Israelitæ pertransierant mare, & Moyses in littore maris existens manum extenderat, quasi revocaturus aquas super Ægyptios.

[ ℣. 31. *Et viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, & manum magnam* ] seu potentiam & punitionem. Horum verborum occasione quidam opinantur Israelitas non pertransiisse mare de uno littore in aliud latus oppositum, sed circumeundo fecisse quasi semicirculum, & ad idem littus, unde fuerant ingressi mare, rediisse: quia mare solet ejicere cadavera in littus propinquum submersioni, littus autem propinquum submersioni Ægyptiorum erat illud ex quo tam ipsi quàm Hebræi mare intraverant.

Deinde, Num. 33. Israelitæ dicuntur post transitum maris rubri ambulasse per desertum Etham; desertum autem Etham fuisse citra mare rubrum venientibus ex Ægypto, liquet ex sup. cap. 13. ubi Israelitæ egressi de Ægypto venerunt in Etham prius quàm ad mare rubrum accederent. Denique, non videtur fieri potuisse quòd tot centena hominum jumentorumque millia quæ erant in Hebræorum exercitu, tam vastum mare pertransirent pauculis horis. Sed his non obstantibus retinenda est communis sententia, quam tradunt Josephus lib. 2. antiq. Philo lib. 3. de vita Moysi, Nyssenus in vita ejusdem Aug. serm. 89. de tempore, Lyranus, Cajet. Oleaster, Pererius, quòd Hebræi mare pertransierint de uno littore in aliud littus oppositum; sicut magis obvium est intelligere, & sicut Adrichomius in tabulis geographicis describit: Ex hoc enim quòd Ægyptii fugientes Israelem iverunt obviam aquis, monstratur quòd redibant ad eam ripam unde ingressi erant; & quòd Israelitæ essent ad ripam oppositam, quia si ad eamdem ripam præcessissent, Ægyptii non fugissent Israelem, sed essent eum secuti. *Hebræi transierunt mare de uno littore in littus oppositum.*

Ad 1.

Ad 1. ergo Argumentum Resp. in primis mare non solere cadavera in littus ejicere statim ac fuerunt ibi submersa, sed demum post unum atque alterum diem, ideoque aliquid extraordinarium hic est agnoscendum. Nam virtute extraordinaria fieri etiam potuit, quod cadavera Ægyptiorum ejicerentur ad littus à submersione remotius.

Sed prætetea Resp. nequaquam constare quodnam littus fuerit illi submersioni propinquius, quia nusquam habetur cui ripæ propinquiores essent Ægyptii, quando fluctibus maris fuerunt oppressi. In quacumque autem parte fuerint, parum refert; quoniam aquæ maris magno impetu occurrentes Ægyptiis fugientibus, eos in ripam adversam projecerunt, idque vel naturaliter suo motu, vel Angelo aut Angelis ipsas propellentibus; idque eo fine ut cum Israelitæ viderent Ægyptiorum cadavera ad ripam sibi proximam, securi essent de salute & liberatione ab Ægyptiis, sicque magis gauderent & Deum laudarent: ac insuper ut spoliis ipsorum ditarentur & arma diriperent.

Ad 2. dupliciter responderi potest. Uno modo cum Cajetano desertum Etham fuisse valde magnum, & unam ejus partem fuisse cis mare rubrum, aliam trans illud mare. Cui magnitudini attestatur scriptura quæ Num. 33. dicit Israelitas ambulasse tribus diebus per desertum Etham prius quam venirent in Mara. Alio modo cum Lirano, quòd duo fuerint deserta ejusdem nominis; unum citra, aliud ultra mare, sicut contingit plures urbes & pagos vocari eodem nomine. Addendum tamen illud desertum aut illam deserti partem quæ erat trans mare, & vocabatur ab Ægyptiis Etham, esse illud ipsum desertum quod Hebræis & Chananæis dicitur desertum Sur. Illud enim iter quod Num. 33. dicuntur ambulasse tribus diebus antequam venirent in Mara, juxta cap. 15. leguntur fecisse per solitudinem Sur.

Ad 3. Resp. Israelitas ea parte transiisse mare ubi est minus latum, & ideo paucis horis potuisse transire, accedente præsertim Angeli auxilio, qui eos non tantùm ducebat, sed etiam supra communes eorum vires agebat.

[ *Timuitque populus Dominum,* ] quidam filiali seu reverentiali timore, quidam servili: Illi magnitudinem ejus tamquam summi supremique Domini sunt reveriti: Alii considerantes potentiam ejus ad puniendum inimicos, ipsum timuerunt ut potentem punire.

[ *Et crediderunt Domino, & Moysi servo ejus.* ] Domino tamquam Domino supremo; & Moysi, tamquam ejus servo. Certam scilicet fidem adhibuerunt illis quæ tum Deus tum Moyses ex parte Dei dixerat, quòd liberarentur ab Ægyptiis. Antea quidem aliquam fidem iis adhibuerant, sed non admodum firmam, ut patet ex eo quòd videntes Ægyptios post se, timuerunt valde, supra v. 10. At nunc cernentes quòd Deus eos occidit, firmiter crediderunt se ab eis esse liberatos.

Divisio maris fuit supernaturalis. Pro hujus cap. coronide contra quosdam gentiles observandum est supradictam maris divisionem non potuisse naturaliter contingere, sed virtute supernaturali factam esse: Refluxus enim maris cui eam tribuere volunt, neque terram infimam solidat, neque mare sic dividit ut relinquat in medio viam latam & amplam, utrimque verò aquas elevet ut consistant immobiles tamquam duo muri hinc inde, donec populus numerosissimus transeat, & postmodum relabantur in hostes. Adde quòd refluxus est frequentior; talis autem divisio tantùm semel contigit. Scriptura quoque non tantùm hujus cap. sed etiam Psalmi 105. clarè significat ejusmodi divisionem non naturæ sed peculiari voluntati Dei esse tribuendam. *Increpuit mare rubrum, & exsiccatum est.* Et postea, *Obliti sunt Deum qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.* Hinc est quòd sicut Josue 2. legitur, Chananæi audientes quòd siccasset Dominus aquas maris rubri ad introitum Israelitarum pertimuerunt, & elanguerunt. Quinimò miraculum hoc divisionis maris rubri majus fuit eo quod postea factum est in Jordane Josue 3. Nam hîc & longè major aquæ copia fuit divisa quàm in Jordane, & ad duo latera steterunt aquæ immobiles, quasi duo magni muri, cum in Jordane solùm ab uno latere steterint; quæ autem inferiores erant, descenderunt in mare mortuum. Præterea fundum maris quod limosum erat, fuit per ventum à Deo immissum citò exsiccatum, & non fundum Jordanis quod erat arenosum. Sed & ingens miraculum fuit, quod ut refert Orosius lib. 1. historiæ cap. 10. ad sua usque tempora manserint vestigia transitus Hebræorum per mare rubrum: Nam tractus curruum, totarumque orbitæ non solum in littore, sed etiam in profundo quousque visus admittitur, pervidentur. Et si fortè ad tempus vel casu vel curiositate turbantur, continuò divinitus in pristinam faciem ventis fluctibusque reparantur. Tale autem quid non est in Jordane factum. Neque his obstat Josephum scribere quòd mare Pamphilium cessit Alexandro Magno, eique iter aperuit: quia hoc non est verum: non enim Alexander mare illud permeavit, sed littus tantùm ejus transiit, quod cùm tranquillo mari est aquis nudatum, pervium est itinerantibus. Et Alexander quidem illud cum suis intravit, prius quam fluctus maris redirent, sed ab illis redeuntibus ferè oppressus tota die iter fecit in aquis umbilico tenus, quemadmodum refert Strabo, apud Pererium disp. 4. in hoc cap. & Marium ad versum 22.

## CAPUT XV.

*Moyses & Hebræi Deo canunt gratias; similiterque Maria cum fœminis. Deinde veniunt in Mara, ubi aquarum amaritudine in dulcedinem versa, veniunt in Elim.*

[ ℣. 1. TUnc ] Postquam viderunt se ex duplici eoque ingenti periculo, hostium scilicet & aquæ ereptos, suosque adversarios omnes submersos, incredibili gaudio exhilarati, in gratiarum actionem.

[ *Cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino,* ] in Hebræo est, canet: sed quia futurum pro præterito positum est, ideo tam 70. quàm noster interpres, præteritum reddiderunt.

Canticum quod hîc sequitur, primum est omnium canticorum sive sacrorum sive profanorum. Quoniam verò Moyses divinitus inspiratus illud composuit, propterea vocatur canticum Moysi tum in horis nostris Canonicis, tum Apoc. 15. & non solùm, quia illud cantavit, quomodo vocari potest canticum Mariæ, eò quòd ipsa inter mulieres prima illud cantare cepit. Moyses autem illud composuit, servatis legibus poeseos Hebræorum, de quibus quòd aliquæ fuerint constat ex Josepho lib. 2. antiq. in fin. lib. 7. cap. 10. al. 12. ex Philone lib. 1. & 3. de vita Moysi, Eusebio lib. 11. de præpar. evangelica cap. 3. Suida in verbo Job, Hieronymus præfat. in Job, quem immeritò reprehendit Scaliger oppositum sentiens. Atque hæc causa est, propter quam latinus interpres istud canticum meritò carmen appellavit. At quomodo fuerit decantatum, incertum. Sunt qui duos choros fuisse dicunt, unum virorum, alterum mulierum è diverso stantes, & alternis versibus sibi invicem respondentes. Probabilius est solum Moysen præcinuisse (ex seq. enim apparet mulieres demum postea idem canticum cecinisse:) Moyse autem præcinente filios Israel semper succinuisse, vel repetendo illos eosdem diversos versus quos Moyses præcinebat; vel repetendo primum versum post unumquemque illorum quos canebat Moyses: sicut sabbathis quatuor temporum, in cantico trium puerorum, pueri in Ecclesia cantant distinctos versus, & chorus ad singulos respondet, laudate & superexaltate eum in sæcula.

[ *Cantemus.* ] Ita quoque habent 70. in Hebr. autem est singulare cantabo: vel quia solus Moyses ita incepit, & sic unusquisque post Moysen dixit: vel ad significandum unitatem populi in cujus nomine cantabatur.

[ *Domino:* ] Idest, in honorem Domini.

[ *Gloriosè enim magnificatus est,* ] in Hebr. quia magnificando magnificatus est, sive supra modum magnificatus est. Magnificari dicitur Deus, non sicut homines qui tunc magnificari dicuntur, quando ex parvis aut vilibus reipsa fiunt magni & gloriosi; sed quando ejus magnitudo, majestas, & potentia per opus aliquod eximium elucescit plus quàm antea, sicut in proposito,

posito, per Ægyptiorum submersionem & integram Israelitarum liberationem singulariter emicuit Dei justitia, potentia, magnitudo, ejusque fidelitas, bonitas, & misericordia. Quoniam vox Hebræa quæ significat magnificare, etiam significat elevare; quidam ita vertunt. *Quia elevando elevavit se:* quod per metaphoram eodem sensu cum versione nostra, sic accipi potest; quia fecit se gloriosum & magnificum apparere.

[ *Equum & ascensorem* ] hoc est, equos adversariorum cum ascensoribus eorum.

[ *Dejecit in mare.* ] Quo verbo significatur quàm facilis Deo fuerit subversio Ægyptiorum, quemadmodum facilè à nobis projicimus ea quæ vires nostras non superant. Simul quoque connotatur contemptus hostium: Quos enim victores à se abjiciunt, contemptui habent.

Moralia. Moraliter per equos significantur homines superbi, & quicumque alii impii; Ascensor autem eorum est diabolus qui eos regit: Unde rectè dicitur homo impius esse jumentum diaboli, quod injecto sibi cupiditatis & pravi desiderii fræno, ad ejus voluntatem trahitur.

Quomodo aliquis dicatur canticum alterius. [ ℣. 2. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus,* ] Sermo non est formalis, sed causalis, q. d. Dominus est is cujus robore & auxilio fortis fui, & hostes meos superavi: Est etiam is quem laudare debeo & laudabo. Pro, laus in Hebr. sonat *canticum:* Aliquis autem dicitur esse canticum alterius, quando est materia vel argumentum de quo ex animi lætitia est cantandum, etsi aliquando aliter accipiatur, ut Job 30. *Nunc in eorum canticum versus sum*, idest, factus sum is de quo ad irrisionem canunt.

[ *Et factus est mibi in salutem:* ] Vocula *&*, sumitur causaliter sicut Isai. 64. v. 5. & alibi frequenter; redditur enim ratio quare Deus prædicetur populi Israelitici fortitudo & laus; quia ipse salutem ei contulit eumque salvavit ab Ægyptiis.

[ *Iste Deus meus,* ] Pronomen. *Iste*, demonstrat Deum verum. Q. d. Non dii aliarum gentium, Non dii Ægyptiorum, sed iste verus Deus qui me protexit ac liberavit, est ac erit Deus meus, cui soli serviam.

[ *Et glorificabo eum:* Quibus modis potuero, eum studebo glorificare laudibus celebrando, prædicatione aliis manifestando, & honore ac reverentia prosequendo. Alii ex Hebr. vertunt, *habitabo cum eo.* Vel tabernaculum faciam ei, sicut postea fecit Moyses nomine populi: quæ varietates ex vocabuli Hebræi varia significatione proveniunt, omnesque ad Deum glorificandum pertinent.

[ *Deus patris mei,* ] nimirum Abrahæ: Ille enim est qui peculiariter dicitur, ut pater omnium credentium, ita pater populi Israelitici, ad Rom. 4. versu 11. & 12. Joan. 8. v. 37. & 39. Idcirco autem ita loquitur Moyses in persona populi, ut significet non jam recenter istum Deum à populo esse electum, cum jam olim eumdem coluerit Abraham.

[ *Et exaltabo eum.* ] Magnis laudibus eum prædicabo, ejusque magnitudinem annuntiabo.

[ ℣. 3. *Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus.* ] In Hebr. pro Dominus; & pro, omnipotens, habetur nomen tetragrammaton: *Jehova vir prælii, Jehova nomen ejus;* & abest vocula, *quasi;* sed sensus in idem redit: significatur enim quòd Deus sit maximè bellicosus, quòdque talem se præbuerit, debellando hostes Israelitarum, eosque de potestate illorum liberando. Significatur etiam quòd ipse sit verus Deus: quamvis enim Jehova non propriè sit idem quod omnipotens; interpres tamen noster posuit omnipotens tamquam signum veri Dei, tum quòd solus verus Deus est omnipotens, tum quòd istud epitheton optimè respondet istis antecedentibus *Dominus vir pugnator.* Militaribus enim expeditionibus victoriam adfert omnipotentia.

[ ℣. 4. *Currus Pharaonis & exercitum ejus projecit in mare:* ] Verbum Hebræum etiam significat jaculari, atque ita indicatur tam facile fuisse Deo Ægyptios omnes eorumque currus dejicere in mare, quàm facile vir fortis ejaculatur sagittam. Hoc autem fecit Deus, partim quando subvertit rotas curruum: partim quando aquæ occurrerunt Ægyptiis eosque dejecerunt & operuerunt. Sic qui luto & latericiis operibus Hebræos oppresserant, & pueros eorum submerserant, submersi sunt ipsi, etiam in lutum præcipitati sine spe evadendi.

[ *Electi principes ejus* ] scilicet Pharaonis.

[ *Submersi sunt in mari rubro.* ] Non solùm ipsi fuerunt submersi, sed omnes ad unum Ægyptii qui erant cum Pharaone, ut cap. præced. dictum est: De ipsis tamen fit mentio specialis, quia ipsorum submersio erat major plaga, cum ipsi essent capita populi. Cur illud mare dicatur rubrum, explicavimus ad cap. 10. vers. 19.

[ ℣. 5. *Abyssi operuerunt eos,* ] per abyssos, aquarum profunditates seu aquæ admodum profundæ, intelliguntur, secundùm ea quæ Genes. 1. fuimus commentati.

[ *Descenderunt in profundum quasi lapis.* ] Q. d. Sicut lapis mox ut in aquas injicitur, gravitate sua in fundum cadit, nec ullatenus potest enatare; ita Ægyptii in profundum maris ceciderunt, nec ullus eorum potuit evadere.

[ ℣. 6. *Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine:* ] Nec dexteram nec sinistram habet Deus, cum non sit corporeus, sed metaphoricè dextera Dei ponitur, interdum quidem pro benignitate & protectione vel auxilio, ut Job 14. *Operi manuum tuarum porriges dexteram.* At hic significat robur & potentiam, allusione facta ad homines quorum robur maximè situm est in dextra. Sensus est: Robur tuum & potentia tua Domine, palam omnibus innotuit, & maxima esse declarata est ex ea fortitudine qua usus es contra Ægyptios. Ita sumitur dextera pro potentia & robore Job 40. *Confitebor quòd salvare te possit dextera tua.*

[ *Dextera tua Domine, percussit inimicum.* ] Pharaonem cum toto ejus exercitu ad internecionem delevit.

[ ℣. 7. *Et in multitudine gloria tua* ] per magnam fortitudinem tuam ex qua honor & gloria ad te redundabit, sive ex qua plurimum glorificaberis.

[ *Deposuisti* ] idest, subvertisti & dissipasti.

[ *Adversarios tuos: misisti iram tuam,* ] hoc est, ultionem instar ignis: Sumitur enim hic ira pro iræ effectu, qui est vindictam sumere & pœnas inferre.

[ *Quæ devoravit eos sicut stipulam.* Sicut ignis devoravit seu consumit facillimè stipulam, ita Deus sine ulla difficultate consumpsit omnes Ægyptios venientes cum Pharaone.

[ ℣. 8. *Et in spiritu furoris tui* ] in impetu indignationis tuæ, sive in indignatione tua furibunda. Ex Hebr. alii vertunt, *In spiritu nasi tui*, vel narium tuarum, eodem tamen sensu; quia flatus narium vehementiam iræ designat.

[ *Congregatæ sunt aquæ:* ] Ut primò quidem viam facerent Hebræis, postea verò in Ægyptios magno impetu relaberentur, eosque submergerent. Versum hunc ita efferunt 70. *Per spiritum indignationis tuæ divisa est aqua;* non quòd vox Hebræa significet divisionem, sed quoniam aquæ prius fuerunt divisæ, & mox hinc inde in acervos congregatæ quasi essent duo muri.

[ *Stetit unda fluens,* ] unda quæ de natura sua est fluida, stetit, sive non est mota, sed substitit in sublime erecta.

[ *Congregatæ sunt abyssi in medio mari.* ] Magnæ & vastæ moles aquarum sunt conglomeratæ & condensatæ, non ad unum littus, sed intra ipsum mare.

Si quæras, quomodo ista congregatio & statio aquarum tribuitur iræ Dei, cum fuerit Hebræis magnum beneficium & singularis amoris indicium: Resp. quia etsi fuerit ab amore Dei erga Hebræos; fuit tamen ab ira ejusdem contra Ægyptios, tamquam stratagema & laqueus quo ipsi fuerunt decepti, & quo Deus ipsos aquis involvit. Ex quo discant impii suam miseriam, dum quæ justis ex amore Deus tribuit, vident sibi provenire ex ejus ira, sibique cedere in vindictam.

[ ℣. 9. *Dixit inimicus:* ] Scilicet Pharao: Vel singulare positum est pro plurali: Dixerunt inimici, quomodo miles sæpe pro magna militum copia ponitur, ut apud Poetam.

*Dixerat, & naves armato milite complent.*

[ *Persequar & comprehendam,* ] Hebræos fugientes. Et quoniam sciebat ipsos cum varia supellectile, cumque plurimis pecoribus abire, omnibus illis inhians Pharao,

Pharao, certamque victoriam sibi pollicens, vel ore vel corde dixerat.

[ *Dividam spolia,* ] quæ ex Hebræis reportabo.

[ *Implebitur anima mea:* ] Desiderium meum saturabitur.

[ *Evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* ] Ex præced. cap. ubi Pharao legitur dixisse *Quid voluimus facere ut dimitteremus Israel ne serviret nobis &c.* satis intelligitur mentem illius fuisse compellere Israelitas ad redeundum in Ægyptum ibique serviendum: quia tamen si non posset eos reducere, intendebat illos occidere idque se facturum esse dicebat, Idcirco hic scribitur dixisse, *interficiet eos manus mea.* Intelligit autem non præcisè manum suam propriam, sed suorum quoque militum: Illorum enim manus cum essent ejus instrumenta, non malè dicuntur manus ipsius. Verùm superbam illam temeritatem & præsumptionem tu Domine stultam esse declarasti: Nam

[ ℣. 10. *Flavit spiritus tuus,* ] Per spiritum Dei rectè intelligitur ventus à Deo missus: non is tamen quo quidam putant aquas fuisse divisas & postea revocatas; ( diximus enim cap. præced. earum divisionem non fuisse factam per ventum) sed quem verisimile est Deum immisisse ut horribiliore & validiore impetu aquæ impellerentur ut obruerent Ægyptios. Potest nihilominus etiam per spiritum Dei, intelligi Dei vindicta seu potentia ejus vindicativa, secundùm quod author commentariorum libri Proverbiorum apud S. Hieron. scribit in cap. 1. Spiritum suum, potentiam ultionis nominat de qua Moyses ait: Misisti spiritum tuum & operuit eos mare. Et in libro Job ( cap. 4. ) dictum est iniquos flante Deo periisse, & spiritu iræ ejus esse consumptos. At mysticè per spiritum Dei Patres intelligunt Spiritum sanctum; sicut per dexteram Dei, Filium; & per Deum, Patrem.

[ *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* ] Q. d. sicut plumbum cum sit valde grave, statim ut mittitur in aquam, fundum petit; ita Ægyptii nequaquam enatare potuerunt, sed in fundum maris descenderunt ac submersi sunt in aquis, quæ & magnæ erant & impetuosæ. Oleaster non vult vertendum, submersi sunt, quia verbum Hebræum nusquam in scriptura redditur per submergere, sed per obumbrare. Verùm interpretes 70. natura Hebræi Hebraicèque doctissimi cum versione nostra consentiunt, quoniam enim ea quæ in magnis aquis obumbrantur sicut plumbum, in fundum descendunt, & submerguntur: & quoniam vox Hebræa etiam significat profundum, adeò ut sic quoque verti possit, profundi facti sunt quasi plumbum; non dubium est quin versio nostra benè habeat.

Quòd spiritus Dei hic.

[ ℣. 11. *Quis similis tui in fortibus Domine?* ] 70. pro fortibus habent diis, eodem sensu; quia Elim & deos, & fortes significat; comparatque hic Moyses Deum verum, non tantùm cum hominibus robore valentibus, sed etiam cum diis gentium, ipsum illis præferendo, perinde ac si diceret: Domine quis inter idola seu deos gentium, qui fortitudinem sibi vendicant, vel inter quoscumque alios fortes, potest tibi in fortitudine comparari, & signa illa ac portenta operari quæ tu fecisti pro liberatione nostri? nullus omnino.

[ *Quis similis tui,* ] vel est replicatio ejus quod præcessit, quemadmodum sæpè fit, maximè in carminibus: vel est nova sententia; dixerat enim nullum esse Deo similem in fortitudine: Nunc ponit nullum esse ei similem in sanctitate, in terrore, in laude, & in miraculorum operatione: Ideo dicit.

[ *Magnificus in sanctitate,* ] quis ita est magnificus in sanctitate, sicut tu? quis in sanctitate tam magnus est? 70. habent, *Glorificatus in Sanctis;* quod in idem redit: significatur enim nullum inter sanctos ita esse sanctum sicut est Deus, ipsumque omnes in sanctitate præcellere.

[ *Terribilis* ] Ob rigorem justitiæ & pœnas atque supplicia quæ infers tuis inimicis. Hinc Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.*

[ *Atque laudabilis, faciens mirabilia?* ] Maximè dum operaris mirabilia in protectionem & liberationem tuorum: Per hæc enim fit ut & inimici tui terrorem magnum concipiant, & amici laudibus te celebrent. Ex Hebr. pro terribilis atque laudabilis, verti potest, *terribilis laudibus:* quod verificatur tum quia laudes Dei sunt formidini, non solùm hominibus, sed etiam Angelis, eò quòd excedant vires omnium laudantium; tum quia timendus est à laudantibus, cum ipse non velit laudari sine timore; tum quia per sola opera laudabilia est timendus: inter homines autem secus accidit.

[ ℣. 12. *Extendisti manum tuam,* ] Metaphoricè describitur Deus tamquam vir bellator, qui ad percutiendum hostem extendit manum suam.

[ *Et devoravit eos terra.* ] Non sic quasi terra se aperiens devoraverit Ægyptios, sicut Num. 16. & 26. devoravit Chore, Dathan, & Abiron: sed quoniam terra aquæ permixta Ægyptios absorbuit. Cum enim in mari soleant esse magnæ concavitates, vel per balenas fabricatæ pro ipsarum nidis, vel per tempestates causatæ, illæ quidem pro Israelitis coæquatæ fuerunt & planæ, sed postmodum aquarum vehementi delapsu fuerunt apertæ, & in illis aqua simul & terra seu magnis arenarum cumulis cooperti & absorpti fuerunt Ægyptii, & sic ab aqua simul & terra devorati.

[ ℣. 13. *Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti:* ] Misericorditer ducem te præbuisti per columnam ignis & nubis populo Hebræorum quem de servitute Ægyptiaca liberasti, ut sicco pede mare pertransiret. 70. pro misericordia, habent justitiam, non quòd Hebræi fuerint apud Deum meriti ut Deus eos duceret, utque ducatum suum eis deberet ex justitia; sed quia divinæ bonitati & misericordiæ consentaneum erat, ipsaque divina æquitas postulabat, ut quos gratuitò de tam dura tamque diuturna servitute Ægyptiaca, per signa & portenta mirabilia liberaverat, non sineret eos aquis marinis involvi ( quod in contemptum nominis divini cessisset, ) sed gratuita bonitate sua conservaret salvosque perduceret. Unde in eo quod dicitur, *populo quem redemisti,* emphasis est tacitè continens causam cur Deus tanto miraculo ducatum præbere voluerit Hebræis, eosque de mari salvos educere, nempè quia illos redemerat de Ægypto, non pecuniam solvendo, sed portenta faciendo.

[ *Et portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum.* ] Abulensis & alii arbitrantur præterita hic pro futuris esse posita more Prophetico, propter certitudinem eventus, quia dum Moyses istud canticum decantabat, populus Hebræus nondum pervenerat ad habitaculum sanctum Dei, nec cætera contigerant quæ usque ad versum 16. narrantur. Moyses ergo spiritu prophetico prænoscens quòd Deus infallibi- Præterita pro futuris.
liter esset introducturus populum Hebræum in terram promissionis, idque sine ipsius populi molestia aut fatigatione, sicut is qui à robusto quopiam portatur, sine ulla defatigatione pervenit ad suum terminum, dicit *portasti,* hoc est, portabis eum, utendo effectibus tuæ fortitudinis cujusmodi fuerunt datio mannæ & aquæ de petra, victoriæ de hostibus, & quòd vestimenta eorum non sunt attrita, nec calceamenta pedum consumpta per annos 40. *ad habitaculum sanctum tuum,* idest, ad terram promissionis, quæ dicitur ha- Terra promissionis cur habitaculum sanctum Dei.
bitaculum sanctum Dei; partim quia olim inhabitata fuerat à sanctis Dei amicis, Abraham, Isaac, & Jacob, in quibus & ipse per gratiam suam habitaverat: partim quia Deus in ea collocaturus erat templum ut in illo coleretur: partim denique, quia sanctus sanctorum Christus, ejusque mater sanctissima & Apostoli erant illic habitaturi. Secundùm allegoriam habitaculum sanctum Dei est cœlum, juxta illud, *Pater noster qui es in cœlis.* Ad quod nos portat, non fortitudo nostra, sed Dei virtus & misericordia; *Non enim volentis neque currentis, sed miserentis est Dei,* ad Rom. 9.

[ ℣. 14. *Ascenderunt populi,* ] 70. & alii ex Hebr. habent, *Audierunt,* sensu eodem: Audierunt namque populi Deum divisisse mare rubrum ut Hebræi transirent, & postea consilio inter se habito ascenderunt volentes se illis opponere; ac interim.

[ *Et irati sunt:* ] Fremuerunt & indignati sunt. Quos nomine populorum intelligat Moyses, patet ex seqq. scilicet Philisthæos, Idumæos, Moabitas & Chananæos, qui necdum audierant divisionem maris, neque

que ascenderant contra Hebræos; sed audituri & ascensuri prædicuntur.

[ *Dolores* ] Ea metu vehementissimo concepti.

[ *Obtinuerunt* ] Idest, obtinebunt.

[ *Habitatores Philistiim.* ]

[ ℣. 15. *Tunc conturbati sunt principes Edom,* ] seu Idumæorum 70. habent festinaverunt, nempe ad Hebræos repellendos & impugnandos, ne fines suos intrarent. Id quod verbis præteriti pro futuri temporis hic dicitur, factum reperitur, Num. 20. ubi legimus de Edom, quòd statim egressus est obvius Hebræis cum infinita multitudine & manu forti. Utramque autem lectionem esse probam doceri potest tum ex eo quòd verbo Græco non solùm significetur festinatio sed etiam trepidatio; tum quia trepidatio non rarò causat festinationem; cursitant enim qui trepidant.

[ *Robustos Moab obtinuit* ] seu obtinebit.

[ *Tremor:* ] Quod ea Num. 22. v. 3. & 4. liquet ita accidisse.

[ *Obriguerunt* ] sive obrigescent.

[ *Omnes habitatores Chanaan.* ] Apud 70. *tabuerunt*, vel liquefacti sunt. Significatur quòd Chananæi ex nimio pavore futuri sint similes illis qui spiritu vitali & viribus deficientibus, quasi instar ceræ liquefacti extabescunt & stupent. Ita evenisse refert Raab Josue 2.

[ ℣. 16. *Irruat super eos formido & pavor,* ] ut corde & corpore contremiscant. Hìc Moyses partim Deum obsecrat, partim optat evenire quæ hactenus eventura esse prædixit.

[ *In magnitudine brachii tui:* ] Q. d. fac Domine, ut per magnitudinem fortitudinis tuæ, quam ostendisti liberando nos mirabiliter, tum de Ægypto, tum de mari rubro, Ægyptios autem puniendo & submergendo, quamque ipsi audient, ingenti pavore concutiantur & obruantur.

[ *Fiant immobiles quasi lapis,* ] ea timore & stupore reddantur immobiles instar lapidum ut impedire non possint populum tuum ab ingressu terræ promissionis: quod fuit impletum partim in transitu Jordanis, ubi nullus se Israelitis opposuit; partim in expugnatione urbis Jericho, & verisimiliter in quibusdam aliis; fuissetque pluries impletum si peccata populi non reddidissent ipsum tanto beneficio indignum, & si non expedivisset permittere aliqua contra eum bella insurgere, ad probandum utrùm verè Deum diligeret, sicut ex Deut. 8. patet.

[ *Donec pertranseat populus tuus Domine,* ] in terram Chanaan ei promissam.

[ *Donec pertranseat populus tuus* ] ista repetitio ad ornatum pertinet, quemadmodum fieri solet in canticis.

[ *Iste, quem possedisti.* ] Possidet quidem Deus omnes suas creaturas, quia *Domini est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & universi qui habitant in eo.* Psalm. 23. specialiter tamen de Hebræorum populo dicitur quòd Deus illum possedit, quia eum in populum suum peculiarem accepit, eumque suo cultui deputavit.

[ ℣. 17. *Introduces eos, & plantabis in monte hereditatis tuæ,* ] Rectè hæc quoque sicut præcedentia intelliguntur à Moyse dicta per modum optantis & obsecrantis, ut Deus Hebræos in terram promissam introducat, ibique faciat eos firmiter habitare, perinde ac si essent illic benè radicati: Per montem, totam terram Chanaan comprehendit, quæ ut Deut. 11. legitur, montuosa est: Vocatur autem mons hæreditatis Dei, quia Deus illam terram daturus erat Hebræis velut hæreditario jure possidendam, utporè patribus eorum olim promissam, in eaque ædificandum erat templum tamquam domus & hæreditas Dei: de quo jam sequitur.

*Quid per montem intelligitur.*

[ *Firmissimo habitaculo tuo quod operatus es Domine:* ] Idest, quod operaberis; ponitur enim præteritum pro futuro, sicut & ibi.

[ *Quod firmaverunt* ] idest, firmabunt.

[ *Manus tuæ.* ] Per habitaculum enim Dei (quemadmodum etiam per sanctuarium ejus) templum intelligitur, in quo velut cultui suo deputato, peculiariter fuit Deus, & quodammodo habitavit. Vocatur autem firmissimum; partim quia extruendum erat ad hoc ut annis multis integrum staret, sicut etiam stetit; partim ad differentiam tabernaculi fœderis quod fuit quidem domus Dei, sed portatilis & nullo loco fixa.

[ *Sanctuarium tuum* ] Quæ ita cum præcedentibus construi possunt In firmissimo habitaculo tuo quod operatus es, sive quod operaberis, quodque est illud tuum sanctuarium quod manus tuæ firmabunt, idest, quod per potentiam tuam excitabis, & firmum ac stabile facies.

[ ℣. 18. *Dominus regnabit in æternum & ultra.* ] Q. d. quæ omnia dum considero, affirmare & exclamare lubet quòd tum in illo sanctuario tum in eo quod per illud figuratur, hoc est, in Ecclesia prout militantem & triumphantem complectitur, Dominus regnabit, idest, tamquam Dominus absolutus verusque Deus agnoscetur, adorabitur, & laudabitur, idque in æternum & ultra.

At quomodo ultra æternum, cum æternitas sit interminabilis, ideoque nihil ultra æternum esse possit. Resp. vel æternum non ita strictè accipi, frequenter enim tam vox latina *æternum*, quàm Hebræa cui respondet, non significat durationem omnino interminatam, sed tempus valde longum, cujus finis non pervidetur, unde 70. non hic æternum reddiderunt sed sæculum: ad designandam verò durationem prorsus perpetuam, additur & ultra: quasi diceretur Dominus regnabit in tempus longissimum, utpote toto hoc sæculo, ac etiam ultra, per totum scilicet illud sæculum quod post finem hujus mundi est futurum. Vel si per æternum, veram æternitatem accipias, dici potest addi istud, *& ultra*, ex abundantia affectus, perinde ac si Moyses diceret Deum in omnem æternitatem regnaturum, & si fieri posset etiam ultra. Confer quæ diximus 1. p. q. 10. art. 2. ad 2.

*Quomodo ultra æternum.*

[ ℣. 19. *Egressus est enim eques Pharao* ] ista particula, *enim*, significat reddi causam, cur Dominus sit regnaturus, sive ut Deus adorandus & laudandus in terra Chanaan, quia scilicet ipse Pharaonem & Ægyptios delevit, liberato populo Israelitico. Pharao est genitivi casus; & pro eques, Hebræa & vetera quædam exemplaria latina legunt equus. Vel autem tam equus quàm eques accipitur collectivè pro multitudine equorum vel equitum Pharaonis, unde 70. Romæ impressa habent, equitatus Pharaonis: Vel eques accipitur pro jumento cui insidetur, idest, pro equo. Docet enim Gellius lib. 18. Noctium Attic. cap. 5. pleramque veterum ætatem, & hominem equo insidentem, & equum cui insideatur, equitem vocasse.

[ ℣. 20. *Sumpsit ergo Maria Prophetissa,* ] ut mulieres nihil minus quàm viri facerent, ad devotionem aut ad gratiarum actionem pertinens: postquam Moyses cum viris canticum absolvit, ejus soror illud ipsum cantare cepit, præcinuitque mulieribus post illam succinentibus. Convenienter autem ipsam fuisse in ea decantatione ducem mulieribus, designatur per hoc quòd vocatur prophetissa. Quid futurum prædixerit, ex scriptura non habetur; ipsam tamen verè prophetissam fuisse, tum hinc, tum ea Num. 12. liquet; Nam & ille propheta est cui Deus loquitur & secreta quædam revelat, tametsi ea non sint aliis per eum manifestanda.

[ *Soror Aaron,* ] erat quoque soror Moysi, sed hìc tantùm dicitur soror Aaron; sive quia prius fuit soror Aaron, utpote senioris, quàm Moysi; sive quia erat familiarior cum Aarone; sive quia sufficiebat exprimere unum. Hinc quidam sumunt argumentum istam Mariam fuisse virginem: si enim fuisset conjugata, non esset dicta soror Aaron, sed uxor talis viri. Accedit quòd scriptura nusquam ejus maritum memorat, quodque S. Ambrosius lib. 1. de Virginibus de ea scribit, *Maria sumens tympanum pudore virgineo choros duxit:* & lib. de Instit. virgin. cap. 17. *Cum sanctis Moyse & Aaron virgo pedes per fluctus duxit Hebræorum exercitum.* Etsi autem hæc non convincant, & ex opposito significet Josephus; faciunt tamen sententiam istam satis probabilem.

[ *Tympanum in manu sua:* ] Quid olim fuerit tympanum, variè disputatur. Nihil vetat dicere quòd idem aut simile fuerit cum nostris.

[ *Egressaeque sunt omnes mulieres post eam* ] de suis nimirum tentoriis, & de locis castrorum in quibus erant.

[ *Cum tympanis* ] inter alia supellectilia quæ secum de Ægypto asportarunt multæ mulieres, fuerunt tympana

pana tum ad recreationem juvencularum & puerorum tenerorum, tum ad Dei laudes canendas.

[ *Et choris,* ] non eſt hic chorus nomen inſtrumenti muſici, ſed ducentium choros; dicitur enim chorus congregatio concinentium atque ſaltantium. Sed obſervandum has mulieres non fuiſſe egreſſas ad choreas vanas aut laſcivas, ſed ad ſacras ac devotas: de cujuſmodi intelligi poteſt illud Pſalm. 67. *Prævenerunt principes conjuncti pſallentibus in medio juvencularum tympaniſtriarum.*

[ ℣. 21. *Quibus præcinebat,* ] Significatur quòd Maria voce & tympano præcinebat mulieribus canticum illud, *Cantemus Domino,* & deinde mulieres poſt eam ſuccinerent: in Hebr. legitur, *& reſpondit eis,* ſcilicet Maria viris, ut alii interpretantur, pronomen enim eis eſt maſculini generis, ex quo colligunt mulieres ſimul cum viris ceciniſſe, & his primò cantantibus illas reſpondiſſe. Sed in contrarium facit quòd demum poſt decantatum à viris canticum & Maria tympanum ſumpſit, & mulieres deſcribantur egreſſæ ad idem cantandum. Deinde, interpretatio illa, & reſpondit eis, ſcilicet Maria viris, nimis longè peti videtur, cum de mulieribus ſermo præceſſerit & non de viris; cumque verſio noſtra latina manifeſtè ſignificet Mariam præcinuiſſe mulieribus, quemadmodum & 70. qui poſtquam dixerunt mulieres egreſſas poſt Mariam, ſubjiciunt: *Principium autem dedit illis Maria dicens Cantemus Domino* &c. Quapropter ſi Hebræa lectio ſincera eſt, illud, *& reſpondit,* idem valet quod cepit loqui vel canere: quomodo Chriſtus in Evangelio frequenter legitur Reſpondiſſe, ideſt, incepiſſe loqui; & maſculinum eis, pro fœminino poſitum eſt, quod in Hebræo non rarò accidit.

Maria non viris ſed mulieribus præcinuit.

[ ℣. 22. *Tulit autem Moyſes Iſrael de mari rubro,* ] Hoc eſt, populum Iſraeliticum duxit & proficiſci fecit de mari rubro, ſive de littore maris rubri. Verbo autem tulit, deſignatur provida cura Moyſi erga iſtum populum ſicut matris erga filium quem ſollicitè geſtat.

[ *Et egreſſi ſunt in deſertum Sur:* ] Quod alio nomine dictum fuiſſe Etham ex Numer. 33. diximus ſub fin. cap. præced. eſt autem illud ipſum deſertum de quo Geneſ. 16. Hæc eſt *quarta manſio* filiorum Iſrael.

[ *Ambulaveruntque tribus diebus per ſolitudinem,* ] quod non eſt neceſſe ſic intelligere quaſi toto triduo ſine ulla omnino requie profecti fuerint, nam neque mulieres, neque pueri, neque jumenta potuiſſent tantum laborem ferre; ſed quia ſolùm intermittebant iter ad quietem nocturnam & ad refectionem diurnam, de cætero per ſolitudinem Etham gradientes.

[ *Et non inveniebant aquam.* ] Tantæ hominum pecorumque multitudini reficiendæ ſufficientem. Probabile namque eſt quod notat Abulenſis, non ita hæc accipienda eſſe quaſi nihil prorſus aquæ repererint, cum non videatur dicendum quòd omnes viri & pueri, omnes mulieres & juvenculæ, omniaque jumenta per tres dies & noctes fuerint abſque potu; ſed quòd non invenerint aquam pro ſe ſuiſque pecoribus ſufficientem, & quòd aquæ eſſent ibi valde raræ.

[ ℣. 23. *Et venerunt in Mara,* ] ita per anticipationem vocatur iſte locus, quia quando Hebræi ad eum venerunt, necdum vocabatur Mara, ſed ſic demum vocatus fuit ab aquarum amaritudine quas Hebræi illic repererunt, quemadmodum ſequitur in textu; & ſic vocabatur quando Moyſes hunc librum ſcripſit. Atque hæc eſt *quinta Manſio.*

[ ℣. 24. *Et murmuravit populus contra Moyſen, dicens: quid bibemus?* ] Hinc patet iſtius populi ingratitudo, qui non obſtantibus tot ſignis quæ per miniſterium Moyſi viderunt fieri, tam facile contra eum inſurgunt, etſi non ſit veriſimile omnes omnino murmuraſſe, cum nec in publica vituli adoratione omnes fuerint culpabiles, infra cap. 32. Poterat Deus & murmur illud avertere, & aquam vel dulcem præbere, vel amaram dulcorare: ſed melius judicavit dilatione aquæ & remedii probare illorum conſtantiam.

[ ℣. 25. *At ille clamavit ad Dominum.* ] Exemplum præbens iis qui præſunt, nec viribus ſuis fidendi, nec tamen in neceſſitatibus deſperandi, ſed ad auxilium divinum recurrendi.

[ *Qui oſtendit ei lignum:* ] Quodnam illud fuerit, prorſus eſt incertum, ſicuti & utrùm naturali, an ſupernaturali virtute aquas amaras dulcoraverit, niſi quod veriſimilius videatur interveniſſe aliquid ſecundùm naturam, & aliquid ſupra naturam. Quòd enim iſtud lignum habuerit naturalem vim dulcorandi aquam, ex Eccleſiaſtici 38. haud obſcurè colligitur: quia cum dicit. *Nonne à ligno indulcata eſt aqua amara,* & ad præſens factum reſpicit, & loquitur de naturali virtute ligni: Commendat quippe illic artem medicandi, & naturales rerum proprietates quæ valent ad medicamenta. Simul tamen interveniſſe aliquid ſupra naturam doceri poſſe videtur ex eo tum quòd non modica tantùm aqua fuit dulcorata, ſed copioſiſſima, quæ nimirum tot centenorum millium hominum multitudini reficiendæ cum ipſorum pecoribus ſufficeret; tum quòd iſta dulcoratio citiſſimè facta fuerit ad immiſſionem ligni in aquas, juxta id quod ſequitur.

Dulcoratio non fuit tota naturalis.

[ *Quod cum miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt.* ] Atque ita potabiles ſubitò redditæ. Per aquas amaras intelliguntur hujus mundi difficultates & moleſtiæ: Lignum autem illud eſt figura crucis Chriſti; cujus virtute, memoria, & contemplatione labores & dolores hujus vitæ dulceſcunt.

[ *Ibi conſtituit ei præcepta, atque judicia,* ] etſi non exprimatur quænam illa fuerint, ſermonis tamen ſeries omnino requirit quod in Mara, poſtquam populus ejuſque pecora ſitim reſtinxerunt, Deus aliqua ipſi præcepta ſive ad mores, ſive ad cultum ejus pertinentia, dedit, ac etiam aliqua judicialia. Et ſatis veriſimile eſt fuiſſe quædam legis poſtea datæ mandata, interque ea, obſervationem ſabbathi, cum ſtatim cap. ſeq. fiat mentio requiei quam Deus in ſabbatho vellet obſervari, cumque Moyſes dicat, *Hoc eſt quod locutus eſt Dominus, requies ſabbathi ſanctificata eſt Domino cras;* nec tamen alibi præcedat mandatum iſti populo datum de quieſcendo in ſabbatho.

[ *Et ibi tentavit eum,* ] probare voluit iſtum populum, ut per experientiam appareret num Dei præcepta magni æſtimaret; tentavit autem, illa ipſa præcepta dando, de quibus jam dictum.

[ ℣. 26. *Dicens: Si audieris vocem Domini Dei tui,* ] ideſt, ſi eam exaudieris, ipſi obediens: Audire enim, ſed non obedire, nihil prodeſt.

[ *Et quod rectum eſt coram eo feceris,* ] Iſta ( *coram eo* ) non determinant verbum feceris, ſed hæc, *quod rectum eſt:* quia homini non ſatis eſt facere quod videtur ipſi eſſe bonum, cum frequenter eum falli contingat judicando id eſſe bonum quod eſt revera malum; ſed debet facere id quod eſt rectum coram Deo, ſive quod Deus judicat eſſe bonum, quodque nobis ut tale proponit.

[ *Cunctum languorem, quem poſui in Ægypto, non inducam ſuper te:* ] Ulcera & alias plagas quas in Ægyptios immiſi, non inducam in te. Hinc patet morbos etiam generales propter peccata immitti à Deo; & ea his meminiſſe debebant Iſraelitæ plagas Ægypti, non niſi divinitus fuiſſe miſſas, ad Ægyptiorum punitionem, ſuam verò liberationem.

[ *Ego enim Dominus ſanator tuus.* ] Qui poſſum te & a languoribus & plagis præſervare; & ſi evenerint, eas curare.

[ ℣. 27. *Venerunt autem in Elim filii Iſrael,* ] Elim eſt urbs quædam in finibus Moab, de qua Iſa. 15. At non eſt hic de illa ſermo; ſed de parte aliqua deſerti, quæ vocata eſt Elim, vel ab arborum copia ibi reperta, vel à fortitudine viribuſque illic reſumptis.

[ *Ubi erant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ:* ] Ex quo loci iſtius amœnitas & utilitas commendatur. Nam fontes ad ſitim reſtinguendam valebant, & palmarum fructus dactyli, pro cibo eſſe poterant. Per duodecim fontes, figuratos eſſe duodecim Apoſtolos; & per ſeptuaginta palmas, ſeptuaginta diſcipulos, quorum doctrina totius mundi ſitis & fames depellitur, & fides ad victoriam pervenit, B. Hieronymi epiſtola 127. aliorumque tam veterum quàm recentiorum orthodoxorum communis eſt ſententia.

Allegorice.

[ *Et caſtrametati ſunt* ] ſeu fixerunt.

[ *Juxta aquas.* ] Hæc eſt *ſexta Hebræorum manſio,* eaque cæteris felicior & uberior.

CA-

## CAPUT XVI.

*Hebræi veniunt in desertum Sin, eisque murmurantibus dantur coturnices & Man, ac præceptum de Man conservando.*

[ ℣. 1. P*Rofectique sunt de Elim & venit omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin,* ] non immediatè ab Elim venerunt in Sin sed prius *septimam Mansionem* fecerunt juxta mare rubrum, reflexo nonnihil itinere, non ad locum ubi mare transierant, sed ad aliquem ejusdem maris sinum; idque vel ob majora impedimenta montium aut Sylvarum, in quibus fuisset difficilior transitus, vel Deo aliam ob causam sic volente. Exprimitur hæc Mansio super seu juxta mare Num. 33. v. 10. ubi omnes mansiones ordine recensentur, hic autem reticetur, quia nihil notabile in ea contigit. *Octava* ergo *Mansio* fuit, quando post Elim venerunt de mari rubro in desertum
Duplex desertum Sin. Sin. Duplex autem est desertum Sin. Unum inter mare rubrum & montem Sinai, de quo hic agitur; aliud, quod & Cades dicitur Num. 33. v. 36. ubi Maria soror Moysi mortua est, & petra bis percussa dedit aquam Num. 20. Notat Hieron. epistola 127. quòd omnis usque ad montem Sinai eremus, vocatur Sin, & ex tota provincia, etiam locus Mansionis nomen accepit, sicut Moab tam urbis quàm provinciæ nomen est. Notat præterea quòd Sin odium sonat, quòdque mysticè significetur nos cum Deum vocantem in deserto sequimur, grave in nos inimici, hoc est, diaboli & sequacium ejus odium concitare.

[ *Quinto decimo die mensis secundi* ] hoc est, trigesimo die ab exitu de Ægypto: Nam decima quarta die mensis primi ad vesperam celebrarunt Phase, & initio diei sequentis fuerunt egressi.

[ ℣. 2. *Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen & Aaron in solitudine.* ] sive in deserto Sin, cum jam farina subacta, seu pasta quam ex Ægypto attulerant, deficeret. Dicuntur murmurasse contra Moysen & Aaron; quoniam verba murmurationis directè fuerunt contra ipsos, ut ex versu 3. liquet, quamvis si murmuratio secundùm se spectetur, magis esset contra Deum quàm contra illos; propter quod versu 7. dicunt, *Audivit murmur vestrum contra Dominum &c.*

[ ℣. 3. *Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti,* ] Pro, per manum Domini, 70. habent *percussi à Domino:* quæ phrases mortem violentam significant, ut sensus sit hos murmuratores optare se in Ægypto fuisse per aliquam plagam à Deo immissam occisos, potius quàm diuturnis cruciatibus famis & sitis tabescant in deserto, etsi non desint qui etiam de naturali morte interpretantur.

[ *Quando sedebamus super ollas carnium,* ] notatur eorum voracitas, qui non tantùm comedebant carnes ad saturitatem, sed etiam ollis carnium incumbebant, sicut pecora herbis.

[ *Et comedebamus panem in saturitate:* ] Fermento enim; ac per consequens pane abundabat Ægyptus. Hinc improbabile fit quòd quibusdam visum est, Hebræos ideo nunc murmurasse quòd à tempore egressionis de Ægypto semper comedissent panem azymum: non enim causantur de qualitate panis, sed absolutè de pane quòd nunc non eum ad saturitatem habeant, sicut habuerant in Ægypto; essentque ad inediam redacti. Observandum hic murmurandi occasionem vel
Moralia. in primis esse desiderium voluptatum carnis cum turpi oblivione præteritorum beneficiorum: è contrario autem ad initium vitæ spiritualis maximè pertinet veteris vitæ oblivio, unde Psalm. 44. sponsa jubetur oblivisci sui populi & domus patris sui.

[ *Cur eduxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame?* ] Ut, eventum denotat, non finem: non enim voluit dicere, quòd eo fine Israelitas ex Ægypto in desertum eduxerint, ut illos fame necarent; sed conqueruntur, quare illos in eum locum eduxerint, ubi consequens erat quòd fame perirent. Ita autem loquuntur de divina vel bonitate vel potentia diffidentes.

[ ℣. 4. *Dixit autem Dominus ad Moysen:* ] Quem verisimile est Deum orasse & populum ei commendasse, si tum pietas & consuetudo Moysi consideretur, tum ipsa rei necessitas, quæ talis erat ut non posset ei succurri nisi per divinam beneficentiam.

[ *Ecce ego pluam vobis panes de cœlo:* ] Non est sermo de panibus propriè dictis qui conficiuntur ex granis tritici aut aliarum frugum, sed de eo quod suppleret vicem illorum, idest, de Manna: quod quidem Manna non erat panis.
non fuisse verum panem, & ex re ipsa constat, & ex Deuteron. 8. ubi Moyses ait Deum dedisse Manna, ut ostenderet *quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Domini*; itemque ex Num. 21. ubi murmuratores dicunt, *Deest panis*, cum tamen haberent Manna: Vocatur nihilominus panis, quia in refectione locum panis propriè dicti supplebat, & poterant cum eo sicut cum pane, comedi carnes aut fructus aut aliquid hujusmodi. Adde quòd à quibusdam Manna formabatur in modum panis, dum scilicet ex eo faciebant tortulas, Numer. 11. Dicitur, *pluam:* quia Deus in copia sine populi labore missurus erat illud, sicut pluvia sine hominum labore solet etiam in abundantia descendere. Additur, *de cœlo*, nimirum aereo; quia illic Angelorum ministerio formabatur.

[ *Egrediatur populus,* ] tum de suis tentoriis, tum etiam de castris. Cum enim castrorum locus ob innumeram hominum multitudinem non esset mundus, Moralia.
non in eum descendebat Manna, sed in castrorum circuitu, quemadmodum patet ex versu 13. Nos quoque si dignè volumus percipere Sacramentum per Manna figuratum, debemus exire de pristina conversatione, & de vetustate vitæ.

[ *Et colligat quæ sufficiunt per singulos dies:* ] Q. d. unoquoque die colligat quæ ad illum diem sufficiunt. Sic monentur & de Dei providentia esse securi, & non anxiè solliciti esse in futurum.

[ *Ut tentem eum,* ] ut experientia reique eventu notum faciam,

[ *Utrùm ambulet in lege mea, an non.* ] Utrùm sincerè Deum suum amet ejusque præceptis obtemperet. Non tentat Deus sicut homines: ut aliquid sibi innotescat; cum omnia nuda & aperta sint oculis ejus: sed ut aliis notum faciat quibus antea non est notum: unde postquam Gen. 22. tentaverat Abraham, ait: *Nunc cognovi*, idest cognosci feci, *quòd timeas Dominum*.

[ ℣. 5. *Die autem sexto parent quod inferant:* ] De his panibus congregent quod in suis tentoriis reponant, & servire eis possit non tantùm pro illo die, sed etiam pro sequenti: Unde sequitur.

[ *Et sit duplum quàm colligere solebant per singulos dies.* ] Illo die colligant duplum: ita ut quemadmodum aliis diebus accipient gomor in singula capita, die sexto accipiant duo gomor pro singulis. Hic dies sextus est is quem vocare solemus feriam sextam, & qui proximè antecedit sabbathum, in quo erat quiescendum & Manna non colligendum. Ex quibus Origenes & alii quidam concludunt primum diem in quo pluit Manna, fuisse eum quem vocamus dominicum, & à quo tamquam à primo computando, sextus est quem dicimus feriam sextam. Quæ tamen conclusio incerta est: potest enim dies sextus computari ab illo die quo hæc dicta fuerunt, hoc est, à die dominico in quo fuit facta promissio Mannæ, etiamsi ipsum non eo die plueret, sed sequenti.

[ ℣. 6. *Vespere scietis quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti:* ] Poterantne hoc ignorare, cum tantum nunc esset dies trigesimus ab exitu de Ægypto; cumque in tot & in tam mirabilibus signis egressi essent, quæ sola Dei virtute possunt fieri? Resp. quòd non poterant ignorare si oculos mentis aperire vellent: Sed tum ingrati, tum passione excæcati nolebant id agnoscere. Quoniam enim patiebantur inopiam cibi, in Moysen & Aaronem referebant tamquam qui suo proprio motu, & non ex Dei mandato ipsos eduxissent. At nunc ad vesperam dicti diei trigesimi, per novum prorsusque insolitum divinæ providentiæ argumentum, quo daturus erat eis carnes, agnituri erant Deum esse qui illos eduxerat, Deique voluntati subservisse Moysen & Aaronem, illos educendo. Si namque vel iter ipsorum Deo displiceret, vel stultè fecissent Moyses & Aaron ipsos educendo, Deus non tam insolito modo cibum eis præberet.

[ ℣. 7. *Et*

[℣.7. *Et mane videbitis gloriam Domini:*]Hoc est,rem ex qua Dominus glorificabitur, miraculum scilicet dati mannæ, atque ita videbitis gloriosam Dei potentiam & providentiam in effectu prorsùs admirabili.

[ *Audivit enim murmur vestrum contra Dominum:* ] Ita legendum esse in tertia persona, *Audivit*, non in prima *Audivi*, rectè monuit Cajet. & post eum Franciscus Lucas in suis notis: quod autem dicit *contra Dominum*, perinde est ac si diceret, contra se; Et est Hebraismus quo scriptura frequenter utitur, quia hoc est magis emphaticum, ipsam murmurationis indignitatem vehementius exprimens.

*Nos verò quid sumus, quia mussitastis contra nos?*] Cùm non simus nisi ministri Dei cui in eductione vestri servivimus,quare contra nos loquendo murmuratis. Ex his patet murmur populi contra utrosque fuisse , & contra Deum & contra Moysen ejusque fratrem.

[℣.8. *Dabit vobis Dominus vespere carnes edere,& mane panes in saturitate:* Quare prius carnes , & posterius panes? Resp.quia iste fuit ordo murmurationis; propter quam sedandam Deus cibos illos dare voluit : murmurando enim primum conquesti sunt de defectu carnium, postea de defectu panum , *quando sedebamus super ollas carnium & comedebamus panem in saturitate*.

Meritò autem quæri potest,cur Hebræi de carnium defectu murmuraverint cum haberent magnam abundantiam pecorum comestibilium, quæ secum eduxerant de Ægypto.Resp.cum B.Aug.q.62.in Exo.Vel quia in eremo non erant pascua, ideoq; minor futura videbatur fœcunditas pecorum: Ne ergo omnibus deficientibus, etiam sacrificiis necessaria deessent, suis parcere maluerunt: Vel potius,quia non desiderabant carnes quas de pecoribus habere poterant, sed eas quæ ipsis deerant . Unde Deus qui noverat quid desiderarent, aves ipsis dedit.

[ *Nec contra nos est murmur vestrum,* ] scilicet principaliter;

[ *Sed contra Dominum* ] Sic juxta morem scripturæ negatur id quod est minoris momenti, & asseritur quòd majoris: qua phrasi dicitur Deus non velle sacrificium , sed misericordiam Matth.9.& 12. Congruit hæc sententia cum doctrina Apostoli ad Rom.13. ubi dicit eos qui resistunt potestati, Dei ordinationi resistere, cum non sit potestas nisi à Deo: unde consequens est omnem rebellionem contra quamcumque Superiorum legitimam potestatem esse contra Deum à quo potestas illa est derivata. Exprimit porrò hic Moyses officium boni pastoris, quem in murmuratione suorum subditorum movere non debet injuria quæ ipsi irrogatur, ut propter eam adversùs populum insurgat, sed contristare debet malitia & iniquitas populi qua Deus offenditur, ut eum suis precibus placare satagat.

[℣.9. *Dixit quoque Moyses ad Aaron:* ] Huc usque ambo locuti fuerunt ad populum, Moyses & Aaron:Post hæc verò Moyses ab isto loco erat recessurus, & ad eum iturus ubi Deus ipsi appareret, hoc est,ad columnam nubis. Ideo monet Aaronem quid interea deberet facere.

[ *Dic universæ congregationi filiorum Israel: Accedite coram Domino:*]Modum quo tantæ multitudini hæc dixerit probabiliter explicat Abulensis, quòd nimirum Aaron processerit per medium castrorum, & per calles tentoriorum, ibique vel per se, vel per præconem loco ejus, clamaverit ut omnes accederent ad Dominum. At quomodo ad Deum qui ubique est; accedere poterant?Resp. quòd accedendo ad locum ubi Deus publicè colebatur ; hoc enim est accedere ad Deum, quando agitur de accessu corporali. Locus porro in quo Deus isto tempore publicè colebatur & ad quem nunc jubentur accedere, verisimiliter erat parvum quoddam tabernaculum ante magni constructionem à Moyse erectum, ut omnes ad illud devotionis & orationis causa convenirent, de quo infra c.33. & cui probabile est columnam nubis quæ dux erat itineris incubuisse. Unde Cajetanus ait quod ante conditum tabernaculum (magnum videlicet illud quod c.26. describitur) ante conditam arcam erat locus aliquis deputatus Deo,videlicet sub columna in aere existente.

[℣. 10. *Cumque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Israel, respexerunt ad solitudinem.* ] Quomodo hoc, cum ipsi essent in solitudine? Resp.eos respexisse seu se vertisse versus eam partem solitudinis , quæ erat extra castra.

[ *Et ecce gloria Domini apparuit in nube.* ] Ista gloria Domini erat splendor quidam insolitus de nube emicans in signum præsentiæ Dei, ut ita compesceretur murmur populi , & ut populus magis permoveretur ad credendum & obtemperandum Moysi , qui juxta nubem illam erat in oratione.

Cæterum quænam fuerit hæc nubes , Utrùm ea quæ vocatur columna nubis, an aliqua alia, incertum est . Dionysius Carthusianus & Oleaster volunt fuisse ipsam columnam nubis; idque ex eo fit probabile, quòd constet istum populum habuisse ducatum ejusmodi columnæ, & quòd nihil urgeat ut dicamus fuisse diversam. Quæ hic nubes.

Quod enim objici fortè posset, illam columnam non vocari nubem, sed columnam nubis, refellitur evidenter ex hujus lib.cap. 40. & ex Numer.9. ubi disertè vocatur nubes.

Quod amplius opponi posset hanc nubem fuisse extra castra; columnam verò nubis solitam super castra quiescere quando erant fixa, & quando necdum constructum erat tabernaculum : diluetur dicendo istam columnam non semper sic quievisse, quia aliquando Angelus paululum eam moveret ad alium locum sicut cap.14. collocavit eam inter castra Hebræorum & Ægyptiorum , & Infra c.33. extra castra ubi Moyses tabernaculum transtulerat; censerique potest idem hic accidisse, ut Angelus eo modo ostenderet se propter murmurationem populi indignatum,nolle cum eo manere.

[℣.11. *Locutus est autem Dominus ad Moysen,* ] Illic juxta columnam nubis orantem, solumque ibi existentem.

[℣.12. *Audivi murmurationes filiorum Israel.* Q.d.audivi filios Israel murmurantes contra me : Ideo ut ab eis auferam occasionem murmurandi amplius , dabo eis abundantiam eorum quæ petunt. Igitur

[ *Loquere ad eos: Vespere comedetis carnes , & mane saturabimini panibus:* ] Si petas quomodo vesperi comederint carnes, an absque pane, cum is sequenti demum mane fuerit datus. Resp. quòd non absque pane : Etsi enim farina subacta quam ex Ægypto detulerant, eis deficeret: omnino tamen videtur existimandum tantillum panis superfuisse, quantum pro una refectione posset utcumque sufficere, alloquin non prorsùs ablata fuisset occasio murmuris, si nihil habuissent quo cum carnibus vescerentur. Adhuc habebant aliquid panis.

Allegoricè figurabatur quòd in vespera,hoc est, in obscuritate legis immolarentur carnes animalium; in luce autem Evangelii, Christus qui Joan.6.dixit *Ego sum panis vivus*. Pro vespere in Hebr. legitur, inter vesperas, quod rectè intelligi potest de vesperis quas cap.12. versu 6.diximus fuisse duplices apud Judæos. Allegorica.

[*Scietisque quòd ego sum Dominus Deus vester.*] Experimento, tam insolito scilicet miraculo; talique ciborum exhibitione, quam nullus præter Deum facere potest , cognoscetis me esse Dominum Deum vestrum.

[℣.13. *Factum est ergo vespere , & ascendens coturnix cooperuit castra:* ] Ascendens idem valet quod advolans; & coturnix pro coturnicum multitudine ponitur . Per hoc, *cooperuit castra*, significatur penè innumeram fuisse coturnicum multitudinem; alioquin non potuissent castra , quæ vastissima erant, operire. Pro coturnice, 70. dicunt *ortygometram* quomodo noster quoque Interpres reddidit Sap.16. & 19. Significat autem ortygometra coturnicum matricem vel matrem seu ducem; aut coturnicem majorem ; noster tamen interpres, sicut & 70. videntur coturnices & ortygometras pro iisdem accipere. Quid ortygometra.

Cæterum, quoniam istæ coturnices non advolabant ad Hebræorum castra ut ibi manerent, sed Deo dirigente veniebant ut Hebræi illis vescerentur; Ideo existimandum est quòd non altè volarent, sed duobus tantùm cubitis super terram , quòdque etiam caderent in medio castrorum , sicut alia vice contigisse narratur Numer. 11. & Psalm. 77. Non enim, sicut Manna quotidie ( præterquam sabbathis ) pluit per annos 40. ita coturnices quotidie advolarunt ; sed hæ bis dumtaxat datæ fuerunt, hoc nimirum cap. & Num. 11. Cujus diversitatis ratio est , quòd Manna esset loco panis , quamvis alium quoque usum haberet ; panis autem est quotidie necessarius , non similiter carnes. Vix dubium tamen esse potest, quin aliqui coturnices collegerint pro pluribus diebus , easque ut servari possent , siccaverint , quemadmodum ipsos alia

alia vice fecisse testatur scriptura dicti cap. Numer.

Si quæras, quare Deus aves potius dedit quàm pecora; & ex avibus, quare potius coturnices quàm alias; præsertim cum coturnices olim fuerint teste Plinio lib. 10. cap. 23. à mensis proscriptæ, propter venenum quo vescuntur, & propter morbum comitialem quo solæ præter hominem laborant.

*Cur Deus aves dedit potius quàm pecora.* Ad prius Resp. cum Abulensi qu. 79. in cap. 11. Num. ideo Deum dedisse aves potius quàm pecora; quia volebat satisfacere gustui Hebræorum, aves autem sapidiores sunt. Deinde, quia Hebræi jam habebant pecora, etsi fortè non satis multa; timendumque erat, ne si de pecoribus daret, præ avaritia, illa conservarent. Adde quòd aves facilius aptari poterant ad esum, majorique numero communicari singulis.

*Quare coturnices.* Ad posterius Resp. rationem esse, tum quia coturnices in maxima copia erant ad manum. (Abundant enim in sinu Arabico qui vicinus erat Hebræis:) tum quia suavis saporis sunt coturnices, maximè in illis regionibus. Ad Plinium quod attinet Resp. coturnices non ubique à mensa fuisse proscriptas, cum etsi veneno pascantur, non idcirco sint venenatæ; cumque epilepsiam non causent, sed potius pellant, si moderatè sumantur, ut ex Aldrovando Marius & alii observarunt.

[ *Manè quoque ros jacuit per circuitum castrorum.* ] Tota planities terræ circum castra erat strata & cooperta rore. Rorem hunc sunt qui dicant fuisse ipsum Manna, de quo mox sequitur:

Verisimilius tamen est quòd Dionysius Carthusianus & alii quidam scribunt Manna fuisse quid distinctum à rore, & simul cum rore descendisse; dicitur enim Num. 11. *Cumque descenderet noctè super castra ros, descendebat pariter & Man*; ubi manifestum est rorem & Man poni tamquam duo distincta. Ros ergo hic intelligitur humor concretus seu ros coagulatus, & constrictus in modum pruinæ, cui manna erat simile. Erat autem iste ros super terram infra Manna, & quasi linteum mundum excipiebat Manna, ne ullis sordibus terræ adhærentibus inquinaretur. Addunt alii secundum rorem fuisse supra Manna qui illud obtegeret, & ad ortum Solis evaporaretur, ita ut eo evaporato & evanescente, appareret Manna. Sed hujus secundi roris scriptura non meminit; nec videtur esse agnoscendus; partim quia Manna cum esset mundum statimque colligendum, nullo egebat operimento; partim quia si non colligeretur ante ortum Solis, ipsummet Manna liquefiebat; ut infra & Sap. 16. patet. Volunt quidem secundum hunc rorem ex Hebr. stabiliri, ubi sic legitur: *Manè fuit cubatio roris in circuitu castrorum, & ascendit cubatio roris* &c. Sed nihil inde concluditur: quia cubatio, sive ut alii legunt, operimentum roris intelligi potest ascendisse, non quantum ad motum sursum, sed quantum ad situm, quatenus scilicet factum est quòd ros incubaret terræ & terram cooperiret, sicque esset supra: De ascensu autem per evaporationem nulla est mentio.

[ ℣. 14. *Cumque operuisset superficiem terræ*, ] ille nimirum ros.

[ *Apparuit in solitudine minutum*, ] Non ait, *minutus*, ut ad rorem referri deberet, sed *minutum*, tamquam de re alia loquens. Cum dicitur, *apparuit in solitudine*, indicatur Manna non decidisse in castris circa tentoria, cùm loca castrorum essent sordida ob feces hominum & jumentorum; sed extra castra *in deserto*; sive ut versu 25. dicitur, *in agro*. Neque refert quòd totus locus ubi erant Israelitæ, esset solitudo & desertum: comparatione enim loci castrorum, ea loca quæ extra illum erant, peculiariter vocantur solitudo; sive quòd essent magis prærupta, sive quòd magis solitaria minusque ab hominibus frequentata. Cum additur, *minutum*, designatur figura Mannæ, & significatur Manna non fuisse rem aliquam magnam; neque postquam decideret, accrevisse in cumulum, aut fuisse ingrossatum; sed fuisse quidpiam exiguum, in granula divisum, quæ tamen grana satis erant dura, ita ut possent mola frangi, & in mortario teri, ac in olla coqui, quemadmodum patet ex Num. 11.

[ *Et quasi pilo tusum:* ] Non significatur quòd Manna esset pilo tusum, & in pulveres aut farinam redactum (descendebat enim de cœlo seu de aere, & postea demum ab Hebræis terebatur;) sed quasi pilo tusum, hoc est, pure ac si pili tunsione esset decorticatum, Sicut enim granum tritici cum sic est decorticatum, est album; ita Manna erat album, ut versu 31. exprimitur; & Num. 11. ubi textus noster habet quod erat *coloris bdellii*, 70. dicunt species ejus species crystalli.

[ *In similitudinem pruinæ super terram.* ] Quemadmodum pruina est alba, & non est quidpiam ad invicem cohærens, sed ex parvulis granis consistit, sic Manna erat album, & in grana parvula distinctum.

[ ℣. 15. *Quod cum vidissent filii Israel, dixerunt ad invicem Man hu.* ] Rabbini quidam varie hæc interpretantur, at non appositè ad textum Sacræ Scripturæ, quæ dum pro ratione hujusmodi sermonis addit.

[ *Ignorabant enim quid esset.* ] Manifestè significat esse admirationem & interrogationem eorum qui rem novam viderent, & nescientes quid ea esset, quærebant *Man hu*, per duas dictiones; quarum una, *Man*, est dictio interrogativa, quid; altera, scilicet *hu*, est pronomen demonstrativum; ita ut *Man hu* idem sit, ac *quid hoc*, sive quid est hoc. Nec refert dictionem interrogativam in Hebr. non esse *Man*, sed *ma*: Hebræi namque sæpè addunt literam Nun, euphoniæ causa, sicque usurpant man pro ma. Interpretationem hanc convincit quòd Moyses Hebræis interrogantibus Man hu, quid est hoc, respondit:

[ *Iste est panis quem Dominus dedit vobis ad vescendum.*] Eamdemque tradunt 70. Josephus lib. 3. antiquit. cap. 1. Philo lib. 1. de vita Moysi. Origenes hom. 7. in Exod. Dicitur autem Man seu Manna, sic ab Hebræorum interrogatione appellatum, esse panis; vel sumendo panem generaliter pro alimento; vel quia erat materia proxima panis conficiendi; sicut si de tritico aut de farina tritici diceretur quod est panis, quia est materia ex qua fit panis. Ex cap. enim 11. Num. habemus, quòd ex granis Mannæ compactis conficiebatur panis, ait Cajet. & ex eo Marzilla. Ista porro verba *Man quomodo panis.*

[ ( *Quod significat: Quid est hoc*, )] neque sunt in Hebræo, neque in 70. sed ab Interprete nostro fuerunt interposita, ad explicationem harum dictionum *Man hu*, quemadmodum & in aliis locis interdum invenitur factum, ut Gen. 31. illic, *id est tumulus testis*; & Apoc. 9. ibi, *latinè habens nomen exterminans*; ejusmodi enim fuerunt posita ab Interprete.

[ ℣. 16. *Hic est sermo quem præcepit Dominus:* ] Q. d. hoc quod jam sum dicturus, est lex quam Dominus Deus vult servari circa Mannæ collectionem.

[ *Colligat unusquisque ex eo*, ] Mandatur ut vel singuli per se, vel ex singulis familiis aliqui de Manna colligerent.

[ *Quantum sufficit ad vescendum.* ] Quantum autem hoc esset, exprimitur dicendo.

[ *Gomor per singula capita.* ] Gomor est mensura quæ putatur continere octo libras, libra ad duodecim uncias computata. Quæ quidem pro diurno alimento magna est, sed ideo præscripta, ut cum difficile esset in tanta hominum diversi sexus diversæque ætatis & complexionis turba, unicuique suam mensuram definire, sic ut nihil vel deesset vel superesset; ea quantitas colligetur, quæ cuivis etiam edacissimo & robustissimo posset sufficere, hac tamen conditione, ut si quid quacumque occasione superesset quod unoquoque die non comederetur, abjiceretur, nec in alterum diem (excepto sabbatho) servaretur. Ex quibus intelligi potest viros, fœminas, senes & pueros spatio annorum quadraginta, non tantùm eodem cibo alitos fuisse, sed eadem etiam cibi quantitate, Deo nimirum mirabiliter singulis cibum attemperante, & calorem nativum accommodante, ut nemo egeret, & nemo excederet. Ideo autem Deus eamdem mensuram cuique præscripsit, partim ut avaritiam nimiamque cibi & terrenarum rerum appetentiam compesceret: partim ut in communitate commendaret æqualitatem. *Quid gomor.*

[ *Juxta numerum animarum vestrarum quæ habitant in tabernaculum, sic tolletis.* Tot gomor accipietis, quot personæ sunt in unaquaque familia. Cùm enim nullus inter eos esset infirmus Psal. 104. omnes communi cibo pasci debuerunt: sermo autem est de illis qui pane & solido cibo vescebantur, Nam lactentes seu ubera sugentes, non comedebant Manna, nec pro

pro eis colligendum erat gomor, quamvis de Manna pauces fierent illis parvulis qui pultibus indigebant.

[ ℣. 17. *Feceruntque ita filii Iſrael, & collegerunt, alius plus, alius minus.* ] Unuſquiſque collegit Manna, prout illi promptum erat, in vaſe ſive majore ſive minore, unus plus alter minus; ita tamen ut cum poſtea metirentur, non haberent niſi ſingula gomor pro ſingulis. Unde ſequitur:

[ *Et menſi ſunt ad menſuram gomor:* ] Hæc menſuratio non fiebat per menſores publicos, qui ſine fundamento ab aliquibus inducuntur, ſed vel à ſingulis qui Manna colligebant, vel ab aliquo de familia cujuſque, ſive poſtquam rediviſſent in ſua tentoria, ſive etiam in agro ſi ſecum detulerant menſuram.

Si quæras, unde hujuſmodi menſuram habuerint in deſerto. Reſp. Hebræos partim ſecum detuliſſe ex Ægypto, partim ſibi feciſſe ex lignis quæ erant in deſerto.

[ *Nec qui plus collegerat, habuit amplius: nec qui minus paraverat, reperit minus,* ] Angelo ſcilicet occultè ſubtrahente illi qui plus collegerat, & addente ei qui minus.

[ *Sed ſinguli juxta id quod edere poterant, congregaverunt.* ] Q.d. factâ menſuratione repertum eſt ſingulos collegiſſe quantum illis opus erat, unum ſcilicet gomor pro ſingulis.

[ ℣. 19. *Dixitque Moyſes ad eos: nullus relinquat ex eo in mane.* ] Hoc eſt ſecundum præceptum de Manna; quod idcirco datum eſt, tum ut Hebræi non haberent occaſionem ſtudendi avaritiæ, & in plures dies illud colligendi; tum ut confidentia in Deum major in eis excitaretur, magiſque timerent ipſum offendere, à cujus beneficentia videbant ſe, uxores, & liberos ſuos quotidie pendere.

Sed inferunt Lutherani: ergo Euchariſtia, cujus typus erat Manna, non debet in alterum diem ſervari. Quibus reſpondendum eſt Neg. Conſ. Nam & Manna ſingulis ſeptimanis ſervabatur feria ſexta in ſabbathum, ſervatumque fuit in ſequentes generationes. Quòd autem ordinariè non ſervaretur in craſtinum, non erat in eo typus Euchariſtiæ; ſed ideo Deus hoc mandabat, ut Hebræi diſcerent toti pendere à providentia Dei, qui in dies ſingulos novum Manna promittebat. De antiquitate porro ſervandi Euchariſtiam videri poſſunt quæ diximus 3.p.q.76.art.1.quæſito a.

[ ℣. 20. *Qui non audierunt eum,* ] hoc eſt, ei non obediverunt.

[ *Sed dimiſerunt quidam ex eis uſque mane,* ] aliqui increduli, putantes non adfuturum manna die ſequenti, in illum diem aliquid ſervaverunt.

[ *Et ſcatere cœpit vermibus, atque computruit,* ] id quod non ex naturali conditione mannæ contigit, cum in eo (utpote cibo optimo) nulla poſſet eſſe naturalis diſpoſitio ad tam celerem corruptionem; cumque dum ſervaretur in ſabbathum, maneret protsùs incorruptum: ſed ex Dei virtute, qui per ejuſmodi miraculum voluit incredulos & inobedientes punire.

[ *Et iratus eſt contra eos Moyſes.* ] Ea nimirum ira, quam 2.2.qu.158.art.1. diximus vocari iram per zelum; ex zelo namque divini honoris Moyſes acriter corripuit illos inobedientes qui Dei mandatum vilipenderant, verbiſque ac vultu oſtendit eos malè feciſſe.

[ ℣. 21. *Colligebant autem mane ſinguli, quantum ſufficere poterat ad veſcendum:* ] Pro toto nimirum die, & hoc erat unum gomor pro ſingulis, ut ſupra dictum eſt. Cùm autem ſic Deo jubente mane colligerent, tertium hic continetur præceptum circa manna, ſcilicet ut mane colligeretur; idque propterea, tum quia erat cibus pro toto die; tum quia talis conditionis ex divina voluntate erat, ut ad calorem Solis liqueſceret. Unde ſequitur.

[ *Cumque incaluiſſet Sol, liqueſiebat.* ] Tum denique, ut Hebræi diſcerent non ſtertere, ſed mane ſurgere ad quærendum ſibi victum, & ad Deum orandum: Hoc enim eſt quod Sap. 16. dicitur, *ut notum omnibus eſſet, quoniam oportet prævenire ſolem ad benedictionem tuam*, hoc eſt, ad te benedicendum, *& ad ortum lucis;* ſive ſtatim ut lux oritur, *te adorare*. Documentum hinc ſumere licet matutinæ orationis & adorationis, quam ſcriptura alibi quoque commendat: ut Pſalm. 5. *Mane aſtabo tibi.* Pſalm. 62. *In matutinis meditabor in te.* Eccleſ. Mane orandum.

39. *Cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur.* Iſa. 26. *de mane vigilabo ad te.* Porro quod dicitur, *cumque incaluiſſet Sol;* non ſic eſt accipiendum, quaſi Sol ante ex non calido fieret calidus, aut ex minus calido calidior; cum iſta qualitas non conveniat formaliter corporibus cœleſtibus; ſed Sol incaleſcere dicitur, quando ejus radii incipiunt caleſacere terram. Quod additur, *liqueſiebat*, intelligendum eſt non univerſim de manna, ſed de illo quod manebat in agro, non collectum ab Hebræis. Et circa hæc, magnum eſt Sap. 16. miraculum eſt obſervandum, quòd manna non poterat exterminari ab igne cui apponebatur ad coctaram, imò ut ex Numer. 11. patet, tam durum erat ut molam ac mortarium ferre poſſet; & tamen ſtatim ab exiguo radio Solis calefactum tabeſcebat; Deo nimirum ſic volente, ne ſi manna fuiſſet in agris relictum, putreſceret & vilipenderetur.

[ ℣. 22. *In die autem ſexta collegerunt cibos duplices, id eſt duo gomor per ſingulos homines:* Sermo eſt de die ſexta ſeptimanæ, quæ gentiliter vocatur dies Veneris, Chriſtianè autem feria ſexta. Utrùm verò eſſet etiam dies ſexta ab eo die quo manna primùm cœpit pluere, ita ut prima datio mannæ fuerit eo die quem nos à Chriſto Domino appellamus dominicum, probabile quidem eſt, incertum tamen. Ratio autem cur in die ſexta collegerint cibos duplices, ex hujus cap. verſu 5. petenda eſt, ubi Deus legitur ipſis mandaſſe ut ita facerent. Et hoc eſt quartum præceptum circa manna. Ubi miraculum quoque magnum obſervare eſt, quòd ſingulis feriis ſextis per annos 40. depluerit duplum manna, quòdque poſt collectionem omnes reperirent duo gomor pro ſingulis perſonis cujuſque familiæ, nec plus nec minus. Sunt qui exiſtiment Hebræos non ex intentione collegiſſe die ſexta duo gomor, ſed cum collegiſſent ſicut aliis diebus, inveniſſe poſtea ſe pro ſingulis habere duo gomor. At probabilius videtur Abulenſi & aliis, quòd voluerint colligere duo gomor; quia hoc erat eis recenter mandatum, & agitur hic de illis qui mandatum Dei voluerant ſervare.

[ *Venerunt autem omnes Principes multitudinis.* ] Hoc eſt, tribuum & familiarum. Singulæ enim tribus habebant ſuos Principes, & in ſingulis tribubus diverſæ erant familiæ, quæ etiam ſuos Principes habebant.

[ *Et narraverunt Moyſi.* ] Se ſuoſque collegiſſe duplum ſicut eis præceptum fuerat. Idcirco autem hoc narraverunt, ut ab eo intelligerent quare Deus præcepiſſet, ut in die ſexta duplum colligerent; nec enim hue uſque declaratum ipſis fuerat, quòd ob religionem ſabbathi ita præceptum fuiſſet.

[ ℣. 23. *Qui ait eis: Hoc eſt quod loquutus eſt Dominus: Requies ſabbathi ſanctificata eſt Domino cras.* ] Q.d. Ideo Deus juſſit, ut hodie colligeretis duplum; quia ſicut ipſe loquutus eſt. Cras eſt requies ſabbathi ſanctificata ſeu deputata ad cultum Dei: ſive, cras eſt ſabbathum Deo conſecratum, in quo ab omni opere eſt quieſcendum, & cultui Dei vacandum. Veriſimile eſt Moyſen hic reſpicere ad ea quæ cap. 2. Geneſis ſcripſit de ſanctificatione diei ſeptimæ, ſive interim ab initio mundi ſub præcepto fuerit ejus obſervatio, ſive demum jam ſervari cœperit ex præcepto ſuperius cap. 15. verſu 25. dato; ac poſtea cap. 20. publicè & abſolutè præcipi.

[ *Quodcumque operandum eſt, facite:* ] Hodie ſcilicet, non expectantes diem craſtinum.

[ *Et quæ coquenda ſunt, coquite:* ] Hebræi coquebant Manna: illud enim vel mola frangebant, vel terebant in mortario coquentes in olla, & ex eo faciebant tortulas, ut legitur Num. 11. Fortè etiam aliqui ſubinde coquebant carnes, aut pecorum quæ habebant, aut eorum quæ venatione vel aucupio in ſolitudine capiebant; & cum illis comedebant Manna ſive coctum ſive etiam incoctum, loco panis. Præcepti hujus ratio erat, quia Deus ob religionem ſabbathi non volebat ut Hebræi cibos pararent vel coquerent in ſabbatho: & idcirco omnia quæ pro ſabbatho erant neceſſaria, oportebat quòd feria ſexta pararent: quæ cauſa fuit ut feria ſexta vocata fuerit paraſceve, id eſt præparatio, quemadmodum diximus 3.p.q.46.art.9.ad 4. Manna coquebatur.

[ *Quidquid autem reliquum fuerit, reponite uſque in mane.* ] Q.d. De eo quod hodie paraveritis & coxeritis, hodie comedite quantum opus fuerit: quidquid autem

de Manna sive coctо sive incocto superfuerit, reponite ad cibos in diem crastinum. Idemque judicium est de aliis cibis, si qui eos haberent.

[ ℣. 24. *Feceruntque ita ut præceperat Moyses*, ] Parando nimirum & coquendo feria sexta quæ tam tunc, quàm sequenti sabbatho erant necessaria, & reservando in sabbathum quidquid superfuerat.

[ *Et non computruit: neque vermis inventus est in eo*. ] Sicut acciderat quando prima vice Manna collegerant & usque in mane servaverant. Diversitatis ratio est, quia tunc computruit in pœnam inobedientiæ; nunc autem obtemperaverant Dei mandato. Cùm autem die sabbathi reperissent manna quod asservaverant, ita mundum & integrum sicut fuerat præcedenti die, redierunt ad Moysen hoc ei narrantes. Quibus ipse dixit.

[ ℣. 25. *Comedite illud hodie, quia sabbathum est Domini:* Sive quia iste dies est Deo seu ejus cultui dicatus, & in illius honorem oportet quiescere, & à cibo quærendo abstinere. Et ideo.

[ *Non invenietur hodie in agro*. Deus non vult quòd hodie Manna decidat, ne habeatis occasionem discurrendi ad illud colligendum.

[ ℣. 26. *Sex diebus colligite*. ] Nimirum continuis, incipiendo à prima die post sabbathum.

[ ℣. 27. *Venitque septima dies:* ] Secundum scilicet sabbathum, in quo comedebant Manna: Nam de primo jam versibus 24. & 25. præcessit quòd in eo Manna non computruit, quòdque Hebræis propterea dictum fuerit, *comedite illud hodie*.

[ *Et egressi de populo ut colligerent, non invenerant*. ] Non esuries, neque ulla alia necessitas hos movebat ad egrediendum è suis tentoriis & castris, ut tunc colligerent Manna, quia die præcedentis collegerant duplum: sed tum gula, tum curiositas volentium experiri an quæ dixerat Moyses, essent vera.

[ ℣. 28. *Dixit autem Dominus ad Moysen: Usquequo non vultis* ] id est, aliqui ex vobis non voluut.

[ *Custodire mandata mea, & legem meam?* ] Per mandata intelligi possunt illa præcepta quæ erant de Manna & observationibus circa illud: Per legem verò, lex de observatione sabbathi.

[ ℣. 29. *Videte quòd Dominus dederit vobis sabbathum*, ] Dominus seu Angelus in persona Dei nunc loquitur in tertia persona, qui prius fuit locutus in prima; monetque ipsos seriò considerare quòd Deus sit qui diem sabbathi præcepit observari, & in eo quiescere.

[ *Maneat unusquisque apud semetipsum*, ] id est, in domo sua non discurrens ad labores corporales, aut ad negotiatione, vel ad aliquid hujusmodi. Quo etiam modo accipiendum est quod sequitur.

[ *Nullus egrediatur de loco suo die septimo*. ] Nimirum ad laborandum aut negotiandum. Et has quidem sententias aliqui Judæi ita superstitiosè intellexerunt & servarunt, ut quo loco & situ reperiretur quis die sabbathi, eodem remaneret toto sabbatho. At nihil tale erat præceptum: certum est enim quòd licuerit Judæis aliquod iter facere sabbatho citra ejus violationem, sive pietatis sive recreationis gratia. Idque significatur Act. 1. ubi de monte Oliveti dicitur, *qui est juxta Jerusalem, sabbathi habens iter:* quasi diceretur, qui ab Jerusalem non longiore itinere distat, quam quod Judæis licebat conficere sabbatho. Quantum autem hoc foret, non omnino constat. Probabile est fuisse iter duorum millium passuum: Nam Bethania quæ erat in latere montis Oliveti, distabat à Jerusalem quasi stadiis quindecim Joan. 11. octo autem stadia faciunt mille passus.

Non erat Judæis vetitum de loco in locum ire die sabbathi.

[ ℣. 30. *Et sabbatizavit populus die septimo*. ] Id est, quievit, neque ad colligendum Manna, neque ad aliud laboriosum opus fuit egressus.

[ ℣. 31. *Appellavitque domus Israel nomen ejus Man*. Isti alimento quod Deus dedit Hebræis, non Moyses nomen imposuit; sed ipsi notam interrogationis vertentes in nomen, adjuncta illi una littera: quod autem Hebraicè dicitur Man, Chaldaicè, Manna vocatur.

[ *Quod erat quasi semen coriandri album, gustusque ejus quasi simila cum melle*. ] Adjectivum *album*, non est referendum ad semen coriandri, ut sit sensus, quòd Manna erat album quasi semen coriandri, quia semen coriandri nigrum est aut fuscum, nequaquam verò album: sed accipiendum est velut per se positum, perinde ac si diceretur, quòd Manna erat quasi semen coriandri, & quod etiam erat album. Ponuntur enim hic tria quæ conveniebant Mannæ, scilicet *quantitas* seu figura, *color*, & *sapor*. Quoad quantitatem significatur quòd erat quid minutum & rotundum, cujusmodi est semen coriandri: Quoad colorem, dicitur quòd erat album: Sapor autem tangitur dicendo, quòd gustus ejus erat quasi similæ cum melle, hoc est, suavissimus. Cùm enim simila sit farina delicatissima, & mel dulcissimum, panis ex simila melle mixta confectus, saporis est admodum suavis: Et huic similem saporem habuisse Manna hic significatur. Sermo autem est de sapore quem Manna habebat communem & quasi congenitum: Magno autem Dei miraculo alium habebat saporem, eumque varium, juxta illud Num. 16. *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem*, quod quomodo sit accipiendum, alterius loci est explicare.

Tria hic sunt de Manna.

Sapor Mannæ congenitus.

Si quæras, quomodo Manna compararetur semini coriandri, quod neque saporis neque odoris est grati, sed potius turbat cerebrum. In primis Resp. non in hujusmodi comparationem institui, sed in quantitate & figura. Deinde, semen coriandri Ægypti, ad quod hic respexit Moyses, præclaras habet virtutes, nec cerebrum turbat, ut videre est apud Plinium tom. 2. lib. 20. cap. 20.

[ ℣. 32. *Dixit autem Moyses: Iste est sermo, quem præcepit Dominus*. ] Hoc est, Deus mandavit ut fiat quod sequitur.

[ *Imple gomor ex eo*, ad Aaronem sermo dirigitur, ut ipse in vasculo ponat Manna quantitatis unius gomor: unde mox sequitur.

[ ℣. 33. *Dixitque Moyses ad Aaron: Sume vas unum, & mitte ibi Man, quantum potest capere gomor:* ] De isto vase loquitur Apostolus ad Hebr. 9. ubi de arca dicit, *in qua urna aurea habens Manna*.

[ *Et repone coram Domino*, ] id est, in loco ad publicum Dei cultum deputato, sive in tabernaculo. Docemur hinc & sacras reliquias & alia divinitus nobis concessa religiosè asservare, tum ad perpetuam beneficii memoriam, tum in argumentum gratitudinis quam Deo debemus propter ista beneficia, & quam ipse requirit.

[ ℣. 34. *Posuitque illud Aaron in tabernaculo reservandum*. ] Si dicas, tabernaculum necdum fuisse constructum: Responderi potest dupliciter. Uno modo, hæc omnia quæ à versu 32. leguntur, hic per prolepsim seu anticipationem esse posita, ad continuandum sermonem de Manna, cum postea demum facta fuerint. Alio modo, quòd antequam magnificum illud tabernaculum de quo Moyses postea mandatum accepit, construeretur. Hebræi aliud minus habuerint quod infra cap. 33. versu 9. appellatur tabernaculum fœderis, & ad quod orationis causa conveniebant. In hoc ergo tabernaculo nunc repositum fuit manna, postea verò in altero.

[ ℣. 35. *Filii autem Israel comederunt Man quadraginta annis*, ] Propheticè id scripsit Moyses, cum non viderit istorum temporum completionem. Non est autem sensus quòd solo illo aliti fuerint annis quadraginta: sed quòd toto eo tempore, cibum hunc habuerint tamquam cibum ordinarium & quotidianum. Insuper verò aliis quoque cibis eos interdum fuisse usos, ex Josue 1. colligi potest, ubi monentur præparare cibaria: sed efficacius habetur ex Deut. 2. *Cibos emetis ab eis pecunia, & comedetis*. Et postea, *Alimenta pretio vende nobis*.

[ *Donec venirent in terram habitabilem:* ] Non est intelligendum quòd manna cessaverit statim ut venerunt in terram habitabilem: ex Deut. enim 2. & 3. constat Israelitas ivisse per terram Idumæorum, Moabitarum, & Ammonitarum, ac deinde occupasse loca Seon regis Amorræorum & Og regis Basan, ubi tamen manna eis non defecit: sed per terram habitabilem designatur terra Chanaan trans Jordanem quæ habitationi ipsorum erat deputata. Unde sequitur.

In deserto Hebræi aliis interdum cibis usi fuerunt, quàm manna.

[ *Hoc cibo aliti sunt, usquequo tangerent fines terræ Chanaan*. ] Quod Josue 5. ita describitur, *comederunt de frugibus terræ die altero*, postquam scilicet fecerant phase: *Defecitque Manna postquam comederunt de frugibus terræ*.

[ ℣. 36. *Gomor autem decima pars est Ephi.* Ephi, sicut & batus, est mensura continens 960. uncias unde fit consequens quòd gomor 96. uncias haberet.

Quoniam Manna Eucharistiæ & Christi in Eucharistia contenti, fuit figura, ut ex Joan. 6. liquet, quædam analogiæ huc veniunt observandæ.

Prima est, Manna non erat panis naturaliter ab hominibus formatus, sed erat cibus divina virtute, per Angelorum ministerium factus: Neque Eucharistia est cibus naturalis, sed virtute supernaturali confectus ministerio Sacerdotum, quos scriptura Dei Angelos appellat.

Comparatur Eucharistia cum manna.

Secunda, Manna non pluit Hebræis, nisi post egressum de Ægypto & transitum maris: Eucharistia non datur nisi post egressum de sordibus peccatorum, & post baptismum.

Tertia, Manna nocte pluebat: Eucharistia illis datur, qui per fidem ambulant & oscuram habent cognitionem.

Quarta, Manna quotidie præterquam sabbathis, & quidem per annos 40. decidit: Eucharistia toto tempore hujus vitæ, quæ peregrinatio quædam est; quotidie offertur & sumitur usque ad sabbatum quietis æternæ.

Quinta, Manna desiit, quando Hebræi venerunt in terram promissionis, & comederunt de ejus fructibus: Eucharistiæ etiam usus desinet, quando in patriam cœlestem venerimus, & deliciis ejus perfrui experimus.

Sexta, Manna erat album & saporem babebat dulcem, imò dabat Hebræis omnem saporis varietatem: Eucharistia exterius est alba, & sub externis speciebus continet Christum, qui est omnium deliciarum & gratiarum spiritualium author.

Septima, qui plus Mannæ collegerat, non habebat amplius; nec qui minus collegerat, habebat minus: Ita qui Eucharistiæ speciem magnam sumit, non plus accipit; qui autem minorem, non minus: uterque enim integrum Christum recipit.

Octava, Manna erat minutum, & fuit tusum pilo: Christus qui in Eucharistia est, parvus fuit, in quantum paulo minus ab Angelis minoratus, & quasi pilo tusus, dum flagellis cæsus, clavis & malleis percussus, ac tandem mortalitatis sacco fuit exutus.

Nona, Mannæ substernebatur ros vel pruina, ne sordibus terræ inquinaretur. Summa quoque puritas animæ quæ Eucharistiam est receptura, requiritur.

Decima, Manna liquescebat ad Solis radium: sic speciebus calore resolutis, Sacramentum Eucharistiæ desinit; ferebat tamen manna ignem sicut Eucharistia fert, imò requirit ignem de quo Deum precamur, *& tui amoris in eis ignem accende.*

Eucharistia est excellentior quàm Manna.

Ex his intelligi facilè potest quàm turpiter hallucinentur hæretici qui volunt in Eucharistia solùm esse panem communem qui sit symbolum corporis Christi: Liquet enim quòd Eucharistia sit quidpiam excellentius quàm fuerit Manna, sicut res figurata excellentior est quàm nuda figura. Unde Christus Joan. 6. panem consecratum, id est, Eucharistiam ita præfert Mannæ, *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt, qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Si autem in Eucharistia non esset aliud quàm panis, ipsa non esset excellentior quàm manna, cum manna sapidius esset, quàm panis noster usualis, ac etiam clarius repræsentaret corpus Christi.

Moraliter, Manna significat spiritualem consolationem, quæ non datur nisi illis qui exeunt de Ægypto.

Anagogicè verò, dulcedinem & suavitatem æternæ beatitudinis.

Quæri autem potest, utrùm Manna Hebræorum fuerit ejusdem speciei cum alio manna quod subinde cernitur. Resp. non esse ejusdem speciei cum eo quod pluit Atrebati anno 371. juxta B. Hieronymum in chronico. Sicut enim ipse testatur, & post cum Orosius lib. 7. historiæ cap. 32. Molanus in Natali Sanctorum Belgii ad 6. Febr. Locrius in chronico Belgico, id quod Atrebatenses vocant Manna, est lana quæ de nubibus pluviæ mixta defluxit. Incertum verò, an sit ejusdem speciei cum vulgari Manna, quale babent pharmacopolæ, etsi Conimbricenses tract. 7. Meteor. cap. 11. affirment, concedentes interim differre in variis accidentalibus excellentiis, quas habebat Judaicum.

## C A U P T XVII.

*Hebræi veniunt in Raphidim, eisque murmurantibus dat Deus aquam de petra. Orante postea Moyse vincunt Amalec.*

[ ℣. 1. *Igitur profecta omnis multitudo filiorum Israel de deserto Sin.* ] In quo primùm acceperant manna:

[ *Per mansiones suas*, ] id est, faciendo aliquas mansiones intermedias.

[ *Juxta sermonem Domini*, ] Non quòd Deus vel per se, vel per Angelum emitteret vocem ut populus proficisceretur; sed sermo Dei vocatur omne illud signum quo Deus voluntatem suam manifestat, cujusmodi erat columna nubis. Nam sicut vox à Deo missa explicaret voluntatem Dei esse, ut castra moverent; ita motus columnæ id designabat, quemadmodum patet infra cap. 40. & Num. 9. Ex quo cap. elucidari potest quòd motus columnæ vocetur sermo Domini; quoniam ibi dicitur quòd *per verbum Domini figebant tentoria, & per verbum illius proficiscebantur*, ubi agitur de quiete & motu columnæ.

[ *Castrametati sunt in Raphidim*, ] Non longè à monte Sinai. *Nona Mansio* fuit in Daphca, & *Decima* in Alus, sicut patet ex Num. 33. *Undecima* verò in Raphidim: unde fit consequens quòd ex Sin non venerunt immediatè in Raphidim, sed fuerint duæ mansiones intermediæ. In Hebr. pro *per mansiones*, legitur *per profectiones*: sed sub profectione seu via, terminus etiam ejus est intelligendus.

Omittuntur duæ mansiones.

[ *Ubi non erat aqua ad bibendum populo.* ] Probabile est in Daphca quoque & Alus aquam defuisse, sed eum defectum supplevisse aquam in lagenis & hydriis aut aliis vasis deportatam ex Sin, ob vicinitatem locorum, & parvam moram.

Quæret quispiam, cùm Deus sciret non esse aquam in Raphidim, & Hebræos præ aquæ penuria vehementer ibi anxiandos; quare illos per eam viam duxit? Resp. partim quia Hebræi citò & facilè obliviscebantur Dei & beneficiorum ejus: Ut ergo vexatione dante intellectum, clamarent ad Deum, immittebat ipsis adversa; Unde Psal. 77. dicitur, *Cum occideret eos quærebant eum, & diluculo veniebant ad eum*: partim, ut illos probaret, & notum fieret quo affectu essent in Deum, juxta illud Deuteron. 8. *Adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te atque tentaret & nota fierent quæ in animo tuo versabantur, utrùm custodires illius mandata, an non.*

[ ℣. 2. *Qui jurgatus contra Moysen, ait: Da nobis aquam*, ] non humiliter petierunt ut Moyses impetraret illis aquam; sed tamquam vehementi passione commoti, clamosa litigatione, contentione, & exprobatione usi hæc dicunt; sequitur enim versu 3. ipsos murmurantes dixisse ad Moysen, *Cur fecisti nos exire de Ægypto.*

[ *Quid jurgamini contra me?* ] Non ego vos authoritate mea huc adduxi, neque possibilitatis meæ est dare vobis aquam, sed à Deo deberetis illam petere: quare insurgitis & clamatis contra me?

[ *Cur tentatis Dominum?* Quare Deum provocatis ad iracundiam, & cur diffisi de divino favore & auxilio quod toties estis experti, rursum vultis per experientiam cognoscere, an Deus in vobis sit; cum deberetis non murmurando, sed orando & firmiter sperando, ad Deum recurrere.

[ ℣. 3. *Cur fecisti nos exire de Ægypto, ut occideres nos, & liberos nostros, ac jumenta, siti?* ] Quare non addunt uxores & filias? Fortè, expresserunt, sed scriptura brevitatis causa illas non exprimit. Vel murmur fuit commune virorum & mulierum, atque ita uxores comprehenduntur sub istis verbis, *ut occideres nos*; filiæ autem continentur sub liberis. Vocula, *ut*, accipitur consecutivè, & denotat eventum. Q. d. Cur tam imprudenter egisti ut sic educeres nos de Ægypto, unde consequens est quòd omnes siti moriamur?

[ ℣. 4. *Clamavit autem Moyses ad Dominum*, ] Abulensis

lensis notat Moysem duabus de causis clamasse ad Deum. Prima est, ut Deus misereretur populi siti laborantis; & hanc tetigit B. Greg. hom. 27. in Evangel. dum de Moyse ait, quòd *à populo lapidibus impetitur, & tamen pro lapidatoribus suis Dominum deprecatur*. Secunda est, ut ipsi Moysi dignaretur Deus providere contra molestias populi murmurantis. Unde subdit

[ *Quid faciam populo huic?* ] Ut ejus necessitati succurrere valeam?

[ *Adhuc paululum, & lapidabit me.* ] Post paululum temporis, si aquam non habeat, lapidabit me. Adverbium enim, *adhuc*, ubi de tempore sermo est, aliquando idem valet quòd post, sicut Jonæ 3. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*, id est, post quadraginta dies. Sic autem loquitur Moyses, non ex carnali vel mundano timore, sed ex naturali qui etiam in perfectissimos cadit. Quamquam & hic sensus reddi potest: Parum abest quin me lapidet.

[ ℣. 5. *Antecede populum*, ] in Hebr. *transi coram populo*. Q.d. Conquereris quòd populus parum absit à lapidatione tui: Ne timeas, transi coram populo & antecede eum, nemo te lædet.

[ *Et sume tecum de senioribus Israel:* ] Quia ipsi sunt magis idonei, tum ut miraculo faciendo sint præsentes, tum ut de illo cum opus fuerit, testificentur.

[ *Et virgam qua percussisti fluvium, tolle in manu tua,* ] Per fluvium quidam mare intelligunt de quo habetur cap. 14. quòd Moyses illud virga percusserit; fluvium autem non ipse, sed Aaron legitur percussisse cap. 7. Sed cum mare non propriè sit fluvius, verosimilius videtur quod Aug. q. 64. in Exod. significat sermonem hic esse de fluvio Nili, quem etsi Aaron percusserit, rectè tamen dicitur Moyses percussisse, per manum scilicet fratris sui, quia Aaron non percussit proprio motu sed ad nutum & præscriptum Moysi; ille autem ex cujus præscripto aliquid fit, verè dici potest illud fecisse. Unde B. Thom. 2. 2. quæst. 64. art. 3. ad 1. secutus S. Dionysium sic ait: *Ille aliquid facit, cujus authoritate fit.*

[ ℣. 6. *En ego stabo ibi coram te*, ] 70. Philo, Ambrosius & alii, legunt, *prius quam tu*. Quæ varietas inde orta est quòd Hebræa possint æquè verti ante, quàm coram te. Quoniam verò Deus semper ubique est, nec locum nec situm mutare potest; per hoc quòd dicit, *ego stabo ibi*, significat se ibi, id est, in loco ad quem Moyses mittitur, aliquid specialiter operaturum, futurumque præsentem non potentia dumtaxat, sed actuali subsidio, & sic promittit certitudinem auxilii, & miraculi secuturi.

[ *Supra petram Horeb:* Hæc petra non erat in deserto Sinai ad quod demum postea venerunt, sed ad pedem montis Horeb, vel in Raphidim, vel propè.

[ *Percutiesque petram, & exibit ex ea aqua, ut bibat populus.* ] Poterat Deus ex petra vinum dare: sed qui frugalitatem Hebræos docuerat in cibo, dans eis quotidianam mensuram, eamdem in potu docere ipsos voluit.

[ ℣. 7. *Et vocavit nomen loci illius, Tentatio*, ] in Hebr. sunt duo nomina, Tentatio & Jurgium; quod posterius Interpres noster tantùm implicitè posuit, hoc ipso quo reddens rationem nominis, dixit.

[ *Propter jurgium filiorum Israel*, quo jurgati fuerunt contra Moysen ver. 2.

[ *Et quia tentaverunt Dominum, dicentes: Est ne Dominus in nobis, an non?* ] Q.d. educimur Dei nutu, dirigit ne ipse iter nostrum, & an ab illo juvamur? Quæ verba incredulitatis, & diffidentiæ plena sunt, continentque veram Dei tentationem: & de hac tentatione quæ isti loco nomen dedit, sermo est Psalm. 49. & ad Hebr. 3. Sunt qui existiment præsentem tentationem, & aquæ de petra eductionem, esse eamdem cum illa quæ describitur Num. 20. ubi additur, *Hæc est petra contradictionis &c.* Sed omnino tenendum est, esse diversam. Quæ enim hic narratur, contigit in Raphidim, mansione undecima: quæ autem Num. 20. in Cades, mansione 33. Hæc, anno primo egressionis de Ægypto; illa anno quadragesimo, eo nimirum quo Maria soror Moysi fuit mortua: ante hanc, Israelitæ nullam à Deo plagam acceperant; ante illam multi fuerant a

Diversa est hæc tentatio ab ea quæ Num. 20. describitur.

Deo percussi cum dicant, *Utinam periissemus inter fratres nostros coram Domino:* ] Hæc percussio petræ facta est seorsim à populo, coram senioribus; illa coram populo congregato.

Neque huic veritati obstat quòd Num. 20. murmuratores dicunt quare nos fecisti ascendere de Ægypto? anno autem quadragesimo egressionis de Ægypto, omnes qui inde fuerant egressi erant mortui juxta prædictionem Num. 14. factam; præter Moysen & Aaron. Caleb & Josue. In primis, quia illi murmuratores possunt, dici ascendisse de Ægypto in suis progenitoribus. Secundò, quia ipsi etiam in personis suis ascenderant, cum essent infra annum vigesimum. Cùm autem dicitur omnes qui de Ægypto ascenderant, periisse in deserto: hoc dicitur de illis qui numerati erant à viginti annis & supra cap. 1. Numer.

Pro allegoria observandum quòd petra illa figurabat Christum, virga crucem, aqua gratiam & omnem spiritualem dulcedinem quæ nobis provenit ex Christo cruci olim affixo. Allegorica.

[ ℣. 8. *Venit autem Amalec, & pugnabat contra Israel in Raphidim*, ] Per Amalec intelliguntur Amalecitæ qui ab Amalec nepote Esau descenderunt, ut patet ex Gen. 36. Etsi verò populus Amalecitarum esset de genere Esau seu Edom, non est tamen idem populus cum Idumæis; sed tum habitatione, tum regibus discreti fuerunt. Idumæi namque incoluerunt montes Seir, & eorum reges ac duces narrantur dicto cap. 36. Genes. Amalecitæ autem ab illis recesserunt, & habitarunt aliam terram quæ magis est intra deserta Arabiæ. Unde Hieronymus in locis Hebr. scribit regionem Amalecitarum esse in deserto ad meridiem Judææ trans urbem Petram euntibus Ailam.

Amalecitæ & Idumæi sunt diversi.

Causa cur Amalecitæ hoc bellum Israelitis moverint, fuit partim vetus odium Esau & posterorum ejus contra Jacob & ejus posteros, propter prærepta primogenita & benedictionem primogeniti: partim quòd metuerent à tanta Hebræorum multitudine subjugari & in servitutem redigi, secundùm ea quæ Gen. 27. versu 29. fuerant Jacobo promissa. De hac pugna sic legimus Deut. 25. *Memento quæ fecerit tibi Amalec in via quando egrediebaris ex Ægypto, quomodo occurrerit tibi: & extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit quando tu eras fame & labore confectus, & non timuerit Deum.* Ex quibus patet non subsistere quod Philo l. 1. de vita Moysi scribit de Amalecitis quos Phenices vocat eos solum intendisse bellum defensivum. Si enim non aliud intendissent, non invasissent Hebræos nihil lædentes, imò fessos & quiescentes. Belli causa.

[ ℣. 9. *Dixitque Moyses ad Josue:* ] Qui alibi vocatur Osee, ut Nu. 13. ejusdem autem l. c. 14. ut hic, Josue, Ecclesiastici 46. Jesus, eodem nomine quo Salvator noster. Eligitur autem ut sit dux belli; partim quia Moyses cognoscebat eum esse probum, robustum, & bellicosum; partim ut ipse nunc daret specimen fortitudinis post annos 40. ad plenum exercendæ quando succederet Moysi, & populum armata manu introduceret in terram promissionis: partim denique ut intelligeremus nostri spiritualis belli ducem esse Jesum Christum, cujus typum gessit iste Josue.

Josue alites dictus Osee, aliter Jesus.

His non obstat quòd infra cap. 33. Josue vocatur puer; idque non juxta scripturæ consuetudinem quæ servos & & ministros vocare solet pueros, sed aliter, ubi de Moyse legimus quòd cum reverteretur in castra, *minister ejus Josue filius Nun, puer non recedebat de tabernaculo*. Ita namque vocatur, non ab ætate puerili, sed à morum candore & innocentia, quemadmodum interpretantur Dionysius Carthus. Cajetanus, Marzilla. Sic vocabulum *puer*, accipitur Zachar. 2. ubi Angelus superior Angelum inferiorem mittens ad Zachariam, qui tunc erat senex, dicit: *Curre, loquere ad puerum istum*. Ita quoque sumitur, quando tres viri in fornacem Babylonicam missi, vocantur pueri, à quibus Canticum trium puerorum est denominatum. Josue, quomodo puer.

[ *Elige viros:* ] 70. addunt, *potentes* seu fortes. Ideo nostræ lectionis sensus est eligendos esse eos, qui sint viri non ætate solùm & sexu, sed etiam viribus & animo. Convenienter autem mandat Moyses ut Josue ipsos eligat: Cùm enim bellatores sub ducis disciplina deservire debeant, omnino decet quòd ipsemet eos eligat quos novit suo regimini idoneos.

[ *Et*

[ *Et egressus, pugna* ] Id est, egredere de castris, & pugna.

[ *Contra Amalec: cras*, ] Qui jam Israelitas offenderant, occidendo eos qui fatigati resederant, ut ex Deut.25. supra diximus.

*Ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea.* ] Ista dicit Moyses, ad confortandum Josue, & ita significarè volens quòd oraret pro illo: nominando autem virgam Dei quæ fuerat instrumentum Dei ad multa mirabilia patranda, ipsum animabat ad expectandum à Deo auxilium. Collis ille est mons Horeb, qui licèt altus fuerit, vocatur collis per comparationem ad jugum montis Sinai, quod multò erat altius, ut proinde Horeb videri posset collis isti alteri jugo comparatus. Cur in vertice collis orare voluerit Moyses, verisimile est rationem esse eum ut populi sui periculum spectaret, sicque magis permoveretur ad orandum; tum ut Israelitæ sub ducis sui conspectu pugnantes, ardentius incitarentur ad fortiter agendum.

Horeb quasi collis.

[ ℣. 10. *Moyses autem & Aaron & Hur ascenderunt* ] Cum Moyse ascenderunt Aaron & Hur: partim honoris causa; quòd enim essent viri valde honorabiles patet ex cap. 24. ubi Moyses in sua absentia faciebat eos totius populi judices, *Habetis Aaron & Hur vobiscum? si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos*: partim ad ministerium ei præstandum quando esset opus. De isto Hur multa fabulantur Hebræi. Ex lib. 1. Paralip. c. 2. habemus quòd fuerit avus Beseleel, de quo infra cap. 31.

Levare manus est gestus orantis.

[ ℣. 11. *Cumque levaret Moyses manus*, ] Deum videlicet orando & in auxilium invocando: Levatio enim manuum est gestus orantis; quem & David expressit Psalm. 140. rogans, ut *elevatio manuum* ipsius placeret Deo *sicut sacrificium vespertinum*: Et Psal. 133. *Extollite manus vestras in sancta*, sive versus sanctuarium; & postea Isaias cap. 1. *Cum extenderitis manus vestras*, id est cum oraveritis, unde sequitur; *& cum multiplicaveritis orationem*. Similiter Apostolus 1. ad Tim. 2. *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus.*

Hujus ceremoniæ ratio est, quòd sic orantes & animi ad Deum elevationem significant, & protestantur se auxilium expectare de alto. Unde hoc exemplo docemur in bellis aliisque necessitatibus nostris, ad Deum confugere, & quemadmodum Moyses, qui sacerdos erat Psalm. 98. non pugnavit, sed oravit; ita sacerdotes laicis pugnantibus, debere orationi incumbere.

Cæterum utrùm Moysea conjunctis an divisis & in altum expansis manibus hic oraverit; ex scriptura non constat. Probabilius tamen videtur quòd divisis; tum quia sic facilius erat eas utrimque sustineri & sustentatione indigere, cum talis expansio diuturna sit plurimum laboriosa, & hinc inde possent esse qui sustinerent; tum quia sic plenius repræsentabatur expansio brachiorum Christi in cruce orantis. Virgam verò altera manu tenuisse Moysen ex versu 9. patet. Quæ cum symbolum crucis esset, hinc quoque instruimur, orando crucem tenere vel manu vel contemplatione.

[ *Vincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec*, Eo nimirum symbolo ostendere volebat Deus istam victoriam non esse armis Judæorum tribuendam, sed tum divinæ virtuti, quæ de alto hostea vincebat, tum serventi orationi Moysi, cujus fervor significabatur in manuum elevatione, & remissio in earum demissione.

[ ℣. 12. *Manus autem Moysi erant graves:* ] Hoc est, longa illa expansione gravabantur & deficiebant.

[ *Sumentes igitur lapidem, posuerunt subter eum, in quo sedit:* ] Hactenus Moyses oravit stans, sicut v. 9. promiserat, & manus in altum expandens: sed quoniam ab utroque fatigabatur, nec stare amplius, nec manus extendere valens; contra utrumque datur remedium; lapis enim supponitur ad sedendum, & manus ab aliis sustentantur; unde sequitur.

[ *Aaron autem & Hur sustentabant manus ejus ex utraque parte.* ] Quos etiam verisimile est orante Moyse, simul orasse. In hac porro manuum Moysi sustentatione significatum est Prælatos Ecclesiæ non omnia per se solos exequi posse, sed egere aliorum adjutorio qui manus seu opera eorum fulciant. Et huic rei serviunt Aaron & Hur, tamquam figuræ virtutum quæ in talibus adjutoribus requiruntur.

[ *Et factum est ut manus illius* ] Sic utrimque sustentatæ.

[ *Non lassarentur usque ad occasum Solis.* ] Quod dicitur, non quia lassatæ fuerint ad Solis occasum; sed quia Solis occasu adveniente fugatus fuit Amalec atque ita cessavit prælium, ac etiam elevatio manuum quæ fiebat pro victoria obtinenda. Ex Hebr. alii vertunt & fuit in manibus ejus fidelitas: Aut, fuerunt manus ejus fideles. Quoniam verò quæ fidelia sunt, etiam sunt firma, fidelitas pro firmitate ponitur; perinde ac si diceretur, quòd manus Moysi fuerant firmæ ac stabiles: quod cum sit effectua non lassationis, consequens est in nostra versione causam poni pro effectu.

[ ℣. 13. *Fugavitque Josue Amalec*, ] Quidam vertunt, debilitavit; sed eodem sensu: sic enim debilitavit vires Amalec, ut eum compulerit terga vertere, cum suo populo.

[ *In ore gladii.* ] Os gladii pro acie gladii dicitur. Unde ad Hebr. 11. ubi græca habent *effugerunt ora gladii*; noster textus habet *effugerunt aciem gladii*. Ratio metaphoræ est, quòd sicut animalia cibum ore transglutiunt & absumunt; ita miles acie gladii hostem absumit & perdit.

[ ℣. 16. *Dixit autem Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monimentum*, ] Sive ad perpetuam memoriam.

[ *In libro.* ] In quo libro, incertum est. Nihil tamen obstare videtur, quo minus intelligatur præsens liber Exodi; quia eum post hæc scripturus erat Moyses: Aut certè liber chronicorum intelligitur in quem Moysen præcipua quæque retulisse probabile est.

[ *Et trade auribus Josue:* Hoc quod Moyses jubetur scribere, illud ipsum jubetur indicare & inculcare Josue ut ipse sequentibus se populi ducibus ac judicibus indicet; & hi postea aliis. Quæritur autem quid hoc sit: Non enim videtur esse bellum & victoria recens obtenta, quandoquidem ipsemet bellum istud gesserit, & ope divina victoriam obtinuerit; quam proinde sic evidenter sciebat ut opus non esset quòd quispiam ei indicaret. Cajetani, Abulensis, Oleastri & quorumdam aliorum sententia verisimilior est esse hoc quod sequitur, delendam esse memoriam Amalec de sub cœlo. Id quod propterea Deus vult inculcari Josue; partim quia ipse futurus erat dux populi post Moysen; partim ut sciret nulla unquam pacis fœdera sibi jungenda vel admittenda esse cum Amalecitis. Cum ergo dicitur.

[ *Delebo enim memoriam Amalec sub cælo.* ] Vocula *enim*, sive ut 70. habent, *quoniam*, sumitur pro *quod*: q. d. trade in auribus Josue quod delebo memoriam Amalec de sub cœlo. In Hebr. legitur, quia seu quod *delendo delebo*, id est, certissimè delebo. Impleta sunt hæc 1. Reg. 15. ubi Saul accepto mandato interficiendi Amalecitas à viro usque ad mulierem, & parvulum atque lactentem, omnes ad internecionem delevit, excepto Agag rege illorum; quem Samuel postea occidit.

Neque his obstat vel quòd Amalecitarum memoria usque in præsens perseveret in sacris litteris: vel quòd ex 1. Reg. 30. & ex 2. Reg. 1. liqueat superstites adhuc fuisse Amalecitas tempore Davidis; imò & postea, quandoquidem Esther 3. Aman dicatur esse de stirpe Agag. In primis enim nulla manet in scripturis memoria Amelecitarum honorabilis, sed infamis dumtaxat: Cum autem dicitur impiorum memoria esse delenda, non significatur quòd nulla prorsùs eorum memoria sit permansura, potest enim illa manere quæ dedecus eis adferat; sed quòd nulla sit illorum futura memoria quæ in honorem & decus eis cedat: Deinde, non sic ad internecionem deleti fuerunt, ut nemo evaderet, sed ita ut omnia eorum gloria fuerit deleta, multique admodum interierint, paucis tantùm relictis qui vel non erant in loco prælii, vel fuga sibi consuluerant. Et hi quidem primùm cognito recessu David & suorum ab urbe Siceleg, in eam irruperunt; postea verò qui potuerunt evadere manus Davidis, in varias regiones diffusi fuerunt; & eorum aliqui in loca Macedonum devenerant, ex quorum posteris natus fuit Aman, ac denique omnes ad unum deleti.

[ ℣. 15. *Ædificavitque Moyses altare:* ] Ad immolandas Deo victimas pro gratiarum actione de victoria

obtenta. Sic decet Cbristianos, quando de suis hostibus rriumphant, agnoscere quòd *Deus est qui dat victoriam* 1. ad Corint. 15. & in actionem gratiarum, tum sacrificia offerre, tum dies festos instituere.

[ *Et vocavit nomen ejus , Dominus exaltatio mea* . ] Ab eventu nomen boc isti altari imposuit, ad insinuandum quòd fuerit Dominus Deus qui tum Moysen tum populum Hebræum eo loco exaltavit, faciendo illos superiores Amalecitis, & dando de ipsis victoriam; perinde ac si dixisset: Hoc altari protestor quòd Deus est exaltatio mea; sive quòd Deus me exaltavit, meque fecit superiorem Amalecitis. Sic ab eventu alia loca fuere cognominata, ut mons Moria, *Dominus videt* Gen. 22. altare Gedeonis, *Domini pax* Judic. 6. Alii ex Hebr. vertunt Dominus vexillum meum: q. d. Dominus est, sub quo tamquam sub vexillo pugnavi & vici.

[ ℣. 16. *Quia manus solii Domini* , ] Perperam *solius*, legunt quidam; cum in Hebr. sit tbronus; solium autem in textu nostro tbronum significat: & sensus est, quòd potestas throni Dei seu potestas majestatis divinæ erit contra Amalecitas. Unde sequitur.

[ *Et bellum Domini erit contra Amalec, à generatione in generationem*. ] Id est, usquequo penitus deleatur. Bellum Domini vocatur, tum quòd Dei virtute gereretur, tum quòd esset crudelissimum, absque ulla spe pacis: quæ enim sunt maxima, dicuntur esse Dei, ut cedri Dei montes Dei. Hic versus sic legitur in Hebr. quia seu quòd manus super thronum Domini, bellum Domini in Amalec &c. Per quam phrasim significatur Moysen dixisse quòd Dominus manum posuerit super thronum suum, id est, quòd juraverit fore bellum Domini contra Amalec à generatione in generationem.

## CAPUT XVIII.

*Jethro socer Moysi ad eum venit cum ipsius uxore & filiis. Auditis autem Dei operibus eum laudat: eique sacrificat: & post datum Moysi sanum consilium recedit.*

[ ℣. 1. CUmque audisset Jethro , ] Idem ille qui cap. 2. vocatus est Raguel , *sacerdos Madian*. Et propriè dictum sacerdotem hunc fuisse , diximus illo cap. 2.

[ *Cognatus Moysi* , ] In Hebr. & apud 70. est, *socer Moysi :* quomodo etiam vertit Cajet. imò & noster interpres cap. 3. versu 1. Non malè tamen noster interpres dedit illud , *cognatus* ; quia Hebræum choen generale est , significans & socerum & cognatum , vel alium affinem.

[*Omnia qua fecerat Deus Moysi , & Israeli &c.* ] Potuit Jethro ista intelligere, vel per nuncium à Moyse missum ; vel occasione mercimoniorum quæ inter Ægyptios & Madianitas , beneficio maris rubri, agebantur ; vel per alios ultro citroque euntes ac redeuntes . Neque enim cogitare debemus Judæos ita peregrinatos fuisse per deserta Arabiæ; ut nulli numquam extranei ad eos accesserint : Alioquin quomodo Amalecitæ potuissent scire castra Israelitarum sibi esse propinqua.

[ ℣. 2. *Tulit Sephoram uxorem Moysi quam remiserat:* Hinc certum est quòd Moyses, cum ex Madian iret in Ægyptum, remiserat uxorem suam, non invitam tamen, sed consentientem, ad domum patris ejus, ut ipse liberior esset in exequendis illis quæ Deus per ipsius ministerium erat facturus. De filiis Moysi conferenda sunt quæ ad cap. 2. diximus.

[ ℣. 5. *Venit ergo Jethro &c. ad Moysen in desertum , ubi erat castrametatus juxta montem Dei* . ]
Mons ille est mons Sinai. Montem Oreb seu Sinai intelligit : hic quippe est mons qui per antonomasiam vocatur mons Dei, supra cap. 3. unde fit consequens, quòd Jethro non venit ad Moysen in Raphidim, sed quando castra Israelitarum erant juxta montem Sinai , ideòque per prolepsim ista huc referri ; cum postea demum contigerint , scilicet aut in fine primi anni egressionis de Ægypto , aut initio secundi . Venit enim Jethro ad Moysen paulò antequam constituerentur principes & judices in Israel , quemadmodum ex hoc cap. patet ; illos autem fuisse constitutos , quando recessuri erant de monte Sinai , habemus Deut. 1. sicut & Num. 10. legimus quòd ab illo monte profecti fuerint anno secundo , mense secundo vigesima die mensis.

[ ℣. 6. *Et mandavit* ] Hoc est, nuntiavit seu nuntiari fecit.

[ *Moysi;* Quomodo eadem phrasis accipitur Gen. 45. *Hac mandat filius tuus Joseph*. Hoc autem fecit Jethro , ne amicum publicis negotiis occupatum importunus aut improvisus obrueret.

[ ℣. 7. *Qui egressus in occursum cognati sui* , ] Hebræa & 70. exprimunt Moysen esse qui fuit egressus; & loco cognati, rursum dicunt *soceri*, quemadmodum & in reliquo cap. decursu.

[ *Adoravit* , ] Hoc est, inclinato corpore honorem exhibuit, sicut Abraham adoravit filios Heth Gen. 23.

[ *Salutaveruntque se mutuo verbis pacificis* . ] Oleaster & quidam alii ad verbum ex Hebr. vertunt, Interrogavit vir fratrem seu proximum suum de integritate . q. d. Uterque alterum interrogavit de integritate status sui suæque Reipublicæ, An omnia illis essent salva & prospera . Noster interpres sensum expressit : Mutua enim salutatio quæ fit verbis pacificis, constat salutis precatione & gratulatione , conjunctamque habet inquisitionem de mutua rerum constitutione, si fiat inter amicos, qui aliquamdiu fuerunt sejuncti.

[ *Cumque intrasset tabernaculum*, ] In quo habitabat Moyses . Sicut enim alii Israelitæ per desertum sibi tentoria erigebant , ubi cum suis familiis habitabant ; ita Moyses habebat suum tabernaculum seu tentorium.

[ ℣. 8. *Narravit Moyses cognato suo cuncta quæ fecerat Dominus Pharaoni, & Ægyptiis propter Israel*, ] Hoc est, ut Israelitas liberaret de servitute Ægyptiaca, utque injurias eis per Ægyptios illatas vindicaret.

[ *Universumque laborem , qui accidisset eis in itinere* , ] Per laborem intelliguntur penuriæ cibi & potus, difficultates & molestiæ quas passi erant Hebræi sive ab Amalecitis, sive aliunde . Ubi exemplum habent fideles inter colloquia amicabilia miscendi sermonem de divinis beneficiis, deque aliis rebus salutaribus, sicut etiam fecisse leguntur Paulus & Antonius Eremitæ.

[ ℣. 9. *Lætatusque est Jethro super omnibus bonis quæ fecerat Dominus Israeli* ] Seu Israelitis. 70. legunt, *obstupuit*, eodem sensu: significatur enim quòd Jethro auditis tot mirabilibus à Deo patratis, qualia numquam fuerant prius audita , cum maxima admiratione lætatus fuit.

[ ℣. 10. *Et ait : Benedictus Dominus qui liberavit vos* ] Ex spirituali gaudio erumpit in laudes Dei : unde colligi potest quòd Jethro jam tuum esset veri Dei cultor, vel ut descendens ab Abraham per Ceturam, vel per Moysen conversus intra illos 40. annos , quibus in Madian habitavit. Neque obstat eum dicere:

[ ℣. 11. *Nunc cognovi, quia magnus Dominus super omnes deos:* ] Quasi nunc demum veri Dei cognitionem acceperit: Non enim hoc verbis illis significatur , sed sensus est : Nunc etiam experientia didici quòd Deus sit magnus Dominus, quòdque præcellat omnibus illis qui quoquo modo vocantur dii. Videri possunt quæ diximus ad versum 16. cap. 2.

[ *Eò quòd superbè egerint contra illos* . ] Ægyptii contra Hebræos. In Hebr. quia in re qua superbierunt contra eos ; subaudi, ipsos perdidit, aut quid simile . Unde Cajet. ita reddit, quia in illa re qua Ægyptii studiosè usi fuerunt ad impiè necandos Hebræos , Deus illos punivit . Submersit enim Ægyptios, quemadmodum ipsi præceperant submergere pueros Hebræorum . In nostro quoque textu quædam videtur esse reticentia , ideòque sententia supplenda , eò quòd superbè egerint contra illos , idcircò tam graviter eos afflixit & punivit Deus.

[ ℣. 12. *Obtulit ergo Jethro cognatus Moysi holocausta & hostias Deo :* ] Per hostias intelliguntur sacrificia qualia postmodum in lege Mosaica fuerunt hostiæ pacificæ, quæ offerri solebant in gratiarum actionem pro pace vel aliis beneficiis à Deo obtentis : Pro obtulit, in Hebr. est accepit ; apud 70. sumpsit : & significatur quòd Jethro acceperit à Moyse & ab Hebræis ea quæ offerret Deo tum holocausta tum alias hostias . Neque anxiè quærendum est quis hic fuerit functus officio sacerdotis . Cùm enim Jethro scribatur

Jethro per ſe ipſum obtulit ſacrificium.

tur fuiſſe ſacerdos, & textus noſter quem conſtat eſſe authenticum, dicat eum obtuliſſe; vix dubium eſſe poteſt, quin ipſe functus fuerit ſacerdotis officio.

[ *Veneruntque Aaron & omnes ſeniores Iſrael*, ] Hoc eſt, primores Hebræorum.

[ *Ut comederent panem cum eo* ] Nomine panis generaliter intelligitur omne genus ciborum: & veriſimile omnino eſt, cibos in iſto convivio appoſitos, fuiſſe partes hoſtiarum, quæ cum poſt oblationem ſacrificii reſtarent, poterant cedere in eſum offerentis & amicorum ejus. Ex his autem apparet Aaronem huic epulo interfuiſſe ut convivam, & non ut ſacrificatorem.

[ *Coram Deo.* ] Deus ubique eſt; & ideo ubicumque fit aliquid, fit coram Deo; ſpecialiter tamen coram Deo fieri dicitur, quod fit in loco ubi Deus peculiariter eſſe dicitur: cujuſmodi erat tabernaculum ad ſacrificiorum oblationem deſtinatum. Unde coram Deo idem hic valet, quòd in tabernaculo vel coram illo.

[ ℣. 13. *Altera autem die ſedit Moyſes, ut judicaret populum*, ] Ut cauſas populi ad eum venientis terminaret. Non veniebat autem totus populus, ſed illi qui habebant aliquam quæſtionem, ſicut cap. 33. dicitur. Ideo notatur quòd Moyſes ſedit, quia judices ſedere debent ad judicandum, ut ſignificetur maturitas ſententiæ; & quòd illa non feratur animo præcipitato, vel impetuoſo, ſed cum animi tranquillitate.

[ *Qui aſſiſtebat Moyſi à manè uſque ad veſperam.* ] Tanta ſiquidem erant negotia, ut non omnia poſſent citò expediri. Exemplum hic eſt ſummæ ſollicitudinis, & indeſcſſi laboris in adminiſtranda juſtitia, quod imitentur illi qui præſunt Reipublicæ.

[ ℣. 14. *Quid eſt hoc quod facis in plebes*?] Jethro benè videbat quid faciebat Moyſes; ſed ita quærit, ut ex reſponſione Moyſi convenientiorem habeat occaſionem ipſum redarguendi.

[ ℣. 15. *Cum reſpondit Moyſes: Venit ad me populus quærens ſententiam Dei.* ] In Heb. ad quærendum; ſive ad conſulendum Deum. Noſter interpres optimè ſenſum expreſſit, quia populus non aliter Deum conſulebat, quàm inquirendo per Moyſen quid in ſuis litibus & difficultatibus eſſet juſtum & rationi conſonum. Unde non eſt exiſtimandum quòd in ſingulis populi difficultatibus decidendis, Moyſes ſpeciatim Deum conſuleret, ſed reſolutio quam petebat, vocatur ſententia Dei; quia inquirebant quid eſſet juſtum, & quid juxta Dei legem ac rationis æquitatem eſſet faciendum.

[ ℣. 16. *Veniunt ad me ut judicem inter eos, & oſtendam præcepta Dei, & leges ejus.* ] Ex quibus omnino apparet Iſraelitas non ſolùm veniſſe ad Moyſen ut ipſorum cauſas & lites decideret, ſed etiam ut in rebus obſcurioribus inſtruerentur quid per eos vellet Deus fieri. Id quod confirmari poteſt ex ſeqq. verſibus 19. & 20.

[ ℣. 17. *Non bonam, inquit, rem facis*: ] Non vult Jethro dicere quòd Moyſes malè ageret atque adeò peccaret, omnes enim juſti judicii circumſtantias accuratè obſervabat, ſed rem non bonam vocat, rem nimis arduam nimiſque moleſtam, nec tum Moyſi tum populo ſatis utilem.

[ ℣. 18. *Stulto labore conſumeris*, ] Hoc eſt, indiſcreto labore fatigaris, & ita conſumeris. Ex Hebr. alii reddunt, cadendo cades, ſeu marceſcendo marceſces, q. d. omnino ſuccumbes oneri.

[ *Et tu & populus iſte qui tecum eſt*: ] Tu quidem, quia non potes tantum populum ſolus judicare; populus autem, quia non poterant ejus cauſæ ſingulis diebus terminari, ſicque fatigabatur quotidie expectando uſque in veſperam, præſertim cum aliæ, & aliæ cauſæ ſemper ſuccreſcerent.

Moyſes cum Jethro conſilium accepit, non ipſemet illud excogitans.

[ 19. *Sed audi verba mea atque conſilia, & erit Deus tecum.* ] Deus erit tibi auxilio, ut facilius negotia perficias, & levius feras onera.

Cæterum cum conſtet Moyſen fuiſſe & ſapientiſſimum & Deo familiariſſimum, meritò quæri poteſt, quare Moyſes iſta conſilia vel per ſe non excogitavit, vel Deus ei non ſuggeſſit. *Reſp.* partim ut Moyſes conſervaretur in humilitate, videns ſe ab alienigena debuiſſe accipere conſilium; partim ut omnes diſcant, & veritatem à quocumque dicatur, libenter eſſe recipiendam, & neminem ad eum ſive prudentiæ ſive ſcientiæ gradum pertigiſſe, quin ſemper ab aliis, etiam ſe inferioribus poſſit aliquid diſcere.

[ *Eſto tu populo in his quæ ad Deum pertinent*, ] Hebr. *eſto tu populo coram Deo*, ſeu ante Deum: Id eſt, Sis tu populi advocatus & internuncius apud Deum.

[ *Ut referas quæ dicuntur ad eum*: ] Ut populi dicta, petitiones, & neceſſitates referas ad Deum, ipſum conſulendo & orando. Sunt qui ita interpretantur, *ad eum* ſcilicet populum: Sed ſubaudiendum eſſe Deum liquet ex Hebræo quod ſic habet: *& adduces tu verba* ( nimirum populi ) *ad Deum*. Quibus conformiter 70. dicunt, & referes verba eorum ad Deum.

[ ℣. 20. *Oſtendaſque populo cæremonias & ritum colendi*, ] Hic alterum Moyſi officium indicatur, ſcil. ut ſit interpres Dei ad populum, ſive ut voluntatem Dei referat ad populum, partim nunciando, partim explicando ei quæ ad religionem pertinent, ac etiam quæ ad mores benè formandos: hoc enim eſt quod ſequitur.

[ *Viamque per quam ingredi debeant*, ] Ubi de via morum ſermo eſt, ſeu de itinere ſalutis.

Qualitates judicum.

[ ℣. 21. *Provide autem de omni plebe* ] Cum diligentia & prudentia elige non tantùm de tuis cognatis & amicis, ſed ex omni populo, non mulieres quæ ad judicandum ſunt inidoneæ, ſed

[ *Viros potentes*, ] Ita reſtitutum pro eo quod aliqui libri habebant, viros ſapientes. Nam in Heb. habetur, *viros virtutis*, id eſt viros magni animi magnæque conſtantiæ, qui non timeant vultum magnatum ut propter eos à vero devient.

[ *Et timentes Deum*, ] Timore filiali, qui vereantur Deum offendere, ſicque magis timeant Deum, quàm quemcumque hominem.

[ *In quibus ſit veritas*, ] Qui rectè ſentiant ac juſtè judicent. Sermo enim eſt non tam de virtute doctrinæ & vitæ, quàm de veritate juſtitiæ, unde 70. dicunt *viros juſtos*.

[ *Et qui oderint avaritiam*, ] Qui proinde munera non accipiant, ne per illa excæcentur & quod juſtum eſt exequi prætermittant. Ut enim Eccleſiaſtici 20. dicitur, *Xenia & dona excæcant oculos judicum*: unde Iſaj. 1. poſtquam Iſraelitis dictum eſt, *Principes tui infideles, ſocii furum*; mox velut pro ratione ſubditur, *omnes diligunt munera*.

[ *Et conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos.* ] Tribuni ſunt, qui præſunt mille hominibus; centuriones, qui præſunt centum; quinquagenarii, qui quinquaginta; decani, qui decem: Nam in Heb. ſic legitur, *Principes millium, principes centum, principes quinquaginta, principes decem*. Neque refert quòd tribuni, centuriones, & hujuſmodi maximè ſoleant uſurpari in bellis, & de illis dici qui præſunt militibus: iſta enim nomina ad alias quoque præfecturas pertinuiſſe certum eſt; cum apud Romanos fuerint non ſolùm tribuni militum, ſed etiam tribuni plebis, & tribuni ærarii. Præfuerunt autem tribuni & centuriones aliique jam dicti officiarii, tot familiis quot ipſa nomina deſignant, ad cauſas earum examinandas & terminandas. Unde ſequitur.

[ ℣. 22. *Qui judicent populum* ] Singuli videlicet eos quibus præficientur.

[ *Omni tempore*: ] Id eſt, quotidie ſeu quaſi quotidie, & ſine dilatione culpabili cujuſmodi non erat ea dilatio, qua tum in ſabbatis, tum in aliis feſtis abſtinebant à judicio, quia dies illi non erant opportuni ad judicandum.

[ *Quidquid autem majus fuerit, referant ad te*, ] Cauſas difficiliores quas diſcernere nequiverint, vel quæ ad legis intelligentiam directè ſpectabunt, judices illi inferiores ad te referent. Moralia.

[ *Et ipſi minora* ] Seu cauſas minoris momenti.

[ *Tantummodò judicent*: ] Huic ſimile eſt quòd parochi & confeſſarii, cum ſint judices in foro conſcientiæ, debent eſſe viri magnanimi & conſtantes, Deum timentes, æqui & juſti, avaritiam odientes,

& pro

& pro causis majoribus quæ vel potestatem vel captum eorum superant, recursum habere ad superiores.

[ *Leviusque sit tibi, partito in alios onere.* ] Ut officio judicandi quod magnum onus habet annexum, in varios distributo, non ita graveris sicut quando solus officium illud exercebas.

[ ℣.23. *Si hoc feceris, implebis imperium Dei.* ] Convenientius explere poteris officium quod pro suo populo Deus tibi commisit.

[ *Et præcepta ejus poteris sustentare:* ] Seu sustinere: Id est, iis quæ circa populi regimen Deus tibi præcipiet, facilè poteris satisfacere.

[ *Et omnis hic populus revertetur ad loca sua cum pace.* ] Neque fatigabitur, quotidie expectando usque in vesperam, neque expectando frustrabitur spe decisionis causarum suarum, sicut necessum est fieri quando solus omnes eorum causas discutis; sed expeditis eorum causis, & sedatis disceptationibus, omnes cum mutua pace redibunt ad sua domicilia. Illud soceri Moysi consilium sequi debent quicumque populum, sive in spiritualibus, sive in temporalibus volunt benè gubernare, ut scilicet non omnia per se ipsos tentent facere, sed alios in partem oneris adhibeant, hoc etiam considerato quòd dum superior dignitatem & potestatem suam aliis secundùm diversos gradus communicat, ostendit se non velle solum præesse, sicque tollitur occasio murmurationis & invidiæ, & major pax est in populo.

Moralia.

[ ℣.24. *Quibus auditis, Moyses fecit omnia quæ ille suggesserat.* ] In quo apparet magna humilitas Moysi, qui etsi esset Deo familiarissimus, & totius populi numerosissimi dux, statim tamen acquievit suggestioni hominis alienigenæ.

[ ℣.25. *Et electis viris strenuis* ] In Hebr. *& elegit Moyses viros virtutis.* Ex Deut.1. habetur quòd populus istos viros elegerit: *Date* (inquit ibi Moyses) *ex vobis viros sapientes, & gnaros, & quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes.* Quia tamen populus nihil hic egit nisi ex authoritate & commissione Moysi; ideo rectè dicitur quòd Moyses eos elegerit. Propterea autem Moyses non per se istos elegit, sed populo commisit ut eligerent; tum quia populus magis poterat nosse conditiones eligendorum, propter conversationem cum eis frequentiorem; tum ut electi à populo, essent ipsi gratiores; tum ne Moyses videretur nimium velle dominari, si solus eligeret.

Populus eligit judices & quare.

[ *Constituit eos principes populi,* ] Non alius hic intelligendus est magistratus fuisse constitutus ab officiatiis supranominatis; sed generale nomen ponitur, quod tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos comprehendit, ita ut quæ sequuntur.

[ *Tribunos, & centuriones,* &c. ] Contineant explicationem vocabuli generalis, quod immediatè præcedit: Non enim dubium est, quin hic narretur factum id quod versu 21. dicebatur esse faciendum; Ibi autem dicebatur, *constitue ex eis tribunos* &c. nulla principum facta mentione. De ordine porro istorum judicum si quæritur: Resp. videri hunc fuisse, quod decani subessent quinquagenariis; quinquagenariis, centurionibus; centuriones tribunis; quòdque ab inferioribus appellari posset ad superiores immediatos, ac tandem ad Moysen.

[ ℣. 26. *Qui judicabant plebem omni tempore* : ] Quousque perduraverit horum tribunorum & aliorum hic descriptorum ordo & officium, non omnino liquet. Verisimile est quòd toto illo tempore quo fuerunt in deserto, ac insuper eo quo ingressi terram Chanaan nondum poterant seorsim habitare per diversa oppida: Usque tunc enim cum Israelitæ congregati essent in castris, & simul moverentur de loco in locum, eadem fuit ratio propter quam Jethro consilium dedit Moysi. Postquam verò terra fuit divisa, & diversas urbes inhabitare cœperunt, ejusmodi officiorum ordo desiit, quia populus non amplius tunc erat in unum congregatus, sed in una urbe pauciores, in alia plures erant familiæ: ita ut non posset ordo tribunorum, centurionum, & aliorum benè servari. Neque tamen relinquebantur sine judice, sed juxta locorum proportionem unus aut plures constituebantur judices in locis singulis cum aliquibus Levitis, & quæ difficiliora videbantur, ad summum sacerdotem referri debebant, ut ex Deut.17. patet. Plura de his videri possunt apud Abulensem quæst. 27. in cap. 11. Numer.

Quousque permanserint hi præfecti.

[ ℣.27. *Dimisitque cognatum* ] Seu socerum.

[ *Suum: qui reversus abiit in terram suam* ] Hoc est, in Madian. Ex his, ut & ex aliis quæ leguntur Num. 10. prorsus apparet quòd Jethro seu Raguel non sit idem qui Hobab, cum Moyses apud se retinuerit Hobab, permiserit autem abire Raguelem. Fuit ergo Hobab filius Raguelis.

## CAPUT XIX.

*Israelitæ veniunt ad montem Sinai, ubi Deus per Moysen promittit quòd ipsos assumet in populum peculiarem. Inde jubentur sanctificari, ut Dominus descendat, & eant in occursum ejus.*

[ ℣.1. M*ense tertio egressionis Israel de terra Ægypti.* ] Sermo est de anno primo egressionis, quæ contigit nocte decimam quartam diem primi mensis proximè sequente. Mensis autem tertius qui hic exprimitur, non debet intelligi fuisse completus, etsi quibusdam ita visum fuerit; sic enim lex non fuisset data die quinquagesimo; sed inchoatus dumtaxat.

[ *In die hac* ] Sicut mensem tertium dixit, ita illud, *hac*, ad diem tertium referre videtur, nullum enim aliud nomen numerale præcessit, ad quod pronomen *hac*, possit respicere. Cum ergo dicitur, *Mense tertio, in die hac*, perinde est ac si diceretur, Mense tertio, & eadem seu ejusdem numeri die, quæ erat dies quadragesima septima ab egressu de Ægypto.

[ *Venerunt in solitudinem Sinai* ] Hæc est *Duodecima Mansio* filiorum Israel in qua manserunt annum ferè integrum, scilicet usque ad annum secundum egressionis, & vigesimam diem mensis secundi, ut Num.10. v. 11. liquet. In qua etiam juxta B. Hieron. epistola 127. contigerunt omnia quæ deinceps in Exod. in toto Levitico, ac etiam in Numeris describuntur, usque ad dicti cap.10. versum 11.

Hebræi quam diu manserunt in deserto Sinai.

[ *Ibique Israel fixit tentoria è regione montis.* ] Quando Israelitæ venerunt in desertum Sinai, non ascenderunt montem, sed castra fixerunt inferius contra montem: quidam putant quòd in parte Orientali montis, alii quòd in Meridionali; non improbabile est quòd circumcirca, cum certum sit eos aliquot centenorum millium hominum numerum explevisse, qui non facilè poterant omnes ab una parte habitare.

[ ℣. 3. *Moyses autem ascendit ad Deum,* ] Hoc est, ad locum in quo fuerat vocatus à Deo apparente in rubo, supra cap.3. sive in montem Sinai; unde 70. habent, in montem Dei, quòd Deus in eo monte peculiariter habitare crederetur. Illuc autem ascendit Moyses, eo ipso die quo Hebræi venerunt in desertum Sinai. Causa ascensus fuit, aut quòd Deus eum antea vocasset, tametsi hoc non exprimatur; aut ut Deum consuleret de qualitate & modo sacrificii, de quo illi cap.3. fuerat ipsi dictum, *Cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum.*

[ *Vocavitque eum Dominus de monte,* ] Aliquousque montem ascenderat Moyses; sed non ad ejus summitatem; Deus autem seu Angelus Deum repræsentans, formata voce sensibili vocavit eum de vertice montis.

[ *Et ait: Hæc dices domui Jacob,* ] Sive filiis Israel; quemadmodum in sequentibus verbis, quæ sunt priorum repetitio & explicatio, continetur.

[ ℣. 4. *Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptiis,* ] Gravissimis plagis ipsos flagellando, ut vos de manibus eorum eriperem.

[ *Quomodo portaverim vos super alas aquilarum,* ] Hoc est, sicut super alas aquilarum, eam enim similitudinis notam hic exprimunt 70. tri & Deut.32. vers. 11. tam ipsi quàm textus Hebræus, & noster vulgatus. Sensus autem est, quòd quemadmodum aquilæ pullos suos de loco in locum portant super alas, & dorsum suum, eo modo protegentes eos ab homi-

hominum jaculis, dum ſe medias conſtituunt inter jacula & pullos; ſic ego vos eduxi & quaſi aſportavi de Ægypto, me ſtatuens medium inter vos & Ægyptios (quando ſcilicet Angelus, & cum eo columna nubis, ſtetit inter caſtra Ægyptiorum & caſtra Iſrael ſupra cap. 14.) & huc uſque ſalvos & incolumes protegens. Dico, *quaſi aſportavi*: ſi enim conſideremus tantam hominum multitudinem uno eodemque die exiiſſe de Ægypto, & una nocte tranſiviſſe mare rubrum, non tam naturaliter euntes videbuntur fuiſſe Hebræi quàm delati ſeu peculiari ope ad gradiendum adjuti.

[ *Et aſſumpſerim mihi*. ] Ut veſtri curam ſingularem habeam. Idcirco autem hæc beneficia ſummatim commemurat Deus, ut oſtendat obligationem quam Hebræi habebant ad ei ſerviendum & obediendum.

[ ℣. 5. *Si ergo audieritis vocem meam*, ] Si voci meæ ſeu mandatis quæ vobis daturus ſum, obedieritis.

*Et cuſtodieritis pactum meum*, ] Sermo eſt de fœdere ſtatim in monte Sinai ſanciendo cum Hebræis, quod ex eorum parte continebat ipſos debere Deum tamquam verum & unum Deum colere, nec ab ejus cultu recedere; ex parte autem Dei tria continebat, quæ in ſequentibus exprimuntur. Primum eſt.

Quæ fœdus Dei continerent.

[ *Eritis mihi in peculium de cunctis populis: Mea eſt enim omnis terra*. ] Q. d. Etſi tota terra jure creationis, conſervationis & gubernationis ſit mea, ſimiliterque omnes populi ſint mei: vos tamen eritis mihi populus peculiaris: Ita enim reddiderunt 70. atque ita etiam habet noſtra vulgata editio cap. 7. 14. & 26. Deu. Peculium ſignificat rem aliquam valde pretioſam & ſingulariter charam, ideoque hic ſignificatur quòd Iſraelitæ futuri ſint peculiariter populus Dei de aliis populis ſelectus, & in pretio habendus tamquam theſaurus quidam pretioſus & charus.

Quid peculium.

[ ℣. 6. *Et vos eritis mihi in regnum ſacerdotale*, ] Iſtud eſt ſecundum, quod Deus in fœdere ſuo cum Hebræis promittebat, eos ſcilicet futuros Deo regnum, non qualecumque, ſed ſacerdotale, ſeu ſacrum, divino ſcilicet cultui dicatum & ſacrificiis Deo offerendis aſtrictum.

Continet hæc promiſſio tum quòd populus Iſraeliticus futurus eſſet regnum Dei habens videlicet Deum pro ſuo rege, tum quòd ipſe populus futurus eſſet rex & ſacerdos, vel quia Deus reges & ſacerdotes de iſto populo eligeret, vel quia etiam ſinguli de ipſis quodammodo futuri reges & ſacerdotes: Reges, quia tamquam pars Reipublicæ Iſraeliticæ, dominaturi erant Chananæis, aliiſque gentibus: Sacerdotes, quia divino cultui religioſiſque cæremoniis addicti, oblaturi erant ſacrificia, non quidem per ſeipſos aut per ſuum miniſterium, ſed per eos qui de ipſis conſecrandi erant ſacerdotes propriè dicti.

*Et gens ſancta*. ] Tertium hoc eſt in Dei fœdere cum Hebræis contentum, quo ſignificatur quòd Iſraelitæ futuri eſſent populus ab aliis nationibus profanis & idololatris ſegregatus, Deoque conſecratus.

Moralia.

Cæterum ſi hæc commemoranda erant Hebræis quos Deus à ſervitute Ægyptiaca liberaverat, ut tantis beneficiis non eſſent ingrati: quantò magis eſt nobis rememorandum quòd Chriſtus è diaboli & inferni poteſtate nos eruit, ad terram promiſſionis, non hujus, ſed futuri ſæculi deducit, imò per gratiam ſuam defert; facitque ut ſimus peculiaris Dei populus, utpote pretio ſanguinis ſui acquiſitus, Act. 20. & 1. Petri 2. & tum reges, tum ſacerdotes; reges, domando concupiſcentias, omneſque motus illicitos: Qui enim membrorum ſuorum motus benè regere ſciunt, non immeritò reges vocantur ait Greg. l. 11. Moral. cap. 9. Sacerdotes, offerendo ſpirituales hoſtias, id eſt, opera virtutum, & exhibendo corpora noſtra, hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem ad Rom. 12. facit denique ut ſimus gens ſancta, non tantùm per ſegregationem ab idololatris, ſed etiam per veram ac internam ſanctitatem: quæ licèt non ſit in omnibus Chriſtianis, eſt tamen in multis iiſque præcipuis Eccleſiæ membris.

Quomodo Chriſtiani ſint reges & ſacerdotes.

[ *Hæc ſunt verba quæ loqueris ad filios Iſrael*. ] Ut omnibus palam fiat quæ bona ſint habituri, ſi divinis mandatis fuerint obedientes]. Quærunt aliqui, quare populus Hebræorum potius vocentur filii Iſrael, quàm filii Abrahæ aut Iſaac. Reſpon. rationem eſſe; quia totus ille populus fuit diviſus in duodecim tribus, quarum capita fuerunt filii Jacob, ſeu Iſraelis.

[ ℣. 7. *Venit Moyſes*: ] De monte ad locum caſtrorum:

[ *Et convocatis majoribus natu populi, expoſuit omnes ſermones quos mandaverat Dominus*. Hos per ſe alloquitur Moyſes, ut deinde per eos toti populo res proponeretur. Idcirco autem voluit Deus proponi omnibus, ut quæ ſcientes ac volentes ſuſcepiſſent, ſcirent ſe majori obligatione aſtrictos ad illa ſervanda.

[ ℣. 8. *Reſponditque omnis populus ſimul: Cuncta quæ locutus eſt Dominus, faciemus*. ] Ab hoc effectu (ait Cajet.) inſinuatur quòd ſenes univerſo populo notificaverunt dicta à Deo. Oſtenditur quoque & promptitudo populi ad obediendum, & ejus fides credentis Deum eſſe qui loquebatur Moyſi.

[ *Cumque retuliſſet Moyſes verba populi ad Dominum*, ] Id eſt, cum Moyſes aſcendiſſet montem ad referendum; necdum enim retulerat, ut ex ſeqq. patet; ſed præventus à Deo ipſi loquente, poſtea demum retulit. Retulit autem non ut Deus ſciret, ſed ut reverentiam populi erga Deum, promptamque ejus voluntatem ad obediendum offerret Deo, ſicut Angeli ei offerunt noſtras orationes, Tob. 12.

[ ℣. 9. *Ait ei Dominus: Jam nunc veniam ad te in caligine nubis*, ] Hoc eſt, in nube caliginoſa. Idcirco autem per ejuſmodi nubem præſentia Dei deſignatur; tum ut intelligamus nullam eſſe mentis aciem jam acutam & perſpicacem quæ poſſit illum intueri, unde Pſalm. 17. dicitur *caligo ſub pedibus ejus*; tum ut legalium præceptorum obſcuritas ſignificetur: Neque his contrariari putandum eſt quod apud 70. legitur in columna nubis: Nihil enim vetat nubem caliginoſam, cum magna & in cœlum protenſa eſſet, vocare columnam nubis.

[ *Ut audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum*: ] Sic Deus volebat conciliare Moyſi authoritatem, ut cum populus audiſſet Deum loquentem ad eum, futuris deinde temporibus fidem adhiberet Moyſi ad populum loquenti ex parte Dei.

[ *Nuntiavit ergo Moyſes verba populi ad Dominum*. ] Poſtquam ſcilicet Dominus ea quæ jam ſunt explicata, dixiſſet Moyſi.

[ ℣. 10. *Qui dixit ei: Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie, & cras*, ] Mone ac præcipe ut ſe ſanctificent. Is quippe interdum dicitur aliquid facere, qui ſua monitione vel præcepto cauſa eſt ut fiat: Hæc autem ſanctificatio cum eſſet corporalis, debebat fieri per ablutionem & abſterſionem ſordium corporalium, & per abſtinentiam ab uſu conjugali: quoniam etſi hujuſmodi non reddant homines ſecundùm ſe puros & ſanctos: valebant tamen, ut homines ſenſibiles per illa ſenſibilia quaſi manu ducerentur ad ſpiritualia, ſicque permoverentur ad munditiam interiorem per cordis contritionem. Ex voce, *hodie*, probabiliter colligi poteſt hæc non accidiſſe ſub veſperam diei, ſed vel mane vel circa meridiem; alioqui ſatis exigua videretur eſſe ſanctificatio iſtius diei. Atque ita cum Iſraelitæ venerint in Sinai die tertio menſis tertii, hæc videntur contigiſſe die quarto.

Qualis ſanctificatio.

[ *Laventque veſtimenta ſua*. ] Non jubet ut veſtimenta mutent, ſicut Geneſ. 35. Jacob mandavit ſuis domeſticis, tum quia ejuſmodi præceptum non potuiſſet obſervari in tanta populi multitudine, in qua non dubium eſt multos fuiſſe pauperes qui non habebant veſtes duplices: tum quia Deus volebat Hebræos in terram Chanaan inducere cum illis veſtibus, cum quibus eduxerat eos de Ægypto, ut patet ex Deut. 8. & 29. ubi dicitur quòd annis 40. veſtimenta eorum non fuerunt attrita, nec calceamenta pedum vetuſtate conſumpta.

[ ℣. 11. *Et ſint parati in diem tertium: in die enim tertia deſcendet Dominus* ] Non intelligitur dies tertia menſis, cum ea jam præteriiſſet; ſed tertia ab eo tempore quo Deus hæc loquebatur, quæ fuit ſexta menſis tertii, & quinquageſima ab egreſſu de Ægypto, excluſive; hoc eſt, excludendo ipſum diem egreſſionis, & computando à die ſequenti, ſive à ſecundo die azymorum.

[ *Deſcen-*

[ *Descendet Dominus*, ] Non locum mutando, sed cum gloriam seu maiestatem suam per novos sensibiles effectus revelando, tum faciendo ut ea moveantur in quibus vult se manifestare & præsentem declarare.

[ *Coram omni plebe* , ] Ut major esset authoritas legis promulgandæ, & strictior populi obligatio, dum singuli & audirent eam promulgari, & promptè susciperent.

Moralia. Cæterum si tantam Deus requisivit præparationem ad legem suscipiendam: quantò magis maxima requiritur ad sacramenta novæ legis ritè suscipienda? & quoniam per vestimenta moraliter significantur tum passiones animæ, tum opera, eò quòd illis anima nostra ornatur aut fœdatur, sicut corpus vestimentis: Ideo oportet nos lavare vestimenta nostra, id est, affectiones & opera habere munda: Abstinere quoque ab uxoribus, hoc est, viribus inferioribus dominari, & abstinere ab omnibus inhonestis ad quæ vires illæ per uxores significatæ possent nos trahere.

[ ℣. 12. *Constituesque terminos populo per circuitum* , ] Juxta hoc præceptum Moyses apud radices montis statuit quosdam limites, eosque aut perticis, aut aliis lignis munivit, ut populus eos non transgrederetur.

[ *Cavete ne ascendatis in montem, ne tangatis fines*] Seu extremitates & radices.

[ *Illius* : ] Pro reverentia divinæ præsentiæ ista jubentur, ut non sint curiosi accedere ad locum in quo Deus præsentem se exhibet.

[ *Omnis qui tetigerit montem, morte morietur*. ]Morte plectetur, vel à principe populi, vel à Deo: Solet enim Deus in peccatis quæ circa religionem aut neglectum debitæ reverentiæ erga ipsum committebantur, frequenter Hebræos subitò punire, ut patet ex Levit. 10. de Nabad & Abiu; ex 1. Reg. 6. de Betsamitibus; ex 2. Reg. 6. de Osa. Hinc est quòd non tantum si unus aut pauci montem tangerent, occidi deberet eo modo qui statim sequitur; sed quòd si vel omnes vel multi id facerent, significatur quòd Deus esset illos occisurus, versibus 21. & 24.

[ ℣. 13. *Manus non tanget eum* . ] Ne putarent Hebræi licitum sibi esse ad montem ingredi, ut eum qui contra Dei præceptum intrasset, apprehenderent & occiderent; hic statuitur nequaquam id fore licitum, & ordinatur qualiter talis prævaricator esset occidendus.

[ *Sed lapidibus opprimetur, aut confodietur jaculis*:] Per eos scilicet qui eminus in eum jacturi sunt lapides, aut jacula missuri.

[ *Sive jumentum fuerit, sive homo, non vivet* . ] Jumenti nomine non tantùm intelliguntur ea animalia bruta quæ juvare possunt homines in ferendis oneribus, ut sunt equi, muli, asini, cameli; sed generaliter, omnia animalia bruta sicut Psalm. 35. *Homines & jumenta salvabis Domine*: & Psal. 146. *Qui dat jumentis escam ipsorum*. Hinc Apostolus ad Heb. 12. ita citat; *Si bestia tetigerit montem, lapidabitur*. Ita porro fuit statutum, non ad puniendam bestiam quæ peccare non poterat, sed partim ad dominum qui bestiam suam non custodierat puniendum per ejus jacturam, partim ad majorem timorem ac reverentiam populo incutiendum, partim propter ipsius facti secundùm se spectati turpitudinem. Quoniam enim mons ille jam erat ex Dei præsentia sacer factus, non solùm turpe erat quòd homines ad eum irreverenter accederent, sed etiam quòd bestiæ quoquo modo.

Moralia. Moraliter bestia montem tangit, cum mens irrationalibus desideriis subdita, ad alta contemplationis se erigit; & quando quisque Majestatem scrutari vult: Sed lapidibus obruitur, quando opprimitur à gloria, Prov. 25.

[ *Cum cœperit clangere buccina; tunc ascendant* ] 70. opposito modo habere videntur; Cum voces, & tubæ, & nubes discesserint à monte. Alii ex Hebr. reddunt. Cum prolixum sonitum dederit buccina. Si per recessum tubarum non intelligamus totalem desitionem clangoris earum, sed quoad quemdam ejus modum; & clangere quod in textu nostro est, non accipiatur pro tubam quoquo modo insonare, sed pro lætiorem & prolixiorem sonum edere, omnes istæ versiones ad unum sensum revocari possunt q. d. Quia populus nescit quando debeat versus montem ascendere ut me audiat, ecce do vobis signum: Cum buccina desierit concisum & terrificum sonum edere, cœperitque lætiorem & productiorem sonare.

[ *Tunc ascendant in montem*. ] Non hic permittitur id quod paulò ante versu 12. fuit prohibitum, sed (*in*) ponitur pro (*versus*) & significatur quòd tunc debebant è loco castrorum ascendere versus montem, & ad radices ejus accedere, intra tamen terminos præfixos: Nam versu 17. ubi narratur impletum id quod hic jubetur, dicuntur stetisse ad radices montis. Buccina porro cujus in isto cap. fit mentio, non fuit cornea, aut ex aliqua simili materia, sed sonus ab Angelo in aere formatus, buccinæ speciem ac sonum referens, per buccinam seu buccinæ clangorem significatur.

[ ℣. 14. *Descenditque Moyses de monte ad populum, & sanctificavit eum*. ] Jubendo scilicet lavari vestimenta, & abstinere ab uxoribus, sicque se disponere ad legem die tertio reverenter suscipiendam. Quamvis enim actus conjugalis de se sit licitus, quia tamen post peccatum primi parentis, atque adeò post peccatum nostrum originale, semper conjunctam habet aliquam turpitudinem, ideo inter corporales munditias meritò ponitur abstinentia ab ejusmodi actu.

[ ℣. 16. *Jamque advenerat tertius dies*, ]Qui erat sextus mensis tertii, & quinquagesimus ab egressu de Ægypto.

[ *Cœperunt audiri tonitrua*,] In Heb. dicitur, *voces*: sed vocum nomine scriptura frequenter intelligit tonitrua quæ sunt quasi voces Dei.

[ *Ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat*:] Angelorum ministerio hæc omnia sunt facta, idque ad divinæ Majestatis illic apparentis declarationem, & ad conciliandum in animis Hebræorum Dei reverentiam ac tremorem. Cum enim populus ille esset valde rudis, per talia commoveri debuit, quamvis alioquin Dominus non veniat in spiritu seu vento vehementi, neque in commotione seu motu terræ, neque in igne, id est, fulmine, sed in sibilo auræ tenuis 3. Reg. 19.

[ ℣. 18. *Totus autem mons Sinai fumabat: eò quòd descendisset Dominus super eum in igne*, ] Deut. 4. dicitur mons arsisse usque ad cœlum: Et ob hanc causam Deut. 33. lex in monte data, vocatur *ignea lex*. Sciendum ergo quòd sicut in fornace conspicitur flamma, & ignis, ac insuper fumus necdum accensus, sed eum igne convolutus; ita in hoc monte Angelus produxit ignem fumo mixtum, eumque valde grandem.

[ *Eratque omnis mons terribilis* . ] Alii ex Hebr. vertunt, expavit sive commotus est omnis mons. Estque id conforme Psalmo 67. ubi legimus: *Terra mota est, etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai*. Ista autem varietas ex punctorum in lingua Hebræa nascitur diversitate, neque aliquid officit sensui; eum mons ex hoc ipso quòd commoveretur, terrorem incuteret. Quænam hic terrorem incuterent.

Multa autem fuerunt quæ insignem timorem ac horrorem populo incutiebant. Primum fuit ipsa montis commotio. Secundum, quòd mons ingenti igne arderet, ac fumus de illo sicut de fornace ascenderet. Tertium, quòd horrenda tonitrua audirentur, & micantia conspicerentur fulgura. Quartum, nubes densissima montem operiens. Quintum, clangor buccinæ vehementissimè perstrepens. Sextum, ventus impetuosus, & procella ac pluvia, de quibus ad Hebr. 12. ubi Apostolus notat turbinem & procellam; & Psalm. 67. ubi dicitur quòd *cœli distillaverunt*. Ex Deut. etiam 33. apparet adfuisse multos Angelos, ita ut præter illum qui Deum repræsentabat, ac in persona Dei loquebatur, aliquot Angelorum millia præsentes essent qui ei assistebant.

[ ℣. 19. *Moyses loquebatur* , ] Ex inferiore scilicet montis loco, ubi cum populo stabat ad radices montis:

[ *Et Deus respondebat ei*. ] De loco nimirum eminentiore, seu de monte. In Hebræo dicitur quòd *Deus respon-*

*reſpondebat ei in voce*; conſentiuntque Interpretes 70. per quod ſignificatur quod voce ſenſibili colloqueretur Deus cum Moyſe, Hebræis videlicet eum audientibus. Quid loqueretur Moyſes, Quidve Deus reſponderet, ignotum eſt.

[ ℣. 20. *Deſcenditque Dominus ſuper montem Sinai, in ipſo montis vertice,* ] Hoc eſt, ad verticem montis. Prius deſcenderat Deus ſuper montem, ut habetur verſu 18. ſed vult ſurſum elevatus, in acre ſublimis conſiſtebat; nunc autem ad ipſum montis verticem deſcendit.

[ *Et vocavit Moyſen in cacumen ejus* . ] Ut ibi cum eo loqueretur ſeorſim à reliquis, populo non audiente. Poſtquam verò quoddam inter eos colloquium fuit habitum.

[ ℣. 21. *Dixit ad eum: Deſcende, & conteſtare populum:* ] Illi ſeverè præcipe.

[ *Ne fortè velit tranſcendere terminos*,] Id eſt, ne terminos præfixos tranſcendat, aut ſaltem conetur tranſcendere.

[ *Ad videndum Dominum*,] Ex curioſitate videndi Deum, aut ſpeciem Dei loquentis:

[ *Et pereat ex eis plurima multitudo*. ]Hoc eſt, ſi tranſcendat, peribit, me pœnam mortis, quam tranſgreſſoribus fui comminatus, illis inferente. Lapidibus quidem obruendi erant tranſgreſſores aut jaculis confodiendi, ſi hoc poſſet commodè fieri: At ſi plurima multitudo ad montem intraſſet alii non commodè potuiſſent omnes illos ita interficere, ſed Deus eos occidiſſet.

[ ℣. 22. *Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum,* ] Sive, quorum officium eſt accedere ad Deum, orando & ſacrificando pro populo. Necdum hoc tempore conſtituti erant ſacerdotes Aaronici: & idcirco veriſimile eſt ſermonem eſſe de ſacerdotibus juxta legem naturæ, in qua ſacerdotes erant principes familiarum & primogeniti.

Qui tunc eſſent ſacerdotes.

[ *Sanctificentur*, ] Eo modo quo de reliquis fuit ſuperius ordinatum: quod propterea fuit exprimendum, ne ipſi exiſtimarent præceptum de ſanctificatione prius datum, ad ſe non pertinere ex eo quòd ratione ſacri miniſterii communiter habebantur ſanctiores & puriores, quàm alii.

[ ℣. 23. *Dixitque Moyſes ad Dominum: Non poterit vulgus aſcendere in montem Sinai: tu enim teſtificatus es & juſſiſti,* ] In Hebr. non legitur, & juſſiſti, uti nec apud 70. Putatur autem interpres addidiſſe ad explicandam vim & ſignificationem iſtius, teſtificatus es: quod tam hic, quàm verſu 21. (ubi in Hebr. idem eſt verbum) ſignificat præcipere, ſicut etiam Deuter. 32. *Ponite corda veſtra in omnia verba quæ ego teſtificor vobis hodie*. Et hinc eſt, quòd teſtimonia paſſim pro præceptis ponatur Pſ. 118. & alibi, eò quòd Deus per præcepta, teſtatur quid velit. Senſus autem hujus loci eſt. Non audebit vulgus aſcendere, cum ſub pœna mortis id ei prohibueris. Ita reſpondit Moyſes colloquium cum Deo continuare cupiens, & oſtendere ſuum deſcenſum non eſſe neceſſarium. At Deus, qui populi curioſitatem & temeritatem noverat, præceptum repetit.

[ *Et ſanctifica illum*: ] Scilicet montem: Id eſt, eum ab acceſſu populi ſepara, & declara quòd propter præſentiam Dei ſit ſanctus, quem proinde non licet cuivis attingere. Quomodo Joſue 5. dicitur *Solve calceamentum ſuum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, ſanctus eſt*.

[ ℣. 24. *Cui ait Dominus: Vade, deſcende:* ] Ad teſtificandum populo ne aſcendat, ac etiam ſacerdotibus.

[ *Aſcendeſque tu & Aaron tecum* . ] Quando id fuerit impletum, ambigitur. Non apparet ſermonem eſſe de aſcenſu qui infra cap. 24. deſcribitur, quia ibi non ſoli Moyſes & Aaron aſcenderunt, ſed Nadab quoque & Abiu, & ſeptuaginta ſeniores. Sed nec videtur agi de aſcenſu ad locum caliginis, quia quando Deus ex iſto loco ad populum loquebatur præcepta Decalogi, Moyſes erat cum populo infra montem, aut ſaltem non procul ab eo ſtatim enim inveniuntur ad invicem locuti, & populus quidem dicebat, *Loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur* . Moyſes autem reſpondebat, *Nolite timere, ut enim probaret vos, venit Deus*: Et demum poſt hæc Moyſes acceſſit ad caliginem, ut patet ex cap. ſeq.

Dicendum ergo cum Abulenſi, quòd poſtquam Moyſes deſcendit ad conteſtandum populum & ſacerdotes, ſtatim cum Aarone aſcendit; at non ad ſupremitatem montis, ſed ad aliquam ejus partem, ita quod ibi exiſtens à populo ad radices montis ſtante diſtaret, ac nihilominus ab eo videretur, poſſentque loqui ad invicem. Dum autem ibi eſſent, audierunt unà cum populo promulgari Decalogum; & ea promulgatione facta; habitiſque ſermonibus inter Moyſen & populum, Moyſes acceſſit ad caliginem in qua erat Deus, ut dicitur cap. 20. Aaron autem ibi manſit donec omnes remiſſi fuerunt ad caſtra, Deo ad Moyſen dicente Deut. 5. *Vade & dic eis; Revertimini in tentoria veſtra*.

## C A P U T XX.

*Toti populo ad montem conſiſtenti Deus per Angelum dat præcepta decalogi. Populus autem terrore divinæ majeſtatis perculſus petit non Dominus eis loquatur, ſed Moyſes. Deus jubet fieri altare.*

[ ℣. 1. LOcutuſque eſt Dominus cunctos ſermones *hos*: ] Poſtquam populus fuit diſpoſitus & ſtetit ad radices montis intra terminos conſtitutos; Moyſes autem & Aaron eos tranſcenderant, aliquouſque aſcendentes in montem: Angelus alta & ſonora voce, ita ut ab univerſo populo poſſet audiri, cœpit legem ferre; & Decalogum promulgare dicitur tamen Dominus eſſe locutus; partim ne tantus actus, quantus eſt dare legem, attribueretur Angelo; & ne Hebræi putarent ſe Angelo tamquam legiſlatori eſſe obligatos: partim, quia Angelus non loquebatur in ſua perſona, ſed in perſona Dei. Fuiſſe autem Angelum qui paſſim cum Moyſe eſt locutus, quique legem Decalogi tulit; cum B. Thom. probavimus 1. 2. qu. 98. art. 3. manifeſtum eſt ex Actor. 7. ubi Moyſes legitur fuiſſe *cum Angelo qui loquebatur ei in monte Sinai*; itemque ex c. 3. ad Galat. ubi lex dicitur *ordinata per Angelos*; & ex his verbis cap. 2. ad Hebr. *Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus* &c.

Fuit Angelus qui legem tulit.

Cum dicitur, *cunctos ſermones hos*, non demonſtrantur omnia præcepta quæ ſequuntur; (ſic enim etiam ceremonialia & judicialia ſignificarentur fuiſſe data populo, non per Moyſen, ſed immediatè per Deum, ſeu per Angelum ex Dei perſona loquentem, cum tamen ſola Decalogi præcepta, ſic fuerint data, reliqua verò per Moyſen: ) ſed demonſtrantur cuncti ſermones qui ſequuntur uſque ad illud, *Cunctus autem populus* verſu 18. id eſt, omnia præcepta decalogi.

[ ℣. 2. *Ego ſum Dominus Deus tuus*, ] Etſi Angelus ſit qui loquitur, nihil tamen dicit falſum. Sicut enim dum prorex mandata ſui regis promulgat, eaque ex perſona regis concepta ſeu ſcripta ſic legit, ego Rex hæc aut iſta jubeo & ſtatuo, non dicit quidquam falſi, quia loquitur ex nomine ſeu perſona regis; ita Angelus perſonam Dei repræſentans nihil hic falſum dicit, quia loquitur ex Dei nomine, & quia is, cujus vicem gerit, verus eſt Deus;

[ *Qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſervitutis* ] Idcirco Deus iſta beneficia à ſe populo Hebræorum præſtita commemorat, prius quàm legem eis promulget, ut indicet quanto titulo habeat ipſos ſibi ad obediendum obligatos, præter alios titulos qui ſunt communes cum omnibus gentibus, nempè creationis, conſervationis, & gubernationis. Lex porro quam Deus hic tulit ac promulgavit, juxta communem veterum & recentiorum ſententiam, decem præcepta continet, unde & Decalogi nomen ſumptum eſt: quæ præcepta Deut. 4. & 10. vocantur decem verba, phraſi communi, ſecundùm quam verba ponuntur pro ſententiis.

Cur decem verba.

Quodnam verò ſit primum Decalogi præceptum ambiguè loquuntur quidam. Hebræi volunt his verbis contineri, *Ego ſum Dominus Deus tuus*: quæ etſi nullum exprimant verbum præceptivum, eum tamen juxta illos ſenſum habent, ego ſolus haberi & coli debeo tamquam verus Deus.

Quod ſit primum Decalogi præceptum.

Moven-

Moventur autem, quia ad omnium divinorum præceptorum observantiam præsupponendum est, eum qui illa jubet, esse Deum, & antequam aliquis possit aliis præcipere; oportet quòd ab ipsis recipiatur pro superiore: ergo prius quàm Deus alia præcepta ferret Hebræis, oportebat per hæc verba, *Ego sum Dominus Deus tuus*, eum jubere ut crederent ipsum esse Deum, eorumque propterea superiorem. Verùm ista C. nullius est momenti. Jam enim ante istorum verborum prolationem Hebræi crediderunt quòd is qui eduxit eos de Ægypto, esset verus Deus, ac specialiter ipsorum Deus cap. 14. *Timuitque populus Dominum & crediderunt Domino & Moysi servo ejus.* Et c. 16. *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est*. Cap. quoque 19. fassi fuerunt se velle esse subditos imperio Dei, dicentes: *Cuncta quæ locutus est Dominus faciemus.*

Quare communis sententia de qua B. Thom. 1. 2. q. 100. art. 4. ad 1. & 2. 2. q. 16. art. 1. c. retinenda est: hæc verba *Ego sum Dominus Deus tuus*, propriè non esse præceptum, sed quoddam præambulum aut præfationem ad præcepta Decalogi, quæ ostendit quis sit ille qui præcipit, simulque continet rationem, partim quare sit ei obediendum, partim quare Deus sit colendus, & non idola. Potest quidem illa præfatio sic intelligi ut tacitè comprehendat esse credendum Deo, Deumque esse colendum, sed non ideo statuenda est esse unum particulare præceptum, cum in ejusmodi verbis æquè intelligi possit tacitè juberi ut speremus in Deum, ut Deum amemus, ut ipsum timeamus, ipsique obediamus, atque ut in eum credamus & ut eum colamus. Qua ratione ista præfatio potius continet generale quoddam præceptum, & rationem omnium aliorum præceptorum, quàm sit unum particulare.

Primum igitur Decalogi præceptum incipit in verbis seqq. & habet duas partes Prior est hæc v. 3.

[ ℣. 3. *Non habebis deos alienos coram me.*] Q. d. me solum habebis & adorabis pro vero Deo, nullos verò alios deos habebis, vel coles. Quod non ita dicitur, quasi sint aliqui alii dii, sed quia hoc perversitas humanæ mentis sibi confinxit.

*Qui dii alieni.* Alienos ergo, idem est quod alios: nam & Hebræa & Græca vox non propriè alienum significat, sed alium vel alterum. Ubi notandum ex Hebræo verti posse in singulari, non erit tibi Deus alius, ne quis existimet solam aliorum deorum pluralitatem hic vetari.

Et cum dicitur, *Non habebis*, futurum pro imperativo ponitur; *Ne habeas*, frequens enim est Hebræis uti futuro indicativi, pro imperativo. Illud, *coram me*, sive ut est Deut. 5. *in conspectu meo*, significat nullo umquam loco vel tempore licitum esse habere alium Deum; quia Deus omni tum loco tum tempori præsens est. Emphasim autem habet illa adjectio, quia longè gravius est, utpotè ad contumeliam pertinens, alicui coram & ante ipsius oculos honorem auferre, atque in alium transferre, quàm si clam id faceret.

*Sanctorum invocatio non adversatur primo Decalogi præcepto.* Ex his intelligi potest Sanctorum venerationem & invocationem nequaquam huic præcepto adversari, quamvis hæretici quidam ita voluerint: quoniam Ecclesia neque Sanctos habet aut veneratur tamquam Deos, sed ut Dei servos & amicos; neque permittit ut fideles eis exhibeant honorem qui soli Deo convenit, sed longè inferiorem, eum videlicet quem novit tribuendum esse conjunctissimis Dei amicis, quemque 2. 2. qu. 103. art. 3. & 4. diximus vocari duliam.

[ ℣. 4. *Non facies tibi sculptile*,] Hæc est posterior pars primi præcepti, eaque prioris partis explicativa. Quod enim *dictum est* (ait Aug. q. 71. in Exod.) *Non erunt tibi dii alii præter me, hoc ipsum perfectius explicatur, cum prohibentur colenda figmenta*. Certum quippe est quòd qui sculptilia faciunt ut illa adorent, alium Deum sibi statuunt præter Deum verum. Septuaginta pro sculptili habent, *idolum*, estque id conforme his quæ v. 23. dicuntur, ubi ista verba, *Non facies tibi sculptile*, sic explicantur: *Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis*. Et Levit. 26. *Non facietis vobis idolum & sculptile*. Sicut ergo in priori parte hujus præcepti prohibentur alii dii in genere; ita hac posteriori vetantur fieri idola seu deorum simulachra, quæ pleraque solebant sculpi aut dolari in statuas. Per idolum autem intelligitur simulacbrum ejus qui habetur Deus, tamen non est Deus, sive interim Deus in imagine repræsentatus habeatur Deus, sive etiam ipsa imago.

*Non prohibentur sacræ imagines.* [ *Neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra.*] Id est, nec ullam imaginem cælestium, terrestrium, aut aquatilium, quæ nimirum habeatur pro Deo. Unde per hoc præceptum, neque Dei, neque Sanctorum imagines prohibentur, quales in Ecclesia solent haberi: quia non simpliciter prohibetur ne faciamus quamcumque similitudinem, seu imaginem cujuscumque rei, sed ne faciamus vel habeamus tamquam deos, sive ad cultum divinitatis. Hoc enim vult illa clausula.

[ ℣. 5. *Non adorabis ea*, ] Ipsis tamquam diis te inclinando.

[ *Neque coles*; ] Oblationibus, festis, aut sacrificiis, q. d. non ea facies, ut adores aut colas: sive ut cultum divinitatis eis impendas. Quæ expositio ex Levit. 26. probatur, ubi istud præceptum his verbis repetitur, *Non facietis vobis idolum & sculptile, nec titulos erigetis, nec in signum lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum*: Imagines autem quæ in Christianorum Ecclesiis sunt, neque habentur neque adorantur vel coluntur tamquam dii.

Quapropter etsi quidam aliter opinati fuerint, verisimilius est per hoc præceptum ne Judæis quidem prohibitum fuisse sacras imagines habere aut venerari: sicut diximus 2. 2. q. 94. art. 2. ad 1. quamvis ipsos posterioribus præsertim temporibus ab illis abstinuisse non sit negandum. Hoc enim præceptum totum est juris naturæ, ut ex Aug. & aliis ostendimus 2. 2. q. 122. art. 2. Jure autem naturæ neque imagines sunt prohibitæ, neque sacrarum imaginum cultus honorarius. Unde Num. 21. Deus serpentem æneum fieri jussit, qui postmodum à piis ducibus & regibus fuit servatus usque dum propter abusum fuit contractus 4. Reg. 18. Ipse quoque in tabernaculo fieri voluit Cherubim Exod. 25. quos etiam Salomon in templo fieri curavit 3. Reg. 6. simulque imagines boum & leonum 3. Reg. 7. neque est quòd hoc aliquis Salomoni vitio vertat; cum Salomon totius ædificii formam à patre acceperit; pater autem à Deo, ut ex 1. Paralip. 28. patet. His addi potest quòd & ipse Deus sui imaginem corpoream objecit oculis Abrahæ Gen. 18. Jacob Gen. 32. Moysi & aliis pluribus in veteri testamento.

Sed quæres, si quis faceret aut fieri juberet idola, non ut cultum divinum eis impenderet, sed alias ob causas: An non peccaret contra hoc præceptum.

Videri potest quòd non, quandoquidem non faceret similitudinem vel imaginem ad adorandum vel colendum.

Resp. graviter peccaturum, & quidem contra primum præceptum si faceret idola formaliter, hoc est, ad significandum quidpiam esse Deum aut Dei similitudinem quod vel omnino non est, vel saltem non est Deus, neque vera Dei similitudo: ut enim scripsit Tertull. cap. 4. de Idololatria: *Idolum tam fieri quàm coli Deus prohibet. Quantò præcedit ut fiat quod coli possit, tanto prius est ne fiat si coli non licet.*

Probatur 1. quia hoc præceptum præter hoc quòd prohibet fieri quascumque similitudines ad cultum divinum eis impendendum, etiam prohibet haberi vel fieri idola, formaliter ea accipiendo, ut ex dictis ad versum 4. liquet.

*Ut prohibeatur fieri idolum.* Prob. 2. quia hoc ipso quo aliquis sic idola faceret, vel fieri juberet, quemdam divinum cultum eis exhiberet in animo: existimare enim aliquid esse Deum, & ipsum habere pro Deo, est quidam cultus interior, isque divinus; sicut è contrario peccatum esset cultui divino oppositum, si quis mente nollet habere pro Deo eum qui verus Deus est, quamvis non recusaret ipsi cultum exteriorem impendere. Si quis autem idola faceret seu fieri juberet, neque ad cultum eis exhibendum neque illa reputans esse deos vel Dei similitudines, sed ad infamandam aut irridendam gentium stultitiam qui talia deos esse putaverunt,

verunt, non peccaret cessante omni periculo scandali; quia non faceret idola formaliter. Conferri possunt quæ dixi 2.2. qu.122. art.2.

[ *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes*, ] Rationem dat, cur idola idolorumque simulachra coli non debeant, nimirum quia ipse solus est verus Deus; & quidem *fortis*, ut punire possit omnes qui honorem ei soli debitum ausi fuerint in alium transferre; & *Zelotes*, ut eos punire velit. Pro fortis, zelotes, Hebræa & Græca habent, Deus zelotes: neque tamen noster interpres malè posuit fortis: quoniam *El* quod est in Hebræo, & Deum & fortem significat, potestque utroque modo reddi, quemadmodum tradit Hieron. epistola 136. Dicitur autem Deus zelotes, quia ferventem sui honoris zelum habet, ut proinde bonis cumulet eos qui ipsum honorant, puniat verò illos qui eum inhonorant.

Cur Deus dicitur zelotes.

[ *Visitans iniquitatem patrum in filios*, ] Hoc est, reddens seu infligens pœnam iniquitatis patrum, filiis ipsorum: q. d. Ita sum fortis & zelotes, ut quamvis non semper statim pœnas inferam, postea tamen graviter punio peccata Patrum, non tantùm in ipsis, sed etiam in eorum filiis.

Ne autem huic loco contrarius putetur esse alius Ezech. 18. ubi asseritur quòd *filius non portabit iniquitatem Patris*; 1.2. qu.87. art.8. ad 1. diximus sermonem hic esse de filiis qui peccata parentum imitantur; quæ est expositio sanctorum, Hieronymi in cap.18. Ezech. Aug. l. contra Adimantum cap.7. Gregorii l.15. Moral. cap. 22. fundata in textu sacræ scripturæ, qui post illa verba, *visitans iniquitatem Patrum in filios*, subjicit, *eorum*, sive (ut alii ex Hebr. & Græco vertunt) *iis qui oderunt me*: Apud Ezechielem verò agitur de filio qui parentum peccata non sequitur, sed per bonam vitam Deo placere satagit. Nam Judæi ad quos ibi est sermo, conquerebantur se cum essent seu potius sibi viderentur esse innocentes & innoxii, propter sola parentum peccata puniri, dicentes: *Patres comederunt uvam acerbam*, id est, peccaverunt, & *dentes filiorum obstupescunt*.

Si objicias, quandoque pro peccatis parentum puniri filios parvulos qui non potuerunt parentum peccata imitari, ut quando tota familia cum pueris & infantibus deletur, sicut in Sodomitis Gen.19. in Jericho Josue 6. & alibi, ergo hujus cap. sententiam restringi non posse ad filios imitantes peccata parentum. Resp. Neg. Cons. etsi enim peccatis parentum ita merentibus aliquando simul cum parentibus aut etiam pro parentibus, interficiantur parvuli; tunc tamen Deus non propriè punit filios, sed potius punit parentes in filiis tamquam in re quæ est ipsorum, & ex cujus amissione solent vehementer affligi: in præsenti autem cap. Deus significat se punire filios seu posteros parentum peccatorum & non solos parentes, idque partim pro peccatis parentum, partim pro peccatis posterorum: non sic quidem, quasi posteros puniat gravius quàm propria ipsorum peccata mereantur, sed quia gravius illos punit, quàm punivisset, si soli posteri peccassent, & parentum eorum peccata non præcessissent.

[ *In tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me*: ] Non simpliciter dicit, in tertiam & quartam generationem, sed cum addito, *eorum qui oderunt me*, quod tam ad parentes, quàm ad filios referendum est: quasi diceretur, puniens iniquitates parentum non in ipsis tantum parentibus, sed in eorum quoque filiis in tertiam & quartam generationem, id est, in nepotibus ac pronepotibus, si & ipsi mali sint. Quamvis enim non omnes mali Deum propriè oderint, cum odium Dei sit peccatum specie distinctum ab aliis; omnes tamen mali quodam modo dicuntur odisse Deum, quia in omni peccato mortali participativè includitur odium Dei, in quantum omne mortale peccatum importat aversionem à Deo, & violationem charitatis ejus: quemadmodum enim qui habet mandata Dei & servat ea, Deum diligit Joan. 14. ita qui legem Dei prævaricatur & præcepta ejus non custodit, eum odisse meritò dicitur. Ideo autem dicitur in tertiam & quartam generationem partim quia parentes videre possunt filios in tertiam & quartam generationem, atque ita videndo pœnas ipsorum, simul affligi; partim quia filii eousque videre possunt parentes superstites peccantes, eosque imitari.

[ ℣. 6. *Et faciens misericordiam in millia* ] Id est, benefaciens in plurimas generationes sine fine & termino.

[ *His qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea*, ] Si nimirum ut parentes, ita ipsorum posteri in amore Dei, & præceptorum ejus observatione permanserint: Tunc enim Deus benè facit & ipsis parentibus; & propter parentes, illorum posteris sine fine. Ubi Deus rectè intelligitur significare quòd copiosior sit in benefaciendo quàm in puniendo.

[ ℣. 7. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, ] Istud est secundum Decalogi præceptum quo prohibetur Deus ac Dei nomen irreverenter tractari, sicut primo præcepto vetitum fuit honorem soli Deo debitum alteri deferre. Sunt qui per vanum intelligunt idolum, ut assumere nomen Dei in vanum; vel (ut est apud 70.) in vano, sit idolo divinitatem tribuere. Sed quia per primum præceptum hoc sufficienter fuit prohibitum, alia est quærenda expositio. Per nomen Dei non tantùm intelligitur nomen tetragrammaton Jehova; sed generaliter omne nomen quo possumus Deum nominare, seu supremam ejus majestatem designare, ut est omnipotens, rex regum, Dominus exercituum, fortis, & alia id genus quæ in scripturis leguntur; & quæ omnia parem eamdemque habent venerationem, ratione rei per illa significatæ. In vanum autem assumitur nomen Dei, quando usurpatur ad asserendum rem falsam; aut veram quidem, sed exiguam; aut veram & magnam, sed sine reverentia ipsi debita. Etsi enim primum ac præcipuum quod isto præcepto prohibetur, sit perjurium in quo vanè, id est, falsò nomen Dei assumitur, simul tamen vetatur omnis irreverentia & abusus nominis Dei. Unde contra hoc præceptum peccant non solùm qui pejerant, sed etiam qui leviter, vel super re indebita jurant, qui temere vovent vel vota non implent, qui blasphemant vel quovis alio modo irreverenter tractant nomen Dei.

Quid in vanum assumere nomē Dei.

] *Nec enim habebit insontem Dominus* ] 70. Non enim mundabit Dominus, id est, non habebit pro innocente ac mundo, adeòque nec impunem dimittet.

[ *Eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra*. ] Seu in vanum, quod Deut. 5. ita explicatur, *quia non erit impunitus qui super re vana nomen ejus assumpserit*. Quibus verbis per litoten, minus dicitur & plus intelligitur; significatur enim quòd Deus talem reputabit valde sontem seu nocentem, ac propterea gravissimè puniet: quomodo terram Israel fame triennali punivit, ob violatum juramentum Gabaonitis præstitum, 2. Reg. 21. & Sedeciam regem Juda cum suis vehementer etiam castigavit propter violationem juramenti Ezech. 17.

Cæterum quare Deus tam huic quàm præcedenti præcepto minas adjecerit; ratio est tum rei præceptæ gravitas, tum ut pœnæ ac supplicii terror peccandi licentiam coerceret.

[ ℣. 8. *Memento ut diem sabbati sanctifices*. ] Tertium hoc est decalogi præceptum, in quo postquam Deus in primo præcepto prohibuit transfugere ad Deos alienos; & in secundo omnem sui irreverentiam; convenienter nunc præscribit cultum qui ab hominibus debet illi exhiberi. Sensus autem est. Ne obliviscaris sed magna animi vigilantia ad hoc incumbe ut diem sabbati sanctè colas: & per diem sabbati intelligitur septimus dies: non quòd sabbatum significet septimum, cum certum sit significare quietem; sed quia scripturæ consuetudine sabbati nomen appropriatum est diei septimo, in quo per singulas septimanas oportebat quiescere.

Additum est huic præcepto verbum, *Memento*, quòd cæteris non additur: propter tria. Primum est, quia adhuc antea fuerat facta sabbati mentio, scilicet Gen. 2. & Exod. 16. sicque monebantur Hebræi rememorare rem de qua prius audierant. Secundum, quia non obligat ad semper, sed solùm certo die, interruptio autem temporis solet oblivionem inducere. Tertium, quia hoc præceptum quoad diei determinationem non est scriptum in corde hominis, sicut reliqua: Cùm enim omnia alia decalogi præcepta simpliciter sint legis naturæ, istud prout in decalogo exprimitur, partim est legis naturæ, atque adeò morale; partim legis positivæ & sic ceremoniale.

Cur additum, memento.

Secun-

Secundùm substantiam quidem est legis naturæ, quia lex naturæ dictat aliquod tempus deputandum esse divino cultui, licèt non dictet quodnam illud sit: Sed secundùm temporis determinationem, qua jubetur quis dies sit cultui Dei deputandus, est legis positivæ. Et consequenter hoc præceptum non cessat apud Christianos, quoad illam partem quæ est juris naturæ, cessat tamen quoad eam quæ est legis positivæ. Tenentur quippe Christiani juxta legis naturæ præscriptum aliquo tempore vacare divino cultui, & externo; sed non tenentur ut die sabbati id faciant, potius quàm alio; quia quantum ad istius diei determinationem præceptum erat ceremoniale, estque jam abolitum; Abrogata enim lege ceremoniali per Christum, abrogatum quoque fuit præceptum de colendo die septimo, Cujus loco diem octavum quem à Christi Domini resurrectione dominicum dicimus, Ecclesia sic ab Apostolis instructa celebrat: Quoniam etsi uno per annum die qui Pascha dicitur, resurrectionem dominicam solemniter recolat; ne tamen illius beneficii nobis aliquando subrepere possit oblivio, voluit singulis septimanis, unius diei celebratione, ejusdem memoriam perpetuò renovari.

[ ℣. 9. *Sex diebus operaberis & facies omnia opera tua.* ] Q. d. Si qua tibi facienda sunt, in sex diebus illa operare.

[ ℣. 10. *Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est;* ] Deo ejusque cultui dicatum & deputatum.

[ *Non facies omne opus in eo,* ] Id est, nullum opus facies. At per opus non intelligitur, ut Judæi superstitiosè volunt, quodlibet opus etiam misericordiæ & necessitatis, quasi esset illicitum sabbato visitare infirmos, juvare proximum, sanare saucium; sed opus servile, quod nimirum per servos fieri solet, cujusmodi sunt opera mœchanica & fabrilia, item onera portare die sabbati, ut patet ex 2. Esdræ ult. & Jer. 17. Huc etiam pertinet mercatus eodem c. ult. quia quamvis emere & vendere non sit propriè opus servile, animum tamen ita distrahit, ut eum reddat quasi servum rerum terrenarum.

An autem succendere ignem ad parandos cibos, eosque parare, esset opus quod tamquam servile prohibitum esset in sabbato. Resp. fuisse quidem prohibitum in sabbato, sed per legem specialem infra cap. 35. unde apparet quòd non censeretur prohibitum hoc ipso quo prohibebatur opus servile; uti nec in aliis festis erat prohibitum. Cæterum quòd opera necessitatis licita essent etiam in sabbatis, satis indicavit Christus Luc. 13. ubi de bove & asino adaquando loquitur.

[ *Servus tuus & ancilla tua, jumentum tuum,* ] Jumenti fit expressa mentio, quia jumentum non potest per se solum facere opus, sed homine indiget qui illud agat & dirigat: ac proinde necessarium fuisset hominem aliquem laborare, si permissum fuisset adhibere jumenta operi. Quia ergo nemini tunc licebat laborare, jumenta quoque quiescere oportebat.

Duo hic quæri possunt. Prius, quare Deus præceperit Hebræis observationem sabbati.

Posterius, cujusmodi esset sanctificatio sabbati quam lex requirebat, & in quo consisteret.

Ad prius Resp. aliquem diem fuisse à Deo determinandum qui ejus cultui dicaretur: quia rudi populo minus expediebat habere facultatem temporis pro arbitratu suo deligendi, ne Ægyptiorum sacra imitaretur: Determinavit autem Deus diem septimum, Primò in memoriam creationis mundi in qua sex diebus omnia creavit, & in septimo quievit à novis creaturis condendis, ut ait B. Th. opusc. 4. Quæ ratio tum hic tum Gen. 2. indicatur. 2. ut admonerentur ac meminissent se Dei auxilio liberatos de durissima servitute Ægypti; id quod probabile est contigisse pridie sabbati. Hanc rationem exprimit scriptura Deut. 5. his verbis, *Memento quod & ipse servieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti & brachio extento. Idcirco præcepit tibi ut observares diem sabbati.* 3. ut servis & ancillis post labores sex dierum septimanæ, quies daretur in ultimo die, ne alioqoin opprimerentur per labores nimis continuos. Unde Deut. 5. dicitur, *ut requiescat servus tuus & ancilla tua, sicut & tu.* 4. Ut sabbati observatio esset signum quòd Hebræi erant peculiaris populus ad cultum Dei electus, *Ut sciatis quia ego Dominus qui sanctifico vos,* ait infra c. 31. 5. Ut significaretur rum spirituale tum cœleste sabbatum; spirituale est, quando quiescimus à vitiis & exercemur in actionibus quæ ducunt ad Deum aliquando obtinendum; cœleste autem est in vita æterna.

Ad posterius Resp. sanctificationem sabbati, quam lex requirebat, sitam fuisse in requie ab omni opere servili; ut ex verbis hujus cap. liquet. Quia tamen Deus hominis otio per se non delectatur; Ideo non simpliciter suo populo præcepit ut sabbato cessaret ab omni opere servili, sed ut ea cessatione & quiete protestaretur exterius se gratias agere Deo, qui & hominem & alia propter ipsum sex diebus creavit, & requievit die septimo, sicque ex operibus sex dierum seu ex toto mundi opificio incitaretur ad requiescendum in Deo sanctificatore suo: propterea namque sequitur.

[ ℣. 11. *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, &c. & requievit die septimo,* ] requirebat igitur sanctificatio sabbati duo hæc; ut & ab opere servili abstineretur, & divino cultui tam interiori quàm exteriori vacaretur. Unde Judæi solum ab opere servili cessantes, nihil autem quod ad Deum colendum pertineret facientes, evadebant quidem pœnam mortis quæ facienti opus in sabbato statuitur infra cap. 31. & 35. revera tamen sabbatum non servabant. Quid requirebat sanctificatio sabbati,

[ *Idcirco benedixit Deus diei sabbati, & sanctificavit eum.* ] Intelligi potest hæc fecisse Deus statim in mundi exordio; non quòd tunc legem tulerit de sabbato servando; sed quia istum diem statuerit suo cultui dedicare, & prærogativas quasdam insignes ei conferre, quod erat benedicere; & quia voluerit eum aliquando à reliquis diebus velut sacrum à profanis separare, quod erat sanctificare.

Ex his observare possumus cum B. Thoma 2. 2. qu. 122. art. 4. sabbatum Judaicum fuisse quadruplex signum, juxta quadruplicem sensum Sacræ Scripturæ. Nam historicè seu litteraliter fuit signum rememorativum quietis Dei ab universo opere creationis mundi: Allegoricè fuit signum quietis Christi in sepulchro quæ fuit septima die: Moraliter significat cessationem ab omni actu peccati, & quietem mentis in Deo: Anagogicè præfigurat quietem fruitionis Dei quæ erit in patria. Quadruplex significatio sabbati.

[ ℣. 12. *Honora patrem tuum & matrem tuam,* ] istud est quartum Decalogi præceptum, quod immediatè ponitur post præcepta ordinantia nos in Deum, propter affinitatem bujus præcepti ad illa. Nam parentes sunt particulare principium nostri esse, sicut Deus est universale principium, ait B. Thom. 2. 2. quæst. 122. articul. 5. Honora parentes, est reverentiam & obedientiam eis præstare, & cum opus fuerit, necessaria ad victum suppeditare. Honoris enim nomine hæc tria, reverentia, obedientia, & necessaria subventio comprehenduntur, tamquam parentibus debita. Honoris nomine quid significatur.

Reverentia quidem, quia eo ipso quo sunt parentes magnam Dei similitudinem referunt. Sicut enim Deus omnia condidit, conservat & gubernat; ita parentes dederunt suis filiis esse quod habent, eosque conservant ac gubernant, ipsos educando & benè instituendo, per se vel per alios: Ac proinde quemadmodum propter ista summus honor summaque reverentia debetur Deo; sic parentibus sua quoque reverentia est debita, juxta illud Ecclesiastici 3. *Qui timet Dominum honorat parentes, & quasi Dominus serviet his qui se genuerunt:* & cap. 7. *Honora patrem tuum & gemitus matris tuæ ne obliviscaris. Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses.*

De obedientia habemus Proverb. 1. *Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ:* & ad Ephes. 6. *Filii obedite parentibus vestris in Domino.* Ad Coloss. 3. *Filii obedite parentibus per omnia,* nimirum licita & ad quæ patria potestas se extendit: quod propterea sic restringitur, quia si parentes aliquid præciperent contra Deum, locum tunc habere deberet istud Lucæ 14. *Si quis non odit patrem suum & matrem, non potest meus esse discipulus:* & illud Act. 5. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Sed neque necessarium est illis obedire, si præciperent quidpiam bonum quidem,

dem, at quod patriam potestatem excedit: veluti si juberent filio ingredi religionem, inire matrimonium, aut aliquid hujusmodi, quia in illis quæ concernunt statum totius vitæ, quisque liber est.

Quòd sub honore significetur etiam rerum necessariarum suppeditatio, scripturæ sunt apertissimæ. Nam Christus Matth. 15. censet eos inhonorare patrem & matrem qui prætextu religionis non conferebant eis necessaria ad victum. Apostolus quoque 1. ad Tim. 5. sic eum monet: *Viduas honora quæ verè viduæ sunt*, idest, fac ut subministretur eis subsidium temporale; & infra, *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore*, idest, ampla sustentatione *digni habeantur*. Hinc Hieron. super cap. 15. Matth. *Honor in scripturis non tantum in salutationibus & officiis deferendis, quantum in eleemosynis ac munerum oblatione sentitur*. Quoniam verò istæ tria, reverentia, obedientia, & necessariorum suppeditatio non possunt sincerè parentibus exhiberi sine amore, nemini dubium esse potest honorem parentibus debitum, amorem quoque exigere, & quidem singularem, quamvis non perinde significetur vocabulo honoris sicut jam dicta. Unde Hieronymus in cap. 44. Ezechielis scribit quòd ordine charitatis post rerum parentem Deum, carnis pater sit diligendus. Similiter glossa ordin. super cap. 2. Cantic. *Primò*, inquit, *Deus diligendus est*, *secundò parentes*, *inde filii*. B. quoque Thom. 2. 2. q. 26. cum communi sententia docet quòd inter proximos, maximè diligendi sint parentes. Scitè nihilominus in lege posita est vox honoris, & non amoris vel metus, etiamsi valde amandi ac timendi sint parentes: quia honor sincerè exhibitus importat vel supponit amorem ac metum; non similiter amor vel metus, honorem. Qui enim amat quempiam, non semper eum veneratur; & qui metuit, non semper diligit; quem verò aliquis ex animo honorat, eumdem amat ac veretur, atque ita positum est vocabulum quod cætera complectitur. Patris porro & matris nomine in hoc præcepto præcipuè quidem intelliguntur illi qui nos secundùm carnem genuerunt: Verumtamen alii quoque juxta intentionem legis eo nomine veniunt intelligendi, quicumque nimirum quavis alia ratione patres nostri dicuntur.

Parentes præ aliis sunt diligendi.

Inter hos primo loco recenset B. Thomas opusc. 4. Apostolos, & Ecclesiæ Prælatos ac Pastores, quibus addi possunt omnes Sacerdotes qui communi usu patres appellantur. Ita Apostolus 1. ad Corinth. 4. patrem se dicit, *Ut filios meos charissimos moneo. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres: Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui*.

Qui præter patrem & matrem hic jubentur honorari.

Secundo loco patrum nomine comprehendit Reges & Principes, magistratus & judices, & quoscumque qui civilem Rempublicam gubernant: *qui dicuntur patres*, inquit, *quia intendere debent bonum populi*. Sic servi Naaman vocabant eum patrem, 4. Reg. 5. *Pater etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras*.

Tertio, patribus annumerat senes seu ætate majores, juxta illud Deut. 32. *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; majores tuos, & dicent tibi*. Sed prætetea patres illi vocantur juxta Catechismum Roman. quorum procurationi, fidei, probitati & sapientiæ alii commendantur, cujusmodi sunt tutores & curatores, pædagogi & magistri, & generaliter omnes Superiores. Unde Elisæus Eliam vocabat patrem 4. Reg. 2. & alii Elisæum 4. Reg. 13. in quo libro etiam aliquoties legimus filios Prophetarum, pro discipulis Prophetarum.

Omnes igitur istos venerari debemus, quòd quamdam imaginem patris præ se ferant; & vel dignitatis, potestatis, utilitatis, aut præstantis alicujus gradus vel officii nomine excellunt, quos proinde omnes scriptura jubet honorari.

De prælatis Ecclesiasticis habemus Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit:* & ad Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris*.

De Regibus & Principibus ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit:* 1. Petri 2. *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi tamquam præcellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis:* Et mox, *Deum timete, regem honorificate*.

De senibus seu ætate grandævis, Levit. 19. *Coram cano capite consurge, & honora personam senis:* & 1. Petri 5. *Adolescentes subditi estote senioribus*.

De magistris & similibus videri possunt plura capita in libro Proverb. ubi Salomon tamquam doctor & magister filios, idest, discipulos sapientiæ hortatur ad obedientiam & ad suscipiendam disciplinam; additque cap. 5. eum qui præceptis ejus non obtemperaverit, aliquando dicturum: *Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquievit cor meum, nec audivi vocem docentium me, & magistris non inclinavi aurem meam?*

[ *Ut sis longævus super terram*, ] sunt qui hæc interpretantur de longævitate vitæ in sæculo futuro: sed alii convenientius juxta sensum litteralem exponunt de præsentis sæculi, & de vitæ hujus longævitate. Judæis namque solet Deus bona temporalia promittere; & simplicius est de hujus sæculi vita accipere id quod hoc loco conformiter dicitur Ecclesiastici 3. *Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore*, sicuti & quod hic sequitur:

Quæ longævitas hic promittitur.

[ *Quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* ] Et quod Deut. 5. additur, *ut longo vivas tempore, & bene sit tibi in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi*, aptissimè intelligitur de terra Chanaan quam Deus promiserat filiis Israel, & quæ propterea vocari solet terra promissionis: quoniam præcepta decalogi data sunt ipsis terram illam expectantibus, & ad eam in deserto tendentibus. Hoc præceptum Apostolus ad Ephes. 6. vocat primum in promissione, quia primum est cui specialis & expressa promissio fuit apposita, ut 2. 2. q. 122. art. 5. fuit declaratum. Quare autem huic præ reliquis præceptis, rationem dat S. Doctor opusc. 4. ne credatur non deberi præmium honorantibus parentes, eò quòd hoc sit naturale. Convenienter autem promittitur istud præmium, *ut sis longævus* &c. quia qui gratus est beneficio accepto meretur secundùm quamdam congruentiam, ut beneficium ei continuetur: Maximum autem beneficium quod filius accepit à parentibus est vita: Quare si parentes honorando gratum se præbet, congruum est quòd in illo beneficio, idest, in vita continuetur. Sicut è contrario qui beneficio accepto est ingratus, dignus est cui citò auferatur; ac per consequens qui parentes non honorat à quibus vitam accepit, meretur eam citò sibi auferri. Addit B. Th. dicto opusc. quòd habemus à parentibus vitam, sicut milites à rege feudum: Et ideo sicut dignum est quòd illi feudum amittant propter proditionem, ita isti propter injuriam parentibus illatam merentur amittere vitam. Cæterum sub longitudine vitæ in hoc præcepto, non sola vitæ diuturnitas promittitur; sed simul etiam ejus felicitas & prosperitas, *ut benè sit tibi*, dicit Apostolus ad Ephes. 6. ex cap. 5. Deuteron. Neque turbare quempiam debet quòd quidam parentibus maximè obedientes vitam brevem, eamque ærumnis plenam hic vixerint; contra verò aliqui inobedientes, longam & prosperam.

Primò, quia promissio longitudinis vitæ huic præcepto adjuncta intelligi debet, sicut aliæ promissiones bonorum temporalium, non absolutè, sed conditionatè, quatenus expedit saluti animæ: & hoc ideo, quia bona præsentia non cadunt sub merito nisi in quantum ordinantur ad salutem spiritualem, cum non sint simpliciter bona hominis, sed secundùm quid, ut 1. 2. q. 114. art. 10. diximus cum B. Thoma. Qui ergo sunt pii in parentes, & tamen citò moriuntur, non frustrantur hac promissione; partim quia saluti eorum non expedit diutiùs vivere: rapiuntur enim vel ne malitia mutet intellectum eorum, Sap. 4. vel quia aliis ex causis Deus novit ita ipsis esse utile: partim quia quod in hac vita percipere merebantur, largissimè ipsis compensatur in altera. Sicut ergo non dicimus eum frustrari cui promissum est argentum, & in majori copia datur aurum, ita nec illi.

Secundò, quia dum inobedientes parentibus longam & prosperam vitam hic ducunt, non fruuntur eo quod simpliciter bonum est, sed differtur gravior eorum punitio: & quemadmodum ille non censetur evadere pœnam cui ad tempus parcitur, sed postea gravius est puniendus: sic de illis judicandum est.

[ ℣. 13. *Non occides.* ] Hoc quinto præcepto conve-

nienter probibetur occisio hominis, quia inter nocumenta quæ possunt alicui homini inferri, summum est, eum de medio tollere; ideoque rectè inter illa primo loco prohibetur. Observandum autem cum Aug. lib. 1. de Civit. cap. 20. istud præceptum non esse datum de frutetis seu herbis & plantis non occidendis, quia nullus inest eis sensus; nec de animantibus irrationalibus, quia nulla ratione nobis sociantur, unde justissima ordinatione creatoris, & vita & mors eorum nostris usibus subditur: Nam quod tum bestiæ tum plantæ in hominum alimentum licitè convertantur (id quod nisi occidantur, fieri non potest) ex cap. 1. & 9. Gen. clarissimum est. Sed datur de homine non occidendo: & sensus est, non occides ullum hominem; idest, nec teipsum, nec alium absque Dei authoritate. Confer quæ diximus 2. 2. q 64. art. 2. Nec refert generaliter dici, *Non occides*, nullo addito: Cum enim alibi expresè significetur hominis occisio esse prohibita, ut Gen. 9. Exod. 21. Sap. 14. Oseæ 4. Matth. 15. ad Rom. 1. ad Gal. 5. & aliunde constet non esse illicitum alia viventia interficere, evidenter sequitur legem quæ dicit, *Non occides*, omnino accipiendam esse de homine non occidendo. Unde Christus Matth. 19. pro eo quod hic dicitur, Non occides, dicit, *Non homicidium facies*; observatque Cajetanus Hebræos dicere quòd dictio interpretata occides in hoc præcepto, appropriata est occisioni hominis, nec est communis occisioni hominis & occisioni aliorum animalium; ita ut perinde sit ac si diceretur, non homicides, data fingendi licentia. Etsi verò principaliter hic prohibeatur homicidium; certum tamen est etiam prohiberi mutilationem, verberationem, rixam, iram & alia hujusmodi quæ sunt via quædam ad homicidium.

Si quis autem occidat vel mutilet hominem, aut in necessariam sui suorumve defensionem, aut juxta juris ordinem; nequaquam est hujus præcepti transgressor: quia non occidit absque authoritate Dei; cum Deus sit author legis naturæ: & potestas qua utuntur judices & magistratus, à Deo veniat: *Non est enim potestas nisi à Deo*, ad Rom. 13.

[ ℣. 14. *Non mœchaberis.* ] Post prohibitionem homicidii convenienter sexto hoc præcepto prohibetur Mœchia: quia post injuriam quæ homini in propria persona infertur, proxima est quæ infertur in personam ei conjunctam; vir autem & uxor sunt personæ maximè conjunctæ, cum sint quasi unum corpus, juxta illud Gen. 2. *Erant duo in carne una.* Mœchia propriè est adulterium, unde *Mæchos Græci non nisi adulteros dicunt*, ait Aug. q. 71. in Exod.

Quid Mœchia.

Expresè igitur tantùm hic prohibetur adulterium: sed Deus ex parte una totum libidinis genus intelligi voluit. Unde Aug. *Mœchia nomine omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi.* Idcirco autem adulterium disertè vetitum est, quia præter turpitudinem quæ illi cum aliis intemperantiæ vitiis communis est, injustitiæ quoque peccatum non solum in proximum, sed etiam in civilem societatem adjunctum habet.

[ ℣. 15. *Non furtum facies.* ] Post vetitam injuriam quæ inferretur proximo in ejus personam, ac deinde quæ in personam ei conjunctam, hoc septimo præcepto probibetur injuria quæ posset illi inferri in rebus exterioribus quas possidet. Etsi verò furtum propriè acceptum sit species diversa à rapina; non est tamen dubium quin rapina quoque hoc præcepto sit probibita: *Non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit:* ait Aug. dicta q. 71. quinimo omne prorsus nocumentum quod proximo in rebus ejus externis contra rectam rationem fit, censeri debet hic prohiberi; ita ut præcepti sensus sit: nulla illicita usurpatione accipias vel contrectes rem alienam. Furti porro potius quàm rapinæ nomine exprimitur hoc præceptum; quia furtum latius patet & ad plura pertinet quàm rapina, cum hanc illi soli facere possint qui potentia & viribus præstant, furtum autem etiam alii. Deinde, prohibito furto quod levius est, statim intelligitur prohibita esse rapina quæ est gravior.

[ ℣. 16. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* ] Jam Dominus prohibuit quòd nullus proximo injurietur opere; Octavo hoc præcepto vetat, ne quis injurietur verbo. Proximi nomine intelligitur omnis homo qui potest opera nostra indigere, quemadmodum diximus 2. 2. q. 25. art. 1. sive is sit propinquus sive extraneus, sive amicus sive inimicus. Falsum testimonium est quidquid in malam vel in bonam partem falsò asseveratur de aliquo, sive in judicio, sive extra judicium, præcipuè tamen quod profertur in judicio. Ex eo porro quod additur, *contra proximum;* nullo modo existimandum est eum non peccare qui contra seipsum dixerit falsum testimonium, quemadmodum observavit Aug. lib. 1. de Civ. cap. 20. quia quisque sibi proximus est, & regulam diligendi proximum à seipso dilector accepit. Quare id quod proximis debemus, multò magis nobis ipsis tenemur impendere.

Quæ hoc præcepto sint prohibita.

Si petas, an ille qui non contra proximum, sed pro proximo falsum diceret testimonium, non peccaret contra hoc præceptum: dicendum est quòd sic, hoc ipso quo diceret falsum: additum enim est, *contra proximum*, non quòd non contingat aliter peccari, dicendo falsum testimonium, sed quia ut plurimum ita accidit. Cæterum etsi expresè hic prohibeatur falsum testimonium contra proximum, sub hoc tamen tamquam sub principaliori prohibetur quodcumque mendacium, detractio, susurratio, murmuratio, convitium, & generaliter omne peccatum ad locutionem pertinens, ut notavit B. Thom. 2. 2. q. 122. art. 6. ad 2.

[ ℣. 17. *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus,* ] Sexto & septimo præcepto, quibus adulterium & furtum prohibentur, haud dubiè adulterii quoque & furti desiderium seu concupiscentia censeri debet esse probibita: sicut sub præcepto non occides, non falsum testimonium dices, procul dubio prohibetur desiderium homicidii ac falsi testimonii dicendi: ne quis tamen sic illa præcepta acciperet, quasi sola opera externa ibi expressa prohiberentur, nec putaret se peccare quamdiu cupiditatem non consummasset opere, quales multi fuerunt inter Judæos, nec etiam nunc desunt inter rudes Christianos; Deus voluit expressis ac distinctis præceptis animum seu cupiditatem tum adulterii, tum furti prohibere, nono ac decimo.

Idcirco autem has cupiditates potius quàm homicidii aut falsi testimonii expressis ac distinctis præceptis probibere voluit: quia furtum & adulterium habent rationem boni tum utilis tum delectabilis, atque ita magis alliciunt animum; homicidium autem & falsum testimonium magis sunt horribilia quàm concupiscibilia, quia proximus & veritas naturaliter amantur. Hanc rationem tradit B. Th. 1. 2. q. 100. art. 5. ad 5. & 2. 2. q. 122. art. 6. ad 4. Horum porro præceptorum iste est ordo, ut Nonum sit: Non desiderabis uxorem proximi tui; & Decimum: Non concupisces domum proximi tui, quo ordine leguntur cap. 5. Deut. tam in Hebræis & Græcis, quàm in Latinis codicibus, atque etiam hoc cap. apud 70. Nec refert hic diverso ordine legi, tum in Hebræa tum in Latina editione: quia non fuit Moysi propositum hic præceptorum ordinem servare, sed tantùm ipsa præcepta enarrare: cum autem ordinem servare voluit in Deuteronomio, tamquam legem repetens; & propterea distinctius ibi posuit ea quæ in Exodo minùs distinctè posuerat, eoque ordine decem præcepta recensuit quo fuerunt scripta in tabulis.

Cur istæ concupiscentiæ expresè prohibentur.

Sunt qui præcepta hoc versu 17. expressa non distinguant, sed unum esse volunt, sicut Apostolus ad Rom. 7. tamquam unum præceptum citat, aitque legem dicere: *Non concupisces.* Verùm sententia communiter recepta omnino tenenda est quæ illa præcepta agnoscit esse diversa, sicut diversa sunt. *Non mœchaberis; &c. Non furtum facies.* Distinguuntur enim inprimis materia, cum concupiscentia uxoris alienæ sit alterius rationis, quàm concupiscentia possessionis: Nam illa ad libidinem sive ad luxuriam pertinet, hæc ad avaritiam; illa ad concupiscentiam carnis, hæc ad concupiscentiam oculorum, de quibus 1. Joan. 2. Deinde Deut. 5. tam in Hebr. quàm apud 70. verbum concupisces ita repetitur: Non concupisces uxorem proximi tui: Non concupisces domum proximi tui, neque agrum &c. quod verbum hoc etiam cap. 20. repetitur apud 70. & quidem eodem ordine. Signum ergo est esse diversa præcepta, sicut sunt de diversis materiis.

Duo ultima præcepta sunt distincta.

Accedit quod Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. & can. 7. habet illa pro diversis, quando de præceptis interiorem concupiscentiam prohibentibus loquens docet omnia

peccata

peccata mortalia esse confitenda, etiamsi sint occultissima, & tantùm adversùs duo ultima decalogi præcepta.

Noni ergo præcepti sensus est: In cogitatione & animo tuo non concupiscas uxorem alterius ad concubitum.

Decimi verò, non concupiscas ullam rem proximi ad eam possidendam. Sub quibus tamen etiam prohibita censeri debet omnis inordinata concupiscentia tum mulieris tum rei alienæ, qua quis voluntariè se oblectaret, etiamsi nollet eam opere complere, aut saltem non vellet injustè complere: Non tamen prohibitos esse primos motus concupiscentiæ, qui nobis invitis minimèque consentientibus insurgunt, rectè observavit B. Thom. dicta q. 122. art. 6. ad 3. Non enim prohibetur ne ullum pravæ concupiscentiæ motum sentiamus, quod in nostra potestate non est; sed ut illi non consentiamus, quod per divinam gratiam possumus.

Ad Apostolum Resp. cum S. Thoma 1. 2. q. 100. art. 4. ad 3. quòd omnis prava concupiscentia convenit in una communi ratione: & ideo Apostolus uno verbo dixit, *Non concupisces:* quia tamen in speciali diversæ sunt rationes concupiscendi, ideo distincta sunt præcepta de non concupiscendo. Sicut ergo si diceretur diliges, non foret inde consequens unum esse præceptum dilectionis Dei & proximi; ita ex eo quod apud Apostolum dicitur: Non concupisces, non sequitur unum tantùm esse præceptum de non concupiscendo uxorem & aliam rem proximi.

Cæterum quare Deus multis hominum millibus loquens, non dicit in plurali, non habebitis deos alienos, non occidetis, non mœchabimini &c. sed in singulari, non habebis deos alienos, non occides, non mœchaberis; ratio reddi potest, ut unusquisque de populo magis intelligeret singula præcepta sibi dari, & non solùm turbæ seu multitudini.

[ ℣. 18. *Cunctus autem populus videbat voces & lampades, & sonitum buccinæ,* ] visus pro quocumque sensu interdum ponitur: Ideo, *videbat*, idem hìc valet, ac sensibiliter percipiebat; voces quidem seu tonitrua sensu auditus; lampades verò seu fulgura instar lampadum lucentia & flammantia, sensu visus. Cum enim voces non sint objectum visus, sed auditus, populus non poterat propriè voces videre, sed audire. Verisimile est tonitrua, fulgura, sonum buccinæ & generaliter ea quæ strepitum excitabant, quievisse dum Angelus decem præcepta promulgavit, ne alioquin populus impediretur ab audiendo; ea autem promulgatione finita, rursum audiri cœpisse, unde populus vehementer timuit ne Deus rursum ad eos voce sonora & terribili loqueretur: hoc enim est quod sequitur,

Quid hic videbat.

[ *Et perterriti ac pavore concussi, steterunt procul,* ] à loco in quo juxta terminos sibi constitutos erant, retrocesserunt & procul steterunt, etsi non ita procul quin cum Moyse loqui possent, & Moyses cum ipsis. Unde sequitur,

[ ℣. 19. *Dicentes Moysi:* ] Qui ad aliquam partem altitudinis montis cum Aarone ascenderat, & non ad cacumen, ut in fi. cap. 19. diximus.

[ *Loquere tu nobis,* ] Cætera nimirum quæ Deus vult nos scire & servare. Deut. 5. dicitur, *Audi cuncta quæ dixerit Dominus Deus noster tibi, loquerisque ad nos.*

[ *Et audiemus:* ] In Deut. *& nos audientes faciemus ea.* ] Audire ergo hic sumitur, pro obedire.

[ *Non loquatur nobis Dominus,* ] Angelus erat qui loquebatur: sed personam Dei sustinebat ac ejus nomine loquebatur, putabatque populus ipsum Deum loqui.

Fortè pro utique.

[ *Ne fortè moriamur.* ] Præ magnitudine majestatis Dei loquentis, & timoris quem ex tanto tubarum clangore, fulmine & tonitru concipimus. Fortè non est hìc nota dubietatis, sed idem valet quod utique: quòd enim pro certo haberent se morituros, si Deus ulterius eis loqueretur, ex dicto cap. 5. Deut. patet, ubi sic locuti esse leguntur: *Si audierimus ultra vocem Domini Dei nostri, moriemur.*

[ ℣. 20. *Et ait Moyses ad populum: Nolite timere. Ut enim probaret vos venit Deus,* ] cum tanta majestate venit Deus, non ut vos interficiat, sed ut experimento notum fieret qualiter vos exhiberetis in ejus præsentia, utrùm cum debita reverentia & animi promptitudine ad obediendum, an aliter. Hoc namque etsi Deus nosset, ipsi tamen nec de seipsis, nec alii de aliis noverant.

[ *Et ut terror illius,* ] per quem homines imperfecti, quales erant plerique Hebræorum, retrahuntur à malo.

[ *Esset in vobis, & non peccaretis.* ] Transgrediendo mandata vobis data.

[ ℣. 21. *Stetitque populus de longè.* ] Remotius à monte Sinai.

[ *Moyses autem ascendit ad caliginem.* ] Jam ante Moyses cum esset in aliqua parte montis, erat in aliqua caligine; ut enim dicitur cap. 19. *Totus mons Sinai fumabat:* sed ista caligo, utpote in inferiore parte montis, erat exigua: Nunc verò ascendit ad superiorem montis partem ubi caligo erat multò densior & ubi Deus per effectus speciales suam præsentiam manifestabat. Idcirco additur *in qua erat Deus*. Illuc autem ascendit, Aarone relicto in inferiore parte montis in qua simul fuerant audientes decalogum promulgari. Et ad Moysen qui solus ibi erat cum Deo, Deus seu Angelus Dei personam gerens, dixit quæ habentur Deut. 5. *Benè omnia sunt locuti: quis det eos talem habere mentem ut timeant me &c. Vade dic eis: Revertimini in tentoria vestra. Tu verò hic sta mecum:* Moyse verò ista referente ad populum, & Aaron & populus reversi sunt ad castra, singuli nimirum ad sua tentoria. At Moyses in montis cacumen ascendit, ibi auditurus varia præcepta quæ postea populo referret, eumque doceret. Nam in Deuter. cum Deus illi dicit, *Tu verò hic sta mecum;* subjungit, *& loquar tibi mandata mea, & ceremonias atque judicia quæ docebis eos.* Inter alia porro quæ Dominus ibi ad Moysen dixit, sunt quæ hic sequuntur.

[ ℣. 22. *Hæc dices filiis Israel: Vos vidistis,* ] hoc est, sensibiliter percepistis, ut enim ex Deut. 4. patet, vocem verborum audierunt, & formam penitus non viderunt:

[ *Quod de cœlo* ] Sive de aere

[ *Locutus sim vobis.* ] Atque ita quamvis esset majestas in loquente, fuit tamen familiaritas in locutione: & hinc cognoscere poterant Deum in cujus persona sermo fiebat, esse verum cœli & terræ Dominum, neque esse Moysi artes vel figmenta, sed divina opera quæ ipsi ad sensum videbant & audiebant, non enim fingi potest esse opus Moysi, quod de cœlis loquentem omnem audirent omnes audirent & intelligerent.

[ ℣. 23. *Non facietis deos argenteos,* ] Hebræa addunt, *mecum;* sive, quos mecum colatis, sicut postea fecerunt Samaritani & multi de decem tribubus 4. Reg. 17. Quia Hebræi assueverant in Ægypto cultui idolorum, erantque ad idololatriam valde proni; Deus repetit eis primum præceptum decalogi.

[ ℣. 24. *Altare de terra facietis mihi,* ] de terra nimirum, vel rudi & incocta, vel cocta & in lateres formata. Jubet ergo Deus fieri altare terreum vel latericium. Idque partim ad detestandam gentilium idololatriam, & Hebræos ab ea avertendos; Solebant enim gentiles splendida suis idolis altaria erigere, aliquid divini numinis in eis esse existimantes: partim ut ostenderet se non magni æstimare ornatum & pompam externam, prout faciunt dii & idola gentium: partim ut per terram significaretur sacra & promissa Israelitarum, terrena esse, & non cœlestia.

Altare cur de terra.

Cæterum, de quo altari sermo fit, incertum est. Satis convenit non agi de altari thimiamatis, tum quia inferius cap. 30. illud jubetur fieri de lignis Setim & vestiri auro; tum quia hìc dicitur, ut super hoc altari offerant holocausta & pacifica, oves & boves; ista autem non offerebantur super altare thimiamatis. Liranus, Carthusianus, & alii quidam volunt sermonem esse de altari holocausti. Quibus tamen opponitur, quod illud altare cap. 27. jubetur fieri de lignis Setim, & operiri ære: Sed Responderi fortè potest quòd licèt hujus altaris parietes essent lignei, & laminis æneis operti; ipsum nihilominus altare (super quod nimirum ponebatur ignis & insuper animalia seu animalium immolatiorum frusta) erat de terra vel de lapidibus insectis: erat enim cavum, & in ea cavitate ponebatur terra vel lapides insecti usque ad locum ignis. Quòd si cui hæc responsio non videatur satisfacere, dicat cum Abulensi q. 40. & 44. super hoc cap. sermonem esse de

altaribus quæ ex caussis specialibus contingerent fieri extra locum arcæ vel tabernaculi, veluti quando transivissent Jordanem; tùnc enim ex præcepto quod Deut. 27. refertur, ædificaverunt altare de lapidibus quos ferrum non tetigit, & de saxis informibus & impolitis, ut patet Josue 8. Simileque est judicium de altaribus quæ fuerunt erecta 1. Reg. cap. 7. v. 9. cap. 14. v. 35. & cap. 16. v. 5. & 3. Reg. 18. & alibi haud infrequenter: omnia enim illa fuerunt de terra vel de lapidibus impolitis facta. Consideratis tamen iis quæ hic sequuntur, prior Responsio videtur esse præferenda, ut etiam de altari holocaustorum sit sermo.

[*Et offeretis super eo holocausta & pacifica vestra,*] de horum sacrificiorum distinctione locus agendi est in Levitico. Quæritur autem quomodo cum hoc præcepto conveniat quod Jerem. 7. Deus dicit. *Non sum locutus cum Patribus vestris & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum & victimarum*, Cajetanus & Marzilla respondent Jeremiam loqui de præcepto quod Deus seu Angelus in persona Dei loquens dederit populo immediatè, sic autem Deus nihil patribus Hebræorum præcepit de holocaustis & victimis: quia ea quæ sunt de altari & sacrificiis mandavit populo per Moysen. Alii dicunt apud Jeremiam significari quòd in prima decalogi datione Deus non jusserit sibi holocausta & victimas immolari, sed demum post adorationem vituli, dedit populo præcepta de sacrificiis eorumque varietate, ut ea sibi facerent potius quàm dæmonibus, aut vitulo, præsenti autem cap. necdum jubet sacrificia nec eorum varietatem determinat, sed tantùm mandat ut victimas quas offerre voluerint, offerant super altare terreum.

[*In omni loco in quo memoria fuerit nominis mei:*] Sive, in quo faciam homines recordari nominis mei. Nam in Heb. legitur, *in quo memorare faciam nomen meum*. Electionem loci ad sacrificium reservat sibi Deus, qui postea voluit ut locus ordinarius esset ad ostium tabernaculi Levit. 17. deinde in templo Salomonis: extraordinariè autem subinde fuerunt alia loca, ut patet ex 2. Reg. ult. 3. Reg. 18. & aliunde.

[*Veniam ad te, & benedicam tibi.*] Promittit Deus se exauditurum eos qui sacrificabunt secundùm quod præscribitur, seque illis benedicturum, dando videlicet temporalium abundantiam & in illis prosperitatem, de talibus enim bonis erant promissiones veteris testamenti. Quidam hæc verba *veniam ad te*, conjungunt cum præcedentibus sine ulla interpunctione; sed interpunctionem habent Hebræa, Græca, & Latina.

[℣. 25. *Quòd si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus.*] Legem de altari versu 24. positam Deus quodammodo hic amplificat, significans liberum esse Hebræis facere altare vel de terra vel de lapidibus, modò lapides non essent secti seu politi, sed informes & impoliti, ut dicitur Deut. 27.

[*Si enim levaveris cultrum super eo,*] Seu super istud. Notat Vatablus cultrum usurpari pro quocumque instrumento ferreo. Sensus autem est: Si super altare levaveris limam, vel quodcumque aliud instrumentum aptum ad lapides scindendum vel poliendum, conando scilicet illud limare aut polire.

[*Polluetur;*] Contaminatum reputabitur propter violationem præcepti, & ineptum erit ad sacrificium super illud offerendum.

[℣ 26. *Non ascendes per gradus ad altare meum,*] Non pones altare in loco ita eminenti ut sit opus ad illud ascendere per gradus. Cujus ratio sequitur.

[*Ne reveletur turpitudo tua*] ne pedes de gradu in gradum transferendo, contingeret verenda videri ab infernè existentibus: Id quod facile accidisset, quia Hebræi necdum utebantur femoralibus. Neque his obstat vel quòd altare holocausti per Moysen constructum fuerit tam altum, ut Aaron de illo veniens post completa sacrificia, Levit. 9. dicatur descendisse: vel quòd 2. Paral. 4. legamus Salomonem fecisse altare decem cubitorum altitudinis. Non enim ascendebatur ad unum aut alterum illorum per gradus, sed per continuam planitiem paulatim se attollentem in altum; sicque cessabat periculum ob quod prohibebantur gradus.

Allegoricè altare est Christus: facere altare de terra, est fateri Christum habere veram carnem; vel juxta S. Gregor. lib. 3. Mor. c. 20. est in incarnationem Christi sperare, & consequenter hostias super altare de terra ponere, est opera nostra in fide Incarnationis solidare. Facere autem altare de insectis lapidibus, est credere Christum habere carnem sine opera viri formatam. Ad hoc altare sine gradibus ascendere, est credere Christum Dei filium non esse inferiorem Patri, sed æqualem.

Moraliter, lapides insecti sunt virtutes animi non divisæ ab invicem, de quibus tunc facimus altare Domino, quando fidem Incarnationis habentes, virtutes illas super hoc fundamentum ædificamus. Ferrum sive culter est arrogantia qua mens à suo creatore maximè præscinditur. Si ergo super isto altari cultrum levaveris, id est, si virtutes tibi arrogaveris, polluetur altare, quia virtutes amittuntur, & opera bona mortificantur. Non oportet per gradus ascendere ad altare: quia non licet de propriis profectibus extolli; alioqui revelabitur turpitudo tua, superbiam enim sequitur confusio.

## CAPUT XXI.

*Moyses accipit à Deo præcepta judicialia quoad servos emptitios & ancillas, furta, homicidia, parentum maledicta, rixas, talionis pœnas & cornupetam bovem.*

TRiplicia fuerunt in veteri lege præcepta, scilic. Moralia, Judicialia, & Cæremonialia. Moralia sunt, quæ directè pertinent ad mores juxta dictamen rationis naturalis, & unumquemque obligant, etiamsi per nullam legem positivam statuantur. Judicialia dicuntur, quæ ordinant hominem ad proximum, neque tamen habent vim obligandi ex dictamine rationis naturalis, sed ex institutione. Cæremonialia vocantur, quæ ordinant ad Deum, præscribendo certa quædam opera ad Deum ritè colendum: & hæc quoque non obligant, nisi præsupposita institutione, ut diximus 1. 2. q. 104. art. 1.

*Quæ præcepta moralia. Quæ judicialia. Quæ cæremonialia.*

Dedit Deus c. 20. præcepta moralia, hoc & duobus subsequentibus cap. tradit judicialia, ita tamen ut etiam aliqua misceat moralia & cæremonialia.

[℣. 1. *Hæc sunt judicia,*] Id est, præcepta judicialia; quæ idcirco dicuntur judicia, quia sunt regulæ ad quas se conformare debebant judices in judiciis & litibus dirimendis.

[*Quæ propones eis.*] Sequentia præcepta Deus seu Angelus in persona Dei dedit Moysi, & Moyses populo retulit. Unde infra cap. 24. dicitur, *Venit ergo Moyses & narravit plebi omnia verba Domini atque judicia.*

[℣. 2. *Si emeris servum Hebræum: sex annis serviet tibi: in septimo egredietur liber gratis.*] Non est sermo de famulo qui conduci, sed de servo qui vendi & emi solet, vocaturque mancipium. Neque ista lex ponitur pro quocumque in mancipium empto, sed tantùm pro Hebræo: Si enim emerent servum Idumæum, Amonitam, Moabitam, aut de aliis nationibus, ille non liberabatur post sex annos, sed debebat servire in perpetuum, si Dominus ita cupiebat, quemadmodum ex Levit. 25. patet vers. 46. Cur autem servus Hebræus non posset diutiùs in servitute retineri: una ratio est, quia omnes Hebræi erant peculiariter in dominio Dei, indecens autem est Dei servos manere semper servos hominum. Alia est ut Hebræi meminissent se fuisse servos in Ægypto, & de illa servitute mirabiliter Dei beneficio liberatos. Vide dicti cap. 25. versum 42. & Deuter. 15. versum 15. Addi potest quòd ita figurabatur nos per Christum è servitute peccati & diaboli liberandos.

*Servus hic pro mancipio ponitur.*

Cum dicitur, *in septimo egredietur liber gratis*, significatur quòd initio anni septimi dimittendus erat, nullo suæ liberationis persoluto pretio.

Si quæras quis esset ille annus septimus: Dicendum est non intelligi septimum ab emptione cujusque servi; sic enim non omnes fuissent eodem anno dimissi: sed intelligitur septimus publicus, idemque certus & status; adeò ut sicut omnibus Hebræis idem erat sabbatum singulis septimanis; ita esset illis idem septimus annus singulis septenniis; qui vocabatur annus sabbaticus, in quo sic agri quiescere debebant, ut non pos-

*Quis septimus annus.*

poſſent arari, ſeri, meti aut vindemiari, debita quoque realia debebant dimitti, ac ſervi Hebræi manumitti. Quapropter is qui primo anno hujus ſeptennii vendebatur, ſervire debebat ſex annis; qui ſecundo, quinque, & ſic conſequenter: Unde fit conſequens quòd pretium ſervi creſcebat vel decreſcebat ſecundùm majorem vel minorem diſtantiam ab anno ſabbatico: quomodo ratione Jubilæi pretium agri vendibilis creſcebat, quantò plures anni erant uſque ad Jubilæum; & minus erat, quantò pauciores reſtabant Levit. 25.

At dices tam hoc cap. quàm Deut. 15. expreſſè dicitur, *Sex annis ſerviet tibi:* ergo ſeptimus annus computandus erat ab initio emptionis; alioquin non ſex annis ſerviiſſet, ſed quatuor, vel tribus, vel duobus, vel etiam unico. Reſp. Neg. C. Cùm enim dicitur, Sex annis ſerviet tibi; non ſignificatur quòd quilibet ſervus deberet totis ſex annis ſervire, ſed quòd toto tempore quod reſtabat de ſex annis, uſque ad annum ſeptimum, & non ultra.

[ ℣. 3. *Cum quali veſte intraverit, cum tali exeat:* ] Si ad ſerviendum intraret cum bonis & integris veſtibus, Dominus debebat illi exeunti æquè bonas dare. Non prohibebatur dare meliores, ſed vetabatur dare pejores. In Hebr. ſic legitur, *Si in corpore ſuo ingreſſus fuerit, in corpore ſuo egredietur:* quod 70. ſic explicant, *ſi ſolus intraverit ſolus exibit*; ſolum autem interpretes accipiunt pro eo qui eſt ſine uxore, ut hoc membrum opponatur ſequenti, *ſi habens uxorem & uxor egredietur ſimul.* Verùm in Hebræo non eſt *guph* quod ſignificat corpus, ſed *gaph*, quod ſignificat alam, ſeu metaphoricè veſtem, eò quòd veſtis hominem contegat inſtar alæ. Et B. Hieronymus Hebraicè doctiſſimus optimè intellexit unum membrum non hìc opponi alteri, ſed duo diverſa præcepta dati. Prius, ut ſervus cum tam honeſta veſte dimittatur, quam habebat quando ad ſerviendum intravit: poſterius, ut ſi intravit cum uxore, cum ea permittatur exire. Dignumque erat, ut quemadmodum de uxore lex multa præſcribit, ita non taceret de veſtibus; ne alioquin ſervos Hebræos vel nudos vel laceros dimitterent.

[ ℣. 4. *Sin autem Dominus dederit illi uxorem, & pepererit filios & filias: mulier & liberi ejus erunt Domini ſui.* ] Hoc eſt, mulier remanebit ſerva illius heri qui ipſam dedit ſervo uxorem, & proles quoque ſic genitæ, eidem manebunt: adeò ut etiam tunc verum eſſet quod apud Juriſconſultos dicitur, partus ſequitur ventrem. Intelligenda autem hæc ſunt non de qualibet uxore (nam ſi Hebræa eſſet, ſeptimo anno debebat dimitti ex communi privilegio) ſed de alienigena; poterant namque Hebræi ducere alienigenas quæ non erant de ſtirpe Chananæorum, modò fierent proſelitæ.

[ *Ipſe verò exibit cum veſtitu ſuo,* ] ſeu cum tali veſte, cum quali intraverat ad ſerviendum. Cajetanus, Oleaſter, & alii quidam opinantur diſſolutum iſto caſu fuiſſe vinculum matrimonii, ne alioquin matrimonium eſſet nimis oneroſum tum uxori quæ viro abeunte, non poſſet alteri nubere, tum marito qui liber factus non poſſet abire quo vellet.

Non ſolvebatur eo caſu vinculum matrimonii.

Verùm iſta ratio non convincit. Primò, quia matrimonium non eſt nimis oneroſum, ut ideo ſolvi debeat, quando maritus vel uxor in gravem infirmitatem cadit, quæ per multos annos continuata durat uſque ad mortem. Secundò, quia marito liberum erat manere in ſervitute cum uxore & liberis. Tertiò, quoniam etſi non maneret cum illa, poterant tamen adhuc conjugaliter convenire, quantum permittit jus Domini in ſervam. Quare cum inſeparabilitas matrimonii ſit de jure naturali, nec ullum appareat fundamentum agnoſcendæ divinæ diſpenſationis pro hoc caſu; veriſimilius eſt, non fuiſſe ſolutum matrimonii vinculum; uti nec modò ſolveretur ſi duo mancipia matrimonium inirent, & poſtea vir libertate donatus exiret, uxore per herum retenta in ſervitute.

[ ℣. 5. *Quod ſi dixerit ſervus:* ] In ſeptimo ſcilicet anno.

[ *Diligo Dominum meum & uxorem ac liberos, non egrediar liber:* ] Nolo juxta beneficium legis exire, ſed cupio magis apud Dominum meum manere, & cum uxore ac liberis conditionem ſervilem ſubire.

[ ℣. 6. *Offeret eum Dominus diis,* ] hoc eſt, judicibus, ſeu gubernatoribus civitatis, qui vocantur alii quando dii, quia per poteſtatem judiciariam aliorumque gubernationem quam vice Dei exercent, aliquas divinas proprietates participant. Similis locus eſt cap. ſeq. verſ. 9. & 28. Ratio autem cur talis ſervus deberet præſentari judicibus erat, ut publicè conſtaret de voluntaria ipſius manſione, neque Dominis daretur occaſio retinendi ſervos poſt annum ſeptimum, ſub ementito titulo ſpontaneæ remanſionis.

[ *Et applicabitur ad oſtium & poſtes,* ] non portæ urbis vel domus publicæ, ſed domus heri; in hac enim deinceps operam ſervitutemque ſuam devovebat. Unde Deut. 15. dicitur hero, *perforabis aurem ejus in janua domus tuæ.*

[ *Perforabitque aurem ejus ſubula:* ] Auris perforabatur ſubula & configebatur poſti, ad ſignificandum quòd deinceps maneret iſti domui ſeu familiæ obligatus. Sed quare fiebat in ea corporis parte potius quàm in altera? Reſp. quia per auditum didicit jus & libertatis acquirendæ, & ſervitutis retinendæ; eratque per aurem auditurus præcepta quibus deberet obedire.

[ *Et erit ei ſervus in ſæculum.* ] Deut. 15. dicitur, uſque in æternum: quod pro tempore longo hic ſumitur, & idem valet, ac uſque in Jubilæum qui erat anno quinquageſimo: tunc enim ſervus Hebræus exibat liber, ut ex Levit. 25. patet, & quidem cum uxore & liberis. Quo Levitici capite perpetua ſervitus ſpeciatim reſtringitur ad ſervos & ancillas alienigenas, qui etiam hæreditario jure tranſmittebantur ad poſteros. Quæ porrò hic de ſervo Hebræo ſtatuuntur, pariter ſervanda fuiſſe in ancillis Hebræis, ex Deut. 15. verſ. 17. conſtat.

Ex his diſcimus quòd quemadmodum Hebræi ſervos ſuæ nationis debebant humanè præ reliquis tractare, ac tandem liberos dimittere, ita Prælati & patresfamilias piè & charitativè ſe debent habere ad famulos & ancillas fideles. Moralia.

Servit autem ſervus Hebræus ſex annis, dum Chriſtianus in vitæ activæ officiis diu ſe exercet: & poſtea liber egreditur, dum ad vitæ contemplativæ quietem ac libertatem perducitur; cum tali veſte egreditur, cum qua intravit, quoniam in utraque vita eadem eſt charitas, quæ eſt veſtis nuptialis. Uxor quæ ſimul cum ſervo dimittitur, eſt ſapientia naturalis quæ cedere debet ſupernaturali ad vitam contemplativam requiſitæ. At uxor quam Dominus dat ſervo, & quæ debet remanere, quamvis ſervus exeat, eſt ſapientia infuſa ex qua oriuntur bona opera ſpiritualeſque affectiones tamquam filii & filiæ; Nam hæc omnia peculiariter ſunt Dei, & ipſius manent, tametſi ad vitam activam tranſeat Chriſtianus. Quo caſu offertur diis, ideſt, patribus ſpiritualibus, & applicatur ad oſtium domus Chriſti, in quantum in fide Eccleſiæ ſtabilitur, & Chriſto qui dicit Joan. 10. *Ego ſum oſtium*, conjungitur. Perforatur auris ſubula, quando per Chriſtum fit ei obediens uſque ad Jubilæum, hoc eſt, uſque ad ſpiritualia jubila Eccleſiæ triumphantis.

[ ℣. 7. *Si quis vendiderit filiam ſuam in famulam,* ] de Hebræo filiam ſuam Hebræam vendente ſermo eſt. Et quoniam ex Deut. 15. atque ex Jerem. 34. patet eamdem legem fuiſſe ancillæ Hebrææ ſi non aliud erat quàm ancilla, quæ erat ſervi Hebræi; ea quæ nunc ſtatuuntur diverſa, non videntur accipienda eſſe de filia quæ ſolùm vendebatur in ancillam; ſed quæ ad hoc vendebatur ut eſſet ancilla, ac etiam concubina ſeu uxor ſervilis conditionis, atque adeò ſecundaria, vel heri, vel ejus filii. Quare quod dicitur, ſi vendiderit filiam ſuam in famulam intelligi debet, ſi vendiderit cum ſpe quòd emptor illam accipiet ſibi aut filio ſuo uxorem:

[ *Non egredietur ſicut ancillæ exire conſueverunt.* ] Sicut ancillæ quæ non ſunt Hebrææ, ſeu de aliis gentibus, ſuntque ancillæ ſimpliciter, ideſt mancipia per totam vitam, nec poterant in libertatem exire, niſi pretio redimerentur, vel niſi Dominus excuſſiſſet eis dentem aut læſiſſet oculum; poterant autem vendi infidelibus. At filia Hebræa tametſi eſſet in ſervam vendita, non poterat infidelibus vendi, neque debebat expectare redemptionem aut læſionem ut libera exiret. Quidam ex Hebræo verti volunt, *ſicut ſervi exire conſueverunt.* Sed non dubium eſt tam 70. interpretes quàm B. Hieronymum vocem Hebræam benè intellexiſſe, qui omnes verterunt *ſicut ancillæ*. Quamquam ſive

hoc sive illo modo vertatur, sensus in idem redit.

[ ℣. 8. *Si displicuerit oculis Domini sui cui tradita fuerat,* ] Variæ hic sunt lectiones. Quidam enim vertunt, *quam sibi desponderat:* Alii ex Hebræo, *qui non desponsavit eam.* Quæ varietas orta putatur ex vocula Hebræa quæ uno modo idem valet quod, *non.* Sensus est; Si displicuerit Domino cui tradita seu vendita fuerat sub spe conjugii, & tamen necdum est desponsata; sive ut B. Aug. interpretatur, necdum est facta uxor.

[ *Dimittet eam,* ] Liberam scilicet, etiam ante septimum annum, quia non erat ei principaliter tradita propter servitutem, sed propter matrimonium. 70. habent, *redimet eam:* quod si sic accipiatur, servitute illam eximet, & perinde ac si redempta esset, permittet eam abire liberam; idem est sensus.

[ *Populo autem alieno vendendi non habebit potestatem, si spreverit eam.* ] Populum alienum, quidam intelligunt populum alterius loci in Israel: sed quia populus alterius urbis Israeliticæ non est alius populus ab Israel; & quia populus alienus communiter ponitur pro gente aliena: verisimile est hic poni pro alienigenis sive pro gentibus quæ non erant de populo Hebræorum. *Si spreverit eam.* Sunt qui non plus importari volunt per ista verba, quàm si despexerit eam accipere in uxorem. Sed quia verbum Hebræum significat prævaricari, fraudare, & fallere; Aliis probabilius est hunc esse sensum, Si carnaliter eam cognoverit, quasi in uxorem eam accipere vellet, neque tamen hoc velit, quod verè est eam spernere, fraudare & prævaricari; non habebit licentiam vendendi illam alicui alienigenæ. Huic expositioni consentiunt August. q. 78. in Exod. Oleaster, Marzilla, Marius.

[ ℣. 9. *Sin autem filio suo desponderit eam,* ] Non postquam ipse illam cognoverit (tale enim matrimonium Levit. 18. prohibitum ipsis fuit) sed quando ipse eam non violavit, neque pro uxore vel concubina illam habuit.

[ *Juxta morem filiarum faciet illi.* ] Dotabit illam sicut filiæ solent dotari.

[ ℣. 10. *Quod si alteram ei acceperit,* ] Hoc est, juxta August. si non istam det filio suo uxorem, sed ei aliam accipiat; tria præstabit quæ sequuntur.

[ *Providebit puellæ nuptias, & vestimenta, & pretium pudicitiæ non negabit.* ] Procurabit ut alicui alteri honestè nubat, & vestes convenientes ei dabit, ac insuper propter virginitatem ei ablatam providebit ipsi dotem, tamquam ereptæ pudicitiæ pretium. In qua expositione quam tradit etiam Abulensis q. 11. in hoc cap. supponitur quòd puella nec hero nec ejus filio fuerit juncta matrimonio, ac nihilominus fuerit ab uno eorum carnaliter cognita. Si quis præferendam putet aliorum interpretationem qui de puella filio heri nupta intelligunt, hic sensus reddi potest: Si pater præter illam puellam sic emptam & filio in uxorem datam, aliam adhuc filio suo uxorem acceperit (id quod tunc licebat, quando unus plures uxores habere poterat) providebit ei nuptias, idest, usum matrimonii, ut filius non fraudet eam jure copulæ conjugalis, sed reddat ei debitum; providebit insuper ei de vestibus convenientibus; ac de victu & sustentatione congrua, in pudicitiæ pretium. Unde 70. dicunt, quæ opus sunt, idest, victum, & vestem, & conversationem ejus non fraudabit. Ubi per conversationem honestè significatur usus conjugii.

[ ℣. 11. *Si tria ista non fecerit,* ] Copulatim scilicet: sive si non provideat isti puellæ nuptias, & vestes, & pretium pudicitiæ, sed in aliquo eorum defecerit.

[ *Egredietur gratis absque pecunia.* ] Isti puellæ liberum erit exire nullo libertatis pretio persoluto.

[ ℣. 12. *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur.* ] Non est sermo de illo qui volens quempiam occidere, eum percuteret, & non occideret (pœna enim mortis infligebatur pro occisione, non autem pro alia percussione:) sed de illo qui voluntariè occideret; nam percutere hic, ut alibi frequenter, ponitur pro interficere. Unde sic in Hebr. & apud 70. legitur: *Qui percusserit virum, & mortuus fuerit;* sive sic ut mortuus fuerit. Et Levit. 24. sic habemus. *Qui percusserit & occiderit hominem.* Quia autem indefinitè dicitur hominem, intelligendum est sive gentilem sive Hebræum, & nequaquam restringendum ad Hebræum; sicut quibusdam Rabinis placuit, volentibus non esse reum mortis qui gentilem occideret, cùm tamen infra v. 20. criminis reus, ac per consequens ut homicida puniendus decernatur qui servum aut ancillam, qui Gentiles erant, occidisset. Illa geminatio *morte moriatur,* juxta phrasim Hebraicam valet ad exaggerationem & importat majorem certitudinem quàm si tantum dicas, moriatur. Significatur ergo quòd hujusmodi percussor omnino deberet occidi, authoritate tamen judicum interveniente.

Sermo est de homicidio cujusvis, etiam gentilis.

[ ℣. 13. *Qui autem non est insidiatus,* ] Q. d. qui neque struendo insidias, neque aliter ex proposito illum occidit: Sermo enim est de homicidio casuali, ad quod non sufficit quòd nullæ fuerint structæ insidiæ; sed oportet insuper abfuisse voluntarium: unde 70. habent, *Qui autem nolens.*

[ *Sed Deus illum tradidit in manus ejus:* ] Etiam cum quis volens occidit, Deus hominem tradit in manus occisoris; & nisi traderet, occisio non fieret; specialiter tamen in casuali occisione Deus tradere dicitur; quia ipse consilio & providentia facit, non similiter homo qui casu tantùm & imprudenter agit. Vide Aug. q. 79. In Hebr. legitur, *Deus fecit occurrere ad manum ejus;* quia nihil de homicidio cogitante eo qui occidit, Deus fecit ut in manum vel telum ejus incideret.

[ *Constituam tibi locum in quem fugere debeat.* ] pro sui securitate. Locus iste fuerunt sex civitates dictæ refugii, de quibus Num. 35. & Josue 20.

[ ℣. 14. *Si quis per industriam occiderit proximum suum & per insidias:* ] Per proximum Hebræi perperam intelligunt Judæum, quasi qui gentilem occideret, non subjaceret huic pœnæ: Quilibet enim homo est noster, ac etiam erat Hebræorum proximos propter naturæ communitatem & ejusdem spiritualis vitæ participationem.

[ *Ab altari meo evelles eum ut moriatur.* ] Quamvis altaria Deo consecrata semper fuerint inviolabilia & innocentiæ asyla; ad execrationem tamen facinoris, Deus ab ejusmodi asylo excludit eum qui dedita opera & quæsita opportunitate aliquem occideret, jubetque ipsum avelli ab altari ut extra septa interficiatur. Quod si forsitan minùs benè posset avelli, ad ipsum altare occidebatur. Hinc Joab qui 2. Reg. 3. dolosè interfecit Abner, & 2. Reg. 20. Amasam, cum postea fugisset in tabernaculum, & esset juxta altare nec vellet egredi, illic jussu Salomonis fuit interfectus 3. Reg. 2.

[ ℣. 15. *Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur.* ] Percusserit idem verbum Hebræum est quod versu 12. neque tamen hic accipitur pro sola percussione ad mortem, sed pro qualibet gravi: Statuit enim Deus pœnam mortis non tantùm in parentum occisores, sed etiam in percussores; imò & in maledictores, versu 17. ad indicandum quantò majorem debeant filii reverentiam & honorem parentibus, quàm aliis hominibus. Cum hic & alibi legimus, *Morte moriatur,* Abulensis benè observat sensum esse, quòd judices deberent eum occidere, quia istud dicitur per modum imperii.

[ ℣. 16. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ, morte moriatur.* ] 70. habent, *Quicumque furatus fuerit quempiam filiorum Israel,* non quasi impunè liceret furari hominem alienigenam; sed quia minus tolerabile erat furari Hebræum: Alioquin in Hebræo generaliter est, *furans virum* vel hominem *& vendens eum.* Statuitur hic pœna plagii seu furti quo quis furatur hominem sive liberum, sive servum. Sicut cædes hominis servi æquè puniebatur morte, ac hominis liberi; ita & plagium. Quæritur autem si quis furatus fuisset hominem, eum tamen non vendidisset: an esset morte puniendus. Resp. probabiliter quòd non: quia textus duo ponit copulativè, qui furatus fuerit & vendiderit. Moraliter hominem furatur & æterna morte dignus est qui à fide vel ab Ecclesia eum abducit, & hæreticum aut schismaticum facit. Moralia.

[ ℣. 17. *Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur.* ] Dionysius Carthusianus ista interpretatur de maledictione propriè dicta, qua quis deliberatè imprecatur malum parentibus. Cajetanus tamen non improbabiliter extendit ad verba contumeliosa quæ in patrem aut matrem jaciuntur: Nam & maledictus à Deo

pro-

pronuntiatur qui exasperat matrem Ecclesiastici 3. Intelligenda verò hæc sunt de gravi contumelia, ut & de gravis mali imprecatione, neque restringenda ad assuetudinem maledicendi ut quidam faciunt. Cæterum quòd illa maledictio in parentes jubetur puniri morte sicut blasphemia in Deum, ratio esse potest: quia parentes in hoc conveniunt cum Deo quòd sint principium nostri esse, quòdque non possumus reddere ipsis æquale; & sic congruum fuit quòd pœna maledictionis esset similis.

[ ℣. 18. *Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide vel pugno*, ] Quid si hasta, gladio, vel alio instrumento percussisset? Resp. eamdem esse rationem: quia sub usitatis instrumentis quæ rixantibus magis sunt obvia, omnia alia comprehenduntur.

[ *Et ille mortuus non fuerit*, ] Citò & evidenter ex illa percussione:

[ ℣. 19. *Si surrexerit*, ] E lecto in quo propter ægritudinem ex percussione secutam jacuerat,

[ *Et ambulaverit foris* ] seu extra domum,

[ *Super baculum suum*, ] idest, innixus baculo propter aliquam adhuc debilitatem;

[ *Innocens erit qui percusserit*, ] Immunis erit à pœna mortis, etiam si contingat eum qui percussus fuit, mori ante perfectam curationem, quia ex indiciis illis præsumitur quòd non sit mortuus ex illa percussione. Intelliguntur autem hæc quoad forum externum; quoad internum enim sive coram Deo, non ob hoc desinebat esse reus homicidii.

[ *Ita tamen ut operas ejus & impensas in medicos restituat.* ] Per operas intelliguntur ea quæ operando lucratus fuisset, si propter percussionem non debuisset cessare: unde 70. dicunt, *cessationem solvet*, qua nimirum cessare debuit ab opere, & consequenter à lucro. Alii ex Hebr. reddunt, *sedere ejus solvet*, eodem sensu: quia per sedere intelligunt cessationem ab opere.

[ ℣. 20. *Qui percusserit servum suum vel ancillam virga*, ] Sermo non est de servis & ancillis Hebræis, sed de gentilibus, juxta illud Levit. 25. *Servus & ancilla sint vobis de nationibus quæ in circuitu vestro sunt* &c. quia servus Hebræus non erat totaliter servus, sed solùm ad tempus, & propterea gaudebat eodem privilegio quo liberi, ita ut qui eum occideret sive Dominus sive alius; occidendus esset secundùm dispositionem legis, quamvis non statim moreretur. Dicitur *servum suum:* quia sive si quis occidebat servum, at non suum, occidens esset etiam servus, sive liber; communi legi de homicidis subjacebat, & erat reus mortis per judicem infligendæ. Additur, *virga:* quoniam castigatio per virgam seu bacillum non est de se mortifera; & si aliquando contingebat quòd ita castigati post aliquot dies morerentur, præsumi poterat quòd Dominus non eos castigaverat animo occidendi, vel etiam quòd non essent mortui ex illa castigatione; ideoque pœnam mortis evadebat: Si autem percussisset gladio vel alio instrumento quod de se est illativum mortis; præsumebatur percussisse animo occidendi, & propterea puniendus erat tamquam homicida, quamvis ad dies aliquot supervixisset.

[ *Et mortui fuerint in manibus ejus*, ] Hoc est, tunc temporis quando illos percutit.

[ *Criminis reus erit.* ] Obnoxius erit pœnæ homicidii, debetque ut homicida puniri, quia nimis evidens est quòd ipse illos interfecit.

Per hæc designantur Superiores qui nimis severa increpatione subditos in desperationem conjiciunt.

[ ℣. 21. *Sin autem uno die vel duobus supervixerit*, ] Servus nimirum aut ancilla,

[ *Non subjacebit pœnæ, quia pecunia ipsius est.* ] Pecunia primi casus est, non sexti: In Hebr. namque legitur, *quia argentum ejus ipse:* Et sensus est, quia ille servus aut ancilla est mancipium quod ipse possidet tamquam rem sua pecunia emptam, imò tamquam suam pecuniam; ideoque habet jus virga illos castigandi, Et quamvis in castigando excesserit, excessus tamen non videtur esse ita enormis sicut prior; neque prorsus certum est mortem contigisse ex illo excessu, & non potiùs ex percussi incuria aut ex medicorum negligentia.

[ ℣. 22. *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem*, ] quæ aut virum adjuvare, aut inter rixantes intercedere eosque separare conetur.



[ *Et abortivum quidem fecerit*, ] hoc est, sua percussione fecerit ut mulier abortiat, sive immaturum & necdum formatum fœtum ejiciat. 70. habent, *& exierit infans ejus non formatus*, idest, in quo non sit expressa imago & effigies hominis,

[ *Sed ipsa vixerit:* ] Mulier occisa non fuerit:

[ *Subjacebit damno quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri judicaverint.* ] Hoc est, juxta rationabilem postulationem mariti & secundùm discretionem arbitrorum seu judicum. Hebræa dicunt, *& dabit in judicibus*, sive prout judices statuerint: Nam hi petitionem mariti debebant moderari.

Per viros rixantes figurantur doctores qui stultas & sine disciplina quæstiones agitando, litigant, & animam spiritualiter fœcundatam percutiunt & abortire faciunt, idest à boni propositi executione impediunt.

[ ℣. 23. *Sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima*, ] idest, vitam propriam perdet pro vita quam abstulit, interveniente scilicet judicum sententia, non autem ex privata authoritate ejus qui fuit læsus. Juxta consuetudinem quippe Hebræorum anima ponitur pro vita corporali; idque rationabiliter, quia vita corporalis consistit in officio animæ secundùm quod ipsa animat corpus, atque ita idem est tollere animam secundùm quod animat, & tollere vitam. Sermo quidem est in textu nostro de morte mulieris: sed idem judicium debet esse, si ex percussione mulieris subsequebatur mors prolis; quia utroque casu percutiens committebat homicidium, propter quod pœna mortis erat constituta. Unde 70. hic dicunt *Si autem formatus fuerit*, nimirum fœtus: idest, Si proles quam mulier percussa abortit, seu ante tempus ejicit mortuam, sit perfectè effigiata, habeatque formam hominis, dabit animam pro anima. Ex hac lectione 70. colligi potest fœtum humanum animari statim atque est formatus, & non ante. Ideo enim punitur ut homicida qui formatum excussit mortuum, & non qui informem.

[ ℣. 24. *Oculum pro oculo, dentem pro dente* &c. ] Ex jam dictis generalem statuit Deus legem talionis, propter paritatem. Quasi diceret: Si quis non occidat quempiam, sed solùm mutilet aut percutiat, similiter mutiletur aut percutiatur. Si oculum effoderit, effodiatur & ipsi oculus. Si dentem excusserit, excutiatur etiam illi dens &c. Fuerunt ex Hebræis qui ista non intelligerent sicut sonant, sed sic interpretarentur quòd si aliquis erueret oculum alterius, debebat considerari quantum damnum alter patiebatur, & illud erat ei solvendum; similiterque si dentem, manum, vel pedem auferebat, damnum illatum erat æstimandum & compensandum. Sed sacer textus oppositum significat, statutum scilicet fuisse, ut quod malum aliquis alteri fecerat, ipse idem pateretur: quæ erat lex talionis. Hinc Levit. 24. *Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum, sicut fecit, sic fiet ei, fracturam pro fractura, oculum pro oculo* &c. Erat autem ista lex in eum finem introducta, juxta Aug. lib. contra Adimantum cap. 8. & lib. 19. contra Faustum cap. 25. ut esset justus limes furoris & vindictæ: sive, ut quia carnales homines ardebant multò amplius se vindicare, quàm erat injuria de qua querebantur; huic immoderatæ atque adeò injustæ ultioni justus modus poneretur. Et notandum quòd erat mandanda executioni non per eos qui læsi erant, vel pro eorum arbitrio, sed ex mandato magistratus seu judicum; quodque non habebat locum in omnibus criminibus, sed in percussionibus tantùm & mutilationibus, peccatoque falsi testimonii; neque erga quoscumque homines, sed inter privatos solùm ejusdem sortis & conditionis. Ut enim B. Th. 1. 2. q. 105. art. 2. ad 10. scribit, & ut ex ipsa lege constat, in his quæ contra Deum peccabantur, & in furto hominum, in irreverentia ad parentes, in adulterio & in incœstibus, infligebatur pœna mortis; & pro furto unius bovis, debebant restitui quinque: Pro oculo vel dente quem Dominus servo excussisset, non oportebat ipsi oculum vel dentem excuti. Idemque judicium, si rex plebejo eam injuriam irrogasset.

Lex talionis.

[ ℣. 26. *Si percusserit quispiam oculum servi sui aut ancillæ, & luscos eos fecerit*, ] idest, coclites seu unoculos. Luscus ex lucis defectu dicitur: interdum quidem is qui magis in transversum videt, quàm directè: Aliquando, qui videt modicum: Aliàs qui unum tantùm habet oculum.

[ *Dimittet eos liberos*, ] tam hoc quàm quod verſu ſeq. dicitur, intelligi debet de ſervo & ancilla gentilibus: Nam ſervi Hebræi gaudebant eadem lege qua reliqui Hebræi cum non eſſent ſervi ſimpliciter, ideoque ſi Dominus excuteret eis oculum vel dentem, puniendus fuiſſet pœna talionis. Quidam probabiliter hæc extendunt ad mutilationes manuum, pedum, aurium, & naſi, imò ad quamcumque ſaltem notabilem, ita ut propter eam à Domino illatam, liberari deberet ſervus & ancilla.

[ ℣. 28. *Si bos cornu percuſſerit virum aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur:* ] Non propter aliquam culpam bovis, ſed ad majorem deteſtationem homicidii, & ut homines magis ab eo abſterreantur. Quam ob cauſam hodie quoque necantur beſtiæ ſi pueros aliosve homines occiderint. Quæ porrò hic ſtatuuntur de bove, ob paritatem rationis ſimiliter intelligenda ſunt de equo calcitroſo, de ariete cornupeta, & aliis animalibus domeſticis quæ hominem occiderint. Et quamvis dicatur, ſi cornu percuſſerit, pariter tamen accipe, ſi morſu vel calce quemplam interemerit; quia lex caſum qui frequentior eſt exprimens, eos qui ſimiles ſunt, ſed rarius accidunt includere cenſenda eſt;

[ *Et non comedentur carnes ejus*, ] non tantùm ab Hebræis, ſed nec etiam à gentilibus, idque propter horrorem homicidii. Et veriſimile eſt nec corium bovis potuiſſe ad humanas utilitates ſervire.

[ *Dominus quoque bovis innocens erit.* ] Immunis à pœna mortis & ab illati damni reſtitutione, quia præſumitur nihil antea ſciviſſe de iſtius bovis ferocitate.

[ ℣. 29. *Quòd ſi bos cornupeta fuerit ab heri & nudiustertius*, ] hoc eſt antea, quamvis à paucis diebus: Neque enim illæ voces præciſè accipiuntur pro biduo vel triduo, ſed etiam confuſè pro tempore præterito.

[ *Et conteſtati ſunt Dominum ejus*, ] qui ſciebant bovem eſſe cornupetam, ejus herum ſeriò præmonuerunt.

[ *Nec recluſerit eam;* ] hoc additur, quia ſi ejuſmodi bovem Dominus recluſit, & aliquis introiret locum ubi erat clauſus quem bos impeteret, non imputabatur Domino.

[ *Occideritque virum aut mulierem:* ] Sermo eſt de viro & muliere liberis, ideſt, qui non erant ſimpliciter & abſolutè ſervi: Nam de ſervis diſponitur verſu 32.

[ *Et bos lapidibus obruetur*, ] in deteſtationem facti,

[ *Et Dominum ejus occident.* ] Quia non impedivit cauſam homicidii ſicut poterat & debebat.

[ ℣. 30. *Quòd ſi pretium fuerit ei impoſitum*, ] ſcilicet per judicem: Concedit enim iſta lex, ut quoniam Dominus bovis cornupetæ nec per ſe, nec de induſtria hominem interfecit, ſed per ſuam dumtaxat negligentiam indirectè fuit cauſa homicidii, poſſet (interveniente judicis authoritate) vitam ſuam pretio redimere:

[ *Dabit pro anima* ] ideſt, pro vita.

[ *Sua quidquid fuerit poſtulatus.* ] Sive quidquid propinqui hominis interfecti exegerint, ſecundùm diſcretionem judicis aut judicum.

[ ℣. 31. *Filium quoque & filiam ſi cornu percuſſerit* ] hoc eſt, occiderit.

[ *Simili ſententia ſubjacebit.* ] Filius & filia ponuntur hic non præciſè pro liberis ejus ad quem pertinebat bos cornupeta, ſed ut ſunt nomina ætatis. Q. d. Occidetur Dominus bovis cornupetæ, non tantùm ſi homines provectæ ætatis occiderit, ſed etiam ſi pueros vel puellas, niſi fortè fiat redemptio.

[ ℣. 32. *Si ſervum, ancillamque* ] in Hebr. & apud 70. *Si ſervum vel ancillam.*

[ *Invaſerit*, ] ſic nimirum ut occiderit; Nam ſi ſolùm invaſerit & non occiderit, nec Dominus pœnæ hujus legis ſubjacebit, nec bos.

[ *Triginta ſiclos argenti Domino dabit*, ] Hoc intelligitur, ſi bos percutiat ſervum aut ancillam gentilem vel de gentilitate natam; ſi enim percuteret ſervum aut ancillam Hebræam, ſervanda erat lex data pro liberis, punienduſque erat morte Dominus bovis, & bos lapidibus obruendus, niſi pretium pro Domino impoſitum ſolveretur, quia ſervus Hebræus non erat ſervus ſimpliciter & abſolutè, ſed tantùm ad tempus.

[ *Bos verò lapidibus opprimetur.* ] Ita ut neque carnes ejus comedantur, neque corium ad uſus humanos veniat: quemcumque enim hominem bos interficiat, ſemper eſt factum horribile.

[ ℣. 33. *Si quis aperuerit ciſternam, & foderit.* ] Copulativa pro disjunctiva ponitur; Nam perinde reus eſt, qui foſſam novam facit & eam non cooperit, atque is qui veterem aperit, ſi nocumentum inde ſequatur. Unde tam in Hebr. quàm apud 70. legitur, *vel foderit.*

[ *Cecideritque bos aut aſinus in eam*, ] ſeu quodcumque aliud jumentum vel pecus, veluti equus, mulus, ovis aut capra.

[ ℣. 34. *Reddet Dominus ciſternæ pretium jumentorum: quod autem mortuum eſt, ipſius erit.* ] Notat Abulenſis, quòd non ſolùm ſi mortuum fuerit, ſed etiam ſi debilitatum, aut aliqua pars corporis fracta, idem eſſet faciendum; alioquin non ſolverentur omnia damna.

Moraliter aperire ciſternam, eſt profunda Scripturæ Sacræ myſteria penetrare: per bovem & aſinum, mundum immundumque animal, intelliguntur fideles & infideles, coram quibus ſublimes ſenſus tegendi ſunt, quando periculum eſt, ne ſpirituale detrimentum inde patiantur. Imò generaliter per apertionem & foſſionem ciſternæ vel putei, intelligi poteſt omnis occaſio ſcandali, quam qui dederit, totius damni reus erit. Moralia.

[ ℣. 35. *Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, & ille mortuus fuerit:* ] Ex illa vulneratione: Domini utriuſque bovis

[ *Vendent bovem vivum, & divident pretium, cadaver autem mortui inter ſe diſpertient.* ] Supponitur hìc inprimis quòd Dominus bovis percutientis non ſciret antea ſuum bovem eſſe cornupetam, ut patet ex verſu ſeq. Deinde quòd boves illi dum viverent, eſſent æqualis valoris; Alioquin ille cujus bos eſſet notabiliter minoris valoris, reportaret commodum ubi non deberet; ſicque non ſervaretur æqualitas, quæ tamen per iſtam legem intenditur.

[ ℣. 36. *Sin autem ſciebat quòd bos cornupeta eſſet*, ] ideſt, quòd conſueviſſet cornupetere homines aut jumenta; ſubintellige, aut calcibus aut morſu lædere.

[ *Reddet bovem pro bove*, ] unum bovem tanti valoris reddet quanti erat bos qui fuit occiſus.

[ *Et cadaver integrum accipiet.* ] Ut ex eo commodum ſuum faciat vendendo gentilibus: quamvis enim Judæis non liceret veſci ejuſmodi cadaveribus, propter legem Levit. 17. v. 15. Gentiles tamen eis veſci poterant. Obſervandum aliquot ex his legibus in jus canonicum eſſe relatas tit. de injuriis, quatenus ſunt rationi naturali conſentaneæ, non verò quatenus fuerunt per Moyſen datæ.

## C A P U T XXII.

*Statuitur furti & damni illati pœna, lex depoſiti, commodati & ſtupri, ſupplicium beſtialitatis & idololatriæ, ac nocentium viduæ & pupillo. De mutuo & decimis.*

[ ℣. 1. SI *quis furatus fuerit bovem aut ovem, & occiderit vel vendiderit: quinque boves pro uno bove reſtituet, & quatuor oves pro una ove.* ] Hæc ſententia non ad quodlibet furtum bovis aut ovis pertinet, ſed tantùm ad illud, poſt quod res ablata eſt occiſa vel vendita. Quo pacto major fit injuria Domino, cui tollitur ſpes & facultas recuperandi rem ſuam; & fur manifeſtè oſtendit ſe nolle reſtituere quæ abſtulit. Varia porrò hìc quæri poſſunt.

Primum, cur plura reſtituere jubentur, qui bovem aut ovem furati eſſent, quàm qui pecuniam ſive auream, ſive argenteam. Reſp. partim quia conveniens eſt majori pœna puniri furta earum rerum quæ difficilius cuſtodiuntur, ut ſic furum audacia reprimatur; boves autem & oves difficilius cuſtodiuntur quàm pecunia: partim quia boves & oves per ſe ad multas utilitates ſerviunt hominibus: pecunia ferè ſolùm ad commutationes; quam proinde qui furatur, non tam multas utilitates directè alteri aufert, quàm is qui furatur bovem aut ovem.

Secun-

Secundum, quare plures boves restituere debebat qui bovem furabatur, quàm oves qui furabatur ovem. Resp. quia boves difficilius custodiuntur quàm oves, cum habeantur in agris & non pascantur gregatim sicut oves: ac insuper, quia majus damnum infert qui bovem quàm qui ovem furatur, cum bos ad agriculturam serviat, & non ovis.

Tertium, Cur pro una ove, quatuor; pro uno bove deberent reddi quinque. Resp. difficile esse aliam rationem adferre quàm legislatoris voluntatem; potest tamen cum B. Th. 1. 2. q. 105. art. 2. ad 9. dari ista congruentia, quòd ovis quatuor utilitates confert homini. Immolabatur enim in sacrificium, pascit carne, præbet lac, dat lanam; bos autem quinque: præterquam enim quòd immolabatur, etiam pascit carne, ministrat lac, dat corium, & valet ad arandum. Ubi notandum quòd bos communis est generis, sumiturque non tantùm pro masculo, sed etiam pro fœmina, sicut Job 21. *Bos eorum concepit, & non abortivit*, Et Psalm. 143. *Boves eorum crassæ*.

Quartum, quomodo hæc cohærent cum sequentibus, ubi dicitur duplum restituet. Resp. quia hic agitur de furto rei quam fur occidit aut vendidit, in sequentibus autem de furto rei quæ adhuc vivens inveniebatur apud furem.

Quintum, quare his non repugnat quod, Levit. 6. & Num. 5. dicitur, ut qui alium fraudavit, reddat omnia quæ per fraudem voluit obtinere, & insuper quintam partem; ubi nihil de quadruplo vel quintuplo præscribitur. Resp. sermonem hic esse de furto ad judicium forense delato, & de pœna seu mulcta per judices taxanda; In Levitico autem, ut & in Numeris, de furto & fraude occultis. Neque refert in Levit. dici *convicta delicti*: quia hoc non intelligitur de convictione per testes in judicio, sed per propriam conscientiam, prout ibi explicamus.

Sextum, quomodo cum his concordat quod Prov. 6. de fure dicitur, *deprehensus reddet septuplum*. Resp. in Proverbiis non agi de restitutione facienda ex præscripto legis, sed ex morositate ejus qui damnum passus fuerit, si noli esse contentus restitutione, quam lex jubet. Potest etiam septuplum pro pleno & abundanti accipi, sicut Eccles. 7. *Non semines mala in sulcis injustitiæ, & non metes ea in septuplum*; ut sensus sit quòd fur abundè satisfaciet læso, etiam ultra præscriptum legis. Circa hæc observandum primò, ea quæ de bobus & ovibus præscribuntur, pariter accipienda esse de aliis animalibus domesticis magnis & parvis; quemadmodum interpretantur Dionysius Carthusianus, Cajetanus, & Marzilla: Nam in Hebr. & 70. expressa fit mentio asini v. 4. sicut etiam in nostrâ versione quòd si fur non esset solvendo. Observandum 2. quibusdam visum est quòd debebat luere in cute per flagra. Sed vero similius est id quod dicetur v. 3. Observandum 3. per boves figurari Doctores; & per oves discipulos seu auditores; & moraliter significari gravius plectendum esse qui pervertit Doctores, quàm qui Discipulos, quia majus damnum infert.

[ ℣. 2. *Si effringens fur domum sivè suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percussor non erit reus sanguinis.* ] Ex versu seq. liquet de fure nocturno hic agi. Intelligitur autem de foro externo: in quo talis furis occisio non punitur, quia præsupponitur quòd vim inferre voluerit; & quòd non tantùm furari venerit sed etiam occidere: in foro autem conscientiæ reus est qui etiam nocturnum furem interficit, si res suas aliter tueri poterat, ut diximus 2. 2. q. 64. art. 7. quæsito 8.

[ ℣. 3. *Quòd si orto Sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur.* ] Quia fur diurnus securè potest repelli vel comprehendi, etiam advocato (si opus est) domesticorum aut vicinorum auxilio, non similiter nocturnus; facilèque adverti potest quòd tantùm velit furari, & non etiam vim inferre, alioquin si fur diurnus non solùm ageret furem, sed gladio vel armis furtum suum tueretur, tam impunè poterit occidi quàm nocturnus. Relata est hæc lex in jus canonicum, extra de homicidio cap. *Si perfodiens*.

[ *Si non habuerit quod pro furto reddat, ipse* ] ( fur nimirum )

[ *Venumdabitur.* ] Est hic supplementum ejus quod versu 1. fuit dictum. Quia enim multi non habent ut pro uno bove restituant quinque, & pro una ove quatuor, dubitari poterat quid tunc foret agendum. Nunc autem statuitur quòd si fur non habet ad completè restituendum, vendi debeat pro suo furto, ut de pecuniis pro ipso numeratis solvatur ei qui fuit damnum passus. Et hoc non solùm erat faciendum cum aliquis furatus fuisset bovem vel ovem, sed etiam quando furatus esset quamlibet aliam rem notabilem, vel intulisset grave damnum quod non poterat reparare. Vendi autem debebat fur Hebræus non alicui Gentili vel incircumciso, sed Hebræo, apud quem serviturus esset usque ad annum septimum, more aliorum servorum ex Hebræis. Quòd si pretium excederet jacturam damni illati, residuum erat ipsi servo reddendum; si erat minus, is qui læsus fuerat, verisimiliter debebat esse contentus. Si autem fur esset de gentilibus qui apud Judæos habitabant, poterat in perpetuum vendi, si quantitas furti vel damni ita poscebat; quia tales erant servi simpliciter & possidebantur in perpetuum.

[ ℣. 4. *Si inventum fuerit apud eum quod furatus est, vivens, sive bos, sive asinus, sive ovis: duplum restituet.* ] Fuit versu 1. præscriptum ut qui furatus fuisset bovem, redderet quinque; & qui ovem redderet quatuor, si ipse bovem aut ovem occiderat vel vendiderat: quid autem restituere deberet, si neque occidisset neque vendidisset, sed animal vivum adhuc apud se haberet, dictum non fuit. At hic statuitur, ut restituat duplum, non supra id quod accepit, sed alterum cum eo, bovem scilicet illum quem est furatus: & insuper unum alium; idque ut homines magis deterrerentur à furtis. Non jubetur tamen restitui quintuplum aut quadruplum; sive quia non tantam injuriam fecit, cum non reddiderit restitutionem quasi impossibilem, sicut is de quo versu 1. dictum est; sive quia præsumi potest quòd de restitutione facienda cogitaret.

Ex his intelligi potest non fuisse in veteri testamento ullam legem quæ furibus pœna mortis decerneret: nihilominus non improbanda est consuetudo nunc vigens, qua furtum rei majoris momenti suspendio plectitur; quando ad Reipublicæ tranquillitatem ita fieri necessarium est, ob nimiam furtorum multitudinem, & alioquin in immensum cresceret furandi licentia.

[ ℣. 5. *Si læserit quispiam agrum vel vineam, & dimiserit jumentum suum ut depascatur aliena:* ] Quidam unum dumtaxat casum istis verbis significari volunt, hæc verba (*& dimiserit*) ita interpretante, dimittendo: cum Cajetano tamen, Abulensi & aliis, probabilius videtur duos distinctos poni: Unum quo quia lædit alterius agrum vel vineam, non per hoc quòd suum jumentum illa depascatur, sed vel per seipsum conculcando, vel per transitum jumentorum, aut vehiculorum, vel aliter: Alium, quo relinquit jumentum suum pasci in agro aut vinea alterius. Idemque judicium est de damno in olivetis, pomariis, hortis, aliisque locis similibus illato.

[ *Quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni æstimatione restituet.* ] Hoc est, quantum fuerit judicatum damnum, tantum tollatur de optimo quod est in agro vel in vinea lædentis: non enim est intentio legis, ut qui læsit, semper reddat totum quod habet optimum in suis agro vel vinea; partim quia sic frequenter deberet restituere decuplum damni quod intulit; partim quia alioquin frustra adderetur, *pro damni æstimatione*: sed ut restitutionem faceret de optimis. Quòd si lædens, neque agrum haberet neque vineam, debebat æstimationem damni solvere in pecunia vel in alia re; quam si non haberet, ipse vendi debebat, ut de pretio repararetur damnum.

Fur domum effringens vel suffodiens, moraliter designat Doctores & Prælatos perversos qui non veniunt nisi ut furentur & mactent & perdant animas. Quos dum Episcopi per dominum domus significati, excommunicant, non malè sed benè agunt. Si tamen orto jam sole, quando suum errorem agnoscunt ac pœnitere volunt, eos excommunicarent, essent rei. Lædens agrum aut vineam est is qui vel Ecclesiam vel animam proximi lædit, sive bonum commune impediendo, sive doctrina perversa aut malo exemplo. Relinquit Moralia.

quit

quit jumentum suum depasci aliena, quando permittit appetitum suum conturbare alios. Restituat quidquid habet optimum, quia spoliabitur bonis spiritualibus quæ habet.

[ ℣. 6. *Si egressus ignis invenerit spinas*, ] ita legendum, & non spicas, ex Hebræo & 70. patet. Neque refert quòd spinarum exustio non fit admodum noxia: Id enim verum est si solæ spinæ ardeant, valde autem noxia est quando ignem ad spicas aut sata defert ac nutrit quò hæc lex spectat; intelligenda autem est de casu culpabili, & de incendio ex negligentia orto, ut diximus 2.2. quæst. 62. art. 4. quæsito 1. Sensus autem est, Si quis igni per ipsum excitato malè advigilaverit, neque benè caverit ne serperet, atque ita contigit quòd spinas, & exinde acervos frugum aut stantes segetes comprehenderit.

Per ignem egressum moraliter designatur fervor iræ vel impatientiæ, quo aliis causantur damna spiritualia.

[ *Reddet damnum qui ignem succenderit*. Quia scilicet fuit causa damni, Idem judicium est si per ejus culpam aut negligentiam ignis combureret linum, cannabem vel arbores alterius. Si autem præmissa quam rationabiliter debuit diligentia, quiddam tale accideret, ad nihil tenebatur; quia non erat vera causa damni, quandoquidem ut non accideret, de contingentibus nihil omisit, cap. *Si culpa tua*, extra de injuriis.

[ ℣. 7. *Si quis commendaverit amico pecuniam aut vas in custodiam*, ] per amicum intelligitur proximus, sicut habent 70. Commendaverit, idem valet quod commiserit: *in custodiam*, hoc est, in depositum; & sub nomine pecuniæ ac vasis, quidlibet aliud comprehenditur, quod apud alterum potest in custodiam & depositum poni.

[ *Et ab eo, qui sui susceperat, furto ablata fuerint*: ] Id est, è domo ejus qui illa custodienda susceperat, sive è domo depositarii, furtivè ablata fuerint.

[ *Si invenitur fur, duplum reddet:* ] Ei nimirum qui deposuerat; Nam depositario nihil erat reddendum. Illud porro duplum intelligendum est præscribi reddendum quando res depositæ & postmodum furto ablatæ, non erant boves, oves, aut alia domestica jumenta vel pecora; alioquin si essent ejusmodi animalia, servanda erat lex superius versu 1. & 4. descripta.

De depositis.

[ ℣. 8. *Si latet fur*, ] Ita ut non possit inveniri.

[ *Dominus domus* ] apud quem res fuerat deposita,

[ *Applicabitur ad deos*, ] id est, ad judices vocabitur, ibique comparebit.

[ *Et jurabit quòd non extenderit manum in rem proximi sui*, ] quod neque rem illam acceperit, neque ipso conscio accepta sit, sed prorsus sit à fraude immunis. In Hebr. nihil de juramento exprimitur, importari tamen rectè intelligitur in eo quod ibi dicitur, *Applicabitur ad deos si non miserit manum suam*; Hoc est, ut juret quòd non miserit manum suam. Unde non noster solùm interpres, sed etiam 70. meritò reddiderunt, *jurabit*. Quod sequitur.

[ ℣. 9. *Ad perpetrandam fraudem, tam in bove, quàm in asino, & ove ac vestimento, & quidquid damnum inferre potest:* Ambiguum est quo sit referendum. Cajetanus & Marzilla conjungunt cum præcedentibus hoc sensu. Depositarius jurabit quòd nullo umquam tempore extendit manum in rem proximi sui ad fraudem ei faciendam, neque in bove & asino, neque in ove aut vestimento, neque in quacumque re quæ potest ei damnum inferre: quia, ut in regulis juris postea dictum est, Semel malus, semper præsumitur esse malus, nimirum in eodem genere. Ut ergo Dominus domus sive depositarius probaret se innocentem, ejus innocentia decernitur esse manifestanda per assertionem juratoriam, quòd numquam ulla in re vel arte manum extenderit ad fraudem proximo faciendam. Cujus assertioni si quis contradicat.

[ *Ad deos utriusque causa perveniet:* ] Hoc est, discutietur à judicibus. Quoniam verò sic in Hebr. legitur: *Super omni verbo prævaricationis*, seu fraudis admissæ: *super bove, super asino, super ove, super vestimento, super omni perditione*, seu re perdita, *qui dixerit quod illud hoc, usque ad deos veniet verbum amborum*; Alii volunt hic esse unam sententiam per se positam, qua designetur, quomodo tam actores quàm judices procedere debeant in quavis re obscura. Q. d. In quocumque delicto fraudis commissæ, sive quæstio moveatur de bove, sive de asino, sive de ove, sive de quacumque alia re perdita, quam quis dixerit illam ipsam esse quæ repetitur apud alium, causa examinabitur per judices:

[ *Et si illi judicaverint*, ] si judices condemnaverint depositarium, ipse

[ *Duplum restituet proximo suo*. ] Si autem invenerint depositarium esse innocentem, servandum erat id quod Deut. 19. statuitur de illo qui alterum falsò accusaverit: hoc est, reddendum erat accusatori, sicut fratri suo facere cogitavit.

Per eum cui commendabatur, sive apud quem deponuntur vasa vel pecuniæ, intelligitur is cui communicantur dona gratiarum & scientiæ: quæ si perdi sinat, non imputabitur ei qui illa communicavit, sed aliorum neglientiæ vel malitiæ. Moralia.

[ ℣. 10. *Si quis commendaverit proximo suo asinum, bovem, ovem, & omne jumentum ad custodiam*. ] In versibus 7. & 8. actum fuit de deposito rei inanimatæ: Nunc disponitur de deposito animalium quæ in custodiam tradita fuerint, sicut Pastoribus ovium aut aliorum brutorum ea solent ipsis tradi custodienda:

[ *Et mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus, nullusque hoc viderit:* ] Qui testari possit; Si enim essent testes, ipsorum testimonio stari oporteret, non esset recurrendum ad juramentum.

[ ℣. 11. *Jusjurandum erit in medio*, ] Deponentis & depositarii seu custodis; & custos jurabit.

[ *Quòd non extenderit manum ad rem proximi sui:* ] Quòd non fuerit cooperatus ad mortem vel ad debilitatem pecoris sibi commissi, quòdque revera illud fuerit ab hostibus sine sua culpa captum & abductum,

[ *Suscipietque dominus juramentum*, ] à custode præstitum, eique juramento stare debebit. Dominus hic non intelligitur Deus, sed homo qui est dominus animalis mortui, seu debilitati vel capti, hoc est, qui animal in custodiam deposuerat. Nam in Heb. est, *dominus ejus* scilicet rei amissæ.

[ *Et ille* ] (Custos scilicet)

[ *Reddere non cogetur*. ]

[ ℣. 12. *Quod si furto ablatum fuerit*, ] si latenter & furtim sit ablatum ex potestate vel custodia depositarii seu custodis, ipso nimirum non satis diligenter vigilante & custodiente; opponitur enim hic versus præcedenti in quo agebatur de depositario cui sine ipsius culpa res erat ablata, & qui idcirco erat innocens.

[ *Restituet damnum domino*. ] Ipsam videlicet rem perditam vel ejus pretium. Non decernitur ut restituat duplum sicut versu 9. quia illic agebatur de depositario qui fraudem commiserat; hic autem de illo qui nullam fraudem, sed tantùm negligentiam admiserat; ideoque simplum dumtaxat jubetur reddere.

[ ℣. 13. *Si comestum à bestia*, ] Pecus scilicet fuerit,

[ *Deferat ad eum quod occisum est*, ] ad dominum sive ad deponentem deferat residuam partem pecoris à bestia comesti: exhibendo siquidem partem restantem, satis apparebat quòd pecus à bestia comestum fuerat. 70. habent, *ducet illud ad ostium*; qui si intelligantur loqui de ostio domus domini ad quem pertinebat animal, idem est sensus lectionis eorum qui nostræ. *Et non restituet*. Non compelletur restituere, quia non sua culpa periit, sed per violentiam cui non potuit resistere. Poterat quidem in bis aliqua fraus intervenire, sed leges considerant ea quæ communiter & per se contingunt, non quæ rarò & per accidens.

Similiter verò animarum Pastoribus, earum perditio imputabitur vel non imputabitur, secundùm quod diligenter aut negligenter eas custodierint.

[ ℣. 14. *Qui à proximo suo quidquam horum mutuò postu-*

*poſtulaverit*, ] Mutuum hic pro commodato accipitur: ea contextu enim ſatis apparet dominium ac proprietatem manere penes eum qui dat, cujus oppoſitum fit in vero mutuo, in quo ex meo fit tuum. Ita interpretantur Abulenſis, Cajetanus, Marzilla, & alii.

[ *Et debilitatum aut mortuum fuerit* ] ita videlicet ut ſi commodatus fuerit equus, aſinus aut aliud jumentum, & dum eſt ad uſum commodatarii, debilitatur vel moritur.

[ *Domino non præſente*, ] abſente illo qui commodavit.

[ *Reddere compelletur*. ] Commodatarius totum damnum jumenti debilitati vel mortui debet reparare. Ratio eſt, quia commodatum datur in ſolius commodatarii utilitatem, idcoque ipſe tenetur de culpa, etiam leviſſima, ſecundùm ea quæ diximus 2. 2. quæſt. 62. art. 4. quæſ. 3. Dum autem dominus rei commodatæ eſt abſens, ſemper præſumitur aliqua culpa commodatarii ſaltem leviſſima.

[ ℣. 15. *Quod ſi impræſentiarum dominus fuerit*, ] Si dominus rei commodatæ præſens fuerit quando ſuum jumentum fuit debilitatum vel mortuum; commodatarius.

[ *Non reſtituet*, ] Partim quia cum dominus eſt præſens, ad eum magis pertinet cura ſui jumenti quàm ad commodatarium; partim quia præſumendum eſt quòd commodatarius non malè uſus ſit jumento, quodque omnem diligentiam adhibuerit in præſentia domini: alioqui dominus eum reprehendiſſet & impediviſſet.

[ *Maximè ſi conductum venerat pro mercede operis ſui*. ] Id eſt, maximè ſi jumentum ſit conducticium: ſive, ſi commodatarius illud conduxerat, dando pretium pro ſervitio jumenti. Tali enim caſu, cum non ſit ſimplex commodatum, quod in ſolius commodatarii utilitatem cedit, ſed ſit per modum locationis & conductionis; atque adeò cedat etiam in utilitatem commodantis ſeu locantis, minus obligatur commodatarius ſeu conductor quàm ſi gratis accepiſſet rem pro ſuo commodo utendam. Conferantur quæ diximus eodem art. 4. quæſtio 3.

[ ℣. 16. *Si ſeduxerit quis virginem necdum deſponſatam, dormieritque cum ea:* ] Si ſeduxerit, hoc eſt, ſi vel mendaciis vel blanditiis vel donis aut promiſſis ad copulam carnalem ſecum habendam, induxerit. Nihil hic decernitur de illo qui per vim deflorat virginem non deſponſatam, ſed Deut. 22. v. 28. ſtatuitur ut ſolvat 50. ſiclos non quidem puellæ pro dote, ſed ejus patri pro injuria quam ipſi intulit ſtuprando ipſius filiam, & ut vitiatam ducat uxorem, eamque ſine ulla ſpe repudii retineat. Ad virginem additur *necdum deſponſatam:* quæ enim eſſet pœna carnaliter cognoſcentis deſponſatam; hoc etiam cap. non dicitur, ſed eodem cap. 22. Deut. ut nimirum ſi eſſet deſponſata per verba de præſenti, id eſt, matrimonio juncta; uterque interficeretur, adulter ſcilicet & adultera: Si tantùm eſſet deſponſata per verba de futuro, etiam uterque occidendus erat, ſi facinus commiſſum erat in civitate; ſi autem in agro, ſolus vir.

Moralis. Seductor virginis necdum deſponſatæ eſt is qui animam necdum Deo deſponſatam per fidem, ad peccatum inducit; qui etſi graviter peccet, minus tamen quàm ille qui fidelem pertrahit ad fornicationem ſpiritualem, id eſt, ad hæreſim vel idololatriam.

[ *Dotabit eam, & habebit eam uxorem*. ] Quidam hebraizantes ita vertunt, accelerando accelerabit eam ſibi in uxorem, voluntque nihil hic de dote dici, ſed tantùm de matrimonio: At 70. interpretes & Pagninus ex Hebræo vertunt conformiter noſtro interpreti, *dote* ſeu dotando *dotabit eam ſibi in uxorem:* quomodo haberi in Hebr. tradit quoque Vatablus in ſuis notis, & ita explicat, aſſignata dote accipiet eam ſibi in uxorem. Hanc dotem quidam exiſtimant eſſe determinatam Deut. 22. ad quinquaginta ſiclos: Sed hoc non eſt veriſimile, tum quòd ibi de alio caſu ſit ſermo, ut ſupra diximus; tum quòd quælibet puella deberet recipere dotem juxta ſtatum ſuum, una majorem, altera minorem, & non omnes æqualem.

[ ℣. 17. *Si pater virginis dare noluerit*, ] ſi pater puellæ quæ paulò ante erat virgo, nolit eam iſti ſeductori ſeu corruptori dare uxorem, ſive propter improbos ejus mores, ſive propter inæqualitatem, ſive propter aliam cauſam.

[ *Reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere conſueverunt*. ] Ille qui eam corrupit, dabit ei pro dote pecuniam tantam quantam aliæ virgines ejuſdem conditionis ſolent à parentibus accipere, quando nubunt. Ex his intelligi poteſt non fuiſſe in veteri teſtamento ſtatutam pœnam mortis pro ſimplici fornicatione vel ſtupro. Excipe tamen caſum quo filia ſacerdotis fornicabatur; ea enim flammis exurenda decernitur Levit. 21. probabileque eſt idem fuiſſe judicium de eo qui cum illa fuiſſet fornicatus, ob eamdem vel majorem rationem. Excipe inſuper alium caſum, quo puella quæ erat fornicata, venditabat ſe pro virgine & tamquam virgo nubebat, ſicque ſponſum decipiebat. Nam hæc dum res innoteſcebat, lapidabatur per legem Deut. 22. v. 20. ut diximus 3. p. q. 29. art. 1.

Neque prædictis obſtat quod ex Gen. 38. opponi poſſet de Thamar quæ ob fornicationem jubetur produci ut comburatur. Ut enim ibi annotavimus, ipſa non agebatur rea ſimplicis fornicationis, ſed adulterii ſeu quaſi adulterii, cum eſſet deſponſata Sela filio Judæ.

[ ℣. 18. *Maleficos non patieris vivere*. ] In Hebr. eſt, *Maleficas*, ſive ut alii vertunt, præſtigiatrices *non vivificabis*, id eſt, non ſinas vivere, ſed interfice; ſicut de Davide dicitur 1. Reg. 27. *Virum & mulierem non vivificabat*. Licèt autem textus Hebræus exprimat ſexum fœmineum, certum tamen eſt etiam virilem intelligi, ſicut habet noſtra verſio; ſed textus ille id expreſſit quod communius accidit, ſexus enim fœmineus magis obnoxius eſt ſortilegiis & veneficiis quàm virilis: quamquam per maleficos vel maleficas non hic intelligantur ſoli illi vel illæ quos vocare ſolemus ſortilegos aut ſortilegas, ſed generaliter omnes qui fœdus habent cum dæmone, ſicque utuntur artibus illicitis. Obſervat autem Eſtius non hic dici, non patieris vivere, ſi maleficiis ſuis quæcumque nocumenta inferant, ſed abſolutè, ut intelligamus hoc peccatum morte puniendum, non ſolùm propter læſam Rempublicam, ſed propter hoc ipſum quòd malefici ſunt ſeu incantatores, quod per ſe tale eſt ut mortem mereatur, quia ſcilicet eſt crimen apoſtaſiæ à Deo, & transfugii ad ejus adverſarium diabolum, ita ut ei deferatur honor Deo debitus. Addit Liranus, eumque ſecuti Cajetanus & Marzilla, legem hanc poni inter eas quæ reprimunt concupiſcentiam carnalem: quia ſortilegia frequenter fiunt in his quæ pertinent ad actum carnis, ſive ut loquitur Dionyſ. Carthuſ. quia puellæ per maleficia quædam decipi ſolent. Qui hic malefici.

[ ℣. 19. *Qui coierit cum jumento, morte moriatur:* ] Quia eſt peccatum nimis contra naturam. Unde Levit. 20. ipſum quoque jumentum jubetur interfici in deteſtationem facinoris.

[ ℣. 20. *Qui immolat diis*, ] hoc eſt, alicui eorum qui ab idololatris dicuntur dii, & non ſunt.

[ *Occidetur*, ] quia ſacrificium, cum per illud cultus latriæ exhibeatur, ſoli Deo eſt offerendum, unde ſequitur.

[ *Præterquam domino ſoli*. ]

[ ℣. 21. *Advenam non contriſtabis, neque affliges eum:* ] Quoquo modo illum contemnendo, aut illi nocendo. Quod cum nulli ſit faciendum, ſpecialiter inhibetur faciendum advenis ſeu peregrinis; tum quia facilius eſt eos decipere illiſque nocere, quàm aliis; tum quia Hebræi deſpiciebant reliquas gentes; tum denique ob ſequentem rationem.

[ *Advena enim & ipſi fuiſtis in terra Ægypti*. ] Secundùm quod Gen. 47. reſponderunt Pharaoni, *Ad peregrinandum in terra tua venimus*. Sicut ergo ipſi fuerunt illic advenæ, & volebant Ægyptios ſibi compati, & non contriſtare nec affligere eos; ita ipſi debebant non affligere nec contriſtare quoſcumque advenas. Eſt enim lex naturalis Tob. 4. *Quodcumque ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri feceris*. Porro quod dicitur advena non eſſe contriſtandus neque affligendus, intellige de advena formaliter ſeu ex eo quòd ſit advena; alioquin ſi eſſet juſta cauſa contra eum, ſervandum erat illud naturale præceptum Levit. 19. *Juſtè judica proximo tuo*, Et Deut. 1. *Quod juſtum eſt judicate*.

*cate*. Similiterque accipiendum quod de vidua & pupillo mox sequitur: Nam alioquin cap. seq. monentur judices non misereri pauperis (eadem autem est ratio pupilli & viduæ) in judicio.

[ ℣. 22. *Viduæ & pupillo non nocebitis*. ] Quia sunt personæ miserabiles adjutorio destitutæ: Nam viduæ carent maritis, & pupilli parentibus qui solent eis esse adjutores.

[ ℣. 23. *Si læseritis eos, vociferabuntur ad me*, ] ad quem velut unicum suum adjutorem habent refugium, unde est illud Psal. 9. *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor*. Vociferabuntur autem contra vos, quasi vindictam de injusta sui oppressione expetentes. Ut enim diximus ad cap. 4. Genes. oppressio viduarum, & pupillorum est unum è peccatis in cœlum clamantibus. Unde versus

*Clamant ante Deum vox sanguinis, & Sodomorum,*
*Vox oppressorum, merces detenta laborum.*

[ *Et ego audiam* ] sive exaudiam.

[ *Clamorem eorum*: ] Faciendo id quod petunt, & exhibendo me vindicem injustitiæ quam patientur: quemadmodum enim Deut. 10. dicitur, *Deus facit judicium pupillo & viduæ*.

[ ℣. 24. *Et indignabitur furor meus*, ] Faciam quod homines valde indignati facere solent, acriter vos puniam; sequitur enim tamquam explicatio.

[ *Percutiamque vos gladio, & erunt uxores vestræ viduæ, & filii vestri pupilli*. ] Sicque punitio iniquitatis patrum & maritorum aliquo modo redundabit in proles & in uxores, in quantum sunt secundùm corpus, aliquid patrum & maritorum: Imò sic etiam implebitur illud Sap. 11. *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur*.

[ ℣. 25. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum*, ] Hoc est, alicui de populo Israel, eique pauperi & concivi tuo. Etsi enim omnis populus sit Dei, soli tamen Israelitæ peculiariter vocabantur populus Dei, tamquam à Deo specialiter electus, & ad ejus cultum deputatus.

[ *Non urgebis eum quasi exactor*, ] non nimis citò repetes, nec importunè exiges ea quæ mutuasti, quemadmodum facere solent exactores.

[ *Nec usuris opprimes*. ] Quidpiam ultra sortem exigendo, ratione mutui. In Heb. habetur. *Nec pones super eum morsum*; & per morsum Hebræi intelligunt usuram, eò quòd sicut morsus serpentis non multum percipitur à principio, postea tamen causat inflationem, & effectum suum diffundit per totum corpus, hominemque consumit; sic usuræ malum vix sentitur in principio, sed postea ad magnam summam ascendit, & devorat totam hominis substantiam. Unde patet usuram non solùm esse malam respectu Hebræorum, sed absolutè & simpliciter seu ex natura sua, cum sit secundùm se læsiva. Vide quæ diximus 2. 2. q. 78. art. 1. *Usura est per se mala.*

[ ℣. 26. *Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum*, ] Per vestimentum intelligitur operimentum seu tegumentum quo homines nocte teguntur ad dormiendum, ut ex v. 27. patet.

[ *Ante solis occasum reddes ei*. ] In Hebr. sonat usque venire solem vel usque ad ingredi solis, reddi ipsum ei. Q. d. Vesperi illud ei redde ac relinque usque dum sol veniat sive usque ad ortum solis. Quod intelligendum est si ille qui pignus dedit, sit pauper, notabiliterque indigeat isto operimento, de nocte: Nam sequitur.

[ ℣. 27. *Ipsum enim est solum quo operitur*, ] quo opus habet, ut nocte se operiat,

[ *Nec habet aliud in quo dormiat*: ] Ex quibus haud difficulter colligi potest quòd ubi non esset tanta paupertas, non erat prohibitum retinere pignus usque dum redderetur id quod sub pignore fuerat datum. Ubi autem tanta erat paupertas, ille qui vesperi pignus reddiderat, poterat mane repetere, & alter debebat ei reddere, tum ne oblivisceretur sui debiti, tum ut creditor aliquam haberet assecurationem.

[ *Si clamaverit ad me*, ] Conquerens contra te quòd tam inhumaniter gravas eum, non reddendo ei suum pignus ante solis occasum.

[ *Exaudiam eum*, ] Vindicans duritiam & inhumanitatem tuam.

Petes, quid facto erat opus, si pro pignore daretur vestimentum diurnum. Resp. cum Abulensi, quòd numquam dabatur si unicum esset: si autem duo aut plura erant, dabatur unum eorum, & non reddebatur usque ad solutum debitum.

[ ℣. 28. *Diis non detrahes*, ] Quidam hæc de diis Ethnicorum sunt interpretati, volentes ista lege prohiberi convitia & maledicta in deos Gentium; partim ne ipsæ per illa irritatæ prorumpant in voces nefarias contra verum Deum, ut Philo lib. 1. de Munarchia, partim quia Dei nomen etiamsi falsò quibusdam imponatur, ratione deitatis sit venerandum, ut Cyrill. Alex. lib. 12. in Joannem capit. 19.

Sed communis sententia omnino tenenda est, quæ per deos hic ut & in præcedentibus versibus, judices & Principes intelligi, unde mox tamquam istorum verborum explicatio sequitur. *Per deos intelliguntur judices.*

[ *Et Principi populi tui non maledices*. ] Sententiam hanc tradunt idem Cyrill. lib. 7. contra Julian. post med. Theodoretus q. 51. in Exod. Gregorius hom. 8. in Ezechiel. & in lib. 1. Reg. cap. 6. Glossa interlin. Liranus, Dionysius Carthus. Cajetanus, Abulensis, Oleaster, & alii. Hujus porro præcepti ratio est, quoniam si alicui detrahere & maledicere, peccatum est ad Rom. 1. & 1. ad Corinth. 6. multò magis illicitum est judicibus & principibus detrahere aut maledicere, qui Vicariam Dei potestatem exercent. Et quoniam ratione sui officii debent delinquentes corrigere ac punire, sicque frequenter subditorum offensam incurrunt; ideo cavere debent subditi ne adversùs illos indignentur, & ex indignatione ipsis detrahant aut maledicant.

[ ℣. 29. *Decimas tuas & primitias tuas* ] In Hebr. dicitur, *Plenitudinem tuam & lachrymam tuam*. Per plenitudinem verò intelligitur abundantia rerum aridarum, ut frugum, fructuum, atque jumentorum, seu ex ea decimæ & primitiæ: Per lachrymarum autem, primitiæ & decimæ de rebus liquidis quæ guttatim instar lachrymarum defluunt, ut vini, olei, mellis, & hujusmodi: quomodo intellexerunt 70. sic reddentes, *Primitias areæ & torcularis tui*.

[ *Non tardabis reddere*: ] Tempore convenienti persolve, & non differas ultra quàm decet. Tardare enim dicitur, non qui non statim reddit, sed qui tempore quo tenebatur non reddit. In quo sensu loquitur Propheta Habacuc 2. de Christi adventu dicens, *Si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet & non tardabit*: hoc est, ejus adventus non differetur ultra tempus suum, sive ultra tempus à divina providentia constitutum. Videantur quæ diximus Supplem. quæst. 4. art. 2. quæsito 2. in resp. ad 1. *Quid tardare censetur.*

Moraliter docemur quidquid boni habemus vel agimus, Deo semper ascribere, & quidem maximè id quòd in eo principale est.

[ *Primogenitum filiorum tuorum dabis* ] seu offeres.

[ *Mihi*. ] Secundùm scilicet ea quæ cap. 13. v. 2. diximus.

[ ℣. 30. *De bobus quoque, & ovibus similiter facies*. ] Offeres mihi primogenita eorum, si sint masculini sexus, ut exprimitur cap. 13. vers. 12. Et quod de bobus & ovibus hic dicitur, de aliis quoque animalibus immolatitiis est intelligendum.

[ *Septem diebus sit cum matre sua*. ] Quodlibet tale primogenitum sit per septem dies cum matre, & ab ea alatur, ut interim aliqualiter consolidetur, sicque aptius fiat ad sacrificium, de quo sequitur.

[ *Die octava reddes illum mihi*. ] Offerendo in sacrificium. Admodum probabile est quod annotat Abulensis, hæc non sic esse intelligenda quasi primogenita deberent de necessitate offerri octavo die: Loci namque distantia ab urbe Jerusalem in qua sola post ædificationem templi poterant offerri sacrificia, frequenter impediebat ne post septem dierum nutritionem ex matre, possent die octava illic esse: sed eorum sensus est, quòd primogenita non possent ante octavum diem offerri, propter nimiam scilicet eorum teneritudinem & imperfectionem, unde & tunc minùs sunt apta esui; poterant tamen die octavo. Sed quando nimis

erat

erat incommodum eo die offerre, offerebant quando in feſtis ibant Jeroſolymam vel alio tempore commodiore.

Moralia. Sic nos ſeptem diebus hujus ſæculi manere debemus cum matre Eccleſia, & in octavo reſurrectionis ſiſtemur Deo.

[ ℣. 31. *Viri ſancti eritis mihi.* ] Facite ut ſitis viri mundi & immaculati coram me, tum animo, præceptis meis obediendo; tum corpore, ſtudioſè cavendo ab immunditiis exterioribus quæ hominem inquinare cenſentur. Unde ſubjungit.

[*Carnem, quæ à beſtiis fuerit prægustata, non comedetis:* ] Per beſtias quidam intelligunt feras, putantque carnem à cane aut fele prægustatam potuiſſe comedi ab Hebræis. Sed Lirani expoſitio magis placet ſcribentis in Hebr. ſic haberi, *Carnem quæ à beſtiis fuerit lacerata vel diſſipata non comedetis*; ac docentis quòd non ſolùm erat ipſis prohibitum comedere carnes, quarum unam partem comederant beſtiæ, ſed etiam carnes animalis occiſi à quacumque beſtia, ſylveſtri, vel domeſtica, etiamſi nihil de occiſo comediſſent: Hinc Levit. 5. v. 2. & cap. 17. v. 15. occiſum à beſtia cenſetur eſſe immundum. Lirani expoſitionem ſequitur Abulenſis, conſequenter docens non licuiſſe Judæis comedere carnes in canum vel earum avium venatione acceptas quæ prægustant aliquid ejus animalis quod occidunt; ſed tantùm de illa venatione vel aucupio in quo ipſimet occidebant animal aptum eſui.

Si quæras quid de animali læſo quidem à beſtia, ſed poſtea ſanato. Reſp. Judæos potuiſſe de illo comedere, quandoquidem non eſſet à beſtia occiſum, neque ea vulnere mortuum.

[ *Sed projicietis canibus.* ] Ceſſante nimirum commoditate vendendi gentilibus: quæ commoditas ſi erat, Cajetanus cenſet quòd poterat illis vendi. Præcepti hujus ratio eſt, ut Hebræi ſic docerentur aliquam munditiam ſeu ſanctitatem externam, nihilque feritatis habere; & ut ipſis ingereretur quidam horror cœdis & effuſionis ſanguinis. Moraliter non debemus comedere carnem prægustatam à beſtia; quia non licet nobis amplecti vel ſequi doctrinam animalem hæretico vel diabolico opere laniatam.

## C A P U T XXIII.

*Pergit dare præcepta judicialia, ſcilicet de perſonarum & munerum acceptione. Deinde ſubdit quædam cæremonialia de ſabbato & de tribus præcipuis feſtivitatibus anni. Promittit Angeli ducatum: & quod paulatim expellet hoſtes eorum de terra promiſſionis.*

[ ℣. 1. N*On ſuſcipies vocem mendacii.* ] Verbis falſis non credas, neque acquieſcas illis quæ falsò ſparguntur de proximo.

[ *Nec junges manum tuam ut pro impio dicas falſum teſtimonium.* ] In Heb. *Ne ponas manum tuam cum impio ad exiſtendum teſtem iniquitatis.* Senſus eſt: Non te jungas impio, ut pro ipſo teſtificeris falſum, ejuſque cauſam falſo tuo teſtimonio adjuves.

[ ℣. 2. *Non ſequeris turbam ad faciendum malum:* ] Pro turbam, in Heb. eſt, *multos.* Q. d. etiamſi iniquus vel cauſa injuſta multos habeat ſuffragatores, ne ſequaris illos, ne propter illorum authoritatem abducaris à recto.

[*Nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut à vero devies,* ] ſeu ab eo quod eſt æquum. Conſerantur quæ diximus 2. 2. q. 67. art. 2.

[ ℣. 3. *Pauperis quoque non miſereberis in judicio.* ] Non propterea miſerearis pauperis in judicio, quia pauper eſt. Si reus eſt, aut cauſa ejus injuſta ſit; non ideo ipſum abſolvas, vel pro ipſo ſententiam feras quia eſt pauper: quoniam etſi miſericordia ſit bona, illa tamen bona non eſt quæ judicium evertit. Unde Pſal. 32. legimus quòd *Deus diligit miſericordiam & judicium:* & David Pſal. 100. ait, *Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine.*

Neque his obſtat illud Eccleſiaſtici 4. *In judicando eſto pupillis miſericors ut pater:* quoniam hoc intelligitur ſalva cauſæ juſtitia, & præceptum continet ut judex cauſas pupillorum pariterque pauperum non minus admittat quàm divitum, nec ſinat eos à potentioribus opprimi; ſed dum juſtam cauſam habent, pro ipſis judicet, nulla divitum habita ratione.

Moraliter malè miſeretur pauperis qui ſuæ concupiſcentiæ ſibique ipſi contra rectam rationem appetenti nimis indulget.

[ ℣. 4. *Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum.* ] Per inimicum intelligitur is qui inimico erga te eſt animo: ſive ut ex ſeq. verſu patet, qui te odit; ſicque præcipiebatur Hebræis benefacere iis qui ipſos oderant: unde ſequitur quòd dilectio inimicorum etiam ipſis præcepta fuerit, quemadmodum probavimus 2. 2. q. 25. art. 8. De illo autem contra quem tu inimicum geris animum non directè hic agitur, quia non tantùm oportet eum juvare in periculo, verùm (quod majus eſt) debemus deponere inimicitiam. Dilectio inimici fuit præcepta in lege veteri.

[ ℣. 5. *Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere, non pertranſibis; ſed ſublevabis cum eo.* ] Ita etiam reddiderunt 70. interpretes, cum lectio Hebræa ſit ambigua, eamque ſic alii vertant, *& ceſſabis à deſerendo, deſerendo deſeres cum eo.* Ambiguitatis cauſa eſt quòd (ut ſcribit Oleaſter) Hebræi carent apicibus & virgulis indicantibus interrogationes, jam dicta autem verba Hebræa tametſi quis poſſet aſſertivè accipere, intelligi tamen debent interrogativè, perinde ac ſi diceretur: ceſſabiſne, & deſeres? Ita pertranſibis ut omnino deſeras ſic ſub onere jacentem, neque adjuves? minimè verò. Ita lectionem Hebræam accipiendam, ut cum noſtra & 70. interpretum verſione conveniat, manifeſtum eſt; tum ex eo quòd Deus hic commendet miſericordiam & humanitatem erga inimicos; tum quia Deut. 22. ubi eadem ferè ſententia repetitur, ſic Hebræa ſonant conformiter noſtræ verſioni, *Non videbis aſinum fratris tui vel bovem ejus cadentes in via, & abſcondes te ab eis: erigendo eriges ſecum.* Ponuntur autem hic bos & aſinus, quia iſta animalia communiora erant apud Hebræos: ſed ſicut de iſtis dicitur, ita de quibuslibet aliis eſt intelligendum; cum in omnibus eadem ſubſit ratio.

Sed quæritur, quare hæc præcepta inſerantur inter ea quæ judices tangunt. Reſp. partim ad innuendum quòd propter lites quæ in foro juſtitiæ agitantur, non oportet habere rancorem vel indignationem, ex qua deinde omittat quis opem ferre proximo, etiam illi qui ſicut in litibus accidere ſolet, averſum ab eo habet animum: partim ne quis ex verſu 3. colligat Deo non placere miſericordiam, verſibus 4. & 5. voluit oſtendere miſerendum eſſe proximo, quamvis ipſe inimicus tuus ſit quando opera noſtra indiget.

[ ℣. 6. *Non declinabis in judicium pauperis.* ] Judicium pro condemnatione poſitum intelligi poteſt hoc ſenſu: non deflectes à recto tramite, ut pauperem condemnes. Cui conforme eſt quod 70. dicunt: *Non pervertes judicium pauperis in judicio*, ſeu in lite *ejus.* Superius præceperat non miſereri pauperis in judicio; nunc per oppoſitum præcipit non eſſe pervertendum judicium contra pauperem. Quemadmodum enim non eſt pro paupere jus dicendum, propter ejus paupertatem, ſed propter juſtitiam cauſæ ipſius; ita non eſt propter eamdem paupertatem judicandum contra eum ſi bonum jus habet.

[ ℣. 7. *Mendacium fugies.* ] ita ut nec proferas nec foveas illud, imò quantum potes, impedias. Quod ad judicem ſpecialiter pertinet, ut in judicio neque ipſe mentiatur iniquam ferendo ſententiam, neque teſtes falſum deponentes foveat aut toleret: Unde 70. habent, *Ab omni verbo injuſto recedas.* Ubi pro verbo, alii legunt judicio.

[*Inſontem & juſtum non occides:* ] Quod aliqui, etiam magni nominis doctores interpretantur de illo qui in foro judiciali probatur eſſe juſtus & innocens, aut ſaltem non probatur nocens. Verumtamen probabilius hæc accipi ſicut verba ſonant, de eo qui revera eſt & ſcitur eſſe innocens, ex his quæ diximus 2. 2. q. 67. art. 2. colligendum relinquimus.

[ *Quia averſor impium.* ] quia abominor impium, qualis eſt ille (tametſi ſit judex) qui occidit innocentem. In Heb. quia non juſtificabo impium, id eſt, non pronunciabo eum juſtum nec relinquam impunitum.

[ ℣. 8.

[ ℣. 8. *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes,* ] Hebraicè *videntes*, vel apertos sive oculatos, hoc est, eos qui ante receptionem munerum apertos habent mentis oculos. Deut. 16. ubi hæc sententia repetitur, habetur, *excæcant oculos sapientum* seu eorum qui ante erant sapientes. Ex muneribus quippe affectus recipientis inclinatur ad inordinatum amorem tam dantis quàm munerum, & emollitur contra rigorem justitiæ, ut invitè offendat donatorem, atque ita fit ut causa quæ est injusta, non appareat injusta, sed vel probabilis vel justa, ideoque sententiam pronunciet pro munerum donatore, tametsi justam causam non habeat.

Munera non accipiat judex.

[ *Et subvertunt verba justorum.* ] Faciunt ut qui prius erant justi, solebantque verba justa seu sententiam justam ferre, postea ferant iniquam. Hinc de filiis Samuelis 1. Reg. 8. legimus quòd *acceperunt munera, & perverterunt judicium*. De principibus quoque populi Israel Isai. 1. dicitur quòd essent socii furum, diligerent munera, sequerentur retributiones, non judicarent pupillo. Contra verò laudatur Samuel Eccli. 46. quòd *pecunias & usque ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accusavit illum homo*, secundùm ea quæ scribuntur 1. Reg. 12. benè observat Dionysius sicut hæc dicuntur judicibus, ita etiam pertinere ad testes: Nam & hi ex munerum acceptione ad mentis excæcationem inducuntur ut falsum deponant, sicut Mat. ult. fecerunt custodes sepulchri.

[ ℣. 9. *Peregrino molestus non eris.* ] quod omnibus Hebræis dictum est cap. 22. ut advenam non contristarent nec affligerent; idem nunc mandatur judici, qui sua potestate abutendo posset peregrinos peculiariter affligere, ipsis negando vel retardando justitiam. Et quamvis nemini molestus esse debeat, minus tamen peregrinis; quia hi cum sint extra terram & cognationem suam, humana ope destituti sunt, sicque nimium affligerentur, si à judice molestiam sustinerent, à quo justitiam expectant. Indigenæ autem possunt à suis cognatis adjuvari.

[ *Scitis enim advenarum animas.* ] Experimento nostis qualiter affecti sint advenæ seu peregrini, in quanta miseria quantoque mœrore ac timore versentur, dum se reperiunt omni consolatore & adjutore destitutos, extra suam patriam.

[ *Quia & ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti.* ] Peregrinus & advena pro eodem hic sumuntur, tametsi alioquin diversos significent, sicut Genes. 23. diximus. Rationem istam proponit Deus, quia nullus ita paratus est succurrere misero quàm qui fuit miser: unde ajebat illa.

*Non ignara mali miseris succurrere disco.* Maximèque hic convenit monitum Sapientis, *Intellige quæ sunt proximi tui ex teipso*, Eccl. 31.

[ ℣. 10. *Sex annis seminabis terram tuam, & congregabis fruges ejus,* ] pro tuo & familiæ tuæ victu ac vestitu.

[ ℣. 11. *Anno autem septimo dimittes eam, & requiescere facies, ut comedant pauperes populi tui:* ] Ubi quæri potest: Utrùm Judæi anno septimo, quamvis non possent metere, saltem possent serere. Et videri posset quòd sic; quid enim alioquin colligere possent pauperes ex quo vescerentur.

Anno septimo nec serere licebat.

Verumtamen Resp. quòd eo anno nec serere poterant nec metere. Nam hoc expressè habemus Levit. 25. *Septimo anno sabbatum erit terræ, requietionis Domini, agrum non seres.* Et postea, *Si dixeritis, quid comedemus anno septimo, si non severimus* &c. Ita quoque Judæos intellexisse testatur Josephus lib. 3. Antiquit. cap. 10. & Philo lib. de execratione. Confirmatur, Septimo anno erat sabbatum seu requies terræ: si autem tunc potuisset seri, terra non quievisset; quia debuisset arari & ad sementem disponi.

Ad argumentum oppositum Resp. In arboribus, vineis, oliveris clarum est sine prævia seminatione potuisse multa ex ipsis colligi; in frugibus autem, leguminibus, & oleribus colligi poterant ea quæ & humus sponte gignebat & ex seminibus anno sexto per agros delapsis crescebant. Hujus porro quietis anni septimi ratio fuit, tum ut quemadmodum dies septimus erat memoriale creationis mundi, & quietis Domini ab omnibus suis operibus; ita annus septimus ejusdem rei esset memoriale, tum ut Judæi discerent pendere à divina providentia; tum ut pauperibus prospiceretur; tum denique ut post unius anni quietem terra esset feracior.

Quæritur præterea. Unde anno septimo & octavo vivebant qui pauperes non erant. Resp. quòd ex illis quæ anno sexto collegerant: promisit namque illis Deus Levit. 25. quòd benedictionem daret anno sexto, quòdque terra faceret fructus trium annorum. Si quibus tamen forte illa non sufficerent, poterant sicuti pauperes, colligere ex iis quæ reperiebantur in agris, modò solùm colligerent ad usus quotidianos, & non reconderent in futurum, ut fit in messe. Ab illis enim quæ anno isto nascebantur, nullus excludebatur, nec dominus agri nec advenæ & peregrini, nec jumenta vel pecora, quemadmodum patet ex Levit. 25. quamvis hæc abigi possent & pro eis inde pabulum quæri, si periculum erat ne vineas aut stirpes novellas demolirentur.

Quibus vescebantur anno septimo & octavo Judæi.

Quoniam porro annus septimus valde fuit celebris, & dictus annus sabbaticus, eò quòd tunc esset sabbatum seu requies terræ, quæri posset: quando & unde incœperit. Sed solutio ad cap. 25. Levitici pertinet. Interea verò dicimus incœpisse post divisionem terræ promissionis factam Josue 18. quando eam colere cœperunt; ita ut annus ab eo tempore septimus, fuerit sabbaticus, & sic deinceps. Initium autem fuisse videtur à mense septimo, quandoquidem eo mense Jubilæum fuerit inchoatum, ut patet ex Levit.

[ *Et quidquid reliquum fuerit, edant bestiæ agri:* ] Quidquid in agris septimo anno manebat quod homines non comederant, relinquebatur bestiis terræ, ut sic Dei bonitas, & Hebræorum benignitas etiam bestiis communicaretur.

[ *Ita facies in vinea & in oliveto tuo.* ] Superius solum de agris dictum est quòd sex annis sererentur & meterentur, septimo autem dimitterentur; Nunc dicitur quòd non solùm in agris, sed etiam in vineis & olivetis, idem esset servandum, & consequenter in hortis quoque & in variis generibus arbustorum quæ ab hominibus possidentur atque coluntur. Ita Abul.

[ ℣. 12. *Sex diebus operaberis: septimo die cessabis,* ] Ne Judæi existimarent quòd in anno septimo sufficeret requies à cultura terræ, vineæ, oliveti, horti & aliorum hujusmodi, neque tenerentur eo anno ad quietem, septimo cujusque hebdomadis die præceptam supra cap. 20. hic præceptum istud repetitur, juxta Liranum, Cajet. Marzillam:

[ *Ut requiescat bos & asinus tuus.* ] Non erat hæc principalis causa cur septimus dies præciperetur esse sabbaticus seu quietis, sed ut homines essent memores beneficii creationis, & in Deo requiescerent. Sermo tamen fit de bove & asino, vel accipiendo voculam, *ut* consecutivè; perinde ac si diceretur, Septima die cessabis, & tunc non laborabit bos nec asinus tuus: vel si capiatur causaliter, intelligi debet de causa secundaria & accessoria; neque enim sermo hic est istis animalibus propter ipsa, sed ad formandum hominis affectum erga bestias, ne si sit eis crudelis, & hominibus paulatim fiat crudelis.

[ *Et refrigeretur filius ancillæ tuæ, & advena,* ] Quiescendo à laboribus.

[ ℣. 13. *Omnia quæ dixi vobis, custodite.* ] Ex Heb. verti potest, *In omnibus quæ dixi vobis cauti estote:* id est, magna diligentia custodite omnia quæ dixi.

[ *Et per nomen externorum deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro.* ] Neque in Hebræo neque apud 70. aliquid exprimitur de juramento; quod tamen noster interpres rectè expressit: Ita enim illic habetur, *Nomen deorum aliorum non memorabitis, non audietur super os tuum.* Prioris quippe partis sensus est, ne aliorum deorum nomen ita memoretis ut ipsos habeatis pro diis; jurare autem per nomen aliorum deorum, est eos pro diis habere, cum juratio per aliquem sit professio divinitatis ipsius, exhibetur si quidem illi honor tamquam si esset infallibilis veritatis, quod

soli

ſoli Deo proprium eſt. Per deus porro exteros ſive alios ab uno Deo, ſignificatur illi qui nequaquam ſunt dii, ſed à gentibus falsò reputantur dii. Per partem poſteriorem præcipitur, ut falſos deos ne nominent quidem Judæi; quod non ſic intelligendum venit quaſi nullo modo poſſent nomen eorum exprimere; illud enim expreſſit Elias 3. Reg. 18. *Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baal, ſequimini illum.* Et poſtea, *Apprehendite Prophetas Baal:* ſed quòd non poſſent eos cum bono affectu vel cum honore nominare. An autem juramentum recipere vel etiam exigere ab eo qui noſcitur per falſos deos eſſe juraturus, ſit licitum, 2. 2. q. 98. art. 4. diſcuſſimus, & in partem affirmantem reſolvimus.

Ut liceat nominare falſos deos.

[ ℣. 14. *Tribus vicibus per ſingulos annos mihi feſta celebrabitis,* ] ſcilicet in Paſchate, Pentecoſte, & Scenopegia, non quòd hæc ſola feſta fuerint per Hebræos ſingulis annis celebranda; cum Levit. 23. plura jubeantur; ſed quoniam iſta tria quiddam habebant peculiare quod in aliis feſtis non erat, de quo dicetur verſu 17. Celebrabantur autem hæc feſta; Paſchatis, decima quinta menſis primi Num. 28. in memoriam liberationis de Ægypto & conſervationis primogenitorum Exod. 12. Pentecoſtes, die quinquageſimo poſt Paſcha, Levit. 23. & Deut. 16. ad recolendum beneficium legis datæ, Scenopegiæ ſeu tabernaculorum; die decima quinta menſis ſeptimi, Levit. 23. & Num. 29. ad commemorandum beneficium protectionis & deductionis per deſertum, ubi in tabernaculis habitaverant.

[ ℣. 15. *Solemnitatem azymorum cuſtodies.* ] Incipit explicare quæ ſint illa feſta ter in anno celebranda, & primùm vocat ſolemnitatem azymorum quæ cum Paſchate erat conjuncta: quarta decima enim die finiente ſeu ad veſperam poſteriorem incipiebat uſus azymorum ſimul cum immolatione agni Paſchalis, & quinta decima die erat ſolemnitas Paſchæ.

[ *Septem diebus comedes azyma, ſicut præcepi tibi,* ] ſupra c. 12. ſic nimirum ut totis illis diebus non inveniretur fermentatum in ipſorum domibus.

[ *Tempore menſis novorum,* ] Seu novarum frugum; in terra namque Chanaan, ſicut etiam in Ægypto novæ fruges maturеſcunt menſe primo. Vide quæ ad v. 4. c. 13. ſupra diximus.

[ *Non apparebis in conſpectu meo vacuus.* ] Nullo trium iſtorum feſtorum comparebis in loco, ubi peculiariter præſentem me exhibeo, abſque munere vel oblatione quam mihi facies. Locus autem ille erat, primò quidem tabernaculum fœderis, poſtea templum.

Apparere in conſpectu Dei cur dicerentur.

Cæterum etſi Deum ubique eſſe, fide certum ſit, unde conſequens eſt ubicumque ſunt homines eos ſemper eſſe in conſpectu Dei; rectè tamen ſpecialiter dicebatur apparere in conſpectu Dei is qui ad tabernaculum vel ad templum veniebat, quia præſentiam ſuam ſpeciali quadam ratione Deus ibi exhibebat tum loquendo de medio Cherubim Exod. 25. & ad oſtium tabernaculi cap. 29. tum orationes exaudiendo beneficiaque illic orantibus præſtando Reg. 8. Ex hoc loco B. Joannes Chryſoſtomus hom. 1. in poſteriorem epiſtolam ad Timoth. Monet fideles idcirco pauperes aſtare ante fores Eccleſiæ, ut datis ante orationem eleemoſynis non vacui ingrediamur, ſed miſericordia comite. Et generaliter omnes ad Deum accedere debemus non vacui, ſed pleni miſericordia & cum virtutum ac bonorum operum oblatione.

Moralis.

[ ℣. 16. *Et ſolemnitatem* ] ſcilicet cuſtodies & celebrabis

] *Meſſis primitivorum operis tui, quæcumque ſeminaveris in agro,* ] Iſtud eſt ſecundum de prædictis feſtis, quod vocabatur Pentecoſte, id eſt, quinquageſima, ſcilicet dies: ac etiam ſolemnitas hebdomadarum infra cap. 34. quia ſeptem dierum hebdomades numerandæ erant ab oblatione manipuli quæ fiebat in Paſchate uſque ad feſtum Pentecoſtes. Vocabatur inſuper dies ſeu feſtum primitivorum Num. 28. quia tunc offerebantur duo panes primitiarum, ſeu de primis frugibus, & hi panes erant figura Euchariſtiæ, juxta S. Iren. lib. 4. contra hæreſ. cap. 32. Aliarum porro ſententiæ hic eſt ſenſus: Cuſtodies ſolemnitatem in qua ſolvi debent primitiæ meſſis de omnibus operibus tuis, ſive de omnibus frugibus quas in agro tuo ſeminaveris. Ubi obſervare licet quòd in hac ſolemnitate non offerebant ſpicas ut in Paſchate, ſed panes ex novis frugibus coctos; quia meſſis jam erat adultior, & non minus Deo debentur primitiæ ex frumento demeſſo, quàm ex virenti adhuc in agris tempeſtatum periculis expoſito.

Moraliter de ſpicis offerunt primitias, qui primam ætatem ſuæque juventutis annos Deo conſecrant; quamvis necdum in plenam meſſem, id eſt in perfectum ſtatum excreverint. De panibus verò ac de ſegetibus demeſſis offerunt, qui cum ad perfectam ætatem pervenerint, de ſapientia ac pietate primitias ei conſecrant.

Moralis.

[ *Solemnitatem quoque* ] (Celebrabis ſcilicet.)

[ *In exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro.* ] Hoc eſt tertium feſtum quod vocatum fuit ſcenopegiæ ſeu tabernaculorum, eò quòd tabernacula tunc figerent ac in illis habitarent in memoriam peregrinationis per deſertum; & celebrabatur decima quinta die menſis ſeptimi, qui complectebatur partem noſtri Septembris & partem Octobris. In Hebræo vocatur feſtum collectionis, eò quòd celebraretur poſt collectas fruges in gratiarum actionem. 70. Dicunt feſtum conſummationis, quia tunc meſſis eſt conſummata, perfectaque frugum collectio.

Si quæras quomodo dicatur in exitu anni, cum ſupra cap. 12. Menſis Niſan qui reſpondet noſtro partim Martio partim Aprili, declaratus fuerit eſſe primus menſis anni. Reſp. illum fuiſſe primum menſem anni ſacri, juxta quem feſta computabantur: Menſis autem ſeptimus qui dicebatur Tiſri, partim fuit primus partim ultimus anni vulgaris, quo Judæi in rebus civilibus utebantur, ſecundùm quod erat vel non erat propinquior æquinoctio autumnali ex quo anni iſtius principium numerabatur. Cum enim erat propinquior, erat anni civilis initium: Cum autem menſis octavus erat vicinior, ipſe erat anni principium & menſis ſeptimus erat illius anni finis. Quod ergo hic dicitur *in exitu anni*, idem valet ac circa exitum ſeu finem anni: Potius tamen dictum eſt in exitu quàm ſicut dici potuiſſet, in principio anni, ut indicaretur cauſa hujus feſti eſſe ad gratiarum actionem pro omnibus frugibus eo anno perceptis.

[ ℣. 17. *Ter in anno apparebit omne maſculinum coram Domino Deo tuo,* ] hoc eſt, ad tabernaculum, ſive poſt templi ædificationem, ad templum veniet, tribus nimirum illis vicibus de quibus verſu 14. & Deutero. 16. Reſtringitur autem præceptum ad maſculos, ita ut mulieres non obligarentur ire ad iſta loca, primò quia cùm ordinariè ſint teneriores & imbecilliores, non ita ſuſtinent labores itineris. 2. Quia oportebat illas domi manere tum pro lactandis parvulis, tum pro curanda familia, & iis quæ ad eam ſpectabant. Si quæ tamen mulieres ex devotione cuperent viros ſuos comitari, hoc poterant, ſicut B. Virginem iviſſe cum Joſeph, habemus Lucæ 2.

Notant autem Liranus & Dionyſius, quòd cum illis qui longè diſtabant ab Jeruſalem, diſpenſaretur ut illuc non venirent in feſtis Pentecoſtes & tabernaculorum, modò venirent pro Paſchate. At hujus diſpenſationis nullum extat fundamentum: quod enim ex Lucæ 2. poſſet adferri, Joſephum eò ſolum in Paſchate veniſſe, & non in aliis duabus feſtivitatibus; neque probatur, neque eſt probabile. Ex eo namque quòd Evangeliſta ſcribit parentes Chriſti ſolitos ire per omnes annos in Jeruſalem in die ſolemni Paſchæ, non ſequitur quòd in duabus aliis ſolemnitatibus non conſueviſſent ire; cum habuerit cauſam ſcribendi de Paſchate, hanc videlicet quòd quæ narraturus erat de Chriſto in Jeruſalem remanente, eo tempore eaque occaſione contigerant; De reliquis autem feſtivitatibus mentionem faciendi non erat ratio. His conſentiunt Tiretus & Maldonatus. Quoniam porro clarum eſt nec infantulos nec ſenes decrepitos potuiſſe pro feſtis illis ire in Jeruſalem.

Nulla fuit diſpenſatio pro longè diſtantibus.

Quæ-

Quæri potest, qui comprebendatut sub isto universali, *omne masculinum tuum*. Abulensis dicit quòd omnes viri & pueri jam habentes osum rationis. Quia tamen durum videtur pueros quinque vel sex annorum obligare ad iter plurium dierum, similiterque universim viros sexagenarios; & septuagenarios; probabilius eum Cajetano dici potest solos masculos à vigesimo ætatis suæ anno usque ad quinquagesimum, aut certè ad sexagesimum fuisse comprebensos, & bac lege obligatos: quoniam tales numerari solent velut qui sunt ætatis robustæ Levit. ult. & Num. 1. Alii autem tamquam imperfecti vel emeriti habebantur.

Qui masculi debebant ter comparere.

Quæritur præterea, quinam Hebræorum masculi debuerint juxta banc legem comparere ad festa illa celebranda, Utrùm liberi tantùm, an etiam servi. Resp. quòd etiam servi sive Hebræi sive Gentiles, modò essent circumcisi; circumcisionem enim suscipiendo obligabant se ad universas legis ceremonias, ut testatur Apostulus ad Galat. 5. excipiendi nibilominus sunt omnes illi masculi, quibus propter infirmitatem non erat in tergum iter facere.

Quæri denique potest, quomodo conservabantur ab adversariis domus & bona Judæorum, quando omnes masculi ibant in Jerusalem pro festis supradictis? Resp. quòd per beneficium Dei particulare, qui legem suam servantibus ejusmodi beneficia promiserat Deut. 28. & expresè id eis dixit infra cap. 34. v. 24.

[ ℣. 18. *Non immolabis super fermento sanguinem victima mea, ne remanebit adeps solemnitatis mea usque mane.* ] Apud 70. sic legitur: *Quando ejecero gentes à conspectu tuo & dilatavero fines tuos; non immolabis* &c. Quæ priora verba non sunt in Hebræo, addita autem videntur ad indicandum istas leges demum obligasse Hebræos quando fuerunt in terra promissionis. Sermonem hic esse de victima Agni paschalis scribunt Liranus, Abulensis, Cajetanus; idque satis patet ex cap. 34. sequenti, ubi idem præceptum sic repetitur; *Non immolabis super fermento sanguinem hostia mea, neque residebit mane de victima solemnitatis Phase.* Immolare autem super fermento, idem bic valet, ac immolare fermento existente in domo; ita ut istius præcepti sensus sit: ne Agnus Pascbalis immoletur nec sanguis ejus fundatur donec è domibus Hebræorum totum fermentum totomque fermentatum sit amotum, juxta legem scilicet supra cap. 12. v. 15. expositam: Et adeps sacrificii in ea solemnitate mihi dicata oblatus non remanebit usque mane, sed eadem nocte incendetur qua immolabitur agnus; de ipso namque, eodem illo cap. 12. præscriptum est; *Non remanebit quidquam ex eo usque mane.*

Allegorica.

Non contemnendam allegoriam buc adhibet S. Bruno Episcopus Herbipolensis sic dicens: Sanguinem victimæ, Cbristi sanguinem intelligimus. Præcipit ergo sanguinem victimæ super fermento non immolari, id est, Cbristi sanguinem ab iniquis nec recipi nec sacrificari. Super fermento namque victimæ sanguis immolatur. quando Christi sanguis vel ab impiis Sacerdotibus conficitur, vel iniquis ad bibendum traditur.

[ ℣. 19. *Primitias frugum terra tua deferes in domum Domini Dei tui.* Primitiæ sunt primi fructus. Eos cap. sup. Deus præceperat solvi: Nunc jubetur non tantùm solvantur, sed etiam deferantur ad locum ubi fuerit tabernaculum aut templum. Opportunitas autem illuc deferendi maxima erat, quando ter in anno ibant Jerusalem ad solemnitatem.

Primitiæ triplices.

Si quæras, quibus de rebus solvendæ essent primitiæ, & quanta portio. Resp. 1. quòd de terræ frugibus & fructibus quos terra quotannis solet producere: Unde triplices erant primitiæ annis singulis persolvendæ. Primæ erant de spicis quæ offerebantur secunda die azymorum, Levit. 23. vers. 10. Secundæ, de novis panibus in Pentecosten, eodem cap. vers. 17. Tertiæ, de arboribus, vitibus, oliveris & aliis quæ in fine messis babebantur, & offerri debebant in festo tabernaculorum in exitu anni. His si addamus primitias de panibus qui ferè hebdomadarim in quibusque familiis pinsebantur, & de quibus unum separare debebant velut primitias Deo, juxta præceptum Num. 15. v. 19. & 20. datum; quadruplices erunt primitiæ; hæ tamen postremæ non debebant ferri in Jerusalem, sed distribuebantur inter Levitas diversis in locis habitantes.

Resp. 2. cum B. Hieron. in cap. 45. Ezecbielis, quem sequitur S. Thom. 2. 2. q. 86. art. 3. ad 4. quantitatem primitiarum non fuisse definitam, sed offerentium arbitrio relictam; traditionem tamen Hebræorum babere, quòd Sacerdotibus offerretur inter quadragesimam & sexagesimam; qui plurimum, dabant quadragesimam; qui minimum sexagesimam. Idem docens Hugo Cardinalis super cap. 15. Numer. addit quod de gregibus & armentis darent unum de ducentis, eumque sequitur Lorinus ibidem.

[ *Non coques hædum in lacte matris suæ.* ] Tam hic quàm infra cap. 34. & Deut. 14. Septuaginta pro hædo, habent agnum: & par ratio est agni & hædi, imò omnium quæ lacte adulescunt. Etsi porro clara videatur bæc sententia, variè nibilominus explicatur. Quidam apud Vatablum sic exponunt. Ne coquas bædum simul cum matre: Sufficiat tibi coquere hædum, ne cum eo simul coquas matrem; quomodo Deut. 22. mandatur ut mater non capiatur simul cum pullis: At hæc expositio multis non placet; De matre enim coquenda textus nibil dicit. Alii probabilius bunc sensum reddunt, Ne coquas hædum in lacte matris, id est, lactantem seu quamdiu sugit lac matris. Huic tamen sensui opponitur quòd tam bædi quàm agni puterant die octava immolari, postquam septem diebus fuissent cum matre, ut patet ex cap. sup. v. 30. & Levit. 23. v. 26. octava autem die adhuc lactant; quòdque 1. Reg. 7. Samuel legitur in bolocaustum obtulisse agnum lactentem. Neque videntur satisfacere qui dicunt hædos aut agnos lactentes potuisse quidem offerri & coqui ad sacrificium, non tamen ad esum, & hanc scripturam procedere de illis coquendis ad esum. In primis ènim nullum est bujus discriminis fundamentum. Deinde, primogenita bovis, ovia, & capræ quamvis die octava offerrentur, comedebantur à Sacerdotibus & ab eorum domesticis, Num. 18. v. 17. & 18. Carnes quoque bostiæ pro delicto & victimæ pacificorum comedebantur, non habita ratione utrum adhuc lactarent, an non. Levit. 7.

Probabilissimum igitur est quod alii interpretantur sicut verba sonant. Non coques hædum in lacte matris, ita nimirum ut lac maternum locum aquæ subeat, & in eo tamquam in aqua lixetur agnus. Ita Philo l. de charitate, Clemens Alex. l. 2. stromatum, uterque post med. S. Thumas 1. 2. q. 102. art. 6. ad 4. Liranus, Abulensis, Dionysius Cajetanus, Oleaster, Marzilia. Si dicas numquam fuisse consuetudinem lixandi agnos in lacte materno, ideoque non fuisse causam id prohibendi Hebræis: B. Tbomas, Liranus, Cajet. boc negant, dicentes quòd idololatræ ita consueverant carnes hædi coquere in solemnitatibus idolorum. Hujus ergo præcepti ratio litteralis una fuit in detestationem consuetudinis idololatrarum: Altera, ut Hebræos erudiret ad humanitatem: Ad quamdam enim crudelitatis speciem pertinet, id quod hædis pro nutrimento servire debet, convertere in eorum consumptionem. Si autem erga pecudes bumanum esse oportet, quantò magis erga homines?

Mystica.

Sensu allegorico significatur quòd Christus non erat occidendus in tenera ætate; Morali autem, quòd peccatores non sint nimis molliter tractandi.

[ ℣. 20. *Ecce ego mittam Angelum meum*, ] Introducit hic Deus mentionem protectionis Angelicæ, ut Judæos magis excitet ad suæ legis observantiam.

Quis iste Angelus.

De isto Angelo non convenit quis sit intelligendus. Quidam enim Moysen, alii Josue intelligunt, alii Christum Dominum. Sed contra duos priores facit, quòd Moyses non introduxit filios Israel in terram promissam; & quòd Josue non præcessit eos nec custodierit in via per desertum, quæ tamen iste Angelus dicitur esse facturus. Et quamvis Angelus significet nuntium, ipsi autem fuerint nuntii Dei; non facile tamen invenietur quòd scriptura vocet eos Angelos. Christus quidem reperitur vocatus magni consilii Angelus Isai. 9. juxta versionem 70. & in Introitu tertiæ Missæ Nativitatis Domini; non est tamen verisimile hic ipsum intelligi; quia Christus non fuit in propria per-

persona missus ad populum Israeliticum ducendum & custodiendum : sed hoc totum fecit per Angelos tamquam per suos ministros, reservabaturque ista dignitas novo testamento, ut Deus loqueretur nobis in filio, ad Heb. 1. Conferantur quæ diximus ad cap. 3. Exodi versum 2. Etsi ergo quidam veteres Christum hic significatum voluerint, juxta sensum allegoricum intelligendi sunt : Litteraliter autem sermo est de vero & puro Angelo, uno videlicet de spiritibus Angelicis, quemadmodum interpretantur Liranus, Oleaster, Dionysius, Marzilla, Estius, Marius, & alii communiter, addentes hunc Angelum fuisse illum qui Josue 5. se dicit principem exercitus Domini, id est, Michaelem, qui synagogæ præfuit, & Dan. 10. vocatur princeps populi Israelitici, & cap. 12. princeps magnus qui stat pro filiis ejusdem populi. In hunc siquidem omnia quæ sequuntur, optimè quadrant.

*Verus fuit Angelus.*

[ *Qui præcedat te, & custodiat in via,* ] significatur quòd Angelus non ita esset præcessurus populum ut ab eo abiret, sicut frequenter contingit inter homines, sed sic ut simul custodiret. Angeli enim cum sint spiritus, ita præcedunt ut etiam adsint. Præcedunt, ut viam ostendant periculaque amoveant ne in illa incidamus; custodiunt autem tum à periculis, imminentibus, tum à præsentibus, ne illis succumbamus. Angelicæ porro custodiæ exempla habemus in Agar, quam Angelus remisit ad dominam suam Genes. 16. in Lot, ne periret cum Sodomis Gen. 19. in Jacob, ne læderetur à socero vel à fratre Genes. 31. 32. 33. in Hebræis per quadraginta annos solitudinis; in Tobia, Judith, sociis Danielis, ipsoque Daniele, in Juda Machabæo 2. Machab. 11. & in Petro Apostolo Act. 12.

[ *Et introducat in locum quem præparavi.* ] In terram Chanaan sæpius antea promissam. Cæterum, si Deus populo suo tam fidum custodem dedit pro itinere & introductione in terram hujus mundi, quantò magis existimandum est quòd pro via & introductione in terram viventium, sive in patriam cœlestem, Angelos custodes nobis attribuat, cum omnes sint administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis, ad Hebr. 1. Conferantur quæ diximus 1. p. q. 113.

*Angeli nos custodiunt.*

[ ℣. 21. *Observa eum,* ] juxta Hebræum, *Cave à facie ejus*, id est, reverenter te habe coram eo. Observantia enim pertinet ad reverentiam, & exhibetur illis qui sunt in dignitate constituti, 2. 2. q. 101.

[ *Et audi vocem ejus,* ei obedias.

[ *Nec contemnendum putes :* ] Ex Hebræo alii reddunt, non exacerbabis eum; aut non eris ei rebellis. Sensus est, ne quasi rebellis & contumax putes eum ejusve mandatum esse contemnendum, ex quo possit habere occasionem exacerbationis.

[ *Quia non dimittet cum peccaveris,* ] non relinquet te impunitum. Ex quo colligitur Angelos hominum custodes, esse eorumdem percussores, quando Deus vult ipsos propter sua peccata percuti.

[ *Et est nomen meum in illo.* ] Ille Angelus nomen ac personam meam sustinet : quidquid imperat & agit, nomine meo facit; & consequenter, si ipse contemnitur, ego contemnor.

[ ℣. 22. *Quòd si audieris vocem ejus &c.* ] Dicto quid inobedientem maneat, ostendit successum obedientis.

[ ℣. 23. *Et introducit te ad Amorrhæum.* ] De gentium illarum vario numero diximus ad fin. cap. 15. Genes.

[ ℣. 24. *Non adorabis deos eorum, nec coles eos :* ] Quia gentes ad quorum terram hic dicuntur introducendi Israelitæ, habebant deos aureos, argenteos, & complures alios, periculumque erat ne ipsi ex Ægyptiorum consuetudine ad idololatriam proni, gentibus istis delectis ad deos earum converterentur, præceptum in decalogo expressum jam repetitur, & admonentur Hebræi ne deos illarum gentium adorent, honorem ac reverentiam eis exhibendo, neque per orationes, oblationes, aut sacrificia eos colant.

[ *Non facies opera eorum,* ] Scilicet Chananæorum. Quæ ipsi ad honorem deorum suorum faciunt, tu ne feceris. In Heb. & 70. habetur. *Non facies secundùm opera eorum*, eodem sensu, id est, non imitaberis mores & ritus quos diis suis exhibent.

[ *Sed destrues eos,* ] Deos scilicet quos sibi fingunt.

[ *Et confringes statuas eorum.* ] Pariterque aras, delubra, lucos & omnia quæ ad idololatriam pertinent.

[ ℣. 25. *Servietisque Domino Deo vestro,* ] Soli nimirum. Nulli cultum soli Deo proprium ( qui cultus latriæ vocatur ) exhibebitis, præter quam Deo vestro, quia ipse solus est Deus verus : alii autem qui dicuntur dii, non sunt dii, & nihil habent ob quod servitus illa suprema possit eis attribui.

[ *Ut benedicam panibus tuis & aquis,* ] Ut cibus & potum tibi dem in abundantia : per panes enim & aquas intelliguntur omnia ad cibum & potum pertinentia; & Dei benedictio abundantiam importat.

[ *Et auferam infirmitatem de medio tui.* ] Faciam ut plena sanitate fruaris, & ut pestis aliorumque morborum incommoda à te avertantur.

[ ℣. 26. *Non erit infœcunda, nec sterilis in terra tua:* ] Quæ verba non continere præceptum sed promissionem fœcunditatis, diximus Supplem. quæst. 41. art. 2. Cæterum sicut fœcunda dicitur quæ frequentem vel abundantem fructum facit, ita vocatur infœcunda, quæ non nisi rarum aut exiguum producit fructum; sterilis autem, quæ nullum potest fœtum concipere. Ex Hebræo alii vertunt, *Non erit abortiens* seu quæ intempestivè fœtum edat, *nec sterilis*. Quoniam ergo & sterilitate & abortu impeditur multiplicatio generis humani; dum promittitur utrumque abfuturum, ea multiplicatio designatur esse futura.

[ *Numerum dierum tuorum implebo.* ] Faciam ut ad longævam senectam pervenias, tantoque tempore vivas quanto naturaliter vivere potes. Quia populus Hebræus erat infirmus & terrenis addictus, ad mandatorum suorum observantiam Deus illos inducit, promittendo bona temporalia, quæ terrenis hominibus multum sunt desiderabilia, scilicet abundantiam cibi & potus, sanitatem perfectam, liberorum copiam, & longitudinem vitæ. Quæ tamen promissiones non fuerunt absolutæ, sed conditionatæ, si nimirum legem sibi à Deo datam servarent : quam quia sæpe multumque fuere transgressi, ideo non est mirandum, si promissionum illarum effectibus sæpe caruerint.

*Promissiones temporales & conditionatæ.*

Si dicas etiam justos quosdam cibo & potu indiguisse, morbis laborasse, & dies suos non implevisse, ut patet in Davide, Elia, Jeremia, ac in Machabæis, aliisque pluribus qui morte violenta vitam finierunt : Dionysius Carthusia. respondet promissiones prædictas non sic esse intelligendas, quasi Hebræis justis numquam accideret defectus cibi & potus, corporis infirmitas, infœcunditas aut sterilitas & vitæ brevitas : sed quòd prius expressæ prosperitates temporales communiter dandæ essent legem servantibus, quamvis interdum ex causa speciali aliter contingeret.

*Ob solvitur.*

[ ℣. 27. *Terrorem meum mittam in præcursum tuum,* ] Efficiam quòd prius quàm ingrediaris terram promissam, populi ad quos intraturus es perterreantur, mirumque in modum pavescant. Qui terror vocatur Dei, quia non erat causandus propter magnitudinem & robur Hebræorum, cum de populis terræ illius scriptum sit Deut. 7. quòd multò majoris numeri ac robustiores essent quàm Hebræi; sed quia Deus erat illum causaturus ex auditione miraculorum & fortitudine operum quæ ipse fecerat & porro facturus erat propter Hebræos, sicut patet ex c. 2. Josue.

[ *Et occidam omnem populum, ad quem ingredieris :* ] Pro occidam, alii ex Hebræo vertunt, *amentes faciam*, ut 70. interpretes, quos sequitur August. q. 92. in Exod. Oleaster & Marzilla scribunt verbum Hebreum pro quo habemus occidam, propriè significare frangere vel stupefacere. Ex consequenti autem, etiam significat occidere; qui enim animo franguntur & præ stupore nimio destituuntur viribus, facile moriuntur, præsertim si stupor ille diu perseveret. Promittit ergo Deus quòd omnem populum ad quem ingressuri sunt Hebræi, animo franget, sicque stupefaciet ac attonitum reddet, ut valde multi moriantur, non ab illis, sed ab ipso Deo occisi : nam quòd scripturæ

sensus non sit omoes ad unum occidendos, suadet quod jam sequitur.

[ *Cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam* : ] Cogam illos ut ante te fugiant. Hebr. est, *dabo omnes inimicos tuos ad te cervicem.* Faciam ut omnes inimici tui vertant tibi cervicem seu partem capitis posteriorem, fugiendo: & sic idem est sensus.

[ ℣. 28. *Emittens crabrones* ] pro crabrones, 70. habent *vespas*, sicut etiam est in nostra versione Sap. 12. B. August. in qq. super Exod. non intelligit vespas aut crabrones propriè dictos, sed metaphoricos, timoris scilicet aculeos. At in locutionibus magis propendet in propriè dictos; estque hæc sententia omnino tenenda, cum nihil sit quod à proprio scripturæ sensu nos recedere compellat. Promittit ergo Deus quòd sit emissurus examina crabronum seu vesparum, quæ sunt animalcula ex equorum cadavere ortum habentia, ut Chananæos aliosque populos fugarent, sicut hic dicitur; ac etiam occiderent, sicut habetur. Sap. 12. Etsi verò non legatur ubi & quando Deus hujusmodi animalia immiserit, immisisse tamen dubitari non potest, quandoquidem tam hic quàm Deut. 7. Deus promiserit, factumque fuisse dicatur, Josue 24. & Sap. 12.

[ ℣. 29. *Non ejiciam eos à facie tua anno uno* : ] Hoc addit Deus, ut non turbentur Hebræi, putentque Deum non servare sua promissa, quando ingressi terram promissionis videbunt non statim deleri vel ejici omnes ejus populos. Ex hoc autem quod ait, non uno anno ejiciendos, non est inferendum ejiciendos fore secundo vel tertio anno: tantùm enim dicitur quo tempore hoc non sit futurum; nequaquam verò determinatur tempus, quo fieri debeat. Unde in libris Josue & Judicum habemus multas earum gentium fuisse superstites, & terram suam adhuc incoluisse. Imò post quadringentos octoginta annos egressionis filiorum Israel de Ægypto, supererant de Amorrhæis, & Hethæis, & Pherezæis, & Hevæis & Jebusæis quos non potuerant filii Israel exterminare, & quos Salomon fecit tributarios, ut patet ex 3. Reg. 9. collato cum cap. 6.

Numquam ejecta fuerunt omnes gentes.

Si quæras, quando igitur Deus juxta suas promissiones ejecerit omnes gentes, ut earum loca inhabitarent Israelitæ: Resp. numquam ejecisse omnea, eò quòd ipsi nimis frequenter in idololatriam reciderint; promissiones autem Dei erant sub conditione, si à Deo ejusque mandatis non recederent. *Si custodieritis mandata quæ ego præcipio vobis* &c. *disperdet Dominus omnes gentes istas*. Deut. 11. Et cap. 19. *Si tamen custodieris mandata ejus &c.* Hæc est B. Hieron. sententia ep. 129. & in cap. 20. Ezechielis, Andreæ Masii in cap. 1. Josue Pererii in fin. disp. 10. ad cap. 15. Genes. Quibus conformiter addi potest quòd si Deus non introduxisset populum Hebræum in idola prolapsum, ad ullam terræ Chanaan portionem, nihil fecisset vel contra fœdus cum Patriarchis initum, vel contra suas promissiones: quia omnia illa habebant conditionem quam populus non servavit. Sed Deus ut ea se bonus ac misericors est; & peccata illi condonare, & in maximam terræ promissæ partem eum inducere voluit.

Cæterum quare non statim ejecerit aut deleverit gentes terræ promissionis incolas; variæ sunt rationes quarum una hic exprimitur:

[ *Ne terra in solitudinem redigatur*, ] ne terra Chanaan fiat deserta & inculta: Nam ut habetur Deut. 7. Gentes terræ illius multò majoris numeri erant, occupabantque propterea terram longè majorem, quàm Hebræi possent occupare. Ex quo constat terram Israelitis promissam fuisse valde spatiosam: quamvis enim ipsi essent plus quàm sexcenta millia virorum, ea tamen mansisset multum deserta, si soli eam incoluissent.

Rationes cur Deus nō statim delevit omnes Chananæos.

[ *Et crescant contra te bestiæ*. ] seu feræ sylvestres, ut leones, ursi, lupi, aliaque genera quæ terram desertam libenter habitant, in eaque multiplicantur, & non similiter in terra habitata, quia confestim extirpantur ab hominibus hominesque fugiunt.

Secunda ratio adfertur Judic. 2. & 3. ut Deus in illis populis relictis experiretur quænam esset Israelitarum erga Deum Deique cultum observantia & constantia.

Tertia, ut in iisdem populis erudirentur Hebræi, & discerent certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi, ibidem.

[ ℣. 30. *Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis, & possideas terram*. ] Hoc additur ad consolationem Israelitarum, ut quamvis viderent non statim exterminari omnes Chananæos, non propterea desponderent animo, sed scirent tantum sibi semper dandum esse de terra eorum quantum occupare possent.

[ ℣. 31. *Ponam autem terminos tuos à mari rubro*, ] ex parte Orientis, ut interpretantur Litanus, Dionysius, Abulensis, & Maraila: quamvis enim mare rubrum non sit prorsus Orientale respectu terræ Chanaan, est tamen inter Orientem & Meridiem, quemadmodum scribunt Abulensis, Oleaster, & Marius.

[ *Usque ad mare Palæstinorum*; ] Quod est ad Occidentalem partem ejusdem terræ Chanaan, & vocatur mare Mediterraneum ac etiam mare Occidentale:

[ *Et à deserto usque ad fluvium* : ] Nomine deserti intelligitur desertum Arabiæ, quod est ad Australem partem terræ Chanaan: & per fluvium intelligitur Euphrates, sicut exprimunt 70. exprimitur etiam Genes. 15. qui per antonomasiam dicitur fluvius, & est septentrionalis eidem terræ. Nominantur autem termini terræ Israelitis promissæ, partim ut scirent contra quos deberent bella movere ad terram eorum occupandam; partim ut nosse possent quantitatem sortium distribuendam; partim ut terræ sibi promissæ amplitudinem audientes, ad eam anhelarent.

[ *Tradam in manibus vestris habitatores terræ*, ] per quod ostendit non eorum, sed Dei viribus expugnandos esse Chananæos:

[ *Et ejiciam eos de conspectu vestro*. ] Faciendo ut omnes interficiantur, si præceptis meis obedieritis.

[ ℣. 32. *Non inibis cum eis fœdus*, ] cum incolis terræ vobis promissæ nullum pacis aut amicitiæ pactum ineas.

[ *Nec cum diis eorum* : ] Sive illos colendo, sive cultum illorum permittendo.

[ ℣. 33. *Non habitent in terra tua*, ] sed usque ad internecionem eos percutias, ut dicitur Deut. 7.

[ *Ne forte peccare te faciant in me*, ] periculosa namque est malorum societas. Unde, quia Israelitæ præcepta hæc non servaverunt, frequenter in idololatriam lapsi sunt.

Ad allegoriam & tropologiam quod attinet, si Christo per Angelum figurato fuerimus obedientes, ipse affligentes nos, hostes nimirum tum visibiles tum invisibiles affliget, prout saluti nostræ spirituali expedierit. Panibus & aquis nostris benedicet, dando nobis alimentorum spiritualium abundantiam: infirmitatem animæ quæ ex peccato est auferet: Non erit infœcunda nec sterilis, quia faciet ut & Ecclesia dilatetur, & anima nostra bonos fructus producat. Implebit numerum dierum nostrorum, faciendo ut moriamur pleni bonis operibus. Terrorem suum mittet in præcursum nostrum, ita quòd Ecclesia erit suis hostibus terribilis ut castrorum acies ordinata. Occidet inimicos nostros, passiones & vitia superando ac etiam delendo: Verumtamen non uno anno, quia vult nos paulatim proficere, & jugiter contra concupiscentiam certare, ne nimia securitate vel quiete torpeamus, & terra cordis nostri redigatur in solitudinem, oriantur que in ea malæ bestiæ, dæmones ac dæmonum fraudes. Mystica.

CA-

## CAPUT XXIV.

*Moyses populo refert præcepta Dei, sancit fœdus inter Deum & populum asperso sanguine victimarum in populum. Deinde montem ascendit, ibique est cum Deo, quadraginta diebus.*

[ ℣. 1. MOysi quoque dixit: *Ascende ad Dominum tu & Aaron, Nadab, & Abiu,* ] Moyses cap. 20. ascendit ad locum ubi Deus præsentem se exhibebat, ibique accepit leges capitibus sequentibus descriptas, nec huc usque legitur descendisse: quomodo ergo nunc ei dicitur, ut ascendat ad Dominum?

Resp. quia post leges illas à Deo seu ab Angelo Dei personam repræsentante acceptas, Moyses revera descendit ad populum, ut ex versu 3. patet, eique istas leges proposuit; quas dum acceptavit populus, Moyses sacrificia Deo obtulit, & fœdus cum populo iniit, postea verò rursum ascendit cum Aaron, & illis de quibus hic dicitur. Hujus ergo præcepti, *Ascende ad Dominum*, Liranus, Cajetanus, Marzilla sensum istum rectè adferunt: Postquam leges meas populo annunciaveris, easque ipse receperit, veni & ascende ad Dominum, non tu solus, sed simul ascendant frater suus Aaron, & duo ejus filii majores natu Nadab & Abiu.

[ *Et septuaginta senes ex Israel*, ] Hos septuaginta senes quidam volunt fuisse præcipuos eorum quos ad consilium Jethro, Moyses constituit ad judicandum, supra cap. 18. Alii intelligunt illos qui Num. 11. leguntur à Deo constituti. Sed prioribus obstat, quod verisimile sit Jethro non venisse ad Moysen, nisi aut sub finem primi anni, aut sub initium secundi, secundum ea quæ cap. 18. diximus; hæc autem acciderunt mense tertio primi anni. Posterioribus quoque id obesse videtur, quòd quæ Num. 11. leguntur, contigerint in sepulchris concupiscentiæ, ad quem locum non venerunt Israelitæ nisi post vigesimam diem mensis secundi anno secundo, ut patet conferenti cap. 10. Num. hæc autem acciderunt dudum autem, cum essent in deserto Sinai.

Dicendum igitur cum Abulensi, quòd septuaginta senes de quibus nunc agitur, non erant aliqui judices, vel constituti in aliqua speciali dignitate aut officio, sed erant de honoratioribus populi, quos Moyses elegit.

[ *Et adorabitis procul.* ] Commune hoc erat Moysi & omnibus comitibus ipsius, qui cum ad radices montis Sinai ascederent, debebant ibi subsistere, & Deum cujus gloria in cacumine montis Sinai apparebat, de longè adorare.

[ ℣. 2. *Solusque Moyses ascendet ad Dominum*, ] Ne quis putet hæc opponi præcedentibus; sciendum est quòd in versu primo agitur de ascensu ad pedem montis, qui vocatur ascensus, quia è loco castrorum quæ in inferiori parte erant, oportebat ascendere ut ad montis radicem venirent: & dicitur ascensus ad Dominum, quia Deus in toto monte erat per specialem operationem: In secundo autem versu sermo est de ascensu in montis verticem, ubi Deus specialius esse censebatur, gloriam & majestatem suam illic magis manifestans.

[ *Et illi non appropinquabunt: nec populus ascendet cum eo.* ] Vide (ait Cajetanus) disparitatem. Populus nec appropinquat nec ascendit: Aaron & septuaginta senes ascendunt quidem, sed non appropinquant; Moyses autem & ascendit & appropinquat. Ex eo porro quòd dicitur solus Moyses ascendet, non est necesse penitus excludere Josue: partim quoniam exclusiva directè excludit Aaronem ejusque filios, & septuaginta senes, partim quia Josue erat minister domesticus Moysi, quando autem aliquis magnus multos habens comites, dicitur illis relictis solus quopiam intrare, non intelligitur excludi ejus minister domesticus, sed alii tantùm comites, sicut 1. Reg. 21. David dicitur venisse solus ad Abimelech, cum tamen venisset aliquot pueris comitatus, Utrùm tamen & quousque Josue ascenderit cum Moyse, ex seq. patebit.

[ ℣. 3. *Venit ergo Moyses* ] Manserat Moyses in Monte Sinai cum Deo, ibique præcepta populo proponenda acceperat: Jam verò descendit de monte, & venit ad populum ea præcepta ipsi propositurus, Deo sic volente; partim ut ostenderet se humaniter cum illis agere, nec velle ipsis leges ferre nisi assentientibus, partim ut nullus præteraere posset quòd eas non audisset.

[ *Et narravit plebi omnia verba Domini atque judicia:* ] Omnia præcepta, tum cæremonialia tum judicialia, & moralia illa quæ post Decalogi promulgationem Deus illi dedit, absente populo. Abulensis observat omnes de populo, magnos & parvos, senes & juvenes, viros ac mulieres convenisse, sicut convenerunt Deut. 29. ad audiendam repetitionem legis; quia non minus erat necessarium, imò potius magis, omnes interesse primæ promulgationi legis, quàm secundæ. Neque refert videri impossibile, quòd vox Moysi à tot centenis hominum millibus audiretur, & distinctè perciperetur: etsi enim humanitus hoc sit impossibile, Deo tamen possibile est, ideoque miraculum hic est agnoscendum, quo Deus vocem Moysi fecit tam numeroso populo audibilem & intelligibilem. Moyses fuit ab universo populo auditus.

[ *Respondit que omnis populus una voce:* ] Concorditer omnes unum idemque responderunt.

[ *Omnia verba Domini quæ locutus est, faciemus.* ] Quod satis admirabile esse ait Abulensis, in tanta multitudine non fuisse aliquem cui ista non placerent, cum variæ sint cogitationes hominum, diversaque judicia. Ideo causam refert in Deum, qui omnes æqualiter movit & ad consentiendum & ad idem respondendum. Ubi notare licet magnam humanæ fragilitatis & inconstantiæ miseriam. Cum enim nunc tam ardenter & unanimiter Deo ejusque legibus se submittant, aliquanto post in turpem idololatriam prolabuntur, & miraculosam illam ex Ægypto eductionem non Deo, sed vitulo recens formato attribuunt; ut proinde & nos meritò sollicitos esse conveniat, nec in bonis nostris propositis securos: qui namque *existimat se stare; videat ne cadat* 1. ad Corinth. 10.

[ ℣. 4. *Scripsit autem Moyses universos sermones Domini:* ] Omnia scilicet præcepta quæ in monte Deus illi dedit, & quæ in tribus capitibus præcedentibus continentur: Imò verisimile admodum est quòd Decalogum quoque scripserit, sicut docent Cajetanus, Marsilia, Marius, & alii; quia liber quem jam scripsit, paulò post vocatur volumen fœderis; perspicuum autem est quòd fœdus inter Deum & Hebræos præcipuè consistit in decem præceptis, unde Deut. 9. tabulæ decem præceptorum vocantur *tabulæ fœderis*. Causa porro cur Moyses ista omnia scribere voluerit, fuit tum ut integrum fœdus mox sanciendum in libro uno contineretur, dareturque copia legis populo qui non poterat totam ex auditu retinere; tum quia necdum fuerat ipsi revelatum quòd Deus vellet decem præcepta in tabulis lapideis dare; quod postea fecit ad perpetuam rei memoriam.

[ *Et manè consurgens ædificavit altare ad radices montis, & duodecim titulos* ] Illud est secundum altare quod erexit Moyses. Nam primum fuit in Raphidim supra cap. 17. Incertum autem est, Utrùm hic unum duntaxat altare erexerit, an duodecim; sicut etiam, An isti duodecim tituli fuerint seorsim ab altari. Verisimile tamen est unicum altare erexisse, & titulos illos seu (ut verterunt 70.) lapides non fuisse distinctos ab altari, sed quòd de duodecim lapidibus juxta numerum tribuum filiorum Israel, factum sit altare, sicut interpretantur Liranus, Dionysius Carthus. Cajetan. Abulensis. Ita namque Elias 3. Reg. 18. tulit duodecim lapides juxta numerum tribuum Jacob, & de illis lapidibus ædificavit altare: Isti porro lapides rectè vocantur tituli, quia erant signa duodecim tribuum, quarum oblatio super istud altare fiebat ad confirmandum fœdus quod cum omnibus illis inibat Deus. Et quia sicut duodecim lapides constituebant unum altare, ita duodecim tribus constituebant unum populum ad unius Dei cultum pertinentem.

Erectum autem fuit istud altare ad radices montis Sinai, quia ibi erat locus mundus separatus à castris quæ erant infra in loco planiore.

Quæstio manet, Utrùm in istis lapidibus insculpta essent nomina duodecim tribuum, sicut quibusdam fuit visum. Resp. eum Abulensi non fuisse; quia jussum fuit cap. 20. quòd si facerent altare lapideum, ut de infectis lapidibus illud facerent; ut autem nomina tribuum sculperentur, lapides debuissent politi.

[ ℣. 5. *Misitque juvenes de filiis Israel, & obtulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino,* ] Quidam putant istos juvenes fuisse Nadab & Abiu filios Aaron: Sed quis sacerdotium Aaronicum nec dum erat institutum, ipsi non magis erant sacerdotes quàm alii. Probabilius sentiunt qui juvenes istos volunt fuisse primogenitos familiarum, eò quòd ante institutionem sacerdotii Aaronici primogeniti essent sacerdotes. Quia tamen non soli illi videntur fuisse sacerdotes, ut diximus 2. 2. quæst. 100. art. 4. ideo dici potest Moysen jussisse illis juvenibus offerre sacrificia quos noverat esse sacerdotes, sive hoc ex jure primogenituræ haberent, sive aliunde.

Qui hic sacerdotes.

Ponuntur hic duo genera sacrificiorum, scilicet holocausta, & victimæ pacificæ; quia divinam majestatem debebant ut omnium bonorum authorem recognoscere, & de acceptis beneficiis agere.

De hostia autem pro peccato nihil expressè dicitur, sive quia nullum erat populi seu communitatis peccatum pro quo deberent eam offerre, ut sentit Abul. quæst. 9. sive potius quia istud genus hostiæ importatur in hircis qui pro peccato poterant immolari; & in præsenti fuisse immolatos dubium non est, ut mox dicetur.

[ *Vitulos.* ] Quidam addunt, *duodecim*. Sed numerus neque in Hebræo est, neque apud 70. neque in Latinis correctioribus; ideoque vox illa meritò fuit expuncta. Et probabile est plures quàm duodecim vitulos fuisse immolatos. Apostolus ad Hebr. 6. respiciens ad præsentem historiam, scribit Moysen accepisse sanguinem vitulorum & hircorum cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo. Ex quibus consequens est eum ista omnia adhibuisse: Sed quæritur unde Apostolus hoc acceperit. Resp. quòd non soli vituli fuerint oblati, potuisse colligere ex his scripturæ verbis. *Obtulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos:* Ubi dicuntur quidem vituli oblati in hostias pacificas; sed quod genus animalis fuerit oblatum in holocausta, non exprimitur; constat autem ex Levit. 1. & 9. & ex Num. 7. potuisse hircos in holocausta offerri: quare consentaneum videtur etiam istam holocaustorum oblationem de hircis accipi. Quòd si, *vitulos*, in istis verbis, ad utramque partem referas, nempe ad holocausta, & ad victimas pacificas; dici potest Apostolum ea quæ dicto cap. 9. scribit, accepisse vel vel ex traditione, sicut nomina magorum Pharaonis 2. ad Tim. 3. vel ab eo qui dictavit illi istam epistolam, id est à Spiritu sancto.

[ ℣. 6. *Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras:* ] Ut ex eo populum aspergeret sicut versu 8. narratur factum:

[ *Partem autem residuam fudit super altare.* Quod Dei vices referebat. Solent enim fœdera olim sanguine sanciri, ut sponsores intelligerent se sanguinis reos fore, si illa non servarent: & contra Deum sanguinis ipsorum vindicem futurum adversùs hostes eorum, quamdiu legem servarent. Ideo ergo dimidia pars sanguinis fundebatur super populum, & altera dimidia super altare, ut in priori significaretur sanguis populi, in posteriori sanguis hostium à Deo fundendus.

[ ℣. 7. *Assumensque volumen fœderis,* ] Hoc est, librum in quo continebatur omnia de quibus jam fœdus erat initum, quæ scilicet habentur à principio cap. vigesimi, usque ad vigesimum quartum.

[ *Legit audiente populo:* ] Præcedenti die Moyses populo legerat seu potius verbotenus recitaverat mandata quæ Deus ipsi dederat perferenda ad populum: Nunc autem ex libro legit, tum ut omnes scirent quid scripsisset: suumque consensum confirmarent; tum quia ipse non recitaverat præcepta Decalogi quæ à Deo seu ab Angelo Dei personam gerente audierant; ea autem jam ipsis recitavit. Et ne fortè putarent quòd Moyses tantùm iniret fœdus quantum ad illa quæ pridie recitaverat; ideo conveniens fuit quòd nunc illa cum præceptis Decalogi recitaret, ut viderent fœdus capere super omnia.

[ *Qui dixerant: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes.* ] Quantum scilicet ad ea quæ hucusque præcepit, & quantum ad illa quæ deinceps volet præcipere.

[ ℣. 8. *Ille verò sumptum sanguinem.* ] De vasis in quibus dimidiam sanguinis partem reposuerat.

[ *Respersit in populum,* ] Facto nimirum aspergillo de hyssopo & lana coccinea, quemadmodum ex cap. 9. ad Hebr. colligere est; unde etiam habemus aquam fuisse sanguini permistam, ne videlicet alloquin sanguis concresceret. Quæ omnia mysteriis non carent. Sanguis enim & aqua significabant sanguinem & aquam de Christi latere fluxura, typusque erant tum sanguinis Christi quo à peccatis mundamur, tum aquæ baptismalis qua abluimur. Ideo autem mixta fuit aqua sanguini, quia baptismus à sanguine Christi habet efficaciam, ait B. Thomas lect. 4. in dictum cap. 9 Ubi etiam hyssopum quæ est herba humilis, typicè interpretatur fidem quæ mentem Deo subjicit & corda purificat Act. 15. Lanam verò coccineam quæ rubei est coloris, interpretatur charitatem qua rubere debent fideles, dicente sponsa Cantic. 5. *Dilectus meus candidus & rubicundus*; candidus per fidem, rubicundus per dilectionem. Alii per hyssopum significari volunt humanam Christi naturam, in qua & humilitas ostensa est, & latet virtus ad purganda cordis nostris vitia: per lanam verò coccineam, carnem Christi quæ per se candida est velut lana, sed sanguine passionis ejus velut cocco rubricatur. Ex eodem cap. 9. habemus Moysen aspergendo populum, ipsum quoque volumen seu librum fœderis aspersisse, ad designandum legem non nisi virtute sanguinis Christi adimplendam esse.

[ *Et ait: Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.* ] Sive, hic est sanguis quo dedicatur & confirmatur fœdus quod Deus vobiscum pepigit super omnibus præceptis quæ jam legi audistis. Fœdus autem istud erat quod vocatur vetus testamentum, quo Deus ex una parte promittebat Israelitis terram Chanaan, suamque protectionem & varia bona temporalia si legibus ejus obedirent; ex altera autem parte ipsi promittebant se omnia Dei mandata servaturos. Porro quia sanguis ille hujus veteris testamenti, figura erat sanguinis Christi per quem novum testamentum erat confirmandum; Ideo ut benè notat Estius, similibus cum Moyse verbis uti voluit Christus in instituendo sacramento sanguinis sui, ut diceret: *Hic est sanguis meus novi testamenti*, Matth. 26. Marci. 14. Ex quo consequenter infert intellectum verborum etiam debere esse similem. Quare sicut verborum Moysi non est sensus, hoc est signum sanguinis fœderis; sed hic est verè & propriè sanguis fœderis; ita nec verborum Christi sensus est, hoc est signum sanguinis mei, ut volunt Sacramentarii; sed hic verè & propriè est sanguis meus, novi testamenti confirmativus.

Quale fœdus.

Quærit Cajetanus, quomodo hæc verificentur cum verbis Amos 5. ubi significatur quòd Israelitæ non obtulerint Deo hostias in deserto: & potest verificari, quia illic rata fuerunt eorum sacrificia Deo oblata. Plenior responsio spectat ad cap. 7. Act. vel ad cap. 5. Amos.

[ ℣. 9. *Ascenderuntque Moyses & Aaron, Nadab & Abiu, & septuaginta de senioribus Israel:* ] Hic refertur executio præcepti quod v. 1. narratur datum, & sermo est de ascensu è loco castrorum ad radices montis Sinai. Ad hoc autem serviebat iste ascensus, ut ex eo

popu-

populus intelligeret Deo placere fœdus jam sancitum; Accessus enim vicinior, est signum admissionis ad majorem familiaritatem.

[ ℣. 10. *Et viderunt Deum Israel:* ] Non in sua essentia, sed in specie aliqua sensibili quæ Deum repræsentabat.

[ *Et sub pedibus ejus* ] Ex quo Liranus, Dionysius, Marius, & alii, colligunt Deum seu Angelum in Dei persona apparentem, fuisse hic visum in specie humana, in forma nimirum augusti principis & legislatoris; quia visus est habere pedes, & sub pedibus scabellum, seu suppedaneum. Quod autem alii in contrarium objiciunt ex Deut. 4. *Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis: ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem;* non ad præsentem apparitionem spectat, sed ad eam quæ in Decalogi promulgatione facta est toti populo cap. 20. cui tamquam rudi & in idololatriam prono non conveniebat exhiberi aliquam similitudinem; Apud Moysen verò, & eo de quibus hic est sermo, non erat simile periculum. Consentit his Lorinus in Deuteron.

[ *Quasi opus lapidis sapphirini,* ] Q. d. sub pedibus ejus apparebat quasi esset pavimentum ex sapphiro constratum. Est autem sapphirus coloris cærulei, & aureis punctis collucet, teste Plinio lib. 37. cap. 9. editionis anni 1601. quem sequitur Isidorus lib. 16. Etymolog. cap. 9. Hunc colorem, qui idem cœli sereni est, indicant verba sequentia.

[ *Et quasi cælum cum serenum est.* ] Tunc enim cœlum colorem cæruleum exhibet, & stellulis velut punctis aureis interlucet, Et quoniam color illa gratissimus, multò fit pulchior cum aureis istis punctis; ideo facilè est intelligere quare Thren. 4. dicatur, *sapphiro pulchriores*. In Hebr. & apud 70. nihil de lapide dicitur, sic enim legitur, *sicut opus lateris sapphiri;* sed eodem sensu: significatur enim quòd sub pedibus Dei apparebat quasi opus lateritium ex sapphiro lapide.

Mystice. Allegoricè suppedaneum hoc sapphirinum tum humanitatis Christi, quæ divinitatis; tum B. Mariæ Virginis, quæ & divinitatis & unitæ humanitatis quasi scabellum fuit, pulchritudinem & sanctitatem significat; anagogicè, cœlestis gloriæ fulgorem; tropologicè, puritatem & sanctitatem quæ in nobis esse debet ut Deus super nos quiescat.

Quid mittere manum. [ ℣. 11. *Nec super eos qui procul recesserant de filiis Israel, misit manum suam,* ] In Hebr. est *& ad separatos* seu principes aut primores filiorum Israel non misit manum suam. Phrasi Hebraica mittere manum sumitur pro percutere, quod percussio manu extensa fieri soleat. Sic Job 2. *Mitte manum tuam, & tange os ejus & carnem.* Sensus est, nec super seniores aut primores illos qui à plebe recesserant, & cum Moyse ascenderant Deus manum suam misit, sive illos non percussit.

[ *Videruntque Deum, & comederunt, ac biberunt.* ] Hoc est, & Deum viderunt, & nihilominus sani remanserunt; More namque ordinario postea comederunt ac biberunt. Quæ idcirco adferuntur tamquam quid admirabile: quia communis persuasio erat moriendum esse illi qui Deum vidisset, quemadmodum ex Judic. 13. colligitur, ubi Manue ad uxorem suam dicit, *Morte moriemur, quia vidimus Dominum.*

Quæri autem potest, quomodo sit probabile Moysen & eos qui cum illo erant, hic vidisse Deum in humana specie apparentem, cum postea id desideranti Moysi negatum fuerit, & responsum (infra cap. 33.) *Videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.*

Resp. non fuisse illic negatum Moysi videre Deum in humana specie apparentem: sed vel videre divinam essentiam sicut in se est, vel videre gloriosam insigniterque fulgidam faciem Dei seu Angeli personam Dei referentis, ac sibi apparentis; quamvis autem sæpe viderit Deum in humana specie apparentem, numquam tamen illam faciem præfulgidam vidit.

[ ℣. 12. *Dixit autem Dominus ad Moysen:* ] Existentem cum Aarone, Nadab & Abiu, & 70. senioribus.

[ *Ascende ad me in montem, & esto ibi:* ] Mandat non solùm ascendere in montem, sed etiam in eo morari: quod propterea sic jubet, ut Mandat disponat de agendis in sua absentia, ne alioqui mora diuturnior si esset improvisa, turbationem populo adferret.

[ *Daboque tibi tabulas lapideas, & legem ac mandata.* ] In tabulis non aliud fuit scriptum quàm decem verba seu præcepta, ut patet ex Deut. 4. & 10. ideoque per legem & mandata, intelliguntur præcepta Decalogi:

[ *Quæ scripsi,* ] Jam tum Deus, id est, Angelus personam Dei referens verisimiliter in tabulis scripserat legem Decalogi: quamquam illud *scripsi*, exponi possit, jam certissimò sum scripturus.

[ *Ut doceas eos.* ] Filios Israel, qui cum viderint illa tam solemniter à Deo sculpta esse, magis debebunt eis attendere & obsequi.

[ ℣. 13. *Surrexerunt Moyses & Josue minister ejus:* ] De loco ubi ad radices montis substiterant, & cum Aarone, Nadab & Abiu & 70. senioribus Deum adoraverant de longinquo.

Si quæras, quomodo Josue hic sit cum Moyse, cum non inveniatur supra numeratus inter eos qui cum Moyse ascenderunt. Resp. ipsum tamquam Moysi famulum familiarissimum eique ferè semper adhærentem, ivisse cum Moyse; nec oportuisse specialem de illo fieri mentionem, quia continebatur sufficienter sub Moyse. Ex hoc autem loco non tantum habemus quòd Josue ascenderit è loco castrorum ad radices montis, sicut Aaron & alii comites; sed etiam quòd cum Moyse ascenderit in montem; idque confirmari potest ex c. 32. ex quo constat Josue fuisse in monte, quando dicebat ad Moysen, *Ululatus pugnæ auditur in castris.* Eum tamen non ascendisse tam altè quàm Moysen, sed mansisse in aliqua inferiori parte montis, existimandum est: ad quam cum Moyses tabulis legis acceptis de vertice montis descendens devenisset, simul ad castra descenderunt.

[ *Ascendensque Moyses in montem Dei,* ] Cum in procinctu esset ad ascendendum montem Sinai, qui vocatur mons Dei, eò quòd Deus gloriam & majestatem suam peculiariter ibi manifestabat.

[ ℣. 14. *Senioribus ait: Expectate hic,* ] Cum in adverbium non demonstravit montem aut montis radices, ubi tunc erant: quia seniores ibi non manserunt, sed redierunt ad castra, sicut patet tum ex eo quod Moyses descendens de monte infra cap. 32. non illic eos invenit, sed in castris; tum quia constat Aaronem fuisse in castris quando adoraverunt vitulum: sed amplè sumendo adverbium, *hic*, demonstravit locum sibi illisque vicinum, id est, locum castrorum, q. d. Ne mecum ascendite montem, nec ultra pergite, sed in hac planitie seu in castris expectate.

[ *Donec revertamur ad vos.* ] Quibus verbis satis innuit suum ministrum, id est, Josue, cum eo asse ascensurum.

[ *Habetis Aaron & Hur vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis,* ] Si qua magna vel difficilis causa fuerit orta, quam velletis mihi proponere, si præsens adessem:

[ *Referetis ad eos.* ] Itaque Moyses committit regimen populi in absentia sua quoad causas communes & faciliores, septuaginta senioribus; quoad causas autem difficiliores, Aaroni & Hur, quos loco suo substituit. Exhibet proinde Moyses typum optimi Præsidis qui licèt ex causa plentissima absit, non debet subditos relinquere sine aliquo inspectore & directore.

[ ℣. 15. *Cumque ascendisset Moyses,* ] Ministro scilicet suo Josue comitatus, unde 70. sic habent; *Et ascendit Moyses & Jesus in montem.*

[ *Operuit nubes montem,* ] Non totum prorsus, sed magnam ejus partem ac summum ejus verticem, Moyse interim ejusque ministro in monte subsistentibus, sed infra nubem, non enim ausi sunt ulterius progredi.

[ ℣. 16. *Et habitavit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus:* ] Hæc gloria Domini erat ignis seu flammæ species quæ de superiori parte nubis seu de

vertice montis mirabiliter emicabat. Vocatur autem gloria Domini, quia Dominum gloriosè præsentem indicabat, & quasi gloriosum vestimentum tegebat, juxta illud Psalm. 103. *Confessionem & decorem induisti, amictus lumine, sicut vestimento*. Dicitur, habitavit, quis diu ibi permansit, non solùm scil. sex diebus, sed totis quadraginta.

[ *Septimo autem die vocavit eum de medio caliginis.* ] Deus de medio nubis caliginosæ in qua se præsentem exhibebat, Moysen in parte montis inferiore subsistentem per sex dies, vocavit die septimo, voce sensibili, ut verisimile est, efformata. Cur non primo die ipsum vocaverit, ratio est ut ad colloquium Dei familiare ac diuturnum sex diebus se disponeret per orationem & contemplationem. Utrùm illis sex diebus ab omni cibo & potu abstinuerit, dubitatur. Plerique affirmant, eò quòd illos sex dies inclusos esse velint in numero quadraginta dierum, quibus certum est ipsum nihil comedisse nec bibisse. Quæ sententia propter multorum qui ita sentiunt authoritatem, valdè est probabilis: & confirmari potest ex eo quòd alioquin Moyses fuisset in monte quadraginta sex diebus, cum tamen Deut. 9. & alibi tantùm fiat mentio quadraginta dierum & quadraginta noctium. Unde Hebræi in suo Calendario ponunt Moysen de monte descendisse & tabulas confregisse decima septima die mensis quarti. Quòd si verò ab ascensu Moysi in montem qui fuit septimo vel octavo die mensis tertii computemus usque ad illum diem decimum septimum non invenientur quadraginta sex dies, sed solùm quadraginta. Accedit non esse probabile quòd Moyses quando Deut. 9. proponit Hebræis suos labores pro eis susceptos, voluisset omittere sex dies, plus enim valuisset commemoratio quadraginta sex dierum quàm quadraginta.

Verumtamen inhærendo textui postea sequenti, probabilius arbitramur id quod Serarius & Magalianus apud Lorinum super Deuteron. Torniellus ad ann. mundi 2544. Tirinus in cap. ult. Exodi, & Bonfrerius hic sentiunt, sex dies quibus Moyses in monte seu in aliqua montis parte fuit cum Josue, secernendos esse ab illis quadraginta, quibus cum Domino fuit solus in vertice montis, ut sex dies dati fuerint præparationi, & quadraginta collocutioni cum Deo. Quibus quidem quadraginta diebus ab omni cibo ac potu jejunavit Moyses, at non sex diebus præcedentibus; sed tunc usus fuit manna quod ex aere apud eum decidebat, & aqua de Sina descendebat, juxta illud Deut. 9. *Projeci in torrentem qui de monte descendit*. Quapropter etsi septimo vel octavo die mensis tertii Moyses montem conscenderit; demum decimo quarto die in verticem ascendit & jejunare cœpit; descendit autem ac tabulas fregit die vigesimo quinto mensis quarti. Neque his obstat Calendarium Hebræorum; quia etsi probabilem fidem faciat, non tamen certam. Ideo autem Moyses in Deuteron. non expressit quadraginta sex dies, quia commemorare solùm volebat tempus quo fuit in vertice montis cum Deo; & quo proinde abstinuit ab omni cibo & potu; hoc autem tantùm fuit quadraginta dierum; eademque est ratio cur alibi scriptura non plures quàm quadraginta dies memoret.

[ ℣. 17. *Erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardens super verticem montis,* ] Cajetanus & Abulensis scribunt non verum ignem fuisse, quia dicitur quasi ignis ardens: sed quoniam vocula *quasi* aliquando notat veritatem rei & non semper similitudinem, ut cum Joan. 1. Christus dicitur *quasi unigenitus*; & cum rex dicitur *quasi præcellens* 1. Petri 2. nihil vetat hic verum ignem intelligere.

[ *In conspectu filiorum Israel.* ] Qui licèt in castris essent, videbant montem nube tegi, & ignem de vertice ejus emicare.

[ ℣. 18. *Ingressusque Moyses medium nebulæ,* ] Seu nubis, ut est in Heb. & apud 70. Id est, intra nubem caliginosam, phrasi enim Hebræa quidpiam dicitur esse in medio alterius, quod est intra ipsum: ut, *Erat navis in medio mari*, Marci 6. pro, intra mare. Hinc clarè apparet, ait Cajet. quòd Moyses substiterat extra partem montis opertam nube, & quòd non nisi vocatus ausus est ingredi nubem die septimo.

[ *Ascendit in montem:* ] Jam antea montem ascenderat & in monte erat, ut patet ex versibus 13. & 15. sed nunc, Josue in ea parte montis relicto, ubi simul fuerant sex diebus; jussoque ut eum ibi expectaret, solus Moyses altius ascendit, nimirum in montis cacumen, ubi cum Deo seu Angelo Dei personam repræsentante collocuturus erat, & tabulas legis accepturus. Quamdiu autem ibi fuerit, mox sequitur.

[ *Et fuit ibi,* ] Hebræi & 70. codices exprimunt in monte.

[ *Quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* ] Qui sermo satis apertè videtur innuere quòd Moyses tot diebus & noctibus in eo montis loco fuerit ad quem hac ultima vice ascendit, ut proinde sex priores dies quibus in inferiore montis loco substitit, non sint inclusi intra illos dies quadraginta. Accedit quòd sicut in secunda quadragesima Moyses quadraginta diebus fuit in monte cum Domino infra cap. 34. v. 28. ita non dubium sit fuisse in prima: Si autem sex dies priores non computentur seorsim à quadraginta, non fuerit cum Domino quadraginta diebus, sed tantùm triginta quatuor. Demum enim cœpit esse cum Domino, quando elapsis sex diebus ingressus est medium nebulæ, & ascendit in verticem montis. Quoniam porro Moysen totis quadraginta diebus totidemque noctibus ab omni cibo ac potu abstinuisse certum est ex Deut. 9. à quibusdam quæritur, sitne de Josue ipsius ministro idem dicendum. Sed neg. Responsio tenenda est; partim quia non fuit in montis cacumine sicut Moyses, sicque potuit habere manna & aquam in ea montis parte in qua Moysen expectabat; partim quia scriptura nulli tantam abstinentiam tribuit præterquam Moysi, Eliæ, & Christo; fuissetque res commemoratione digna, si etiam Josue sic abstinuisset. Moyses 40 diebus & 40 noctibus fuit sine cibo & potu. Non similiter Josue.

Moraliter observa quòd sicut Moyses à Deo vocatus medium nebulæ ingressus est & in montem ascendit; ita prædicatores ad intuenda sublimiter occulta divinæ Sapientiæ ascendunt, quando Deus ipsos eò vocat. Per hoc autem quòd cum Domino fuit 40. diebus ut tabulas legis acciperet; discimus eos solos posse legem Decalogi implere, quos adjuvat gratia quatuor Evangeliorum libris descripta; quater enim in decem ducta faciunt quadraginta. Moralia.

## C A P U T XXV.

*Moyses jubetur indicere Israelitis primitias & oblationes ad Tabernaculi omniumque partium ejus formationem, & arca, mensa ac candelabri.*

[ ℣. 1. **L**ocutusque est Dominus ad Moysen, ] Eo nimirum tempore, quo Moyses erat cum illo in montis cacumine. Quadraginta namque dierum & noctium illarum spatio Deus seu Angelus Deum repræsentans docuit Moysen de fabricatione tabernaculi & vasorum ejus, deque ritibus festorum, sacrificiorum, & sacerdotum, omnia scilicet quæ ab hujus capitis initio usque ad finem cap. 31. & quæ in toto Levitico continentur. Sic enim concluditur Leviticus: *Hæc sunt præcepta quæ mandavit Dominus Moysi ad filios Israel in monte Sinai*: In fine autem quadraginta dierum & noctium, dedit illi tabulas Decalogum continentes, infra cap. 31. & cum illis deinde descendit cap. 32.

[ ℣. 2. *Loquere filiis Israel,* ] Quando hinc ad eos descenderis.

[ *Ut tollant mihi* ] Hoc est, in cultum, & obsequium meum: etsi enim Deus bonorum nostrorum non egeat Psalm. 15. vult tamen quòd aliqua illorum in ejus cultum impendamus; tum quia illorum est author & dominus; tum quia nos indigemus per corporalia duci ad spiritualia.

[ *Primitias.* ] Id est, selecta & præstantissima quæque: non enim primitiæ hic accipiuntur propriè & in suo rigore, sed pro eo quòd est in qualibet re optimum & præstantissimum, quodque more primitiarum offerebatur, separando scilicet partem aliquam suorum bonorum Quid hic primitiæ.

Deo

Deo offerendam, cujus quantitas determinata non erat præſcripta. Eodem improprio modo accipitur vox primitiarum Num. 18. *Primitias quas voverint & obtulerint filii Iſrael, tibi dedi.*

[ *Ab omni homine qui offert ultroneus, accipietis eas.* ] In Hebr. *Ab omni viro quem ſpontaneum faciet cor ſuum*, ſive quem ſua voluntas faciet ſpontaneum. Ultroneus ſeu ſpontaneus dicitur, qui non metu coactus, neque ex aliorum inductione quidpiam facit, ſed motu proprio, ſive prono animo, & mente promptiſſima, quemadmodum infra cap. 35. explicatur. Ideo autem à ſolis talibus vult Deus iſta donaria recipi; tum quia *hilarem datorem diligit* 2. ad Cor. 9. tum quia virtutis proprium eſt ſic operari.

Ultroneus quid.

[ ℣. 3. *Hæc ſunt autem quæ accipere debetis :* ] Pro conſtructione tabernaculi & pertinentium ad illud.

[ *Aurum & argentum, & æs,* ] Quantum ad metalla. Nihil jubetur accipi de ferro, vel quia Judæi ſolo ære ſupplere ſolerent ferri uſum, vel quia æris nomine ferrum comprehenditur. Nihil etiam dicitur de ſtanno & plumbo; partim quia ſtannum facile complicatur, & plumbum adhuc facilius; in baſibus autem tam tabulatorum quàm columnarum & in paxillis requirebatur major ſtabilitas; partim quia nimis citò inquinantur & nigreſcunt.

Cur nihil de ſtanno & plumbo.

[ ℣. 4. *Hyacinthum & purpuram* , ] Hyacinthus primò ſignificat florem coloris violacei; ſecundò gemmam iſti flori ſimilem in colore; tertiò lanam aut linum eodem colore tinctum. Et hoc modo paſſim hic uſurpatur : unde infra cap. 35. legimus quòd *mulieres doctæ quæ neverant, dederunt hyacinthum, purpuram &c.* Ex quo loco patet & hyacinthum & purpuram eſſe de genere eorum quæ neri poſſunt. Quamvis enim purpura dicatur eſſe piſcis vel concha quæ ſuccum ſeu ſanguinem habet tingendis veſtibus aptum; ipſum tamen linum aut lana eo ſanguine tincta, etiam vocatur purpura, habens ſcilicet colorem rubeum non totaliter, ſed qui aliquo modo declinat ad nigredinem.

[ *Coccumque bis tinctum* , ] Coccus eſt granum tinctorium ex arbuſto quod ilici eſt ſimile, germinatum, in quo naſcitur vermiculus ruberrimi coloris, cujus ſanguine tinguntur lanæ : & dum bis tinguntur ad majorem tum rubedinem tum pulchritudinem illis imprimendum, vocatur coccus bis tinctus. Propter colorem dicitur Iſai. 1. *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus*, id eſt, quaſi vermis valde rubeus, *velut lana alba erunt*. Ex eo quod in iſto grano naſcitur ille vermiculus, ac inſuper quoniam vox Hebræa vermem aut vermiculum ſignificat, ſæpe pro cocco noſter interpres ponit vermiculum, veluti hujus lib. cap. 35. v. 25. cap. 36. v. 35. & 37. cap. 38. v. 18. & 23. Eſt autem color quem coccus affundit lanæ, ſimilis ei quem habet ſcarlaca noſtra.

[ *Et byſſum* , ] Byſſus eſt genus lini ſubtiliſſimi, coloris candidi & ſplendentis, juxta illud Apoc. 19. *datum eſt illi ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido*. Ex ejuſmodi byſſo fiebant telæ inſtar telarum Cameracenſium, id eſt, ſubtiliſſimæ, & ex illis veſtes.

Sunt qui negent byſſum eſſe genus lini, quia alioquin dicendum foret aliquas veſtes ſacerdotum fuiſſe ex lana linoque contexta contra, legem Deut. 22. ſed Reſp. iſtam legem loqui de veſtibus communibus ſeu uſualibus, non de ſacerdotalibus, de quibus Deus præſcripſit quales qualique ex materia vellet ut eſſent.

[ *Pilos caprarum*, ] In Heb. *capras*, ſed rectè B. Hieronymus & cum eo alii Chriſtiani interpretes reddiderunt pilos caprarum, ſicut Septuaginta, pilos caprinos; adverterunt enim non ipſas capras eſſe accipiendas, ſed earum pilos, pro conſtructione nimirum tabernaculi, ad cujus uſum de illis pilis poſtquam mulieres eos neverant, facta ſunt ſaga ſeu vela cilicina, ſic dicta non quòd duritiem haberent aſperiorem; ſed quoniam è pilis primùm in Cilicia fuerunt confecta; alioquin ſunt pretioſa & noſtris camelotis ſimilia.

[ ℣. 5. *Et pelles arietum rubricatas*, ] Id eſt, rubro colore tinctas.

[ *Pelleſque janthinas.* ] Septuaginta, *hiacinthinas* dicunt. In Hebr. habetur, *pelles taxorum* : Eſt autem taxus in maſculino, animal quod & melis dicitur, quia mellis avidiſſimum, ideoque alvearibus ſemper infeſtum. Sed cum ea quæ de iſto animali ſcribunt Hebræi, in taxum non conveniant ( dicunt enim eſſe animal maculoſum & variis coloribus reſperſum, cum taxus unum habeat colorem eumque ingratum; ) ſequendi ſunt 70. interpretes, aliique veteres Hebrææ linguæ peritiſſimi qui reddiderunt ſicut B. Hieronymus *janthinas* vel ( quod idem eſt ) hyacinthinas ita ut ſignificentur utroque membro pelles arietum, quarum aliquæ eſſent coloris rubei, aliæ janthini ſeu violacei; unde Joſephus lib. 3. Antiquit. cap. 4. referens ea quæ hic recenſentur, pilos inquit caprarum, & ovium pelles, partim hyacinthina partim punicea tinctura. Veriſimile eſt poſteriores Hebræos non aſſequentes vim vocis Hebraicæ *tachas*, ea ea feciſſe vocem latinam, *taxus*, propter ſimilitudinem.

Pelles janthinæ erant coloris violacei.

[ *Et ligna ſetim :* ] Vox ſetim pluralis numeri eſt, à ſingulari ſetta, quæ eſt arbor de qua multum variant ſcriptores cujus ſit generis. S. Hieronymus in cap. 41. Iſaiæ ita ſcribit : *Eſt genus arboris naſcentis in eremo* ( nimirum Arabiæ, nam de illa ſolitudine loquitur ) *ſpinæ albæ habens ſimilitudinem, unde omnia ligna arca, & tabernaculi facta ſunt inſtrumenta quæ appellantur Sethim, quod lignum imputribile & leviſſimum, omnium lignorum tam in fortitudine quàm in nitore ſoliditatem ſuperat & pulchritudinem*. Ejuſdem in cap. 3. Joel. verba ſunt : *Nulli dubium eſt, omnia quæ in tabernaculo Dei legimus, de lignis Sethim fuiſſe perfecta, quæ Septuaginta interpretati ſunt ligna imputribilia. Eſt autem genus arboris in eremo ſpinæ albæ ſimile, colore & foliis, non magnitudine. Alioquin tam grandes arbores ſunt ut latiſſima ex illis tabulata cædantur : lignumque fortiſſimum eſt & incredibilis levitatis ac pulchritudinis*. Subdit poſtea quòd ligna iſta *in locis cultis, & in Romano ſolo, abſque Arabiæ ſolitudine non inveniuntur*. Ex quibus intelligi poteſt iſta ligna neque Græcis & Latinis cognita eſſe, quandoquidem ſolum naſcantur in Arabia; neque apud illos proprium nomen habere; ſed diverſis eorum qualitatibus conſideratis, nunc uno; nunc altero modo transferri. Ex qualitate materiæ Septuaginta in Pentateucho reddunt ligna imputribilia : qui Iſai. 41. fortè propter continuum viroretn, vertunt buxum, ubi Hieronymus ob coloris & foliorum ſimilitudinem dicit ſpinam, ſicut & Joel. 3. Intelligi quoque poteſt fruſtra quæri unde Judæi in deſerto potuerint habere ligna Sethim : verſabantur enim in deſerto Arabiæ, quod iſtorum lignorum erat ferax.

Ligna ſetim in colore erant ſimilia ſpinæ albæ.

Ligna Setim cur imputribilia.

Quòd porro ligna ſetim dicuntur imputribilia, non eo ſenſu accipiendum eſt quaſi nullo prorſus modo poſſint corrumpi; ſed quia non niſi difficillimè & tardiſſimè poſſunt corrumpi. Unde Abul. q. 6. ſcribit ligna ſetim eſſe duriſſima & pene imputribilia, quam vocem *pene*, addit quoque Salianus anno mundi 254. num. 431.

[ ℣. 6. *Oleum ad luminaria concinnanda* : ] Pro lucernis quæ in candelabro lucere debebant. Non utebantur enim in tabernaculo, vel cereis, vel ſebaceis candelis, & propterea opus erat multo oleo. Non cereis, quia cera melli commixta eſt; nihil autem mellis apponendum erat in ſacrificio ut patet Levit. 2. & tamen illuminatio lucernarum intra tabernaculum erat quoddam genus ſacrificii. Non etiam ſebaceis, quia illæ fiunt ex adipe, adeps autem animalium immolatitiorum debebat cremari ſuper altare Levit. 3. 7. & alibi : Aliorum autem animalium adeps immundus erat, ſaltem ad ſacrificium, quemadmodum & ipſa animalia erant ad ſacrificium immunda.

[ *Aromata in unguentum, & thimiamata boni odoris :* ] Id eſt, accipies aromata ut ex eis conficiatur unguentum, ad ungendum ſcilicet ſacerdotes & tabernaculum cum ſuis vaſis, conficiantur quoque thimiamata ſeu incenſa odorifera, quæ adolenda ſunt ante Sancta Sanctorum in altari incenſi.

[ ℣. 7. *Lapides onychino*, ] Qui ſunt gemmæ quædam habentes colorem unguis humani.

[ *Et gemmas* ] Alias ſcilicet, debebant enim duodecim gemmæ poni in rationali; & duo lapides onychini,

in ephod, sive in superhumerali, ut ex seq. cap. patet. Unde quod sequitur.

[*Ad ornandum ephod, ac rationale,*] Seu pectorale, sic est explicandum, ut singulis distribuantur, & significetur quòd lapides onychini essent ad ornandum ephod; & aliæ gemmæ, ad ornandum rationale: Duas porro sacras vestes hic nominat Deus, non quòd tantum fuerint duæ, sed quòd solum istæ duæ ornabantur gemmis. Loco vocabuli *gemmas*, Hebræa habent *lapides plenitudinum*; qua phrasi gemmas significant, sive quòd ipsum rationale, sive quòd palas auri replerent.

Mystica.

Juxta allegoriam & tropologiam, ad sanctæ Ecclesiæ constructionem, atque ut animam nostram faciamus sanctuarium Dei, & ut Deus in nobis habitet, offerimus ei aurum, quando claritate veræ sapientiæ quæ in fide recta est, resplendemus: argentum, cum & ore nostro fit confessio ad salutem: æs, cum eamdem fidem publicè prædicamus: hyacinthum, quando sursum corda levamus & cœlestia contemplamur: purpuram, quando corpus passioni subjicimus & membra nostra mortificamus: coccum bis tinctum, quando gemina, Dei nimirum & proximi charitate flagramus: byssum, quando castitatem servamus: pilos caprarum, cum habitum pœnitentiæ suscipimus: pelles arietum rubricatas, cum pro Christo fortiter stamus, etiam usque ad sanguinem si occasio ferat: pelles janthinas, cum speramus nos in cœlis habituros corpora gloriosa: ligna setim, cum mundi corde & corpore soli Deo servimus: oleum, exercendo opera misericordiæ: aromata & thimiama boni odoris, bonæ vitæ exempla præbendo: lapides onychinos ad ornandum ephod, Sanctorum virtutes & labores, quibus Ecclesiam exornarunt, digna laude prædicando & imitando: alias gemmas ad ornandum rationale, mundas electorum cogitationes in exemplum assumendo: quoniam enim in humeris onera gestari solent, rectè per ephod seu superhumerale, justorum pro Deo labores insinuantur: Quia verò in pectore sedes cogitationum intelligitur, rectè per rationale seu pectorale cogitationes electorum significantur.

Ephod significat labores: Rationale, cogitationes.

[ ℣. 8. *Facientque mihi sanctuarium,*] Seu locum sanctum, nempè tabernaculum in quo solemnis cultus mihi exhibeatur & sacrificia offerantur, & in quo peculiariter me præsentem exhibebo ac preces orantium exaudiam. Unde subdit.

[*Et habitabo in medio eorum:*] Non quòd Deus loco aliquo concludi possit, cum ipse omnia impleat; sed quia inter eos ubicumque futurum esset istud tabernaculum, speciales operationes facturus esset (sicut homo qui in domo sua habitat) loquendo videlicet, & ad colloquium admittendo, responsa dando, & beneficia conferendo.

Huic loco non repugnat quod Act. 7. & 17. dicitur Deus non habitare in manufactis; quia tantum ibi significatur quòd Deus non comprehendatur nec concludatur templis manufactis, neque illis secundùm se spectatis delectetur: Cum his autem benè consistit, Deum habitare in quibusdam locis secundùm effectus quos ibi vult operari: unde 1. Paralip. 29. *Neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.*

[ ℣. 9. *Juxta omnem similitudinem tabernaculi quod ostendam tibi,*] Dupliciter Deus ostendit Moysi similitudinem tabernaculi. Primò namque verbotenus expressit ei omnia quæ ad tabernaculi constructionem pertinebant; Deinde tabernaculum constructum seu tabernaculi constructi ideam & exemplar ejus oculis vel imaginationi exhibuit, quemadmodum ex fin. hujus cap. & ex cap. 8. ad Hebr. evidens est, necessaria enim fuit utraque demonstratio; nec una sine altera sufficiebat ad tantum tamque variis partibus constans opus.

Sed quæri potest, quare hoc exemplar non fuit ostensum operariis potius quàm Moysi; cum hoc videatur futurum compendiosius. Respondet Estius, quia Moyses totius hujus operis erat architectus, singula præscribens, ideoque magis ei notum esse debebat, quàm operariis.

[ *Et omnium vasorum in cultum ejus:* ] Quæ ad ipsius tabernaculi ornatum, aut ministerium pertinent.

[ ℣. 10. *Arcam de lignis setim compingite,* ] Arca hæc fuit instar cistæ quadrangulæ, habens in longitudine duos cubitos & dimidium; in latitudine autem cubitum & dimidium, similiterque in altitudine. Quale operculum habuerit, incertum est. Cajetanus & alii quidam volunt illud fuisse de lignis setim, ita ut tabula superior, quæ vocatur propitiatorium, non fuerit arcæ contigua, sed super eam aliquantulum elevata. Abulensis q. 17. Ribera l. 2. de templo cap. 4. Azorius tom. 1. lib. 6. cap. 44. Torniellus ad ann. mundi 2544. cum aliis censent ipsum propitiatorium fuisse arcæ contiguum, ejusque propterea opericulum; tum quia ejusdem fuit cum ea longitudinis & latitudinis; tum quia inferius dicitur quòd arca esset operienda propitiatorio. Hujus porro arcæ fabricationis causa una fuit, ut tabulæ Decalogi in ea servarentur:. Altera ut esset quasi thronus Dei & locus, ubi ipse verbis factisque maximè se præsentem exhiberet, oracula funderet, ac propitium se præstaret. Vocataque fuit arca testimonii, quia continebat legem per quam Deus testatum relinquebat quid ab Hebræis requireret, ejus videlicet observantiam. Dicta etiam est arca fœderis & arca testamenti, eò quòd mediante lege quam continebat, Deus inierat fœdus reciprocum cum Israelitis ut ipsi eam observarent; ipse verò multa bona eis conferret: Fœdus autem etiam testamentum dici constat, ut ex illo Psalm. 82. *Simul adversùm te testamentum disposuerunt*, id est, fœdus inierunt *tabernacula Idumæorum*, id est Idumæi, & *Ismaelitæ*.

Propitiatorium erat arcæ operculum.

[*Cujus longitudo*] Id est, qualibet duarum tabularum junctarum.

[*Habeat duos & semis cubitos:*] Sive, duos cubitos & dimidium.

[*Latitudo cubitum & dimidium, altitudo cubitum similiter ac semissem.*] Intelligendi autem hic sunt cubiti non geometrici, quorum unusquisque continet sex cubitos communes seu vulgares, sed illi de quibus diximus Gen. 6. quòd continent pedem cum dimidio, & mensurantur à flexu brachii hominis justæ magnitudinis usque ad extremitatem digiti medii, hoc est, usuales & communes.

[ ℣. 11. *Et deaurabis eam auro mundissimo*] Id est, planè puro, quod nihil argenti vel alterius metalli habeat admixtum. Pro, *deaurabis*, in Hebr. est operies, ex quo interpretes communiter dicunt arcam non fuisse deauratam sicut pictores solent deaurare, inducendo videlicet aurum tenue per suos penicillos; sed longè aliter, laminis scilicet aureis eam operiendo, quemadmodum Philo lib. 3. de vita Moysi testatum reliquit, ac etiam Josephus lib. 3. Antiquit. cap. 6. quod & conforme est sequenti cap. 37. ubi legitur quòd Beseleel vestivit arcam auro purissimo.

Arca fuit laminis aureis tecta.

[ *Intus & foris:* ] Hebræa sonant, à domo & ab extra, eodem sensu: Nam phrasi Hebræa usurpatur esse in domo pro esse intra, quòd ea quæ domi sunt, intra esse videantur.

[*Faciesque suprà coronam auream per circuitum.* Ista corona non erat rotunda, sed quadrata seu quadrangula, sicut arca, erat enim limbus aut labium quoddam in superiori parte arcæ nonnihil elevatum seu eminens, quod ideo vocatur corona, quia totam arcam cingebat in circuitu; Idcirco autem aurea, quia erat ex solido auro.

[ ℣. 12. *Et quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos:* ] Hi circuli seu annuli erant quoque ex auro solido, in quatuor angulis arcæ fixi, iisque inserebantur vectes ut arca per eos ferri posset humeris quatuor sacerdotum vel levitarum. Nam quod humeris eorum portari deberet ex 1. Paralip. 15. clarum est.

[ *Duo circuli sint in latere uno, & duo in altero.* ] Ita nimirum ut vectes extenderentur secundùm longitudinem arcæ, & arca in longum gestaretur ac portaretur; juxta Josephum lib. 3. Antiquit. cap. 6. & Dionys. Carth. hic, non verò in latum, etsi sint qui ita velint.

[ ℣. 13. *Facies quoque vectes de lignis setim,* ] Nullum

lum enim aliud genus ligni adhibitum eſt in rebus tabernaculi:

[ *Et operies eas auro.* ] Laminis aureis veſties.

[ ℣.14. *Inducesque* ]. Seu immittes

[ *Per circulos* ] Seu annulos

[ *Qui ſunt in arca lateribus, ut portetur in eis:* ] Quomodo portaretur non liquet. Auguſtino q. 104. in Exod. Dionyſio Carthuſiano, & quibuſdam aliis probabile eſt quòd à quatuor, à duobus ſcil. ante, & à duobus poſt, uno humerum dextrum ſupponente & alio ſiniſtrum in parte anteriori; & aliis duobus ſimiliter in parte poſteriori.

[ ℣. 15. *Qui ſemper erunt in circulis, nec umquam extrahentur ab eis.* ] Vectes ita erant in circulis ſeu annulis locandi, ut ex eis numquam extraherentur, niſi forte contingeret quòd reparatione indigerent: & hoc partim ut Levitæ intelligerent numquam ſe eſſe liberatos ab onere portandæ arcæ; partim ut ſervaretur circulorum decor, qui non tam decori apparuiſſent, ſi ab eis vectes fuiſſent dempti.

[ ℣. 16. *Ponesque in arca teſtificationem quam dabo tibi:* ] Teſtificatio iſta, erant duæ tabulæ continentes præcepta Decalogi, per quas Deus teſtificabatur quid ab eo populo fieri vellet. Cum autem Deus hæc loquebatur Moyſi, nondum eas tabulas ipſi dederat: prius enim ipſum inſtruxit de fabricatione tabernaculi & eorum quæ ad illud pertinebant; & poſtea demum in fine 40. dierum dedit ipſi tabulas, ut patet ex cap. 31. ſeq. & ex Deut. 9.

Quid propitiatorium.

[ ℣. 17. *Facies & propitiatorium* ] Ex Hebr. alii vertunt *opertorium* vel operculum. Joſephus lib. 3. cap. 6. vocat tegmen: quia verbum Hebræum ex quo derivatur, ſignificat tum operire, tum propitiari. Iſtud propitiatorium fuit tabula quædam aurea ejuſdem omnino longitudinis & latitudinis cum arca, ſicut habetur in textu; quantæ autem fuerit ſpiſſitudinis non dicitur intelligendum tamen relinquitur quòd ita eſſet ſpiſſa ut poſſet eſſe firma. Totam fuiſſe auream tum hinc, tum ex ſequenti cap. 37. conſtat, ubi legitur de auro mundiſſimo facta eſſe. Nec moveat quòd apud B. Thomam 1. 2. q. 102. art. 4. ad 6. vocetur lapidea: iſtud enim adjectivum mendosè in textum irrepſiſſe oſtendimus tum in ſecunda editione Duacenſi Summæ B. Thomæ, tum in noſtris commen. unde Hieronymus de medicia in ſuis formalitatibus illud non habet, uti nec codex manuſcriptus bibliothecæ Salmanticenſis.

Vocatur *propitiatorium*, quia Deus illic propitiabatur, placatumque & propitium ſe oſtendebat aut voce aut alio ſigno ſenſibili.

Varia nomina propitiatorii.

Appellatur quoque *oraculum*, quia Deus ibi dabat oracula & reſponſa, juxta illud, *loquar ad te ſupra propitiatorium*, verſu 22. & iſtud Num. 7. *Audiebat vocem loquentis ad ſe de propitiatorio quod erat ſuper arcam teſtimonii.* Quare ſecundùm Hebræos etiam dicatur *opertorium*, ex ſupradictis clarum eſt, quia ſcilicet erat operculum arcam proximè contingens, ſicque eam tegens, unde verſu 20. ubi Cherubim deſcribuntur verſis vultibus in propitiatorium, ſubditur; *quo operienda eſt arca.*

Quomodo arcam operuerit, ambigitur. Joſephus ſcribit aureis cardinibus affixum illi fuiſſe: de quibus tamen cardinibus, quoniam ſcriptura quæ ſingula ad arcam pertinentia accuratè nominat, nihil dicit; Abulenſis quæſt. 17. ſcribit quòd ex nulla parte colligabatur coopertorium ſeu propitiatorium alicui lateri arcæ quibuſque vinculis, ſed quòd recipiebatur intra coronam auream quæ erat in gyro arcæ per totam quadraturam, & quæ ex omnibus lateribus cooperiebat propitiatorium ita ut non videretur: Additque quòd cum aperienda erat arca, propitiatorium totum elevabatur deſuper arcam.

Petes, ſi propitiatorium proximè contingebat arcam, quomodo arca potuit eſſe ſcabellum pedum Dei, ſicut 1. Paral. 28. & Pſalm. 98. ſignificatur fuiſſe? Reſp. quia Deus qui ad propitiatorium loquebatur Moyſi vocaliter, concipiebatur tamquam ſedens ſuper Cherubim, nimirum ut alis eorum inſidens, cujus proinde pedes ſuper arcam vel ſuper arcæ operculum quieſcerent.

[ ℣. 18. *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies,* ] Hieronymus in cap. 9. Ezechielis ſcribit Cherub in ſingulari numero dici, & in plurali Cherubim. Productiles autem dicuntur, ad ſignificandum quòd non deberent fieri opere fuſorio ſed per productionem, qua per malleos extenderetur aurum ac produceretur in figuram Cherubinorum. Notant porro Abulenſis, Vatablus, Cornelius, Marius hìc, Azorius tom. 1. lib. 6. cap. 45. iſtos Cherubinos non fuiſſe per ſe fabricatos & deinde propitiatorio affixos, ſed de ipſo auro propitiatorii eductos, extendendo aurum utriuſque lateris ipſius in talem figuram. Sed quæſtio manet, cujus figuræ fuerint hi Cherubim. Variis variorum auctorum opinionibus prætermiſſis, communis receptaque ſententia eſt Cherubim eſſe nomen cœleſtium ſpirituum, qui fuerunt in tabernaculo figurati, habentes ſimilitudinem juvenum ſeu puerorum, non quidem ſexu diverſo, quod ridiculum foret opinari: ſed humana tamen forma, eaque juvenili, quemadmodum Angeli ſolent depingi ad ſignificandum vitam eorum perpetuam quæ numquam ſeneſcit. Quibus etiam attribuuntur alæ, quia celerrimè ad nos veniunt, & citiſſimè exequuntur quæ Deus eis mandat. Cauſa faciendi Cherubim, & ad arcam eos apponendi fuit ut ille qui ad præſentiam arcæ & oraculi colebatur, intelligeretur eſſe is qui regnat in cœlo, & dominatur omnibus cœleſtibus ſpiritibus, vocaturque frequenter dominus exercituum.

De figura Cherubim.

Si quæras, quare dicantur appoſiti fuiſſe Cherubim, & non potius Seraphim. Reſp. rationem eſſe, quia debebant apponi ad oraculum ex quo Deus reſponſa dabat populumque regebat: Ut ergo ſignificaretur hominibus quòd Deus ſit ſapientiſſimus ſummaque ſapientia & providentia omnes res diſponat, convenientiſſimum fuit ut ad illud apponerentur Cherubim, qui teſte B. Hieronymo in cap. 10. Ezechielis, multitudo ſcientiæ interpretatur. Et ut indicetur quòd omnem ſcientiam etiam altiſſimorum ſpirituum longè ſuperet, dicitur ſedere ſuper Cherubim.

Ex his intelligi poteſt per legem Exod. 20. non fuiſſe prohibitum ſculpere, pingere, aut quocumque modo facere aliquam imaginem vel ſimilitudinem, quandoquidem hi Cherubini fuerint in Sancto Sanctorum collocati; & proinde ſicut arca tamquam Sanctum principale, ita ipſi deſuper extenti, in eo loco honorati fuerint, non ut pro diis haberentur, ſed quod divinam præſentiam accedentibus repræſentarent. Neque his obſtare putandum eſt quòd alio ſchemate deſcribantur Cherubim Ezech. 1. & 10. quòdque Cherubim quos Moyſes facere juſſus eſt, fuerint typus & exemplar eorum quos Ezechiel vidit: quamvis enim quidam ita exiſtiment: aliis tamen veriſimilius eſt Cherubinos Moſaicos non fuiſſe typum eorum qui oſtenſi fuerunt Ezechieli; & quoniam ad diverſum finem ordinabantur, diverſo etiam ſchemate fuiſſe exhibitos. Cum enim Deus ſuper arcam in tabernaculo conciperetur velut rex in throno ſuo reſidens, ut ad ſe venientes admitteret, ſupplicationes eorum audiret, benignumque ac propitium ſe illis exhiberet, efformati ſunt Cherubini ut ſedem Deo ſuis alis præſtantes, eique miniſtrantes; & ideo non alio ſchemate exhiberi debuerunt quàm quòd indicaret miniſterium, reverentiam, & ſubmiſſionem. At Ezechieli oſtenſus fuit Deus quaſi curru bellico vectus, properans ad excidium Jeruſalem diverſarumque gentium, & ſtipatus Cherubinis tamquam miniſtris ad bellum ac vindictam expeditis. Nihil ergo mirum, ſi aliter fuerint illi exhibiti, quàm Moyſi.

Cherubini Moyſi non fuerunt typus Cherubinorum Ezechielis.

[ *Ex utraque parte oraculi.* ] Seu propitiatorii; ſermo enim eſt de propitiatorio, ad cujus utramque partem extremam longitudinis debebant eſſe Cherubini ſupradicti: unde ſequitur

[ ℣. 19. *Cherub unus ſit in latere uno, & alter in altero.* ] Ita unus eorum diſtet ab altero per ſpatium longitudinis arcæ & propitiatorii.

[ ℣. 20. *Utrimque latus propitiatorii tegant.* ] Quod nimirum eſt ſecundùm longitudinem.

[ *Expandentes alas* ] Hebræa addunt supernè, 70. deſuper:

[ *Et operientes oraculum,* ] Etſi de horum Cherubinorum ſitu ſcriptura nihil exprimat; ſuppoſito tamen quòd propitiatorium immediatè arcam tangebat & claudebat; probabile eſt ipſos pedibus ſtetiſſe ſuper

illud:

illud: Alas autem suas oonnihil elevando, eas ita extendisse, ut ala dextra unius taogeret sinistram alterius; & sinistra dextram, atque ita alis suis expansis tegebant propitiatorium instar tecti seu umbraculi, & sedem Deo præbebant: qui inde dicitur sedere super Cherubim 2. Reg. 6. 1. Paralipp. 13. Psalm. 98. Dan. 3. & alibi. Ex quibus clatum evadit, quare arca vocetur scabellum pedum Dei Psalm. 98. & qusre Cherubim dicantur ad Hebt. 9. obumbtare propitiatorium. Neque opponendum est bunc situm non habuisse Cherubinos 3. Reg. 6. descriptos, quia illi non fuerunt facti juxta præceptum Moysi datum; cum & longè majores fuerint, & ex lignis olivarum.

[ *Respiciantque se mutuò versis vultibus in propitiatorium* ] Non poterant Cherubim habere oculos defixos in se mutuo, & simul in propitiatorium quod infra sub eorum pedibus erat, sicut non potest quispiam figere oculos in socium sibi oppositum, & simul in terram inferius existentem: & ideo respicere hic non est fixis oculis intueri, sed habete vultus conversos: ita ut significetur quòd Cherubim nec sibi invicem oec propitiatorio verterent tergum aut occipitium, sed deberent habere vultus, tum ad se mutuo, tum ad propitiatorium conversos. Id quod facile fieri poterat, sicut cum duo homines babent vultus ad se invicem conversos, ac nihilominus reverentiæ vel alterius rei causa oculos infernè defigunt.

[ *Quo operienda est arca,* ] Unde patet propitiatorium (de illo namque hic agitur) fuisse operculum arcæ, ut proinde non sit opus aliud ejus tegumentum quærere.

[ ℣. 21. *In qua pones testimonium quod dabo tibi.* ] Idem est hoc testimoninm quod supra testificationem dixit, tabulæ nimirum decalogi.

[ ℣. 22. *Inde præcipiam, & loquar ad te supra propitiatorium,* ] In Hebr. & apud 70. desuper propitiatorio.

[ *Ac de medio duorum Cherubim,* ] Quemadmodum ex dictis patet, Deus concipiebatur à Judæis velut sedens in throno majestatis suæ super alas Cherubinorum expansas, & habens arcam atque adeò ipsum propitiatorium arcæ contiguum, pro scabello pedum. Et cum Deus loquebatur ad Moysen de propitiatorio, ita formabatur vox sensibilis quasi videretur exire ab aliquo qui inter duos Cherubim esset supra propitiatorium. Unde Num. 7. babemus quòd cum Moyses ingrederetur tabernaculum fœderis ut consuleret oraculum, *audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio quod erat super arcam*. Et licèt summus Pontifex ex lege cap. 30. Et Levit. 16. non nisi semel in anno potuerit in Sancta Sanctorum ingredi, ea tamen lex Moysen non tangebat; sive quia ipse non erat sacerdos Aaronicus, sive quia erat peculiariter dux populi & legatus Dei ad ipsum; poteratque propterea ad sancta illa ingredi quandocumque volebat Deum consulere. Allegoricè juxta Cyrillum lib. 4. in Joannem cap. 28. Gregor. hom. ult. in Ezechiel. Rupertum lib. 4. in Exod. cap. 5. Arca fuit figura humanitatis Christi; quæ ex lignis setim imputribilibus compacta est, quia ex membris omni vitiorum labe carentibus. Et hæc ligna sunt spinis simillima, quia similitudinem carnis peccati habebant, etsi non ipsam carnem peccati. Deaurata est auro purissimo intus & foris, quia charitate Dei & proximi ornata. Reconditæ in ea fuerunt tabulæ legis, quia in Christo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ fuerunt absconditi. Longitudo arcæ, Christi longanimem patientiam significat, Latitudo charitatis extensionem. Altitudo futuram ejus exaltationem. Longitudo erat duorum cubitorum & medii; duorum, propter doctrinam & opera quibus refulsit; medii, quia discipulorum tarditatem & imperfectionem longanimiter fert. Latitudo babebat cubitum & dimidium, quoniam unica nos pietate diligit, & nostræ quamvis imperfectæ charitatis capacitatem complectitur. Similiter altitudo plenum habebat cubitum, quia plenissimè noverat quanta futura esset sui & suorum exaltatio: habebat & dimidium quia imperfecta nostra in altum desideria benignè suscipit. Corona arcæ symbolum est victoriæ quam Christus reportavit. Quatuor circuli arcæ, sunt quatuor libri Evangeliorum, aurei propter claritatem sapientiæ qua splendent, qui meritò circulis comparantur, quoniam sapientia quam prædicant nec initium nec finem habet, sed est æterna. Quatuor angulos habet arca, quia humanitas Christi per quatuor mundi plagas prædicatur; & per eosdem angulos, quatuor erant circuli; quia in cunctis mundi finibus fides Evangelii annunciatur. Duo circuli erant in latere uno, & duo in latere altero, quia duo Evangelistæ Christo adhæserunt ante ipsius passionem, Matthæus nimirum & Joannes; duo postea, Marcus & Lucas. Vectes quibus arca portabatur, sunt doctores & prædicatores qui mysterium Incarnationis audientium cordibus inserunt; Qui vectes jubentur semper esse in circulis, quia prædicatores numquam debent mentem à memoria Evangeliorum avertere. Super arcam fuit propitiatorium aureum, per quod persona Christi designatur qui est propitiatio pro peccatis nostris, & per quem Deus Pater nobis est locutus. Duo Cherubim repræsentant Angelos Christo ministrantes. Juxta B. Gregorium p. 2. pastoralis cap. 11. & Bedam in hoc caput scribentem, per Arcam testamenti figurata est Ecclesia; Juxta Damascenum serm. 2. de dormitione Deiparæ, ipsa Virgo Deipara.

[ ℣. 23. *Facies & mensam* ] Postquam præscripsit ea quæ reponenda erant in interiori tabernaculo, hoc est, intra Sancta Sanctorum, pergit illa præscribere quæ in Sancto poni debebant: & erant hæc tria, mensa, candelabrum, & ut ex cap. 30. patet, altare thimiamatis.

[ *De lignis setim,* ] Quæ erant maximè durabilia, vocarique solent à 70. interpretibus, imputribilia. Unde patet mensam propositionis non fuisse auream, sed ligneam.

[ *Habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum,* ] Sicque hæc mensa erat medio cubito minus longa, minusque lata quàm arca: fuisse tamen pariter quadrangulam & non rotundam, ex his est manifestum.

[ *Et in altitudine cubitum ac semissem,* ] Ita ut distet à terra per spatium cubiti & dimidii: Habuit namque mensa quatuor pedes, per quos tam altè elevabatur de terra. De spissitudine hujus mensæ nihil dicit scriptura: putatur fuisse 3. aut 4. digitorum.

[ ℣. 24. *Et inaurabis eam auro purissimo:* ] Laminis aureis vesties utramque ejus superficiem supernè ac infernè, etiam pedes.

[ *Faciesque illi labium aureum per circuitum,* ] Istud labium erat limbus quidam aureus circa mensam & supra eam nonnihil elevatus seu eminens: qui etsi non esset rotundus, sed quadrangulus, dicitur tamen fuisse per circuitum, quia totam mensam undequaque cingebat. Pro labio Hebræa coronam habent, quidquid enim ambit aliud & aliquantulum salit ultra illud, coronam vocant.

[ ℣. 25. *Et ipsi labio coronam interrasilem,* ] Hoc est, alium limbum jam dicto limbo circumquaque applicatum, qui tamen non sit omnino planus, sed interrasilis seu reticulatus, vel instar retis factus. Pro corona hic in Hebræo ponitur clausura; sic autem vocatur iste limbus, quia totam mensæ aream claudebat.

[ *Altam quatuor digitis:* ] Hìc limbus supra alterum eminere debuit quatuor digitis seu ad mensuram palmæ, nimirum minoris: unde in Hebræo legitur *clausura palmæ*; Apud 70. *corona palmi*. Quantæ autem longitudinis & latitudinis esse debuerit, non dicitur expresse, satis tamen datur intelligi per hoc quòd significatur oportuisse ut totam mensam ambiret: Inde enim fit consequens quòd deberet habere tantam longitudinem & latitudinem, quantam ipsa mensa habebat.

[ *Et super illam, alteram coronam aureolam.* ] Hæc corona erat limbus parvus alteri suppositus, ex auro circumcirca ductus, qui illum alterum limbum claudebat. Voluit autem Deus ista tria, labium, coronam, & coronulam huic mensæ applicari; partim ad ornatum, & idcirco erant aurea; partim ut panes qui in ea ponendi erant, tutius & commodius continerentur ne deciderent, & propterea in altum assurgebant. Ne- De aureola.
que refert quòd ultima vocetur aureola: non enim ideo sic vocatur, quasi non esset de auro puro, sed quia erat minor sicque minus auri continebat, quasi diceretur coronula. Non refert etiam quòd summa alti-

tudo

tudo panum multum transcenderet coronas, nihilominus enim ad hoc usui erant, ne panes ita facilè devolverentur in terram. Ex hoc scripturæ loco Theologi per allegoriam mutuati sunt nomen aureolæ, ad exprimendum præmium quoddam accidentale quibusdam beatis proprium, de quo diximus Suppl. q. 96.

[ ℣. 26. *Quatuor quoque circulos* ] Seu annulos.

[ *Aureos praparabis, & pones eos in quatuor angulis ejusdem mensa per singulos pedes.* ] Hi circuli non erant affigendi afferibus ex quibus mensa componebatur, sed quatuor pedibus immobiliter mensæ adhærentibus, & quidem in suprema parte cujusque pedis. Unde sequitur:

[ ℣. 27. *Subter coronam erunt circuli aurei,* ] Ad significandum illos circulos esse affigendos immediatè sub istis limbis, de quibus supra diximus.

[ *Ut mittantur vectes per eos, & possit mensa portari,* ] Quæ portabatur per duos vectes, ita ut unus vectis per duos annulos poneretur. Tunc autem solùm mittebantur vectes per circulos sive per annulos, cum mensa esset movenda vel aliò portanda. Utrùm autem portari debuerit à quatuor, sicut de arca dictum est versu 14. an à duobus, non liquet.

[ ℣. 28. *Ipsos quoque vectes facies de lignis setim, & circumdabis auro* ] Significatur quòd auro ductili seu in laminas extenso vestiendi erant.

[ ℣. 29. *Parabis & acetabula,* ] Hebr. scutellas, 70. dicunt catinos vel paropsides, vasa nimirum concava & lata quæ serviebant ad excipiendam similam, quando illa offerri debebat; item ad excipienda sacrificia sartaginis & clibani, ipsosque ( ut satis probabile est ) panes propositionis, sive cum deferendi essent ad mensam, sive cum in ea locandi. Sed cum ex aceto nulla essent in tabernaculo libamina, quomodo noster interpres vertit acetabula quæ ab aceto excipiendo videntur dicta? Quidam respondent acetabula non ab aceto, sed ab accipiendo esse dicta, quasi acceptabula. Alii volunt, quamvis secundùm primam originem ab aceto nomen acceperint, postea tamen vasa alteri usui deputata, sed illis similia idem nomen retinuisse.

[ *Ac phialas,* ] Alii vertunt cochlearia; alii mortariola. Erant autem vasa parva & concava, ad vinum aliaque libamina in sacrificiis fundenda.

[ *Thuribula, & cyathos,* ] Thuribula erant vasa quædam quibus operiebantur panes propositionis, & in quibus continebatur thus, quod super illos panes ex præcepto Levit. 24. erat imponendum; ac insuper deserviebant pro adolendo thymiamate. Præter enim illa thuribula quæ panes operiebant, fuerunt & alia quæ ex cornibus altaris holocaustorum pendebant, & quæ accipiebantur quando ad altare thymiamatis ibat sacerdos ut ibi adoleret incensum. Cyathi quid fuerint valde est ambiguum. Probabiliter loquuntur qui dicunt fuisse vascula vel ad vinum vel ad oleum fundendum.

[ *In quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo.* ] Duo hìc indicantur. Unum, ex qua materia deberent ista quatuor vasa fieri, scilicet ex auro purissimo. Alterum, quòd illa servire deberent in usum sacrificiorum, ac per consequens altarium tam holocausti quàm incensi.

Si quæras, an non essent ad usum mensæ. Dicendum est quòd sic: quoniam cap. 37. expressis verbis legitur Beseleel fecisse vasa ad diversos usus mensæ, acetabula, phialas &c. & in præsenti cap. ad singula vasa jam dicta, Hebræa addunt pronomen ejus, scil. mensæ. Imò cap. illo 37. in Hebr. dicitur, *Fecit vasa quæ erant super mensam:* ex quo, sicut & ex supra dictis, verisimile fit mensæ usum quidem primarium fuisse ad continendum panes propositionis, unde ipsa quoque mensa propositionis dicta est: Secundarium tamen ejus usum fuisse, ut esset repositorium sacrorum vasorum, ita ut super paropsides ponerentur panes, in thuribulis thus, in phialis sal, ut est apud 70. Levit. 24. in cyathis vinum, quod Deo ad altare libabatur mane vel vesperi quando sacerdos ingrediebatur sancta pro sacrificiorum oblationibus.

[ ℣. 30. *Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.* ] Ex Levit. 24. constat illos panes debuisse esse duodecim, quorum sex ex una parte ponebantur, alii super alios; & sex similiter ex altera. Atque ita singuli panes respondebant singulis tribubus filiorum Israel quæ per hoc instruebantur sibi incumbere totius Leviticæ tribus enutritionem. Vocabantur panes propositionis, sive, ut est in Hebr. *panis facierum*, quia proponebantur ante faciem seu in conspectu Dei, nimirum coram arca & propitiatorio ubi se præsentem Deus exhibebat. Et quamvis probabile sit istos panes forma plana fuisse ut facile se invicem sustentarent, non autem instar nostrorum qui supernè protuberant: non tamen dicendum est propterea vocari panes facierum, quòd duas haberent facies supernè & infernè similes, quandoquidem alia, eaque omnino vera causa in nostro textu exprimatur per hæc verba, *in conspectu meo semper*; pro quibus 70. dicunt, *panes præsentes coram me semper*. Panes porro prædicti debebant esse azymi, & de publico seu à populo præberi, & sabbathis singulis renovari.

Panes cur dicti propositionis.

Allegoricè.

Allegoricè juxta Bedam & glossam, Mensa de lignis setim est scriptura de fortibus verbis & factis patrum conscripta; quæ duo ad æterna gaudia & quomodo ad ea perveniatur ostendit, cibum vitæ suggerit; Longitudinem habet, cum perseverantiam cœptæ religionis insinuat; latitudinem, cum amplitudinem charitatis; altitudinem, cum spem perpetuæ remunerationis. Longitudo est duorum cubitorum, quia activa nostra conversatio in duabus maximè virtutibus consistit, misericordia videlicet & innocentia, juxta illud Jac. 1. *Religio munda &c. visitare pupillos &c. & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Latitudo habens unum cubitum, unitatem charitatis quam vetus ac novum testamentum prædicat, ostendit. Quod altitudo cubitum ac semissem habet, in cubito unitatem spei ac regni cœlestis designat. Semis autem initium contemplationis qua quidam Sanctorum etiam in carne positi fruuntur, insinuat. Labium aureum fit mensæ per circuitum, vel quia doctrina sacræ scripturæ per munda prædicatorum ora ministratur; vel quia ex omni parte suæ locutionis cum rectè intelligitur, claritatem cœlestis sapientiæ sonat. Labio additur corona, quia lingua prædicantium auditoribus promittit coronam gloriæ. Jubetur ista corona esse interrasilis, ad significandum inæqualitatem gloriæ; & fieri alta quatuor digitis, quoniam tam altitudo quàm inæqualitas gloriæ per quatuor Evangelia, digito, idest, spiritu Dei scripta prædicatur. Isti coronæ corona aureola superponitur, quia postquam vita æterna promissa est mandata Dei servantibus; Matth. 19. & Luc. 18. additur, *Omnia quæcumque habes, vende & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Mensa quatuor pedes habet, quoniam sacra scriptura quatuor sensibus explicatur, litterali, allegorico, tropologico seu morali & anagogico, de quibus disseruimus 1. p. q. 1. art. 10. & lib. 1. controvers. q. 3. ntr. 3. Per quatuor circulos quatuor Evangeliorum libri figurantur, & per eos mittuntur vectes ad portandam mensam, quia doctores & prædicatores qui per vectes significantur, ut sacræ scripturæ pabulo auditores reficiant eamque ad varios deferant, mentem figere debent in doctrina Evangelica. Vasa varia quæ jubentur fieri, variæ sunt verbi divini distinctiones pro diversa capacitate audientium, quod etiam observat B. Gregor. lib. 20. Moral. cap. 2. quia non omnia omnibus conveniunt, sed alii aliter sunt docendi, quemadmodum luculentè docet idem Gregor. part. 3. pastoralis. Duodecim panes super mensam intelligi possunt duodecim Apostoli aliique viri Apostolici, per quos semper patet verbum & pabulum salutis cunctis credentibus. Sunt qui per mensam post propitiatorium in tabernaculo positam intelligunt mensam corporis & sanguinis Domini, quam propitiationis & redemptionis nostræ opifex Christus paravit in ultima cœna. Et hæc de lignis setim fieri & postmodum inaurari, non autem de auro construi mandatur, quia utræque species panis & vini de terra sumuntur, sed Deus aurum. Verbi incarnati non superficietenus inducit, at efficaciter transmutat panem & vinum in suum corpus & suum sanguinem. Plura videri possunt apud Rupert. lib. 4. in Exod. cap. 7.

[ ℣. 31. *Facies & candelabrum* ] Candelabrum propriè dicitur, in quo flammantur candelæ. Quoniam verò in tabernaculo nullus erat candelarum usus, sed olei in lucernis, candelabrum hìc sumitur generaliter pro

coln

eo in quo figi debebant illa quæ candorem luminis spargunt (à quo candore quidam derivant nomen candelæ) cujusmodi erant lucernæ in candelabro tabernaculi fixæ.

[ *Ductile de auro mundissimo*, ] Non ergo fuit hoc candelabrum fusile seu de auro fusum, sed de auro diductum ac malleis extensum, id enim significat illud, ductile.

[ *Hastile ejus, & calamos, scyphos & sphærulas, ac lilia, ex ipso procedentia.* ] Q. d. sic facies candelabrum, ut & hastile ejus, & calami, scyphi & sphærulæ ac lilia non sint additiria, sed procedant de ipso candelabro seu candelabri stipite vel trunco per extensionem & figurationem malleo diductam.
Quid hastile. Hastile candelabri est illa ejus pars quæ à basi sursum recta protendebatur instar stipitis & omnes alias ipsius partes sustentabar.
Quid calami. Calami erant rami quidam ex hastili veluti ex trunco hinc inde prodeuntes & in altum se attollentes. Scyphi erant vasa parvula instar nucis vel amygdali, solum cuspide & acumine excepto, qualia etiam nunc interdum videmus ventre crassiori, ore & fundo angustiore. Sphærulæ erant globuli instar pomorum: & lilia, flosculi instar liliorum.

[ ℣. 32. *Sex calami egredientur de lateribus, tres ex uno latere, & tres ex altero.* ] Omnes sursum obliquè tendentes quousque pervenirent ad altitudinem hastilis: ipsum autem hastile intra illos sex calamos erectum faciebat velut septimum calamum seu ramum pro sustinenda lucerna.

[ ℣. 33. *Tres scyphi quasi in nucis modum per calamos singulos, sphærulaque simul & lilium:* ] Sensus est, quòd in singulis calamis erant tres scyphi, convenienter tamen ab invicem distantes, ita nimirum ut post unumquemque scyphum sequeretur una sphærula, ac deinde lilium, idque totum ad ornatum candelabri.

[ *Hoc erit opus sex calamorum, qui producendi sunt de hastili:* ] Singuli sex calamorum, qui de hastili tamquam rami de stipite producentur, ita fient.

[ ℣. 34. *In ipso autem candelabro.* ] Seu hastili: quoniam enim hastile erat præcipua pars candelabri, nomine candelabri significatur.

[ *Erunt quatuor scyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos, & lilia.* ] Unus scilicet scyphus, una sphærula & unum lilium in hastili inferne prius quam perveniatur ad calamos, & tres alii scyphi tresque sphærulæ & tria lilia in ascensu hastilis usque ad summitatem ejus.

[ ℣. 35. *Sphærulæ sub duobus calamis per tria loca,* ] Idest, duæ sphærulæ erunt sub duobus calamis egredientibus de hastili: & hoc ita se habeat per tria loca, cum debeant esse tria paria calamorum, sub quorum parium unoquoque duæ debent esse sphærulæ. Unde sequitur:

[ *Qui* ] Scilicet calami.

[ *Simul sex fiunt, procedentes de hastili uno.* ] Hoc est, de ipso stipite candelabri.

[ ℣. 36. *Et sphærulæ igitur & calami ex ipso erunt, universa ductilia de auro purissimo.* ] Quamvis solùm exprimantur sphærulæ & calami, pari ratione intelligendum etiam est de scyphis & liliis, quia hæc quoque eodem modo erant procedentia de hastili, & nihil eorum poterat opere fusorio fieri, sed omnia debebant ex auro duci seu produci per malleationem artificum.

[ ℣. 37. *Facies & lucernas septem, & pones eas super candelabrum,* ] Unam in summitate hastilis, & reliquas in summitate sex calamorum.

[ *Ut luceant* ] Seu lumen effundant.

[ *Ex adverso.* ] 70. dicunt, ab una facie. Alii ex Hebr. reddunt super plagam faciei, vel super faciem ejus, scilicet candelabri. Significatur lucernas septem ita debere disponi, ut omnes lumen suum diffunderent versus latus oppositum illi in quo erat candelabrum, & consequenter quia candelabrum ponendum erat ad latus Meridionale tabernaculi, mensa autem ad latus Aquilonare, ut patet ex cap. seq. v. 35. ex cap. ult. v. 22. & 24. & ex Num. 8. v. 2.
Lucernæ quales erant. illæ lucernæ debebant lumen effundere versus mensam panum propositionis. Unde sequitur Cajetanum & alios rectè annotasse quòd istæ lucernæ non fuerint in forma lampadum quæ lumen æquè diffundunt undequaque, sed habuisse rostra ad eam partem ad quam ardebant.

[ ℣. 38. *Emunctoria quoque,* ] Seu forcipes ad emungendum lychnum lucernarum.

[ *Et ubi quæ emuncta sunt extinguantur,* ] Idest, vasa in quibus recipiantur partes lychni emunctæ, & per aquam ibi positam extinguantur, ne fumum & malum odorem causent.

[ *Fiant de auro purissimo.* ] Fuisse quoque infusoria, idest, vasa quibus oleum lucernis infundebatur, eaque aurea meritò sentit Dionysius; tum quia necessarius erat ejusmodi vasorum usus; tum quia generale erat in toto candelabro & in vasis ejus, quòd essent de auro non permixto alteri metallo.

[ ℣. 39. *Omne pondus candelabri cum universis vasis suis habebit talentum auri purissimi.* ] Hoc est, centum viginti quinque libras. Quoniam verò quantitas libræ illius temporis non certò constat, ideo non possumus etiam certò scire quantum fuerit pondus istius auri.

[ ℣. 40. *Inspice & fac secundùm exemplar quod tibi in monte monstratum est.* ] In hac conclusione continetur mandatum, non solum de illis quæ superius sunt descripta, sed etiam de aliis quæ sunt tacita, ac nihilominus Moysi ostensa: veluti de longitudine hastilis & calamorum, de forma & capacitate lucernarum, de infusoriis, de qualitate pedis candelabri & aliis. Apost. ad Hebr. 8. hunc locum citat ad declarandum legalia fuisse umbram cœlestium; atque ita præsupponit ostensum fuisse Moysi, non solùm tabernaculum materiale quod debebat construere, sed etiam omnia quæ figurabantur per illud. Perinde ac si diceretur, Fabricam tabernaculi materialis construe juxta ideam tibi monstratam: & ita, ut ipsum ejusque partes aptè respondeant rebus cœlestibus tibi ostensis, tamquam illarum typi & figuræ.

Justa Allegoriam, candelabrum de auro purissimo Allegorica. factum, est Christus quia naturam humanam sine culpa, ideoque purissimam suscepit. Jussum est fieri ductile; ductile autem feriendo producitur; quia corpus ejus non nisi per dolores & verbera ad immortalitatem pervenit. Hastile candelabri quidam interpretantur Ecclesiam quæ est corpus Christi; alii crucem ipsius, per quam & mundum illustrat, & adversarios debellat. Calami designant veræ fidei prædicatores; qui procedunt de hastili, quia doctrinam suam accipiunt ab Ecclesia tamquam matre & magistra, virtutemque seu efficaciam prædicationis habent ex cruce, sive ex passione Christi. Sunt sex, ut significetur quòd ejusmodi prædicatores omni tempore fuerunt & erunt in Ecclesia; nam sex diebus omnia facta sunt, & ideo tempus durationis hujus sæculi senario designatur. Tres calami procedebant de latere uno, & tres de altero: Quia & ante Christi adventum, & post, semper fuere qui unius Trinitatis fidem prædicarent, semperque fuerunt tres gradus fideliter Deo servientium, scilicet conjugatorum, continentium, & rectorum. Scyphi qui solent vino repleri, repræsentant mentes audientium qui ad vocem prædicationis, vino scientiæ replentur. Facti fuerunt in modum nucis, quia sicut nux dulcem habet fructum interius, sed gustari non potest nisi fracta testæ duritia, sic præsens vita justorum suavitatem gratiæ spiritualis intimo corde conservat; sed quæ non potest ab aliis perspici, nisi soluto corporis domicilio, videant quàm suavis est Dominus, seque invicem clarè intueantur. Sphærulæ quæ sunt omni ex parte volubiles, figurant partim prædicationem Doctorum, partim mentes electorum, quæ nec adversis frangi, nec prosperis impediri vel elevari possunt. Post hæc sequuntur lilia, quia post prædicationem, & postquam mentes audientium fuerunt refectæ vino scientiæ, nec ullis eventibus fractæ, sequitur florida & virens patria; sicque sphærulæ ad laborem pertinent, lilia ad retributionem instar florum vernantem. Quòd autem per singulos calamos tres fuere scyphi, tres sphærulæ, tria lilia, significat ternas temporum differentias quibus electi & ante Incarnationem Dominicam & post eam Deo devoti vixerunt, ante legem, sub lege, & temporibus prophetarum: Item quod post Ascensionem Ecclesia congregata primum est de Israel, postea de gentibus, ac tamdem congreganda est in fine mundi de reliquiis Israel. Lucernæ septem super candelabrum positæ adumbrant septem dona Spiritus sancti, quæ

cti, quæ super Christum requieverunt, Isai. 11. Lucent ea adverso, quando Christus scripturarum arcana nobis explicat, & non Judæis. Per emunctoria significatur carnalis scripturæ sacræ sensus esse abjiciendus, sunt tamen aurea sicut & ea ubi quæ emuncta sunt extinguantur, quia & divina sunt verba tam quæ in sacris litteris quidam carnaliter accipiunt, quàm ea quibus legalium cessatio indicatur, & Dei gratia illustrata sunt corda eorum in quibus figurata legis adumbratio finem accipit. Omne opus candelabri habebat talentum auri: & quia talentum pondus est plenum atque perfectum, innuitur quòd Christus, qui gratiam benè operandi fidelibus in hac vita tribuit, in futuro perfectam & plenam mercedem est redditurus. Plura videri possunt apud Bedam, Rupertum & Glossam, ac etiam apud Riberam lib. 2. de templo cap. 13. Sunt etiam qui per candelabrum Ecclesiam figuratam fuisse volunt, & per hastile Christum, per septem lucernas, septem Ecclesiæ sacramenta.

## CAPUT XXVI.

*Præscribitur forma & constructio tabernaculi & velorum. Arcæ, propitiatorii, mensæ, & candelabri locus designatur.*

*Cur fieri jubetur tabernaculum.* [ ℣. 1. *Tabernaculum verò ita facies:* ] Causa jubendi ut fieret tabernaculum, erat quia Deus volebat coli ab Israelitis: & ut specialius ac majori cum reverentia coleretur, voluit esse unum locum ad hoc deputatum: qui vocatur tabernaculum, quia de tabulis & pellibus factum: & erat domus Dei, non omnino fixa sicut templum, sed mobilis & portatilis.

Cujus constitutio sic erat, ut ingredientibus primò occurreret Atrium quod erat locus supernè patens & sub dio, dividebaturque in duas partes septo aliquo trium cubitorum altitudinis; ita ut pars exterior esset quasi templum laicorum ubi ipsi orabant, & ea quo poterant prospicere in partem alteram, seu in atrium interius, ubi offerebantur holocausta & victimæ. Nam in parte illa seu in atrio interiori erat altare holocausti. Post atrium, sequebantur loca superius tecta, primum quidem, is qui dicitur Sanctum, continens 20. cubitos in longitudine, & decem in latitudine, in quo fuerunt altare thimiamatis, candelabrum, & mensa: deinde, Sanctum Sanctorum longum decem cubitos, & latum totidem; in quo fuit arca cum propitiatorio urna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat. Inter sanctum verò & Sanctum Sanctorum pendebat velum dividens unum ab altero: & utrumque habebat altitudinem decem cubitorum.

[ *Decem cortinas* ] 70. habent aulæa, quæ nos tapetia vocamus: erant autem ista tapetia sive cortinæ, pulcherrima, utpote quatuor coloribus intertexta, scilicet albo, violaceo, purpureo, & rubeo, ut ex seqq. patebit, ita ut fila istorum diversorum colorum sibi mutuò in singulis partibus intertexerentur sicut in nostris tapetibus.

[ *De bysso retorta,* ] Idest, de lino candidissimo, seu filis ejusmodi lini, iisque non simplicibus, sed duplicatis, vel etiam triplicatis, ea ad invicem retorquendo & convolvendo, ut materia esset fortior;

[ *Et hyacintho,* ] Qui est lana vel linum coloris violacei:

[ *Ac purpura,* ] Quæ colorem habet rubeum subobscurum, seu qui ad nigredinem declinat:

[ *Coccoque bis tincto,* ] Qui colorem maximè rubeum affundit ei quod bis eo tingitur, ut ex dictis cap. 25. v. 4. notum relinquimus.

[ *Variatas opere plumario facies.* ] In Hebr. *Cherubim opere cogitantis facies.* Quasi diceretur, facies Cherubim opere artificis ingeniosè excogitantis: id quod dupliciter accipi potest. Uno modo, ut Cherubim appellativè accipiatur, idemque valeat quod varium seu variegatum, ut est apud Hieron. epist. 130. Alio, ut sensus sit, in eis, hoc est, in cortinis facies Cherubinos seu figuras Cherubinorum opere plumario. *Quid opus plumarium.* Opus plumarium vocatur non quod est ex plumis, sed quod ex variis filis ita fit, ut referat plumas avium versicolores, aut alia hujusmodi, præsertim si acu fiat; qua ratione etiam appellatur opus Phrygium, quia Phryges seu Phrygiones, qui putantur esse inventores talis variegationis, ad eam uterentur acu: Si autem texendo fiat, dicitur opus polymitarium, quasi ex filia variegatis contextum, etsi hæc distinctio non semper servetur, sed interdum ponatur unum pro altero.

[ ℣. 2. *Longitudo cortinæ unius habebit viginti octo cubitos:* ] Quia quælibet cortina instar tecti operire debebat tabernaculum, & super illud ita extendi per transversum à latere aquilonari ad latus meridianum, ut utrimque sic dependeret, quòd extremitates hinc & inde distarent à terra cubito uno. Cum ergo latus aquilonare esset altum decem cubitis, & meridianum etiam decem; supernè autem (sicut & infernè) distarent ab invicem etiam decem cubitis qui omnes simul faciunt cubitos triginta; requirebantur viginti octo cubiti, ad hoc quòd ex utroque latere extremitas cortinæ abesset à terra cubito uno.

[ *Latitudo, quatuor cubitorum erit.* ] Ut omnes cortinæ simul junctæ per suas latitudines complerent quantitatem quadraginta cubitorum, sicque possent tegere totum tabernaculum & latus ejus occidentale, dum secundùm latitudinem extendebantur ab Occidente in Orientem; pars autem Orientalis per quam patebat ingressus, non tegebatur, sed manebat aperta.

[ *Unius mensuræ fient universa tentoria.* ] Cortinæ vocantur tentoria, eò quòd ad modum tentorii tenderentur seu extenderentur. Omnes jussæ fuerunt esse ejusdem mensuræ; quia simul & eodem modo debebant pendere à lateribus tabernaculi.

[ ℣. 3. *Quinque cortinæ sibi jungentur mutuò.* ] Ex decem cortinis una debebat alteri secundùm latitudinem annecti, ita ut ex quinque sic sibi annexis seu assutis exurgeret una cortina, habens 28. cubitos in longitudine, non enim omnes cortinæ simul plus continebant in longitudine quàm una; cum non adderentur ad invicem secundùm longitudinem, sed secundùm latitudinem: Latitudo autem quinque cortinarum ita sibi assutarum erat viginti cubitorum, quia quælibet cortina habebat quatuor cubitos in latitudine. In Hebr. habetur: *Quinque cortinæ conjunctæ erunt mulier ad sororem suam:* Hoc est, altera ad alteram. Ista enim phrasi utuntur Hebræi in vocibus quæ sunt fœminini generis, sicut in illis quæ generis sunt masculini, dicunt vir ad fratrem suum.

[ *Et aliæ quinque nexu simili cohærebunt.* ] Ita jungentur secundùm latitudinem sicut aliæ, sicque omnes decem cortinæ simul junctæ secundùm latitudinem, continebunt quadraginta cubitos.

[ ℣. 4. *Ansulas hyacinthinas in lateribus ac summitatibus facies cortinarum, ut possint invicem copulari.* ] Ansulas alii laqueolos, alii fenestellas vocant. Ansa autem dicitur illa auris perforata, per quam vas portari solet, vel cortina una alteri conjungi: ansula verò ejusmodi auris parvula. Hæ debebant de filis coloris hyacinthini fieri in lateribus ac summitatibus, idest, in extremitatibus laterum, earum scilicet cortinarum majorum quarum una constabat ex quinque ad invicem assutis, & similiter altera. In uno ergo latere sive in una extremitate illarum cortinarum magnarum debebant fieri ansulæ; & similiter in extremitate aliarum, ita ut duæ illæ magnæ cortinæ possent simul jungi per fibulas vel uncinos utrimque recurvos & aduncos, qui ansulas cortinarum utrimque morderent ac retinerent, ne una ab altera divelleretur, & sic ex duabus magnis cortinis fieret una duplo major secundùm latitudinem, habens scilicet in latitudine quadraginta cubitos. *Quid ansulæ.*

[ ℣. 5. *Quinquagenas ansulas cortina habebit in utraque parte,* ] Sermo est de illa majore cortina quæ confiari debebat ex duabus, quarum unaquæque constabat ex quinque minoribus. Per utramque partem non intelliguntur duæ diversæ partes unius ejusdemque cortinæ, sed duæ extremitates, una unius magnæ cortinæ, altera alterius sibi invicem respondentes, quæ sic inseri jubentur.

[ *Ut ansa contra ansam veniat, & altera alteri possit adaptari.* ] Interventu scilicet uncinorum quorum quilibet inter duas ansulas ponendus erat, ut duplici unco utramque morderet ac teneret.

[ ℣. 6. *Facies & quinquaginta circulos aureos quibus cortinarum vela jungenda sunt,* ] Pro circulos alii

vertunt

vertunt *uncinos*; Sermo autem est de uncinis seu fibulis quæ aliquam circuli figuram haberent, & ab utraque extremitate essent recurvæ & aduncæ, ita ut per eas conjungi possent duo vela cortinarum, hoc est, duæ illæ cortinæ quarum una ex quinque minoribus conflabat, & altera similiter ex aliis quinque. Quod confirmari potest ex cap. 36. ubi de his circulis dicitur quòd deberent mordere seu apprehendere ac retinere cortinarum ansas.

[ *Ut unum tabernaculum fiat*. ] Idest, unum completum totius tabernaculi operimentum ex illis cortinis quinque & quinque ad invicem copulatis. Hoc ergo primum & immediatum tabernaculi operimentum, ut citius commodiusque extendi posset ac etiam detrahi, in duas cortinas magnas erat distinctum, quæ ad invicem copulabantur per quinquaginta fibulas vel uncinos.

Quid saga. [ ℣. 7. *Facies & saga cilicina undecim, ad operiendum tectum tabernaculi*. ] Saga illa erant cortinæ seu vela de pilis caprarum facta, quemadmodum infra exprimitur cap. 36. quæ dicuntur cilicina, eò quòd sic primum in Cilicia fuere confecta: In Hebr. legitur, *Facies cortinas caprarum*, sive ex pilis caprarum. Jubentur fieri saga undecim, ut totum tabernaculum operire possent, & aliquo modo replicari tum in anteriori, tum in posteriori parte.

[ ℣. 8. *Longitudo sagi unius habebit triginta cubitos: & latitudo, quatuor:* ] Sic quodlibet sagum erat duobus cubitis longius quàm singulæ cortinæ de quibus supra, ejusdem tamen latitudinis. Sed quia erant undecim saga, cum tantùm essent decem cortinæ; latitudo totius operimenti ex sagis erat quadraginta quatuor cubitorum, atque ita excedebat latitudinem primi operimenti de quatuor cubitis.

[ *Æqua erit mensura sagorum omnium*. Singula saga sint ejusdem longitudinis ejusdemque latitudinis, ut convenienter sibi invicem conjungi possint.

[ ℣. 9. *E quibus quinque junges seorsum, & sex sibi mutuo copulabis*, ] Ex istis undecim, sagis duo magna vela erant facienda, quorum unum constaret ex quinque sibi mutuò assutis seorsum ab aliis; & aliud constaret ex sex pariter sibi assutis.

[ *Ita ut sextum sagum in fronte tecti duplices*. ] Sextum sagum est illud quod ultimum erat in copulatione sex sagorum: Et hoc in fronte tecti, idest, in superiori parte ingressus tabernaculi, debebat duplicari reflectendo aliquam ejus partem supra alteram, ut majorem haberet vim obstandi contrariis in extremitate anteriori tabernaculi. Illud ergo, *duplices*, non ita est accipiendum, quasi totum sextum sagum deberet extendi in replicatione facta in fronte tecti, sed quia pars ejus replicanda erat in dimidio sui. Ita Abulensis, Cajet. Marzilla.

[ ℣. 10. *Facies & quinquaginta ansas in ora sagi unius*, ] Non dicitur de qua materia fieri deberent hæ ansæ, sicut vers. 4. de cortinarum ansulis significatum fuit debere fieri de hyacintho; quia satis intelligi poterat quòd hæ fieri deberent de pilis caprarum, de eadem nimirum materia de qua fiebant ipsa saga: In cortinis autem cum ex multiplici materia constarent, non pariter intelligi poterat de qua faciendæ essent, nisi id exprimeretur. Per oram significatur extremitas & sermo est de sago majore ex pluribus minoribus consuto.

[ *Ut conjungi cum altero queat:* ] Cum altero sago, similiter ex pluribus consuto.

[ *Et quinquaginta ansas in ora* ] Seu extremitate.

[ *Sagi alterius, ut cum altero copuletur*. ] Per fibulas scilicet intermedias, de quibus sequitur:

[ ℣. 11. *Facies & quinquaginta fibulas æneas*, ] Hæ fibulæ fuerunt sicut circuli seu uncini, quibus jungebantur ansulæ cortinarum, suo versu 6. in eo differentes quòd illi essent aurei, istæ æneæ.

[ *Ut unum ex omnibus operimentum fiat*. ] Ut ex sagis undecim fiat unum totius tabernaculi operimentum.

[ ℣. 12. *Quod autem superfuerit in sagis quæ parantur tecto*, ] Hoc est, quæ fient ad tegendum. Illud dicitur superesse de sagis, juxta Abulensem, cui non relinquebatur aliqua pars tabernaculi tegenda: Saga namque & cortinæ ad tegendum tabernaculum facta sunt: Illud ergo quod non habebat aliquid tegendum de tabernaculo, dicebatur superesse. Et in cortinis quidem nihil supererat quantum ad longitudinem, quia solùm erant 28. cubitorum longitudinis, cum tabernaculum in longitudine haberet triginta cubitos: Sed nec quoad latitudinem, quia omnium cortinarum simul junctarum latitudo erat cubitorum quadraginta, & tanta requirebatur ad tegendum tabernaculum cum ejus latere Occidentali. At de sagis aliquid supererat, quantum ad latitudinem: cum enim essent undecim, & singula haberent quatuor cubitos in latitudine, omnia simul juncta faciebant latitudinem quadraginta quatuor cubitorum; tabernaculum verò cum decem cubitis lateris Occidentalis quod tegendum erat, solum erat quadraginta cubitorum, atque ita supererant de sagis quatuor cubiti.

[ *Idest, unum sagum quod amplius est*, ] Sive quod est ultra numerum cortinarum: aut quod plus est quàm sit necessarium, ad tegendum.

[ *Ex medietate ejus operies posteriora tabernaculi*. ] Sermo est de medietate sagi quod supererat. Quia tamen non poterat esse unum idemque sagum in substantia, cujus medietas una penderet in parte posteriori, & alia in anteriori, nisi fuisset scissum in duas partes, quod non est dicendum: Ideo unum sagum est secundùm æquivalentiam quantitatis hìc accipiendum. Ita nimirum ut duo cubiti superessent ab una parte, & duo cubiti ab altera, qui omnes quantum ad quantitatem æquivalebant uni sago. Cum ergo dicitur; *ex medietate ejus operies posteriora tabernaculi*; sensus est, quòd ex duobus cubitis qui supererunt in posteriori parte tabernaculi, scilicet post Sancta Sanctorum, oportebat partem illam posteriorem tegere, replicando scilicet illos duos cubitos, alterum super alterum, ne alioqui multipliciter jacerent per pavimentum; sic autem replicati erant validum operimentum istius partis posterioris.

[ ℣. 13. *Et cubitus ex una parte pendebit, & alter ex altera*, ] Incertum est de quibus cubitis hoc dicatur; utrùm de illis qui pendebant in lateribus Orientali & Occidentali, an de iis qui pendebant in Meridiano & Aquilonari. Probabilius videtur quòd de his posterioribus: Non enim saga extendebantur secundùm longitudinem ab Oriente in Occidentem, sed à Meridie in Aquilonem; Nunc autem sermo est de sagis secundùm longitudinem extensis, ut patet ex his verbis, *qui plus est in sagorum longitudine*. Significatur ergo quòd saga sic disponi & extendi debebant, ut unus cubitus eorum penderet ex parte Meridiana, & alius ex parte Aquilonari ultra quantitatem cortinarum quæ solum habebant viginti octo cubitos in longitudine, sagorum autem longitudo erat triginta cubitorum: Et consequenter id quod sequitur:

[ *Qui plus est in sagorum longitudine*, ] Non intelligitur quod esset plus in longitudine quàm requireret necessitas tecturæ, ( nam saga secundum longitudinem extensa tantùm accedebant ad pavimentum, & sic nihil de illis supererat: ) sed cubitus hinc & cubitus inde dicebatur esse plus in longitudine, quàm ipsæ cortinæ; eò quòd saga secundùm longitudinem extensa pendebant uno cubito longius quàm cortinæ à parte Meridionali, & similiter uno cubito longiùs à parte Aquilonari. Sensum hunc indicat Lyranus, & sequitur Abulensis.

[ *Utrumque latus tabernaculi protegens*. ] Meridianum videlicet & Aquilonare: protegebat autem, cooperiendo utrimque partem illam quæ à cortinis non tegebatur.

[ ℣. 14. *Facies & operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis:* ] Per tectum, vel tegumentum ex decem cortinis quod proximè tegebat tabernaculum, intelligitur; vel ipsummet tabernaculum: cap. enim 36. ubi factum narratur quod hìc jubetur fieri, sic legimus. *Fecit & opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis*. Hæ pelles arte coriariorum parandæ erant, & ab eis verisimiliter lana detrahenda, postea verò rubricari debebant, ac ex illis consuendum erat unum operimentum.

[ *Et super hoc rursum aliud operimentum de ianthinis pellibus*. ] Idest, habentibus colorem hyacinthi seu violaceum. Ex his constat fuisse quatuor diversa tegumenta tabernaculi.

Pri-

Quatuor tabernaculi operimenta.

Primum fuit velum seu stragulum ex decem cortinis:
Secundum fuit ex undecim sagis:
Tertium ex pellibus rubricatis:
Quartum ex ianthinis. De tertio & quarto quidam opinantur quòd solùm operirent tectum tabernaculi: sed alii probabilius dicunt quòd fuerint ejusdem magnitudinis cum undecim sagis; quòdque texerint etiam latera tabernaculi, tum ne ipsum ab imbribus læderetur; tum ne vel cortinæ quæ erant delicatiores, vel tabulæ deauratæ fœdarentur aut corrumperentur. Advertit autem Liranus quem sequitur Abulensis, quòd operimenta de sagis & pellibus fortiter affixa erant terræ cum funibus & paxillis, ut non moverentur à vento. Propter ista porrò operimenta Josephus lib. 3. Antiq. cap. 5. scribit tabernaculum in parte exteriori talis fuisse coloris, ut qui eminus illud intuerentur, quasi cœlum esse putarent, multumque mirarentur.

Operimenta erant fortiter affixa.

Allegorica.

Pro allegoria observandum est tabernaculum Moysi fuisse symbolum universalis Ecclesiæ. Atrium erat figura tum incipientium, tum vitam communem agentium, unde in eo fuit altare holocaustorum quod significat enecationem vitiorum & mortificationem motuum sensitivorum. Sanctum significabat Christianos perfectiores: in quo altare thimiamatis consistens adumbrabat jugem eorum orationem; candelabrum cum lucernis, Doctores; mensa panum, eos qui vacant operibus misericordiæ, Sanctum Sanctorum significabat Cœlum & Ecclesiam triumphantem, Tabernaculum decem cortinis, iisque diversa colorum specie variatis tegebatur, quoniam Ecclesia ex multis electorum personis, variis virtutum floribus ornatis ædificatur; cujus perfectio in denario numero continetur, quia per Decalogi observantiam impletur. Latæ sunt quatuor cubitis, quia charitas in Decalogo comprehensa ad quatuor virtutes cardinales se extendit; longæ viginti octo, qui est quaternarius septies ductus, ut significetur quòd longanimitas Ecclesiæ tendit ad requiem septenario numero propter sabbatum figuratam. Unde & ansulæ quinquaginta fuerunt coloris hyacinthini seu cœlestis, ad significandam spem cœlestium cœlestisque jubilæi. Unius mensuræ erant omnes, quia omnium Christianorum una est fides, unus Deus. Quinque ad invicem copulatæ designare possunt fideles veteris testamenti: Aliæ quinque fideles novi testamenti. Nam illæ priorem tabernaculi partem constituebant, istæ posteriorem. In erectione tabernaculi omnes nectebantur ad invicem; quia dum Ecclesia ædificatur, omnes fideles debent sibi mutuò uniri. Saga verò undecim significant peccatores: In peccatis quippe transgressio est; transgressio autem undenario numero significatur, quia transgreditur denarium, idest, legem Decalogi. Possunt etiam illa saga prædicatores significare, qui quò studiosius alios purgare satagunt, eò plura inveniunt in quibus seipsos reprehendant, dicentes: *In multis offendimus omnes*, Jac. 3. Sunt quinque & sex, ut per quinque designentur prædicatores qui per quinque mundi ætates docuerunt in veteri lege; & per sex, illi qui tempore novi testamenti in suæ prædicationis adjutorium assumunt ea quæ sacra Scriptura refert in sex mundi ætatibus facta & dicta. Et rectè sextum sagum in fronte tecti duplicari jubetur, quia qui Ecclesiam intrant, non tantùm initiantur sacramentis Dominicæ Passionis, sed eam quoque imitari debent. Saga protegebant cortinas desuper & infra, ab omni pluviarum & tempestatum injuria: sic prædicatoribus incumbit fideles protegere ab hæreticorum dolis & fraudibus. Operimenta de pellibus significant eos qui Ecclesiam suo sanguine stabilierunt, vel animo in cœlum defixo eam decorarunt.

Tabulæ erectæ erant instar parietû.

[ ℣. 15. *Facies & tabulas stantes* ] Seu erectas. Hæ tabulæ seu asseres fuerunt quasi parietes tabernaculi à tribus ejus lateribus, scilicet Meridiano, Aquilonari, & Occidentali, longæ seu altæ decem cubitis; latæ uno cubito cum dimidio. Cujus essent spissitudinis incertum est. Quidam plenum cubitum eis tribuunt: At hac ratione potius fuissent trabes quàm tabulæ, & nimii ponderis fuissent ad portandum. Probabilius scribunt Josephus lib. 3. Antiq. cap. 5. Liranus & Abulensis hic, eas fuisse quatuor digitorum.

[ ℣. 16. *Quæ singula denos cubitos in longitudine habeant*, ] Ista autem longitudo, cum tabulæ essent erectæ, erat ipsarum altitudo, unde sequitur quòd tabernaculum erat altum decem cubitis: Altitudo quippe tabularum super quas extendebantur operimenta, de quibus vers. 14. erat altitudo ipsius tabernaculi.

Quæ tabernaculi altitudo.

[ *Et in latitudine singulos ac semissem.* ] Cum igitur singulæ tabulæ haberent in latitudine cubitum & dimidium, ipsæ autem essent viginti ab uno latere; consequens est tabernaculum fuisse longum triginta cubitis.

[ ℣. 17. *In lateribus tabulæ, duæ incastraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur:* ] Incastraturæ vocantur excavationes quæ in tabulis fieri jubentur ad hoc ut ad invicem jungi possent. Levigando siquidem sive dolando, tabulæ ex aliqua parte cavari debebant, & in illas cavaturas aliæ tabulæ similiter cavatæ immitti, ut sic se continerent. Pro, duæ incastraturæ, Hebræa dicunt, *duæ manus:* Manus autem accipiuntur metaphoricè, & juxta proprietatem linguæ Hebrææ, quidquid alterum quasi apprehendit, rectè vocatur manus. Significatur ergo quòd in lateribus cujuslibet tabulæ fieri deberent duæ excavationes, una scilicet in uno latere, & alia in altero, quia quælibet tabula duabus tabulis erat connectenda, uni ante, & alteri post. Monet tamen Abulensis hæc intelligenda esse cum exceptione duarum tabularum quarum una erat prima ab uno latere, & altera similiter prima ab altero, quæ cum uni tantùm tabulæ esset jungenda, nimirum sequenti; non plus quàm una incastratura opus eis erat. Quis porrò fuerit modus conjunctionis tabularum, & ubi essent illæ incastraturæ, quidam ambigunt. Sed ex versu 24. omnino apparet quòd deberet esse junctura tabularum continua à deorsum usque sursum, ubi proindè oportebat esse ipsas incastraturas. Si dicas quòd per talem incastrationem aliquid decederet de justa longitudine tabernaculi; Ubi enim asser asseri sic conjungitur, idem locus longitudinis à duobus asseribus occupatur: Resp. id quod ea ratione decessit, fuisse valdè exiguum: Et si quis opinetur fuisse multum: dici potest hoc suppletum fuisse per artificum prudentiam, assumendo tabulas quæ suam haberent latitudinem, etiam post incastraturam & juncturam earum ad invicem.

Quid incastraturæ.

[ *Atque in hunc modum cunctæ tabulæ parabuntur.* ] Ne quis existimaret unam tantùm tabulam alteri connectendam, sicque incastraturas in duabus dumtaxat tabulis esse præparandas; Additur cunctas tabulas ita debere parari, ut nimirum in singulis duæ essent incastraturæ, præter tamen illas duas de quibus ex Abulensi jam diximus.

[ ℣. 18. *Quarum viginti erunt in latere Meridiano quod vergit ad Austrum.* ] In Hebr. sic legitur, *ad latus Meridianum, ad Austrum:* Et posterius est explicatio prioris, more Hebraico. Significatur autem quòd istæ viginti tabulæ sic connexæ ac situatæ constituere deberent latus seu parietem tabernaculi Meridianum. Quomodo autem tabulæ possent esse stantes seu erectæ, in sequentibus indicatur.

[ ℣. 19. *Quibus quadraginta bases argenteas fundes,* ] Non exprimitur in Hebræo quòd istæ bases fieri deberent opere fusorio; Nam pro fundes, ibi legitur verbum generale, facies: Interpres tamen noster vertit, fundes, quia bases argenteæ solent fundi. Bases autem vocantur illa, quibus tanquam fundamentis immissæ tabulæ stare possent. Cæterum, quanta fuerit harum basium altitudo, & quæ forma, scriptura non expressit, uti nec quomodo vel ipsæ vel in ipsis tabulæ seu asseres fuerint solidatæ. Quidam putant eas fuisse acutas, & ex parte solitas infigi terræ: Sed hoc non videtur satis congruere dignitati earum, & ex eo sequeretur tabernaculum non potuisse super marmora erigi. Alii probabilius dicunt bases fuisse planas & oblongas, ita ut mole sua firmæ starent, possentque etiam super marmora firmæ consistere; ad cujus rei confirmationem pertinet; quòd bases singulæ continerent unum talentum argenti, ut ex cap. 38. patet, Talentum autem juxta Epiphanium lib. de mensuris, est centum viginti quinque librarum, aut juxta quosdam alios, centum viginti.

Viginti tabulæ habebant quadraginta bases.

[ *Ut binæ bases singulis tabulis per duos angulos subjiciantur.* ] Quælibet tabula duas habebat bases sibi suppositas, unam in uno angulo sive in una extremitate,

aliam

aliam in altero: & verisimile est quòd in illis basibus fierent incastraturæ aut foramina, in quibus tabulæ convenienter aptatæ reciperentur ac firmiter consisterent.

[ ℣. 20. *In latere quoque secundo tabernaculi quod vergit ad Aquilonem, viginti tabulæ erunt, &c.* ] Hinc patet quòd latus Aquilonare tabernaculi debebat esse æquale lateri Meridiano, & pariter constare viginti tabulis quæ essent super quadraginta bases argenteas, singulæ super duas.

[ ℣. 22. *Ad Occidentalem verò plagam tabernaculi facies sex tabulas,* ] Quæ debebant esse ejusdem longitudinis, latitudinis, & spissitudinis, cujus fuisse præcedentes jam diximus.

[ ℣. 23. *Et rursum alias duas quæ in angulis erigantur post tergum tabernaculi.* ] Harum duarum fit distincta mentio; quoniam etsi essent aliis æquales in longitudine seu altitudine & spissitudine; non erant tamen ejusdem latitudinis; singulæ namque solum habebant in latitudine semicubitum aut circiter, juxta Josephum lib. 3. Antiq. cap. 5. Dionysium, Abul. & alios. Cum enim sex prædictæ tabulæ non implerent plus quàm novem cubitos latitudinis, ab utraque parte lateris Occidentalis fuisset medius cubitus vacuus nisi aliundè suppleretur. Ideo ab una parte seu in uno angulo posita fuit una tabula semicubitalis, & ab altera parte similiter, quæ latus Occidentale compaginaverunt & conjunxerunt aliis duobus lateribus, Meridiano & Aquilonari. Istæ ergo duæ columnæ cum aliis sex, fuerunt erectæ post tergum tabernaculi, quia fuerunt ad latus ejus Occidentale, scilicet post Sancta Sanctorum. Pars autem tabernaculi anterior, idest Orientalis, nullas habebat tabulas, sed patebat, utpote per quam erat ingressus in tabernaculum, solumque tegebatur velo, quod infra cap. 36. v. 37. vocatur tentorium, & extendebatur vel complicabatur prout Sacerdotes judicabant expedire.

[ ℣. 24. *Eruntque conjunctæ à deorsum usque sursum,* ] Unde sequitur quòd cavatura in tabulis seu asseribus sic facienda erat, ut ab imo pertingeret usque ad summum, quandoquidem ipsæ tabulæ ita erant ad invicem copulandæ.

[ *Et una omnes compago retinebit.* ] Idest, omnes tabulæ habebunt unam compaginem seu conjunctionem, eruntque similiter conjunctæ. Quoniam ex Hebræo verti potest, erunt geminatæ inferius, & similiter erunt perfectæ super caput suum ad annulum unum, quidam volunt tabulas tantùm in imo & in summo fuisse conjunctas, & non in medio: sed verius est eas ab imo ad summum continuè fuisse connexas, quemadmodum textus noster significat; nec dissentit Hebraicus si consideremus sacræ scripturæ morem esse, dum vult rem aliquam totam describere, sæpe duas tantùm partes nominare, summam & infimam, caput & pedes. Lectionis ergo Hebrææ sensus est, tabulas debere inferius esse geminatas, utpotè duabus basibus sustentatas, & super caput suum, idest, superius perfectas seu æqualiter connexas, quasi annulo uno retinerentur; cum annulo propriè dicto non necterentur, sed incastraturis, ut versu 17. fuit dictum.

[ *Duabus quoque tabulis quæ in angulis ponendæ sunt, similis junctura servabitur.* ] Ut nimirum in qualibet earum fiant duæ incastraturæ seu cavaturæ, sicut in aliis: & hoc ideo, quia unaquæque illarum debebat conjungi duabus aliis tabulis, uni ad latus suum Occidentale, alteri ad latus vel Meridianum vel Aquilonare.

[ ℣. 25. *Et erunt simul tabulæ octo,* ] Ponendæ videlicet ad latus Occidentale.

[ *Bases earum argenteæ sedecim,* ] Ita namque infigi debebant duæ bases in qualibet parva tabula, sicut in magnis: Unde sequitur

[ *Duabus basibus per unam tabulam supputatis.* ] Idest, pro qualibet tabula supputando & accipiendo duas bases.

[ ℣. 26. *Facies & vectes de lignis setim* ] Hi vectes non erant in eum usum in quem jussi fuerunt poni ad arcam & mensam, cap. 25. nimirum ut portari possent, nam tabulas & vectes & columnas & bases portare debebant Meraritæ. Num. 4. qui deinde omnia illa plaustris imponebant, ut patet ex Num. 7. sed erant ad tabulas firmiter continendas, ne una ab altera disjungeretur. Licèt enim tabulæ continerentur inferius per bases, oportebat tamen eas sursum ascendendo per aliquid aliud contineri ne ab invicem divellerentur: & ideò jussum est adhiberi ligna quæ vectes hic vocantur, per quos tabulæ firmiter stringerentur.

Quales hi vectes.

[ *Quinque ad continendas tabulas in uno latere &c.* ] Jubet Deus fieri vectes quindecim, quinque ponendos ad partem tabernaculi Meridionalem, quinque ad Aquilonarem, & quinque ad Occidentalem.

[ ℣. 28. *Qui mittentur per medias tabulas à summo usque ad summum.* ] Non est sensus, à summo unius tabulæ usque ad imum ejus; sic enim unam tantùm tabulam unus vectis tetigisset; sed significatur quòd illi vectes deberent sic immitti, ut à prima tabula transirent usque ad ultimam per intermedias seu per dorsa intermediarum transversim; Nam in earum dorsis jussi sunt fieri annuli per quos hi vectes transirent. Istud ergo à summo usque ad summum, idem valet quòd ab uno extremo ad aliud.

[ ℣. 29. *Ipsas quoque tabulas deaurabis* ] Tam ab intus quàm ab extra: Ab intus quidem, quia illic apparebant nec ullo operimento tegebantur: Ab extra autem, quia mandatum est ut vectes laminis aureis tegerentur; vectes autem fuisse ab exteriori parte tabernaculi positos, Josephus, Liranus & alii communius sentiunt. Neque refert quòd vectes si erant extrinsecus, non essent conspicui, ideoque non debuerint ornari auro; erant enim conspicui sublatis omnibus tegumentis.

[ *Et fundes* ] In Hebr. nulla operis fusorii facta mentione, tantum dicitur facies

[ *In eis* ] Tabulis scil. seu asseribus.

[ *Annulos aureos, per quos vectes tabulata* ] Idest, tabulas ad invicem copulatas.

[ *Contineant: quos operies laminis aureis.* ] Relativum, *quos*, non refertur ad annulos, quia ipsi debebant esse aurei, sed ad vectes qui fieri debebant de lignis setim.

[ ℣. 30. *Et eriges* ] Factis omnibus istis.

[ *Tabernaculum juxta exemplar &c.* ] Pro allegoria dicendum est tabulas tabernaculi designare Apostolos virosque Apostolicos, qui sua doctrina Ecclesiam stabiliunt, & sunt de lignis setim, quæ spinæ albæ similitudinem habent; quia sancti illi spinarum quidem & tribulorum hujus sæculi fuerunt participes, sed per Christi gratiam, spiculis peccatorum exuti, virtutum candore nitent. Tabularum longitudo quæ est ipsarum altitudo, habet decem cubitos; quia viri Apostolici per observantiam decem præceptorum Decalogi, ad perfectionis altitudinem tendunt, expectantque retributionem denarii diurni. Quòd in latitudine habent cubitum ac semissem, significat eos hic habere perfectionem boni operis, sed imperfectionem cognitionis; plenus enim cubitus plenæ seu perfectæ operationis est symbolum; medius autem inchoatæ & imperfectæ cognitionis, unde est illud 1. ad Corinth. 13. *Nunc cognosco ex parte.* Incastraturæ in lateribus tabularum designant humilitatem, per quam fraterna charitate sibi invicem junguntur. Erecto tabernaculo incastraturæ non conspiciuntur quantæ sint, quanta tamen virtute tabulas copulent, earum stabilitas ostendit. Quemadmodum nec ab hominibus videri potest quanta sit humilitas cordis Sanctorum, quamvis ex pacato statu Ecclesiæ conspici possit quam stabilitatem operetur. Duæ sunt incastraturæ in tabulis, quia tam in adversis quàm in prosperis humilitas servanda est. Tabernaculi longitudo erat triginta cubitorum; quia tres sunt virtutes, fides, spes, charitas, in quibus Ecclesiæ perfectio principaliter consistit: Illæ autem per decem multiplicantur, ut tricenarius numerus impleatur, dum virtutibus opera Decalogi junguntur. Tabularum numerus est ab utroque latere vicenarius, quia dum vel quater quinque vel quinquies quater faciunt viginti, significatur quòd miro veritatis consensu mysteria sunt in quinque libris Moysi figurata, & in quatuor Evangeliis explicata. Bases quibus tabulæ sustentabantur, sunt verba legis ac Prophetarum, per quæ Apostoli & Evangelistæ probant vera esse ea quæ dicunt, vel prædicant: velut Matth. 1. *Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem &c.* Et 2. Petr. 1. *Habemus firmiorem Propheticum sermonem.* Singulis autem

Allegorica.

tabulis

tabulis binæ bases supponuntur; quia Propheticus & Evangelicus sermo debet concordare, ut Ecclesia benè fulciatur. Bases sunt argenteæ, propter nitorem verbi cœlestis juxta illud Psalm. 11. *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum*. Latus Meridianum tabernaculi quod vergebat ad Austrum, designat antiquam plebem, quantum ad eos qui lege accepta solebant amore conditoris sui fervere: Latus autem Aquilonare, eum populum qui in tenebris ignorantiæ sedens frigore infidelitatis usque ad tempus Incarnationis torpere non destitit. Unius autem numeri, & mensuræ & facturæ tabulas utrumque latus habuit; quoniam una eademque fides, spes, charitas, utrique populo prædicatur, ad eamdem cœlestem patriam uterque vocatur, & eadem charitatis compagine copulatur. Octo tabulæ quæ ad Occidentalem plagam tabernaculi, illud consummabant, adimpletionem Ecclesiæ militantis quæ cum fine hujus mundi perficitur, adumbrant. Vectes quinque in singulis lateribus tabulas continebant, quia quinque libri Moysi quibus Ecclesia defenditur & fulcitur, non solum litteraliter sed etiam secundùm spiritum intellecti juvant Judæos, Gentiles, & Christianos. Tabulæ tabernaculi deauratæ refulgent, cum virorum Apostolicorum vita lucem sapientiæ cœlestis, virtutumque Christianarum præmonstrant. Annuli aurei per quos vectes continebant tabulata, ipsam vitæ cœlestis beatitudinem & coronam gloriæ figurabant.

Duo fuere vela tabernaculi.

[℣. 31. *Facies & velum de hyacintho.*] Hic & in sequentibus jubentur fieri duo vela eodem artificio contexta, sicut cortinæ de quibus versu 1. Unum quod penderet ante Sancta Sanctorum, eumque locum divideret ab alio qui dicebatur Sancta: Alterum quod penderet ante Sancta, eaque divideret ab atrio. De priori nunc agitur.

[℣. 32. *Quod appendes ante quatuor columnas*] In Hebr. & apud 70. pro *ante*, legitur *super*, eodem tamen sensu. Erectæ siquidem fuerunt ante Sancta Sanctorum quatuor columnæ de lignis setim, & ex illis seu ex illarum capitellis, atque etiam ante illas expansum ex hoc velum.

[*Quæ ipsæ quidem deauratæ erunt*,] Laminis scilicet aureis tectæ:

[*Et habebunt capita aurea*,] Quæ non aliud erant, quàm capitella facta de auro, & posita super ipsas columnas, sicut nunc super columnas lapideas ponuntur capitella lapidea, ait Abulensis, ad ornatum videlicet.

[*Sed bases argenteas*.] Super quas columnæ locarentur & sustentarentur, sicut illæ de quibus versu 19. fuit dictum: Hæ porrò bases erant quatuor, sustinebantque quatuor columnas.

De priori velo.

[℣. 33. *Inseretur autem velum per circulos*,] Isti circuli erant in capitibus columnarum, & ex illis pendebat velum ante columnas, juxta Abulensem; Ad hoc autem serviebant, ut mediantibus illis posset velum trahi & retrahi, ait Liranus.

[*Intra quod*] Hoc est, intra locum tabernaculi isto velo clausum.

[*Pones arcam testimonii*,] In qua scilicet continebantur tabulæ legis, quæ erant ibi positæ in testimonium quod Hebræi recepissent legem à Deo, testabanturque quid Deus ab eis requireret.

[*Quo & Sanctuarium, & Sanctuarii Sanctuaria dividentur*.] Per Sanctuarium intelligitur ea pars tabernaculi, quæ aliàs vocatur Sanctum; & per Sanctuarii Sanctuaria, illa quæ appellatur Sancta Sanctorum.

[℣. 34. *Pones & propitiatorium super arcam*] De propitiatorio diximus cap. 25. versu 17. sicut & de mensa & candelabro quæ hic sequuntur, ibidem versibus 23. & 31.

De velo altero.

[℣. 36. *Facies & tentorium*] Seu velum. Præscribitur enim faciendum velum secundùm quod aliqui vocant velum exterius, extendendum in introitu tabernaculi, id est, in parte Orientali per quam erat ingressus in tabernaculum, quod divideret Sanctum ab atrio; eratque propterea velum Sancti, sicut prius erat velum Sancti Sanctorum.

[℣. 37. *Et quinque columnas &c.*] Hoc velum pendebat ante columnas quinque quarum bases erant æneæ; cum prius velum tantùm quatuor columnas haberet, sed bases argenteas. Confer finem cap. 36. Josephus l. 3. Antiquit. cap. 5. scribit ad hoc velum exterius oppansum fuisse aliud è lino contextum; quod cum plueret, ningeret, vel grandinaret, ab ateis injuria defenderet illud quod pulchra varietate constabat, indeque ait morem inolevisse ut post templum ædificatum, velum huic simile ante aditum extenderetur.

Superest difficultas, unde lucem & aerem acciperent qui erant in tabernaculo, quandoquidem nullæ ibi essent fenestræ, & tum jam dicta velarum cortinæ & operimenta, de quibus supra tabernaculum tegerent. Resp. vela non penitus impedivisse aerem, cum per illa pateret ingressus & egressus introeuntibus: Lumen verò vix necessarium erat in Sancto Sanctorum, quia illic omnia debebant esse tecta, & nullus poterat eò intrare præter summum sacerdotem; idque semel in anno, ac ne tunc quidem sine thure & suffitu quo omnis ferè prospectus impediebatur. In Sancto autem lumen erat ex lucernis candelabri, ac insuper ex eo quòd velum non pendebat usque ad terram, sed usque ad medium columnarum, ut scribit Josephus.

Allegorica.

Allegoricè velum ante Sancta extensum figurabat quædam sacrificiorum legalium mysteria fuisse velata seu occultata populo, quæ Sacerdotibus erant nota. Quod autem ante Sancta Sanctorum pendebat, quæ cœli cœlestisque gloriæ symbolum erant, significabat non patere tunc hominibus aditum ad cœlum, velataque esse ea quæ ad illud ducere possunt. Quod velum in Christi Passione scissum est Matth. 27. quia Christus sua morte nobis aperuit aditum ad cœlum & ad claram Dei visionem, meruitque reserationem omnium mysteriorum quæ prius fuerant velata. Columnæ Apostolos virosque Apostolicos præfigurabant, unde est illud ad Galat. 2. *Jacobus & Cephas & Joannes qui videbantur columnæ esse*. Erant quatuor, quia quater ter ducta faciunt duodecim. Habebant capita aurea, quia Christus etsi sit unus, omnium tamen columnarum est caput, & quidem aureum; quia plenus gratiæ & veritatis. Bases argenteæ designare possunt Angelos, qui viros Apostolicos fulciunt; Æneæ autem, Prophetas quorum attestatione firma & inviolabili Apostolorum sermo confirmatur. At quinque columnæ significant primitivam Ecclesiam ex Hebræo populo congregatam, seu Doctores illius quatenus sola quinque librorum Moysi doctrina scripta utebantur, cum Evangelica & Apostolica scriptura nondum esset.

## CAPUT XXVII.

*Præscribitur constructio altaris holocausti & atrii tabernaculi cum suis tentoriis seu velis ac columnis: oleumque lucernarum & earum accensio describitur.*

In tabernaculo fuere duo altaria.

[℣. 1. F*acies & altare de lignis setim.*] Fuerunt apud Judæos duo altaria divinitus præscripta, non tantùm nomine, sed etiam situ & officio distincta. Unum fuit sub dio, nimirum in atrio Sacerdotum, serviebatque incensioni victimarum, & vocabatur altare holocaustorum, quæ erant præcipua & præstantissima sacrificia illic offerri solita. Alterum fuit in loco qui dicitur Sancta, & serviebat incensioni thimiamatis, unde & appellabatur altare incensi, aut altare thimiamatis. De priore hic sermo est; De posteriore cap. 30.

Qualiter altare holocausti erat constructum.

Quæritur autem quomodo hic jubetur fieri altare de lignis cum cap. 20. jussum fuerit fieri de terra. Resp. nullam esse repugnantiam; quia ligna setim non erant tota istius altaris materia, sed ambiebant altare quod de terra vel de insectis lapidibus erat constructum, sicque erant quodammodo pars altaris. Ita namque ædificabatur altare. Pro parietibus erigebantur ligna setim ad altitudinem trium cubitorum, quia vel terra vel lapidibus insectis replebantur usque ad medium: deinde, super eam terræ aut lapidum molem ponebatur arula ænea quæ ligna ignemque contineret; super arulam verò ponebatur craticula in qua carnes cremandæ locarentur, poterantque tam craticula quàm arula auferri, & seorsim ab altari portari, secundùm quod erat opus.

Si quæras; quomodo possent nova ligna subjici victimis: quidam arbitrantur quòd levando craticulam, ut Ribera l.2. de templo cap.20. Alii dicunt in uno latere fuisse ostiolum aut fenestram, per quam & ligna immitti & carbones ac cineres possent extrahi, ut Beda, Richardus, Comestor apud Riberam, & quidam alii post ipsos. Diversa quidem est apud alios hujus altaris constructio: sed quæ dicta est, videtur textui conformior.

[ ℣.2. *Cornua autem per quatuor angulos* ] Quid fuerint ista cornua, ambigitur. Probabile est fuisse parvas piramides in quatuor superioribus angulis prominentes, aut quid simile; frequenter enim nomine cornuum non significantur vera cornua, nec ea quæ verorum cornuum habent similitudinem; sed vel anguli seu extremitates (unde Missale Romanum sæpè nominat cornu Epistolæ, & cornu Evangelii:) vel quæ de re aliqua prominent, quomodo facies Moysi dicitur cornuta, infra cap.34. eò quòd radios lucis emitteret.

[ *Ex ipso erunt:* ] Id est, non erunt aliundè fabricata & lignis altaris affixa, sed continuo opere ex illis ducentur.

[ *Et operies illud ære*. ] Totam altaris superficiem exteriorem, quæ erat de lignis setim, laminis seu tabulis æneis operies, comprehensis quoque ejus cornibus. Utrùm altare non fuerit etiam intrinsecus opertum ære, quæri potest: Et quamvis aliqui negent: verisimilius tamen alii affirmant, incipiendo scilicet à superiori parte usque ad medium aut paulo plus, donec tabulæ ligneæ essent occultatæ sub terra vel lapidibus, idque ne alioquin istæ tabulæ læderentur ab igne: partes autem reliquæ versus fundum altaris, quia multum operiebantur terræ vel lapidum mole, non tegebantur laminis æreis, cum ignis eò pertingere non posset.

*Etiam ab intra altare fuit aliqua ex parte opertum ære.*

[ ℣. 3. *Faciesque in usus ejus lebetes ad suscipiendos cineres*, ] Lebetes seu ut alii vertunt, ollæ erant vasa quædam in quibus cineres in altari restantes ex lignorum & hostiarum concrematione, recipiebantur prius quàm efferrentur foras, ut Levit.4. vers.12. & cap.6. vers. 11. habetur.

[ *Et forcipes atque fuscinulas*, ] Forcipes sunt instrumenta quibus quæ calida sunt, capi possunt. Et sub bis quidam comprehendi volunt batilla seu palas, quibus etiam tum carbones tum cineres capiuntur. Unde Oleaster scribit in hoc omnes convenire, quòd vox Hebræa significet instrumentum quo cineres removentur. In altari ergo holocaustorum serviebant ad componendum ignem, & ad carbones vel quid aliud ex altari capiendum. Hinc Isai.6. *in manu ejus calculus quem forcipe tulerat de altari*.

Fuscinulæ sunt ea instrumenta quibus coqui solent levare carnes de olla, juxta illud 1. Reg.2. *veniebat puer sacerdotis dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in lebetem &c. & omne quod levabat, fuscinula, tollebat Sacerdos sibi*. Quem verò usum fuscinulæ habuerint in hoc altari non liquet, eò quòd ibi non elixarentur carnes. Quidam opinantur eas fuisse recurvas, & usui fuisse ad deducendum carbones ex altari:. Quod cum sit prorsùs incertum, cumque fuscinulæ servirent non solum ad carnes de olla extrahendas, sed etiam ad ponendum super altare ea quæ ibi cremabantur, ut dicit Liranus satis conformiter iis quæ leguntur Levit. 1. *membra quæ sunt casa desuper ordinantes*, obvium est intelligere non hic defuisse usum fuscinularum, quamvis non essent recurvæ.

[ *Et ignium receptacula*, ] Quibus prunæ de altari holocaustorum acceptæ deferrentur ad altare thimiamatis.

Si quæras, cur hìc nulla fiat mentio illorum lebetum, caldariarum, ollarum & cacaborum in quibus coquebantur carnes Deo immolatæ, ut ex 1. Reg. 2. habetur: Resp. Torniellus ad ann. mundi 2544. n.77. rationem esse, quòd carnes hostiarum pacificarum non coquerentur in Sacerdotum, sed in Laicorum atrio, & quidem ab ipsismet Laicis; unde vasa illa ad hujuscemodi carnes coquendas, non pertinebant ad altare holocausti, sed afferebantur à Laicis. Addit autem fuisse in atrio Sacerdotum alias ollas, seu vasa oleo sacro inuncta & sanctificata ad coquendas carnes hostiarum pro peccato, quas soli masculi de genere Sacerdotali manducare jubentur in loco sacro Levit.7. De iliis enim sermo esse videtur 4. Reg.25. quando Chaldæi leguntur abstulisse de templo ollas æreas & alia in quibus ministrabant. Et quamvis non hic specificentur ubi non singula sigillatim exprimuntur, (nam nec de labro quidquam hic dicitur, neque de uncinis de quibus cap. 38. possunt tamen intelligi esse comprehensa in eo quod sequitur.

[ *Omnia vasa ex ære fabricabis*. ] Quæ nimirum pertinet ad usum altaris holocausti.

[ ℣.4. *Craticulamque in modum retis æneam:* ] Hæc craticula, quoniam instar retis facta erat, vocatur aliquando retiaculum ut cap.38. vers.5. & cap.39. vers.39. Quidam existimant eam circumdedisse altare extrinsecus, sicut magnatum monumenta videmus claudi ferreis cancellis aut craticulis, ne ab aliquo violentur. At alii scripturæ conformius dicunt illam fuisse in altari, ita ut superficies craticulæ esset in altaris summitate, & ejus fundum in medio altaris: Fundum enim seu inferior pars craticulæ erat arula intra altaris parietes abscondita, & vel craticulæ pedibus annexa, (scribunt namque Ribera dicto c.20. & Torniel. eodem nu.77. craticulam habuisse pedes quibus sustinebatur arula:) vel per æneas virgas ipsi craticulæ superiori copulata. Ad quorum intelligentiam observant arulam & craticulam fuisse unum integrum opus, constans ex duabus tabulis seu laminis æneis: una quæ erat in medio altaris & propriè vocabatur arula, in qua imponebantur ligna & ignis: Altera, quæ erat in summitate altaris variè perforata, sicut sunt crates ferreæ, super quam imponebantur holocausta & victimæ, ad quas ignis ex inferiori tabula pertingebat per foramina aperta. Totum autem istud opus erat distinctum ab altari, poterat que in altare immitti, & ab illo extrahi, ac seorsum portari per vectes: Cæterum etsi esset unum opus craticulæ, strictè tamen & propriè tabula superior vocabatur craticula.

*De arula & craticula.*

[ *Per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei*, ] Isti annuli non debebant esse in angulis superioribus craticulæ, sed in infimis arulæ extremitatibus: Ideo quippe sequitur:

[ ℣. 5. *Quos pones subter arulam* ] Arulam tamquam parvam aram ad hoc deservisse: ut super eam collocaretur ignis, ex Jerem. 36. doceri potest ubi de rege Joachim dicitur quòd *posita erat arula coram eo plena prunis:* & mox, *projecit in ignem qui erat super arulam*. In dictos autem annulos immittebantur vectes cum jam dictum opus extrahebatur de altari, cumque esset quopiam deferendum.

[ *Eritque craticula usque ad altaris medium*. Non secundùm se totam, sed secundùm partem ejus inferiorem, sive secundùm arulam quæ fuit in medio altitudinis altaris, & quam diximus fuisse fundum craticulæ.

[ ℣. 6. *Facies & vectes altaris de lignis setim duos, quos operies laminis æneis:* ] Hi vectes inducebantur per circulos seu annulos qui in lateribus altaris eminebant, & serviebant ad portandum altare.: unde sequitur.

[ ℣.7. *Et induces per circulos, eruntque ex utroque latere altaris ad portandum*. ] Præter hos autem, sicut erant alii quatuor annuli in quatuor extremitatibus arulæ; ita erant alii duo vectes, qui per eos inferebantur ad portandum opus ex arula & craticula constans.

[ ℣. 8. *Non solidum, sed inane & cavum intrinsecus facies illud*, ] Juber Deus ut altare quod inferius ex terra aut infectis lapidibus erat construendum, à sui medio sursum ascendendo, esset vacuum & inane; in quod propterea immitti atque ex eo educi posset secundùm rei & temporis exigentiam prædictum arulæ & craticulæ opus.

*Allegoricè.*

Allegoricè altare holocausti est crux Christi, in qua ipse fuit cruentè immolatus. Si tum fuit in atrio extra tabernaculum, quia Christus *extra portam passus est*, ad Heb.13. factum est de lignis setim, quia Crux Christi non est passa corruptionem, & ipsi Christo spinarum aculeos seu dolores intulit, Ære obducitur, sive quia crux illa facta est velut æs sonans, dum ubique prædicatur & auditur, sive quia æs est symbolum fortitudinis. Quatuor altaris cornua sunt quatuor cornua seu extremitates

mitates

mitates crucis, & quatuor mundi plagas repræſentant, ad quas ejus virtus ſe extendit. Hoc altare intus fuit vacuum & inane; nam & crux nuda erat & vacua prius quàm Chriſtus illi imponeretur. Ara & craticula ſignificant acerbiſſimos Chriſti dolores quibus in cruce quaſi toſtus eſt juxta illud Pſalm. 101. *Oſſa mea ſicut cremium aruerunt*: vel ut alii, *ficut in frixorio confrixa ſunt*.

Moralia.

Juxta tropologiam verò, hoc altare deſignat corda fidelium ad offerendum Deo ſacrificia bonorum operum conſecrata, quæ debent eſſe de lignis ſetim, quia munda & incorrupta; & ære obduci, quia fortes illos eſſe convenit. Habent quinque cubitos longitudinis & totidem latitudinis, quando quinque ſenſus externos exercere ſatagunt in longitudine patientiæ & in latitudine charitatis: Habent & tres altitudinis, quando ad cœleſtia tendunt per fidem, ſpem, & charitatem. Quatuor habent angulos & cornua, quando muniuntur quatuor virtutibus cardinalibus. Debent eſſe vacua contagio vitiorum ut recipiant arulam ignis cœleſtis, & continuò ferant craticulam, id eſt, jugem variamque mortificationem. Oportet eos habere lebetes ad ſuſpiciendos cineres, quia Paſſionis & mortis Chriſti memoriam ſæpè debent recolere. Per alia vaſa in iſtius altaris uſum facta, figurantur cum perſonæ diverſæ quæ ignem charitatis accendunt ſeu diſponunt in aliis; tum variæ actiones quas unuſquiſque fidelis exercet pro oblatione bonorum operum Deo facienda.

Quid erat atrium tabernaculi.

[℣. 9. *Facies & atrium tabernaculi*,] Hoc atrium erat campus ſeu platea magna ſupernè patens & circumdans totum tabernaculum, ita tamen ut tabernaculum non eſſet ſitum in ejus medio (ſic enim magnum ſpatium in parte Occidentali poſt Sancta Sanctorum fuiſſet inutile, cum nulli convenirent ad adorandum poſt illa Sancta; ſed ex Orientali, ut & ex Auſtrali & ex Aquilonari, omnes adorarent verſus Occidentem:) Verùm latus Occidentale atrii erat juxta latus Occidentale tabernaculi, & à parte Orientali manebat amplum ſpatium non impeditum, in quo poſſent plures conſiſtere. Magnitudo atrii erat centum cubitorum in longitudine, quæ deſumebatur à parte Orientali per quam erat ingreſſus uſque in Occidentalem, verſus quam erant Sancta Sanctorum: in latitudine autem quæ computatur à parte Meridionali ad Aquilonarem habebat cubitos quinquaginta, & in altitudine cubitos quinque. Pro muris vel parietibus cingebatur tentoriis ſeu cortinis aut velis quæ ex columnis dependebant. Erat porrò hoc atrium tabernaculi tantùm unum, ſed ita ut omninò ſit veriſimile diſtinctas in eo fuiſſe ſtationes Sacerdotum ac Levitarum, à ſtationibus populi: unde in templo Salomonis ubi omnia fuerant diſtinctius diſpoſita, fuerunt duo atria; unum Sacerdotum, quod vocatur interius; aliud Laicorum, quod vocatur exterius. Cum enim 3. Reg. 6. dicitur, *ædificavit atrium interius*, ſatis indicatur fuiſſe & alterum atrium, nimirum exterius, quod 2. Paralip. 4. ſignificatur per baſilicam grandem, cum dicitur, *fecit etiam atrium Sacerdotum & baſilicam grandem*, ſive & atrium magnum, ut eſt apud 70. quibus Gloſſa & Liranus conſentiunt. Hinc de Manaſſe 4. Reg. 21. legitur quòd *exſtruxit altaria univerſæ militiæ cœli in duobus atriis templi Domini*.

Atrium habebat locum Laicorum, & locum Sacerdotum.

[*In caput Auſtrali plaga contra*] Seu verſus.

Quid hic tentoria.

[*Meridiem erunt tentoria de byſſo retorta*:] Iſta tentoria erant vela quædam ſeu cortinæ ad tegendum latus Meridionale atrii. Jubentur autem fieri de byſſo, & non de hyacintho & purpura, coccoque bis tincto, ut eſſet horum diſtinctio à cortinis tabernaculi, de quibus cap. 26. verſu 1. ubi explicuimus quid ſit byſſus retorta.

[*Centum cubitos unum latus tenebit in longitudine*.] De latere Meridiano hoc intelligitur. Nam de cæteris poſtea agitur.

[℣. 10. *Et columnas viginti cum baſibus totidem æneis*,] Scil. facies. Non tantùm baſes quæ ad hoc ſerviebant ut in eis columnæ figerentur & ſuſtentarentur, ſed etiam columnas fuiſſe æneas, ex cap. 38. v. 10. liquet. Diſtare autem debebant iſtæ columnæ ab invicem quinque cubitis, ut patet ex diſtributione centum in viginti.

[*Quæ*] Nimirum columnæ.

[*Capita cum cælaturis ſuis habebunt argentea*.] Per capita intelliguntur capitella ex columnarum ſummitate prominentia, in quibus veriſimile eſt fuiſſe uncinos ut ex illis dependerent vela ad tegendum latus atrii neceſſaria: unde Cajet. Oleaſter, & quidam alii pro capita reddunt *uncinos*. Cælaturæ de quibus hic ſermo eſt, non erant aliquæ inciſiones aut ſculpturæ, ſed erant circuli aut fila quæ circumcirca cingebant tum columnas tum capitella ipſarum: & ſic conciliari poſſunt verſiones, quarum aliæ pro cælaturis habent circulos, aliæ cincturas, aut fila cingentia. Præſcribitur autem quòd hæc omnia ad columnarum ornatum facientia, id eſt, tam capitella quàm cælaturæ eſſent de argento.

Quid hic cælaturæ.

[℣. 11. *Similiter & in latere Aquilonari per longum*] Ab Orientali videlicet parte; uſque ad Occidentalem atrii.

[*Erunt tentoria*] Seu vela aut cortinæ.

[*Centum cubitorum, columnæ viginti &c.*] Per quod oſtenditur longitudinem atrii ex latere Aquilonari, debere eſſe tantam, quanta erat ex parte Meridionali.

[℣. 12. *In latitudine verò atrii, quod reſpicit ad Occidentem*,] In Hebr. *ad angulum maris* vel ad mare, eodem prorsùs ſenſu, quia Judæis proficiſcentibus, mare mediterraneum erat ad Occidentem.

[*Erunt tentoria per quinquaginta cubitos*,] Quoniam latitudo atrii erat quinquaginta cubitorum, hic indicatur quòd in latitudine lateris Occidentalis retro tabernaculum, extendi deberent vela ſeu cortinæ per cubitos quinquaginta, ita ut totaliter clauderent latus illud, non relinquendo ullam aperturam per quam eſſet introitus ad atrium.

[℣. 13. *In ea quoque atrii latitudine, quæ reſpicit ad Orientem, quinquaginta cubiti erunt*.] Unde conſequens eſt quòd tanta deberet eſſe latitudo lateris tamen Orientalis quanta lateris Occidentalis. In latere tamen Orientali, per quod erat introitus in atrium, diverſitas quædam eſſe debebat; dividebatur enim in tres partes, quarum duæ vocantur etiam latera; illæ ſcil. quæ lateri Septentrionali ſeu Aquilonari erant propinquæ, & habebant quindecim cubitos; & altera propinqua Auſtrali ſeu Meridionali, quæ etiam cubitos habebat quindecim inter utramque verò media quæ erat velut janua ad ingreſſum & egreſſum, & habebat viginti cubitos, non dicebatur latus, ſed introitus atrii.

[℣. 14. *In quibus*] Quinquaginta cubitis.

[*Quindecim cubitorum tentoria lateri uno deputabantur*,] Ad partem illam quindecim cubitorum tegendam.

[*Columnæque tres*] Cum enim omnes columnæ diſtarent ab invicem quinque cubitis, & in quinquaginta cubitis poni deberent decem columnæ, neceſſe erat quòd in cubitis quindecim eſſent columnæ tres.

[*Et baſes totidem*:] Etſi hic, ut & in ſequenti verſu nihil exprimatur de columnarum capitellis, intelligendum tamen eſt tot fuiſſe capitella, quot columnas.

[℣. 15. *Et in latere altero*] Hoc eſt, in altera parte lateris iſtius Orientalis, quæ etiam continere debebat quindecim cubitos.

[*Erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim*,] Ad tegendum totam illam partem.

[℣. 16. *In introitu verò atrii*] Sive, in ea parte lateris Orientalis quæ inter duas jam dictas erat media, & non vocabatur latus ſed introitus atrii, eò quòd per eam velo reducto vel elevato ingreſſus pateret ad atrium.

[*Fiet tentorium*] Seu velum.

[*Cubitorum viginti*,] Tantæ ſi quidem latitudinis erat iſte introitus. Et quoniam hoc velum erat quaſi janua: quòd cum erat extenſum impediebat ingreſſum in atrium; cum verò eſſet, reductum aut elevatum, præbebat ingreſſum, ideo jubetur fieri pulchrius & pretioſius quàm reliqua vela atrii, quæ tantum erant de byſſo retorta: At hoc debebat eſſe.

[*Ex hyacintho & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta, opere plumarii*:] Quæ quid ſignificent, diximus initio cap. 26.

[*Columnas habebit quatuor, cum baſibus totidem*.] Inter quas columnas erant tres viæ ad ingrediendum & egrediendum.

[℣. 17. *Omnes columnæ atrii*] Numero ſexaginta.

[*Per circuitum veſtitæ erant argenteis laminis*,] In Hebr. *circumcinctæ erant argento*. Benè monet Abulenſis non eſſe exiſtimandū quòd hæ columnæ fuerint totaliter veſtitæ ſeu coopertæ laminis argenteis, ſicut de arca &

mensa dictum fuit cap.25. sed filis argenteis fuerunt per circuitum cinctæ, ita ut quædam earum partea manerent discoopertæ. Unde textus Hebræus non hic dicit, vestitæ vel tectæ, sicut illo cap. 25. sed *circumcincta*; neque noster absolutè habet vestitæ, sed cum addito, *per circuitum*, qua additione declaratur modus vestiendi, qui erat ducendo lineam circumcirca columnas.

[ *Capitibus argenteis, & basibus aneis.* ] Unde constat capitella columnarum non fuisse ænea sicut fuerunt columnæ & bases, sed argentea.

[ ℣.18. *Altitudo quinque cubitorum erit*. ] Atrium erat altum quinquæ *latitine*: & non amplius, ut ab existentibus extra, aliquo modo videri posset tabernaculum quod erat altitudinis decem cubitorum: Non etiam minus, ne qui foris erant, facilè intuerentur quæ fiebant in atrio.

[ *Fietque* [ (Atrium scil.)

[ *De bysso retorta, & habebit bases aneas*. ] Ista dicuntur de atrio secundùm diversas ejus partes; quantum enim ad vela quæ ipsum ambiebant, fuit de bysso retorta; quantum autem ad suas columnas habuit bases æneas.

[℣. 19. *Cuncta vasa tabernaculi in omnes usus & caremonias*. ] In Hebr. nihil exprimitur de cæremoniis, continetur tamen implicitè cum sic dicatur: Omnia vasa tabernaculi cum suo ministerio: & sensus est, omnia vasa quæ in tabernaculo debent applicari ad aliquem usum, etiam illum qui proximè ad cultum Dei pertinet, Cæremonia namque est ritus quidam colendi Deum: & conformiter, vasa in cæremonias, sunt vasa quæ proximè applicantur ad cultum Dei,

Quid paxilli. [*Tam paxillos ejus quàm atrii* ] Paxilli erant parvi pali, vel ut alii vertunt, erant clavi qui ad hoc serviebant, ut per funes illis immissos tum tabernaculi tum atrii vela seu cortinæ firmarentur, ne huc illuc vento agitatæ fluctuarent. De funiculis habemus infra cap.35. v.18. Num.3.v.26. & cap.4.v.32.

[ *Ex are facies*. ] Quæ quomodo non adversentur, vel capiti 25. ubi Deus refertur jussisse pro tabernaculo fieri acetabula, phialas, thuribula, cyathos, & alia quædam ex auro purissimo; vel cap. 26. in quo bases tabularum jubentur esse argenteæ; quæri potest. Sed Resp. universalitatem his verbis importatam, *Cuncta vasa tabernaculi ex are facies*, intelligendam esse limitatè, præter illa de quibus jam ante significatum est, debere esse aurea vel argentea.

Allegorica. Allegoricè atrium quod erat longius & latius tabernaculo, sed non tam altum, designat incipientes, & imperfectus, seu communem vitam agentes qui majori sunt numero quàm perfecti, sed non tam altè ascendunt per contemplationem. Ejus tentoria seu vela fieri debent de bysso retorta, quia prima illis cura incumbit, carnis & spiritus illecebras refrænare. Id quod per byssum aptè repræsentatur, quoniam byssus ex terra nascitur viridis, sed dum siccatur, tunditur, multoque labore torquetur, fit candida; similiter autem caro nostra tundenda est ac torquenda, ut ad perfectionem pertingamus. Retorquetur byssus ne facilè possit dissolvi, sic & carnis luxuria non tantùm est frænanda, sed ejus memoria penitus est extirpanda. Latus atrii centum cubitos habet in longitudine, quando unusquisque fidelis pro æterna perfectaque vita longanimiter laborat, quæ per centenarium numerum figuratur. Columnæ quibus vela suspenduntur & atrium firmatur, sunt Doctores & Prædicatores, qui suis exemplis & doctrinis infirmiores levant ac sustentant; & debent ipsi esse ænei, sive propter virtutis perseverantiam, sive propter sonoram prædicationem; ac nihilominus argento vestiti, quia ipsorum vita & prædicatio virtutum & doctrinæ claritate debet splendere. Sed & columnarum capita oportet esse argentea, quia Doctores totos se subjicere debent sacris eloquiis, quæ Psalm.11.comparantur argento. Bases æneæ timorem Domini, qui initium est sapientiæ, repræsentant, quoniam ut columnæ de basibus firmis, sic varia virtutum germina de timore Dei prodeunt. Quid vicenarius numerus columnarum significet, ex allegoria viginti tabularum cap.26. descripta, petendum est. Latitudo atrii quæ respicit ad occasum solis, ubi terminato labore diurno quies sequitur, tempus illud significat quo cessantibus post mortem hujus vitæ laboribus, sequitur requies æterna; propter quam latus istud habet tentoria per quinquaginta cubitos & columnas decem; quia numerus quinquagenarius designat annum jubilæi & remissionis; & denarius cum sit perfectus, symbolum est perfectionis quæ in vita æterna habebitur. Quia ergo sancti Doctores & Prædicatores benè operantibus promittunt post hanc vitam, requiem æternam, hisque promissionibus desideria ipsorum à terrenis ad cœlestia elevant; quasi in Occidentali latere atrii tentoria quinquaginta cubitorum decem columnæ sublevantes extollunt: Latitudo atrii quæ Orientem respicit, primordia nostræ conversationis designat, in qua dicuntur esse quinquaginta cubiti quia iis qui catechizantur, peccatorum remissio annuntiatur, ac etiam quies æternæ beatitudinis. Ex his cubitis quindecim sunt à latere uno, & quindecim ab altero; quia numerus quindenarius in quantum constat ex septenario & octonario; gaudia vitæ æternæ significat, quæ à sabbatismo animarum incipiens in resurrectione corporum perficitur, sicut Christus post septimam sabbati, id est, octavo die resurrexit. Columnæ tres cum totidem basibus sancti sunt Prædicatores, qui fide, spe, & charitate præeminentes, mentem suam in Deo firmiter collocant. Ingressus atrii habens velum pretiosum & variegatum, baptismum qui est janua Ecclesiæ, & per quem virtutes omnis generis infunduntur, designat. Habet quatuor columnas & quatuor bases, quia Evangeliis quatuor roboratur.

[ ℣. 20. *Pracipe filiis Israel ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum*, ] Sunt qui verbum præcipiendi, hic impropriè accipiunt pro denunciare & admonere. Cum enim supra cap.25. & infra cap.35. oleum ad luminaria concinnanda numeretur inter primitias ultro offerendas, nolunt Israelitis imponi præceptum de offerendo. Sed ista ratio nihil obstat præcepto propriè dicto, quod nec singulis nec aliquibus determinatè ferebatur, sed ipsi communitati, cui proinde poterat satisfieri per eos qui ultro offerebant.

[ *Piloque contusum*. ] Quia oleum quod per molam premitur, non tam purum est quàm quod in mortario pilo tunditur. Unde pro eo quod infra cap.25. dicitur, oleo tuso, Num.28. habetur, oleo purissimo.

[ *Ut ardeat lucerna semper* ℣. 21. *in tabernaculo testimonii*, ] Lucerna pro candelabro lucernas continente accipitur: &, *semper*, non significat absolutam temporis universalitatem: Cum enim castra moverentur, & Israelitæ per desertum actu proficiscerentur, lucernæ non poterant lucere in tabernaculo: sed idem valet ac *omni tempore debito*. Quapropter hic locus non est efficax ad probandum quòd lucernæ totis diebus ac noctibus lucere debuerint in tabernaculo; Unde & multi existimant quòd solis noctibus arserint, mane autem extingui debuerint: de qua re mox videbitur.

[ *Extra velum quod oppansum est testimonio*. ] Hoc est, areæ quæ testimonium seu legem continebat.

[ *Et collocabunt eam Aaron & filii ejus, ut usque manè luceat coram Domino*. ] Quæ verba non pauci ita accipiunt quasi per ea significetur lucernas vespere accendi debere ut tota nocte lucerent mane autem omnes extinguerentur. Eodemque modo accipiunt istud Levit. 24. *Ponetque eas* (lucernas) *Aaron à vespere usque in mané*: Cui consonat quod 2. Paralip. 13. dicitur, *estque apud nos candelabrum aureum & lucerna ejus ut accendantur semper ad vesperam*. Si enim tunc accendebantur, ergo prius fuerant extinctæ. Accedit quod 1. Reg.3. illa verba, *Lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormibat*, sint paraphrasis noctis, significetque lucernam mane solitam extingui.

Verumtamen aliis difficile est credere tabernaculum totis diebus semper sine lumine fuisse; tum quòd exiguum lucis ibi à sole esse posset propter vela quæ appensa erant, aliundè verò, nullum; tum quod ad quamdam Dei reverentiam pertineat luminaria tunc accensa esse, quando Sacerdotes sacris operabantur. Et idcirco, probabilius opinantur lucernas, saltem aliquas, etiam interdiu arsisse. Ita sentit Josephus l.3. Antiquit. cap.9. al. 12. & l. 8. cap. 2. al. 3. Cui addendus est ex Eusebio l.9. de præpar. Evangelica cap. 2. Hecatæus Abderita; Scribit enim quòd in templo lux nocte ac die inextinguibilis arderet. Eademque est sententia An lucerna solum de nocte arserit.

Autho-

Authoris hiſtoriæ Scholaſticæ cap.62.Exod. Lirani hic & cap.30. Hugonis Victorini ad c.30. Exod. Riberæ l.2. de templo cap.12.Cajetani & Marzillæ hic. Lorini ad c.24. Levitici, Tornielli ad annum mundi 3030. num.16. Confirmatur, ex cap.30.ſeq. habemus duo fuiſſe tempora quibus quotidie oporteret adolere incenſum, & lucernas componere, mane videlicet ac veſpere, unde fit conſequens quòd lucernæ non ſolum arderent noctu, ſed etiam interdiu. Verba ſic habent: *Et adolebit incenſum ſuper eo Aaron, ſuave fragrans mane. Quando componet lucernas* (mane ſcil.) *incendet illud: & quando collocabit eas ad veſperum, uret thymiama.* Ubi manifeſtum eſt duo tempora indicari, unum ſub ortum ſolis, alterum ſub ejuſdem occaſum. Neque refert quòd pro tempore matutino dicatur, *quando componet*; & pro veſpertino, *quando collocabit*: Hujus enim diverſitatis ratio poteſt eſſe, quòd mane non auferrentur lucernæ, ſed tantum componerentur, emungendo quæ ſuperflua erant, & novum oleum affundendo, unde alii ex Hebræo reddunt, *quando bonificabit lucernas*, hoc eſt, quando faciet eas meliores ut melius luceant, quod eſt quando emunguntur & novum oleum eis apponitur. At ſub veſperam tollendæ ſeu ad tempus deponendæ erant lucernæ ut mundarentur, mundatæ autem ſtatim reponebantur, lychno & oleo inſtructæ. Ad verba autem præſentis capitis aliaque hujuſmodi. Reſp. ſenſum illorum eſſe, quòd veſperi ſic diſponendæ ac inſtruendæ erant lucernæ, ut non eſſet periculum quòd nocte extinguerentur, ſed lumen earum durare poſſet uſque mane: quid autem eſſet circa eas mane faciendum, etſi illic non exprimatur, intelligi tamen poteſt eas tunc fuiſſe componendas modo jam explicato, ut arderent uſque ad veſperam. Si quæras cur frequenter dicatur lucernas eſſe componendas veſpere ut luceant uſque mane? Reſp. rationem eſſe, quia ſi non benè inſtruentur veſperi, potuiſſent nocte extingui, & nemo fuiſſet qui reaccenderet; ſicut erant qui interdiu reaccenderent, ſi fortè per diem extingui contingeret. Neque hæc conſequentia eſt efficax: Veſpere oportebat lucernas accendere, ergo prius fuerant extinctæ; non magis, quàm ſi de lampadibus quæ ante venerabile ſacramentum ardere debent, Parochus Eccleſiæ cuſtodem moneret ut illas veſpere accenderet, putandus eſſet velle quòd antea extinguerentur, Talis namque monitio intelligenda eſſet fieri pro illo tempore, propter periculum ne per noctem extinguantur, niſi fuerint veſperi benè diſpoſitæ & accenſæ. Quamquam addi poſſit quatuor lucernas ſolere mane extingui quæ veſperè accendebantur, & ſic totis diebus ſolum tres arſiſſe, noctibus verò ſeptem, quemadmodum Joſephus ipſe Sacerdos & in templo frequenter verſatus, ideòque teſtis oculatus tradit: nec veriſimile eſt alium ritum fuiſſe accendendi lucernas in templo, alium in tabernaculo. Ex his patet reſponſio ad ea quæ ex 1. Reg.3. opponebantur.

[*Perpetuus erit cultus per ſucceſſiones eorum à filiis Iſrael.*] Hæc cæremonia ſeu iſte ritus collocandi & accendendi lucernas erit perpetuus, nullatenus eſt pro arbitrio intermittendus, ſed debet ſemper ſervari, in veſtra nimirum lege & religione, unde additur *per ſucceſſiones eorum*, ſcilicet Sacerdotum Aaronicorum, à

Myſtica.

filiis Iſrael. Myſticè obſervandum quòd ut lucerna in tabernaculo Dei poſſit ardere, filii quidem Iſrael oleum offerunt, ſed Sacerdotes debent illam collocare: quia ut lux Evangelii fulgeat, oportet auditores oleum devotionis adferre & corda ad obediendum prompta habere; ſed ignem verbi cœleſtis oportet prædicando accendere, non per quemlibet, ſed per Sacerdotes: Debet autem lucerna ſemper ardere, quia nec lux prædicationis nec auditorum devotio poteſt umquam deeſſe. Extra velum porrò, & non intra Sancta Sanctorum ardere debet, quia lux ſacræ Scripturæ nobis eſt hìc neceſſaria, & non in cœlo per Sanctum Sanctorum figurato.

## CAPUT XXVIII.

*Deſcribuntur veſtes Pontificis & minorum Sacerdotum.*

[℣. 1. *Applica quoque ad te*] Sive, ut in Hebr. eſt, *Fac ad te accedere.* [*Aaron fratrem tuum cum filiis ſuis de medio filiorum Iſrael,*] A reliqua Iſraelitarum turba eos ſeparando.

[*Ut ſacerdotio fungantur mihi:*] Ut conſecres ipſos in Sacerdotes, ſacriſque veſtibus induas, & ſic fungantur Sacerdotio. Hinc patet Aaronem non ſe intruſiſſe in officium Sacerdotale, ſicut hæretici faciunt; ſed à Deo fuiſſe vocatum: cujus proinde exemplum proponit Apoſtolus ad Hebr.5. dicens, *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron.*

Aaron non ſe ingreſſit ut eſſet Sacerdos.

Nequetamen oportet ut Sacerdotes & Paſtores nunc ſimili prorsùs modo vocentur: Cum enim per Eccleſiam ſeu Eccleſiæ Prælatos conſecrantur & conſtituuntur, cenſeri debent vocari à Deo; quia ipſi non conſecrant nec conſtituunt eos in tali munere, niſi ex poteſtate quam Chriſtus eis dedit dicens, Joan.20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.*

[*Aaron, Nadab, & Abiu, Eleazar, & Ithamar.*] Hic ponitur Aaron qui factus fuit Sacerdos magnus, cum quatuor filiis ſuis, qui nominantur juxta ordinem nativitatis.

[℣. 2. *Facieſque veſtem ſanctam Aaron fratri tuo.*] Singulare poni pro plurali, veſtem pro veſtes, ex verſibus 3. & 4. clarum eſt. Cur veſtes Sacerdotales dicantur Sanctæ, ratio eſt, quia divino cultui erant deputandæ, & ab uſibus prophanis ſegregandæ, nec niſi ad ſacros adhibendæ.

[*In gloriam & decorem.*] Ut Aaron in ſacro miniſterio ejuſmodi veſtibus indutus, glorioſus ſeu reverendus & decorus appareat: Hæc enim eſt generalis cauſa, propter quam ad ſacra miniſteria Deus voluit pulchras & pretioſas veſtes fieri, ut Sacerdos illis veſtitus eſſet majeſtuoſus, reverendus & pulchrè ornatus; ſicque ipſum ſacrum miniſterium honoraretur, & externa ſua ſpecie intuentes permoveret ad reverentiam & devotionem erga Deum, quemadmodum tradit B. Thom. 1.2. quæſt. 102. art. 5. ad 10. Totus namque cultus exterior, juxta eundem art.4. ordinabatur ad hoc ut homines inducerentur in Dei reverentiam. Et quoniam ea eſt mortalium conditio, ut quæ communia ſunt & ab aliis non diſtincta, minus revereantur; ea verò quæ habent aliquam excellentiæ diſcretionem ab aliis, magis admirentur & revereantur; Ideò ut animi hominum ad majorem Dei reverentiam adducerentur, oportuit ſpecialia tempora, loca, vaſa, & ſpeciales miniſtros ad Dei cultum ordinari; pariterque ſpecialia veſtimenta quorum in ſacris dumtaxat eſſet uſus. Contra quæ dum hæretici faciunt, dumque ad ſacra ſua nullas niſi prophanas veſtes adſerunt, reipſa teſtantur ſacra ſua non niſi eſſe prophana.

Generalis cauſa cur veſtes Sacerdotales debeant eſſe pulchræ.

[℣. 3. *Et loqueris cunctis ſapientibus corde,*] Sive, omnibus artificibus peritis.

[*Quos replevi ſpiritu prudentiæ,*] In Hebr. *Spiritu ſapientiæ:* ſed ſapientia & prudentia frequenter uſurpantur pro eodem. Neque hìc vel ſapientia propriè accipitur prout eſt cognitio cauſæ altiſſimæ, vel prudentia prout eſt recta ratio agibilium, quatenus agibilia diſtinguuntur à factibilibus: ſed utraque ſumitur generaliter ut comprehendat artem ſeu notitiam artefaciendorum. Spiritus porrò prudentiæ vel ſapientiæ nihil eſt aliud quàm ipſa prudentia vel ſapientia, ſicut ſpiritus lenitatis ſpiritus fortitudinis, ſpiritus timoris, eſt ipſa lenitas, ipſa fortitudo, ipſe timor. Spiritus enim tribuitur omni rei quæ eſt quaſi vivens & impellens ad operandum, præſertim ſi ſit aliundè donata ſeu aſpirata: & quoniam ejuſmodi eſt prudentia quam Deus largitur, hinc eſt quòd dicatur ſpiritus prudentiæ. Illi autem de quibus nunc agitur, ſunt Beſeleel, Ooliab, & eorum adminiſtri ut ex cap.31.35.36. liquet, quibus Deus ſupernaturale donum infudit ut idonei eſſent & veſtes Sacerdotales facere, & alia ad tabernaculi ſtructuram pertinentia.

[*Ut faciant veſtes Aaron,*] Non tantùm ad veſtes

conficiendas dedit illis Deus spiritum prudentiæ : sed illæ hic exprimuntur, quia de illis nunc sermo texitur.

[ *In quibus sanctificatus* , ] Seu cum fuerit consecratus.

[ *Ministret mihi* . ] Functiones Sacerdotales exercendo . Ex quibus discere licet non nisi Sacerdotes uti debere vestibus Sacerdotalibus, idque in sacris officiis, & non in profanis.

[℣.4. *Hæc autem erunt vestimenta quæ facient* . ] Ut Sacerdotes & Pontifices illis utantur quando functuri sunt aliquo munere Sacerdotali in tabernaculo. B. Hieronymus epistola 128. quæ est ad Fabiolam , ex sacris litteris recenset quatuor ejusmodi vestimenta communia Sacerdotibus & Pontificibus , quæ sunt feminalia tunica talaris byssina, cingulum, alio nomine balteus vel zona vocatum, & rotundus pileolus , quem Græci tiaram nonnulli galerum vocant. Præter hæc autem alia quatuor refert solis Pontificibus propria, nimirum tunicam talarem totam hyacinthinam , Ephod ex quatuor coloribus , rationale , & laminam auream . Hisque consentit B. Thom. 1. 2. qu. 102. art. 5. ad 9. Si quæras , quomodo Ephod dicatur proprium Pontifici , cum Samuel 1. Reg. 2. legatur indutus fuisse Ephod, similiterque David 2. Reg. 6. Resp. istos tantùm gestasse Ephod lineum : quod autem proprium est Pontifici , contextum esse debebat ex auro , hyacintho, purpura, cocco & bysso, ut patet ex versibus 6. & 8.

Quot essent vestes Sacerdotales.

[ *Rationale , & superhumerale* , ] Ubicumque in Exodo sive in Levitico superhumerale legitur, in Hebræo vocatur Ephod , teste S. Hieronymo in dicta epistola. Erat autem Ephod vestis, quæ tam humeros quàm pectus usque ad cingulum tegebat , quo ipsa stringebatur. Eam thoraci similem ait Philo l. 2. de Monarchia , quia videlicet & eamdem corporis partem operiebat quam thorax, & manicas habebat saltem parvas quas Josephus l. 3. Antiquit. cap. 8. al. 11. vocat maniculas : In eo tamen à thorace differebat , quòd nullam haberet scissuram vel aperturam , neque ad pectus neque ad dorsum, sed erat undique contexta . Et cum esset diversorum colorum pulchra varietate confecta, ante pectus tamen nihil variegationis habebat , sed erat opus omnino simplex , relinquens locum vacuum ad magnitudinem palmi , in quo locaretur illud vestimentum quòd Græcè λόγιον , Latinè dicitur rationale , & erat pannus brevis ex auro & quatuor coloribus textus, sicut superhumerale.

[ *Tunicam & lineam strictam* , ] Per tunicam intelligitur tunica hyacinthina , quæ non omnino usque ad talos protendebatur , cum ex ea deorsum pendere deberent tintinnabula & mala punica , sed paulò plus quàm ad mediam tibiam. Per lineam strictam intelligitur tunica quæ à materia vocatur linea ; stricta verò , quoniam ut sanctus scribit Hieron. tam arcta erat & strictis manicis , ut nulla omnino in ea esset ruga . Vocatur etiam talaris , quia ferè ad talos usque descendebat . Cap. 8. Levit. hæc vocatur subucula, eò quòd sub aliis vestibus indueretur , non quidem absolutè sub omnibus, sed sub sacris; neque enim oportebat ut Sacerdotes sacri operaturi omnes vestes usuales exuerent, satis erat quòd pallium vel togam .

[ *Cidarim & balteum* . ] Per cidarim , tiara vel mithra : & per balteum zona vel cingulum significatur.

[ *Facient vestimenta sancta* , ] Sanctis nimirum usibus deputata.

[ *Fratri tuo Aaron & filiis ejus , ut Sacerdotio fungantur mihi* . ] Absque hujusmodi enim vestimentis nequaquam licebit Sacerdotale munus exercere.

[ ℣. 5. *Accipientque aurum , & hyacinthum , & purpuram , coccumque bis tinctum & byssum* . ] In istis quinque universa vestium Sacerdotalium materia designatur, non quasi quælibet earum deberet ex omnibus illis constare, sed quia nulla erat quam non ex aliqua vel aliquibus istis materiis confici oporteret. Nomine autem auri tam intelligenda est substantia auri , sive aurum in massa , quàm in filis : Nam & fila aurea erant necessaria , & etiam substantia quæ posset produci & extendi. Quid sint hyacinthus , purpura &c. diximus cap. 25. & 26.

[ ℣.6. *Facient autem superhumerale* ] Decernitur Ephod seu superhumerale faciendum esse de quinque materiis jam dictis:

[ *Opere polymito* . ] Id est, opere variorum liciorum & colorum.

[℣.7. *Duas oras junctas habebit in utroque latere summitatum* , ] Sive in summitate utriusque lateris.

[ *Ut in unum redeant* . ] Sensus est quòd superhumerale deberet habere oras tam anterioris quàm posterioris partis sibi invicem junctas super utrumque humerum . Utrùm autem ad invicem jungerentur postquam Pontifex Ephod induerat, an ante, variè sentiunt authores . Probabile est quòd ante , quodque una continua futura partes illæ essent connexæ, ita tamen ut ad collum sufficiens apertura relinqueretur ad illud induendum.

De superhumerali seu Ephod.

[℣.8. *Ipsa quoque textura & cuncta operis varietas* ] Quantum ad suam materiam.

[ *Erit ex auro, & hyacintho, &c.* ] Ex filis harum quinque specierū pulchra varietate distinctis & intermixtis.

[℣.9. *Sumesque duos lapides onychinos,* ] Aquila quoque, Symmachus, & Theodotion onychinos reddiderunt teste B. Hieron. dicta epistola 128. Septuaginta verò Smaragdos habent , nec scitur qua ex causa : Josephus vertit sardonychos, ut vel colorem lapidum , vel patriam demonstraret; est enim sardonix species onychis, & sic vocatur vel quòd Sardis primum inventus fuerit, vel quòd cum onychis candore habeat aliquid ruboris ex sardio lapide.

[*Et sculpes in eis nomina filiorum Israel*: ] Non omnia in unoquoque lapide, sed

[℣.10. *Sex nomina in lapide uno , & sex reliqua in altero , juxta ordinem nativitatis eorum* . ] Ita scilicet ut prius sculpatur nomen illius qui primò fuit genitus , & sic consequenter . Modus autem disponendi ista nomina hic fuit . In lapide lateris dextri erant tres lineæ; in quarum prima sculti erant Ruben & Simeon ; in secunda, Levi & Judas; in tertia , Dan & Nephthali . Similiter in lapide sinistri lateris prima linea continebat Gad & Aser ; secunda Issachar & Zabulon; tertia Joseph & Benjamin . Non desunt qui volunt prætermissa fuisse nomina Levi & Joseph , eorumque loco sculpta fuisse nomina Ephraim & Manasse. Verùm quoniam non jubentur sculpi nomina tribuum, sed nomina filiorum Israel secundùm ordinem quo fuerunt ex illo geniti ; & quia pro iis qui erant de tribu Levitica non minus orare debebat Summus Pontifex quàm pro aliis, non videtur ratio quare ipsorum nomina fuerint omissa. Unde Abulensis & quidam alii nolunt omissa fuisse.

Quomodo inscripta nomina.

[℣.11. *Opere sculptorio & cælatura gemmarii, sculpes eos nominibus filiorum Israel*.] Q. d. Istos lapides onychinos facies sculpi artificio viri scientis sculpere seu cælare, prout spectat ad gemmarium, id est, ad eum qui peritus est sculpere gemmas. Ita autem facies eos sculpi , ut in eis exarentur nomina filiorum Israel.

[ *Inclusos auro atque circumdatos:* ] Lapides prædicti postquam habebant ea nomina sibi insculpta , debebant includi & circumdari auro , non secus quàm lapides pretiosi auro includuntur & circumdantur in annulis.

[ ℣. 12. *Et pones in utroque latere superhumeralis, memoriale filiis Israel* . ] Pones istos lapides unum in dextro, alium in sinistro latere superhumeralis, ut sint memoriale filiis Israel , nimirum recordandis; sive, ut Pontifex eos gestans memoriam habeat Israelitarum, totiusque populi ipsorum ad orandum pro ipsis.

[ *Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino super utrumque humerum* , ] Hinc patet lapides onychinos qui nomina illa continebant, super humeros poni debuisse, eum scil. cui insculpta erant nomina seniorum filiorum super humerum dextrum ; alterum , super humerum sinistrum.

[ *Ob recordationem* . ] Quæ ratio variis modis intelligi potest . Primò sic , ut Aaron recordetur probæ vitæ istorum duodecim filiorum Israel , coneturque illam imitari . Secundò, ut Aaron ingrediens Sanctuarium meminerit populi pro quo Deum orare debet . Tertiò, ut etiam meminerit se tamquam Pontificem , debere peccata illorum portare , ipsos patienter ferendo & consolando, ac Deum pro illis placando. Quartò, ut Deus recordetur populi per ista nomina repræsen-

Quæ sit ista recordatio.

sentati, eique benefaciat. Contra primum modum facit quòd scriptura Genesis quorumdam illorum crimina non parva commemoret, ut Ruben, Simeon, Levi & Judæ, quorum proinde vita non videtur proponi Aaroni imitanda. Deinde, potius sculpenda fuissent nomina Abraham, Isaac, & Jacob quorum probitas magis est nota, & quorum merita sæpè in sacris literis revocantur in memoriam, si quid tale importaretur in istis verbis, *ob recordationem*. Quartus modus non est improbabilis; probabilior tamen, & magis ad sensum litteræ est secundus, quem adfert B. Hieron. scribens ad Fabiolam, eumque sequitur Cajetanus & Oleaster. Secundo autem satis consentaneus est tertius.

[℣. 13. *Facies & uncinos ex auro*, ] Duos videlicet, quemadmodum habetur ex versu 25. Constituendi erant isti uncini in summitate superhumeralis circa scapulas, ut morderent ac retinerent catenas aureas quæ erant per annulos inferendæ in summitate Rationalis, sicque continerent Rationale in loco suo, ante pectus Pontificis.

[℣. 14. *Et duas catenulas ex auro purissimo sibi invicem cohærentes*, ] Quòd non sic est accipiendum, quasi una integra catenula, alteri cohæreret, dextra nimirum sinistræ; sed quòd unaquæque suis filis & circulis ad invicem connexis constaret.

[ *Quas inseres uncinis*. ] Unam uncino lateris dextri, alteram uncino lateris sinistri.

[℣. 15. *Rationale quoque judicii facies opere polymito* ] Seu variegato & multifario. Describitur secunda vestis Pontifici propria quæ primæ jam descriptæ, hoc est superhumerali inserebatur ante pectus Pontifi-
Rationale aliter dicitur pectorale. cis, vocaturque idcircò interdum pectorale: Rationale autem propterea dicitur, partim quia Pontificem admonebat eorum quæ summa cum ratione & prudentia ipsi consideranda erant in officio Sacerdotali; partim quia omnium operum Dei moderatrix est ratio, velut media consistens, sicut rationale erat velut in medio corporis, nempe in pectore, cætera continens & constringens; partim denique, quia inde habebatur ratio eorum de quibus per Pontificem Deus consulebatur. Vocatur autem cum addito rationale judicii, eò quòd Pontifex deberet illud assumere quoties volebat Deum consulere super judiciis filiorum Israel; uti & super omnibus rebus majoris momenti.

[*Juxta texturam superhumeralis ex auro, hycintho, &c.* ] Simili modo contextum erit ex auro & quatuor coloribus, sicut superhumerale.

[℣. 16. *Quadrangulum erit & duplex:* ] In Hebr. dicitur quadratum & duplicatum; pariterque accipiendum esse quòd nos habemus quadrangulum, ex seqq. liquet:

[ *Mensuram palmi habebit tam in longitudine quàm in latitudine.* ] Istis enim verbis significatur æqualem ex omni parte debuisse esse tam longitudinem quàm latitudinem Rationalis, quod est, esse quadrum seu quadratum. Quoniam porrò palmus est genus mensuræ; & est duplex, major & minor, & major quidem, qui spitama vocatur, est duodecim digitorum; minor verò, quatuor; de majori hìc sermo est, tum quia debebat continere duodecim gemmas, ideòque justam quantitatem requirebat; tum quia apud 70. est spitama. Debebat præterea Rationale esse duplex, id est ex panno seu tela byssina duplicata; ut facilius sustinere posset gemmas, & ut ex illarum pondere non rumperetur.

[℣. 17. *Ponesque in eo quatuor ordines lapidum*. ] Seu gemmarum, ita ut in singulis ordinibus seu versiculis terni lapides collocentur.

[ *In primo versu* ] Seu ordine.

[ *Erit lapis sardius, & topazius, & smaragdus:* ] Sardius ita dictus, quòd Sardis urbe Lydiæ primùm inventus fuerit, rubrum habet colorem: Topazios ex virenti est genere, omnique colore resplendens: Smaragdus etiam viridem, sed excellentiorem, nempe splendidissimum & quasi fulgurantem habet colorem.

[℣. 18. *In secundo carbunculus, sapphirus, & jaspis:* ] Carbunculus igniti carbonis speciem refert, ac in tenebris lucet, cujus loco Apoc. 21. ponitur Chalcedonius, qui carbunculo similis est in colore: Sapphirus est coloris cærulei & aureis punctis collucet, sicut cœlum dum est serenum stellulis velut punctis aureis interlucet: Jaspis viridem habet colorem, estque smaragdo similis, sed transversa linea alba præcingitur, una vel pluribus.

[℣. 19. *In tertio ligurius, achates, & amethystus:* ] Ligurius, vel ut alii Lingurius, juxta S. Hieron. probabiliter est Hiacynthus lapis pretiosissimus coloris violacei, unde Apoc. 21. loco ligurii recensetur Hiacynthus: Achates est lapis niger habens in medio circulos nigros & albos junctos & variatos: Amethystus est gemma coloris purpurei & violacei.

[℣. 20. *In quarto chrysolithus, onychinus, & beryllus.* ] Chrysolithus auro similis est, cum marini coloris similitudine: Onychinus unguis humani colorem exprimit: Beryllus viriditate similis est smaragdo, sed cum pallore. De his gemmis qui plura volet consulat Plinium l. 37. per plura capita, ad quem etiam remittit B. Hieronymus commentans Isaiæ caput 54. & Ezechielis 28. ac S. Isidorum l. 16. originum.

[ *Inclusi auro erunt per ordines suos*. ] Singuli istorum lapidum seu gemmarum erunt inclusi auro, sicut gemmæ figuntur in annulis aureis, idque juxta uniuscujusque ordinem.

[℣. 21. *Habebuntque nomina filiorum Israel:* ] Sibi insculpta, ita ut in singulis lapidibus sculptum sit unum nomen illorum: & sic in duodecim lapidibus nomina duodecim filiorum Israel, juxta ordinem nativitatis eorum.

[℣. 22. *Facies in Rationali catenas* ] Duas nimirum.

[ *Sibi invicem cohærentes* ] Ita ut cujusque fila & circuli ad invicem cohæreant.

[ *Ex auro purissimo:* ] Hæ sunt quæ versu 14. vocatæ sunt catenulæ: & sic constituendæ erant in superiori parte Rationalis à dextris & à sinistris, ut ascenderent usque ad humeros, & ibi annecterentur uncinis aureis in summitate Ephod seu superhumeralis à tergo existentibus.

[℣. 23. *Et duos annulos aureos, quos pones in utraque Rationalis summitate:* ] Sive in ejus angulis superioribus dextri & sinistri lateris.

[℣. 24. *Catenasque aureas* ] Versu 15. fieri jussas.

[ *Junges annulis, qui sunt in marginibus ejus:* ] Id est, annulis jam, versu 23. dictis, qui sunt in superioribus extremitatibus Rationalis.

[℣. 25. *Et ipsarum catenarum extrema duobus copulabis uncinis in utroque latere superhumeralis* ] Scribit Dionysius quòd catenæ istæ innectebantur prædictis annulis per fistulas aureas, & extendebantur usque ad scapulas Pontificis, super quas immittebantur ac inserebantur duobus uncinis aureis firmiter infixis superhumerali, ut sic ista duo ornamenta sibi fortius cohærerent.

[ *Quod rationale respicit*. ] Sensus est, quod latus superhumeralis respicit ipsum Rationale, in quantum scil. pars superhumeralis ab humeris pendens respiciebat Rationale quod erat in pectore.

[℣. 26. *Facies & duos annulos, quos pones in summitatibus rationalis;* ] Diversi sunt hi annuli ab iis qui supra jubebantur fieri: Nam hi debebant poni in inferioribus extremitatibus (quæ per summitates designantur) ipsius rationalis.

[ *In oris, quæ è regione sunt superhumeralis*, ] Id est, quæ sunt ex opposito superhumeralis.

[ *Et posteriora ejus aspiciunt*. ] Transeuntes sub axillis vergunt ad dorsum, & ita ad partem posteriorem superhumeralis.

[℣. 27. *Necnon & alios duos annulos aureos, qui ponendi sunt in utroque latere superhumeralis deorsum, quod respicit contra faciem juncturæ inferioris*, ] Hoc est contra juncturam inferiorem ipsius rationalis. Sciendum ergo quòd per quatuor angulos rationalis quatuor erant annuli aurei, habentes contra se in superhumerali alios quatuor, ut cum appositum esset rationale, annulus veniret contra annulum, & mutuò sibi vittis hyacinthinis copularentur. Et ne magnitudo vel pondus lapidum contexta stamina rumperet, lapides auro ligabantur & concludebantur. Nec hoc ad firmitatem suffecit, nisi & catenæ ex auro fierent quæ ob pulchritudinem fistulis aureis tegerentur;

haberentque & in rationali supra, duos majores annulos qui uncinis aureis superhumeralis necterentur; & deorsum, alios duos: Nam post tergum in superhumerali contra pectus & stomachum, ex utroque latere erant annuli aurei qui catenis cum inferioribus annulis rationalis jungebantur. Atque ita fiebat (ait B. Hieron. epistola 128.) ut astringeretur & rationale superhumerali, & superhumerale rationali, ut una textura contra videntibus putaretur. Unde hic in textu sequitur.

[ ℣. 28. *Et stringatur rationale annulis suis cum annulis superhumeralis vitta hyacinthina,* ] Id est, funiculis factis de hyacintho.

[ *Ut maneat junctura fabrefacta,* ] Ut junctura rationalis cum superhumerali artificiosè & ingeniosè facta, constanter ac firmiter maneat, neque ipsa junctura appareat, sed videatur unum opus continuum.

[ *Et à se invicem rationale & superhumerale nequeant separari.* ] Non quòd impossibile foret illa separari ab invicem per eos qui conjunxerant: sed quia sic erant firmiter connexa, ut nullum esset periculum quòd vel sponte vel per Pontificiis motionem aut agitationem separarentur.

[ *Portabitque Aaron nomina filiorum Israel in rationali judicii super pectus suum,* ] In Hebr. super cor suum, sed cor pro pectore ponitur.

[ *Quando* ] Seu quandocumque.

[ *Ingredietur Sanctuarium,* ] Per quod non intelligitur tabernaculum interius quod dicitur Sancta Sanctorum, sed exterius quod dicitur Sanctum: Cum enim Summus Pontifex ingrediebatur in Sancta Sanctorum (quod erat semel in anno, in festo Expiationis) non induebatur vestimentis Pontificalibus quæ pretiosa erant & magnifica, sed tantùm illis quæ communia erant simplicibus Sacerdotibus, quemadmodum tradunt Abulensis hic, Cajetanus, Lorinus, & alii super cap. 16. Levitici, nimirum fœminalibus lineis, tunica linea, zona, & cidari lineis; idque propterea quia tunc exercebat opus mœstitiæ & pœnitentiæ, vocabaturque dies afflictionis. Vestium autem splendor & ornatus convenienter deponitur ad mœrorem designandum. Quomodo etiam nunc in officio parasceves Sacerdos vestes lugubres assumit & non magnificas. Utrùm porrò Summus Pontifex non etiam indueretur vestibus Pontificalibus ad altare holocaustorum oblaturus sacrificium, hic non dicitur: Abulensis probabiliter affirmat, eò quòd hoc pertinere videretur ad honorem & reverentiam sacri ministerii.

Pontifex nō induebatur Pontificalibus ut intraret Sancta Sanctorum.

[ *Memoriale coram Domino in æternum.* ] Ut Pontifex coram Domino memoretur populi Israelitici ad orandum pro illo; & hoc in æternum, Hebr. jugiter, seu quotiescumque sic ingredietur Sanctuarium.

[ ℣. 30. *Pones autem in rationali judicii Doctrinam & Veritatem.* ] Hebr. *Urim & Thummim.* Urim, id est, lumina seu illuminationes, quod est Doctrinam valdè illuminantem: 70. reddiderunt manifestationem seu demonstrationem, Thummim alii vertunt perfectiones, 70. habent veritatem sicut editio vulgata. Quomodo autem posita fuerint in rationali, sive Urim & Thummim, sive Doctrina & Veritas, penitus incertum est, interpretibus in diversas admodum sententias abeuntibus.

Nihilominus duo sunt probabiliores modi rem hanc explicandi. Unus est dicendo Urim & Thummim esse duodecim lapides Rationalis, inscriptos nominibus duodecim filiorum Israel, quatenus per eos solebat Deus futura prænuntiare & respondere de agendis. Ex Josepho namque l. 3. Antiquitat. cap. 9. habemus quòd per duodecim lapides seu gemmas quas in pectore Pontifex gestabat, Esseni, id est, Rationali insutas, in bello victoriam prænuntiare Deus solebat.

Prius quam enim exercitus se moveret, tantus (ait) fulgor ex eis emicabat ut toti populo faciliè innotesceret adesse Deum, opemque & auxilium suum invocantibus esse allaturum. Ex Num. quoque 27. patet consuetudinem fuisse Deum consulendi per Urim; quoniam ubi in nostro textu dicitur, *Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum,* in Hebr. est, *petet ei* seu pro eo *in judicio Urim coram Domino.* Et 1. Reg. 28. cum dicitur, *& non respondit ei neque per somnia neque per Sacerdotes:* pro neque per Sacerdotes, in Hebr. legitur, *neque per Urim.* Accedit quòd Exod. 35. ubi narratur in vestibus Pontificalibus factum quidquid Deus præceperat Moysi, nihil de Urim & Thummim scriptum est, quia scilicet idipsum erant quod duodecim lapides. Unde Levit. 8. prætermissis duodecim lapidibus, loco illorum nominantur Urim & Thummim, Doctrina & Veritas. Hunc dicendi modum amplectuntur ex Josepho Liranus hic, Ribera l. 3. de templo cap. 12. Torniellus ad ann. mundi 2544. num. 86. & non pauci alii.

Alius, isque verisimilior & planior explicandi modus est, si dicamus mandatum esse Moysi ut in Rationali poneret seu poni curaret hæc verba, Urim & Thummim, id est, Doctrina & Veritas. Quod non obscurè significavit Philo Judæus l. 3. de vita Moysi, ubi postquam retulit duodecim gemmas Rationali insertas quadruplici ordine, dicit Rationale duplicatum, fuisse pro basi destinatum ferendis duabus virtutibus, revelationi, veritatique. Et similiter l. 2. de Monarchia. Id rationale geminus textus (seu gemina textura) variat, quorum alter claritas appellatur, alter veritas. Sanctus quoque August. q. 117. in Exod. disertè ait intelligi posse demonstrationem & veritatem litteris impositam super λόγιον. Et Author Scholasticæ historiæ cap. 64. super Exod. Appellabatur, inquit rationale judicii, quia scripta erant in eo judicium & veritas, vel doctrina & veritas. Eademque est sententia Ruperti l. 4. in Exod. cap. 23. Hugonis Cardinalis hic, Bellarmini lib. 4. de Pontif. cap. 3. Alcazar in cap. 11. Apoc. Notat. 7. Saliani ad ann. Moysi 81. Estii, & quorumdam aliorum.

Ista duo verba Doctrina & Veritas fuerunt inscripta Rationali.

Confirmatur, Postquam in præsenti cap. Deus explicuit quatuor ordines lapidum, ac deinceps annulos & catenas, quibus Rationale retineri ornarique oporteret; ita subjungit vers. 30. *Pones autem,* sive ut est in Hebr. *Et dabis in Rationali judicii doctrinam & veritatem.* Quæ series narrationis omnino docere videtur quidpiam à superioribus diversum hoc versu dici. Neque est quòd aliquis respondeat idem per voces alias inculcari, cum valdè sit incongruum priora explicari per ejusmodi posteriora quæ sint obscuriora prioribus. Deinde per hæc verba, *Pones autem &c.* Moyses jubetur aliquid ponere in rationali; si autem Urim & Thummim seu Doctrina & Veritas, non aliud sunt quàm duodecim lapides, quos antea jussus erat ponere, nihil hic habueri ponendum: ergo debent esse aliud.

Si Dicas Moysen aliquid habuisse ponendum, quia cum antea jussum ei fuerit ut in Rationali collocaret duodecim gemmas cum nominibus Patriarcharum, nunc ipsi jubetur ut in eodem Rationali ponat Urim & Thummim, hoc est, ut prædictiones rerum futurarum ex eo petat, sciatque istos lapides ideo poni ut per doceatur de futuris & de agendis.

Resp. quòd licèt hæc interpretatio quæ eos violenta magis est quàm germana reciperetur, non tamen per eam ostenditur quid de novo jussus fuerit ponere in Rationali. Scire enim ex eo petendam esse notitiam rerum futurarum vel agendarum, non est aliquid novi in ipso ponere: Nec dicendum erat Moysi ut poneret, sed quòd Deus juxta illam expositionem ipse positurus esset: quia non Moyses, sed Deus facturus erat ut lapides prædicti essent velut oraculum, ex quo peterentur & haberentur responsa.

Ad ea verò quæ pro priori interpretatione adferuntur. Resp. Josephum non dicere istos lapides duodecim, esse Urim & Thummim; sed tantùm quòd Deus per eorum fulgorem extraordinarium solebat prænuntiare victoriam: Hoc autem an verum sit, non sine causa ambigitur, cum Augustinus pro fabula habeat, cumque Josephus nullo exemplo vel argumento id probet, & loquatur de re quam ducentis antea annis cessasse ait; veriùs autem dixisset plus quam sexcentis. Nam 2. Esdræ 7. ubi nos habemus, *donec staret Sacerdos doctus & eruditus,* in Hebr. legitur, *donec staret Sacerdos in Urim & Thummim:* Jam tum ergo cessaverat ista revelatio quam volunt per gemmas fieri solitam. Præterea, quando non fiebant interrogationes de prospero belli eventu, sed de aliis rebus, iis præsertim quibus non poterat fieri satis per signum affirmationis

vel

vel negationis, ſed pluribus & diverſis verbis opus erat, veluti quando 2. Reg. 5. reſpondebatur Davidi. *Non aſcendas contra eos, ſed gyra poſt tergum eorum, & venies ad eos ex adverſo pyrorum*, &c. nullus lapidum fulgor hoc prænuntiare poterat. Sed etſi narratio Joſephi admittatur, lapides tamen ſeu gemmas fulgore extraordinario prænuntiare victoriam, non eſt idem quod gemmas illas eſſe Urim & Thummim.

Ad ſcripturas quæ objiciuntur Reſp. fuiſſe quidem conſuetudinis conſulere Deum per Urim & Thummim: at non ſic ut reſponſum expectaretur ex gemmis gemmarumque fulgore, ſed longè aliter. Pontifex ſcilicet. Ephod ac Rationali (in quo Urim & Thummim ſcripta erant) indutus, poſt debitas preces, viva voce proponebat Deo negotium; & quando ſic ei placebat, per eumdem Pontificem ſimiliter indutum reſpondebat, aut vocaliter Angelo, ipſi manifeſtante reſolutionem dubii, aut per internam inſpirationem; atque ita idem erat reſpondere per Urim & Thummim, quod reſpondere per Sacerdotem. Nec his obſtat ſi fortè aliquando divinum oraculum cum inſolito lapidum fulgore fuerit aſſociatum: quia hoc ſaltem non erat ordinarium. Cæterum etſi communiter ipſe Pontifex Deo proponeret negotium de quo erat conſultatio, probabile tamen eſt quòd is cujus cauſa agebatur, aliquando ſuam cauſam Deo proponeret, præſente & aſſiſtente ſibi Pontifice Pontificaliter induto: Nam Davidis verba eſſe videntur 1. Reg. 23. *Domine Deus Iſrael audivit famam ſervus tuus quod diſponat Saul venire in Ceilam* &c. *Si tradent viri Ceila* &c. Quod verò Exod. 39. nihil exprimitur de Urim & Thummim, non eſt quia idem eſſent quòd lapides, ſed quoniam compendii cauſa non omnia erant illic repetenda: unde quòd ſex nomina eſſent in lapide uno ponenda, & ſex in altero juxta ordinem nativitatis eorum, ibi non legitur. Sed nec verum eſt Levit. 8. nominari Urim & Thummim Doctrinam & Veritatem loco duodecim lapidum, ſed eos brevitatis cauſa omiſerat Moyſes, volens tamen ſubintelligi ſub nomine Rationalis.

Si quæras, quomodo illa vocabula poni potuerint in Rationali. Reſp. quòd in lateribus, unum in dextro, alterum in ſiniſtro, idque vel in tenui lamina utrimque extenſa; vel ſine lamina, filis aureis.

Si præterea quæras, quam ob cauſam voluerit Deus ea nomina ſcribi in Rationali: Reſp. 1. ut dignitas Pontificia commendaretur, ſignificareturque quòd Pontifex Pontificaliter indutus acciperet à Deo doctrinam & veritatem dubiorum de quibus conſulebatur: Et ſic illa nomina non erant oracula, ſed ſigna oraculi quod Deus dabat per Pontificem ita veſtitum. 2. Ut Pontifex admoneretur ſui officii, meminiſſetque habere illuminationem ſcientiæ ac doctrinæ, & veritatem ſeu integritatem vitæ.

[ *Et geſtabit judicium filiorum Iſrael* ] Id eſt, rationale judicii quo Summus Pontifex indutus interrogabit & edocebitur de dubiis concernentibus filios Iſrael eorumve judicia.

[ *In conſpectu Domini ſemper*. ] Sive in tabernaculo.

Quæritur autem, an quemadmodum Summus Pontifex debebat Ephod ac Rationale induere, quando ingrediebatur Sanctuarium conſulturus Deum, vel alia munia Pontificalia obiturus, ita non poſſet illis indui ad conſulendum Deum extra tabernaculum.

Pontifex poterat ſubinde Ephod induere, extra tabernaculum.

Reſp. potuiſſe pro opportunitate loci & exigentia rei. Nam 1. Reg. 14. Saul extra tabernaculum exiſtens, quaſi in ardore prælii & hoſtium fuga Deum conſuluit, utique per Sacerdotem: Et cap. 23. David in Ceila exiſtens, ubi numquam repoſitum fuit tabernaculum, dixit ad Abiathar Sacerdotem, *applica Ephod*, ſub quo etiam intelligitur Rationale quod erat principale ipſius ornamentum, ſicque conſuluit Deum, aut per Sacerdotem vocaliter Deo loquentem, aut ipſemet in præſentia Sacerdotis, propter ipſum ſuperhumerali ac rationali indutum, cauſam ſuam Deo propoſuit.

Pro ſenſu myſtico obſervandum, quòd inter veſtes Pontificales primò Deus nominat rationale, & tamen primò deſcribit ſuperhumerale; quia rationale ſignificat doctrinam, & ſuperhumerale opus, juxta illud Beat. Hieronymi epiſtola 128. *In humeris opera ſunt, in pectore ratio*: In diſcendo autem prior eſt doctrina; At in docendo prius eſt opus, juxta illud Matth. 5. *Qui fecerit & docuerit*. & Act. 1. *Cœpit* JESUS *facere & docere*. Utroque humero Sacerdos ſuperhumerali aſtringitur, ut in adverſis & proſperis virtutum ſemper ornamento muniatur, & per arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris gradiens labores operum, & ſubditorum infirmitates patienter ferat. Superhumerale præcipitur fieri ex auro, hyacintho, purpura, cocco his tincto, & byſſo retorta, ut oſtendatur, quanta virtutum varietate clareſcere debeat Sacerdos; in Sacerdotis quippe habitu ante omnia aurum fulget, ut in eo intellectus ſapientiæ principaliter emicet. Cui adjungitur hyacinthus, qui coloris eſt violacei, aereumque ſeu cœleſtem refert, ut per omne quod intelligendo penetrat, ad amorem cœleſtium ſurgat. Auro & hyacintho permiſcetur purpura, ut cum Sacerdos ſumma quæ intelligit amat, velut ex regia poteſtate ſuggeſtiones vitiorum reprimat. His coccus his tinctus additur, ut omnia virtutum opera ex charitate decorentur, quæ quaſi ex duplici tinctura fulget quando Deum & proximum diligit. Additur & byſſus retorta, quæ cum nitenti ſpecie oriatur de terra, candentem decore munditiæ corporalem caſtitatem deſignat. Et quemadmodum byſſus retorta fortior eſt ac pulchrior, ita firmior ac nitentior eſt caſtitas qua corpus per abſtinentiam affligitur. Duas oras junctas habere debebat ſuperhumerale in utroque latere ſummitatum, ut in unum redeant; quia cum bona opera proximis exterius oſtendit Sacerdos, eadem intus coram Deo ſervare debet integra, idque tam in adverſis quàm in proſperis. Non in una parte ſuperhumeralis aurum, in alia hyacinthus & in alia atque alia diverſi colores, ſed omnes colores cum auro fuere contexti; quia Sacerdos non tempore unam, & in alio aliam, ſed ſemper omnes debet habere virtutes, etſi non ſemper poſſint omnium earum actus eſſe in exercitio. Duos lapides onychinos quibus inſculpta erant nomina filiorum Iſrael portabat in ſuperhumerali, ad ſignificandum quòd Sacerdotes ex officio debeant orare pro ſuis Parochianis, eoſque ſuis humeris portare, ipſos juvando. Illi lapides debebant includi auro; tunc verò lapides pretioſi includuntur auro, quando virtutum operationes purè fiunt propter Deum, & ſic connectuntur vinculo charitatis, ut nihil in eis vitioſum nihilque ſordidum latere permittatur. Superhumerali innexum fuit Rationale: tum quia Sacerdoti præter opera, oportet adeſſe doctrinam, *Labia* enim *Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus*, Malach. 2. tum quia oportet etiam magnam ei ineſſe prudentiam & circumſpectionem, ſeriamque diſcuſſionem ſui pectoris & ſuæ conſcientiæ. Rationale fuit duplex, quia apertum & abſconditum, ſimplex & myſticum, ut rationem noſtri examinis & inviſibilis arbiter Deus probet, & humana externaque exiſtimatio non condemnet. Quòd autem menſuram palmi habebat per quadrum, deſignat conatum piæ intentionis indefatigabilem; qui enim palmo aliquid metitur, ſummo conamine expanſis digitis manum extendit. Duodecim lapides habebat, & quatuor ordines, quos (ait S. Hieron.) quatuor puto eſſe virtutes, prudentiam, fortitudinem, juſtitiam, & temperantiam, quæ ſibi hærent invicem, & dum mutuò miſcentur, duodenarium efficiunt numerum. Tres autem lapides in ſingulis ordinibus, tres ſunt virtutes Theologicæ. Duodecim nomina filiorum Iſrael ſculpta erant in rationali, & non tantùm in ſuperhumerali, ut Pontifex ſciret quod ſubditos ſuos non ſolùm debeat ferre in humeris, ſed etiam in pectore, id eſt, non ſolùm onera eorum portare, ſed etiam charitatis affectu amare. Debet quoque doctrinam & veritatem habere, ut noverit quæ docenda ſunt, & ſecundùm veritatem illa doceat, vitæque integritatem cuſtodiat.

Myſtica.

[ ℣. 31. *Facies & tunicam ſuperhumeralis totam hyacinthinam*, ] Tertia hæc eſt veſtis Pontificia: quæ dicitur tunica ſuperhumeralis, quia ſuperhumerale proximè poſt illam ſeu ſupra illam induebatur; & differt à linea ſtricta ſive à tunica ex lino confecta, eaque arcta ſeu conſtricta: Nam hæc fuit laxior & tota ex filis hyacinthinis conficiebatur. U-

trùm manicas habuerit, ambigitur. B. Hieron. dicta epistola affirmat.

[ ℣. 32. *In cujus medio supra erit capitium*, ] Non accipitur hic capitium pro capitis operimento, sicut communiter accipi solet; sed pro apertura per quam caput transmittitur, cujusmodi nunc est in casulis Sacerdotalibus: unde in Hebr. pro capitium, habetur, *os capitis*; os autem pro apertura usurpatur. Significatur ergo quòd hæc tunica deberet in superioris partis medio habere aperturam seu foramen, per quod caput transmitteretur. In hunc sensum sumitur capitium Job. 30. quando sic conqueritur, *quasi capitio tunicæ succinxerunt me*. Q. d. Me arctius complectuntur & perinde comprimunt ac quasi strangulant, sicut cum angustum vestimenti orificium astringit jugulum, premitque vehementer.

*Quid capitium.*

[ *Et ora per gyrum ejus textilis*, ] Ora, id est, limbus istius aperturæ eam firmans per circuitum, non fiet acu, sed opere textili. Utrùm verò hic limbus fuerit cum tota tunica continuò conjunctus & quasi ex ea natus, an solùm assutus, incertum est. Priorem modum indicat S. Hieron. & quia magis ad firmitatem juvat, verisimilior est posteriore, eumque indicare videtur quod additur.

[ *Sicut fieri solet in extremis vestium partibus*, ] Ad majorem enim operis soliditatem solent artifices in extremis partibus vestium limbum facere ipsis continuò conjunctum, & quasi ex eis ortum. Hebraicè sonat, *sicut os loricæ erit ei*, quod est periphrasis limbi firmi, perinde ac si diceretur, facies ei limbum firmissimum, sicut solet esse limbus loricæ.

[ *Ne facilè rumpatur*. ] Ipsa nimirum ora seu limbus tunicæ inter induendum & exuendum.

[ ℣. 33. *Deorsum verò, ad pedes* ] Sive, in fimbriis aut limbis inferioribus.

[ *Ejusdem tunicæ per circuitum, quasi mala punica facies*, ] Non dicit, facies mala punica, sed quasi mala punica; quia tintinnabula quæ hic jubentur fieri, debebant esse vera tintinnabula; at mala punica non vera erant futura, sed artificiata, similitudinem malorum punicorum referentia. Malum punicum est illud quod aliter vocamus malogranatum. Dicitur punicum, seu Africanum à terra in qua istæ arbores & earum fructus vel primò vel potissimùm inventi fuerunt: Dicitur autem malogranatum à proprietate naturæ, quia est malum seu pomum multis granis abundans.

*Malum punicum idem quod malogranatum.*

[ *Ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto*, ] Cap. 39. pro cocco bis tincto, dicitur *vermiculo*, ob rationem cap. 25. datam; & additur, *ac bysso retorta*, unde sequitur ista mala de filis quatuor diversorum colorum fieri debuisse, fuisseque propterea omnino diversæ materiæ à tintinnabulis: Nam hæc de auro purissimo esse oportebat.

[ *Mixtis in medio tintinnabulis*, ] Quo autem modo mixta esse debuerint, statim indicatur:

[ ℣. 34. *Ita ut tintinnabulum sit aureum, & malum punicum, rursumque tintinnabulum aliud aureum & malum punicum*. ] Oportebat scil. ut post unum tintinnabulum sequeretur unum malum seu pomellum punicum; & post pomellum sequeretur aliud tintinnabulum, & ita consequenter, unum post alterum, ideoque tot debebant esse mala quot tintinnabula. Sed quis eorum numerus fuerit, ignoratur. S. Hier. scribit fuisse septuaginta duo tintinnabula, & totidem mala punica: quod etsi quibusdam videatur esse supra fidem; si tamen consideremus omnia illa fuisse parvula, non videbitur improbabile; unde Ecclesiastici 45. de Aarone legitur, quòd Deus *cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro*.

[ ℣. 35. *Et vestietur ea Aaron in officio ministerii*, ] Quando ministraturus, muniaque Pontificalia obiturus est in tabernaculo. Et quod dicitur de Aarone, pariter intelligendum est de successoribus ejus in summo Sacerdotio; quia hoc non erat personale, sed pertinebat ad ipsam dignitatem summi Sacerdotis.

[ *Ut audiatur sonitus quando ingreditur & egreditur Sanctuarium* ] Seu tabernaculum. Hoc autem voluit Deus, ut sonitu tintinnabulorum populus permoveretur ad reverentiam Dei & sacrorum. Quomodo nunc in Ecclesia sub præcipua actione nostri sacrificii pulsatur tintinnabulum, ut per ejus sonitum fideles excitentur ad specialiorem attentionem, majoremque reverentiam.

*In conspectu Domini*, ] Sive, ubi Deus magis peculiariter se præsentem exhibet.

[ *Et non moriatur*. ] Non significatur quòd sonitus ille haberet vim aliquam mortis depulsivam: sed sensus est, ne si non audiatur sonitus quem jubeo excitari, Summus Pontifex moriatur propter suam inobedientiam, sive ne subita morte ipsum puniam.

Moraliter, tunica talari tota hyacinthina vestitur Sacerdos, ut admoneatur opus cœleste, non tantùm incoandum, sed usque in finem esse perducendum: Tunica namque hyacinthina usque ad pedes vestiri, est bonis operibus usque ad finem hujus vitæ insistere. Capitium sive apertura tunicæ firmissimam oram ex sese textam habet, ne facilè rumpatur, quando primordium boni operis forti radice timoris Domini subnixum est, contra omnes insidias antiqui hostis. Talis ora collum Sacerdotis per gyrum vestit & ornat, quando ei fiduciam prædicandi cœlestia præbet toto decursu sui Sacerdotii; quia enim vox è collo procedit, per collum rectè loquendi usus exprimitur. Aptè tintinnabula vestimento Pontificali describuntur inserta, quid enim per vestimentum nisi bona opera debemus accipere, Propheta Psalm. 131. dicente, *Sacerdotes tui induantur justitiam*. Vestimento igitur tintinnabula inhærent, cum vitæ viam opera bona, & non solùm sonitus prædicationis clamant. Tintinnabulis mixta sunt mala punica, quia prædicationi unitas fidei debet associari? Per mala autem punica fidei unitas designatur: quia sicut in malo punico sub uno cortice multa grana muniuntur, ita innumeros populos unitas fidei contegit in Ecclesia cum diversitate meritorum. Ad pedes tunicæ tam tintinnabula quàm mala punica poni jubentur; sive ut Sacerdos usque ad extremum vitæ meminerit sonitum prædicationis edere, & fidei unitatem servare: sive, ut de extremis temporibus & fine mundi semper aliquid sonet. Tintinnabula sunt aurea, ad designandum excellentiam rerum quæ per Sacerdotem prædicari debent: Mala autem punica ex quatuor coloribus constabant, ad virtutum varietatem indicandam.

*Moralia.*

Observandum porrò tunicam hanc hyacinthinam esse illam, de qua Sap. 18. dicitur, *In veste poderis quam habebat, totus erat orbis terrarum*, etsi valdè sit verisimile, sub nomine istius vestimenti, reliqua Pontificalia indumenta comprehendi: atque ita facilè est intelligere quomodo in veste Pontificis esset totus mundus. Nam byssus terram ex qua gignitur designat; purpura, mare, quia ex ejus cochleolis tingitur; hyacinthos, aerem propter coloris similitudinem; coccus, ignem propter rubedinem; mala punica & tintinnabula, fulgura tonitruaque demonstrant; sive etiam omnium elementorum inter se consonantiam. Quòd supradicti colores auro intertexti sunt, significat vitalem calorem & divini sensus providentiam universa penetrare. Duo lapides in superhumerali, duo hemisphæria significant; zona qua Sacerdos cingitur, Oceanum: Rationale in medio positum, terram quæ instar puncti, licèt omnia in se habeat, à cunctis vallatur elementis: Duodecim lapides, vel zodiacum menses. Possunt insuper in malogranatis denotari regna diversa quæ sub eadem corona uni Deo subjecta sunt; & per tintinnabula, Doctores & Magistri. Causa porrò cur Pontifex totius mundi imaginem portaret in vestibus, erat partim ut sciret se esse mediatorem totius apud Deum, & debere non tantùm pro amicis orare, sed pro toto humano genere; partim ut meminisset vita, virtutibus, & doctrina in seipso exprimere ordinem, ornatum, & concentum universi, sicque esset microcosmos, majoris mundi repræsentans imaginem in moribus, sicut gestabat in vestibus.

*Quomodo erat totus mundus in veste Pontificis.*

[ ℣. 36. *Facies & laminam de auro purissimo*: ] Istud est quartum vestimentum seu ornamentum Pontifici proprium: quod cap. 39. vocatur lamina sacræ venerationis, putaturque fuisse instar semilunæ, habens utrimque cornua sursum elevata.

[ *In qua sculpes opere cælatoris, Sanctum Domino*, ] Pro Domino Hebr. est nomen tetragrammaton *Jehova* de quo diximus c. 3. quod proinde isti laminæ aureæ

fuit

fuit Inſculptum, teſte B. Hieronymo & aliis: Imò ſunt graves authores qui non aliud in ea fuiſſe volunt quàm iſtud nomen, addentes quòd cum jubetur In lamina ſculpi Sanctum Domino, non ſit ſenſus has duas voces In illa eſſe ſculpendas, ſed quòd his duabus vocibus quaſi periphraſi deſignetur nomen Dei terragrammaton ut Sanctum Domino dicatur nomen illud quod eſt inter cœtera Santiſſimum maximèque reverendum. Contra quam explicationem facit quòd una ex his duabus vocibus ſit ipſum nomen terragrammaton, ideoque illæ duæ non poſſint eſſe periphraſis ipſius, niſi idem deſcribatur per ſeipſum. Cajetanus; Abulenſis, Oleaſter, Eſtius & alii non pauci probabilius cenſent has duas voces Sanctum Domino, vel Sanctitas Domino, laminæ Inſcriptas fuiſſe; idque omninò videtur indicare ſacer textus; ſive cum hic dicit, *in qua ſculpes Sanctum Domino*; ſive cum cap. 39. ita factum fuiſſe refert, *ſcripſeruntque in ea opere gemmario, Sanctum Domini*. Clarus ſiquidem ejuſmodi ſententiæ ſenſus eſſe videtur, duas iſtas voces in lamina ſcriptas fuiſſe. Cæterum ſicut in ſacris litteris abſtracta interdum ponuntur pro concretis, ita noſter interpres hic concretum poſuit pro abſtracto, Sanctum pro Sanctitate: Nam In Hæbreo eſt *Sanctitas Jehova*, in tertio caſu. Senſus autem eſt, Sanctitas Domino competit, ſeu Sanctitas Dominum decet: Aut ſupplendo verbum ſubſtantivum, Sanctitas eſt Domino, ſive Dominus eſt Sanctiſſimus, utpotè ſons & origo omnis Sanctitatis in qualibet creatura, imò Sanctitas ſic eſt ei propria ut ſit illi eſſentialis. Per quæ admonebatur tum Pontifex tum alii, non niſi Sanctè admodum ac reverenter ad Deum eſſe accedendum, juxta illud Levit. 11. & 20. *Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum.*

*Iſtæ duæ voces inſcriptæ fuerunt laminæ.*

[ ℣. 37. *Ligabiſque eam vitta hyacinthina, & erit ſuper tiaram,* ] Q.q. Laminam iſtam auream alligabis filo ſeu funiculo coloris hyacinthini, ſic ut ipſa ſit infixa tiaræ Pontificis firmiterque ipſi Inhæreat.

[ ℣. 38. *Imminens fronti Pontificis.* ] Manens ſuper ejus frontem.

[ *Portabitque Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt & ſanctificaverunt filii Iſrael* ] Si diceretur *qui* obtulerunt, videretur eſſe referendum ad iniquitates offerentium: ſed cum dicatur in neutro genere *quæ obtulerunt:* illa autem quæ offerebant filii Iſrael, non haberent ullas iniquitates cum peccare non poſſent, ſenſus eſt obſcurus: Neque dici poteſt legendum eſſe *qui*, & non *quæ:* Nam in Hebr. ſic ſonat: *Et portabit Aaron iniquitatem Sanctificationum quas Sanctificabunt filii Iſrael*, conformiterque verterunt 70. perinde autem eſt ac ſi diceretur; Aaron geſtabit laminam ſuper frontem, ut per virtutem Sanctitatis Dei quam illo ſuo ornatu tacitè invocat; portet iniquitates admiſſas in rebus quas filii Iſrael ſanctificabunt, id eſt, offerent, & in oblationibus quas facient, portet inquam, ſuſcipiendo onus pro illis orandi, & impetrando illarum remiſſionem. Illæ porrò iniquitates poterant eſſe, ſi quid offerretur quod non licebat offerre, veluti vitioſum aut morbidum animal: Vel ſi quid vitii in ſacrificiis non ritè peragendis, aut in victimis immundis offerendis commiſſum eſſet. Quamquam & generalius intelligi poteſt ut portet omnes iniquitates populi, accipiendo iniquitates eorum quæ obtulerunt, quaſi diceretur iniquitates victimarum quas obtulerunt, id eſt, iniquitates pro quibus vel pro quarum remiſſione offeruntur ſeu oblatæ ſunt victimæ.

[ *Erit autem lamina ſemper in fronte ejus,* ] Particula *ſemper* limitatè accipi debet, pro omni eo tempore quo ingredietur tabernaculum ſacrificia oblaturus: certum enim eſt quòd aliàs non ſemper deberet, imò nec poſſet laminam iſtam geſtare.

[ *Ut placatus ſit eis Dominus.* ] *Eis*, & non *ei*, legendum liquet ex Hebræo, cui conſentiunt Romana & Plantiniana Biblia: & ſenſus eſt, ut ſic Deum pro filiis Iſrael exoret, eumque reddat ipſis propitium.

[ ℣: 39. *Stringeſque tunicam byſſo* ] Sermo eſt de tunica byſſina quæ c. 8. Levit. vocatur ſubucula, jubeturque cingi ac ſtringi balteo ſeu cingulo byſſino, de quo inferius plura. Præter hanc verò, quòd Pontifex habuerit adhuc aliam tunicam, nimirum hyacinthinam tum ex v. 4 hujus cap. tum ex Levit. 8. verſu 7. intelligi poteſt.

[ *Et tiaram byſſinam facies,* ] Hoc ornamentum erat commune ſummo Sacerdoti & inferioribus Sacerdotibus, vocaturque alio nomine cidaris & mitra. Summus tamen Sacerdos adhuc aliam tiaram habebat ſibi propriam, in colore & filis diverſam. Ita enim ſcribit Joſephus l. 3. Antiq. cap. 7. al. undecimo, de Pontifice, pileo quali cœteri Sacerdotes utebatur, ſuper quem extabat alius conſutilis ex hyacintho variatus, hunc aurea corona ordine triplici circumdabat. Fuiſſe porrò coronas vel coronulas In tiara Summi Sacerdotis, imò & tiaris aliorum Sacerdotum facilè intelligi poteſt, tum ex cap. 39. ſeq. ubi Aaron & filiis ejus factas legimus mitras cum coronulis ſuis ex byſſo; tum ex Eccleſiaſtici 45. ubi de Aarone dicitur poſitam eſſe coronam auream ſuper mitram ejus: cum hoc tamen diſcrimine quod coronæ minorum Sacerdotum erant byſſinæ, quæ autem erant propriæ Summo Sacerdoti, erant aureæ.

[ *Et balteum* ] Id eſt, zonam vel cingulum.

*Plumatius qui. Duo cingula Pontificis.*

[ *Opere plumarii.* ] Plumatius dicitur qui diverſorum colorum fila acu inducit & intertexit: Unde opus plumarii vel plumarium eſt opus variorum colorum filis acu intertextum. Ex his obſervandum Pontificem habuiſſe duos balteos ſeu duo cingula: unum ſibi & aliis Sacerdotibus commune, & byſſo, hyacintho, purpura, & cocco ſeu vermiculo, infra cap. 39. v. 29. quo cingebat tunicam byſſinam; Alterum ex iiſdem coloribus, ſed cum auri intermixtione, eodem c. 39. v. 5. quo aſtringebat Ephod ſeu ſuperhumerale, ac etiam tunicam hyacinthinam, ſuper quam impoſitum erat ſuperhumerale, Lev. 8. v. 7. & 8.

Moraliter Sanctum Domini auro ſculptum portamus in fronte, quando abjectis vitiorum ſordibus per quas portavimus imaginem terreni, portamus imaginem cœleſtis, & quaſi habentes nomen Agni & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus noſtris, parati ſumus illud confiteri. Unde lamina fronti Pontificis imminens ſignificare poteſt profeſſionis noſtræ fiduciam quam in fronte portamus, dicentes: *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri* Jesu Christi. Erat ea lamina de auro puriſſimo, ad indicandum quòd Chriſti Paſſionem ita debemus confiteri, ut claritatem divinæ majeſtatis noverimus in eo agnoſcere. Ligabatur vita hyacinthina, ut cum ſpe cœleſtium bonorum quam hyacinthus ſignificat, diſcamus in fide corroborari & ad illam arctè ligari. Quamvis autem hæc omnia maximè dici poſſint de Sacerdotibus, ad omnes tamen fideles convenienter aptantur. Habent Sacerdotes tunicam lineam ſeu byſſinam balteo ſtrictam ſeu cinctam, quando continentiam exactè ſervant. Debent inſuper habere tiaram ſeu mitram cum coronulis; quia ſic continentiam ſervare boniſque operibus eos ſtudere convenit, ut ſperent à Deo cœleſtis beatitudinis coronas.

*Moralia.*

[ ℣. 40. *Porrò filiis Aaron tunicas lineas parabis,* ] Deſcribuntur hic veſtes quibus ſolis utebantur minores Sacerdotes quando ſacrificaturi, vel alio Sacerdotali officio functuri erant in tabernaculo: cum verò tabernaculum intrabant illud depoſituri, eas non aſſumebant, ſed communes ſeu uſuales tantùm veſtes ſuas habebant. Illæ porrò veſtes erant quatuor, ſcil. tunica linea, balteus, tiara, & feminalia ſeu femoralia. Per tunicas lineas intelliguntur tunicæ ſtrictæ ex candidiſſimo lino, quod etiam byſſus vocatur, confectæ.

[ *Et balteos ac tiaras,* ] Per balteos intelliguntur cingula ex byſſo, hyacintho, purpura & cocco, ſine auro: per tiaram, mitræ byſſinæ. Ex quibus patet Sacerdotes non aperto ſed tecto capite fuiſſe, quando ſacrificia offerebant.

[ *In gloriam & decorem:* ] Ut honorabiles ſint ac decori.

[ ℣. 41. *Veſtieſque his omnibus Aaron fratrem tuum & filios ejus* ] Relativum his omnibus non tantùm refert veſtes immediatè nominatas, ſed etiam alias de quibus toto hoc cap. ita tamen ut præceptum cum proportione ſit accipiendum, & intelligatur Aaron tamquam Sacerdos & Pontifex Sacerdotalibus & Pontificalibus veſtibus eſſe induendus; filii autem velut Sacerdotes tantùm, ſolis Sacerdotalibus.

[ *Et cunctorum conſecrabis manus,* ] Manus eorum

qui

qui ordinantur Sacerdotes dicuntur consecrari; quoniam etsi quidam id negent, ungebantur oleo sacræ unctionis. Nam Levit. 10. de illis dicitur *Oleum quippe sanctæ unctionis est super vos:* & hujus 1. cap. 29. *postquam initiaveris manus eorum*. Unde, sicut & ex præsenti loco, patet manus illorum fuisse initiatas, id est, consecratas: hoc autem de nulla alia sive consecratione sive initiatione convenientius intelligi potest, quàm de manuum unctione. Pro consecrabis ex Heb. alii vertunt *implebis*: phrasi autem scripturæ implere manum alicujus lumitro pro consecrare, vel facere eum Sacerdotem, tradita in manus hostia & insignibus ad Sacerdotium pertinentibus. Conferri possunt cap. 17. Judic. v. 12 & 3. Reg. cap. 13. versu 33.

*Manus Sacerdotum ungebantur.*

[ ℣. 42. *Facies & feminalia* ] Vocari aliàs solent femoralia, quòd femora contegant: femur autem & femen pro eodem interdum sumuntur, etsi magis propriè femina dicantur partes cruris posteriores, femora anteriores. Erant hæc feminalia de lino seu bysso, & quidem retorta propter firmitatem, communiaque erant tum summo Sacerdoti, tum inferioribus Sacerdotibus. Ex Josepho B. Hieronim. epistola 128. scribit ea solere contexi, & postquam incisa erant, acu consui. Moraliter significant castitatem maximè in Sacerdotibus requisitam: quæ quoniam est mollis sicut linum, illa fiunt de bysso retorta, ad designandum quòd torsione seu mortificatione acquiritur & servatur castitas,

*[F]emoralia.*

[*Ut operiant carnem turpitudinis suæ*, ] Id est, ea membra quæ post peccatum originale, turpe est nudari. Hujus ergo legis ratio est, ut Sacerdotes essent tuti à periculo inhonestatis, si fortè contingeret eos occidendo vel immolando hostias, labi.

[*A renibus usque ad femora:* ] Scil. inclusivè: testatur namque idem Sanctus, quòd usque ad genua & poplites venirent. De tibialibus & calceis nihil præscribitur; quia probabile est quòd Sacerdotes nudis pedibus sacra peragerent, ut cap. 30. videbitur.

[ ℣. 43. *Et utentur eis Aaron & filii ejus* &c. *Ne iniquitatis rei moriantur.* ] Ne inobedientiæ contra hoc meum præceptum rei moriantur, me ipsos ita puniente.

[ *Legitimum sempiternum erit Aaron, & semini ejus post eum.* ] Volo ut hoc de vestibus Pontificalibus & Sacerdotalibus statutum inviolabiliter servetur ab Aarone & ejus posteris, idque in perpetuum, quamdiu scil. durabit status legis per Moysen datæ. Ordo autem vestes illas induendi hic erat. Sacerdotes primò induebant feminalia, secundò tunicam lineam strictam, tertiò balteum quo tunicam illam cingebant circa lumbos, quartò mitram seu tiaram: Pontifices autem præter hæc, vestiebantur tunica hyacinthina, deinde Ephod quod simul cum ista tunica stringebatur secundo balteo, & cum Ephod accipiebat enim rationale, ac denique laminam auream cum mitra Pontificia.

## CAPUT XXIX.

*Traditur ritus consecrationis Pontificis & minorum Sacerdotum. Quæ oblationes in ea essent faciendæ. Qui illis vescerentur. De jugi sacrificio quotidie offerendo mane & vesperi.*

[ ℣. 1. SEd & hoc facies, ut mihi in Sacerdotio consecrentur. ] Tam Aaron quàm ejus filii.

[ *Tolle vitulum de armento, & arietes duos immaculatos,* ] Quidam existimant vitulum nunc jussum esse immolari, in memoriam expiationis peccati per Aaronem commissi in fabricatione vituli. Sed cum hæc fuerint præcepta prius quàm ille vitulus fabricaretur, facile intelligi potest eam rationem non subsistere. Neque refert B. Thom. 1. 2. q. 102. art. 5. ad 8. scribere quòd in Aaron & filiorum ejus consecratione oblatus fuerit vitulus in memoriam remissionis peccati Aaron circa conflationem vituli: potuit enim ea ratio attendi quando facta fuit consecratio, eò quòd peccatum illud esset tunc commissum ac deletum, etiamsi in dando præcepto aliud fuerit consideratum, scil. ut expiarentur aliæ culpæ Aaronis quæ per humanam fragilitatem facilè committuntur. Duo autem arietes jubentur offerri, ut sacrificiorum genera quæ initio Levit. tria describuntur ex rebus animatis, in hac consecratione offerantur: Nam vitulus erat hostia pro peccato, ut & hic versu 14. & in executione hujus præcepti Levit. 8. dicitur, *Obtulit & vitulum pro peccato*. Unus aries fuit in holocaustum, quemadmodum ibidem sequitur, *Obtulit & arietem in holocaustum*, conformiter iis quæ hic sequuntur versibus 17. & 18. Alter aries fuit hostia pacifica; cujus pars aliqua comburebatur, alia in usum Aaronis & filiorum ejus cedebat, sicut hinc, & ex illo cap. 8. patet. Mandatur autem ut arietes sint immaculati, id est, sine vitio corporis, atque ut Hebraicè sonat, perfecti, non habentes scil. ullam maculam ex illis quæ Levit. 22. v. 22. excluduntur à sacrificio: si autem essent in vellere varii seu discolores, non ex hoc reputabantur maculati. Et quod de arietibus dicitur, pariter intelligendum est de vitulo, ipsum quoque debuisse esse immaculatum.

[ ℣. 2. *Panesque azymos*, ] Positis sacrificiis quæ de rebus animatis fieri debebant, ordinantur sacrificia de rebus inanimatis. Ac primùm jubet Deus offerri panes azymos, id est, sine fermento; partim, quia ut habetur Levit. 2. non poterat quidquam fermenti adoleri Deo in sacrificio; partim ut Sacerdotes per hoc admonerentur quòd debebant esse absque fermento malitiæ & nequitiæ, ac Deo servire in azymis sinceritatis & veritatis.

[*Et crustulam absque fermento, quæ conspersa sit oleo,* ] Crustula est quoddam genus panis tenuissimi, qui ferè totus ex crusta constat, & eam confundunt cum collyridis. Debebat autem hæc crustula esse conspersa, seu ut in Hebr. est, *commixta oleo*, sic nimirum ut sicut nos commiscemus farinam aquæ ad pinsendum panem, ita commisceretur farina oleo, ad pinsendum & formandum crustulam.

[ *Lagana quoque azyma oleo lita:* ] Laganum est genus placentæ sine fermento, quæ fiebat ex farina aquæ commixta, super quam deinde infundebatur oleum, ut significat illud, *oleo lita:* Nam linire est superinducere. Non erat tamen placenta qualis nunc fieri solet, intra cujus crustam, carnes aut poma aut lac poni solet, sed libum quoddam cujus farinæ dum subigitur, addi solent ova, & alia quædam dulcia & odorifera. Istud autem laganum non erat commixtum oleo sicut crustula, sed tantum oleo litum.

[ *De simila triticea cuncta facies:* ] Simila est farina selectissima, seu farinæ flos purissimus, quæ debebat esse tritici, & non hordei vel alicujus similium; quia quæ nobiliora sunt, Deo dari convenit. Ista simila interdum vocatur adeps, ut Psalmus 147. *Et adipe frumenti satiat te.*

[ ℣. 3. *Et posita in canistro offeres;* ] Ista omnia, panes azymi, crustula, & lagana oleo lita poni jubentur in canistro, & sic offerri Deo, per Moysen, non per Aaron aut filios ejus; quia ipsi necdum erant Sacerdotes, sed consecrabantur ut essent Sacerdotes: Moyses autem erat Sacerdos, cum ipse deberet consecrare Sacerdotes, & pro illis offerre sacrificia, unde Psalm. 98. dicitur, *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus*. Non erat tamen Sacerdos unctione visibili factus, sed invisibili à Deo constitutus; neque erat Sacerdos ordinarius, cum nullos habuerit in suo Sacerdotio vicarios aut successores, sed extraordinarius. Per panes azymos & crustulam absque fermento, & lagana azyma, S. Bruno Herbipolensis intelligit incorruptam vitam, & sanctam conversationem & utriusque hominis integritatem. Ideo enim & azyma omnia dicuntur, ut non sint in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis, 1. ad Corinth. 5. Sunt autem oleo lita, gratia videlicet sancti Spiritus, cujus unctione omnia crescunt & proficiunt.

*Moyses fuit Sacerdos.*

[ *Vitulum autem & duos arietes.* ] Scilicet offeres. Illud, *autem*, non sumitur adversativè, sed copulativè pro, *item*; vel *etiam*. Tam enim in Hebr. quàm apud 70. habetur copulativa, ET, loco ejus, quod habemus, AUTEM.

[ ℣. 4. *Et Aaron ac filios ejus applicabis ad ostium tabernaculi testimonii.* ] Extra tabernaculum, in ejus scilicet atrio: quia ibi erat altare holocaustorum, & juxta, illud, labrum æneum pro lavandis Sacerdotibus prius quam sacris vestibus induerentur, destinatum; Aaron autem & ejus filii lavandi nunc erant, & postea induendi sacris vestibus. Unde sequitur.

[ *Cumque laveris patrem cum filiis suis aqua,* ] Quæ nimirum

nimirum in labro æneo erit, de quo dicetur cap. sequent. etsi enim juxta ordinem rerum gestarum prius agendum fuisset de labro & labri fabricatione, quam de lotione ex illo; quia tamen ordo ille non servatur, hinc est quòd postea demum tractatur de labro. Utrùm Moyses immediatè & per se ipsum laverit, an mediatè solùm, per eos scilicet quibus id mandarit, incertum est; quia actio per ministrum exercita frequenter tribuitur mandanti; probabilius tamen videtur quòd immediatè: quoniam Moysi pariter præscribitur lavare sicut induere, constringere, tiaram in eorum capite ponere, & oleum fundere; hæc autem omnia debuerunt immediatè per Moysen fieri. Qualiter verò lavari debuerint Aaron & filii ejus; utrùm in toto corpore, an solum in manibus & pedibus, incertum quoque est. Verius videtur quòd non in toto corpore, cum non sit verisimile ipso toto corpore nudatos fuisse, & c. seq. labrum æneum dicatur fuisse factum, ut Aaron & filii ejus inde lavarent manus & pedes. Ita Dionysius Carthus. tum hic, tum ad cap. 8. Levitici.

[ ℣. 5. *Indues Aaron vestimentis suis, id est, linea & tunica,* ] Duæ diversæ vestes significantur, scilicet tunica stricta quæ erat de lino, & tunica hyacinthina. Non fit mentio feminalium, quia supponitur illa esse induta, antequam fieret lotio.

[*Et superhumerali & rationali quod constringes balteo.*] Relativum, quod ad superhumerale est referendum; illud enim est quod cingulo constringebatur; rationale autem seu pectorale erat in anteriori parte superhumeralis, supra pectus.

[ ℣. 6. *Et pones tiaram in capite ejus,* ] Eam in primis quæ communis erat minoribus Sacerdotibus, ac deinde aliam, quæ soli summo Sacerdoti conveniebat.

[ *Et laminam Sanctam super tiaram,* ] Hæc est lamina aurea in qua scriptum erat Sanctitas Domini: pro qua aliqui vertunt diadema vel coronam sanctitatis, quia frontem cingebat instar coronæ vel diadematis.

℣. 7. *Et oleum unctionis fundes super caput ejus:* ] Oleum unctionis est oleum destinatum ad ungendum: quale esset, cap. seq. v. 23. cum aliquot aliis describitur. Summi Sacerdotis proprium erat quòd ungeretur in capite, ut designaretur (ait B. Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 5. ad 8.) quòd ab ipso diffundebatur potestas consecrandi ad alios, sicut oleum à capite descendit ad inferiora. Sic porrò ungebatur ut oleum (quod aliàs vocatur unguentum, utpote ex variis rebus commixtum) non solum usque ad barbam descenderet, sed & usque ad oram superiorem vestimentorum Aaron. Unde David ad explicandam tum ubertatem, tum suavem fragantiam fraternæ concordiæ hac similitudine utitur Psalm. 132. *Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron quod descendit in oram vestimenti ejus.* Minores ergo Sacerdotes non ungebantur oleo in capite, sed solæ manus ipsorum consecrabantur quæ erant applicandæ ad sacrificia, ait B. Thom. Quo autem ritu consecrarentur, etsi non exprimat, probabile tamen est quòd unctione olei, ut diximus cap. præced. ver. 41.

Solus Pontifex ungebatur in capite.

[ ℣. 8. *Filios quoque illius applicabis,* ] Ad ostium scil. tabernaculi.

[ *Et indues tunicis lineis,* ] Non ponitur hic sicut superius copulativa inter tunicas & lineas; quia non designantur tunicæ diversæ rationis, sed tantùm illæ quæ erant strictæ & de lino factæ.

[ *Cingesque balteo,* ℣. 9. *Aaron scilicet, & liberos ejus,* ] Sermo est de balteo qui super tunicam lineam stringebatur, & communis erat tam summo Sacerdoti quàm minoribus Sacerdotibus, sicut etiam mitræ lineæ de quibus sequitur:

[ *Et impones eis mitras, eruntque Sacerdotes mihi religione perpetua.* ] Id est, cultu ac ritu perpetuo; ita ut quemadmodum Aaron & filii ejus consecrantur ut sint Sacerdotes, sic deinceps quamdiu durabit status legis per Moysen datæ, soli ipsorum successores constituantur Sacerdotes, nec ullus alius Sacerdotio fungi possit. Sacerdotium Aaron quod volente Deo finem accepturum erat, dici potest perpetuum juxta Aug. in qq. super Exod. Vel quia non erat terminus aliquis præfixus quousque duraret; (Ita enim frequenter dicuntur in scripturis æterna, quæ sic sunt instituta ut non possint humana voluntate mutari, & sic diu durare debent, ut ignoretur eorum finis:) Vel quia æternum est non in se, sed in re significata; per illud enim præfigurabatur Sacerdotium Christi quod est æternum.

Quomodo vetus Sacerdotium æternum.

[ *Postquam initiaveris* ] Seu oleo sacro unxeris, sicque consecraveris.

[ *Manus eorum,* ] Ideo manus Sacerdotum jubentur consecrari, quia debebant sacras victimas manibus tractare, resque alias consecrare.

Moraliter autem per hoc sicut & per lotionem, admonebantur habere manus sanctas, id est, puras & castas: Per vituli verò oblationem docebantur mactare & mortificare omnes motus lasciviæ; uti per arietes (quibus ducatus gregum signatur) omnes motus superbiæ. Per panes azymos, vitæ & operum munditia potest intelligi: per crustulam oleo conspersam, ea quæ nonnihil duriora forent, nisi oleo charitatis emollirentur. Sicut enim oleum omnibus liquidis supernatat; ita charitas omnia superat: per lagana oleo lita, ea quæ secundùm se grata videntur, ac nihilominus debent oleo tum charitatis tum misericordiæ condiri, ut sint Deo grata.

Moralia.

[ ℣. 10. *Applicabis & vitulum* ] Qui ut habetur ex versu 1. debebat esse assumptus seu adductus, & antequam lavaretur Aaron cum filiis, paratus.

[ *Coram tabernaculo testimonii:* ] Ad ejus ostium, juxta altare holocaustorum quod erat in atrio. Hunc enim locum designatum fuisse pro sacrificiorum oblatione, liquet ex Levit. 1. v. 3. ex cap. 3. v. 2. ex cap. 4. v. 4. & 14. ex cap. 17. v. 4. & 5.

[ *Imponentque Aaron & filii ejus manus super caput illius,* ] Ritus ille quo offerentes seu illi pro quibus offerebatur sacrificium, imponebant manus super hostiam, usitatus fuit apud Hebræos, quoties vel holocaustum, vel hostiam pacificam, vel pro peccato offerebant. De holocausto extat præceptum Levit. 1. v. 4. de hostia pacifica, Levit. 3. v. 2. de hostis pro peccato Sacerdotis Levit. 4. v. 4. pro peccato populi ibidem v. 15. pro peccato principis, v. 24. pro peccato personæ privatæ, v. 29. & 33.

Cujus ritus ratio generalis assignari hæc potest, ut offerentes isto modo ostenderent se animal immolaitium à se & potestate sua abdicare, ac oblationi ejus consentire: utque devotionem suam magis excitarent, intentionem interiorem applicantes exteriori sacrificio.

De imponendo manus super hostias.

Particularis autem ratio in holocausto erat, ut hoc pacto protestarentur se suaque omnia Dei esse, & in ejus obsequium impendi debere, suoque loco victimam hanc substituere, cujus consumptione idem significaretur. In hostia quoque pacifica, ut sic declararent quòd loco sui victimam supponerent, eamque Deo offerrent ad beneficia ab ipso impetranda, vel ad gratias agendum de acceptis. In hostia etiam pro peccato, ut significarent pœnas sibi debitas se quodammodo imprecari victimæ, & per Dei misericordiam petere ut illæ in eam transferrentur, ipsaque loco eorum occideretur.

In nostro quoque novæ legis sacrificio Sacerdos manus extendit super panem & vinum, dicens: *Hanc igitur oblationem.* Cujus una ratio esse potest, ad petendam divinæ gratiæ benedictionem & efficaciam qua ista transubstantientur in Corpus & Sanguinem Christi: Neque enim panem & vinum offerimus ut fideles liberentur ab æterna damnatione, sicut volunt quidam hæretici; sed ut Deus oblationem panis & vini acceptet in materiam futuri jam sacrificii, ex qua materia fiat Corpus & Sanguis Christi: Nec abs re est quòd tali cæremonia significetur benedictio aut futuræ transubstantiationis petitio; cum constat Christum impositione manuum dedisse benedictionem, Marci 10. v. 16. & fecisse miracula Lucæ 4. v. 40. Alia ratio est, ad ostendendum quòd istud sacrificium sit holocaustum, & hostia pacifica, & victima pro peccato in quibus fiebat olim ea manuum impositio. Videri possunt Scortia l. 4. de Missa cap. 10. & Lorinus ad cap. 1. Levit.

[℣. 11.

[ ℣. 11. *Et mactabis eum in conspectu Domini* , ] Ipsemet Moyses jubetur vitulum occidere, velut fungens Sacerdotio, idque in conspectu Domini: quoniam quæ juxta ostium tabernaculi & prope altare holocaustorum fiebant, censebantur fieri in conspectu Dei seu coram Deo: quia fiebant coram tabernaculo, imò & coram Sancto Sanctorum, quibus in locis Deus suam præsentiam peculiariter exhibebat, propitiando, responsa dando, aliosque effectus operando.

[ ℣. 12. *Sumptamque de sanguine vituli pones super cornua altaris* ] Holocaustorum scil. Cornua autem altaris dicuntur superiores ejus extremitates, sicut in Ecclesiis oostris vocamus cornu dextrum & sinistrum altaris, dextram & sinistram ejus extremitatem. Vide cap. 27. v. 2.

[ *Digito tuo*, ] Faciendo linitionem ex sanguine. Ratio autem quare ista linitio fieret in cornibus altaris, ab Abulensi hæc adfertur, ut altare mundaretur ab inquinamentis filiorum Israel, & ut Deus videns sanguinem vituli loco ipsorum oblati, ipsis placaretur; sicut placatur homo, si coram ipso fundatur sanguis ejus contra quem est iratus. Aliam rationem adfert glossa, sed moralem ut significaretur quòd fides Christi passi esset per quatuor orbis partes dilatanda.

[ *Reliquum autem sanguinem fundes juxta basim ejus.* ] In Hebr. *Ad fundamentum altaris*. Sanguis animalis immolati recipiebatur in caldariis aut aliis receptaculis, & inde modicum sumebatur in digito ad tingendum cornua altaris: multus autem sanguis remanens fundi debebat juxta basim seu fundamentum altaris, per basim intelligendo illam partem terræ quæ altare sustentabat. Ut verò commodè fundi posset, sicut in altari descripto per Ezechielem cap. 43. erat fovea quæ dicitur fossa altaris, de qua sic scribit Richard. Victorinus cap. 19. de templo: *Erat sub ipso altari quædam fossa duorum cubitorum profunditatis, quæ cineres qui per illud foramen defluebant, exciperet*. Et mox, *ut sanguinem qui ad basim fundebatur, excipere posset*: Ita juxta basim altaris holocaustorum quod Moyses jussus est facere, fuit fossa quædam illud ambiens, in quam sanguis immitteretur, & tum à terra tum à cineribus illuc jactis imbiberetur. Nam & in templo Jerosolymitano varias in hunc usum fossas fuisse, disertis verbis tradit Aristæas in historia 70. interpretum, quæ extat tom. 7. bibliothecæ Patrum: *Aquarum*, inquit, *receptacula quæ plurima ad diluendum jugulatarum hostiarum sanguinem fundantur, commodis locis occuluntur*. Et postea: *Sunt & apud aræ basim frequentes aperturæ, omnibus quidem, nisi his qui ministrant, incognitæ, quarum influxu & impetu omnis ex hostiarum multitudine cruor purgetur*. Significari autem potest per istam sanguinis effusionem quòd Deus per altare repræsentatus sanguinem hostiæ susciperet, & placaretur.

[ ℣. 13. *Sumes & adipem totum qui operit intestina*, ] 70. dicunt, *qui super ventrem*: unde colligitur sermonem esse de adipe seu pinguedine quæ interius quodammodo adhæret ventri, eumque operit.

[ *Et reticulum jecoris* ] Seu hepatis, sumes scilic. Reticulum jecoris dicitur pinguedo circumdans, aut ipsum jecur aut venas quæ sunt jecoris, *illudque distinguens ab aliis partibus intestinorum*: quæ ideo vocatur reticulum, quia parvi retis similitudinem refert. Pro reticulo, 70. pennam habent.

[ *Ac duos renes*, ] Non pro lumbis hic sumuntur renes, sed pro duabus partibus carnis quæ alias vocantur renunculi, suntque quasi rotundæ instar sphærarum, & adhærent lumbis, & inter eas, atque super eas est multa pinguedo: Unde sequitur,

[ *Et adipem qui super eas est*, ] Nimirùm sumes:

[ *Et offeres incensum super altare* : ] Non significatur quòd Moyses deberet offerre thus, sed sensus est: Hoc totum quod dictum est, offeres incensum sive in incensum, illud incendendo instar thuris: Nam Hebræa habent, *suffire facies in altari*. Quidam Hebræos secuti observant Deum voluisse sibi in sacrificiis offerri eas animalium partes quæ subjiciuntur concupiscentiæ; Nam renes prima sunt ejus officina, hepar libidinem roborat, adeps effrænem facit concupiscentiam, non quòd Deus illis partibus oblectetur; sed ad significandum membra nostra esse comburenda igne divino, id est, mortificanda, & specialiter ea quæ coucupiscentiæ deserviunt. Ideo autem jubet totum animalis immolatitii adipem sibi offerri, quia ut Levit. 3. dicitur, omnem ejusmodi adipem sibi Deus reservavit, ita ut nihil ejus cederet in usum vel Sacerdotum vel offerentium, sed igne aduri deberet, idque juxta B. Thom. 1. 2. q. 102. art. 3. ad 8. variis ex causis. Prima est, ad excludendam idololatriam; Idololatræ enim comedebant adipes suarum victimarum, secundùm illud Deut. 32. de *quorum victimis comedebant adipes*. Secunda, ad informationem humanæ vitæ: Esus enim adipum prohibebatur ad vitandam lasciviam, unde dicitur Ezech. 34. malis Pastoribus: *quod crassum erat occidebatis*: & Deut. 32. *Incrassatus est dilectus & recalcitravit*. Tertia, est propter reverentiam divinam, quia adeps abundantiam nutrimenti demonstrat; & ideo ut ostenderetur quòd à Deo nobis est & vita & omnium bonorum sufficientia, ad honorem Dei adurebatur adeps. Quarta, ad designandum quòd pinguedo gratiæ & charitatis nobis est à Deo. *Cur Deo reservaretur adeps.*

[ ℣. 14. *Carnes verò vituli* ] Omnes scilicet quæ detracta tota pinguedine cum duobus renibus restabant.

[ *Et corium & fimum combures foris extra castra* ] Cujus ratio mox redditur.

[ *Eò quod pro peccato sit.* ] Sive, quia vitulus sic immolatus est hostia pro peccato. Quæ ratio non sic est accipienda, quasi omnes carnes semper essent comburendæ quandocomque offerretur hostia pro peccato: Consentaneè siquidem iis quæ habentur Lev. 4. B. Thomas in cit. resp. ad 8. tradit quòd sacrificium pro peccato dividebatur in duas partes, quarum una comburebatur; altera verò cedebat in usum Sacerdotum, ad significandum quòd expiatio peccatorum fit à Deo per ministerium Sacerdotum; solumque excipit sacrificium quod offerebatur pro peccato populi vel specialiter pro peccato Sacerdotis, quibus casibus ait quòd totum comburebatur: Sed juxta subjectam materiam sic intelligenda est eò quòd ille vitulus pro Aarone & ejus filiis oblatus, est hostia pro peccato Sacerdotum.

Si quæras, cur hostia pro peccato Sacerdotum juberetur comburi, & quidem extra castra. *Resp.* rationem prioris esse, quia non conveniebat in usum Sacerdotum venire ea quæ pro peccato eorum offerebantur, ut nihil peccati in eis remaneret; & quia non esset alioquin satisfactio pro peccato; si enim cederet in usum eorum pro quorum peccatis offerebatur, idem esse videretur ac si non offerretur, ait ibidem S. Tho. Posterioris ratio est juxta Abulensem, ut significaretur peccatum Sacerdotis eo ipso quo Sacerdotis est, esse majus magisque detestandum, quàm aliorum. Ipsi enim deberent esse puriores & sanctiores aliis. Addi potest quòd cum in hostiam pro peccato transferretur quodammodo pœnæ propter peccatum debitæ, per ejus eductionem & combustionem extra castra, significabatur pœnam peccati Sacerdotum à Republica & à populo averti. Huic porrò figuræ respondet quòd Christus extra portam passus fuit, quemadmodum observavit Apostolus ad Hebr. 13.

[ ℣. 15. *Unum quoque arietem sumes*, ] Ex illis qui versu 1. dicti sunt, ut offeratur in holocaustum.

[ *Super cujus caput ponent Aaron & filii ejus manus.* ] Tamquam consentientes ejus immolationi, & ob causam v. 10. allatam.

[ ℣. 16. *Quem cùm mactaveris, tolles de sanguine ejus* ] In Hebræo & apud 70. *sanguinem ejus*, ut significetur quòd Moyses totum sanguinem arietis deberet accipere, & per altaris circuitum seu super altare per circuitum fundere; quia nihil sanguinis erat assumendum quo altaris cornua tingerentur, sicut in oblatione hostiæ pro peccato. Cujus ratio esse potest quòd cum expiatio peccatorum fieret per effusionem seu tinctionem sanguinis: in ea sola oblatione conveniebat esse peculiarem ejus tinctionem, quæ principaliter & directè fiebat ad peccati expiationem, cujusmodi erat oblatio hostiæ pro peccato, non autem holocausti, nec victimæ pacificæ. In illa ergo tingebantur sanguine cornua altaris & non in istis.

[ ℣. 17. *Ipsum autem arietem secabis in frusta*. ] Detracta prius pelle ut ex Lev. 1. v. 6. habetur.

[ *Lotaque intestina ejus ac pedes pones super concisas carnes, & super caput illius.* ] Strue lignorum ante composita ignique supposito carnes concisæ poni debebant super ignem; & super carnes illas, caput excoriatum, ac deinde intestina. In hostia pro peccato non jubentur lavari intestina quia fimus cremabatur cum intestinis extra castra: In holocausto autem intestina cremabantur super altare, ubi non decebat poni sordes & immunditias, ideoque illæ per lotionem tolli debebant.

[ ℣. 18. *Et offeres totum arietem in incensum*. ] Id est, ad hoc ut incendatur.

[ *Super altare:* ] Unde patet hanc arietis oblationem fuisse holocaustum; totum enim super altare comburi, nulli sacrificio, præterquam holocausto convenit.

[ *Oblatio est Domino* , ] In Hebr. pro oblatione est *Olah*, sive holocaustum: Holocaustum autem vocatur olah, id est ascensio; quia totum in fumum & ignem abiens sursum ascendebat.

[ *Odor suavissimus* ] Hebr. *odor quietis*; sive quòd faceret Deum ab ira furoris sui quiescere, ipsum placando; sive quòd sacrificio isto tamquam sibi gratissimo Deus delectaretur, non quidem propter se neque propter odorem corporalem qui non potest in Deum cadere; sed propter fidem ac devotionem offerentium; & quia erat protestatio Christi aliquando in cruce immolandi pro salute generis humani.

[ *Victima Domini*. ] Hebr. *Ignitio Domini ipsa*, scil. est. Ignitio, id est, oblatio ignita, eò quòd tota hostia comburebatur. Nostræ versionis sensus est, quòd illa prædicti arietis oblatio sit peculiariter Deo facta, quòdque odor istius victimæ esset Deo gratissimus, id est, ista victima ei gratissima. Cum enim hostia pro peccato esset pro peccati remissione, & hostia pacifica pro pace vel aliquo alio beneficio; solum holocaustum principaliter offerebatur propter Deum, ad reverentiam scil. majestatis ipsius, & ad amorem bonitatis ejus.

[ ℣. 19. *Tolles quoque* ] Seu assumes etiam.

[ *Arietem alterum*, ] Secundum ex illis qui initio c. dicti sunt, estque hæc tertia hostia pro novellorum Sacerdotum consecratione, eaque vocabatur pacifica.

[ ℣. 20. *Quem cum immolaveris*, ] In Heb. & apud 70. *& mactabis eum*, in Dei videlicet honorem; sic autem mactare, erat immolare.

[ *Sumes de sanguine ejus, & pones super extremum auriculæ dextræ Aaron & filiorum ejus, & super pollices manus eorum ac pedis dextri*, ] Per extremum auriculæ, ima ejus pars quæ tenerrima est, significatur. Et ne utriusque manus pollices sanguine tingendos fuisse opinetur quispiam, sciendum est in Heb. sic haberi, *& super pollicem manus eorum dextræ*; quomodo etiam habent 70. unde Levit. 8. ubi hæc facta esse narrantur, legimus Moysen sanguine tetigisse pollicem manus dextræ. Ideo autem tres istas partes tingi voluit, aurem, manum, pedem: ut Sacerdotes admoneret quòd debeant habere aurem sanctam & promptam ad audiendum & obaudiendum quæ Deus voluerit; manum puram ad operandum divina; pedem agilem ad exequenda Dei opera. Sed cur dexteram potius quàm sinistram? Respon. quia magis accommodamus aurem dextram ad audiendum, sicut manum dextram ad operandum, & pedem dextrum ad gradiendum, cum teste Philos. l. 2. de cœlo textu 15. dextrum id dicatur unde est principium motus localis: qui etiam l. 4. de partibus animalium cap. 8. asserit omnia animalia efficaciora esse in parte dextra.

[ *Fundesque sanguinem super altare per circuitum*. ] Non totum sanguinem fundere debebat, cum partem aliquam manere oporteret ad aspergendum Aaron & filios, sed bonam ejus partem. Non sic autem fundendus erat per circuitum altaris, quasi fundi deberet circa altare super pavimentum, cum textus dicat super altare; sed fundi debebat in circuitu altaris per parietes ejus. Idque ut significaretur peti à Deo ut iste contactus altaris esset novellis Sacerdotibus salutaris.

[ ℣. 21. *Cumque tuleris de sanguine qui est super altare*, ] Sanguis excipiebatur in aliquo vasculo, & de eo pars aliqua fundebatur per parietes altaris in giro; alia pars in isto vasculo manebat; quod cum in aliqua parte altaris esset collocatum, quando Moyses de illo vasculo sanguinem sumebat, dicebatur sumere de sanguine qui erat super altare.

[ *Et de oleo unctionis*, ] De quo diximus versu 7. verisimileque est hoc oleum sanguine commixtum fuisse, ut ex illis duobus simul mixtis, esset unum tertium quo fieret aspersio, de qua sequitur.

[ *Asperges Aaron & vestes ejus, filios & vestimenta eorum* . ] Sermo est non de vestimentis eorum vulgaribus, sed de illis quibus indui debebant ad ministrandum Deo.

Si dicas illas vestes fuisse pretiosas; ideoque non decuisse quòd oleo & sanguine (quæ maculas generare solent) aspergerentur.

Resp. optimè decuisse, quia talis aspersio pertinebat ad vestium illarum consecrationem, sicut nunc vestes Sacerdotales asperguntur aqua benedicta quando benedicuntur; & insuper macula quæ inde poterat in vestibus contrahi, erat perexigua, nec horrori serviens sed honori, ad innuendum quòd Sacerdotes vestibus illis induti, essent ministri ad maculas peccatorum eluendas. Observat Abulensis quòd cum aliqua vestimenta Sacerdotalia de novo fierent, etiamsi tunc nulli Sacerdotes consecrarentur, similiter oleo & sanguine aspergi debuerint ut sacra essent & ad ministrandum idonea.

[ *Consecratisque ipsis & vestibus*, ] Notat idem Abul. quòd in hoc ultimo, scil. in aspersione sanguinis & olei terminatur consecratio Sacerdotum & vestium ipsorum licèt postea sequantur quædam aliæ ceremoniæ quæ sunt de consecrationis solemnitate, non de essentia.

[ ℣. 22. *Tolles adipem de ariete*, ] Adeps rectè intelligitur hic generaliter accipi pro omni pinguedine arietis, quia statim exprimuntur singulæ pinguedines.

[ *Et caudam & arvinam quæ operit vitalia* ] Ideo cauda fuit incendenda, & sic Deo offerenda in isto sacrificio pacifico, quia pinguis est & delicata, Deus autem volebat sibi in his sacrificiis offerri quæ pinguia & delicatiora erant. Arvina est pinguedo quædam. Per hoc quod Deus vult sibi offerri caudam arietis, significatur opera, quæ benè incipimus, felici fine esse complenda.

[ *Armumque dextrum*, ] Ex Levit. 7. liquet quòd in hostiis pacificorum armus dexter non comburebatur, sed cedebat in usum Sacerdotum; in præsenti tamen sacrificio pacifico Deus jubet illum comburi cum adipe, cauda, & renunculis, quia peculiare quiddam erat in hoc sacrificio quod non in aliis, quemadmodum ratio subsequens indicat.

[ *Eo quòd sit aries consecrationis:* ] Sive, quia hic aries offertur quando Aaron & filii ejus necdum erant Sacerdotes, ideoque ipsi non offerebant hoc sacrificium, sed consecrabantur in Sacerdotes, & sic erat aries qui offerebatur in consecratione Sacerdotum.

[ ℣. 23. *Tortamque panis unius*, ] Vocem Hebræam significare acervum aut massam annotavit Marius: certum nihilominus est tortam panis hic designare panes azymos, de quibus versu 2. aut saltem unum eorum, sicut ex collatione hujus versus cum versu 2. patet, atque etiam ex Levit. 8. versu 26.

[ *Laganum de canistro azymorum*, ] Ita vocatur canistrum, quia omnia quæ in illo continebantur, erant azyma, scil. panes, crustula & lagana.

[ *Quod positum est in conspectu Domini*: ] Pronomen, *Quod*, refert canistrum: & dicebatur positum in conspectu Domini, quia erat coram altari holocaustorum.

[ ℣. 24. *Ponesque omnia super manus Aaron & filiorum ejus* , ] Omnia intelliguntur ea quæ jam expressa fuere, panes azymi, crustula, & lagana. Nam hæc super manus Aaron & filiorum ejus ponenda erant, quamvis incertum sit utrùm sigillatim & successivè super manus singulorum, an simul super manus omnium ad invicem applicatas: Moyses autem manibus illorum, suas debebat supponere, ut & eas & quæ super eas erant, posset in altum levare, juxta id quod sequitur.

[ *Et sanctificabis eos elevans coram Domino* . ] In Heb. nihil dicitur de sanctificatione, sed tantùm habetur, & elevabis ea elevationem, aut agitabis ea agitationem coram Domino: Unde colligit Abul. sanctificationem, de qua noster textus, non aliud fuisse quàm istam elevationem, per quam Moyse manus no-

nus novellorum Sacerdotum cum prædictis muneribus eis suppositis elevante, ipsi ea præsentabant Deo ad solemnitatem suæ consecrationis, sicque Moyses eos sanctificabat, seu ad ejusmodi sacrificia offerenda parabat & deputabat. Observant autem Liranus & Abulensis ex Rabbi Salomone, istam elevationem non fuisse simplicem, sed cum aliqua agitatione, qua manus & oblata eis supposita elevabantur in altum, moxque retrahebantur deorsum: Deinde extendebantur ab Oriente in Occidentem, ac denique à Meridie ad Septemtrionem, ad designandum quòd illa offerebantur Deo, qui dominatur cœlo & quatuor partibus orbis, secundùm quæ in ista elevatione expressa fuisset forma crucis duplicis. Atque hoc est sacrificium quod Hebræi vocant Tsnupha, quod idem valet ac elevatio seu agitatio, de quo etiam agitur Num. 5. v. 25. & cap. 6. versu 20.

Qualis esset elevatio.

[ ℣. 25. *Suscipiesque universa de manibus eorum*:] Postquam sic elevata fuerint ista omnia, Moyses illa eadem debebat suscipere de manu Aaron & filiorum ejus, ad explendum sacrificium pro ipsis. Unde sequitur.

[ *Et incendes* ] Tamquam primarius Sacerdos & aliorum consecrator.

[ *Super altare in holocaustum*, ] Id est, plenè & integrè, ita ut nihil eorum remaneat quod non comburatur. Non ergo significatur esse sacrificium holocausti, cum ex seqq. satis appareat sermonem fieri de hostia pacifica, & holocaustum intelligi soleat de animalibus.

[ *Odorem suavissimum in conspectu Domini*, ] Ex obedientia nimirum & devotione offerentium.

[ *Quia oblatio ejus est*: ] Pronomen ejus pertinet ad substantivum, *Domini*, quasi diceretur, quia hæc oblatio est Dei, totaque ista oblata debent cedere Deo per ignem.

[ ℣. 26. *Sumes quoque pectusculum de ariete, quo initiatus est Aaron*; ] Sive, de ariete qui oblatus est in consecratione Aaron, & de cujus sanguine intinctum fuit super auriculam ipsius dextram, superque pollices manus & pedis dextrorum, ac aspersum super eum ejusque vestes ut sic consecraretur.

[ *Sanctificabisque illud elevatum coram Domino*, ] Seu elevando coram Domino. Cum enim sanctificatio sit applicatio ad cultum Dei, vel ad Deum; istud pectusculum sanctificabatur, quia applicabatur ad Deum. Nam licèt non incenderetur in altari: tamen cedebat in partem Moysi offerentis; & ea quæ in jus Sacerdotum cedebant, erant sanctificata, utpotè à profanis seu communibus usibus segregata, & ad Deum cujus ministri erant Sacerdotes, pertinentia.

[ *Et cedet in partem tuam*. ] Quoniam in hostiis pacificis pectusculum cedebat Sacerdoti eas offerenti; Aaron autem & filii ejus non erant hic Sacerdotes officio Sacerdotis fungentes & offerentes, sed solus Moyses, cujus proinde usui relinquitur istud pectusculum. Verum quidem est, quòd in hostiis pacificis etiam armus dexter cederet in partem Sacerdotis offerentis: Sed quia Moyses erat Sacerdos extraordinarius, non dabantur ei jura Sacerdotalia integra, sicut postea fuerunt data Aaroni; ideoque armus ille non ei cessit, sed jussus est incendi.

[ ℣. 27. *Sanctificabisque & pectusculum consecratum, & armum quem de ariete separasti*, ] Jubetur Moyses docere quid in posterum de hostiis pacificis cessurum sit Aaroni, aut aliis Sacerdotibus eas pro filiis Israel offerentibus; verborumque sensus est: Sanctificabis, id est, segregandum & Sanctum esse declarabis, (utpotè Deo dicatum, ejusque ministris debitum tamquam Sanctum) & pectusculum consecratum: In Heb. pectus elevationis sive pectus quod ritu solemni est mihi elevatum & oblatum, sicque consecratum (& armum, quem (non numero, sed specie eumdem) separasti de ariete.

[ ℣. 28. *Cedentque in partem Aaron & filiorum ejus* ] Quando offerent hostiam pacificam.

[ *Jure perpetuo* ] Quod non possit mutari pro libito, sed inviolabiliter servari oporteat, etiam post mortem Aaron & filiorum ejus; quia istud privilegium non conceditur personæ, sed Sacerdotali dignitati.

[ *Quia primitiva sunt & initia de victimis eorum pacificis* ] Sive, quia pectusculum & armus sunt partes præcipuæ, quæ idcirco tamquam primitiæ separantur de victimis pacificis, in usum Sacerdotum qui eas offerunt. In partem porrò Sacerdotum ideo cedit pectusculum & armus dexter, ut meminissent suum pectus seu cogitationes suaque desideria Deo debere; ac etjam armum dextrum, id est, sua opera.

[ ℣. 29. *Vestem autem Sanctam, qua utetur Aaron, habebunt filii ejus post eum, ut ungantur in ea, & consecrentur manus eorum*. ] Singulare ponitur pro plurali: & significatur quòd post mortem Aaron, quando ipsius filii & filiorum filii succedent in summo Sacerdotio, indui debebunt vestibus Pontificalibus, quibus fuit usus Aaron seu alius deinceps Summus Pontifex post eum, & consecrari in illis. Licèt enim Aaron fuerit consecratus in vestibus non consecratis, ipseque simul cum illis; posteà tamen quando aliquis consecrandus erat summus Sacerdos, debebat consecrari in vestibus præcedentis quæ jam ante fuerant consecratæ. Et quia vestes illæ non poterant semper durare; quando novæ conficiebantur; per Summum deinde Pontificem consecrabantur juxta ritum qui hoc cap. describitur. Idemque judicium est de minoribus Sacerdotibus: Nam & hi in vestibus præcedentium consecrandi erant: & dum novæ vestes erant necessariæ, à Summo Pontifice debebant consecrari.

Sed quæritur, A quo consecrari deinceps debuerit Summus Pontifex. Respon. quòd ab aliquo ex Sacerdotibus minoribus, sicut nunc Papa Romanus consecratur à Cardinale Ostiensi, qui est Episcopus. Cum enim non possent simul esse duo Summi Pontifices, ideoque non consecraretur novus, nisi in locum mortui; non supererat ad eum consecrandum alius quàm de inferioribus Sacerdotibus: Neque refert quòd Eleazar successerit Aaroni adhuc viventi Num. 20. hoc enim fuit peculiaris privilegii à Deo dati, neque Aaron erat cum Eleazaro supervicturus, sed juxta divinam revelationem statim moriturus.

A quo esset Pontifex consecrandus.

[ ℣. 30. *Septem diebus utetur illa qui Pontifex pro eo fuerit constitutus de filiis ejus*: ] Quod non sic est intelligendum, quasi successor Aaronis tantùm septem diebus uti deberet vestimentis Pontificalibus; cum certum sit eum quamdiu viveret, illis uti debuisse statis temporibus ut munia Pontificalia exerceret; sed significatur quòd primis septem diebus continuis oportuerit eum illis uti, toto scil. tempore quo duraret ejus consecratio. Et quamvis videri fortè posset hanc legem solùm pertinere ad successores Aaronis; omnino tamen dicendum est servandam quoque fuisse in Aaronis & filiorum ejus consecratione, quemadmodum patet ex seq. v. 35. atque etiam ex Levit. 8.

Quamdiu sacris vestibus uteretur.

[ *Et qui ingredietur tabernaculum testimonii ut ministret in Sanctuario*. ] Sicut per Sanctuarium aliquando intelligitur locus qui dicebatur Sancta, aliquando is qui dicitur Sancta Sanctorum; ita duplex esse potest horum verborum sensus. Prior, & qui ingreditur in tabernaculum ut cum reliquis Sacerdotibus ministret in sanctis. Posterior, & cui sic convenit in tabernaculum ingredi, ut ipse solus in Sancto sanctorum possit ministrare, Pontificis officium ibi exercendo; & hic sensus videtur magis congruere, utpote munus soli summo Sacerdoti proprium magis explicans.

[ ℣. 31. *Arietem autem consecrationis tolles, & coques carnes ejus* ] Non omnes, quia cum toto adipe, & cauda, & renunculi, & armus dexter debebant incendi super altare; pectusculum autem habebat Moyses in partem suam pro ministerio quod gerebat: sed carnes intellige, quæ præter illa omnia restabant.

[ *In loco sancto*: ] Hoc est, in atrio tabernaculi, non autem in ipso altari holocaustorum, cum in eo non coquerentur carnes ad esum, sed incenderentur ad sacrificium. Unde Lev. 8. sic habetur, *Coquite carnes ante fores tabernaculi*. Neque verò hujus tantùm arietis, sed omnium deinceps hostiarum, ex quibus aliqua pars cedebat in usum non laicorum, sed Sacerdotum, carnes coquebantur in atrio seu in culinis vel cubiculis quæ erant circa atrium. Ubi fuerunt loca usibus & necessitatibus quotidianis Sacerdotum, qui totis

tis

tis septem diebus illic manere debebant, accommodata. Coquebantur autem illæ carnes non assando, sed elixando in olla vel cacabo, ut patet 1. Reg. 2. v. 13. & 14.

[ ℣. 32. *Quibus vescetur Aaron & filii ejus.* ] Ante fores scil. tabernaculi, ut dicitur Levit. 8. Et quia pro solis ipsis sacrificium hoc fiebat, ideo ipsi soli carnes istas edere debebant.

In eo quòd Sacerdotes comedebant cibum sanctificatum in loco Sancto, moraliter significatur quòd non debeant mente recedere à Sanctorum commemoratione, præsertim quando res sanctas tractaverunt.

[ *Panes quoque, qui sunt in canistro,* ] Exceptis nimirum his qui incendi debent. Ex quo sequitur non omnes panes qui versibus 2. & 3. jussi fuerunt poni in canistro, positos fuisse super manus Aaron & filiorum ejus, & incensos vers. 24. & 25. sed in eo reservatam fuisse portionem offerentium, quam Aaron & filii ejus tamquam offerentes per manum Moysi hic jubentur comedere, dicendo:

[ *In vestibulo tabernaculi testimonii comedent,* ] Vestibulum tabernaculi vocatur locus ante introitum tabernaculi, eratque pars atrii.

[ ℣. 33. *Ut sit placabile sacrificium,* Ipsi scil. Deo: sive, ut hoc sacrificium sit Deo acceptabile, ipseque vobis placetur propter vestram obedientiam, qua non tantùm in oblatione, sed in subsequentibus quoque cæremoniis leges ab eo præscriptas servabitis.

[ *Et sanctificentur offerentium manus.* ] Et Aaronis filiorumque ejus manus sanctæ sint, sanctis operibus deputatæ.

Quis hic alienigena. [ *Alienigena non vescetur ex eis,* ] Alienigena in sacris litteris generaliter dicitur qui erat ex alia Gente quàm Hebræa, quemadmodum supra cap. 12. *Omnis alienigena non comedet ex eo.* Sed hìc strictius accipitur pro eo qui fit de alio genere quàm Aaronis, sicut Num. 16. *ne quis accedat alienigena:* ubi tamquam ejus explicatio sequitur, *& qui non est de semine Aaron.*

[ *Quia sancti sunt.* ] Nempe illi panes consecrationis Sacerdotalis, ex Hebr. verti etiam potest, *quia sancta sunt,* ut referatur ad omnia oblata tam ex carnibus quàm ex panibus. Sive autem carnes, sive panes, ideo dicuntur sancta, quia Deo oblata & ab usu non Sacerdotum segregata. Neque refert quòd de hostiis pacificis vesci possent laici offerentes, cum illæ in tres partes dividerentur, quarum una incendebatur, secunda cedebat in usum Sacerdotum, tertia in usum offerentium, ut est apud B. Thom. 1. 2. q. 102. art. 3. ad 8. Huic enim victimæ pacificæ peculiare fuit, quòd soli Sacerdotes de ea possent comedere, quia offerebatur ad ipsorum Sacerdotum consecrationem.

[ ℣. 34. *Quòd si remanserit de carnibus consecratis,* ] Idest, sanctis aut sanctificatis.

[ *Sive de panibus* ] Azymis scil. qui positi fuerint in canistro.

[ *Usque mane,* ] Quacumque de causa id contingat:

[ *Combures reliquias igni:* ] Erat etiam hoc præsenti sacrificio peculiare, cum ex Levit. 7. & 19. habeamus quòd offerentes hostiam pacificam possent de illa vesci usque ad tertium diem exclusivè. Voluit autem Deus ut de hac pacifica hostia tantùm uno die comederent; partim quia per septem continuos dies iterabatur; partim & præcipuè, ut sic intelligerentur quòd oblationes pro Sacerdotum consecratione, atque adeò etiam ipsi Sacerdotes, majoris essent sanctitatis & dignitatis.

[ *Non comedentur* ] Die nimirum illo sequenti.

[ *Quia sanctificata sunt.* ] Quæ verba sic per antiphrasim interpretantur quidam, ut idem valeant, quòd quia polluta sunt: quomodo sanctificentur, pro polluantur, accipitur Deut. 22. v. 9. Quia tamen nihil est quod ejusmodi acceptionem hic postulet, cum retenta significatione ordinaria sensus legitimus reddi possit, iste videlicet, quia illa oblata peculiari sanctitate, & plus quàm aliæ hostiæ pacificæ, Deo sunt dicata: Ideo nolo quòd secundo die quisquam de illis comedat, vel quòd aliis usibus profanis serviant, sed jubeo ut comburantur igni; partim quia præstat sancta quædam per elementum nobilissimum reverenter absumi, quàm per usum nimis frequentem vilescere; partim ad significandum quòd quæ non possunt à nobis absumi seu comprehendi, debeant igne charitatis Deo dicari: propterea ille prior sensus minus placet.

[ ℣. 35. *Omnia quæ præcepi tibi,* ] Sive sint de necessitate consecrationis, sive tantùm de solemnitate; & sive videantur magna, sive parva.

[ *Facies super Aaron & filiis ejus.* ] Idest, quantum ad ea quæ ad Aaronis & filiorum ejus consecrationem spectant.

[ *Septem diebus consecrabis manus eorum:* ] Oleo nimirum unctionis, etsi non desint qui aliter sentiant, eò quòd consecratio non iteretur: sed ad eam rationem dici potest consecrationem non fuisse completam ante septimum diem, ut patet ex Levit. 8. Ideoque non fuisse iterationem consecrationis, quando usque ad diem septimum consecrabantur manus.

[ ℣. 36. *Et vitulum pro peccato offeres per singulos dies* ] Istius septimanæ.

[ *Ad expiandum.* ] Peccatum Aaron & filiorum ejus. Quamvis non exprimatur, neque omnes concedant, probabilius tamen videtur arietes quoque, unum in holocaustum, alterum in hostiam pacificam fuisse singulis illis septem diebus iteratos, imò repetita omnia quæ primo die facta fuerunt: *Septem enim diebus finitur consecratio sicut impræsentiarum factum est,* dicebat Moyses primo die consecrationis Levit. 8. *ut ritus sacrificii compleretur.* Potius tamen exprimitur iterandus esse vitulus pro peccato; quia peculiaris erat ratio dubitandi de illo; eò quòd putari posset unum sacrificium esse sufficiens ad peccatum expiandum. Sed dicendum quòd peccatis quotidianis non carerent Aaron & ejus filii.

[ *Mundabisque altare cùm immolaveris expiationis hostiam,* ] Postquam immolaveris hostiam pro peccato. Quomodo autem fieri deberet ista mundatio, ambigitur. Verisimile est eam debuisse fieri per aspersionem, ac deinde per unctionem olei, si conferatur Levit. cap. 8. v. 11. ubi Lorinus de altari holocaustorum verba faciens ait quòd prius quam liniretur, aspergebatur septies, idque per totidem dies, ut sic disponeretur ad expiationem peccatorum ibi suo tempore faciendam pro universis hominibus. Mundari ergo, seu ut alii ex Hebr. vertunt, *expiari,* dicitur altare, quando ad peccatorum expiationem disponitur.

[ *Et unges illud in sanctificationem.* ] Ut sit sanctum, Deoque consecratum, & à communibus usibus separatum.

[ ℣. 37. *Erit Sanctum sanctorum.* ] Idest, sanctissimum, sicut dicimus canticum canticorum pro cantico excellentissimo.

[ *Omnis qui tetigerit illud, sanctificabitur.* ] Sitnè in his verbis præceptum, an prædictio futuri, non omnino liquet. Probabilius est, esse præceptum, hoc sensu: Quisquis illud altare voluerit tangere, seu ad illud accedere, prius mundetur: Nam si quis immundus aut altare aut aliquid aliud sacrum tetigisset, tantum abest quòd inde sanctificaretur, quin potius propter irreverentiam puniri merebatur. Unde Aggæi 2. clarè significatur quòd si pollutus in anima, sive ex morticino tangeret aliquid sanctum, ipsum per hoc contaminaretur.

[ ℣. 38. *Hoc est quod facies in altari:* ] Ostendit in quem quotidianum usum jusserit istud altare fieri & consecrari, ut scil. in eo quotidie offerrentur duo agni.

[ *Agnos anniculos* ] Hoc est, unum annum agentes, modò septimum diem excesserint, ut patet ex Levit. 22. subauditur autem facies, idest, immolabis.

[ *Duos per singulos dies jugiter,* ] Quando scil. collocatum fuerit tabernaculum in terra Chanaan. Cum enim per desertum annis 40. vagarentur, incerti quando figendum esset tabernaculum, quando movendum; non poterant hæc præcepta servare, neque etiam dabantur ut tunc servarent, sed cum ingressi fuissent terram habitationis suæ, ut dicitur Num. 15. Illuc namque omnia quæ præcepit eis Deus, holocausta & hostias & decimas conferre debebant. Deut. 12. De jugi sacrificio.

[ ℣. 39. *Unum agnum manè,* ] Circa ortum solis.

[ *Et alterum vesperè,* ] Ante solis occasum. Pro vesperè, in Hebr. est, inter duas vesperas, ea phrasi quam explicuimus cap. 12. Atque hoc est juge sacrificium legis veteris, figura sacrificii Eucharistiæ quod quoti-

die offertur usque ad mundi vesperam seu finem. Potest etiam per agnum matutinum intelligi figuratus esse Christus, quatenus infans fuit in templo præsentatus die Purificationis; & per vespertinum, idem in fine vitæ oblatus in cruce.

[ ℣. 40. *Decimam partem similæ conspersæ oleo tuso,* ] In offerendis holocaustis & hostiis pacificis oportebat simul adhibere similam, oleum, & vinum; non similiter in hostiis pro peccato. Quoniam ergo isti agni offerebantur quotidie in holocaustum, ut exprimitur Num. 28. ideo præscribitur, ut cum unoquoque offerant decimam partem ephi (hoc enim ibidem additur) similæ conspersæ seu commixtæ oleo tuso, sive ut illic dicitur, purissimo. Non ergo offerebatur simplex simila, sed panis ex simila & oleo confectus & coctus, qui deinde cremabatur in altari sicut carnes agni. Quæ mensura sit ephi, diximus ad fin. cap. 16.

[ *Quod habeat mensuram quartam partem hin,* ] Variant authores de quantitate hin, sicut & de aliis mensuris. Quorumdam opinio est hin esse mensuram continentem duodecim sextarios, sextarius autem continet viginti uncias: unde sequitur quòd hin continet 240. uncias: quarta ergo pars hin, sunt sexaginta unciæ.

[ *Et vinum ad libandum* ] Seu effundendum super altare, sicque offerendum.

[ *Ejusdem mensuræ* ] Cum oleo.

[ *In agno uno.* ] Instruit totum quod dixit de simila, oleo, & vino esse offerendum, immolando unum

Allegorica. agnum. Quod porrò simul cum agno deberet offerri simila & vinum, figura erat quòd Christus non tantùm occidendus erat sicut agnus, sed etiam seipsum sub specie panis & vini esset nobis relicturus in Sacramento Eucharistiæ. Simila debuit esse oleo conspersa, quia Christus ex maxima tum charitate tum misericordia sacramentum istud instituit. Par olei & vini mensura adhibebatur, quia tanta est Christi misericordia, quanta virtus sanguinis quem pro nobis fudit.

[ ℣. 41. *Alterum verò agnum offeres ad vesperam juxta ritum matutinæ oblationis,* ] Ita ut omnes iidem ritus serventur in vespertina oblatione, quæ in matutina.

[ *In odorem suavitatis:* ] Ut oblatio sit mihi suavis & grata: Loquitur enim Deus juxta hominum consuetudinem, quibus odor suavis solet esse gratus.

[ ℣. 42. *Sacrificium est Domino, oblatione perpetua* ] Istud holocaustum duorum agnorum, unius manè, alterius vesperi, est sacrificium Deo offerendum oblatione perpetua; ita ut nullis umquam diebus intermittatur, sive illi sint festi, sive non: Nam in festis præter peculiaria sacrificia ex lege præscripta, hoc inprimis erat offerendum: quod propterea Num. 28. vocatur holocaustum juge.

[ *In generationes vestras,* ] Quamdiu generationes vestræ durabunt & perseverabit status vestræ Reipublicæ.

[ *Ad ostium tabernaculi testimonii* ] Estque offerendum super altare holocaustorum quod erit circa ostium tabernaculi, in quo seu in cujus aliqua parte servabitur lex quæ est testimonium divinæ voluntatis.

[ *Coram Domino,* ] Quæ enim fiebant in altari, dicebantur fieri coram Domino, quia propter peculiares effectus quos Deus ibi præstabat, Deus peculiariter dicebatur esse in tabernaculo, & præcipuè in Sancto Sanctorum, quod erat sanctior pars tabernaculi.

[ *Ubi constituam ut loquar ad te.* ] Oleaster & alii, pro ubi constituam, ex Hebr. vertunt in quo conveniam seu ubi morabor vobiscum, & loquar ad te ibi. Unde discimus quòd Deus Moysi loqueretur, non solum ex propitiatorio quod erat intra Sancta Sanctorum, sed etiam in atrio ad ostium tabernaculi.

[ ℣. 43. *Ibique præcipiam filiis Israel,* ] Supple per te, qui es meus internuncius. Neque enim hìc significat Deus se immediatè locuturum filiis Israel, sed tantùm se daturum illis præcepta: quod eo modo intelligi debet, quo supra cap. 20. & Deut. 5. ipsi ad Moysen dixerunt, *Audi cuncta quæ dixerit Dominus Deus noster tibi, loquerisque ad nos,* quem eorum sermonem approbavit Deus. Observandum autem quòd pro præcipiam, in Hebr. idem est verbum quod paulò ante, ubi habemus constituam: nec mirum, quia verbum Hebræum primò significat convenire, locumque vel tempus constituere ad conveniendum; Deinde significat etiam testificari & præcipere.

[ *Et sanctificabitur altare in gloria mea.* ] Istud altare holocaustorum palàm declarabitur esse sanctum ac mihi dicatum, per gloriæ seu Majestatis meæ manifestationem, quam mirabili modo ibi sum facturus: fecit autem, quando octavo die post Sacerdotum & altaria consecrationem, *Apparuit gloria Domini omni multitudini, & egressus ignis à Domino devoravit holocaustum & adipes qui erant super altare.* Levit. 9. In Hebr. nulla altaris facta mentione ita legitur: *& sanctificabitur in gloria mea:* quod ad totum tabernaculum videretur posse referri; sed quia de ipso ejusque altari mox sequitur, Interpres maluit ad altare holocaustorum referre: quod in Hebr. subauditum, in Latino expressit.

[ ℣. 44. *Sanctificabo & tabernaculum testimonii cum altari, & Aaron cum filiis suis,* ] Tam ipsum tabernaculum, quàm altare thymiamatis quod in eo est, ipsumque Aaronem cum filiis suis dedicabo & appropriabo cultui meo, per consecrationem scil. quæ licèt jam esset descripta, necdum tamen erat executioni mandata, sed postea demum mandanda infra cap. ult. Cæterum si in statu veteris testamenti specialis Dei operatio adfuit, sanctificans eos qui ordinabantur Sacerdotes, quemadmodum ex allegatis verbis constat; quantò magis existimandum est in Sacerdotio novæ legis, quod longè est excellentius, eamdem peculiariter adesse quæ Sacerdotes excellentiori modo sanctificet, contra quam velint nostri hæretici!

[ ℣. 45. *Et habitabo in medio filiorum Israel,* ] In meo videlicet tabernaculo quod erit inter filios Israel. In eo autem se dicit habitaturum, quia sicut homo in domo sua præsentem se exhibet; ita ibi suam præsentiam peculiariter Deus erat exhibiturus & manifestaturus, loquendo, exaudiendo, & beneficia præstando.

[ *Eroque eis Deus,* ] Omnibus quidem Deus est Deus, cum omnium creaturarum ipse sit author, gubernator & conservator; dicit tamen quòd erit Deus filiis Israel: quia peculiariter eorum curam & providentiam erat habiturus, eis præ aliis gentibus benefacturus, & ab ipsis longè aliter colendus.

[ ℣. 46. *Et scient* ] Per beneficiorum experientiam.

[ *Quia ego Dominus Deus eorum, qui eduxi eos de terra Ægypti, ut manerem inter illos,* ] Ut eos haberem tamquam populum meum peculiarem, & inter eos habitarem, sicut rex inter suos subditos habitat, quando se præsentem illis exhibet, eos protegit, ipsis familiariter loquitur, & providet de necessariis.

## CAPUT XXX.

*Describitur altare thymiamatis, census populi, labrum æneum, compositio sacri unguenti, & thymiamatis.*

[ ℣. 1. F*Acies quoque altare* ] Diversum ab altari holocaustorum quod cap. 27. fuit descriptum: Nam hoc vocatur altare incensi seu thymiamatis.

[ *Ad adolendum thymiama* ] Quod erat aliquid compositum ex variis rebus odoriferis, quæ sub finem hujus cap. exprimuntur.

[ *De lignis setim,* ] De quibus etiam altare holocaustorum fabricari jussum est, quia nullum fuit in tabernaculo Moysi lignum, quod non esset setim.

[ ℣. 2. *Habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, idest, quadrangulum,* ] Quadrangulum pro quadrato ponitur: Istud enim altare non solùm debuit habere quatuor angulos, id quod voce quadranguli importatur; sed tantam esse oportuit ejus longitudinem, quanta erat latitudo scil. unius cubiti, quod est esse quadrum seu quadratum, unde Hebræa hìc sonant *quadratum erit.*

[ *Et duos cubitos in altitudine.* ] Ex quibus liquet hoc altare fuisse minus quàm altare holocaustorum: idque propterea, quia minor magnitudo sufficiebat ad ejus usum; cum super illud non essent imponendi boves & oves, sicut super aliud, sed tantùm thymiamata.

[ *Cornua ex ipso procedent.* ] Per cornua verisimile

est

est intelligi parvas pyramides aut pomellos, vel quid simile in superioribus angulis altaris, ad ejus ornatum pertinens. Et hæc non debebant esse apposita vel infixa altari, sed oportebat quòd ab ipso procederent, de ligno scil. eodem de quo fiebat altare.

Altare thymiamatis idem quod altare aureum.

[ ℣. 3. *Vestiesque illud auro purissimo.* ] Et ob hanc causam istud altare thymiamatis seu incensi, aliquando vocatur aureum, ut infra cap. 39. v. 38. cap. 40. v. 5. & 26. Num. 4. v. 11. non quòd esset ex solido auro constructum; sed quia totum erat coopertum & quasi vestitum laminis aureis. In quo præter alia, differebat ab altari holocaustorum, quod ære opertum erat.

Quid esset craticula.

[ *Tam craticulam ejus*, ] Non ergo ista craticula fuit ex auro facta, ut quidam putant, sed auro vestita, sicut altare. Ex Heb. pro craticula aliqui vertunt tectum: sed nihil vetat per tectum intelligi craticulam, cum ea superiorem altaris superficiem tegeret. Hæc enim craticula fuit quædam lamina, vel lignea, vel ferrea, vel ærea, sed totaliter auro cooperta super superiorem altaris planitiem extensa, aliqualiter concava & subtiliter perforata, ut prunas ex altari holocaustorum desumptas, ibique positas contineret, ac favillas & cineres deorsum demitteret. Porrò præter craticulam nulla hic est mentio arulæ, sicut cap. 27. pro altari holocaustorum, eò quòd pro altari thymiamatis non fuerit opus ulla arula, cum non indigeret tanto foco, neque lignorum substructione, sicut illud.

Cæterum, an prunæ, ipsaque thymiamata immediatè ponerentur super altare & craticulam; an potius aliquo minori thuribulo exciperentur, quod postea supponeretur altari & craticulæ, non una omnium est sententia. Cornelius & Marius posterius amplectuntur.

Primò, quia ex Levit. 10. constat varia fuisse thuribula quibus imponebatur ignis & incensum desuper.

Secundò, quia si ignis fuisset positus immediatè super craticulam & deinde thymiama, aurum craticulæ fuisset igne liquefactum & cineribus obscuratum, sicut & aurum altaris in quod favillæ & cineres decidissent ex craticula.

Prunæ ponebantur immediatè super craticulam.

Opposita tamen sententia, quam Torniellus ad ann. 2544. nu. 70. Dionys. Carthus. Manilla & alii super hoc cap. significant, verisimilior est, prunas videlicet ipsaque thymiamata solita poni immediatè super altare & craticulam; Ad quid enim servisset craticula, super altare thymiamatis collocata; si non ut prunas exciperet, & per foramina cineres inferius transmitteret?

Ad prim. verò arg. contrarium Resp. non esse negandum varia fuisse sive in tabernaculo sive in templo thuribula, quibus imponebatur ignis & incensum: Sed hæc serviebant partim incenso in tabernaculum vel in templum deferendo, partim igni deportando ex altari holocaustorum ad altare incensi, non verò ad incensum super altare adolendum. Unde Josephus l. 8. Antiquit. c. 2. al. 3. de utensilibus Templi Salomonis scribit quòd acerræ ( sic thuribula vocat ) aureæ, quibus odoramenta in templum inferri solent, erant numero viginti millia; & aliæ quibus deferebatur ignis à magno altari in parvum intra templum situm, quinquaginta millia. Quod si servissent incenso super altare adolendo, eum usum non reticuisset, præsertim cum hic usus præstantior esset, quàm alii. Lev. igitur 10. Nadab & Abiu arripuerunt thuribula, non ut ea ponerent super altare incensi; sed ut ignem in illis positum ac incensum igni superpositum ad sanctuarium deferrent, eumque ea thuribulis transferrent ad istud altare, & sic Deo adolerent.

Ad 2. Resp. nullum fuisse periculum liquefactionis auri, non magis quàm nunc sit periculum liquefactionis argenti in thuribulis aut foculis argenteis: quia non magnus ignis ibi struebatur, sed tantùm carbones accensi imponebantur. Obscuratio autem auri quæ accidebat, per emundationem poterat detergi.

*Quam parietes per circuitum*, ] Parietes altaris vocat tabulas laterales, quæ quatuor ejus latera claudebant, & erant de lignis setim.

[ *Et Cornua.* ] De quibus supra dictum est, quòd deberent de eodem ligno procedere, de quo erat ipsum altare.

[ *Faciesque ei coronam aureolam per gyrum*, ] Ista corona erat limbus affabrè factus ex auro, supra tabulam altaris ejusque craticulam eminens; qui etsi fuerit quadratus, vocatur tamen corona, quòd ambiebat totum altare per gyrum.

[ ℣. 4. *Et duos annulos aureos sub corona*, ] Circa margines craticulæ ubi altare erat solidius faciliusque poterat portari.

[ *Per singula latera*, ] Non est sensus quòd in quolibet latere altaris deberent poni annuli: Cum enim esset quadratum debuissent poni in quatuor lateribus, id quod non est verisimile factum fuisse, quia id non conduceret ad portandum: sed per singula, intellige duorum laterum sibi oppositorum. Unde in Hebr. legitur, *super duo latera ejus*; quod & 70. & Cajetanus secuti sunt.

[ *Ut mittantur in eos vectes, & altare portetur.* ] Per vectes qui in annulos immittebantur.

[ ℣. 5. *Ipsosqueque vectes facies de lignis setim, & inaurabis.* ] Laminis aureis eos cooperiendo.

[ ℣. 6. *Ponesque altare contra* ] Seu ante.

[ *Velum, quod ante arcam pendet testimonii* ] Distinguens videlicet ac dividens Sancta sanctorum ubi erat arca, à loco qui dicitur Sancta. Duo quippe erant vela in tabernaculo: unum pendens ante Sancta, sicque illa dividens ab atrio; alterum pendens ante Sancta sanctorum.

Magnæ autem quæstionis est ubinam situm fuerit istud altare thymiamatis seu incensi, utrùm intra Sancta sanctorum, an extra. Ex veteribus præclari quidam Doctores illud intra fuisse tradiderunt, eisque favere videtur.

Primò, quòd infra hoc eodem capite de isto altari loquens Moyses dicit, *Et deprecabitur Aaron super cornua ejus semel per annum*; locus enim in quem non nisi semel per annum ingredi poterat Summus Pontifex, non alius erat quàm Sancta sanctorum, ergo ibi erat istud altare.

Secundò, quoniam hujus l. cap. 40. jubetur ut altare aureum in quo adoletur incensum, stet coram arca testimonii; Arca autem illa manebat intra Sancta sanctorum.

Tertiò, idem altare 3. Reg. 6. vocatur altare oraculi: Ergo erat in oraculo, hoc est, in Sancta sanctorum. Et confirm. ex cap. 9. ad Heb. ubi Apostolus de isto altari loquens sub nomine thuribuli, apertè illud collocat in Sancta sanctorum, *Tabernaculum*, inquit, *quod dicitur Sancta sanctorum aureum habens thuribulum & arcam testamenti.*

Altare incensi non fuit in Sancta sanctorum.

Verumtamen aliorum tum veterum tum recentiorum sententia tenenda est, qui asserunt prædictum altare non fuisse in Sancta sanctorum, sed in Sancta, in anteriori scil. parte tabernaculi, inter candelabrum & mensam. Hi sunt Theophilactus in c. 9. ad Hebr. Beda l. 3. de tabern. cap. 12. Petrus Comestor. c. 67. super Exod. B. Th. 1. 2. q. 102. art. 4. ad 6. Liranus; Cajet. Abulensis, Estius, Marzilia, Marius, & alii communiter, consentientibus Josepho l. 3. Antiquit. cap. 7. & Philone l. 2. de Monarchia.

Prob. 1. Inferius cap. 40. postquam Moyses intulit arcam in tabernaculum, appendit ante eam velum, ac deinde posuit ista tria, mensam, candelabrum, & altare aureum. Sicut ergo omnibus in confesso est, mensam & candelabrum fuisse extra Sancta sanctorum; ita est de altari thymiamatis, sive aureo, sentiendum.

Secundò, quando Summus Pontifex ingrediebatur Sancta sanctorum; postea inde egrediebatur ad altare incensi: ergo istud altare non erat intra illa, sed extra: Anteced. clarum est ex Lev. 16. ubi postquam dictum est, *Nullus hominum sit in tabernaculo quando Pontifex sanctuarium* ( Ita vocat Sancta sanctorum ) *ingreditur, ut roget pro se, & pro domo sua, & pro universo cœtu Israel, donec egrediatur*, statim subditur, *Cum autem exierit*, nimirum è sanctuario, *ad altare quod coram Domino est, oret pro se &c.*

Tertiò, solus Summus Pontifex poterat intrare in Sancta sanctorum, idque tantùm semel in anno, quemadmodum ex Levit. 16. atque ex cap. 9. ad Heb. patet. Ad altare autem incensi oportebat quotidie intrare, ad adolendum incensum manè & vesperi, ut in præsenti cap. traditur; neque solus Pontifex ad illud

Illud intrabat, sed minores quoque Sacerdotes, ut ex versu 19. & 20. patet, atque etiam ea Lucæ 1. de Zacharia Patre S. Joannis Baptistæ; qui quòd non fuerit Summus Pontifex, satis significatur, dicendo, *Sacerdos quidam de vice Abia*, quæ erat octava in ordine, 1. Par. 24. & addendo quòd *Sorte exiit ut incensum poneret ingressus in templum Domini*. Nam hæc in Summum Pontificem, qui tantùm erat unus, non conveniunt. Neque refert Lucæ 3. significari quòd tempore Messiæ fuerint plures summi Sacerdotes, cum dicitur *sub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha*: Id enim non ita est accipiendum, quasi simul gesserint Pontificatum, numquam enim sic perturbatus fuit rerum Judaicarum status, ut duos simul habuerit summos Sacerdotes: sed quia illi successivè fuerunt Pontifices, unus post alium, Annas primùm, quando scil. Joannes suam prædicationem fuit exorsus; postea Caiphas, quando eam complevit. Quomodo Prophetæ dicuntur prædicasse in diebus plurium regum quos nominant, non quòd simul regnaverint, sed quia prophetaverunt eo tempore quo ipsi regnaverunt, sibi invicem succedentes.

Zacharias Pater S. Joannis non fuit summus Pontifex.

Ad 1. autem arg. In alteram partem allatum Resp. Neg. Cons. quia non dicit ibi Moyses quòd Aaron tantùm semel in anno posset ingredi ad altare thymiamatis, vel ad locum in quo erat; sed quòd Aaron semel per annum expiabit altare cum sanguine, tingens cornua ejus postquam egressus erit de sanctuario, illudque expiaverit, ut liquere potest conferenti cap. 16. Levitici.

Ad 2. Resp. optimè dici quòd altare aureum staret coram arca, quamvis non fuerit in Sancta sanctorum cum illa; quia erat propè Sancta sanctorum, ac per consequens propè arcam, ita ut inter istud altare & ea sancta solùm mediaret velum quod Sancta sanctorum dividebat à sanctis.

Ad 3. Resp. Neg. C. Altare namque aureum vocatur altare oraculi, non quia esset in oraculo: sed partim quia erat propè oraculum, ad differentiam altaris holocaustorum quod longius aberat ab oraculo; partim quia factum fuit ut specialius deserviret oraculo, quàm alia quæ erant in anteriori parte tabernaculi, sive in sancto. Cum enim in oraculum ubi maximè se præsentem Deus exhibebat, nulli fas esset ingredi, præter quàm summo Sacerdoti, idque semel tantùm in anno; ne vel iste locus, vel etiam Deus illic repræsentatus honore thuris & thymiamatum careret; quotidie super hoc altare incendebatur thymiama, cujus odores evaporabantur ad oraculum; quod quidem, sic velo claudebatur ut impediretur aspectus ad ea quæ intro erant, non tamen impediebatur fumigationis & odorum transitus. Ubi & hoc venit observandum, quòd extra velum oraculi seu in sancta, fuerit mensa cum panibus propositionis à parte septemtrionali, & candelabrum in latere australi; medium autem ac proinde magis directè respondens arcæ ejusque propitiatorio, altare thymiamatis: quod quidem ita erat medium, ut non in eadem omnino serie esset cum illis, sed multò erat vicinius velo, ac per consequens oraculo quàm illa, ut est apud Adrichomium in tabulis.

Quo sensu altare oraculi.

Ad confirm. Resp. Apostolum non collocare thuribulum aureum (quo nomine altare incensi designari concedimus) in Sancta sanctorum; cum non dicat *tabernaculum, in quo erat thuribulum aureum*; sed, *aureum habens thuribulum*, videlicet proximè sibi admotum ut ipsi serviret ad usum supra dictum. Observandum ergo longè aliud esse dicere, quòd tabernaculum seu Sancta sanctorum habuerit thuribulum & arcam; & aliud asserere idem thuribulum fuisse in illis Sanctis, cum perspicuum sit *habere* multis modis dici. Neque refert quòd Sancta sanctorum sic habuerunt arcam, ut ipsa in illis fuerit, quasi inde sit consequens quòd similiter habuerit thuribulum: Nam & in communi usu eadem vox *habere*, ad diversa relata diversimodè sumi debet, nimirum pro habere intra se, vel pro habere extra sed propè. Sic urbs dicitur habere templa & fossas, templum dicitur habere altaria & cæmeterium, altare dicitur habere reliquias & cortinas, cum tamen & fossæ, & cæmeterium, & cortinæ sint extra, non similiter templa, altaria, reliquiæ. Sic ergo rectissimè dicitur quòd tabernaculum haberet aureum thuribulum & arcam, quamvis habuerit arcam intra se, & thuribulum extra, sed juxta se.

Habere variis modis dicitur.

[ *Coram propitiatorio quo tegitur testimonium*, ] Hoc est, propè propitiatorium quod erat operculum arcæ, quodque propterea tegebat testimonium seu tabulas legis quæ erant in arca.

[ *Ubi loquar tibi*. ] Deus namque ex Sanctis sanctorum ubi erat propitiatorium, Moysi loquebatur & responsa dabat.

[ ℣. 7. *Et adolebit incensum super eo* ] (Altari thymiamatis.)

[ *Aaron*, ] Non solùm ad Aaronem hoc pertinuisse, sed ad ejus quoque filios, atque adeò ad minores Sacerdotes, versus 19. & 20. clarè indicant. Hic tamen solùm exprimitur Aaron, quia ad eum tamquam ad principem Sacerdotum maximè pertinebat, ut vel incensum per se adoleret quotidie, vel per filios adoleri curaret.

[ *Suave fragans*, ] Non quòd Deus delectetur odoratu thymiamatis, cum non sit corporeus, ideoque non habeat sensus corporeos, sed partim propter fidem & devotionem offerentium: partim quia magnus honor reputatur apud homines, cuipiam suaves odores apponere vel suffumigare: Et ideò Deus cum hominibus humano more agens, eos sibi exhiberi voluit, ac gratum habuit.

[ *Manè*. ] Indicatur unum tempus, quo adoleri deberet incensum super altare thymiamatis, esse matutinum: Unde sequitur,

[ *Quando componet lucernas*, ] Hoc est, summo manè, quando Sacerdos lucernas candelabri instruet, tum quæ superflua sunt emungendo, tum oleum novum affundendo.

[ *Incendet illud*: ] Incensum odoriferum:

[ ℣. 8. *Et quando collocabit eas ad vesperum*, ] Postquam illas purgaverit, reponendo.

[ *Uret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras*. ] Per thymiama & incensum idem hic intelligitur; & significatur non quòd tota die vel nocte deberet ardere, sed quòd quotidie per successionem eorum esset adolendum, quamdiu eorum Respublica duraret. Conferenda sunt quæ diximus ad cap. 27. versum 21.

Modus autem adolendi incensum super altare thymiamatis, ex Abulensi q. 7. super hoc cap. hic erat. Sacerdos ibat ad altare holocaustorum, & ex eo capiebat thuribulum; ac in eo prunas ignis ex eodem altari sumens, ponebat super thuribulum: Deinde intrabat in locum qui dicitur Sancta, & accipiebat incensum quod imponebat suo thuribulo, suumque thuribulum mox statuebat super altare thymiamatis ubi adolebatur & consumebatur incensum. Quo consumpto, suum thuribulum efferebat extra castra, ibique evacuabat, ac tum ad altare holocaustorum referebat. Quando autem erat magna aliqua solemnitas, plures Sacerdotes accipiebant thuribula, sicque incensum in eis adolebant. Alii tamen probabilius arbitrantur, quòd ignem ex suis thuribulis ponerent super altare sive super ejus craticulam, & thymiama similiter, ut ad versum 3. declaravimus.

[ ℣. 9. *Non offeretis super eo thymiama compositionis alterius, nec oblationem, & victimam, nec libabitis libamina*. ] Postquam dixit quid super hoc altare esset offerendum, nunc explicat quid super eo nolit offerri. q. d. Super hoc altari non offeretis thymiama alterius generis aut compositionis quàm quod infra versu 34. præscribetur; nec etiam ibi offeretis ullam oblationem de rebus aridis, cujusmodi sunt panes azymi, & quæ de clibano vel sartagine fiunt; nec ullam victimam: quo nomine hic omne sacrificium cruentum intelligitur; nec libamen quod fit effusione liquidorum, vini, olei &c. Horum ratio est; primi quidem, quia pertinebat ad Dei reverentiam, ut ipsi solum illud incensum offerretur quod ipse elegerat, quodque extra omnem usum vulgarem esset; cæterorum autem, quia omnia illa pertinebant ad altare holocaustorum. Ratio moralis fuit, partim ad significandum quòd ea tantùm debemus offerre Deo quæ noscuntur esse ipsi grata, partim ad innuendum quòd perfecti per altare thymiamatis figurati; tantæ sublimitatis esse deberent, ut orationi vacantes nihil carnale haberent quod adhuc sit mactandum.

[ ℣. 10

[ ℣. 10. *Et deprecabitur Aaron super cornua ejus semel per annum, in sanguine* ] Alium usum proponit altaris incensi: qui est, ut Aaron seu summus Sacerdos semel per annum, in festo scil. expiationis qui erat decimus dies mensis septimi, hoc altare expiaret (nam pro deprecabitur, ex Hebr. verti potest expiabit, nec tamen in re est diversitas, cum illa expiatio non fieret sine deprecatione) tingens ejus cornua de sanguine.

[ *Quod oblatum est pro peccato*, ] Hæc non referuntur ad sanguinem, sed ad animal subintellectum: perinde ac si diceretur, in sanguine animalis quod oblatum est pro peccato. In festo siquidem expiationis postquam Summus Pontifex expiaverat Sanctum sanctorum cum aspersione sanguinis hostiæ in altari holocaustorum immolatæ, inde regrediebatur ad sancta, & ad altare thymiamatis, atque ibi Deum precabatur pro peccatis suis ac populi, ipsumque altare seu ejus cornua tingebat sanguine ejusdem hostiæ. Et hoc erat expiare seu mundare & purificare altare ab immunditiis populi per totum annum commissis, Deoque reconciliare.

[ *Et placabit super eo in generationibus vestris*. ] Aaron sive alius Summus Pontifex post eum, ita in altari thymiamatis Deum placabit per generationes vestras successivè, toto tempore status vestræ Reipublicæ.

[ *Sanctum sanctorum erit Domino*. ] Istud altare & iste ritus illud expiandi, erit quiddam sanctissimum Deique cultui maximè applicatum.

[ ℣. 11. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:* ] Tam hoc quàm sequenti cap. pluries repetuntur verba ista, absque ulla Moysi interlocutione; ad insinuandum quòd ea quæ hic referuntur à Deo ad Moysen dicta, non fuerunt dicta uno sermone continuo, sed diversis vicibus. Omnia tamen dicta sunt intra illos quadraginta dies, quibus Moyses fuit cum Domino in monte.

[ ℣. 12. *Quando tuleris summam filiorum Israel juxta numerum*, ] Quando vel me jubente, sicut Num. 1. vel alia rationabili causa requirente, ut tributi, aut belli, numerare volueris summam filiorum Israel.

[ *Dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino*, ] Pro pretio, verti potest *expiationem* aut pretium redemptionis, quo nimirum singuli animam seu vitam suam à Deo redimant, ut à plagis eos conservet: unde sequitur.

[ *Et non erit plaga in eis cum fuerint recensiti*. ] Non ergo simpliciter malum erat numerare populum; modò id fieret ex justa causa & bono fine, atque tunc solveretur pretium à Deo taxatum. Neque refert Davidem fuisse reprehensum ac punitum propter numerationem populi 2. Reg. ult. quia eam faciebat ex vana elatione, nec curabat à singulis solvi pretium legis præscriptum.

[ ℣. 13. *Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen*, ] Ad numerum legunt aliqui: sed retinenda est vetus versio nostri interpretis, *ad nomen*, quam etiam habent Liranus & Hugo Victorinus. illi autem dicuntur transire ad nomen, qui in censu populi nominatim computantur.

Quid hic templum. [ *Dimidium sicli juxta mensuram templi*. ] Templum dudum postea fuit ædificatum: sed hic, quemadmodum etiam 1. Reg. 1. & 3. templum generaliter vocatur domus Dei? Tabernaculum autem paulò post hæc dicta constructum à Moyse, revera fuit domus Dei; quamvis mobilis, cum subinde de loco in locum transferretur. Mensura ergo templi eadem est quæ mensura domus Dei; vel mensura Sanctuarii; unde Levit. 27. nominatur siclus sanctuarii.

Abulensis & alii quidam ex his locis opinantur duplicem apud Judæos fuisse siclum, unum mercatorum,

Fueritnè duplex siclus. qui & vulgariter habebatur, & erat minor: Alium sacrum, qui vocabatur siclus sanctuarii, & erat major: Liranus in cap. ult. Levit. putat siclum communem seu civilem fuisse majorem, & siclum sacrum, minorem.

Sed Marzillæ, Lorini, Marii & aliorum sententia videtur esse præferenda, qui unius tantùm generis siclum agnoscunt tam pro sanctuario rebusque ad illud pertinentibus, quàm pro negotiis civilibus.

Nam Ezech. 45. ubi de siclo communi sermo est, perinde dicitur quod habet viginti obolos, sicut hic, & Levit. 27. de siclo sanctuarii. Josephus quoque & B. Hieronymus istius distinctionis minoris & majoris sicli non meminerunt, tametsi de siclo non taceant. Ut ergo intelligatur quis sit siclus juxta mensuram templi & siclus sanctuarii; observandum est ex Ribera in cap. 8. Amos, atque ex aliis Doctoribus; ad hoc ut nullus esset deceptioni vel cupiditati locus, asservatum fuisse in sanctuario siclum justissimi ponderis, ad quem omnes alii sicli erant dimetiendi, quemadmodum apud Romanos in loco publico erat mensura pedis in marmore, velut prima & certissima mensura reliquorum. Et Justinianus Imper. mandavit in sanctissima uniuscujusque civitatis Ecclesia mensuras & pondera custodiri, ut habetur Novella 128. cap. 15. Valentinianus quoque lib. 10. Cod. tit. 70. leges 9. Modios æneos vel lapideos cum sextariis atque ponderibus per mansiones singulasque civitates jussit collocari.

Siclus ergo juxta mensuram templi, est siclus juxta mensuram ejus sicli qui servabatur in templo; similiterque siclus sanctuarii, est siclus omnino correspondens isti siclo qui in sanctuario servabatur, ac per consequens justissimus. Quis siclus sanctuarii.

[ *Siclus viginti obolos habet*. ] Obolo ad rationem nostri stuferi accepto, siclus valebat viginti stuferis, seu ut alii, continebat quatuor drachmas Atticas, quarum singulæ quinque stuferis æquivalebant.

Si dicas 70. Interpretes siclum interpretari didrachmam:

Resp. eos loqui de drachmis Alexandrinis, quarum una complectebatur duas Atticas: & sic didrachma Alexandrinum valebat quatuor aliis drachmis. Siclus ergo qui & stater vocatur, continebat quatuor Regales Hispanicos, seu quatuor Julios Italicos, idest, quatuor partes quinque stuferorum.

[ ℣. 14. *Qui habetur in numero*, ] Explicat quinam sint qui in censu populi debeant pendere dimidium sicli, & dicit quòd omnes, nimirum mares, ut ex Num. 1. patet, qui habentur in numero, sive qui debent numerari.

[ *A viginti* ] Scilicet.

[ *Annis & supra*, ] A viginti annis, quia tunc demum incipiunt idonei esse ad opera quæ viros decent.

Et supra. Quousque hoc sit extendendum, scriptura non exprimit. Josephus, Cajetanus, & quidam alii extendunt ad annum quinquagesimum, ita ut qui eum excederent neque deberent in censu numerari, neque dimidium sicli persolvere. Quia tamen populi numeratio non tantùm fiebat causa belli, sed insuper ad contributionem pro fabrica tabernaculi, & ad aptè disponendas mansiones, & ad ordinem politicum, à quibus non erant excludendi seniores, Ideo satis probabiliter loquuntur Abulensis q. 14. in Numeros, Marzilla, & Lorinus ad cap. 1. ejusdem libri, interpretantes istud, *Et supra*, sine termino, ut proinde numerandi fuerint omnes qui erant supra annum vigesimum, sive essent sexagenarii, sive septuagenarii, octogenarii &c. Confirm. si Deus voluisset præfigere terminum ætatis maximæ, quare non indicasset sicut indicavit terminum ætatis minoris, & sicut Num. 4. de Levitis aliquoties repetitur à triginta annis & supra usque ad annos quinquaginta. Qui deberent numerari.

[ ℣. 15. *Dives non addet ad medium sicli, & pauper nihil minuet*. ] Q. d. Omnes, sive divites sive pauperes, æquale pretium offerent, partim ut ex numero siclorum constare posset numerus populi; partim ut divitibus amputetur occasio superbiendi & despiciendi pauperes; partim ut intelligerent tanti apud Deum esse animam pauperis ac animam divitis: unde & Christus æquali pretio eas redemit. Per dimidium sicli quod decem obolos continebat, rectè intelligitur integritas fidei; denarius enim est numerus integer & perfectus. Is debet æstimari juxta mensuram templi, quia fides nostra debet esse conformis doctrinæ Ecclesiæ & sanctorum Patrum. Est quid dimidium, quoniam etsi proponat totum quod est saluti necessarium, non tamen habet plenitudinem cognitionis, cum ad claram Dei visionem non pertingat. Et in ea nec dives potest aliquid addere, nec pauper aliquid minuere, quia eadem est omnium fides. Allegorica.

[ ℣. 16. *Susceptamque pecuniam, quæ collata est à filiis Israel, trades in usus tabernaculi testimonii*, ] Sive, ad ejus constructionem, velut in numeratione quæ

eam constructionem antecessit, infra cap. 38. v. 25. sive ad sacrificia, ad ligna, & ad alias necessitates, postquam fuit constructum.

[ *Ut sit monimentum eorum coram Domino, & propitietur animabus eorum.* ] Hoc est, ut Deus sit ipsorum memor, eisque sit propitius. Non indiget Deus pecunia Israelitarum ut ipsorum meminerit; sed hominum more loquitur, qui subinde obliviscuntur, & cum vident quidpiam quod ab aliis acceperunt, eorum recordantur.

[ ℣. 17. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:* ] Post interjectum verisimiliter aliquanti temporis spatium à præceptis jam ante expressis.

[ ℣. 18. *Facies & labrum æneum* ] Ex Hebræo alii

Quid labrum.

reddunt concham æris. Fuit scil. magnum vas lavatorium, habens formam conchæ, minus tamen illo quod 3. Reg. 7. describitur factum in templo Salomonis, quodque propter suam vastitatem, vocatur mare æneum. De cujusmodi ære fuerit hoc labrum, cap. 38. locus est dicendi.

[ *Cum basi sua* ] In Hebr. *Et basim ejus æris*. Fuit ergo basis labri de ære, sicut ipsum labrum.

[ *Ponesque illud inter tabernaculum testimonii & altare.* ] Locari debuit istud labrum in atrio, inter altare holocaustorum, & locum qui dicitur Sancta: Nam hic locus nomine tabernaculi designatur; non autem in ipsis sanctis, sive non in ipso tabernaculo, quia Sacerdotes lavare debebant prius quam ingrederentur tabernaculum ad ministrandum.

[ *Et missa aqua,* ] Seu immissa in illud aqua: Nam 70. conformiter textui Hebræo habent, *Et effundes in illud aquam*.

[ ℣. 19. *Lavabunt in ea Aaron & filii ejus* ] In ea, subaudiendum est aqua: Neque legendum est in eo, scil. labro; fœdassent enim Sacerdotes labrum, si in eo manus & pedes lavissent. Septuaginta tamen & alii quidam vertunt, ex eo nimirum labro. Juxta quam

Unde sacerdotes laverent.

versionem lavare ex labro, est lavare ex aqua labri, sive ex aqua defluente ex labro, sicut bibere ex dolio vini, est bibere de vino quod ex dolio depromptum est. Per fistulas enim quæ aperiri & claudi poterant, ex labro defluebant aquæ, in quibus & Sacerdotes, & victimarum immolatitiarum partes ablui poterant.

Sacerdotes nudis pedibus ministrabant.

[ *Manus suas ac pedes,* ] Hinc probabile est Sacerdotes Judæos nudis pedibus sacra sua peregisse, ad reverentiam; quorsum enim alioquin tam frequens lotio pedum, si mox rursum induissent calceos, quibus non minus maculassent tabernaculum post lotionem pedum, quàm ante. Conferantur quæ ad cap. 3. diximus. Fuit autem hæc lotio externa, monitio realis de curanda lotione interiori quoties ad sacra acceditur. Unde & in primitiva Ecclesia solere olim esse fontes aut vasa aquæ præ foribus templi, ad purificationem, testatum reliquit Eusebius lib. 10. historiæ cap. 4. Desiit tamen iste usus, & ejus loco remansit vas aquæ benedictæ positum in ingressu Ecclesiæ, ad expiationem levium delictorum. Quare autem in istis partibus jubeantur lavari Sacerdotes Judæorum, ratio moralis esse potest, ut intelligerent se debere esse mundos in operatione quæ per manus designatur; & in affectionibus quæ pedum nomine notantur.

[ ℣. 20. *Quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii,* ] Sive ad panes è mensa propositionis sabbato tollendos aliosque reponendos, sive ad lucernas quotidie purgandas & instruendas.

[ *Et quando accessuri sunt ad altare,* ] Scil. thymiamatis; hoc enim indicat quod sequitur.

[ *Ut offerant in eo thymiama Domino,* ] Ex quo innuitur id quod supra dicebatur, non solùm Sacerdotem summum, sed etiam Sacerdotes minores incendisse thymiama super altare incensi. Si autem lavare oportebat accessurum ad altare thymiamatis, majori ratione, quando summus Sacerdos ingressurus erat Sancta sanctorum, quod etiam Levit. 16. indicatur.

[ ℣. 21. *N. fortè moriantur,* ] Me propter eorum inobedientiam ipsos percutiente. Neque in Hebr. neque apud 70. reperitur vocula, *fortè*. Idem autem valere potest, quod *utique*, secundùm ea quæ diximus Genes. 3.

[ *Legitimum sempiternum erit ipsi, & semini ejus per successiones.* ] Ista lotio manuum ac pedum cum ministrare debent, erit Aaroni & filiis ejus lex perpetuò observanda, etiam ab illorum successoribus. Hoc labro quidam intelligunt significari baptismum: sed Allegoricè.
quia ex labro quotidie lavari debebant Sacerdotes, baptismus autem non repetitur, convenientior est aliorum interpretatio, qui per labrum intelligunt pœnitentiam & compunctionem, cujus basis ænea est fides firma.

[ ℣. 22. *Locutusque est Dominus ad Moysen,* ] Præscribere volens compositionem olei unctionis.

[ ℣. 23. *Sume tibi aromata,* In Hebr. nunc legitur *aromata capitis*, idest, prima seu præstantissima. Septuaginta interpretes, ut & Aquila, nostræ versioni vulgatæ consentiunt.

[ *Prima myrrha & electa* ] Sive nobilissimæ & optimæ. Myrrha est nomen arboris aromaticæ, ex qua profluit duplex gutta vel succus: Prima sponte, ideo- Quid myrrha.
que vocatur subinde libera, & dicitur flos myrrhæ, quem S. Hieronymus epistola 104. ad Principiam, dicit esse stacten: Altera, succo nativo penè exhausto elicitur per incisionem corticis. Illa est præstantior, hæc vilior, ut videre est apud Isidor. lib. 17. origin. cap. 8. Liran. Abulens. & alios.

[ *Quingentos siclos,* ] Siclus erat moneta: sed quoniam certi ponderis esse debebat, utpote quatuor drachmarum Atticarum, interdum accipitur pro pondere, ut hic, & Levit. ult. v. 25.

[ *Et cinnamomi medium,* ] Cinnamomum est cortex Quid cinnamomum.
fruticis aromatici, de quo scriptores non conveniunt an sit canella, ut vulgò vocatur, an quidpiam præstantius, & quid illud. Isidorus scribit in Indiæ & Æthiopiæ regionibus reperiri.

[ *Calami similiter* ] Sermo est de calamo aromatico, qui nascitur instar cannæ seu arundinis, & modò non satis scitur quid propriè sit.

[ ℣. 24. *Casiæ autem* ] Hieronymus in dicta epistola censet casiam esse eam quæ fistula cassia dicitur, eò quòd fistularum speciem referat; putaturque esse id quod canellam vocamus. Isidorus ait esse virgam robusti corticis & purpureis foliis, ut piperis, esse autem virtutis cinnamomo similis, inferioris tamen.

[ *Quingentos siclos in pondere Sanctuarii,* ] Hoc est, ponderis justissimi, ita scil. ut quilibet istorum siclorum sit tanti ponderis, quanti erat siclus qui servabatur in Sanctuario, tamquam regula cui respondere deberent omnium aliorum siclorum pondera.

[ *Olei de olivetis* ] Quo cætera macerarentur & colliquescerent.

[ *Mensuram hin:* De ista mensura diximus cap. 29. vers. 40.

[ ℣. 25. *Faciesque unctionis oleum Sanctum,* ] Ex omnibus prædictis aromatibus oleo solutis, facies oleum unctioni deputatum, & ad Sancta ordinatum.

[ *Unguentum compositum opere unguentarii,* ] Quod erit unguentum ex omnium illorum commixtione compositum, prout periti unguentarii solent facere.

[ ℣. 26. *Et unges ex eo tabernaculum testimonii, & arcam testamenti,* ] Ut in majori reverentia habeantur. Non erant ungenda per totum, sed in quibusdam locis, veluti in angulis per digitum in oleo, intinctum sicuti de Aaron & filiis ejus qui hic ungi jubentur, ex sup. cap. liquet quòd non essent per totum corpus ungendi.

[ ℣. 27. *Altaria thymiamatis,* 28. *& holocausti,* ] Ne quis hinc arbitretur plura fuisse altaria thymiamatis, & plura altaria holocausti: sic præsens locus est explicandus, ut significetur ungenda esse altaria, quæ sunt unum thymiamatis, alterum holocausti. Unde tam 70. & Vatablus, quàm alii quidam ex Hebr. sic reddunt & *altare incensi & altare holocausti*.

[ *Et universam supellectilem quæ ad cultum eorum pertinet.* ] Idest, universa utensilia quæ pertinent ad usum & ministerium illorum: cujusmodi sunt phialæ, scyphi, acetabula, thuribula quæ adhibebantur ad usum mensæ propositionis & altaris incensi; Item lebetes, forcipes, ignium receptacula, quorum usus erat ad altare holocausti, ut patet ex cap. 25. & 27.

[ ℣. 29. *Sanctificabisque omnia,* ] Per istam unctionem deputabis ea omnia ad cultum divinum, & sic à profanis usibus segregabis.

[ *Et*

[ *Et erunt Sancta sanctorum:* ] Hoc est, Sanctissima seu valde sancta.

[ *Qui tetigerit ea, sanctificabitur.* ] Pro, sanctificetur. Præceptum enim est, ut qui voluerit seu debuerit ea tangere, mundetur prius quam ea tangat. Juxta illud Isa. 52. *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Neque stare potest alia quorumdam expositio, quòd omnes qui vasa illa tangerent, ex eorum tactu sanctificarentur; cum Oza non fuerit sanctificatus tangendo arcam 2. Reg. 6. neque gentiles aut alii immundi fuissent mundati, si eamdem tetigissent. Conferri possunt quæ Abulensis hic scribit.

[ ℣. 30. *Aaron & filios ejus unges,* ] Prædicto scil. oleo unctionis; differenter tamen: Nam Aaron ungendus erat in capite & manibus; filii autem tantùm in manibus, ut cap. 29. diximus ad versum 7.

[ *Sanctificabisque eos,* ] Et sic illos consecrabis.

[ ℣. 31. *Filiis quoque Israel dices: Hoc oleum unctionis Sanctum erit mihi in generationes vestras.* ] Cultui meo deputatum erit istud oleum, quamdiu Respublica vestra durabit, ita ut ad usus vestros non sit applicandum.

[ ℣. 32. *Caro hominis non ungetur ex eo,* ] Nulla caro hominis ungetur hoc oleo, neque ullo alio quod simili compositione factum fuerit. Et hoc præceptum omnes omninò Israelitas, etiam Sacerdotes & Pontifices comprehendit: Nam his quoque illicitum erat isto sacro oleo ad profanos usus uti.

Non licebat eo oleo uti ad communes usus.

[ *Et juxta compositionem ejus non facietis aliud,* ] Non solum non accipietis hoc oleum ad usus vestros, sed volo ut ne quidem illud faciatis. Non prohibet vel unguentum vel unctiones de aliis materiis facere, sed solum jubet ne faciant similiter compositum, idque ad eorum usus: Ad ungendos autem Sacerdotes, & ad sacros usus jam specificatos, si oleum semel compositum deficeret; non erat illicitum facere aliud simile.

[ *Quia sanctificatum est,* ] Divino scil. cultui deputatum, ideoque non debet communibus aut profanis usibus applicari.

[ *Et sanctum erit vobis.* ] Apud vos reputabitur sanctum, & ab omni profano usu segregatum.

Quæri potest, an Reges non fuerint isto sacro oleo inaugurati & inuncti.

Resp. vix dubium esse, quin aliqui fuerint eo inuncti: Dicit enim Deus Psalm. 88. *Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum:* Et 3. Reg. 1. legimus quòd Sadoc sumpsit cornu olei de tabernaculo, & unxerunt Salomonem: Non videtur autem apud Judæos aliud fuisse oleum sanctum & in tabernaculo reservatum, præter illud quod hìc præscribitur. Neque tamen contra præsentem legem fuit peccatum: partim quia ex peculiari jussu aut voluntate Dei sic factum est, quemadmodum haberi potest ex 1. Reg. 10. & 15. ubi Samuel ad Saulem loquitur, *Me misit Dominus ut ungerem te Regem:* Et ex cap. 16. ubi pro Davide ungendo Deus dicit, *Imple cornu tuum oleo*, sancto nimirum, de quo jam dictum Psalm. 88. partim quia inaugurare Reges istius olei unctione, non erat uti isto oleo ad usus omninò profanos, cum eo pacto Reges quodammodo sanctificarentur, idest, ad divinum ministerium deputarentur, ad regendum scil. Dei populum: Præter hanc verò unctionem non magis poterant Reges eodem oleo ad suos vel ad profanos usus uti, quàm quivis alius.

Aliqui Reges eo oleo fuerunt inuncti.

Quæritur præterea, quid si gentilis quispiam, præsertim Dei veri & hujus legis per eum datæ notitiam habens fecisset similem unguenti compositionem, aut unguento similiter composito usus fuisset in domesticis vel in aliis usibus profanis, an peccasset. Responsio neg. tenenda est: quoniam sicut aliæ leges positivæ veteris testamenti, ita hæc solos Judæos obligabat, & eos qui voluntariè se subjiciebant legi Judaicæ. Unde id quod sequitur:

[ ℣. 33. *Homo quicumque tale composuerit, & dederit ex eo, alieno, exterminabitur de populo suo.* ] Tantùm comprehendit Judæos, & eos gentiles qui essent ad Judaismum conversi. Copulativa, *&*, disjunctivè sumitur pro, *vel*; Reus enim mortis pronunciatur, non solum qui tale unguentum composuerit, illudque dederit alieno; sed generaliter is qui vel illud composuerit, vel ex eo aliquid dederit alieno. Per alienum autem intelligitur is qui non esset Sacerdos seu generis Sacerdotalis. Et cum dicitur, *Exterminabitur de populo suo*, perinde est ac morte punietur; idque vel per sententiam judicis aut principis si legitimè illi constiterit de crimine, vel Deo vindictam sumente. Intelligi potest per hoc unguentum, figuratum fuisse sanctum chrisma quo fideles Ecclesiæ in quibus Deus habitat, inunguntur.



[ ℣. 34. *Dixitque Dominus ad Moysen:* ] Eum instruere volens de confectione thymiamatis, ad quotidianum ministerium necessarii, & in altare incensi offerendi.

[ *Sume tibi aromata,* ] Seu materias boni odoris: quænam autem illæ sint, ita exprimit.

[ *Stacten & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidissimum,* ] Stactes est flos seu primus succus myrrhæ, supra versu 33. Onychen esse gemmam ex Gen. 2. habemus: Sed est præterea conchilii aut piscis genus quod eodem nomine vocatur, ut propterea Glossa, scholastica historia, Liranus, & Dionysius onycham dicant esse parvam ostream suave redolentem, magnitudine unguis humani. Et de ea hic sermo est. Galbanum juxta eosdem, quos sequitur Abulensis, est succus herbæ aromaticæ quæ ferula dicitur. Et laudatur illud quod pingue est ac cartilaginosum; cumque induruerit, teritur in pulverem. Additur boni odoris: quia aliquod galbanum est, quod vel propter antiquitatem vel ex alia causa non benè olet. Thus lucidissimum dicitur illud quod omnino est purum, nihil habens admixtum quo possit obscurari.

Pro thymiamatis confectione.

[ *Æqualis ponderis erunt omnia.* ] Ista scil. quatuor ad thymiamatis confectionem ordinata. In unguento sive oleo unctionis, de quo superius dictum est, non omnia ponebantur æqualis ponderis, quia debebat esse humidum & molle, ideoque plus de humidis ponendum erat quàm de siccis; thymiama verò debebat esse durum quod posset in pulverem contundi, & propterea cum in ejus compositione ponerentur multa sicca & pauca humida, satis fuit quòd omnia essent æqualia, quia tunc sicca superexcedebant.

[ ℣. 35. *Faciesque thymiama compositum opere unguentarii,* ] Non quia thymiama sit unguentum sed quia ad idem officium pertinet, & unguentum & thymiamatis compositionem facere, ut notat Liranus.

[ *Mixtum diligenter,* ] Hoc additur, ad cavendum vel ne plus de uno dictorum quatuor ponatur quàm de aliis; vel ne mixtio imperfectè aut perfunctoriè fiat.

[ *Et purum,* ] Quomodo purum, si mixtum? Resp. quia purum non hic idem valet quòd simplex, sed quòd mundum & sincerum, nullam habens immunditiam admistam.

[ *Et sanctificatione dignissimum.* ] Planè dignum quod sanctificetur, idest, offeratur Deo ac in ejus cultum applicetur.

[ ℣. 36. *Cumque in tenuissimum pulverem universa contuderis,* ] Quæ contusio propterea præscribitur, tum ut perfecta mixtio posset fieri, tum ut thymiama esset magis odoriferum dum omnia simul incenderentur, & non unum ab una parte, aliud ab altera.

[ *Pones ex eo* ] Pones non est idem quod offeres vel adolebis; sed perinde est, ac statues vel collocabis, ut sit paratum Sacerdotibus quotidie ingredientibus ad altare incensi ut illud Deo adoleant.

[ *Coram tabernaculo testimonii,* ] Idest, coram ea tabernaculi parte, quæ dicitur Sancta Sanctorum; & quæ specialiter vocatur tabernaculum testimonii, eò quòd in ea asservaretur testimonium seu Decalogus. Thymiama igitur reponebatur in priori parte tabernaculi, hoc est, in loco qui dicitur Sancta, juxta altare thymiamatis, ante Sancta Sanctorum.

[ *In quo loco apparebo tibi.* ] In ipso scil. tabernaculo, sive in loco qui Sancta Sanctorum vocabatur.

[ *Sanctum Sanctorum erit vobis thymiama.* ] Erit sacrosanctum seu sanctissimum, ita ut ad nullos alios usus possit usurpari.

[ ℣. 37. *Talem compositionem* ] Thymiamatis scil.

[ *Non facietis in usus vestros, quia Sanctum est Domino.* ] Quia Deo est deputatum, Deique tantùm usibus applicandum.

[ ℣. 38. *Homo quicumque fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis suis.* ] Vel judice, vel Deo pœnam mortis inferente. Tam severæ prohibitionis catio est, ne res sacræ profanarentur, & ita vilescerent.

Moralia. Moraliter thymiama compositum facimus, quando virtutum multiplicitate redolemus. Quod mixtum & purum est, quia quia quantò magis virtus virtuti jungitur, tantò sincerius incensum boni operis Deo exhibetur, In tenuissimum pulverem atomata nostra tundimus, cum bona nostra sic discutimus, ut usque ad subtilitatem occulti examinis ea revocemus.

## C A P U T XXXI.

*Deputantur à Deo Beseleel & Ooliab ad constructionem tabernaculi. Sabbati observatio inculcatur. Et Deus dat Moysi tabulas legi lapideas.*

[ ℣. 1. L*ocutusque est Dominus ad Moysen*, ] Verisimile est quòd cum Deus intra dies quadraginta, quibus cum eo fuit Moyses in monte Sinai, præcedentia ei revelasset per diversa intervalla; facto etiam nunc aliquo intervallo, ipsum animare voluerit & tacitæ quæstioni quam proponere potuisset, respondere. Poterat quippe Moyses dicere, Domine jubes tam multa & tam multifariè fieri, qui erunt artifices ad ista idonei? Respondet autem Deus.

[ ℣. 2. *Ecce vocavi ex nomine* ] Nominatim designavi, & ad istud opus elegi.

Quis iste Hur. [ *Beseleel filium Uri filii Hur* ] Ex quibus verbis liquet istum Beseleel fuisse nepotem Hur: cum autem intelligimus Hur, de quo sermo fuit cap. 17. & cap. 24. & qui inde probari potest fuisse vir honorabilis, & dignitate proximus Aaroni. Huic loco similis est alius 1. Paralip. 2. ubi legimus, quòd *Hur genuit Uri, & Uri genuit Bazaleel*. Quoniam verò ibidem dicitur, quòd Hur sit filius Caleb, observandum est non ibi esse sermonem de isto Caleb qui Numer. 13. narratur fuisse missus cum Josue & aliis ad explorandam terram, sed de omnino diverso, qui erat filius Hesron, enim explorator semper dicatur filius Jesphune. Confirmatur: Caleb filii Jephone genealogia texitur 1. Paralip. 4. prorsus alia à genealogia Caleb filii Hesron: ergo sunt diversi. Præterea, ex Josue 14. constat Caleb filium Jephone quadraginta solùm annorum fuisse, quando Moyses illum misit explorare terram, non ergo poterat hoc tempore ante fabricationem tabernaculi, habere pronepotem cui tanta fabrica committeretur.

[ ℣. 3. *Et implevi eum spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere*, ] Cum dicit, *implevi eum spiritu Dei*, juxta phrasim Hebræam idem est, ac implevi eum spiritu meo: De se enim loquitur Deus velut de aliquo tertio. Quis porrò spiritus Dei intelligatur, ea quæ mox sequuntur explicant. Et nimirum sapientia, intelligentia, & scientia in omni opere fabrili, quam Deus inspiravit Beseleel.

[ ℣. 4. *Ad excogitandum* ] In Hebr. *ad cogitandum cogitationes, ad faciendum*, consentiuntque 70. Quæ ideo notanda sunt, ne quis existimet Beseleel fuisse divino spiritu impletum ad excogitandum dumtaxat, & non ad fabricandum. Duo quippe requiruntur ad sapientem artificem. Unum est, adinvenire ea quæ sunt facienda: Alterum, scire illa facere: & utrumque dedit Deus Beseleel; unde cap. 35. utrumque etiam in textu nostro jungitur, *ad excogitandum & faciendum*.

[ *Quidquid fabrefieri potest ex auro, & argento, & ære*, ]

[ ℣. 5. *Marmore, & gemmis, & diversitate lignorum*. ] Marmor non exprimitur in Hebr. neque in structura tabernaculi legitur aliquid factum de marmore; probabile tamen est aliquando ibi fuisse, & ad hoc positum: quia Deus non solùm dedit Beseleel habitum artis quantum ad ea quæ fieri debebant, sed etiam quantum ad alia, quæ nosse ad perfectos artifices pertinet. Unde quamvis non alia ligna quàm setim fuerint in tabernaculum impensa, Deus tamen dedit Beseleel scientiam operandi in omni ligno: Hoc enim est quod sequitur. *Et diversitate lignorum*.

[ ℣. 6. *Dedique ei socium Ooliab* ] Beseleel fuit electus ad construendum tabernaculum tamquam princeps totius artificii & constructionis tabernaculi; reliqui autem sub ejus præcepto & directione operabantur; inter quos nominatim ponitur Ooliab velut socius & fermè æqualis Beseleel, cæteri verò tamquam minores non exprimuntur nominatim.

[ *Et in corde omnis eruditi posui sapientiam*: ] Cor pro mente seu intellectu ponitur: & sensus est, quòd artificibus peritis Deus suppleverit quod eis deerat, majoremque scientiam ipsis inspiraverit ac dederit, quàm ante haberent. Intelligi hinc potest artes omnes etiam fabriles esse à Deo, à quo proinde petere illas oportet, ac in ejus honorem impendere.

Per Beseleel, Ooliab & reliquos tabernaculi fabricatores præfigurati sunt Apostoli Apostolicique viri, qui post Christum, ejus Ecclesiam erant fabricaturi: Et Beseleel quidem potest præfigurasse Petrum. Beseleel enim interpretatur umbra Dei. De Petro autem habemus Act. 5. quòd ad umbram ipsius sanabantur infirmi. Ooliab verò qui idem est quod habitatio mea pater, Paulum qui ad Philip. 3. dicit, *Nostra conversatio in cælis est*. Allegorica.

[ ℣. 7. *Tabernaculum fœderis, & arcam testimonii, & propitiatorium, quod super eam est*, ] Seu esse debet: Cum enim Deus hæc diceret, propitiatorium necdum poterat esse super arcam, quia demum postea fuit factum, sicut etiam ipsa arca.

[ ℣. 13. *Videte ut sabbatum meum custodiatis*: ] Repetit Deus præceptum de observatione sabbati, & quidem quatuor diversis sententiis; partim ne Israelitæ, cum tota tabernaculi rerumque ad illud pertinentium constructio esset ad cultum Dei, putarent quòd ea posset fieri die sabbati: partim; quia volebat ut illius diei observandi valdè magnam curam haberent. Repetitur præceptum de sabbati custodia.

[ *Quia signum est inter me & vos in generationibus vestris*: ] Sive, quia custodia sabbati est signum quòd vos vestrique posteri usque in multas generationes estis meus populus, & ego vester Deus, utpote qui in cultum & obedientiam mei observetis diem septimum, quem ego ut observetur præcepi, ita protestantes quòd sim creator omnium quæ sex diebus facta sunt, quòdque requievi die septimo ab omnibus operibus meis.

[ *Ut sciatis, quia ego Dominus qui sanctifico vos*. ] Qui vos ab aliis nationibus segrego, & ad mei cultum dedico.

[ ℣. 14. *Custodite sabbatum meum*. ] Sabbatum vocat suum, etiamsi & omnes dies & omnes aliæ res sint ejus; tum quia die septimo ejus cultui erat peculiariter vacandum; tum quia sabbati quies Deo erat dicata.

[ *Sanctum est enim vobis*: ] Q. d. Sabbatum est vobis festum valdè solemne & sanctum.

[ *Qui polluerit illud*, ] Pollui dicitur sabbatum, quando violatur, faciendo quidpiam quod vetitum est fieri tunc.

[ *Morte morietur*: ] Procul dubio plectetur morte, vel per sententiam judicis, si crimen ei constet; vel Deo mortem ipsi inferente, etiam dum minimè putabit. Neque his contrarium est quòd cum postea invenissent hominem colligentem ligna in die sabbati, dicitur Num. 15. quòd *nesciebant quid super eo facere deberent*: Hoc enim dicitur non quia ignorarent violatorem sabbati, esse juxta legem, morte plectendum: sed partim quia non sciebant genus mortis, cum lex nihil de eo determinasset, partim quia ambigebant an istius hominis peccatum non esset leve ideoque venia dignum, aut propter ejus paupertatem, aut propter materiæ parvitatem. Tacita obj. solvitur.

[ ℣. 16. *Pactum est sempiternum* ℣. 17. *inter me & filios Israel*, ] Sabbatum seu sabbati custodia est para pacti inter Deum & filios Israel initi, semperque observandi quamdiu Respublica eorum, statusque veteris testamenti durabit.

[ *Signumque perpetuum*, ] Quo manifestissimè secernentur ab aliis populis. Nam præter Judæos nulli populi diem septimum coluerunt, si excipias eos qui ab ipsis ritum eum didicerunt: Undè tandem factum est

ut

ut Judæus à diei septimæ cultu vocaretur vir septimus, juxta illud poetæ.

*Terra Palæstina septimo culta viro*, volentis significare quòd Palæstina fuerit culta seu habitata & exculta à viro septimo, id est, à Judæis qui septimum diem colebant.

[ ℣. 18. *Deditque Dominus Moysi, completis hujuscemodi sermonibus in monte Sinai*,] Postquam sua præcepta multa & varia ei dixerat in monte, ac per consequens die quadragesimo, prius quàm Moyses è monte descenderet.

[*Duas tabulas testimonii*] In quibus continebantur decem præcepta Decalogi, quæ erant testimonium quòd Deus esset Israelitarum Deus, quòdque ab eis tamquam à suo populo requireret obedientiam, eorumque observantiam:

[*Lapideas*,] Ad significandum istius legis firmitatem & stabilitatem, & quòd numquam foret mutanda. Variant doctores quomodo in his tabulis fuerint decem præcepta Decalogi: utrùm quinque in una, & quinque in altera; an quatuor in prima, & sex in secunda. Sed verisimiliorem esse B. Augustini sententiam, in una ponentis tria præcepta ad Deum pertinentia; in altera septem pertinentia ad proximum, tradit S. Thom. 1. 2. quæst. 100. art. 4. Ubi & nos plura diximus in eamdem rem.

[ *Scriptas digito Dei*, ] Id est, suo. Quia nos digito scribimus ideo scriptura humano captui se accomodans, id quod Deus Angeli ipsum repræsentantis opera exaravit, digito suo scripsisse dicitur.

## CAPUT XXXII.

*Moyse moram trahente, populus murmurat, vitulum conflat & adorat. Moyses de monte descendens frangit tabulas, vitulum comburit, & Idololatras occidi jubet, & orat pro populo.*

[ ℣. 1. *Videns autem populus quòd moram faceret descendendi de monte Moyses*, ] Ut non sciebat Moyses quamdiu eum Deus à populo segregatum teneret; ita nullum sui reditus terminum ei præfixit, sed is moræ impatiens, cum existimasset Moysen brevi rediturum & lapsis jam triginta plus minus diebus videret eum non redire.

[*Congregatus adversùs Aaron dixit:* ] Verisimile est post plurium dierum Moysi absentiam, cum nec eum nec ejus famulum viderent descendere & manna colligere, neque umquam audivissent aliquem hominem posse tam diu vivere fine cibo, sæpiusculè de ipso collocutos fuisse Israelitas, ac de ipsius tam longa absentia murmurasse, donec tandem multitudine vehementer crescente, populus adversùs Aaron tumultuariè congregatus clamare cepit:

[ *Surge, fac nobis deos*, ] Verti etiam potest, fac nobis Deum; quoniam licèt Elohim sit plurale, frequenter usurpatur pro singulari, sicut Gen. 1. habemus, *creavit Deus*, quamvis Hebr. pro Deus legatur Elohim. Neque populi intentio alia fuisse videtur quàm petere fieri aliquem Deum: Nam Aaron ipsorum petitioni satisfacere volens, unum tantùm fecit vitulum. Erat autem ista petitio plena insipientiæ: Si enim petebant Deum, quomodo poterat fieri ab Aarone; aut si fieri poterat, quomodo Deus erat is qui faciendus erat, & non erat Deus qui eum faciebat.

[ *Qui nos præcedant:* ] Habebant columnam ducem viæ: sed quia toto tempore quo Moyses morabatur in monte, ipsa manebat immota, & eos tædebat tam diuturnæ mansionis in eodem loco idcirco requirunt alium ducem qui viam eis demonstret eundo ante illos; non advertentes Deum noviter formatum neque itinera scire, neque ducatum posse præbere.

[ *Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.* ] Contemptibiliter loquuntur de Moyse tamquam de homine ignoto, nihili æstimantes maxima plurimaque beneficia quæ per ejus ministerium Deus ipsis contulerat. Tanta est hominum ingratitudo. Fabulator Rabbi Salomon diabolum turbasse aerem, ac Hebræis ostendisse feretrum Moysi in aere dicendo ipsum esse mortuum, ut ita ipsis persuaderet eum non esse rediturum: sed fabulatur tantum, ac scripturæ contradicit: Cùm enim ipsa asserat quòd Hebræi dixerint se ignorare quid Moysi acciderit, satis significat eos nihil scivisse de ejus morte.

[ ℣. 2. *Dixitque ad eos Aaron: Tollite inaures aureas, &c.* ] Aliud aurum petere poterat Aaron, potius tamen inaures uxorum, filiorumque & filiarum ipsarum aureas petiit, quas ægerrimè solent mulieres dimittere, ut conaretur populum à stulto proposito avertere juxta B. August. quæst. 141. in Exod. sed vicit improbitas & hominum aliàs maximè avarorum effusa prodigalitas. Quos non pauci Christiani sequuntur tenacissimi, dum pro Ecclesia vel pauperibus aliquid est conferendum; pro fulsautem mundanitatibus profusissimi.

[ ℣. 4. *Quas cùm ille accepisset, formavit opere fusorio;* ] Formari curavit, pro opere fusorio Hebræa & 70. habent, *in stylo*, scilicet sculptorio: quæ verba licèt noster Interpres non expresserit, implicitè tamen significavit; quæ enim opere fusorio formantur, styli aut alicujus similis instrumenti opera purgari & conformari debent.

[ *Et fecit ex eis vitulum conflatilem.* ] Postquam Aaron inaures à populo accepit, ejus jussu factus fuit vitulus; sed ita ut artifex primum ex luto vel argilla fecerit formam vituli, in ea stylo suo efformans, oculos, aures, os, & alia membra: Deinde in formam ita compositam infudit aurum inaurium liquefactum, sicque vitulus fuit expressus, quem statim stylo purgavit & polivit. Conflatilem ergo scriptura vocat eum vitulum quia non fuit factus per auri productionem vel extensionem malleolis fieri solitam, sed per totius auri conflationem & fusionem. Potius vituli quàm alicujus alterius idoli figura fuit facta, ut haberent similitudinem apis qui in bove colebatur ab Ægyptiis, quemque etiam aliqui eorum in Ægypto coluerant. Sunt qui existimant caput dumtaxat vituli fuisse efformatum: Sed cum scriptura semper vitulum vocet; nec à propria vocum significatione sit recedendum sine causa justissima, cumque Ægyptiis apis esset bos integer, quem colebant, magis placet quòd aliis dicunt efformatum fuisse integrum vitulum. Cujus porrò sexus fuerit, incertum est, quoniam etsi vox vituli sit masculina, comprehendit tamen vitulam: Unde vituli Jeroboam 3. Reg. 12. quos non dubium est factos fuisse ad imitationem hujus vituli, uti & ad imitationem apis Ægypti; unde Jeroboam recens redibat, vitulæ vocantur ibidem apud 70. & in textu nostro Oseæ 12. vaccæ, in textu Hebræo vitulæ. Vitulus quomodo factus.

[ *Dixeruntque: Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de Terra Ægypti:* ] Sic loquuntur in plurali, licèt unum tantùm esset idolum, sive propter reverentiam idoli, sive potius ex consuetudine Idololatrarum: Aut numerum pluralem pro singulari posuerunt unde v. Esdræ 9. ita dicitur legimus, *Iste est Deus tuus qui eduxit te de Ægypto*. Eo stupendam hominum stoliditatem. Idolo recens formato quod tum vita tum sensu carebat, beneficia omnem vim naturæ creatæ superantia, ipsoque illo idolo anteriora palàm attribuunt.

[ ℣. 5. *Quod cùm vidisset Aaron*, ] Populum ita congratulantem & vitulo conclamantem.

[ *Ædificavit altare coram eo*, ] Vitulo nimirum seu vituli simulachro, ad sacrificia illi offerenda.

[ *Et præconis voce clamavit, dicens: Cras solemnitas Domini est.* ] In Hebr. pro Domini, est nomen, Jehova incommunicabile, solique vero Deo proprium.

Circa hæc Quæritur 1. Utrùm Aaron in isto facto peccaverit. Fuit enim quidam qui eum à peccato excusare conatus est in opere, quod, Aaron purgatus, inscripsit. Resp. non posse salva scripturæ veritate aliter dici, quàm quòd Aaron graviter peccavit. Ipse enim est qui vitulum conflatilem formari jussit: Ipse qui aureo vitulo altare erexit: Ipse, qui solemnitatem Aaron graviter peccavit.

tem ei instituit ac publicavit; & quidem non attribuens nomen Elohim, sicut populus, sed nomen tetragrammaton Jehova, quod est incommunicabile: Unde infra Moyses eum reprehendit quòd super populum induxerit peccatum maximum? Et Deut. 9. dicit quòd Deus adversùm Aaron vehementer iratus, voluit eum conterere, utique propter vitulum fabricatum, de illo quippe ibi sermo est. Neque his obstat quòd Sap. 18. Aaron vocetur homo sine querela: Hoc enim non tribuitur Aaroni, facto respectu ad Deum, quasi Deus nihil haberet ob quod justè conqueri posset de Aaron; sed facta comparatione ad materiam de qua Sapiens ibi agit, id est, ad homines summi sacerdotii espetitores; Aaron enim extra omnem justæ querelæ occasionem erat, cum ad Sacerdotium evectus esset, non sua aut fratris voluntate, sed Dei vocatione. Permisit autem Deus hunc turpem lapsum Aaronis, ac eo non obstante, ad summum Pontificatum eum evexit, ut ipse deinceps disceret hominum infirmitatibus compati, ac pro illis deprecari.

Non omnes defecerunt.

Quæritur 2. quare hinc non sequitur Ecclesiam posse cum suo capite deficere à fide, sicut hic defecit Aaron cum toto populo. *Resp.* non defecisse hic caput synagogæ qui erat Moyses: Neque totum populum; non enim Josue, qui in monte erat, neque illi multi Levitæ, qui cum audissent Moysen dicentem: *Si quis est Domini, jungatur mihi*, ipsi se adjunxerunt & Idololatras occiderunt; de quibus etiam Deut. 32. dicitur: *Hi custodierunt eloquium tuum & pactum tuum servaverunt*. Deinde, Aaron necdum erat eo tempore Pontifex creatus, sed postea demum fuit constitutus; neque existimavit Idolum esse Deum, sed juxta falsam Idololatrarum opinionem locutus est, ex metu se illis conformans.

Non verum quod Judæi Deum verò adoraverint in vitulo.

Quæritur 3. Verumne sit quod Calvinus conatur persuadere; Judæos in vitulo non vitulum adorasse, sed Deum verum *Resp.* non esse verum; sed est sacræ scripturæ manifestè repugnans, & dixisse, *Isti sunt dii tui Israel*. Ex Psalm. etiam 105. constat quòd *adoraverunt sculptile & mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fænum, & obliti sunt Deum qui salvavit eos*. Si obliti sunt Deum, non ergo coluerunt Deum. Et si mutaverunt gloriam suam, etiam mutaverunt Deum suum; Hæc enim erat gloria ipsorum quòd reliquis gentibus Idola colentibus, ipsi verum Deum colerent, rejectis omnibus Idolis. Itaque si gloriam hanc mutaverunt, & quidem in similitudinem vituli comedentis fænum; consequens est quòd eam similitudinem ut Deum coluerint, & non Deum verum in ista similitudine. Unde Act. 7. B. Stephanus dicit quòd *obtulerunt hostiam simulachro*: & Apostolus 1. ad Corinth. 10. disertissimè vocat eos Idololatras. Conferri possunt quæ diximus 3. p. quæst. 25. art. 3. quæs. 1.

[ ℣. 6. *Surgentesque manè*, ] Per quod indicatur magnus eorum fervor ad Idololatriam.

[ *Obtulerunt holocausta, & hostias pacificas*; ] Isti scil. Idolo recens formato. Per quos Sacerdotes ista obtulerint, non dicitur. Verisimile est quòd vel per patresfamilias, vel per eorum primogenitos, quia Sacerdotium necdum erat in tribu Levitica stabilitum; ideòque illis Sacerdotibus usi sunt, quibus in lege naturæ solebant uti. Propterea verò obtulerunt holocausta, ut Deo quem putabant, cultum exhiberent; Et pacifica, ut ab eo prosperum iter peterent. Hostiam pro peccato non dicuntur obtulisse, quia non agnoscebant se aliquid peccasse contra istum suum Deum.

[ *Et sedit populus manducare, & bibere*, ] De hostiis scilicet & libaminibus Idolo immolatis, ut ejus festum ac solemnitatem communi epulo celebrarent.

[ *Et surrexerunt ludere*. ] Cantando, saltando, choros agendo ad Idoli sui cultum & solemnitatem, ut ex vers. 18. & 19. patet.

[ ℣. 7. *Locutus est autem Dominus ad Moysen*, ] Quæ sequuntur, locutus est Dominus die quadragesimo, quo Moyses fuit cum eo in monte; fuit enim ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & inde descendit eo ipso die quo Dominus est ista locutus.

[ *Vade, descende: peccavit populus tuus*, ] Id est, tibi commissus & qui non meretur dici populus meus, cum me deseruerit. Ita Hieron. in cap. 9. Dan.

[ *Quem eduxisti de Terra Ægypti*. ] Non ait quem eduxi, sicut supra cap. 20. & frequenter alias: sive, ut ista sermonis mutatione tacitè indicet populum esse indignum divinis beneficiis; sive, ut Moysen animet ad deprecandum pro illo, cui ipse tantum beneficium præstitit, quantum est eductio de Ægypto.

[ ℣. 8. *Recesserunt citò de via, quam ostendisti eis*: ] Illa via est doctrina præceptorum Dei quæ Moyses eos docuerat prius quam ascenderet montem, futurus in eo 40. diebus. A quo citò recesserunt, quia lapsis dumtaxat triginta vel aliquanto plus diebus, petierunt sibi fieri Idolum, ac deinde illud adoraverunt.

[ ℣. 9. *Rursumque ait Dominus ad Moysen*: ] Inter hæc & præcedentia verba verisimile est intercessisse aliquam moram, in qua Moyses audito & penitius examinato populi scelere ingemuit & obstupuit, nihil interim dicens; sicut accidere solet illis qui malo aliquo gravi prorsus inespectato oppressi, hærent attoniti:

[ *Cerno quòd populus iste duræ cervicis sit*: ] Non nunc primùm cernebat Deus, quia omnia novit prius quàm fiant; sed hominum more loquitur qui dicuntur cernere aliquem esse duræ cervicis, id est, inflexibilis ad bonum voluntatis; non quando ille semel rebellat, sed quando plures & quasi continuas ejus rebelliones experitur: Frequentissimas enim Hebræorum rebelliones audivit Deus ab eo tempore quo ad illos misit Moysen.

Qualia sint ista verba.

[ ℣. 10. *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos*, ] Ne oratione tua, & parentum hujus populi commemoratione, me impedias, quo minus populum hunc pro meritis puniam ac deleam. Non sunt verba præcipientis, alioquin malè fecisset Moyses statim post orando. Non sunt etiam verba petentis, cum posset etiam contra nitente Moyse populum disperdere. Sed sunt verba partim indicantis quantæ apud Deum sint efficaciæ orationes quas Sancti seu ejus amici ad eum fundunt, ut scilicet impedire possit ultiones alioquin immittendas; partim hortantis ad deprecandum pro populo. Sicut enim si pater à filio sibi charissimo offensus arriperet gladium, quasi volens ipsum interficere, diceretque intimo utriusque amico: Ne me impedias, sinas me percutere, per hoc tacitè significaret se nolle interficere, sed potius cupere impediri; ita Deus videtur hic se habere cum Moyse, voluntate signi nolens quòd Moyses oraret; voluntate autem beneplaciti volens quòd oraret, quemadmodum & accepta audacia confestim oravit.

[ *Faciamque te in gentem magnam*. ] Constituam te Principem super aliam gentem, eamque maximam & fortissimam. Vide Num. 14. vers. 12. Non decreverat Deus Moysen facere ducem ac principem alterius gentis, quia non erat populum Hebræum deleturus; sed tantùm proponit quid conditionaliter seu casu quo populum istum disperderet, esset facturus.

[ ℣. 11. *Moyses autem orabat Dominum Deum suum*, ] Ex modo loquendi Dei agnoscens Moyses eum velle quòd precaretur pro populo, sicque averteret populi exterminium, instanter orat.

[ *Dicens: Cur, Domine, irascitur furor tuus* ] Non est in Deo furor, ut nec aliæ passiones corporales: sed sensus est, quare irasceris, quare effectum graviter irascentis comminaris, populi scil. tui deletionem.

[ ℣. 12. *Ne quæso dicant Ægyptii*: ] Ne Ægyptii accipiant occasionem blasphemandi nomen tuum, ac dicendi.

[ *Callidè eduxit eos*, ] In Heb. sonat, *in malitia*, seu malitiosè eduxit eos:

) *Ut interficeret in montibus, & deleret è terra*: ] Cum impotens esset dare ipsis terram promissam,

frau-

fraudulenter eduxit eos de Ægypto, ut deinde interficeret eos in montibus atque deleret. Confer cap. 9. Deut. vers. 28. Talia dicere potuissent omnes gentes quæ de Israelitarum prosperitate dolebant & timebant; maximè tamen Ægyptii, qui Israelitas in servitute tenuerant, & quorum ratione plagas durissimas passi erant.

[ *Quiescat ira tua*, ] Ne procedat ad delendum eos.

[ *Et esto placabilis super nequitia populi tui*. ] Heb. Pœniteat te super malo populi tui, id est, Placare populo tuo, & non inferas ei malum quod comminaris. Cum enim in Deo non possit esse pœnitentia propriè dicta; pœnitere dicitur, quando se habet sicut homines qui vera alicujus rei pœnitentia ducuntur. Ac proinde sicut dum eos pœnitet voluntatis quam habuerunt inferendi malum alicui, ab eo inferendo abstinent; ita Deus dicitur pœnitere pœnæ quam comminatus est inferre, quando eam non infert.

[ ℣. 13. *Recordare Abraham, Isaac, & Israel, servorum tuorum*, ] Ipso misericordiæ tuæ effectu ostendere memorem meritorum istorum Patriarcharum qui fuerunt servi tui fideles, &c.

[ *Quibus jurasti per temetipsum, dicens: Multiplicabo &c.* ] Ex his liquet Deum propter merita majorum qui ipsi placuerunt, parcere posteris; & in universum, propter aliorum merita, aliis benefacere. Hieronymus contra Vigilantium cap. 5. locum hunc transfert ad probandum Sanctos qui sunt in cœlis, pro nobis orare. Cum his verbis confer cap. seq. vers. 1.

Quomodo vera sit Dei promissio.

[ *Et possidebitis eam semper*. ] Neminem turbare debet quòd Judæi post excidium Jerusalem dispersi, non amplius possideant terram promissionis, quòdque dudum antea fuerant ab ea expulsi & in captivitatem abducti: Tales enim promissiones intelligi debent conditionatè, si nimirum res in eodem statu manserit in quo erat tempore promissionis: quæ conditio dum mutatur, non debet mirum videri si res promissa etiam mutetur. Mutata autem fuit ex parte Judæorum, qui neque in cultu unius Dei & observatione mandatorum ejus permanserunt prius quam mitterentur in captivitatem, neque postea Messiam recipere voluerunt.

[ ℣. 14. *Placatusque est Dominus* ] Quomodo placatus, cum in fin. cap. dicat: *In die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum*: Resp. placatum, non ut nullam omnino pœnam exigeret, sed ut non inferret eam dixerat, id est, ut non deleret totum populum sicut vers. 10. fuerat comminatus.

[ ℣. 15. *Et reversus est Moyses de monte*, ] In quo fuerat diebus quadraginta, totidemque noctibus.

*Portans duas tabulas testimonii* ] Seu in quibus erat testimonium, id est, Decalogus quo testificabatur Deus quid ab Hebræis requireret. Lapideas fuisse has tabulas in fi. cap. præced. fuit dictum. Sed quoniam non erant grossi & rudes lapides, sed politi vel dolati ac in modum tabularum aptati; ideo vocantur tabulæ, & non difficulter poterant portari à Moyse, cum non essent nimis graves.

[ *In manu sua*, ] Non significatur quòd unica manu portaret duas tabulas; non enim erant tam parvulæ ut una manu gestari possent: sed sensus est, quòd una atque altera manu gestaret. Nam Deuteron. 9. dicit ipse Moyses quòd cum descenderet de monte, duas tabulas utraque teneret manu.

[ *Scriptas ex utraque parte*, ] Quod cum variè exponatur, magis obvia magisque verisimilis est illorum expositio, qui dicunt Decalogum bis fuisse scriptum in tabulis, semel in anteriori parte earum, & semel in posteriori: Ut dum Moyses eas teneret in medio populi, æquè legi posset ab iis qui retro erant, & ab iis qui ante. Ita Liranus, Dionysius Carthusianus, Marzilla, & alii.

[ ℣. 16. *Et factas opere Domini*: ] Non quòd Deus de novo eas creaverit, ut quidam voluerunt. Nam ejusmodi creationis neque est necessitas neque fundamentum: sed quoniam Deus seu Angelus personam Dei referens illas dolavit, ut idoneæ essent ad scripturam.

[ *Scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis*. ] Id est, illa scriptura decem præceptorum quæ sculpta erat in tabulis, erat scriptura facta à Deo, seu ab Angelo personam Dei gerente. Ex quibus liquet non solam harum tabularum scripturam fuisse factam à Deo, sed ipsas quoque tabulas, in quo differunt à secundis, de quibus infra cap. 34. & Deut. 10.

[ ℣. 17. *Audiens autem Josue* ] Qui per dies quadraginta espectaverat Moysen in ea parte montis in qua substiterat, ut cap. 24. dictum est: nunc autem cum ipso descendebat.

[ *Tumultum populi vociferantis*, ] Clamabat enim populus & jucundabatur diem festum idolo agens, more gentilium.

[ *Dixit ad Moysen: Ululatus pugnæ auditur in castris*. ] Josue ignarus eorum quæ in castris acciderant, & multorum vociferationes seu elatos clamores audiens, non perfectè advertit, cujusmodi illi essent, ideoque putavit esse ululatum eorum qui pugnabant. Hoc autem sermone audito, Moyses diligenter attendit paululumque progressus, vociferationes illas discrevit, &c.

[ ℣. 18. *Qui respondit: Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam*: ] Ac per consequens non est ululatus aut vox pugnæ: Nam in pugna vel fortes & animosi adhortantur ad pugnam; vel debiles fugiunt & ad fugiendum inducunt.

[ ℣. 19. *Cumque appropinquasset ad castra*, ] Moyses famulo suo Josue comitatus.

[ *Vidit vitulum*, ] Utpote in loco eminentiori positum.

[ *Et choros*: ] Id est, varios conventus canentium & saltantium in honorem sui idoli.

Moyses in his non peccavit.

[ *Iratusque valdè projecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis*: ] Non peccavit in his Moyses: quoniam & ejus ira & tabularum confractio fuit ex zelo divini honoris. Unde non legitur propterea fuisse reprehensus aut punitus, sicut propter aquas contradictionis Num. 20. & Deut. 1. Imò verisimile est eum ad ista fuisse divinitus motum; partim ut populus sceleris sui gravitatem citius agnosceret; partim ut intelligerent se indignos redditos tanto beneficio, quantum erat datio legis per Deum scriptæ. Observa interim quòd tabulas legis quas longa obtinuit abstinentia, brevis temporis saturitas confregit.

[ ℣. 20. *Arripiensque vitulum quem fecerant, combussit*, ] Violentè rapiens vitulum quem Aaron ab eis impulsus fieri jusserat, quemque idcirco ipsi fecisse dicuntur, in ignem projecit, fecitque ut calore ignis resolveretur.

Quomodo vitulum contriverit.

[ *Et contrivit usque ad pulverem*, ] Modus contritionis indicatur in Hebr. ubi legitur *moluit*, significaturque quòd massam auri, in quam per virtutem ignis redactus erat vitulus, crebris percussionibus & tunsuris comminuerit usque in pulverem minutissimum, tamquam si in mola vel mortario contrivisset. Sermonem autem esse de pulvere aureo benè observat Cajet.

[ *Quem sparsit in aquam*, ] Quæ fuerit aqua illa, sic Deut. 9. exponit Moyses, *projeci in torrentem qui de monte descendit*.

[ *Et dedit ex eo potum filiis Israel*. ] Compellendo scil. ipsos ut biberent. Quæ fuerit hujus rei causa, non liquet. Rabbini volunt fuisse, ut nocentes seu Idololatræ dignoscerentur ab innocentibus, atque ita soli nocentes interficerentur. Dicunt enim aliqui quòd epota illa aqua, isti qui consenserant sceleri, quamdam ægritudinem incurrebant quæ manifestabat eos deliquisse: Alii quòd barbæ ipsorum color mutabatur in flavum, ita ut quantò quisque esset nocentior, tantò etiam ejus barba esset flavior. Sed cum ista non possent absque miraculo fieri, nullum autem vel in scriptura vel in Patribus aut traditione fundamentum habeamus asserendi istius miraculi, tamquam Rabbinorum figmenta rejicienda sunt. Accedit quòd nec isto modo potuissent omnes nocentes ab innocentibus discerni: non enim adulescentes imberbes, neque mulieres; ut nec qui naturaliter habebant barbam flavam.

Vera

Vera igitur causa fuisse videtur, ut Israelitæ discerent contemnere suum idolum.

*Vituli pulverem* ait B. Hieron. epistola 118. *quem adoraverat Israel, in contemptum superstitionis potum accepit populus, ut discat contemnere quod in secessum projici viderat.* Quæ verba tacito Hieron. nomine adfert Rupertus lib. 4. in Exod. cap. 26. sicut & postea Marzilla. Nec dissimiliter S. Ambrosius epistola 56. scribit quòd *Moyses comminuit vituli caput atque in pulverem redegit, ut omnia impietatis aboleret vestigia:* Cæterum, quomodo internosci potuerunt Idololatræ ab aliis, ne innocentes cum nocentibus pariter occiderentur; ex infra dicendis clarum evadet.

[ ℣. 21. *Dixitque ad Aaron: Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum?* ] Heb. magnum, pro valdè magno; quia Hebræi carent superlativo, ut & comparativo. Peccatum istud fuit Idololatriæ, de qua B. Th. 2. 2. q. 94. art. 3. docet quod sit gravissimum peccatum. Eam induxit Aaron super populum, partim quia timore & importunitate victus curavit fieri Idolum, eique extruxit altare, & solemnitatem ipsi indixit; partim quia non cohibuit populum nec à stulta petitione avertit sicut debuit, cum oportuisset eum paratum esse mori potius quàm illis acquiscere.

[ ℣. 22. *Cui ille respondit: Ne indignetur Dominus meus:* ] Aaron videns Moysen durè in ipsum invehi, conatur iram ejus mitigare, & verbis urbanis eum placare: Quamvis enim esset annis tribus senior Moyse, supra cap. 7. nihilominus vocat eum Dominum suum; & quidem verè, quia Moyses erat à Deo constitutus totius populi dux, gubernator, & judex, nullo excepto.

[ *Tu enim nosti populum istum, quòd pronus sit ad malum:* ] Sive ad Idololatriam. Ita quidam. Alii tamen generalius accipiunt, ut significetur Moysen nosse quòd populus Hebræus ad mala diversi generis pronus sit, sive ad Idololatriam quam in Ægypto didicit, sive ad impetuosè agendum contra suos Præfectos & ad vim illis inferendam, si voluntatibus eorum non acquiescant. Unde ipsemet Moyses ad Dominum clamavit cap. 17. *Quid faciam populo huic? Adhuc paululum, & lapidabit me:* Huc facit quod ex Hebr. verti potest: *Tu nosti populum quòd in malo ipse;* quòdque 70. sic habent: *Tu nosti impetum populi hujus.* Vult ergo Aaron ostendere quòd non motu proprio Idolum fecerit, sed à populo instigatus, & metu mali sibi ab eo alioquin inferendi compulsus. Quod etsi non sufficiat ad eum à culpa etiam gravi excusandum, sufficere tamen putavit ad iram fratris mitigandam, & ad culpam suam aliquousque minuendam.

[ ℣. 23. *Dixerunt mihi: Fac nobis deos,* ] Seu deum aliquem. Vide dicta ad versum 1.

[ ℣. 24. *Quis vestrùm habet aurum?* ] Quale aurum petierit, versu 2. clarè indicatur, in præsenti tamen non exprimitur, quia frequens est in scriptura, ut postquam aliquid plenè narravit, si contingat idem debere narrari, non tam plenè referat, sed quasi summariè.

[ *Et projeci illud in ignem, egressusque est hic vitulus.* ] Rabbini quidam scribunt, quòd Aaron projecerit aurum in ignem ut ibi consumeretur; opera autem Magorum qui cum Hebræis de Ægypto ascenderant, formatum è diabolo fuisse vitulum, præter omnem Aaronis expectationem. Sed hæc prorsus à veritate sunt aliena. Evidenter namque sacer textus dicit quòd Aaron formavit opere fusorio, & fecit vitulum conflatilem, non hoc certè imposturus Aaron, si præter omnem ejus expectationem factus esset vitulus, neque ipse ad hoc fuisset jussione sua cooperatus. Deinde, quare ædificasset altare coram vitulo; & quare præconis voce clamasset, *Cras solemnitas Domini est*, si mens ejus non fuisset formare vitulum. Accedit quòd Aaron non fuisset ausus inaures aureas projicere in ignem, ut aurum consumeretur ac periret: quia tunc populus factus atrocior, magis in eum insiliisset, eò quòd perdidisset aurum, & non habuisset Idolum. Cum ergo Aaron hic dicit se projecisse aurum in ignem, & egressum esse vitulum, facti substantiam narrat, sed modum faciendi reticet: Revera enim projecit aurum in ignem, at non ut ibi periret, sed ut liquefactum flueret in formam vituli ad hoc dispositam. Exivit quoque vitulus, at non casu & præter opinionem, sed eo modo quo artificialia exeunt è materia & arte, per industriam artificis. Ita tamen loquitur Aaron, ut crimen nonnihil verbis extenuet apud fratrem, non autem ut illud neget.

Vitulus non casu nec Magorum opera prodiit.

[ ℣. 25. *Videns ergo Moyses populum quòd esset nudatus,* ] Inauribus scil. aureis, ac etiam honore & protectione Dei.

[ *Spoliaverat enim eum Aaron propter ignominiam sordis,* ] Id est, propter quiddam sordidum & ignominiæ plenum, sive propter Idolum idolive fabricationem. Idolum enim habere maximè ignominiosum est populo Dei; ipsaque idola rectè sordium nomine vocantur, juxta illud Deut. 7. *Quasi spurcitiam detestaberis & velut inquinamentum ac sordes abominationis habebis.* Tertii quoque Reg. 15. legimus sordes idolorum

Idola sunt sordes.

[ *Et inter hostes nudum constituerat.* ] Divino auxilio nudaverat, dando occasionem complendi sceleris quod conceperant: Deus enim à populo peccante protectionis suæ beneficium auferebat, sicut patet Num. 14. & sicut Achior declarat Judith. 5. Totum hunc versum sic reddiderunt 70. *Et cum vidisset populum Moyses quia dissipatus est; dissipavit enim eos Aaron gaudium adversariis eorum:* Dicitur autem populus dissipatus, seu ut alii legunt, dispersus, quia obnoxius erat dispersioni ac in periculo ne dispergeretur. Aaron quoque dicitur eos dissipasse, quia per vituli fabricationem dederat Deo occasionem illos dissipandi & dispergendi, ex quo consequens erat quòd hostes eorum gauderent de ipsorum dispersione.

[ ℣. 26. *Et stans in porta castrorum, ait:* ] Non habebant castra Hebræorum portas, sicut civitates habere solent, sed porta pro introitu ponitur.

[ *Si quis est Domini, jungatur mihi.* ] Q. d. Qui zelum habet gloriæ Dei, estque non Idoli sed veri Dei servus & cultor, jungatur mihi ad vindictam sumendam de Idololatris.

[ *Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi:* ] Hinc inferunt quidam, nullos Levitas fuisse culpabiles de Idololatria vituli; quia illi qui ad Moysen sunt congregati, erant inculpabiles; omnes autem filii Levi sunt ad eum congregati: ergo omnes erant inculpabiles. Sed contra est, quòd aliquos de tribu Levi fuisse occisos ex seq. versu 29. constat, ubi Levitis à cæde Idololatrarum redeuntibus, Moyses ait: *Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio, & in fratre suo.* Quibus conformiter laudantur Levitæ Deuter. 33. quòd in occisione Idololatrarum *dixerunt patri suo & matri, nescio vos; & fratribus suis, ignoro vos: & nescierunt filios suos:* Non fuerunt autem occisi nisi illi qui erant culpabiles de Idololatria.

Ex Levitis aliqui peccarunt erga vitulum, aliqui non.

Ad argumentum verò oppositum Resp. non prorsus omnes Levitas fuisse congregatos ad Moysen; non enim illos in quorum occisione alii consecraverunt manus suas Domino, nec eos patres, matres, fratres, & filios, quorum rationem non habuerunt qui Idololatras interficiebant. Ac proinde cum in textu dicitur, *omnes filii Levi*, non debet ista universalitas in pleno rigore accipi; sed omnes dicuntur, quia plerique & valdè multi, sicut Judic. 20. dicitur quòd *convenit universus Israel*, & tamen cap. 21. inventi sunt habitatores Jabes Galaad defuisse. Secundi quoque Reg. 16. Absalon dicitur ingressus ad concubinas patris sui coram universo Israel, cum constet multos Israelitas ibi non fuisse.

[ ℣. 27. *Hæc dicit Dominus Deus Israel:* ] Non est necesse hoc intelligere de speciali aliquo mandato quod Deus Moysi dederit; dici enim potest Moysen ita esse locutum, quia sciebat se esse judicem à Deo constitutum, ipsiusque voluntatem ac mandatum esse, Idololatriam punire.

[ *Ponat vir gladium super femur suum:* ] Unusquisque gladio se accingat.

[ *Ite, & redite de porta usque ad portam* ] Id est, de uno introitu in castra usque ad alterum: Pro commoditate enim

enim populi, diversi debebant esse introitus hinc & inde in castra, qui per portas significatur.

[ *Per medium castrorum*, ] Non jubet eos ingredi in tentoria, ne innocentes cum nocentibus pariter interficerentur.

[ *Et occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.* ] Hoc est, quemlibet obvium, quantumcumque is sibi sit propinquus & amicus. Quomodo autem hac ratione non fuerint simul occisi, qui ab idololatria erant immunes; cum Mario hic & Lorino in cap. 9. Deuteron. dici potest, eos solos fuisse in castris obvios atque adeò occisos, qui deprehendebantur in flagranti delicto, vel idololatriam adhuc exercentes, vel comessantes & ludentes in honorem idoli: Quamvis enim idolum esset contritum, ita tamen partim per temulentiam; partim per propriam malitiam excæcati erant quidam, ut ab incœpto scelere nihil eos dimoveret. Quoniam verò neque Aaron neque alii multi sic perseverabant in idololatria; hinc est quòd nec ipse fuerit occisus, nec multi alii qui idololatriam commiserant.

Non sine occisi innocentes cum nocentibus.

] ℣. 28. *Cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum.* ] Hebræa & Græca habent, *tria millia*, similiterque legunt S. Ambros. epistola 56. B. Th. 2. 2. q. 14. art. 3. & q. 97. art. 4. & quidam alii. At sancti August. epistola 86. & Gregorius cap. 14. in l. 1. Reg. & lib. 20. Moral. c. 6. nostræ editioni vulgatæ quæ tunc recens erat, consentiunt, & habent *viginti tria millia*, quemadmodum & Rupertus lib. 4. in Exod. cap. 27. & Liranus, & alii: inter quos Abulensis ait errorem irrepsisse in textum Hebræum, scriptorum incuria, & ante illum errorem, fuisse quasi viginti tria millia, sicut in nostro textu.

[ ℣. 29. *Et ait Moyses: Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio, & in fratre suo,* ] Alii ex Hebræo reddunt, *consecrate*, eò quòd verbum Hebræum sit imperativi modi, voluntque sententiam hanc non suo loco esse positam, sed poni debere ante cædem idololatrarum. Verùm meminisse illos oportebat, Hebræo idiomate vitam temporis differentiam interdum per enallagen pro alia poni, hic autem imperativum Hebræum pro præterito esse positum: Id quod considerans noster interpres, sensum sententiæ retinuit, & phrasim Hebræis propriam sapienter explicuit, quemadmodum fecerunt quoque 70. qui habent, *implevistis manus vestras*, quod phrasi Hebræa idem valet, ac consecrastis. Sensus est, ex zelo divini honoris occidendo idololatras, & inter eos, filios & fratres non minus quàm alios, dedicastis manus vestras Deo, promeritique estis, ut illæ divinis obsequiis deputentur.

[ *Ut detur vobis benedictio.* ] Unde fiet quòd Deus benedictionem vobis impertietur, varia bona largiendo.

[ ℣. 30. *Facto autem altero die, locutus est Moyses ad populum:* ] Qui post cædem viginti trium millium restabat, & quorum pars maxima vitulum aureum adoraverat; neque enim omnes idololatræ fuerunt occisi, ut ex dictis ad v. 27. patet.

[ *Ascendam ad Dominum,* ] Ad hujus montis Sinai cacumen, in quo Deus se specialiter esse & habitare ostendit.

Cur Moyses ita loquatur.

[ *Si quo modo quivero eum deprecari pro scelere vestro.* ] Ita loquitur Moyses, non quòd dubitaret de potentia vel bonitate divina ad remissionem peccati faciendam; sed partim ad inculcandam ejus gravitatem, ac per consequens difficultatem in obtinenda remissione; partim ad ostendendum incertitudinem remissionis: quamvis enim benè consideret de illa, non tamen erat certus, unde nec plenam pœnæ remissionem obtinuit, ut ex v. 34. patet.

Si quæras, quomodo nunc vult iterum orare pro idololatriæ remissione, cum scriptura versu 14. testetur Deum oratione Moysi fuisse placatum. Resp. fuisse tunc placatum, ne universum populum deleret sicut fuerat comminatus: At nunc orare cupit, ut post peccatum tot hominum cæde aliquatenus expiatum, Deus nollit ulterius vindicare; neque omnino exauditur, ut mox videbitur.

[ ℣. 31. *Reversusque ad Dominum,* ] Ad montis scil. cacumen.

[ *Ait: Obsecro, peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi deos aureos:* ] Optimum est hoc orationis initium, qua veniam orat pro populo: Unde discimus apertam & nudam peccati confessionem Deo faciendam esse, si veniam impetrare velimus. Si enim Moyses hoc fecit in peccato alieno, quantò magis quisque debet facere in proprio?

[ *Aut dimitte eis hanc noxam,* ℣. 32. *aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* ] Librum hunc quidam librum vitæ præsentis intelligunt, hoc sensu: Aut dimitte populo suum peccatum, aut si non facis, sed eum delere vis, me simul cum illo interfice; eo namque deleto, nolo amplius vivere, sicut Num. 11. idem Moyses dixit: *Sin aliter tibi videtur, obsecro ut interficias me.* Non minus tamen probabiliter alii librum vitæ seu prædestinationis intelligunt, sed ita ut Moyses non petierit absolutè deleri de illo libro, sed ex magna fiducia divinæ bonitatis suæ prædestinationis, & ex maximo populi Dei amore, disjunctivè ita petierit, aut dimitte illis, aut delebis, restat ergo ut eis dimittas. Plura diximus 2. 2. q. 26. art. 4. ad 2.

[ ℣. 33. *Cui respondit Dominus: Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo:* Propter hæc verba volunt aliqui præcedentem Moysi petitionem de libro vitæ seu prædestinationis esse accipiendam, eò quòd nullus possit de eo deleri; sed de libro vitæ præsentis, de quo quispiam per mortem deletur. Quibus tamen opponi potest quòd non quicumque peccat, etiam mortaliter; ideo de præsenti vita tollatur, cum multi peccatores tamdiu, imò diutius vivant quàm multi justi; & interdum aliqui sinantur in peccatis diu vivere, ac demum post plures annos convertantur. Dici ergo potest secundùm ea quæ cum B. Th. diximus 1. p. q. 24. art. 3. quòd cum liber vitæ non aliud sit quàm notitia vel conscriptio eorum qui ordinati sunt ad vitam æternam; sicut aliqui sunt ad eam ordinati simpliciter & absolutè, quos propterea vocamus electos & prædestinatos: Alii secundùm quid, seu secundùm præsentem justitiam, in quantum omnes justi, hoc ipso quo justi sunt, digni sunt vita æterna, & ad eam ex præsenti gratia quam habent ordinantur: Ita dupliciter intelligi potest aliquem esse in libro vitæ conscriptum; vel secundùm quod est ad vitam æternam simpliciter ordinatus: vel ut ad eam secundùm quid ordinatur. Et quamvis nullus eorum qui priori modo conscripti sunt, de illo deleatur; secundùm posteriorem nihilominus modum conscriptionis, illi delentur, qui peccando mortaliter, à gratia excidunt; eosque Deus delere dicitur, quia non reputat ipsos vita æterna dignos, secundùm ea quæ in præsenti sunt in ipsis; neque eos ut tales sunt, ordinat in illam. Quòd autem Deus hic dicit, *delebo eum de libro meo*, rectè intelligitur de deletione de libro, juxta hunc posteriorem modum. Neque refert Moysen intellexisse deletionem juxta priorem modum: Cum enim ipsi locutus esset de deletione quæ est impossibilis; Deus ei respondere voluit de deletione quæ possibilis est, ac declarare qui sint quos sic delet, qui nimirum peccant mortaliter. Quamquam dici etiam possit ista verba, *Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo*: de libro simpliciter prædestinatorum ad vitam æternam, rectè accipi, juxta ea quæ eodem art. 3. diximus de isto versu Psalm. 68. *Deleantur de libro viventium*, ut sensus sit, efficiam quòd ille qui in me peccaverit, ac in peccato perseveraverit; non inveniatur in libro meo scriptus, quantumvis vel ipse de se, vel alii de ipso existiment quòd in eo libro scriptus sit: Ille enim est unus modus delendi.

Dupliciter dici potest aliquis in libro vitæ scriptus.

Quomodo potest intelligi aliquem deleri de libro vitæ.

[ ℣. 34. *Tu autem vade, & duc populum istum quò locutus sum tibi:* ] Q. d. tu autem ne de petitione tua ulterius sollicitus sis, sed obtempera meo imperio, & perge, duc populum istum in terram Palæstinam quam ei promisi, & de qua tibi antea sum locutus.

[ *Angelus meus præcedet te.* ] In columna scilicet nubis per diem, & in columna ignis per noctem, quam ipse movebit præeundo, & viam ostendendo.

[ *Ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Quæ sit ista dies ultionis, variè sentiunt interpretes, quemadmodum videre est apud Abulensem. Vera autem interpretatio videtur esse de illo die quo

Deus

Deus novis eorum peccatis provocatus viodictum de iis sumpturus erat, simulque puniturus hoc idololatriæ peccatum, & quidem vivente adhuc Moyse. Unde mox subjungit:

[ ℣. 35. *Percussit ergo Dominus populum pro reata vituli, quem fecerat Aaron.* ] Non diu post comminationem præcedentem immisit pestilentiam, vel alium plagam in populum propter peccatum ab eo commissum erga vitulum quem fecerat Aaron. Ex quibus cum v. 14. collatis sequitur Deum non semper remittere totam pœnam temporalem, quando vel peccatum vel aliquam peccati pœnam remittit, ut latius dictum fuit 3. p. q. 86. art. 4.

## C A P U T XXXIII.

*Prosequitur Deus minari populo, qui ob hoc luget. Moyses cum Deo loquitur familiariter, & petit videre faciem & gloriam ejus.*

[ ℣. 1. L*Ocatusque est Dominus ad Moysen, dicens:* ] Incertum est, obi hæc locutus sit Deus, utrùm in monte ad quem post vituli confractionem Moyses aliquoties ibat ac redibat non longam ibi trahens moram: An infra montem, in ostio tabernacoli vel è columna nubis; omnino tamen videtur quòd prius quàm Moyses iret in montem, secundam quadragesimam jejunaturus, & novas tabulas Decalogo inscriptas recepturus. Demum enim post ea quæ hic narrantur, monitus fuit de tabulis parandis, deque illo ascensit in montem, ut ex cap. seq. habetur.

[*Vade, ascende de loco isto* ] Ita loquitur, quia terra promissionis ad quam tendebant, erat altior quàm desertum in quo erant.

[ *Tu, & populus tuus* ] *Taui* non est in Hebræo, est tamen apud 70. qui proinde videntur illud invenisse in Hebræo, sicut & B. Hieronymus qui librum hunc, ut & alios plures ex Hebræo vertit.

[ *Quem eduxisti de Terra Ægypti,* ] Deus quidem populum istum magna sua potentia eduxerat: sed quoniam Dei creatoris sui obliti illam eductionem attribuerunt Moysi dicentes cap. 32. *Moysi enim huic viro qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit:* Ideo sic Deus loquitur, tacitè crimen eorum in memoriam eis revocans & exprobrans, ut notat August. q. 149. in Exod.

[ *In terram quam juravi Abraham, Isaac, & Jacob, dicens: Semini tuo dabo eam:* ] Juramentum Abrahæ præstitum legitur Gen. 22. promissio autem facta Isaac extat Gen. 26. & facta Jacob Gen. 28. sed promissionem illam fuisse eis juramento firmatam scriptura ibi non exprimit, ex hoc tamen loco; ut & ex cap. sup. versu 13. certum esse debet, ipsis quoque fuisse sic firmatam.

[ ℣. 2. *Et mittam præcursorem tui angelum,* ] Sermonem suum jam Deus convertit ad populum, seu ad Moysen ut sustinentem populi personam, quemadmodum intelligi potest ex illis verbis, *Et intres in terram;* Nam Moyses terram illam non intravit; ac rursum ex istis, *Populus duræ cervicis es:* Angelus qui hic promittitur, idem ille est qui in fin. cap. præced. fuit promissus; sed finis istius missionis qui fuit ibi tacitus, hic exprimitur, scil. ut hujus Angeli ministerio Deus de terra promissionis ejiciat Chananæum & Amorrhæum &c. Conferenda sunt quæ diximus supra cap. 23. & Gen. 15.

[ ℣. 3. *Et intres in terram fluentem lacte & melle.* ] Metaphora est, per quam significatur quòd in illa terra, esset lactis & mellis maxima copia, quòdque uberrimos & suavissimos fructus ferret, secundùm ea quæ cap. 3. v. 8. explicavimus.

[ *Non enim ascendam tecum,* ] Quidam ita explicant: Non ero vobiscum per signorum mirabilium operationem, sicut ante fui. Sed his opponi potest quòd seq. cap. v. 10. dicit Deus, *Signa faciam quæ numquam visa sunt super terram nec in ullis gentibus.* Aliorum expositio est, quòd Deus non erat deinceps futurus in illo populo per solitam residentiam inter illos, & per eminentiam gratiæ quam solebat eis præstare. Quibusdam tamen videtur huic expositioni adversari, quòd citò post hæc constructum fuerit tabernaculum, in quo & ratione cujus Deus dicebatur habitare inter filios Israel, ut supra cap. 25. *Facientque mihi sanctuarium & habitabo in medio eorum:* & Levit. 26. *Ponam tabernaculum meum in medio vestri* &c. *Ambulabo inter vos:* Numer. 35. *Ego sum Dominus qui habito inter filios Israel.* 2. Reg. 7. *Ambulabam in tabernaculo & in tentorio.*

Nihilominus utraque expositio, si benè explicetur, vera est: Deum quippè esse, habitare, & ascendere cum filiis Israel, erat ipsum inter eos in castris habere suum tabernaculum, ubi specialiter coleretur, in dubiis responsa daret, mirabilia faceret, auxiliaque præstaret: Quod tabernaculum quando populo progrediente & ad terram promissionis ascendente, portabatur; Deus dicebatur cum populo ascendere. Sensus igitur est, Dixi quòd habitarem inter vos, quòdque ad eum finem construeretur mihi tabernaculum (cap. videlicèt 25. vers. 8. & cap. 26. vers. 44. & 45.) quia tamen ad idolum conversi me dereliquistis, & per peccata vestra, vos tanto beneficio indignos reddidistis, non ascendam vobiscum, nolo erigi tabernaculum ratione cujus vobiscum maneam & ascendam. Cui sensui favet quòd statim post hæc Moyses legitur sustulisse illud tabernaculum quod ante majoris tabernaculi constructionem erat in castris, & ad quod ipse orationis & oraculorum causa venire solebat, & tetendisse extra castra procul. Verumtamen ista verba non absolutam assertionem continere, sed comminationem, nisi pœniterent, benè observat Dionysius Carthusianus. In hoc namque eodem cap. Moysi ad Deum dicenti, *Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto* &c. ipse respondit, *Et verbum istud quod locutus es faciam:* Similiterque cap. seq. eidem sic oranti: *Obsecro ut gradiaris nobiscum;* satis clarè annuit respondens: *Ego inibo pactum videntibus cunctis, signa faciam,* &c.

Iste Dei sermo est comminatorius non assertivus.

[ *Quia populus duræ cervicis est:* ] Cervicosus, inobediens, & refractarius.

[ *Ne fortè disperdam te* ] Non est per hoc intelligendum quòd Angelus de quo præcedit, *Mittam præcursorem tui Angelum,* futurus esset magis misericors quàm Deus; sed quòd si adesset præsentia & habitatio Dei rebellio & inobedientia populi esset majus peccatum, ipseque propterea magis esset puniendus, ut Liranus & Abul. explicant. Unde ad Q. Utrùm expediret Deum non ascendere cum populo, propter periculum scil. ne disperderetur. Resp. simpliciter expèdivisse quòd ascenderet; quia ejus ascensus erat bonus, desiderabilis ac per se expetibilis, nec erat periculosus, nisi propter populi malitiam.

[ ℣. 4. *Audiensque populus sermonem hunc pessimum, luxit:* ] Pessimus dicitur, vel quia rem valdè malam nunciabat, cum populo esset valdè malum habere Deum sibi offensum, nolentemque idcirco ulterius cum eo progredi; vel quia tristissimum erat hoc audire, simulque intelligere periculum disperditionis, si Deus cum illo ascenderet; quæ enim tristia sunt, mala reputamus, sicut quæ læta, bona.

Sermo pessimus quomodo.

[ *Et nullus ex more indutus est cultu suo.* ] Seu vestibus ornatioribus, ut exteriori vestium luctu, interiorem animi tristitiam declararent.

[ ℣. 5. *Semel ascendam in medio tui, & delebo te.* Si nimirum pergas esse rebellis & inobediens est enim sermo conditionatus vel comminatorius.

[ *Jam nunc depone ornatum tuum,* ] Quomodo nunc Deus id jubeat, cum antea ornatum suum deposuissent, variè explicatur. Primò, quòd in hac rerum gestarum narratione sit facta mutatio, posteriusque narretur id quod prius factum est, ita scil. ut post ista verba versus 3. *Non enim ascendam tecum* &c. Deus dixerat, *Jam nunc depone ornatum tuum;* statimque postea populus luxerit & ornatum suum deposuerit, non se induens vestimentis cultioribus. Secundò, ut servetur ordo narrationis, & hæc verba: *Depone*

orna-

*ornatum tuum*, sint dicta post depositionem ornatus, sive postquam non erant induti suis vestibus cultioribus, & sint partim approbatio depositionis ornatus, partim exhortatio ad perseverandum in ea q.d. Age age, benè facis quòd ornatum tuum deponis & coram me sic te humilias, perge eum deponere, atque ita te humiliare.

[*Ut sciam quid faciam tibi*. Sciebat Deus quid esset eis facturus: sed more humano loquitur, sicut loqui solent illi qui ex mutatione rerum agnoscunt sibi mutandum esse consilium quod prius conceperant. Sic autem loquitur, ut populus ex tali phrasi intelligeret Deum daturum sententiam juxta qualitatem pœnitentiæ & humiliationis ipsorum. Quamquam istud, *ut sciam*, exponi etiam possit causaliter, ut scire te faciam; præsertim juxta 70. qui legunt, *& ostendam tibi*.

[ ℣. 6. *Deposuerunt ergo filii Israel ornatum suum à monte Horeb.*] Sive, ad montem Horeb, juxta quem consistebant. Marzilla post Oleastrum propriè accipit præpositionem, *à* dicens quòd ab eo loco deposuerint, neque deinceps resumpserint usque ad ingressum in terram promissionis.

De quo tabernaculo sit sermo.

[ ℣. 7. *Moyses quoque tollens tabernaculum, tetendit extra castra procul*, ] Non intelligitur tabernaculum in quo Moyses habitabat cum uxore & filiis, quia sermo est de tabernaculo fœderis; neque illud, cujus exemplar Deus Moysi ostendit in monte, jussitque ut juxta ejusmodi exemplar extrueret unum Beseleel & Ooliab; Nam hoc demum sub finem primi anni egressionis de Ægypto fuit confectum & prima die mensis primi anni secundi collocatum & erectum, infra cap. 39. & 40. Sed intelligitur tabernaculum minus quod prius quam magnum illud & augustum fabricaretur, Moyses devotionis & orationis causa fieri curavit, in quo Deus ab Hebræis publicè colebatur, & ubi Moyses Deum consulebat ac ab eo responsa accipiebat: ubi etiam verisimiliter conventus agebantur pro negotiis publicis. Quod tabernaculum hucusque fuit in castris Hebræorum; sed Moyses jussu Dei illud jam sustulit & extra castra procul tetendit, ut intelligerent se per idololatriam sic Deum offendisse, ut indigni essent inter quos Deus habitaret, & ut sicut ipsi jussi erant ornatum suum deponere, ita ipsorum castra spoliarentur sua gloria; erat quippe maxima gentis Israeliticæ & castrorum ejus gloria, quòd Deus per tabernaculum suum inter eos habitaret. Tetendit autem Moyses hoc tabernaculum extra castra, non duodecim cubitis ut quidam volnerunt; hoc enim non esset procul quod tamen sacer textus requirit: sed ut ex Rabbi Sal. refert Liranus, duobus millibus cubitis à castris: Unde consequens est columnam quoque nubis & ignis tam fuisse remotam à castris, secuta quippe fuit tabernaculum.

[ *Vocavitque nomen ejus, tabernaculum fœderis*. ] Illud tabernaculum non jam demum fuisse factum liquet ex textu: si enim non fuisset antea factum, non diceretur quòd Moyses tollens tabernaculum tetendit extra castra, sed quòd tabernaculum fecerit extra castra. Quando autem fuerit factum, non constat. Probabile est quòd aliquanto tempore prius quam Hebræi manna acciperent. Cap. enim 16. jubentur accedere coram Domino, ad locum scilicet in quo Dominus solebat loqui & responsa dare, hoc est, ad tabernaculum.

Sed quando & cur vocatum est tabernaculum fœderis. Quidam asserunt statim à collocatione extra castra sic esse vocatum à secundis tabulis legis quas Moyses tunc in eo posuerat. Sed eis obstare videtur, quòd istas tabulas demum cap. seq. jussus est parare, neque ulla est necessitas dicendi ista hic poni per anticipationem & suo ordine inferenda esse post cap. 34. ubi nec quòd depositio ornatus contigerit, postquam Moyses secunda quadragena fuerat cum Domino in monte: Melius enim est sentire ordinem rei gestæ servatum esse, quàm dicere ita notabiliter mutatum, cum inversio ordinis rerum gestarum non sit admittenda, nisi gravis causa urgeat.

Alii sic vocatum volunt, quando fœdus inter Deum & populum fuit initum cap. 24. & quòd hic dicitur, *vocavitque*, accipiunt pro vocaverat autem. Ex serie tamen hujus narrationis magis apparet quòd ante hac non sic vocatum fuerit, sed quòd Moyses noviter nunc ita illud vocaverit; ista enim videntur ad idem tempus pertinere, tetendit extra castra, vocavitque nomen ejus tabernaculum fœderis. At quæ ratio, ut nunc ita vocaret? Resp. ut populo esset testimonium quòd violasset fœdus cum Deo supra cap. 24. initum, recessissetque à volumine fœderis quod in eo tabernaculo servabatur. Cur dictum sit vocabulo fœderis.

[ *Et omnis populus, qui habebat aliquam quæstionem*, ]. Quicumque de populo habebat aliquam quæstionem Deo proponendam; sive qui de re aliqua volebat Deum consulere per Moysen. Sunt qui sic interpretantur, qui litem aut controversiam aliquam habebat: Sed priori expositioni magis favent Hebræa & Græca quæ sic sonant, omnis quærens Dominum.

[ *Egrediebatur ad tabernaculum fœderis, extra castra.*] Sive, quod erat extra castra, ut patet ex dictis Hebræis & Græcis.

[℣. 8. *Cumque egrederetur Moyses*] Et castris scil. in quibus habebat suam familiam.

[ *Ad tabernaculum, surgebat universa plebs*, ] in reverentiam & honorem Moysi.

[ *Et stabat unusquisque in ostio papilionis sui*, ] Seu tentorii sui.

[ *Aspiciebantque tergum Moysi, donec ingrederetur tentorium*. ] id est, prædictum tabernaculum fœderis: quod vocatur tentorium, quia, ut habetur versu 7. tendebatur. Ideo autem aspiciebant tergum, non quòd facies ejus jam esset cornuta, & non possent præ fulgore faciei ejus in eam intendere; sed quia Moyse è loco castrorum eunte ad tabernaculum, ejus facies erat versus tabernaculum, & tergum versus castra; ac per consequens versus populum. Stabant verò, & non sequebantur Moysen, quia non permittebatur cuique tunc ire ad tabernaculum, sed iis tantùm qui volebant per Moysen, consulere Deum. Illæ porrò universalitates, universa plebs, & unusquisque, commodè accipi debent pro illis qui habebant sua tentoria in ea parte castrorum ex qua Moyses egrediebatur & per quam transibat; aut pro iis qui advertebant Moysen ire: Neque enim in tanta hominum multitudine latissimè dispersa omnes poterant videre Moysen.

[ ℣. 9. *Ingresso autem illo tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis*, ] Deus seu Angelus Dei personam gerens non loquebatur Moysi extra tabernaculum existenti, sed prius intrabat tabernaculum, & sic loquebatur ei. Columna nubis quæ descendebat, est illa ipsa quæ Hebræis per desertum erat dux viæ, & in qua erat Angelus eam movens, solebatque esse supra fastigium tabernaculi, inde autem descendere quando Deus volebat loqui cum Moyse illuc veniente. Dicitur columna nubis, quia erat nubes habens figuram columnæ.

[ *Et stabat ad ostium*, ] Ut populus intelligeret Moysen cum Deo loqui, eumque revererentur, & scirent ipsum non sua, sed Dei mandata proponere.

[ *Loquebaturque cum Moyse*. ] Non columna ipsa, sed is qui columna regebatur, id est, Angelus in persona Dei: unde versu 11. dicitur Dominus esse locutus, non quidem per se, sed per Angelum.

[ ℣. 10. *Cernentibus universis quòd columna nubis staret ad ostium tabernaculi*. ] Cunctos intellige eos qui sua tentoria sic habebant disposita, ut ex illis videre possent tabernaculum fœderis.

[ *Stabantque ipsi*, ] Admirantes & agnoscentes specialem Dei præsentiam in columna nubis & quòd Deus in ea loqueretur cum Moyse:

[ *Et adorabant per fores tabernaculorum suorum*. ] Se reverenter incurvantes, aut in genua procumbentes in ostio sui tabernaculi versus tabernaculum fœderis adorabant Deum ibi repræsentatum.

[ ℣. 11. *Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem*, ] Non significatur quòd Moyses aut faciem ejus qui ipsi loquebatur, aut divinam essentiam videret; Alioquin non diceret paulò post, *ostende mihi faciem tuam*; & rursum postea, *ostende mihi gloriam tuam*; sed sensus est, quòd Dominus loqueretur Moysi valdè familiari-

miliariter, ficut præfens loqui folet præfenti, atque (ut in textu fequitur.)

[ *Sicut folet loqui homo ad amicum fuum* ] Loqui enim facie ad faciem cum aliquo, phrafi Hebræa dicitur is qui fie ei loquitur, ut ipfe præfentis ejus fibique colloquentis vocem & verba diftinctè audiat, five interim eum aut fignram ejus non videat, five videat. Nam Deut. 5. fic Moyfes populo Hebræorum loquitur de Deo, *Facie ad faciem locutus eft nobis in monte de medio ignis*; & tamen cap. 4. præced. ait, *Non vidiftis aliquam fimilitudinem in die qua locutus eft vobis Dominus in Horeb de medio ignis*. Quapropter ficut duo amici fibi invicem præfentes & colloquentes, dicuntur facie ad faciem loqui, id eft, valdè familiariter, quamvis ambo non videant invicem propter noctem vel obfcurum locum in quo vel uterque vel alter eorum eft: ita Deus locutus eft Moyfi facie ad faciem, feu valdè familiariter, etfi Moyfes eum non videret.

Quid loqui facie ad faciem.

[ *Cumque ille reverteretur in caftra*, ] Ad folitam fcil. fuam manfionem, ad eam quippe redibat finito colloquio cum Deo. Difcere hinc poffunt Paftores & Prælati frequentem fibi debere effe collocutionem cum Deo, ita tamen ut fubditos vifitare non negligant.

Moralia.

[ *Minifter ejus Jofue filius Nun, puer*, ] Puer non ponitur hic, ut alibi frequenter, pro famulo: Id enim miniftri vocabulo fignificatum eft; neque tamen Jofue qui cap. 17. dux belli fuerat, nunc vocatur puer ab ætatis teneritudine: fed potius à morum candore & innocentia, ut illo cap. 17. fuit dictum; ac fortaffis etiam ex eo quòd non effet conjugatus: cum namque femper manfiffe cœlibem fententia eft B. Hieronymi l. 1. adversùs Jovinianum cap. 12.

Iofue cur dicitur puer.

[ *Non recedebat de tabernaculo*. ] Non quòd in ipfo tabernaculo maneret, quo ne quidem præfente Moyfe intrabat; fed quia manebat in fuo tentorio juxta tabernaculum, ut nimirum illud cuftodiret ne vel à beftiis confpurcaretur, vel à furibus aut hoftibus quidpiam damni pateretur. Satifque probabile eft non folum Jofue ibi manfiffe, fed alios cum eo; ipfum tamen præ aliis nominari, quia erat præcipuus, utpote vigilum præfectus.

[ ℣. 12. *Dixit autem Moyfes ad Dominum* : ] Quando Moyfes ifta dixerit, variant interpretes. Dici poteft, quòd dum quadam vice cum Deo effet in tabernaculo vel in monte, ad quem fæpius ivit ac redivit, antequam fecundam in eo quadragefimam ageret.

[ *Præcipis ut educam populum iftum : & non indicas mihi quem miffurus es mecum*, ] Quomodo Moyfes potuerit hoc dicere, cum Deus in fin. cap. præced. legatur ei dixiffe, *Angelus meus præcedet te*; & initio hujus, *Mittam præcurforem tui Angelum*; meritò ambigitur: Quidam putant Moyfen, quia Deus non determinaverat quis effet ille Angelus, cupiviffe nunc ex Deo intelligere quis effet. Verùm quia non admodum refert fcire quifnam Angelus præcedet, quando fciebatur quòd aliquis Dei Angelus; fatis jejuna fuiffet illa petitio. Et propterea potius videtur dicendum quòd quia Moyfes non acceptaverat ducatum folius Angeli, neque tamen Deus aperuerat, num abfoluta fua voluntas effet non afcendere cum Moyfe, fed Angelum dumtaxat mittere, humiliter nunc de eo conqueritur, & tacitè petit, An Deus in hoc perfiftat, nolitque cum eo afcendere, fed tantùm mittere Angelum. Quem fenfum indicat Oleafter, potius quàm explicet.

[ *Præfertim cùm dixeris : Novi te ex nomine*, ] Quod vel ideircò valdè mirum eft, quia dixifti mihi novi te ex nomine: five, ut eft apud 70. fcio te præ omnibus, fcientia fcil. approbationis: Unde fubdit.

[ *Et inveniſti gratiam coram me*. ] Id eft, præ cæteris te diligo & charum habeo. Nufquam antea legimus Deum ad Moyfen ita dixiffe; dixiffe tamen dubium effe non poteft. Verifimileque eft quòd ea dixerit vel in fpatio primæ quadragenæ quando Deus diu multumque locutus eft Moyfi, vel poft occifos ejus juffu adoratores vituli, cum aliquoties ad montem iret Moyfes ac rediret.

[ ℣. 13. *Si ergo inveni gratiam in confpectu tuo*, ] Si tibi charus & gratus fum.

[ *Oftende mihi faciem tuam*, ] In Heb. *Fac me nunc fcire viam tuam*: Apud 70. *Oftende mihi teipfum manifeftè*. Quæ omnia etfi variè explicentur; in eumdem tamen fenfum accipi poffunt, ut Moyfes hic petierit id quod Deus ei concedit verfu feq. nimirum: ut Deus feipfum exhiberet ducem & comitem itineris q. d. Oftende feu fac me videre quòd tua facies, feu tu ipfe nos ducas, ac teipfo nos præeas in via.

[ *Ut fciam te, & inveniam gratiam ante oculos tuos* : ] Ut perfectius te cognofcam, & gratiam tuam magis demerear. Sperabat enim Moyfes ex ipfius Dei ducatu & ex beneficiis quæ in via conferret, fe hoc confecuturum quòd in cognitione & amore Dei proficeret, ac per confequens quòd à Deo magis amaretur.

[ *Refpice populum tuum gentem hanc*. ] Habe quæfo rationem quòd hæc gens eft populus tuus, à te peculiariter electus, & cultui tuo deputatus: Ideoque ipfam duc & guberna ficut faciebas antequam in idololatriam incidiffet. Ex his intelligi poteft Moyfen hucufque non petiiffe videre divinam effentiam, etfi aliqui fecus exiftiment.

[ ℣. 14. *Dixitque Dominus : Facies mea præcedet te*, ] 70. Habent: Ipfe antecedam te. q. d. faciam quod petis, ego ipfe vos præcedam & ducam: Frequenter enim in fcriptura facies Dei pro ipfo Deo ponitur, ut Pfalm. 23. *Quærentium faciem Dei Jacob* : Pfalm. 26. *Faciem tuam Domine requiram*: Pfalm. 50. *Ne projicias me à facie tua* : Pfalm. 104. *Quærite faciem ejus femper*, quod idem eft cum eo quod præcedit, quærite Dominum.

Facies Dei pro Deo ponitur.

Si quæras, quomodo Deus ipfe dicatur præceffurus ac ducturus populum, cum conftet fuiffe femper Angelum: Refp. quoniam etfi fuerit Angelus, Dei tamen perfonam gerebat & Deum repræfentabat, ficut antea fecerat, & non erat Angelus Angeli tantùm perfonam gerens. Promittit ergo hic Deus quòd ipfemet, hoc eft, Angelus quidem, fed in nomine ac perfona Dei populum duceret, fuamque peculiarem præfentiam eis exhiberet in tabernaculo, cum ipfis afcendens ac ipfos protegens.

Quomodo ipfe Deus duxerit, cum fuerit Angelus.

[ *Et requiem dabo tibi*. ] Faciam ut mea nixus præfentia, fignifque mirabilibus quæ patrabo, toto itinere etiam inter hoftes fis fecurus. Moraliter hinc difcimus, invocare Dei affiftentiam & directionem in omnibus noftris negotiis, imò in tota hujus peregrinationis via qua ad patriam cœleftem tendimus.

Moralia.

[ ℣. 15. *Et ait Moyfes: Si non tu ipfe præcedas, ne educas nos de loco ifto*. ] Auguft. q. 154. in Exod. & poft eum Liranus fcribit Moyfen verba illa præcedentia, *Facies mea præcedet te*, quafi pro fe folo dicta, intellexiffe, & non pro populo, ideoque nunc poftulare ut & populum velit præcedere, ita textum hunc apud 70. legens: Si non tuipfe fimul veneris nobifcum; cujus lectionis meminit quoque Scholiaftes editionis 70. Romæ factæ. Non improbabiliter tamen alii cenfent, Moyfen non novam petitionem hic facere, fed beneficii jam recenter promiffi confirmationem & continuationem flagitare, dicendo quòd in eo loco ubi erant, magis manere cuperet quàm inde fine ipfius Dei ducatu exire, tum ob varia pericula & adverfa quæ imminent in itinere, tum quia melius erat hic effe cum Deo, quàm alibi fine illo, ac infuper allegando rationem.

[ ℣. 16. *In quo enim fcire poterimus ego & populus tuus inveniffe nos gratiam in confpectu tuo*, ] Quòd tibi complaceamus.

[ *Nifi ambulaveris nobifcum*, ] Non in tua quidem fubftantia incircumfcripta locum mutando, fed fpecialem tuam præfentiam in tabernaculo exhibendo, nobifque affiftendo per ducatum viæ, & per mirabilium operum patrationem.

[ *Ut glorificemur ab omnibus populis qui habitant fuper terram*? ] Præpofitio *ab*, duplicem ufum habere poteft: unum caufæ efficientis; & ita fenfus erit, ut omnes populi nos glorificent quòd fimus Dei veri cultores, ejufque populus peculiaris: Alterum, comparativum, ficut

sicut Lucæ 18. *Descendit hic justificatus in domum suam ab illo*, id est, præ illo. Sicque sensus est, ut glorificemur præ omnibus populis, seu plus quàm omnes populi, cum viderint scil. nos tamquam populum à Deo peculiariter electum ejusque cultui dicatum, habere particularem Dei præsentiam, assistentiam, & mirabilium operationem. Hæc autem Moysi ratio non est ad ipsius ambitionem referenda, sed ad Dei gloriam. Cum enim Israelitæ assumpti essent præ reliquis gentibus in peculiarem Dei populum, in Dei qui eos assumpserat honorem & gloriam apud gentes alias redundabat, quòd ipsæ viderent ac intelligerent illos specialibus beneficiis à Deo honorari.

[ ℣. 17. *Dixit autem Dominus ad Moysen: Et verbum istud, quod locutus es, faciam:* Rursum promittit Deus, & præcedentem suam promissionem confirmat, quòd ipsemet, hoc est, Angelus in ejus nomine ac persona sit Israelitas ducturus, & cum eis ambulaturus; pro ratione subjiciens.

[ *Invenisti enim gratiam coram me*, ] Vehementer enim mihi places: Ex quo datur intelligi Deum propter pietatem principum, benefacere integris Rebuspublicis; sicuti & contra, interdum eas affligit, propter principum peccata.

[ *Et teipsum novi ex nomine*. ] 70. dicunt sicut supra v. 12. *Scio te pra omnibus*, scientia scil. approbationis. q. d. te singulariter cognosco & charum habeo.

Quid Moyses petierit. [ ℣. 18. *Qui ait: Ostende mihi gloriam tuam*. ] Cernens Moyses se Deo percharum esse, & ab eo impetrasse quæ petebat, audacior factus est, ac aliam petitionem ei proponit. Quæ autem sit illa Dei gloria quam petit sibi ostendi, variant interpretes. Sunt qui putent eum petiisse visionem gloriæ humanitatis Christi. Sed cum de illa humanitate nullus antehac sermo fuerit, non videtur iste sensus esse litteralis.

Probabilius est quod alii dicunt, Moysen petiisse videre divinam essentiam sicut in se est; hoc enim revera est videre gloriam Dei veram & propriè dictam. Non minus tamen probabiliter alii censent Moysen solum petiisse sibi ostendi speciem & faciem gloriosam ejus qui sibi loquebatur. Cum enim Angelus qui ad Moysen loquebatur in persona Dei, nebula tectus loqueretur, neque posset ab eo perspicuè videri, Moyses petit eam nebulam amoveri, ut clarè videat ejus gloriosam speciem ac faciem, sperans quòd ea occasione majorem divinæ majestatis cognitionem acciperet. Quæ expositio confirmari potest ex verbis quibus statim respondet Deus Moysi: *Non poteris videre faciem meam*, seu speciem meam gloriosam in facie. Et conformiter intelligendo Moysen hic petiisse videre divinam essentiam, facilè responderi potest non impetrasse quod petebat, quandoquidem statim fuerit ei dictum, *Non poteris videre faciem meam*.

[ ℣. 19. *Respondit: Ego ostendam omne bonum tibi*,] Solus quidem Deus est revera omne bonum: At non ideo necessarium est fateri Deum promittere Moysi quòd in hac vita videret divinam essentiam, quia per omne bonum non hic intelligitur divina essentia, sed omne, ponitur pro eximio & perfecto, sicut dum Jac. 1. dicitur, *Omne gaudium existimate fratres*: ut sensus sit, ostendam tibi bonum excellentissimum quod petis, omnemque gloriosæ istius figuræ, in qua tecum loquor, majestatem, splendorem, & gloriam, quantum mortalis oculus potest capere: *Non poteris* tamen *videre faciem meam*: hoc est, speciem meam gloriosam non poteris videre in facie, quia fulgor illius faciei tantus est ut mortalis oculus eum ferre non possit. Sed etsi per omne bonum intelligeretur divina essentia, non propterea foret consequens Moysen in ista mortali vita eam vidisse; dici enim posset Moysi promissum esse quòd ostenderetur ei omne bonum, at non in hac, sed in altera vita cum de tempore hujus vitæ clarissimè Deus ei denegat visionem suæ faciei.

[ *Et vocabo in nomine Domini* ] Retinendum esse activum, *vocabo*, & non substituendum passivum, *vocabor*, ex Hebræo & Græco constat, ubi activum legitur. Cum autem variis modis hoc exponi possit, duo sunt probabiliores: Unus, ut significetur quòd ipse Deus sit vocaturus in nomine Domini, id est, inclamaturus nomen Domini ac dicturus, *Dominator Domine*, & cætera quæ cap. seq. habentur versibus 6. & 7.

[ *Coram te:* ] Id est, quando gloria Domini transibit coram Moyse, ut hic v. 22. promittitur. Alius modus est, quòd *vocabo in nomine Domini coram te*, non aliud sit quàm faciam te invocare nomen Domini, quando ero coram te, sive quando transibit gloria mea. Huic explicationis modo maximè favet quod cap. seq. ubi reipsa exhibetur quod hic fuit promissum, dicitur Moysen stetisse cum Domino, *invocans nomen Domini*. Neque novum est verbum activum explicari causaliter, vocabo pro vocare te faciam, cum Gen. 22. dictum legamus: *Nunc cognovi*, id est, cognosci feci: & ad Galat. 4. Spiritus sanctus dicatur clamans Abba Pater, quia clamare nos facit, juxta illud ad Rom. 8. *in quo clamamus Abba Pater*. Vocabo, pro vocare faciam.

[ *Et miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit*. ] Locum hunc Apostolus ad Rom. 9. ita citat ex versione 70. interpretum, *Miserebor cujus misereor & misericordiam præstabo cujus miserebor*. Ubi illud, *cujus misereor*, & *cujus miserebor*, significat summam Dei libertatem & beneplacitum perinde ac si diceret, Miserebor cujus misereri voluero, & non ob aliam causam alicujus miserebor nisi quia volo: quod B. Hieronymus clarissimè hic indicavit vertens, *cui voluero, & in quem mihi placuerit:* Per cujusmodi phrasim Deus hic asserit quòd misericordiam & misericordiæ suæ beneficia præstet quibuscumque ipse voluerit, non ex ullis ipsorum meritis sed prorsus gratuitò. Unde nullus mirari debet, quòd Moysen præ aliis admiserit Deus ad maximam sui familiaritatem, imò & ad conspectum qualem in hac vita ferre poterat: Videri possunt quæ de gratuita prædestinatione, ex hoc & ex aliis locis commentati sumus ad 1. p. q. 23. art. 5.

[ ℣. 20. *Non poteris videre faciem meam:* ] Sive per faciem Dei intelligatur divina essentia, sive anterior pars illius gloriosæ figuræ quæ Moysi loquebatur, non multum refert; quia tam unius quàm alterius visio ipsi negatur, cum subjuncta ratione:

[ *Non enim videbit me homo, & vivent*.] Quod nomine faciei intelligendo divinam essentiam, perinde est, ac: Non enim homo mortalem hanc vitam degens potest me videre, & in tali vita persistere, juxta nimirum legem ordinariam: Nam de potentia Dei absoluta potest talis visio alicui viatori concedi. Si autem (ut verisimile est) per faciem Dei intelligatur facies seu anterior para figuræ excellentissimæ quæ apparebat, sensus est: fieri non potest ut faciem illius figuræ gloriosæ quis videat, quin statim moriatur, propter exuberantiam scilicet lucis & pulchritudinis. Per quæ moraliter significatus quòd non possumus simul frui Deo & mundo.

[ ℣. 21. *Ecce, inquit, est locus apud me*,] In monte Sinai ubi soles mecum loqui.

[ *Et stabis supra petram*. ] Corporaliter stare debebat Moyses supra petram, usque dum Dominus esset transiturus.

[ ℣. 22. *Cumque transibit* ] Seu transire debuerit.

[ *Gloria mea*, ] Id est, similitudo mea gloriosa, corpus videlicet luminosum maximèque fulgidum, in quo Angelus personam Dei repræsentans apparebat.

[ *Ponam te in foramine petræ*, ] Petra illa erat cava in cujus proinde cavitate latere poterat Moyses, & in ea cavitate erat foramen, ad quod Dei jussu debebat Moyses expectare.

[ *Et protegam dextera mea, donec transeam:* ] Opere potentiæ meæ, nube videlicet seu nebula cooperiam tum te, tum foramen illius petræ, donec transeat facies mea gloriosa, id est, anterior, pars figuræ meæ gloriosæ.

[℣. 23. *Tollamque manum meam*,] Statim ut facies mea gloriosa transierit, amovebo nubem à foramine.

[ *Et videbis posteriora mea*: ] Hoc est, tergum meum.

[ *Faciem autem meam* ] Seu partem figuræ transeuntis anteriorem.

[ *Videre non poteris*. ] Ob claritatis ejus excessum. Abulensis q. 22. super hoc cap. ac post eum Cornelius, observat corpus quod ita gloriosum apparuit, non fuisse formatum ab aliquo Angelo, sed à solo Deo: quoniam etsi Angeli frequenter apparuerint in assumptis corporibus quæ ipsi formaverunt, non potuerunt tamen formare ullum corpus quod solem exæquaret vel De illius corporis formatione.

etiam superaret in claritate ac splendore; non enim est aliquod agens naturale quod tantam lucem producere possit in aliquo corpore, cum sol sit corpus lucidissimum & totius luminis fons; corpus autem de quo nunc agitur, exæquabat, imò etiam superabat solem in luminis claritate ac splendore, ut patet ex eo quòd nemo posset illud corpus in facie intueri quin statim præ nimio fulgore moreretur, lumen verò solis non est tantum: etsi enim non possimus solem intentis oculis diu aspicere, aliquantulo tamen spatio temporis id possunt illi qui acutos ac firmos oculos habent, saltem absque eo quòd statim moriantur. Quæ de aquilis solem intuentibus scribat Isidor. videri possunt lib. 12. originum cap. 7. Corpus porrò illud à solo Deo formatum non Deus assumpsit, sed Angelus, in persona tamen Dei loquens ac Israelitas ducens & protegens, idem scil. ille qui eos eduxit de Ægypto, & in columna ignis ac nubis duxit.

Anagogica. Per locum quem Deus apud se esse dixi, intelligitur Ecclesia militans, in qua supra petram stat qui fide firmus Christo adhæret, *Petra enim erat Christus*, 1. ad Cor. 10. Per faciem Domini significatur divinitas Christi quam nemo potest in hac vita videre, visa tamen sunt ejus posteriora, id est, humanitas.

Cæterum, quoniam ex iis quæ hoc capite dicta sunt satis apparet non fuisse nunc concessum Moysi ut divinam essentiam videret; in quæstione manet. An aliàs id ei fuerit in ista vita concessum. Et quamvis non pauci

32 affirment, negantibus tamen potius subscribendum ostendimus 1. p. q. 12. art. 11.

## CAPUT XXXIV.

*Moyses jubetur parare novas tabulas, montem ascendit, videtque Dei gloriam: Et acceptis variis præceptis, post dies quadraginta descendit cum tabulis decalogi, ac velata facie populum alloquitur.*

[ ℣. 1. AC deinceps: ] Locutus scilicet est Dominus ad Moysen, quemadmodum Hebræa & Græca exprimunt, significatur autem quòd Deus continuando sermonem quem cum Moyse habebat in monte, sicut ex v. 21. c. præced. colligitur, sic ei sit locutus.

[ *Præcide, ait, tibi*, ] Verbum Hebræum significat sculpere & dolare, ideoque alii vertunt, *Dola tibi*. Neque putandum est præcipi nudam scissionem lapidum, sed talem præcisionem, qua lapides & scindantur & dolentur seu complanentur, sintque dispositi ad recipiendum characteres in eis sculpendos. Pronomen, Tibi, Rabbi Salomon interpretatur, ad tuam utilitatem, dicens lapides saphyri fuisse Moysi ostensos, ex quibus ipse & tabulas fecerit, & postea locupletatus fuerit. Sed hoc velut sine fundamento dictum atque adeò fictitium, Liranus & alii rejiciunt.

Quid imponere sibi. Verius censet Oleaster quòd phrasi Hebræa dicatur, *Præcide tibi*, vade tibi, & alia hujusmodi, pro eo quòd vulgariter diceremur, præcide, vade &c. Num. enim 13. ubi nostra versio habet, *Mitte viros*, in Hebræo est, *Mitte tibi viros*: & ubi habemus cap. 14. *revertimini in solitudinem*, Hebræa dicunt, *proficiscimini vobis in desertum*. Sed & hoc cap. versu 11. pro, *observa cuncta quæ hodie mando tibi*, Hebræa habent, *Serva tibi*.

[ *Duas tabulas lapideas instar priorum*, ] Quæstio movetur, quare Deus omnium præscius paravit priores tabulas quæ erant confringendæ; posteriores autem quæ diu servandæ erant, ipse non paravit, sed per Moysen parari voluit. Resp. unam rationem sed mysticam esse, quia priores tabulæ significabant gratiam quæ à solo Deo est, datam Hebræis in egressu de Ægypto ad implendam legem; eam autem gratiam citò perdiderunt ad idololatriam conversi: At posteriores sunt symbolum eorum qui ipsimet implent legem, divina licèt gratia adjuti; horum verò justitia manet in sæculum sæculi. Alia eaque literalis ratio est, tum quia ex quo Moyses primas tabulas viderat, potuit alias similes parare; tum ad majorem superbi populi humiliationem, ne gloriaretur se habere tabulas à Deo factas; tum ut intelligeret Deum non scripturum eis Decalogum, nisi ad instantiam & supplicationem Moysi pro ipsis.

[ *Et scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ quas fregisti*. ] Hoc est, decem præcepta decalogi. Hæc verba omnino significant ita posterioribus tabulis inscriptum fuisse decalogum digito Dei, sive per potentiam Spiritus Sancti, sicut prioribus: quod & ex Deut. 10. clarissimè patet, ubi Moyses de Deo sic loquitur, *Scripsitque in tabulis juxta id quod priùs scripserat, verba decem*. Quæ ex versibus 27. & 28. possunt opponi, ibi explicabuntur.

[ ℣. 2. *Esto paratus manè, ut ascendas statim in montem Sinai*, ] Hinc videtur quòd Dominus hæc locutus sit Moysi sub tempus matutinum pridie quàm ascenderet cum tabulis; & quòd sic monitus statim descenderit, ac tabulas per artifices parari jusserit, ut postridie manè ascenderet in montem.

[ *Stabisque mecum super verticem montis*. ] In Heb. *stabis mihi*, &c. unde liquet, quòd *mihi* vel *tibi*, juxta phrasim Hebræam additum alicui verbo non semper significet ad meam vel tuam utilitatem.

[ ℣. 3. *Nullus ascendat tecum*, ] Sicut alia vice ascendisse Josue elatum est ex cap. 32. vers. 17.

[ *Nec videatur quispiam per totum montem: boves quoque & oves non pascantur è contra*. ] Seu è regione montis. Horum ratio erat, partim ut duro ac rudi populo Deus incuteret sui timorem & reverentiam, partim ut nullus videret aut videre tentaret fulgorem corporis istius gloriosi quod transiturum erat coram Moyse.

Moraliter tabulæ quas nos Deo debemus offerre, sunt mens nostra quam convenit benè dolatam esse & tersam, seu amore hujus sæculi terrenarumque rerum desideriis purgatam, ut Deus in ea præceptorum suorum executionem operetur. In nostris quoque cum Deo colloquiis ita debemus esse attenti, ut & bestiales cogitationes absint, & hominum præsentia nos non distrahat. Moralis.

[ ℣. 4. *Excidit ergo duas tabulas lapideas*, ] Per artifices qui & lapides sciderunt, & in modum tabularum apparunt ac insuper dolaverunt: Nam ex Hebræo verti etiam potest, Dolavit.

[ *Et de nocte consurgens ascendit in montem Sinai*, ] Verbum Hebræum ita significat surgere, ut etiam connotet tempus non plenæ noctis, sed quod est propè auroram, ideoque nox pro summo mane hic accipitur: unde & 70. habent manè, ita scil. de nocte, quod nondum planè diluxerat.

[ ℣. 5. *Cumque descendisset Dominus per nubem*, ] Utitur scriptura verbo descensus, quia dum Moyses non erat in monte nubes quæ Dei præsentiam designabat, non requiescebat in loco in quo Dominus fuerat locutus Moysi, sed elevabatur supra supremum verticem montis, & Moyse in montem redeunte descendebat, ut eo signo populus intelligeret Deum esse ac loqui cum Moyse, simili modo quo cap. 33. dicitur quòd, *Ingresso Moyse tabernaculum fœderis descendebat columna nubis, & Dominus loquebatur cum illo*.

[ *Stetit Moyses cum eo, invocans nomen Domini*. ] Stetit in foramine petræ sicut in fin. cap. 33. dictum est, nube tectus: Nam hic expletur id quod illic fuit Moysi promissum.

[ ℣. 6. *Quo transeunte coram eo*, ] Domino seu Domini gloria transeunte coram Moyse.

[ *Ait: Dominator Domine Deus*, ] Quodnam sit suppositum verbi, *ait*; sive quis dixerit verba sequentia, ambiguum est, utrùm Deus ipse seu Angelus Dei personam repræsentans, an Moyses. Et quamvis non pauci aliter sentiant, textui nostro (cui Hebræus non repugnat) conformius est intelligere Moysen ea verba dixisse, sicque Deum invocasse: exprimit enim quòd Moyses stetit invocans nomen Domini; quomodo autem Moyses nomen Domini invocaverit, significatur quòd dicendo, *Dominator Domine Deus &c.* Neque refert Num. 14. ea verba Deo tribui tanquam aliàs ab eo dicta: Possunt enim illi tribui, quatenus illo inspirante Moyses ea dixit, atque ita Deus per Moysen.

[ *Patiens* ] Ex Hebræo alii vertunt, *longus* vel *latus narium*: seu tardus ad nares commovendas, quod clarius dici potest tardus ad iram, phrasi inde deducta, quòd qui

qui nares latas habent tardius commoventur ad passionem iræ: Cum enim in ira calor effervescat circa cor, per nares latas plus frigidi aeris ad cordis refrigerationem immittitur, sicque illi non tam citò irascuntur; citius autem, qui meatus narium habent angustos, quia in eis non multum frigidi aeris ingreditur, atque ita calor interior citius effervescit.

[ *Ac verax*, ] Nimirum in servandis promissis. De ista enim veracitate hic agitur.

[ ℣. 7. *Qui custodis misericordiam in millia* : ] Qui dona misericordiæ parentibus concessa piè continuas & conservas in eorum posteris per generationes & personas quam plurimas, quando videlicet sic ei visum fuerit: Ponitur autem numerus millenarius, ad significandam multitudinem valde magnam, secundùm quod numerus determinatus poni solet pro indeterminato.

[ *Nullusque apud te per se innocens est* . ] Sive, nullus, si per se seu exactè discutiatur ad justitiæ tuæ trutinam, reperietur esse omnino innocens, sed in omnibus aliquid peccati deprehendes, ob quod punire eos possis, juxta illud Psalm. 129. *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit* ? & Psalm. 142. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, de quo diximus 1.2.q.18.art.ad 1. Ut enim 3. Reg. 8. dicitur, *Non est homo qui non peccet*, & Jac. 3. *In multis offendimus omnes*, nisi videlicet ex speciali Dei privilegio aliquis servetur, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, sicut loquitur Conc. Trid. sess. 6. can. 23. Sunt qui præsentem locum sic interpretentur, Nullus per se seu ex suis viribus aut ex propria sua virtute est apud te innocens. Eadem verba quæ hic sunt in Hebræo, sic interpres reddidit Num. 14. *Nullumque innoxium derelinquens*, hoc est, qui omnes censet noxios & in aliquo culpabiles. Hebræa dicunt, *Innocentem judicando non judicabit innocentem*, per se nimirum & in omnibus, quasi in nullo deliquerit.

[ *Qui reddis iniquitatem patrum filiis &c.* ] Hujus explicatio petenda est ex cap. 29. v. 5.

[ ℣. 8. *Festinusque Moyses*, ] Statim ut Dominum transeuntem vidit Moyses, primò eum invocavit verbis illis quæ v. 6. & 7. habentur, & mox.

[ *Curvatus est pronus in terram*, ] ut Deum adoraret:

[ *Et adorans*, ℣. 9. *ait* : *Si inveni gratiam in conspectu tuo Domine*, ] Si tibi gratus sum, tibique complaceo.

[ *Obsecro ut gradiaris nobiscum* . ] Specialem præsentiam tuam nobis exhibendo, mirabilia patrando, nosque protegendo, ut sup. cap. fuit explicatum. Eamdem rem iterum atque iterum petit Moyses, quia eam valdè habebat cordi, sciens quòd plurimum referret, ac metuens ne Deus peccatis Hebræorum irritatus, quæ (attenta ipsorum propensione in malum) futura timebat, eos desereret ac deleret.

[ *Et auferas iniquitates nostras atque peccata*, ] Hoc est, parcas iniquitatibus & peccatis nostris, præterita remittendo, ait Liranus.

[ *Nosque possideas* . ] Habeas nos in populum tuum, nosque constanter teneas, tamquam tuum peculium & hæreditatem: Nam in Hebr. sonat *hæreditabis nos*.

[ ℣. 10. *Respondit Dominus* : *Ego inibo pactum* ] Hebræi fœdus anteà cum Deo initum fregerant per infamem idololatriam cap. 32. Jam promittit Deus, quòd de novo illud feriet, & ex Deut. 29. constat quòd illud renovaverit in terra Moab: quia tamen hic statim subjunguntur præcepta fœderis; Oleaster existimat hoc etiam loco fuisse renovatum. Quod fœdus sicut etiam prius, in eo consistebat, quòd Deus esset populi Israelitici rector & protector, populus autem vicissim soli Deo serviret ac obediret.

[ *Videntibus cunctis*, ] In Heb. & apud 70. coram omni populo tuo, propter quod idem Oleaster observat Deum sic loqui, quia necdum volebat eos vocare populum suum, ne peccatum minus æstimarent.

[ *Signa faciam quæ numquam visa sunt super terram, nec in ullis gentibus* : ] Qualia fuerunt missio ignis de cœlo, qui in altari semper arderet, Levit. 9. Absorptio Core, Dathan, & Abiron, Num. 16. Mirabilis eversio Urbis Jericho, Josue 6. Statio Solis & Lunæ, Josue 10. & plura alia.

[ *Ut cernat populus iste, in cujus es medio*, ] inter quos habitas,

[ *Opus Domini terribile quod facturus sum*. ] Singulare pro plurali ponitur, pro omnibus scilicet illis mirabilibus operibus quæ Deus erat facturus in favorem sui populi, sicque magnum terrorem incussurus, præsertim ejus inimicis.

[ ℣. 11. *Observa cuncta quæ hodie mando tibi* : ] Ad populum Deus sermonem convertit, loquiturque deinceps Moysi ut sustinenti personam populi, ac repetit præcepta superius posita, licèt non omnia hic scribantur.

[ *Ego ipse ejiciam ante faciem tuam* ] Q.d. non requiro arma & prælia vestra, sed mandatorum meorum observationem. Ego ipse virtute ac præsentia mea, ante faciem tuam ejiciam hostes qui occupant terram quam vobis promisi.

[ ℣. 12. *Cave ne umquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam*: ] Tum exemplo, tum inductione provocando te in peccata, propter quæ in miserias & calamitates peccatis debitas incidas. Vide c. 23. à v. 24.

[ ℣. 13. *Lucosque succide* : ] Luci vocantur loca quædam arboribus consita, in quibus gentiles templa vel aras suis idolis extruebant, suamque idololatriam exercebant.

[ ℣. 14. *Dominus zelotes nomen ejus*, ] Phrasis est Hebraica, pro eo quòd diceremus. Nomen Domini est zelotes; sicut Psal. 10. *Dominus in cœlo sedes ejus*; pro, *Domini sedes est in cœlo*. Alia rursum phrasis Hebræa est quòd dicatur nomen Domini esse zelotes, pro eo quòd est Dominum esse zelotem sive æmulatorem honoris sibi debiti, ita ut nolit populum suum colere quemquam alium pro Deo: Hebræis enim id dicitur esse nomen alicujus, quod ei convenit tamquam proprium, sive quo vocari meritò potest. Unde Isa. 7. habemus de Christo quòd *vocabitur nomen ejus Emmanuel*; & c. 9. quòd *vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, &c.* Hoc est, quòd erit Emmanuel, id est, nobiscum Deus, quòd erit admirabilis, consiliarius.

[ ℣. 15. *Ne, cum fornicati fuerint cum diis suis*, ] hoc est, deos seu idola sua coluerint; frequenter quippe in sacris literis idololatria vocatur fornicatio, eò quòd per eam homines se subjicerent & corrumpendos traderent idolis tamquam amasiis, spe commoditatum & voluptatum temporalium.

[ *Ut comedas de immolatis*. ] seu de iis quæ fuerint immolata idolis, quæ aliàs vocantur idolothyta, & de quibus comedere non est quidem per se illicitum, sed tantùm quando aliquis ea comederet aut in honorem idoli, aut cum periculo cadendi in idololatriam, aut cum aliorum scandalo: Israelitis tamen de illis comedere hic absolutè prohibetur, ut ab idololatria, in quam maximè proni erant, magis amoverentur.

[ ℣. 16. *Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis* : ] Quamvis nihil hic dicatur de matrimoniis filiorum Chananæorum cum filiabus Israelitarum; ea tamen pariter fuere prohibita, tum ob eamdem rationem, nimirum propter periculum subversionis quæ ut viro imminet à muliere, ita imminet mulieri à viro; tum quia & hic & alibi interdicuntur omnia pacta cum Chananæis, ac per consequens, etiam pacta nuptiarum quæcumque, tum denique, quia Deut. 7. sic dicitur, *Neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo*.

Etiam filias suas Hebræi dare non poterant filiis Chananæorum.

Cæterum, An Judæis solum fuerit prohibitum miscere conjugia cum Chananæis, Amorrhæis, Jebusæis, & aliis terræ promissionis incolis, & non cum aliis gentilibus; quæri potest ex eo quòd tam hic quàm Deut. 7. nihil præscribitur de reliquis gentibus.

Nihilominus omnino videtur dicendum prohibita illis fuisse matrimonia cum quibuscumque gentilibus in sua gentilitate perseverare volentibus. Cum enim 3. Reg. 11. reprehenditur Salomon quòd duxerit mulieres alienigenas multas, inter eas numerantur filia regis Ægypti, Moabitides, Amonitides, & Idumeæ, quæ non erant ex terra promissionis; Et tamen sic additur, *de gentibus super quibus dixit Dominus filiis Israel, non ingrediemini ad eas, neque de*

Cum quibuscumque gentibus prohibebantur miscere connubia.

*illis ingredientur ad vestras*. Ubi autem hoc dixerit, non invenitur alius locus quàm hujus cap. & Deut. 7. unde sequitur hæc loca generaliter esse intelligenda & extendenda ad quaslibet gentes idololatras; idque propter eamdem rationem, scilicet propter periculum seductionis. Primi quoque Esdræ cap. 9. graviter reprehenduntur Judæi quòd contra legem sibi datam matrimonia contraxissent, non solum cum mulieribus Chananæis & aliis de terra promissionis, sed etiam cum Ammonitidis, Moabitidis, & Ægyptiis. Rationem porrò cur in prohibitione matrimoniorum Judæorum cum alienigenis, specialiter exprimantur mulieres terræ promissionis, Abulensis q. 12. duplicem assignat. Prior est, quia magis communicaturi erant Hebræi cum illis quàm cum aliis nationibus, eò quòd Chananæi non essent omnes simul exterminandi, ut habetur supra cap. 23. v. 29. & quidam erant inter Hebræos habitaturi, ut patet ex Josue cap. 15. 16. 17. ideòque majus erat ab illorum matrimoniis periculum, quàm à conjugiis aliarum nationum. Posterior, quia Chananæi magis erant peccatores coram Domino, non solum in cultu idolorum, sed etiam in abominandis sceleribus quæ referuntur Levit. 18. & propter quæ Deus eos ejecit de illa terra, sicque plus periculi erat Genti Hebrææ ex pactis & conjugiis cum hujusmodi, quam cum aliis. Hanc rationem insinuat B. Thom. 1. 2. quæst. 105. art. 4. ad 6. Scribens enim quòd Dominus alienigenas prohibuit in matrimonium duci propter periculum seductionis ne inducerentur in idololatriam, sic addit: & specialiter id prohibuit de illis gentibus quæ in vicino habitabant, de quibus erat magis probabile, quòd suos ritus retinerent, nimirum quia magis erant illis addicti magisque in eis obfirmati.

Gentilem conversam poterat Hebræus ducere.

Si qua verò mulier cultum idololatriæ dimittere vellet & ad legis cultum se transferre; B. Thomas ibidem notat quòd poterat in matrimonium duci, sicut patet de Ruth quam duxit Booz in uxorem. Unde ipsa dicebat socrui suæ, *Populus tuus populus meus, & Deus tuus Deus meus*, Ruth. 1. & ideò captiva Deut. 21. non aliter permittebatur in uxorem duci, nisi prius rasa cæsarie & circumcisis unguibus, & deposita veste in qua capta est, & fleret patrem & matrem: per quæ significatur idololatriæ perpetua abjectio. Salmon quoque duxit Raab Chananæam, sed prius ad Deum conversam Josue 3. & Matth. 1. & David Maacham filiam Tolmai Regis Gessur 2. Reg. 3.

Neque prædictis obstat, quòd Samson Philistæam duxerit, Judic. 14. eamque ut apparet ad Deum non conversam; alioquin enim non reliquisset eam in medio nationis pravæ si fuisset conversa, neque tam citò eam deseruisset: Divino siquidem instinctu eam duxit Samson, quemadmodum habetur ex textu, ubi pro ratione quare pater & mater ejus non statim acquieverint desiderio Samsonis, affertur ipsos nescisse *quòd res à Domino fieret, & quæreret occasionem contra Philistum*. Eodemque modo excusandum est factum Estheris, quæ Assuero nupsit, Mardochæo consentiente qui curam ipsius habebat: Ipse enim divinitus fuit inspiratus, ac magni alicujus boni spem ex isto matrimonio conceperat, uti & postea accidit.

Tacitæ ob. solvitur.

[ ℣. 21. *Die septimo cessabis arare & metere*. ] Omne opus servile prohibitum fuisse Hebræis in sabbato dictum est cap. 20. Expressè tamen hic prohibentur tunc arare & metere, quæ sunt opera vitæ humanæ vel in primis necessaria, ut certius nossent quòd etiamsi esset tempus arandi vel metendi, deberent ab illis operibus abstinere die septimo qui erat sabbatum.

[ ℣. 22. *Solemnitatem hebdomadarum* ] Id est, Pentecostes, de qua cum aliis multis quæ hic repetuntur, dictum est c. 23. Facies tibi.

[ ℣. 24. *Cum enim tulero gentes à facie tua, & dilatavero terminos tuos*, ] Cum gentes, quæ terram tibi promissam possident, abstulero, eas interficiendo; & latos terminos in illa terra tibi dedero ad habitandum; Id quod factum est sub Josue, quando post plurima bella cum gentibus illis commissa, dicitur cap. 11. *Quievitque terra à præliis*, & cap. 18. quòd *terra fuit eis subjecta*.

Cajetanus & alii quidam ex his verbis colligunt quòd ante istam quietem non obligabantur Hebræi ter in anno comparere coram Domino, quia tunc adhuc distinebantur bellis cum antiquis incolis, nec ab eis iter securum erat.

[ *Nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno*. ] In Heb. habetur, *Non concupiscet vir terram tuam* &c. nimirum ut in absentia tua velit eam invadere, aut ei insidiari. Q. d. ne metuas hostes dum ad obediendum legi, omne masculinum tuum ascendet ad tabernaculum vel templum, quasi viris, qui resistere possent, absentibus, occupaturi sint bona tua; ego enim illos frænabo & impediam.

[ ℣. 25. *Non immolabis super fermento* ] Sententiam hanc explicuimus cap. 23. v. 18. ut & sequentes vers. 19.

[ ℣. 27. *Dixitque Dominus ad Moysen* ] Finitis sermonibus & præceptis jam præmissis, Deus sic Moysen monet.

[ *Scribe tibi verba hæc*, ] Quænam illa sint, ambigitur. Verisimilius est intelligenda esse verba præceptorum quæ hoc ipso cap. præcedunt; Ita tamen ut non videatur necessarium excludere verba præceptorum decalogi, cum ea maximè pertinerent ad fœdus Dei cum Hebræis initum, de quo hic est sermo. Jubetur autem Moyses ista scribere, non in tabulis in quibus sola decem præcepta fuere scripta, & quidem digito Dei; sed in libro, ex quo (ne oblivio subreperet) lectio frequentior haberi posset.

Secunda Moysi quadragesima.

[ ℣. 28. *Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit*, ] hoc est, nihil prorsus cibi vel potus sumpsit: Nomine enim panis omnem cibum, & nomine aquæ omnem potum intelligunt Hebræi, eò quòd ista duo sint necessaria, & sufficiant ad famem & sitim levandam. Hæc est secunda quadragesima quam Moyses in monte Sinai jejunavit. Prima refertur in fin. cap. 24. & contigit prius quàm primas legis tabulas acciperet, quas fregit cap. 32. sicut hæc secunda, prius quàm acciperet, secundas etiam decalogo inscriptas.

Non jejunavit tres quadragesimas.

Sunt qui Hebræos secuti tres dicant quadragesimas jejunasse Moysen, velintque hanc esse tertiam, secundam verò inter has duas ponunt, quando Moyses ascendit in montem deprecaturus Deum pro reatu populi in infamem idololatriam lapsi, secundùm ea quæ leguntur Deutero. 9. vers. 25. & cap. 10. v. 10. Sed quoniam in illis locis rectè intelligi potest sermonem esse de ea quadragesima in cujus fine Moyses secundas tabulas accepit, cum ex hujus c. vers. 9. constet Moysen in ea quadragesima Deum orasse pro illo populi peccato, neque appareat populum de illius remissione fuisse securum, quousque Moyses descendit cum secundis tabulis, qua ex re collegerunt illud jam esse remissum; melius est communem sententiam sequi ac dicere Moysen duas tantùm quadragesimas jejunasse, prout significant Basilius serm. 1. de laudibus jejunii, & oratione 5. de jejunio, Ambrosius epistola 82. & serm. 27. Hieronymus lib. 2. contra Jovinian. cap. 10. Augustinus quæst. 165. in Exod. Gregorius hom. 16. in Evangelia.

Confirm. Tempus quod intercurrit inter egressum filiorum Israel de Ægypto, & descensum Moysi de monte cum secundis tabulis, angustius est quàm ut tres quadragesimæ cum iis quæ insuper contigerunt, in illud possint compingi. Descendit enim decima die mensis septimi, qua die celebraverunt deinceps Festum expiationis in memoriam illius beneficii quo Deus propitiatus est peccato populi de adoratione vituli ad preces Moysi, ut est apud B. Tho. 1. 2. quæst. 102. art. 4. ad 10. Ab egressu autem de Ægypto qui fuit 15. mensis primi, lapsi fuerunt dies quinquaginta usque ad dationem legis: Deinde Moyses recitavit populo Dei mandata, & cum eo fœdus iniit oblatis variis sacrificiis, ut supra cap. 24. habetur, pro quibus unum atque alterum diem impendi oportuit: Postea montem seu montis partem ascendit ubi sex diebus fuit non jejunus, neque adhuc cum Domino, sed septimo demum die vocatus montis verticem conscendit, ibique cum Deo mansit

jeju-

jejunus quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Quibus expletis de monte descendit, tabulas confregit, vitulum contrivit, ex eo potum dedit filiis Israel, Aaronem increpavit, idololatras occidit, aliquoties ad Deum in montem ascendit, & ex eo ad populum descendit, occupatus fuit in transferendo tabernaculum extra castra, è loco tabernaculi ad castra ivit ac redivit non semel ut ex cap. 32. & 33. patet, tandemque novas tabulas præcidit ac dolavit; quæ omnia plurium dierum spatium requirunt: ac tum demum cum novis tabulis ad montem rediit, ibique jejunus mansit quadraginta dies & quadraginta noctes. Si ergo è centum octoginta septem diebus qui computari possunt à primo die mensis primi usque ad decimum mensis septimi, detrahantur dies qui ante egressum de Ægypto lapsi sunt, ac omnes illi qui debuerunt impendi in ea quæ jam recensuimus, non possunt inveniri quadraginta dies pro altera quadragesima, quam inter primam & secundam volunt intercessisse.

[ *Et scripsit in tabulis verba fœderis decem*. ] Non est hoc referendum ad Moysen, quamvis ita videri possit; sed ad Dominum, cum quo Moyses fuisse dicitur. Ille siquidem intelligendus est scripsisse in tabulis, qui v. 1. dixit: *scribam super eas*; & de quo Moyses Deut. 10. ait, *scripsitque in tabulis juxta id quod prius scripserat*. Ita sentiunt Liranus, Abulensis, Cajet. Oleaster, Estius, & plures alii.

[ ℣. 29. *Ignorabat quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini*. ] Tametsi quidam nostrum interpretem reprehendant, dicentes vocem Hebræam non significare esse cornutam, sed radiare; optimè tamen vertit, Nam & cornutam esse significat; ut Oleaster & alii Hebraicè periti docent: unde & Aquilam ita vertisse tradit ipse B. Hieronymus sic scribens in cap. 6. Amos: *In Exodo juxta Hebraicum & Aquilæ editionem legimus, & Moyses nesciebat quia cornuta erat species vultus ejus*. Non est tamen existimandum quòd Moyses haberet vera cornua, sed metaphoricus sermo est, quo significatur quòd ex vultu Moysi promicarent radii instar cornuum, iique maximè luminosi & fulgidi, ut & Moyses & lex quam adferebat, in maxima haberetur reverentia.

Non erant in Moyse vera cornua.

Si quæras, quare nunc ex consortio sermonis Domini sic irradiata fuerit facies Moysi, potius quàm in aliis colloquiis, eo præsertim quo prius totidem diebus ac noctibus cum ipso fuit. Resp. rationem esse, quia nunc vidit fulgentissimam sibi apparentis figuram quam antea non viderat.

Si præterea quæras, quamdiu duraverit iste fulgor vultus Moysi, Abulensis q. 26. respondet, quòd usque ad ejus mortem. Idque ex B. Ambrosio confirmari potest, qui serm. 17. in Psal. 118. ita scribit, *quamdiu vixit Moyses & alloquebatur Judæorum populum, velamen habebat in facie sua*. Nam eo velamine opus non fuisset, si fulgor faciei non perseverasset.

[ ℣. 30. *Videntes autem Aaron & filii Israel cornutam Moysi faciem*, ] Id est, emittentem radios instar cornuum, eosque valdè fulgidos.

[ *Timuerunt propè accedere*. ] Partim propter reverentiam, partim quia ferre non poterant tantum fulgorem.

[ ℣. 31. *Vocatique ab eo, reversi sunt tam Aaron quam principes synagogæ*. ] Seu Principes multitudinis, capita scil. duodecim tribuum, & alii seniores de populo qui prius recesserant non ausi accedere ad Moysen.

[ ℣. 32. *Venerunt ad eum etiam omnes filii Israel*: ] Audaciores facti cum viderunt primores ab illo vocatos propinquasse, & Moysen cum eis loqui. Venerunt autem, ut ab eo audirent quid nunciaret.

[ *Quibus præcepit cuncta quæ audierat à Domino in monte Sinai*. ] De tabernaculo videlicet, ejusque utensilibus, & de moralibus, cæremonialibus, judicialibusque præceptis.

[ ℣. 33. *Impletisque sermonibus, posuit velamen super faciem suam*. ] Hinc fit consequens quòd in isto primo colloquio legem promulgaverit nudata facie, & apparente fulgore; ad majorem scilic. legis majestatem & reverentiam conciliandam: postquam verò legalium præceptorum recitationem absolvit, faciem suam cooperuit velamine.



[ ℣. 34. *Quod ingressus ad Dominum*, ] in tabernaculum scil. fœderis in quo Deus præsentiam suam peculiariter ostendebat:

[ *Auferebat donec exiret*, ] Indignum judicans cum Domino loqui facie cooperta.

Allegoricè velamen super vultu Moysi positum designat vetus testamentum esse Judæis velatum, quo fit ut figuras & umbras videant, non verò ipsam lucem, Christum. Sed cum fuerint conversi ad Christum, tunc Christus velamen auferet, eisque veritatis lucem ostendet, quemadmodum 2. ad Cor. 3. significat Apostolus. Allegorica.

In eo quod Moyses populum alloquens faciem suam velaret, Moraliter docentur Pastores & Concionatores se accommodare capacitati suorum subditorum: In hoc autem quòd Moyses ad Dominum ingrediens, & cum ipso loquens velamen auferret, datur intelligi quòd in patria non remanebit velamen figurarum veteris testamenti, nec ænigma novi, de quo 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, Insuper exemplo Moysi docemur segregari à turbis & tumultibus, ut contemplationi vacemus, & cum Deo loquamur. Moralis.

## CAPUT XXXV.

*Repetitur præceptum de sabbato. Petuntur donaria ad constructionem tabernaculi, & pertinentium ad illud. Advocantur artifices: & illis omnibus deputati esse dicuntur Beseleel & Ooliab.*

[ ℣. 1. *Igitur congregata omni turba filiorum Israel*, ] Volens Moyses mandare filiis Israel constructionem tabernaculi, renovat eis præceptum de observatione sabbati, ne fortè putarent se ab ejus obligatione solutos, eò quòd opera illius constructionis pertinerent ad Deum.

[ ℣. 3. *Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati*. ] Non in omnibus, id est, in nullis. Tanta fuit apud Hebræos religio sabbati, ut in eo non liceret cibos coquere, supra cap. 16. v. 23. nec ignem succendere, nempe ad cibos parandos vel coquendos: quam limitationem addunt interpretes; quoniam ad calefaciendum aut lumen præbendum non erat prohibitum sabbato succendere ignem; uti nec ad parandum pharmaca vel alia necessaria quæ differri non poterant sine periculo, nec potuerant aut prævideri aut anticipari. Observandum porrò religionem sabbati in eo majorem fuisse reliquorum festorum cultu, quod in aliis festis, etiam magnis ut in Paschate, supra cap. 12. v. 16. licebat ea quæ ad vescendum pertinent parare, ac per consequens ad ea coquenda ignem succendere; non similiter in sabbato. Cum aliqua restrictione, hoc intelligitur.

[ ℣. 4. *Iste est sermo quem præcepit Dominus*, Ista est res quam Dominus præcepit: Ponitur namque sermo pro re, sicut 2. Reg. 1. *quod est verbum quod factum est?*

[ ℣. 5. *Separate apud vos primitias* ] Seu excellentiora donaria. Deus præcipit ut offerant primitias, & tamen jubet ut quisque voluntarius & prono animo eas offerat. Non ergo repugnat aliquid ex præcepto facere, & facere voluntariè & prono animo: ergo nec repugnat operari ex voto, & voluntariè: ac per consequens vota monastica non repugnant libertati, sicut hæretici quidam dogmatizant.

[ ℣. 10. *Quisquis vestrum sapiens est*, ] Peritus & industrius artifex. Petes, quid opus erat artificibus peritis & industriis, cum omnia fieri deberent ex præscripto Moysi velut architecti. Resp. ut facilius caperent ac disponerent ea quæ à Moyse præscriberentur.

[ ℣. 11. *Tabernaculum scilicet & tectum ejus, atque operimentum*, ] Per tabernaculum vel intelligitur magnum operimentum ex decem cortinis conficiendum, sicut cap. 26. v. 6. vel ipsa moles totius sanctuarii seu tabernaculi cum isto ejus operimento. Per tectum ejus, significatur secundum coopertorium ex undecim sagis: per operimentum, duplex coopertorium, tam illud videlicet quod debebat fieri ex pellibus arietum rubricatis, quàm quod ex pellibus janthinis.

[ *Et tabalata* ] hoc est, tabulas tabernaculi instar tabulati cujusdam connectendas, & ad modum parietis erigendas ad Meridiem, Septemtrionem, & Occidentem. Sic etiam accipiuntur tabulata cap. seq. v. 34.

[ *Paxillos* ] In Hebr. columnas, quæ in nostro textu sub paxillis comprehendi possunt, eò quòd paxilli essent affigendi columnis.

[ ℣. 15. *Tentorium ad ostium tabernaculi.* ] Per hoc tentorium, intelligitur velum quod pendere debebat ante ostium tabernaculi, & tegere latus Orientale: quomodo etiam accipitur infra.

[ ℣. 17. *Tentorium in foribus vestibuli.* ] seu anterioris partis atrii, per quam scil. erat ingressus in illud, ut patet ex cap. 27. v. 16.

[ ℣. 18. *Cum funiculis suis:* ] Nulla funiculorum mentio facta est superius, ubi divinæ ordinatio est recitata; eorum tamen rursum fit mentio cap. 39. vers. 39. nec dubium est funicula opus fuisse, tum in atrio tabernaculi, tum alibi. Et quamvis vox Hebræa significet residuum, nihilominus etiam significat funem: Et fortè residuum dicitur funis, quia in cingulo quod ex fune fieri solebat, quædam erant partes residuæ, nempe post nodum. Ita Oleaster.

[ ℣. 21. *Obtulerant mente promptissima atque devota* ] Ex his rursum constat, quòd non repugnet aliquid facere ex præcepto, & tamen voluntariè ac liberè.

[ ℣. 22. *Et dextralia:* ] Seu brachiorum ornamenta.

[ ℣. 25. *Sed & mulieres docta,* ] id est, nendi peritæ.

[ *Dederunt hyacinthum,* ] Netem videlicet seu filatum.

[ ℣. 34. *Dedit in corde ejus:* ] Scientiam nimirum & artem fabricandi, suendi, ac texendi quidquid artificiosè potest fieri.

[ ℣. 35. *Opera abjetarii,* ] In Hebr. fabri, nempe lignarii seu carpentarii. Strictè quidem abjetarii vocantur, qui abjetes parant & de abjetibus aliquid faciunt: At hic largius sumitur istud vocabulum, cum abjetes non fuerint in toto opere sanctuarii, sed tantùm ligna setim, extenditurque ad omnes qui operantur in ligno quocumque. Reliquorum versuum explicationes ex c. 25. 26. & 27. petantur.

Moralit. Ad mores observandum est, quòd sicut ab oblatione sua & ab obsequio tabernaculi neminem Deus excludebat quamvis pauperem & miserum, sed volebat ut qui non possent offerre aurum, argentum, & alia hujusmodi pretiosa, offerrent pelles & pilos caprarum, si possent, aut saltem ea quæ neverant: ita nullius etsi pauperrimi oblationem quantumvis exiguam nunc repellat, adeò ut Christus asserat Matth. 10. non cariturum mercede illum qui calicem aquæ frigidæ dederit, in nomine discipuli.

## C A P U T XXXVI.

*Populus plura offert quam opus sit ad fabricationem tabernaculi. Ipsum fabricatur juxta suas partes, quæ sunt cortinæ decem, saga undecim, operimenta duo, tabella, vectes, velum Sancti Sanctorum, & velum sancti.*

[ ℣. 1. **F**ecit &c. ℣. 2. *Cumque vocasset eos,* ] Beseleel & Ooliab: nam de cæteris sequitur,

[ *Et omnem eruditum virum &c.* ]

[ ℣. 3. *Quotidie mane vota populus offerebat.* Vota, id est, voluntaria munera. Per hoc quod dicitur, *mane*, docemur operibus divini cultus instare prius quàm ad alia convertamur.

[ ℣. 5. *Plus offert populus quàm necessarium est.* ] Puderet Christianos, qui pro suæ Parochialis Ecclesiæ fabrica & ornamentis, tam pauca & tam tepidè offerunt; cum Israelitæ tanta & tam promptè obtulerint pro tabernaculo, imò plura quàm esset necesse, cum nunc difficillimè possint à Christianis extorqueri necessaria.

[ ℣. 14. *Fecit & saga undecim de pilis caprarum ad operiendum tectum tabernaculi:* ] Hoc est, ad integrandum velum quod ex undecim sagis constans, esset tectum seu operimentum ipsius tabernaculi, hoc est, veli ex decem cortinis conficiendi.

[ ℣. 18. *Fecit & fibulas æneas quinquaginta, quibus necteretur tectum,* ] Id est, secundum velum seu operimentum, quod ex undecim sagis esse debebat.

[ ℣. 33. *Fecit quoque vectem alium,* Hujus vectis Hebræa & Græca etiam cap. 26. meminerunt; & ponendus erat ad latus occidentale, quod tegebat Sanctum Sanctorum, quia solum istud latus habebat duos angulos, ut benè probat Abulensis q. 2.

[ ℣. 36. *Et quatuor columnas de lignis setim, quas cum capitibus deauravit.* ] Capita seu capitella tam harum quatuor columnarum quàm aliarum quinque de quibus versu 38. fuisse aurea habemus cap. 26. ubi fieri jubentur ea quæ hic facta narrantur. Hinc Marxilla ad præsentem versum notat non eodem modo deauratas fuisse columnas & capita earum: Nam capita, dicit fuisse aurea, columnas verò laminis aureis coopertas, si non totaliter, saltem filis aureis in gyrum euntibus, ut interpretatur Cornelius à Lapide. Reliqua videantur isto cap. 26. explicata.

## C A P U T XXXVII.

*Fabricatur Arca, propitiatorium, mensa, candelabrum, altare thymiamatis, & thymiama componitur.*

[ ℣. 1. **F**ecit &c. *Habentem duos semis cubitos:* ] Id est, duos & semis; sive duos & dimidium.

[ ℣. 7. *Duos etiam Cherubim* ] Non plures quàm duo facti sunt Cherubim: unus in summitate, hoc est, in extremitate unius partis propitiatorii; alter in summitate sive in extremitate alterius partis. Hebræa dicunt fecit eos à duabus extremitatibus propitiatorii. Quod ergo v. 8. additur, *Duos Cherubim in singulis summitatibus*, id est, extremitatibus esse positos; ex præcedentibus intellige, in singulis unum fuisse, & non duos.

[ ℣. 14. *Contra coronam:* ] Id est, subter coronam, ut habetur c. 25. v. 27.

[ ℣. 17. *De cujus vecte* ] Vectem hic vocat stipitem seu truncum candelabri, quem cap. 25. vocavit hastile.

[ ℣. 19. *Æquum erat opus sex calamorum,* ] id est, omnes calami erant sibi mutuò planè similes, ejusdemque artificii. Alii versus præcedentes expositi sunt c. 25. sequentes autem c. 30.

## C A P U T XXXVIII.

*Fabricatur altare holocausti, labrum æneum, atrium, & oblata donaria recensentur.*

[ ℣. 1. **F**ecit &c. ℣. 3. *Uncinos,* ] Non fuit hoc expressum cap. 27. Sunt autem uncini instrumenta ab uno saltem latere recurva, quæ serviunt vel ad connectendum aliquid alteri, ut supra cap. 28. *Ipsarum catenarum extrema duobus copulabis uncinis:* vel ad ramos arborum detrahendos, ut ex illis poma decerpantur, sicut Amos 8. ubi ipse vidit uncinum pomorum. At hic poni videntur pro instrumentis ad ollas pertinentibus, quæ erant in extremitate recurva, & unico dente constabant. Vide Num. 4. versum 14. ubi uncini recensentur cum fuscinulis & batillis.

[ ℣. 8. *Fecit & labrum æneum cum basi sua de speculis* ] Labrum istud fuisse vas lavatorium diximus cap. 30. Ex qua autem materia fuerit factum, quidam controvertunt; tum quòd specula non fiant ex ære sed ex vitro, tum quòd in Hebræo non habetur de speculis, sed in speculis: quorum proinde aliqui dicunt labrum non ex speculis factum fuisse, sed in speculis, seu in medio speculorum fuisse positum, ita ut ipsi labro specula fuerint per circuitum apposita, ut Sacerdotes in eis vultum contemplati, maculas suas viderent & abluerent. Alii volunt labrum dici factum ex speculis, quia sit factum ex integumentis seu capsulis æneis speculorum. Sunt etiam qui, *fecit*, exponunt per aptavit & ornavit.

Sed

Si quâ materiâ factum fuerit labrum.

Sed veritas eſt, labrum fractum, fuiſſe ex ſpeculis tamquam ex materia, ipſaque ſpecula fuiſſe ænea, quemadmodum textus ſignificat: quamvis enim vox Hebræa ſæpe vertatur per, In; etiam verti poteſt per De, vel per Ex, quomodo non tantùm B. Hieron. Hebraicè peritiſſimus, ſed 70. quoque interpretes natura Hebræi reddiderunt. Neque admittendum eſt ſpecula non fieri ex ære, ſed ex vitro, cum Plinius lib. 33. cap. 9. ſcribat optima fuiſſe apud majores ſpecula Brunduſina, ſtanno & ære miſtis: qui rurſum lib. 34. cap. 17. ait quòd ſpecula ex ſtanno laudatiſſima Brunduſii temperabantur, donec argenteis uti cepere & ancillæ. Sed & Zonaras tom. 3. Annalium in Anaſtaſio Dicoro refert Proclum Philoſophum ſpecula ex ære fabricaſſe uſtoria, eaque de muro ſuſpendiſſe è regione navium hoſtilium, in quæ cum radii ſolares impegiſſent, ignem inde fulminis inſtar erumpentem claſſiarios ipſaſque naves hoſtium combuſſiſſe, quod olim Archimedem excogitaſſe, Romanis Syracuſas obſidentibus Dion. refert. Hodie quoque ex polito chalybe, non puro quidem, ſed aliarum rerum mixtione temperato, ſpecula fiunt: quid ergo mirum ſi ex ære olim facta fuerint?

Specula ex ære olim facta.

[ *Mulierum quæ excubabant in oſtio tabernaculi.* ] In Hebræo non exprimitur, *mulierum*, habetur tamen æquivalens, ſcilicet participium fœminini generis, *convenientium quæ conveniebant*; ſicut & apud 70. qui habent, *ex ſpeculis earum quæ jejunaverunt*. Obſervat Cajet. quòd dictio interpretata convenientium, eſt participium deductum ab exercitu, ſicut & verbum conveniebant: Et quia fœminini eſt generis, ſignificat mulieres quæ turmatim inſtar exercitus conveniebant ad oſtium tabernaculi, frequenter ibi orantes & jejunantes. Non oportet autem intelligere quòd ſic ibi excubarent, quaſi continuò illic manerent, quomodo poſt extructum templum aliquas manſiſſe patet ex Lucæ 2. de Anna Prophetiſſa, *quæ non diſcedebat de templo jejuniis & obſecrationibus ſerviens die ac nocte*; ac forQuomodo excubabant. taſſis etiam poſtquam magnum tabernaculum fuit in terra promiſſionis. Nam quòd tabernaculo illo nondum extructo, & minore certam ſedem non habente, ad ejus oſtium continuò manerent mulieres devotæ, non eſt veriſimile. Sermo igitur hic eſt de piis mulieribus quæ ſpreta ſæculi vanitate, ſæpe magnoque numero conveniebant ad oſtium tabernaculi, illic orantes & jejunantes, etſi poſtmodum ad ſua redirent.

Moraliter per labrum intelligitur pœnitentia qua Sa-

Moralia. cerdotes ſacra officia celebraturi ſe lavare debent. Specula autem ex quibus erat compoſitum, & in quæ Sacerdotes oculos jacientes, intueri poterant an eſſent ſufficienter loti, deſignant præcepta & Sanctorum exempla ex quibus videre poſſumus an aliqua culpæ macula adhuc nobis inſit. Quòd hodie quibuſdam locis conſuetudo habet, ut in ſacrario, ubi Sacerdos celebraturus ſacris veſtibus ſe induit, pendeat ſpeculum in quo videre poſſit num in facie maculam habeat; non eſt reprehendendum, modò abſit curioſitas, & tantò major cura ſit abſtergendæ maculæ interioris, quantò anima plus eſt quàm corpus.

[ ℣. 21. *Hæc ſunt inſtrumenta tabernaculi teſtimonii quæ enumerata ſunt juxta præceptum Moyſi, in ceremoniis Levitarum.* ] Hoc eſt, in miniſterium Levitarum, quæ nimirum erant neceſſaria, ut Levitæ fungerentur ſuis ſacris functionibus. Accipiuntur autem hic Levitæ generaliter pro illis qui erant de tribu Levi, ut etiam comprehendantur Sacerdotes. *Per manum Ithamar*, ſecundùm ſcilicet ejus ordinationem.

[ ℣. 24. *Omne aurum quod expenſum eſt in opere ſanctuarii, & quod oblatum eſt in donariis.* ] Seu quod ſponte oblatum eſt ab iis qui ſpontaneas oblationes faciebant, de quibus c. 36.

[ ℣. 25. *Oblatum eſt autem ab his qui tranſierunt ad numerum.* ] Hoc eſt, qui numerati ſunt. Non eſt hic ſubaudiendum aurum, de quo præcedit; ſed argentum de quo ſequitur: Prius enim ſermo eſt de donis quæ fuerant ſponte oblata pro cujuſque devotione tam à viris quàm à mulieribus: At nunc agitur de oblatione ex præſcripto legis, quæ jubebat ut omnes qui nominatim cenſebantur, penderent dimidium ſicli ita ut nec plus nec minus poſſent pendere, ſupra cap. 30. Confirmatur, partim quia in cenſu populi non offerebatur aurum, ſed argentum: partim quia in Hebr. vocatur argentum numeratorum vel numerationis populi: partim quia numerus argenti hoc loco expreſſus, centum videlicet talentorum, & mille ſeptingentorum ſeptuaginta quinque ſiclorum, exactè reſultat ex oblationibus eorum qui dicuntur numerati, computando in ſingula capita dimidium ſicli: Talentum enim Hebræum continet tria millia ſiclorum.

[ ℣. 26. *Fuerunt præterea centum talenta argenti.* ] Præterea, non idem valet quod præter ſummam argenti quæ ex cenſu populi fuit habita, ſed ſenſus eſt, quòd præter aurum ſponte oblatum de quo præcedit, collecta fuerint ex cenſu centum talenta argenti,

[ *E quibus conflatæ ſunt baſes ſanctuarii & introitus ubi velum pendet.* ] Ut enim ex cap. 26. Liranus obſervat, baſes argenteæ erant quadraginta in latere aquilonari, & quadraginta in auſtrali, & ſexdecim in occidentali, quatuor autem ſub quatuor columnis in quibus pendebat velum dividens ſanctum à Sancto Sanctorum. Quot autem baſes è centum talentis argenti conflatæ fuerint, mox ſequitur.

[ ℣. 27. *Centum baſes factæ ſunt &c.* ] Et quoniam ex cenſu populi non ſolùm collecta fuerunt centum talenta argenti, cum numerati fuerint maſculi ad ſexcenta tria millia, & quingenti quinquaginta, ideo ſequitur:

[ ℣. 28. *De mille autem ſeptingentis & ſeptuaginta quinque,* ] Subaudi ſiclis (ut exprimunt 70. etſi Hebræa non habeant) qui ſupra centum argenti talenta reſtabant.

[ *Fecit capita columnarum,* ] non quòd hæc ſumma per ſe ſufficeret, ſed quia ad hoc fuit impenſa: quod autem deerat, ſuppletum fuit ex donariis ſponte oblatis.

[ *Quas & ipſas veſtivit argento.* ] Pro veſtivit, Heb. ſonat *cinxit*, aut *veſtivit per circuitum*. Vide quæ c. 27. dicta ſunt v. 10. & 17.

[ ℣. 29. *Æris quoque oblata ſunt talenta ſeptuaginta duo millia & quadringenti ſupra ſicli.* ] In Heb. legitur, ſeptuaginta talenta, & duo millia, nimirum talentorum, & quadringenti ſicli. Quæ lectio conveniet cum noſtra, ſi illud (*millia*) non conjungatur cum *ſeptuaginta duo*, ſed poſt ſeptuaginta ſubaudiatur copulativa. *Et*, quæ eſt in Hebræo, ſic enim ſenſus erit quòd oblata fuerint æris talenta ſeptuaginta, ac etiam duo millia talentorum, & inſuper quadringenti ſicli.

[ ℣. 30. *Ex quibus fuſa ſunt baſes in introitu tabernaculi* ] Hoc eſt, baſes columnarum quæ ſunt in introitu tabernaculi &c.

[ ℣. 31. *Et baſes atrii* ] Id eſt, baſes columnarum atrii. Cætera hujus cap. videri poſſunt cap. 26. & 27. expoſita.

## CAPUT XXXIX.

*Conficiuntur Pontificalia & Sacerdotalia veſtimenta.*

[ ℣. 1. DE *hyacintho &c.* ] Recitantur hoc cap. veſtes Pontificis ac Sacerdotum factæ per Beſeleel, quas cap. 28. Deus fieri juſſerat, ubi explicata fuerunt quæ hic continentur, paucis exceptis.

[ *Quando miniſtrabat in ſanctis,* ] hoc eſt, in Sanctuario.

[ ℣. 3. *Inciditque bracteas* ] id eſt, laminas

[ *Aureas,* ] Quomodo interpretatur Beatus Hieronymus epiſt. 128. ad Fabiolam.

[ *Et extenuavit in fila, ut* ] hac ratione fila auri.

[ *Poſſent torqueri* ] Subintellige & texi,

[ *Cum priorum colorum ſubtegmine,* ] hoc eſt cum filis priorum colorum ſub ſtamine textis, Subtegmen enim eſt filum quod ſub ſtamine texitur; ſtamen autem id quod tenditur in longum, & firmiter ſtat quando textura fit.

[ ℣. 4. *Duaſque oras* ] Scilicet fecit de quibus iſto c. 28. verſ. 7.

[ ℣. 29. *Scripſeruntque in ea opere gemmario,* ]

In ea lamina insculpserunt sicut gemmarii insculpere solent in gemmis vel annulis.

[ ℣. 32. *Et tectum*, ] hoc est, tegumentum ex sagis cilicinis.

Moralis.

[ ℣. 43. *Quæ postquam Moyses cuncta vidit completa, benedixit eis.* ] Non vasis & instrumentis tabernaculi, quæ demum cap. seq. narrantur fuisse consecrata, sed filiis Israel qui nominantur versu præcedente. Collustrato scilicet toto opere, & viso quòd esset perfectum, Moyses eorum pietatem ac diligentiam laudavit benèque ipsis est precatus.

Per quod moraliter significatur quòd qui tabernaculum Deo construxerint in anima sua, illudque per virtutes varias compleverint, benedictionem ab eo consequentur, ac tandem audient, *Venite benedicti Patris mei.* Matth. 25.

Cur hic sigillatim omnia repetuntur.

Quæret quispiam, quare Moyses tam sigillatim explicet ea quæ à Beseleel cæterisque artificibus facta sunt, utens repetitione eorum quæ in præcedentibus dixerat Deum jussisse fieri.

Resp. Quòd ad majorem rerum sacrarum reverentiam, ut populus in particulari & distinctè audiens res illas, quibus Deus coli volebat, non tantùm esse ab eo institutas, sed etiam sapientia per ipsum artificibus collata perfectas, majori eas reverentia prosequerentur.

Cur Deus omnes tabernaculi partes instituit.

Si prætetea quæras, quare Deus omnia & singula ad tabernaculi fabricam pertinentia instituit, & non similiter ea quibus Ecclesiæ Christianorum sunt fabricandæ.

Resp. Partim quia populus Hebræorum erat pronus ad idololatriam, ideoque facillimè immiscuissent aliqua in templis idolorum per eos visa, nisi Deus its obviam ivisset; hoc autem cessat inter Christianos: partim quia omnia illa erant figuræ eorum quæ in Ecclesia novi testamenti erant gerenda: nullo autem modo expediebat hominum arbitrio relinquere, quid per hoc aut illud Deus vellet figurari: partim denique, quia non nisi unum tabernaculum volebat sibi construi, ad quod universus populus Hebræus conveniret pro sacrificiis ipsi offerendis, & pro cujus constructione omnes conferrent: At in novo testamento, cum Ecclesia non in uno populo neque intra fines unius regionis contineatur, sed per totum orbem diffundatur, complures materiales Ecclesias ædificari necesse est, quasdam majores & splendidiores, alias minores & minùs splendidas, pro majori vel minori commoditate populorum.

Quare inter Judæos unũ tantum tabernaculum.

Cæterum si ulterius quæras, quare Deus unicum tabernaculum, cui postea unum templum successit, in gente Judaica esse voluerit.

Resp. cum Beato Thoma 1. 2. q. 102. art. 4. ad 3. rationem esse, ad exclusionem idololatriæ, quia Gentiles, diversis diis, diversa templa construebant: & ideo ut in animis Israelitarum fides unius Dei firmaretur, voluit Deus ut in uno tantùm loco sibi offerretur sacrificium. Et iterum ut per hoc ostenderet quòd cultus ille antiquus non propter se erat ei acceptus, ideoque non erat per diversa loca multiplicandus: Sed cultus novæ legis in cujus sacrificio spiritualis gratia ipseque author gratiæ continetur, est secundùm se Deo acceptus, & ideo multiplicatio altarium & templorum acceptatur in nova lege. Quantum tamen ad hoc ut Judæi verbum Dei ejusque explicationem audirent, diversa loca habebant, quæ dicebantur synagogæ, Ecclesiæ autem Christianorum succedunt in locum & templi & synagogæ Judæorum: ut proinde non opus sit nos habere diversa loca pro sacrificio, & pro prædicatione verbi Dei.

## CAPUT XL.

*Erigitur tabernaculum, & in eo collocantur illa quæ Deus jusserat, postea nubes gloria Dei illud operit.*

[ ℣. 1. L*ocutusque est Dominus ad Moysen*, ] Quando Deus ista sit Moysi locutus, non omnino constat; prorsus tamen verisimile est quòd ante tempus hic designatum, sicut modus loquendi significat; aliquot scilicet diebus antequam omnia ad sanctuarii erectionem necessaria essent completa.

[ ℣. 2. *Mense primo, prima die mensis*, Anni videlicet secundi ab egressu Israelitarum de Ægypto, sicut patet ex versu 15. cum adhuc essent in deserto Sinai.

[ *Eriges tabernaculum testimonii*, ] Per varios artifices istius rei gnaros.

Allegoricè tabernaculum novi testamenti erectum est, quando Christi Ecclesia fuit formata & collecta.

[ ℣. 5. *Et altare aureum* ] Sermo est de altari thymiamatis seu incensi: quod cur vocetur aureum, & ubi fuerit situm, ex dictis ad cap. 30. petendum est.

[ *In quo adoletur incensum* ] Neque tunc incensum adolebatur super isto altari, nec verisimile est quòd antea quisquam ibi adoleverat, cum necdum esset consecratum neque in tabernaculo collocatum; sed adoletur, idem est, ac adoleri debet: ad hoc quippè jussum est fieri, ut super illud thymiama cremaretur. Quamquam dici possit Moysen respicere ad tempus quo hanc historiam scribebat.

Cum enim hoc saltem caput scripserit postquam contigissent quæ hic referuntur, verum erat dicere, quòd tunc in altari thymiamatis adoleretur incensum, statutis nimirum à Deo temporibus.

[ *Tentorium* ] seu velum ex filis quatuor colorum

[ *Pones*, ] Ut c. 26. v. 36. fuit explicatum.

[ ℣. 13. *Et unctio eorum* ] Aaronis & filiorum ejus.

[ *In Sacerdotium sempiternum proficiat*. ] Ad hoc eis valeat, ut sint Sacerdotes per totam suam vitam. Sicut enim in novo testamento Sacramentum ordinis per characterem quem imprimit, facit Sacerdotes; ita illa unctio faciebat Aaronem & ejus filios Sacerdotes veteris testamenti, idque non pro uno mense vel anno, sed in sempiternum, id est, quamdiu viverent.

[ ℣. 17. *Et expandit tectum super tabernaculum, imposito desuper operimento*, ] Per tectum intelligitur velum ex decem cortinis factum, quod immediatè tegebat tabernaculum: Per operimentum verò, sagum cilicinum & reliqua de pellibus tum rubricatis, tum ianthinis.

Nam hæc omnia super primum velum imponebantur & operiebant tabernaculum.

[ ℣. 18. *Posuit & testimonium* ] hoc est, legem seu tabulas Decalogi.

[ *In arca &c.* ]

[ ℣. 24. *Posuit & altare aureum* ] seu thymiamatis,

[ *Sub tecto testimonii* ] Id est, sub tecto tabernaculi quod vocabatur tabernaculum testimonii:

[ *Contra velum*. ] Quod nimirum dividit Sancta Sanctorum à sanctis. Ex quo consequens est istud altare non fuisse intra Sancta Sanctorum, sed extra ut cap. 30. fuit dictum.

[ ℣. 25. *Et adolevit super eo incensum* ] Hinc ut & ex versu 27. constat Moysen fuisse Sacerdotem, secundùm quod Psalm. 98. dicitur, *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus*. Non enim tantùm consecravit Aaronem & filios ejus in Sacerdotes, quod non alteri quàm Sacerdoti competit, sed holocausta quoque & sacrificia obtulit, & quidem propè montem Sinai, conformiter iis quæ dicuntur Exod. 3. *Immolabis Deo super montem istum:* Illic namque adhuc erant quando hæc gesta sunt.

Fuit

Fuit tamen Sacerdos non ordinarius, cum neque esset primogenitus, neque per lineam Sacerdotalem, quæ hactenus nulla fuerat, descenderet; sed extraordinariè à Deo constitutus: unde mirum videri non debet, quòd ipsius filii non ei successerint in Sacerdotio.

[ ℣. 30. *Cum ingrederentur tectum fœderis*, ] idest, tabernaculum testimonii.

[ *Et accederent ad altare*, ] Incensi videlicet, quod erat in ipso tabernaculo intra sancta.

[ ℣. 32. *Operuit nubes tabernaculum testimonii*, ] Postquam erectum fuit tabernaculum, & omnia disposita sicut oportebat, nubes seu columna quæ eousque fuerat super parvum tabernaculum, secundùm ea quæ dicuntur cap. 33. eratque Hebræis dux viæ, deseruit illud, & per Angelum mota venit ad tabernaculum testimonii noviter constructum, & illud operuit: quo facto Deus ostendit hoc tabernaculum sibi esse gratum.

Sic autem operuit, ut quæ antea figuram columnæ præferebat, jam se dilataverit, totumque tabernaculum, non solùm in tecto, sed etiam in circuitu ambiret ac tegeret, quemadmodum explicat Abulensis.

*Nubes cur gloria Dni.* [ *Et gloria Domini implevit illud.* ] Vocatur gloria Domini, ista nubes, eò quòd majestatem Dei demonstraret. Nubes quippè, splendida præsertim & à Deo peculiariter & extraordinariè exhibita, habet nescio quid augusti ad præsentiam ac majestatem Dei testandam, & ad sacrum horrorem animis ha[minum] incutiendum. Hinc est quòd frequenter legitur Deus in nube apparuisse, & in ea gloriam suam demonstrasse. Præsens autem nubes non tantum operuit tabernaculum testimonii, sed etiam totum illud implevit interius.

[ ℣. 33. *Nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & majestate Domini* ] Hoc est, nube illa quæ præsentiam & gloriam Dei demonstrabat.

[ *Coruscante*. ] Causa ergo cur Moyses tunc non poterat ingredi tabernaculum, fuit quòd illa nubes densa simul & lucida perstringeret oculos, & aliarum rerum conspectum impediret.

Post hæc autem, ad quid nubes illa deservierit, in sequentibus docetur, quòd nimirum quando elevabatur deserens tabernaculum, signum erat esse proficiscendum, ac de facto Hebræi proficiscebantur, idque non confusè, sed per turmas suas; quando autem nubes immota stabat supra tabernaculum, signum erat quòd ibi quiescere deberent.

Conferenda sunt quæ diximus cap. 13. Et rogandus Deus, ut qui de tabernaculo manufacto disseramus, gratuita ejus voluntate transferamur ad tabernaculum non manu factum, ubi non nubes illud implet, sed vera ac propriè dicta majestas Sacrosanctæ & individuæ Trinitatis, cui sit gloria in sæcula.

FRAN-

# FRANCISCI SYLVII IN LIBRUM LEVITICI COMMENTARIUS.

## *OPUSCULUM DECIMUM.*

## PRÆFATIO.

### *De hujus Libri Nomine, authoritate & Scriptore.*

APud Hebræos qui librorum nomina frequenter desumunt ab ipsorum exordio iste liber dicitur *Vaykra*, hoc est, *& vocavit;* à materia autem quæ in illo tractatur Græci & Latini eum vocant Leviticum, quia præcipuè versatur in Sacrificiis aliisque muniis Sacerdotum, qui Leviticæ Tribus erant, explicandis. Rupertus ministerialem ipsum appellat, quia de ministeriis agit Sacerdotalibus. Hugo Cardinalis, & post eum Abulensis, Offertorium, aut Sacrificatorium, quia de sacrificiis & his quæ offerebantur tractat. Sed hæc posteriora nomina sunt extra usum.

Authoritatem divinam huic Libro peculiariter detraxisse nullus invenitur, sed illi tantùm qui vel omnes Libros veteris Testamenti negaverunt esse divinos, ut Simon Magus apud Epiphanium Hæresi 21. & Marcion Hæresi 42. atque alii diversi; vel saltem Pentateuchum, ut Nazaræi & Esseni apud eumdem Hæresi 18. & 19. Contra quos faciunt ea quæ lib. 1. Controversiar. q. 1. art. 9. diximus recensentes Canonem sacrorum librorum, in quo quinque libri Moysi habentur canonici.

Sed & hujus libri authoritas specialiter probari potest ex verbis Christi Domini dicentis Luc. 5. leproso quem mundaverat: *Vade, ostende te Sacerdoti, & offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses in testimonium illis:* Nam hoc præceptum ad præsentis libri cap. 14. pertinet, eoque invenitur usus Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis ad idem probandum contra Petrobrusianos hæreticos.

Objiciebat olim contra libri hujus authoritatem adversarius legis apud Augustinum lib. 2. contra eum scripto cap. 6. quod infra cap. 17. significetur anima nostra esse mortalis, ubi dicitur: *Anima omnis carnis sanguis est.* Verùm nihil ejusmodi significari benè respondit Aug. scripturæ sic allegatæ sensum hunc reddens, quòd omnis anima significatur per sanguinem, res nimirùm invisibilis per visibilem; quia sicut sanguis plus cæteris humoribus in corpore nostro principatur, ita quoque anima omnibus quibus constamus invisibiliter prævalet.

Scriptorem porrò hujus libri fuisse Moysen, antiquissima est tam Judæorum quàm Christianorum traditio: quæ confirmari potest ex Cap. 10. ad Rom. ubi de eo quod Levitici 18. continetur, Apostolus ait: *Moyses enim scripsit, quoniam justitiam quæ ex lege est qui fecerit homo vivet in ea.* Illum autem Moysi dictavit Deus anno secundo egressionis Hebræorum de Ægypto, mense primo, statim videlicet postquam erectum fuit Tabernaculum, & quidem in deserto Sinai: ex primo namque cap. lib. Numer. habemus quòd cum librum ibidem Moysi dictaverit eodem anno secundo prima die mensis secundi; neque ex deserto illo exierunt usque ad diem vigesimum mensis secundi ejusdem anni. Unde sequitur omnia quæ tum in toto Levitico, tum in lib. Numer. usque ad vers. 11. cap. 10. referuntur, gesta esse in mansione duodecima, sive in deserto Sinai: ita tamen, ut non sit verisimile quòd uno continuo tractu omnia dictaverit Deus, sed per varia intervalla tam eorum quæ locutus est, quàm eorum quæ ipse non est locutus, sed gesta fuerunt per alios.

## CAPUT PRIMUM.

### *Varius ritus ac modus holocaustorum, armentorum, pecudum & avium offerendorum.*

[ ℣. 1. VOcavit autem Moysen.] In Hebr. *Et vocavit*, eodem sensu: quoniam sive *&*, sive *autem* legamus, est copula continuativa. Continuatur quippe hujus libri initium fini præcedentis, & unius ejusdemque diei opus in utroque continetur, ut annotavit Hesichius: in fine enim Exodi actum est de erectione Tabernaculi; & eo erecto, Deus sine alterius operis medii interventione vocavit Moysen. Liber quoque numerorum, quia nihil est medium inter eum & Leviticum, simile habet exordium: [ *Et Locutusque est Dominus.* ] Si quæras, quare isti libri sint diversi, cum historia quam referunt non sit quoad tempus divisa? Idem Hesichius respondet, ut libri amplitudo non faceret fastidium lectoribus. Nam & viatores spatium viæ dividunt, quodammodò arbitrantes se sic laborem dividere. Cæterum, an Deus voce sensibili, an solùm imaginaria Moysen vocaverit, ambigunt quidam, sed verosimilius est quòd sensibili & articulata: Solebat enim Deus, seu Angelus Dei personam gerens ac repræsentans ad Moysen sensibiliter & articulatè loqui; unde & quod sequitur.

[ *Et locutus est ei Dominus* ] Interpretes communiter accipiunt de simili locutione. Nec turbare quempiam debet quòd author hujus libri tam hic quàm posteà frequenter loquatur de Moyse in tertia persona, quasi hinc sequatur Moysen hunc librum non scripsisse: Nam & in Exodo similiter sermo est de Moyse in tertia persona, familiareque est historicis de seipsis in tertia persona loqui, quem morem secutos etiam esse Evangelistas, ex Evangeliis clarum est.

[ *De Tabernaculo testimonii,* ] sive de Tabernaculo in quo erat testimonium, idest, tabulæ Legis. Etsi non certò constet ex quo loco sit hæc locutus Deus ad Moysen, utrùm ex Ostio Tabernaculi sicut faciebat quando parvum Tabernaculum (quod neque Arcam, neque propitiatorium continebat) erat in usu. Exod. 33. vers. 9. An ex propitiatorio quod, illata in Tabernaculum Arca, erat super illam: Posterius tamen est probabilius, quia post constructum magnum Tabernaculum, hic posterior modus magis est usitatus. Num. 7.

vers.

vers. ult. fuitque à Deo Moysi promissus, Exod. 25. vers. 22. Ita sentiunt Hugo Cardinalis, & Dionysius Carthusianus.

[ *Dicens:* ] Valde frequens est in Scriptura hic Pleonasmus, idest, cumulatio seu adjectio voculæ non necessariæ, ut scribatur quis loqui aut locutus dicens, valetque ad majorem expressionem.

[ ℣. 2. *Loquere filiis Israel*, Per filios Israel quandoque intelliguntur omnes qui ex Jacob descendunt, etiam comprehendendo Levitas, ut initio Exodi: Interdum verò omnes illi, non comprehensis Levitis, ut numer. 1. vers. 45. & cap. 34. vers. 13. Ad sciendum autem quando nomine filiorum Israel comprehendantur vel non comprehendantur Levitæ, Abulensis, & post eum alii scribunt advertendum esse, num agatur de filiis Israel quantùm ad aliquid spirituale, an quantùm ad aliquid omninò temporale. Si prius, Levitæ sub eis comprehenduntur, quia spiritualium cura eis incumbebat: Si posterius, minimè; quia neque deputabantur ad bella, similiave negotia, neque accipiebant partem in divisione terræ promissionis: In præsenti autem, nomine filiorum Israel etiam comprehenduntur Levitæ; quia sermo erat futurus de lege, & de legalibus sacrificiis, quæ & ad spiritualia pertinebant, & concernebant officia Sacerdotum. Cæterùm, an Moyses ea quæ sequuntur sic locutus fuerit, ut omnes Israelitæ ipsum audierint; an verò Senioribus & Principibus dumtaxat per quos notificarentur cæteris, incertum est; & videtur sufficere posterius, miracula enim non sunt multiplicanda sine necessitate; non poterat autem prius fieri absque magno miraculo.

[ *Homo, qui obtulerit ex vobis* ] idest, quicumque ex vobis offerre voluerit, sponte videlicet, quemadmodum notant Hugo Cardinalis & Abulensis. Nam in sacrificiis ex voto, vel præcepto debitis non erat liberum mutare. Sicut Latinum *Homo*, ita Hebræum *Adam*, & Græcum ἄνθρωπος, utriusque sexus hominem significat. Nec obstat pronomen masculinum *Qui*; in sententiis enim generalibus sexus nobilior comprehendit ignobiliorem: Nec dubium est quin etiam mulieres offerrent sacrificia per ministerium Sacerdotum, ad quos rem pro se, vel pro suis sacrificandam deferebant, aut deferri curabant. Nec turbare debet quod pro *Obtulerit* alii ex Hebræo vertant, *adduxerit*, aut *appropinquare fecerit*: Verbum enim Hebræum etiam pro sacrificare vel offerre ponitur, eò quòd illa quæ Deo sacrificantur, censentur ipsi appropinquare & adduci, quando ad altare deferuntur.

[ *Hostiam* ] Veteres hostiam vocabant sacrificium de animalibus, quod offerebant pro victoria ex hostibus reportata, eademque ratione etiam illud appellabant victimam, juxta illud Ovidii.

*Victima quæ cecidit dextra victrice vocatur:*
*Hostibus à domitis Hostia nomen habet.*

Usu autem communiter recepto, Hostia propriè est sacrificium de animantibus quacumque ex causa fiat: imò interdum quodlibet sacrificium apud Latinos vocatur Hostia. Hoc autem loco Hostia sumitur indefinitè, non determinando ad certam speciem.

[ *Domino* ] In Hebræo est nomen Tetragrammaton, Deo maximè proprium. Ideò autem dicitur, qui obtulerit hostiam Domino; quia sacrificium nulli præterquam Deo potest offerri. *Sacrificium* ait Augustin. lib. 10. de Civit. cap. 4. *Nullus hominum est qui audeat dicere deberi, nisi Deo soli:* Et mox: *Quis sacrificandum censuit, nisi eo quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?*

[ *De pecoribus,* ] Solent Grammatici pecora distinguere à pecudibus, quod per pecora intelligantur majora animalia, ut Boves, Equi, Cameli; per pecudes minora, ut oves & Capreæ. Sed istam distinctionem Sacra Scriptura non servat; tam enim parva quàm magna animalia vocat pecora, pecudes verò rarissimè nominat. Unde in præsenti sub pecoribus utraque intelligi patet ex eo quod sequitur.

[ *Idest, de bobus & ovibus offerens victimas,* ] Nam has voculas, *idest*, quæ non sunt in Hebræo, interpres rectè addidit, ut sciremus per vocem quam reddidit pecora, & quæ generalis est, significans magna & parva animalia, quodvis animal quadrupes intelligi per boves & oves.

[ ℣. 3. *Si Holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento;* ] Sive de numero aut multitudine boum, atque adeò de bove ut Hebræa exprimunt: In eo quippe differunt armentum & grex, quod armentum sit ex majoribus animalibus, grex de minoribus.

[ *Masculum immaculatum offeret* ] Sententia versu 2. cœpta huc usque juxta nostram versionem pendet, jamque demùm absolvitur hoc sensu. Quando aliquis voluerit offerre Deo hostiam de animali quadrupede offerens de bobus vel de ovibus, si velit offerre holocaustum de armento, seu de bove, offeret masculum immaculatum: Etsi ex Hebræo & septuaginta quidam paulò aliter distinguant, pro participio *offerens* ponentes verbum *offeret*, & novum præceptum cum versu 3. inchoantes hoc modo: Quando aliquis voluerit offerre Deo hostiam de animali quadrupede, offeret eam de bobus & ovibus. Et siquidem oblatio quam vult facere, sit holocaustum de bove, offerat eum masculum immaculatum. Qui sensus non est à præcedenti omninò diversus, licèt clariùs determinet quæ animalia quadrupedia vellet Deus sibi offerri; sed ita ut sub ovibus, comprehendi debeant capræ, tum quòd in eodem grege pascantur, tum quod vox Hebræa *Tson* promiscuè oves & Capras significet, etsi non rarò pro solis ovibus ponatur, maximè quando in eadem sententia speciatim agitur de Capris: tum quia ea sequenti versu colliquet capras hic fuisse comprehensas. Observandum ergo quòd in lege veteri ex animalibus quadrupedibus tantùm hæc tria possent in sacrificium offerri, Boves, Oves, & Capreæ; ita tamen ut sub bobus comprehendantur vaccæ, tauri, vituli: sub ovibus, Agni, & Arietes: sub Capris, hædi. Ratio autem cur ista quadrupedia & non alia Deus sibi offerri voluerit, una est, quòd cùm sacrificia offerantur Deo in recognitionem supremi ejus dominii, ea maximè conveniebat illi offerri, quæ maximos usus homini præstant, ut sic faterentur se omnia accepisse à Deo tamquam omnium Domino, eademque illi grato animo offerrent juxta illud Davidis 1. Paralip. 29. *Tua sunt omnia* & quæ de manu tua accepimus dedimus tibi. Alia ratio est, quoniam inter reliqua quadrupedia nulla sunt istis mundiora, cùm ab omnibus immunditiis in cibo abstineant, Deo autem immolare oportet ea quæ sunt munda. Confer B. Thom. 1. 2. q. 102. art. 3. ad 2.

Observandum præterea, quòd loquendo de sacrificio ex animalibus, triplex erat genus sacrificiorum, ut ibid. ad 8. notat. S. Doctor, scilicet, holocaustum, hostia pacifica, & hostia pro peccato. De primo quidem tamquam omnium præstantissimo, primùm disponitur præsenti cap. De secundo, cap. 3. De altero, cap. 4. 5. 6. Et quod interpres noster vocat holocaustum, hebraicè dicitur *ola*, ab ascendendo, eò quòd tota hostia per ignem & fumum ascenderet ad Deum. Septuaginta vocant holocaustum, vel holocautoma, quasi totum combustum, quia tota hostia igne absumebatur, ita ut neque Sacerdos, neque alius quispiam ex ea vesceretur, sed pellis dumtaxat cederet Sacerdoti. Quoniam verò holocaustum erat omnium sacrificiorum excellentissimum, non solùm, quia totum in honorem Dei consumebatur, sed etiam quia purè in honorem summæ Majestatis Dei offerebatur, quamvis fortasse nec peccati remissio, nec beneficium aliud expectaretur; Idcircò Deus volebat ut offerretur masculum immaculatum, idest, sine macula, non velleris, sed corporis: quod nimirùm non esset debile, claudum, cæcum, fractum, vel aliquid hujusmodi; de quibus infra cap. 22. vers. 22. Etsi esset coloris varii: quia in sacrificio perfectissimo perfectissima erant Deo offerenda; masculum autem perfectius est fœminino, & animalia maculosa solent haberi contemptui, etiam apud homines.

[ *Ad Ostium Tabernaculi testimonii,* ] Hoc est juxta introitum Atrii Sacerdotum. Ingrediebantur namque Laici Atrium primum, seu primam Atrii partem, secundùm ea quæ diximus Exod. 26. vers. 1. & animal quod immolare cupiebant, illuc usque ad introitum Atrii Sacerdotum ducebant, ac Sacerdotibus tradebant immolandum.

[ *Ad placandum sibi Dominum:* ] Finis proprius holocausti non erat placare Deum, sed præcisè eum honorare, ac supremum ejus dominium recognoscere: quia

quia tamen ex uno sequebatur alterum, ex tali scilicet honoratione, placatio; ideò rectè hoc fuit additum. Phrasis ergo ista, *ad placandum*, non denotat finem saltem proprium & principalem, sed rei consecutionem & eventum.

[ ℣. 4. *Ponetque manum super caput hostiæ*, ] Ille nimirùm qui hostiam offerri curabit. Cujus ritus rationes explicavimus Exod. 29. vers. 10.

[ *Et acceptabilis erit*, ] Deo accepta erit, eique placebit.

[ *Atque in expiationem ejus proficiens*. ] Si quæras quomodo sive sacrificia, sive Sacramenta veteris Legis valuerint tum ad peccatorum expiationem vel remissionem, tum ad justificationem; ex iis quæ cum B. Thoma diximus 1. 2. q. 103. art. 2. & 3. p. q. 62. art. 6. Respondendum est, quòd non ex opere operato, sed tantùm ex opere operantis, ac per consequens non per se, & ex vi ipsorum, sed ex devotione offerentium.

[ ℣. 5. *Immolabitque vitulum* ] Is qui vitulum adduxerat sacrificandum non per se illum immolabat, vel mactabat; sed per eum cujus erat sacrificare, idest, per Sacerdotem. Ut enim puniti fuerunt non Sacerdotes qui volebant adolere incensum Chore num. 16. Ozias 2. Paralip. 26. eadem (si non majori) ratione puniti fuissent, si holocaustum offerre tentassent. Actus autem immolandi & mactandi maximè pertinebant ad holocaustum. In Hebr. pro *vitulum*, est, *filium bovis*, filius autem bovis per hebraismum pro bove ponitur, & omnem ætatem comprehendit; excluso tamen sexu fœmineo: Unde idem animal hic per vitulum significatur quod supra per bovem.

[ *Coram Domino*, ] Hoc est, coram Tabernaculo fœderis, juxta nimirùm Altare holocausti quod erat in Atrio Tabernaculi, in quo Deus suam præsentiam peculiariter exhibebat, sacrificia offerentium excipiens, & exaudiens vota supplicantium. Ex his, ut & ex aliis quæ habentur vers. 11. tenendum est, quòd animalia quæ immolabantur, non mactabantur super Altare holocaustorum, sed juxta illud seu ad latus ejus, ubi vasa quædam ponebantur ad excipiendum eorum sanguinem.

[ *Et offerent filii Aaron Sacerdotes sanguinem ejus, fundentes per Altaris circuitum*. ] Non constat utrùm oblatio sanguinis, & ejus effusio essent diversæ actiones, an una eademque; & certum est quòd in unam convenire potuerint, ita ut Sacerdos fundens sanguinem, illa ipsa effusione intenderet eum offerre Deo; Cajetano tamen, & quibusdam aliis probabilius visum est fuisse actiones diversas: ita ut oblatio fieret elevatione vasis quod sanguinem continebat, quam deinde sequebatur effusio. Neque refert in nostro Textu dici, *offerent fundentes*, quasi unica fuerit actio: potest enim hoc ita explicari, offerent statimque fundent, conformiter Hebræis & Græcis Codicibus qui sic habent: *Offerent, & fundent*. Ille autem sanguis fundendus esse dicitur *per Altaris circuitum*, super limbum scilicet altaris circumquaque. Abulensis de victimarum sanguine scribit quòd cum esset fusus, subitò in nihilum convertebatur, aut invisibiliter in materiam aeream cederet, aut quidquam aliud inde gigneretur; ne alioquin fœtor intolerabilis induceretur, dum victimæ magno numero offerebantur. At aliis non videtur opus fuisse tanto & tam continuo miraculo, cùm per aquæductus vel fossas subterraneas, circum Altare factas in quas sanguis defflueret, illicque imbiberetur; aut per aliquos alios modos potuerit incommodis occurri. Conferri possunt quæ diximus Exod. 29. vers. 12. & quæ Lorinus hic habet.

[ *Quod est ante ostium Tabernaculi*. ] Altare holocaustorum non fuit collatum intra Tabernaculum, sed sub dio, propter ignem & odorem, tum sanguinis, tum victimarum, à regione introitus in Tabernaculum.

[ ℣. 6. *Detractaque pelle hostiæ*, ] Pellis detrahebatur propter munditiam sacrificii, eratque ista detractio seu excoriatio communis omnibus sacrificiis, præterquàm sacrificiis pro peccato infra cap. 4. & sacrificio vaccæ rufæ, Num. 19. in quibus comburebatur extra castra pellis cum carnibus & fimo. Cæterum sicut immolatio seu mactatio hostiæ pertinebat ad Sacerdotes qui sacrificium offerebant; ita ipsorum quoque erat excoriare, & ipsis propterea cedebat pellis, infra cap. 7. vers. 8. Verumtamen quòd in necessitate Levitæ potuerint Sacerdotes adjuvare, & victimas excoriare patet ex 2. Paralip. 29. vers. 34. & ex cap. 35. vers. 11.

[ *Artus in frusta concident*, ] Artus in corpore animalis propriè sunt nodi ex ossium extremitatibus resultantes: sed frequenter artus & membra confunduntur; unde 70. hic de animali immolato & excoriato dicunt; *membratim*, seu *per membra* divident illud, eo fine ut aptiùs ponerentur super altare ad comburendum.

[ ℣. 7. *Et subjicient in altari ignem, strue lignorum ante composita:* ] In primo sacrificio oportuit & ligna componere, & eis ignem subjicere ad cremandam hostiam; sed postquam semel fuit subjectus, Sacerdotis erat eum nutrire, ut habetur infra cap. 6. Tamdem verò Deus ignem cœlitus dedit qui devoravit holocaustum, & hic semper tum in Tabernaculo, tum in Templo fuit conservatus usque ad captivitatem Babylonicam, quo tempore Sacerdotes priusquàm Templum combureretur, illum absconderunt in valle ubi erat puteus altus & siccus 2. Machab. 1.

[ ℣. 8. *Et membra quæ sunt cæsa, desuper ordinantes*, ] seu ordinatè disponentes,

[ *Caput videlicet, & cuncta quæ adhærent jecori*, ] Neque in Hebræo, neque apud 70. habetur *videlicet:* explicandum autem est per *etiam*. Recensentur enim partes illæ de quibus posset esse dubitatio; eò quòd caput, pedes, & intestina communi modo loquendi non vocentur carnes, tametsi vel carnes sint intestina, vel carnem habeant sibi adhærentem, ut caput & pedes.

[ ℣. 9. *Intestinis & pedibus lotis aqua:* ] Aliæ partes animalis non erant lavandæ & ponerentur in holocaustum, sed tantùm intestina, quæ tum sordida, tum sordibus plena sunt, & pedes qui vilium rerum tactu maculati sunt: propter sanctitatis autem divinæ reverentiam non erant cum suis immunditiis super altare cremanda.

[ *Adolebitque ea Sacerdos super altare* ] Postquàm omnia erant super Altare benè ordinata, Sacerdos debebat ea adolere, idest, comburere applicando eis ignem, & illum nutriendo quoad usque omnia essent consumpta. Nam adolere, prout usurpatur in sacris, est in honorem Dei cremare.

[ *In holocaustum* ] Offerri debebant omnia illa in holocaustum, quia omnia comburebantur super altare nullo excepto, præter pellem.

[ *Et suavem odorem Domino* ] Ita ut odor exhalans de iis quæ sic comburentur sit valde suavis & delectabilis Domino. In Hebr. pro *odorem suavem*, habetur, *odorem quietis*, in quo scilicet suaviter quiescat, & delectetur Deus tamquàm in sacrificio sibi valde grato. Non est existimandum quòd Deus novam aliquam delectationem accipiat, sive ex rerum corporearum fragrantia, sive aliunde; cum ipse sit perfectissimus & immutabilis, sed tali sermone significatur ita gratum Deo futurum sacrificium sicut suavolentia solent esse homini gratissima. Confer quæ diximus Genes. 8. vers. 21.

*Allegoricè* per vitulum designabatur Christus, qui fuit de armento seu de bobus; quia ex Patriarcharum generatione descendit. Masculus quia nihil fœmineæ fragilitatis habuit: Immaculatus quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, 1. Petri 2. Oblatus extra Tabernaculum, quia extra portam passus, ad Hebr. 13. Ad placandum sibi Dominum; quia peccata nostra suscepit luenda, & quasi sua reputat quæ nostra sunt, sicut Psalm. 21. testatus est dicens: *Longè à salute mea verba delictorum meorum:* & cùm sit caput nostrum, sibi dari censet quod membris suis datur. Posuit manum super caput hostiæ, quia peccata generis humani sponte super caput suum imposuit pœnas eorum voluntariè sustinendo. Vitulum ipse obtulit, quia ipse Sacerdos & hostia seipsum Deo Patri obtulit, & sanguinem suum fudit per circuitum Altaris, idest, Crucis; ipsa enim fuit Altare hujus sacrificii, & ex ea sanguis versùs omnes mundi partes fusus est, ut sciremus omnes Orbis terræ nationes futuras esse istius sanguinis participes. Sacerdotes quoque filii Aaron sanguinem illum fuderunt, quatenus Annas & Caiphas inierunt consilium contra Dominum, ut occideretur. Pellis hostiæ fuit detracta, quando vestibus omnibus spolia-

spoliatus fuit Christus, & artus in frusta concisi, dum sacrum ejus Corpus flagris & clavis perfossum ita fuit in Cruce distentum, ut omnia ejus ossa possent dinumerari, Psalm. 21. Ignis quo cremandum erat istud holocaustum, fuit ardentissima ejus Charitas. Ligna isti igni subjecta, fuerunt nostræ miseriæ quæ amorem ejus erga nos excitarunt.

*Ad Mores* quod attinet, bovem aut vitulum Deo in holocaustum offert, qui se totum Deo, ejusque cultui mancipat, fortis ut masculus, & cordis munditiæ diligenter incumbens. Manus impositio spontaneam sui oblationem & devotionem significat, ignis Dei amorem: Ligna, bonorum operum varietatem: Sanguinis effusio, est pravarum cupiditatum expulsio: Pellis detractio, est subtractio cibi, potus, & vestium superfluarum: Artuum concisio, est operum Charitatis discreta distributio. Peculiariter verò Sacerdos pellem vitulo detrahit, & ejus membra dividit, qui de verbo veteris Legis velamen aufert dilucidè explicans quæ ibi sunt de Christo, ejusque mysteria sigillatim exponens.

[ ℣. 10. *Quòd si de pecoribus oblatio est, de ovibus sive de capris holocaustum*, ] Quasi diceret: Si oblatio quam de minoribus animalibus, puta de ovibus & capris, cupis facere sic holocaustum. Lata lege de spontaneo holocausto ex majoribus quadrupedibus, fert aliam de holocausto ex minoribus quadrupedibus. Ubi manifestè explicantur duo genera, ovium scilicet, & Caprarum, ait Cajetanus, ut hic intelligamus utrumque genus fuisse comprehensum vers. 2. ubi oves exprimuntur, & non capræ. Per pecora igitur hic significantur pecudes, seu minora quadrupedia; & tam per oves quàm per capras non denotatur sexus sed natura; cùm certum sit non præcipi ex grege sive ovium sive caprarum offerri femellam, unde mox sequitur.

[ *Masculum absque macula offeret*. ] Quidam pro *Masculum*, legunt *Agnum anniculum*, sed malè: Hebræa enim & Græca *Masculum* habent sicut Romani Correctores reposuerunt. Notat Cajetanus ritum in holocausto de bobus supra præscriptum in holocausto de ovibus & Capris locum habere, hic autem supplerà quod ibi fuit tacitum.

[ ℣. 11. *Immolabitque* ] seu mactabit, [ *ad latus Altaris, quod respicit ad Aquilonem, coram Domino:* ] Etiam hoc commune erat holocaustis de bobus, tametsi non fuerit ibi expressum. Imò omnis mactatio seu jugulatio victimarum, tam in holocaustum quàm pro peccato (exceptis hostiis pacificis de quibus cap. 3.) fiebat ad latus Altaris Aquilonare, ut observavit Hesychius, à dextris videlicet intrantium, non quidem super altare, sed juxta illud. Altare namque holocaustorum erat situm ante Tabernaculum, non directè ante ipsius introitum, sed ex ejus latere versus meridiem. Atque ita hostiæ quæ offerebantur ad sacrificium stabant ad latus Altaris Aquilonare, & Sacerdotes ibi eas mactabant. Quoniam verò inde poterant inspicere ad Sancta, imò usque ad velum Sancti Sanctorum, ideò dicebantur immolare coram Domino. Ita fere Hesychius, Glossa ordinaria, & Auctor Scholasticæ Historiæ. Addit Dionysius Carthusianus, ideò fortè jussum fuisse ut Sacerdotes essent ad latus Aquilonare, ut distinguerentur à Sacerdotibus idolorum qui in Orientali vel australi parte stabant dum sacrificium offerebant.

[ *Sanguinem verò illius fundent super Altare filii Aaron per circuitum:* ] Non est existimandum quòd sanguis holocaustorum funderetur super medium Altaris, aut super ejus craticulam; sic enim extinxisset ignem: sed fundebatur super extremitates seu latera Altaris per ejus circuitum, ita ut exinde deflueret in imum.

[ ℣. 12. *Dividentque membra*, ] In Hebr. est numerus singularis sicut etiam vers. 6. ex quo tamen non sequitur, quòd quibusdam placuit, istam divisionem non pertinuisse ad Sacerdotem, sed ad Laicum offerentem; quia sensus est, quod Sacerdotum aliquis divider. Non solùm autem dividenda erant membra, sed etiam super ignem ordinanda, & pellis detrahenda. At hæc ex superioribus relinquuntur intelligenda.

[ *Caput, & omnia quæ adhærent jecori:* ] Hebr. *Et caput*. Quare nihil dicitur de cerebro & de corde? Respondeo. Quia intra caput continetur cerebrum, & cor est intra viscera: Ubi autem totum animal jubetur immolari, & specialiter caput ac omnia quæ jecori adhærent, sufficienter comprehenduntur cerebrum & cor.

[ *Et ponent super ligna*, ] In Hebr. *Et ordinabit Sacerdos ea super ligna*. Ex quibus patet quòd divisionem animalis rectè attribuimus Sacerdoti.

[ *Quibus subjiciendus est ignis:* ] Ordinem hunc fuisse notat Abulensis. Cùm ignis semper in Altari arderet, quando offerenda erant sacrificia, ponebantur ligna super ignem præexistentem, & super ista ligna, mediante tamen craticula disponebantur partes animalis concremandi. Subjicere ergo ignem lignis, erat adjicere materiam igni lignisque præexistentibus, quemadmodum explicat Lyranus, & post eum Lorinus.

[ ℣. 13. *Et oblata omnia adolebit Sacerdos* ] Idem ille qui huc usque Sacerdotis officio functus est ea quæ obtulit, in Dei honorem cremabit; hoc enim est adolere. Ovis & capra Symbolum fuerunt Christi qui abstulit peccata mundi. Offerebantur ad latus Aquilonare, quia Christi Passio erat extendenda ad Gentes.

[ ℣. 14. *Si autem de avibus, holocausti oblatio fuerit Domino: De Turturibus aut pullis Columbæ*, ℣. 19. *Offeret eam Sacerdos* ] Hæc est tertia species holocausti spontanei quam Deus determinavit fieri ex volatilibus, ut tenues minusvè locupletes qui non poterant sibi comparare quadrupedia, nequidem minora quæ offerrent Deo in holocaustum, aliqua alia animalia vilioris pretii possent offerre. Determinavit autem istud holocaustum ordinariè fieri debere ex turturibus & columbis; partim quia ejusmodi animalia abundant in terra promissionis, ut tradunt B. Th. 1. 2. q. 102. art. 3. ad 2. & Lyranus hic, qui addit illa esse mundi nutrimenti: partim quia sacrificia veteris legis fuerunt instituta, ut significarent aliquid ad novum Testamentum pertinens, & præsertim ad Christum: Istæ autem duæ aves magis conveniunt ad significationem Christi quàm aliæ, ex eo quòd Columba quæ sine felle est, mansuetudinem Christi significat, in cujus ore non fuit dolus; potestque etiam significare ipsius fœcunditatem qua multas spirituales filios genuit. Turtur autem significat Christi gemitum in Passione, cùm ipsa semper gemat, non similiter aliæ aves. In turturibus porrò & Columbis non habetur ratio sexus, eò quòd in illis non tam patens sit sexus distinctio quàm in pecoribus, & in pecudibus. Si quæras quare Deus jubet offerri turtures aut pullos Columbæ, potius quàm Columbas aut pullos turturis? Cum B. Thom. dicto art. 3. ad 4. Respondeo rationem esse, quia in turturibus meliores sunt majores quàm pulli turturum: At in Columbis è converso meliores sunt pulli quàm columbæ; offerri autem debet Deo quod melius est. Ubi etiam in Resp. ad 2. ait Deum non voluisse offerri gallinas, quia immundum habent nutrimentum; solùm autem id quod est purum, Deo est attribuendum. De perdicibus & aliis hujusmodi volucribus, nihil statuit Deus sibi offerri, quia Sylvestres sunt, nec ita conveniunt ad aliquid significandum de Christo. Ex piscibus quoque nullos sibi jussit offerri: Cum enim in aqua vivant, magis sunt alieni ab homine, quàm cætera animalia quæ in aere degunt, sicut & homo. Deinde, pisces ex aqua extracti statim moriuntur, unde non poterant in Templo offerri sicut alia animalia. Ita B. Thom. eod. art. 3. ad 3. Quare autem suprà dicendo quòd holocaustum ex avibus deberet fieri ex turture vel columba addiderimus *ordinariè*; ratio est, quia certo casu poterat immolari passer ut infrà cap. 14. præscribitur; etsi dubium sit utrùm ista immolatio esset verum sacrificium, de quo illic dicemus quòd non.

[ ℣. 15. *Offeret eam Sacerdos ad Altare*. ] Eam scilicet oblationem seu hostiam ab eo qui volebat sacrificium pro se offerri, acceptam Sacerdos debebat offerre Deo ad Altare holocaustorum, illic eam in honorem Dei elevando.

[ *Et retorto ad collum capite*, ] ita ut avis quasi dorsum suum respicere videatur.

[ *Ac rupto vulneris loco*, ] Non paucis videtur vulnus non ferro, sed ungue fieri debuisse. Sed cùm ne-

que

que in Hebr. neque apud 70. ulla fiat unguis mentio, nihil vetat vulnerationem ferro fuisse factam, ut sanguis melius efflueret; ita tamen, quòd caput à reliquo corpore non abscinderetur.

[ *Decurrere faciet sanguinem super crepidinem Altaris:* ] Idest, super oram & extremitatem superiorem Altaris. 70. dicunt, *ad basim Altaris;* quia sic decurrebat sanguis, ut ad basim perveniret. B. Thomas eodem art. 3. ad 6. advertit specialem modum occidendi animalia fuisse determinatum ad excludendos alios modos quibus idololatræ suis idolis immolabant animalia. Vel etiam quia talis modus erat minùs afflictivus animalium, per quem proinde excludebatur & immisericordia offerentium, & deterioratio animalium.

[ ℣. 16. *Vesiculam verò gutturis & plumas projiciet* ] Idem ille Sacerdos qui sacrificium hoc offert. Vesicula gutturis est quasi saccus juxta guttur, in quem cibus primò recipitur, antequàm trajiciatur in stomachum. Hanc voluit Deus abjici, quia nolebat sibi ea offerri quæ ad esum inepta sunt, nec solent comedi, sed potius rejici. Quare plumas avium abjici voluerit, ex Rabbi Salomone hanc rationem adfert Lyranus, quia volaverant ad capiendum cibum de alieno; oblatio autem de rapina Deo non placet. Sed hac ratione, nec rostrum nec pedes istarum avium debuissent cremari: imò nec boves & oves offerri, cum & ipsi alienis segetibus pascantur, si non prohibeantur. Ratio igitur verisimilior est, quia Deus volebat illa sibi in animalium sacrificiis offerri, quæ solent esse hominibus utilia, & quæ ad ipsa animalia pertinent: plumæ autem volatilium ferè sunt hominibus inutiles, & sunt quidpiam eis extrinsecum. Cur nihil dicatur de abjiciendis intestinis volatilium quæ immunditias continebant: Quidam ajunt eas perpaucas fuisse, & non potuisse convenienter extrahi sine ferro, quod ad ista holocausta non erat adhibendum: Quoniam tamen nulla extat prohibitio ferri adhibendi, aliis videtur immunditias illas fuisse extrahendas, etsi non exprimatur, sed velut res per se manifesta relinquatur intelligenda.

[ *Projiciet prope Altare ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent,* ] Scribit Cajetanus non fuisse propè Altare foveam in quam cineres projicerentur, sed vas quoddam æreum: quod ita demùm videtur admittendum, ut dicamus cineres primò quidem in ejusmodi vase fuisse exceptos, secundùm ea quæ leguntur Exod. 27. vers. 3. posteà verò extra Castra exportatos secundùm ea quæ inferiùs dicuntur cap. 6. vers. 10. & 11. Vas porro illud erat propè Altare holocaustorum ad partem orientalem, versùs introitum Atrii, ut sic cineres essent remotiores à loco qui dicebatur *Sancta*, & viciniores ostio per quod erant efferendi foras.

[ ℣. 17. *Confringetque ascellas ejus,* ] Pronomen *ejus* refert avem cujus ascellas seu alas confringere jubebatur Sacerdos, sed ita ut à reliquo corpore non avellerentur; unde sequitur,

[ *Et non secabit neque ferro dividet eam,* ] Per quod significatur quòd avis non erat in partes varias secanda vel dividenda, sicut de quadrupedibus dictum fuit versibus 6. & 12. sed integra cremari debebat, alis tamen ad congruam victimæ dispositionem confractis, & ad posteriora conversis. Ex Hebr. alii vertunt, *findet eam cum* vel *in alis ipsius, & non dividet:* quasi diceret, ita eam findet seu franget in alis, ut tamen non dividat nec separet partem à parte. Ubi nulla fit ferri mentio, sicut neque apud 70. quod tamen interpres addere voluit, quia divisio & dismembratio avium solet ferro fieri. Observandum autem hìc sermonem esse de ave postquam occisa erat, ejusque sanguis defluxerat, & plumis erat nudata, ac proinde non adversatur iis quæ versu 15. & 16. dicebantur.

*Allegoricè*, per turturem & pullum columbæ præfigurabatur Christus: per turturem ratione castitatis & gemitus: per pullum Columbæ ratione simplicitatis & fœcunditatis: qui oblatus est retorto ad collum capite, dum inclinato capite emisit spiritum, ruptusque est vulneris locus, dum lancea latus ejus fuit apertum, & sanguis defluxit usque ad basim Crucis quæ erat Altare cruenti sacrificii. Et sicut caput non avellebatur à reliquo corpore, uti nec alia membra, ita Christus qui est caput Ecclesiæ non separatur à suo corpore quod est Ecclesia, nec ab iis qui viva ejus membra manent.

*Tropologicè*, Aves illæ significant fideles castos, peccata sua gementes, ac simplicitatem columbæ retinentes, qui diversarum virtutum pennis elevantur in altum, & duorum charitatis præceptorum velut alis in cœlum eriguntur, conversationem habentes in cœlis: in quibus caput retorquetur ad collum, quando sensus ad intentionem virtutum examinatur, & mentis intuitus ad propriam defectuositatem reflectitur: per humilem autem Confessionem, tamquàm per vulnus ruptum, seu patefactum ex interiore læsione, idest contritione, sanguis calidarum lachrymarum deinde profluit. Sic etiam caput ad collum retorquent, ut tamen reliquo corpori inhæreat, quia sic mentem à carnalibus desideriis evertere debent, ut à necessaria carnis cura non avellant. Hoc enim est carnis curam facere, at non in desideriis. Vesiculæ & plumarum projectio denotat abjiciendam esse ventris ingluviem, voluptatem, & mentis elationem: idque ad Orientem, Christum qui Oriens est, aspiciendo; & in locum in quo cineres poni solent, idest, per mortis & incinerationis meditationem. Confractio ascellarum sine separatione, significat quòd oporteat alas orationis & contemplationis intermittere, quando Charitas ita exigit, sic tamen, ut posteà resumi possint.

## C A P U T II.

*Ritus oblationis sacrificiorum similæ oleo conspersæ, thuris, panum, laganorum, atque primitiarum, addito in omnibus sale, nusquam autem fermento, nec melle.*

Agitur hoc capite de sacrificio pauperum. Quemadmodum enim scribit B. Thomas 1. 2. q. 102. art. 3. ad 12. Lex in sacrificiis providere voluit paupertati offerentium: ut qui non posset habere animal quadrupes, saltem offerret avem; quam qui habere non posset, saltem offerret panem; & si hujusmodi habere non posset, saltem offerret farinam vel spicas. De isto igitur pauperum sacrificio nunc sermo est, quod ab Hebræis vocatur *Minchah*, idest sacrificium panis aut similæ. De quo hujus capitis Tractatores quidem nolunt ipsum veri nominis sacrificium fuisse: partim quia offerebatur cum holocausto, ut ex num. 15. constat; ideoque potius videtur fuisse pars aliqua istius sacrificii, quàm sacrificium per se completum: Partim quia alioquin si Aaron obtulisset sacrificium incruentum quod in seipso completum erat, neque cum sacrificio cruento conjungebatur, Christus non minùs cum Aarone comparari deberet, quàm cum Melchisedech; ac dici Sacerdos secundùm ordinem Aaron: partim quia B. Thomas dicto art. 3. ad 8. communem doctrinam sequens, triplex tantùm agnoscit genus sacrificii, holocaustum, hostiam pro peccato, & hostiam pacificam. Verumtamen probabilius omninò videtur id quod alii sentiunt, sacrificium *Minchah* fuisse verum ac propriè dictum sacrificium, cùm tota sacrificii definitio illi conveniat; neque alioquin esset ratio dicendi quòd lex in sacrificiis providere voluerit paupertati offerentium, ut qui non posset habere bovem, ovem, vel avem, saltem offerret farinam vel spicas, sicut S. Thom. loquitur. Si enim ista panis, farinæ, aut spicarum oblatio non erat sacrificium, nulla restat sacrificii oblatio pro pauperibus qui animalia habere non poterant.

Ad primam verò rationem in oppositum, Respondeo præceptum quidem fuisse num. 15. ut cum holocaustis offerretur sacrificium similæ, eratque hoc additamentum quoddam ad sacrificium cruentum, non autem sacrificium per se completum. At hìc sermo non est de ejusmodi additamento. Ibi quippe & vinum adhiberi jubetur, & certa similæ mensura præscribitur: hìc autem, nec de mensura similæ, nec de vino adhibendo quidquam dicitur. Diversum igitur est quod hìc præscribitur ab eo quod num. 15.

Ad secundam Resp. Christum non pariter esse comparandum cum Aarone sicut cum Melchisedech, neque vocandum esse Sacerdotem secundùm ordinem

Aaron:

Aaron: primò, quoniam Christus non convenit cum Aarone in præcipuis ejus sacrificiis quæ erant ex animalibus irrationalibus, convenit autem cum Melchisedech. Secundò quia Aaron non obtulit panem & vinum purè, seu sola, sicut Melchisedech & post eum Christus quantùm ad species externas: sed vel cum aliis sacrificiis ut num. 15. & 18. patet; vel cum thure, oleo, sale, ut hoc cap. mandatur.

Ad tertiam Resp. illa tria genera sacrificii esse species sacrificii cruenti, seu de animalibus, non autem sacrificii in genere. Sacrificium enim in genere primò dividitur in sacrificium de animalibus, & in sacrificium de rebus inanimis: De animalibus autem, in holocaustum, hostiam pro peccato, & hostiam pacificam: De rebus verò inanimis, in ea quæ habent materiam siccam, ut sacrificia frumenti, sive in spica, sive extra spicam; & ea quæ habent liquidam, olei videlicet ac vini. Quoniam verò alia sacrificia peculiare nomen habent, hinc est quòd noster interpres passim in Levitico sacrificium *Mincha* sive ex simila, absolutè vocat sacrificium. Etsi enim secundùm generalem significationem accipiatur pro munere in genere, peculiariter tamen sumitur pro certa specie muneris sacri, idest, pro sacrificio rei inanimatæ, qualis est simila.

[ ℣. 1. *Anima cùm obtulerit oblationem sacrificii Domino,* ] Anima pro homine ponitur, pars videlicet pro toto: *Sicut* Genes. 46. *Animæ domus Jacob*: Et Actor. 27. *Factum est ut omnes animæ evaderent ad terram*. Quomodo etiam aliàs per carnem totus homo designatur, ut Genesis 6. *Omnis caro corruperat viam suam*. Et Joan. 1. *Verbum Caro factum est*. Pro *oblationem sacrificii*, hebraicè est, *oblationem Mincha*: Apud 70. *Donum sacrificium*, hoc est, donum quod fit sacrificium: & intelligitur peculiare illud sacrificium quod fieret ex pane vel simila; ut proinde sensus sit: Cum homo (quicumque ille sit, sive pauper, sive dives) voluerit offerre Deo sacrificium de farina.

[ *Simila erit ejus oblatio*, ] poterit offerre farinam incoctam; ita tamen ut illa sit purissima: Nam simila significat florem farinæ purissimum.

[ *Fundetque super eam oleum*, ] ille qui vult per Sacerdotem offerre tale sacrificium, non commiscebit farinam cum oleo, sed super similam offerendam fundet oleum.

[ *Et ponet Thus*, ] Neque olei, neque thuris quantitas determinatur, uti nec similæ, sed ea devotioni offerentium relinquebatur, secùs quàm in ejusmodi rerum oblatione, quæ sacrificio cruento adjungebatur, de qua num. 15. & 28. *Ad Litteram*, jubetur adhiberi oleum: quia sicut panis coctus cum oleo est sapidior, ita farina quando est cum oleo est gratior. Thus verò propter odorem: ea enim sibi offerri volebat Deus quæ graviora sunt apud homines.

[ ℣. 2. *Ac deferet ad filios Aaron Sacerdotes:* ] nempè ad ostium Atrii Sacerdotum, sicut de hostia mactanda diximus cap. 1. vers. 3.

[ *Quorum unus* ] Cujus erant vices tunc sacrificandi,

[ *Tollet pugillum plenum similæ & olei.* ] Pugillum, idest, quantum parvo pugno seu manu capi potest.

[ *Ac totum thus,* ] ita ut thuris pars nulla relinquatur in usum Sacerdotis, sed totum cremetur in honorem Dei:

[ *Et ponet memoriale super Altare* ] Ponet, hoc est, offeret ac cremabit: nam in Hebr. sonat, incendet aut suffire faciet, pugillum videlicet similæ cum Thure. Quæ crematio erit memoriale seu signum, quòd tota illa simila, ex qua desumptus est pugillus, Deo est consecrata ab offerente. Erit etiam memoriale, ut Deus sit memor offerentis, sive, ut Deus misereatur offerentis, eumque adjuvet: Tunc quippe Deus dicitur esse memor alicujus in bonum, quando boni aliquid ei præstat, quod antè non præstabat.

[ ℣. 3. *Quod autem reliquum fuerit de sacrificio,* ] Reliquum similæ Deo oblatæ,

[ *Erit Aaron & Filiorum ejus,* ] Cedet Aaroni & filiis ejus, ac post eos summo Sacerdoti Aaronis successori & reliquis Sacerdotibus.

[ *Sanctum Sanctorum de oblationibus Domini.* ] Hebr. *Designitionibus Domini*, idest, de sacrificiis quæ solent igne consumi: Nam pro oblationibus, in Græco est vocabulum quod propriè significat sacrificium. Istud reliquum vocatur Sanctum Sanctorum, sive res sacrosancta, vel sanctissima; quia maximè debebat separata esse ab usu propbano, ita ut solis Sacerdotibus liceret de illa vesci; quoniam etsi non esset sacrificio consumpta, erat tamen Deo dicata.

Pro *Allegoria* observandum, quòd Christus fuerit præfiguratus, non tantùm per sacrificia ex bobus, ovibus, & avibus, de quibus cap. 1. sed etiam per sacrificium ex simila, eaque sive cocta, sive incocta. Eleganter quippe B. Thom. 1. 2. q. 102. art. 3. ad 12. declarat quòd Christus qui seipsum vocat panem vivum, Joan. 6. ideoque per panem materialem optimè significatus intelligitur. Erat sicut in spica pro statu legis naturæ, in fide Patrum: Erat autem sicut simila in doctrina Legis & Prophetarum; sicut panis formatus, post humanitatem assumptam; coctus igne, idest, formatus Spiritu Sancto in clibano uteri Virginalis, qui etiam fuit coctus in sartagine per labores quos in hoc mundo sustinuit; in Cruce verò, quasi in craticula adustus. Addit deinde in resp. ad 13. Oleum figurare gratiam Christi, & thus orationem. Potest quoque per similam, cui superinfunditur oleum, & thus; indicari panis Eucharisticus in quo est Christus qui unctum significat, & ubi oleum suæ misericordiæ peculiariter manifestat, estque singulari oratione, & adoratione colendus.

*Moraliter*, per similam intelligitur puritas conscientiæ; per oleum, Unctio Spiritus Sancti cum spirituali jucunditate & operibus misericordiæ: per thus, devota oratio cum odore bonæ famæ, & cura boni nominis. Totum thus jubetur in Dei honorem cremari, quia tota nostra oratio debet in Deum dirigi, adeò ut & ea qua Sanctos oramus, in Deum finaliter dirigatur: Illos enim oramus, ut apud Deum pro nobis intercedant. Oleum dividitur, quia per gratiam Spiritus Sancti non solùm debemus diligere Deum, sed & nos-ipsos & proximum. Simila quoque dividenda erat, quia sic oportet nos studere puritati conscientiæ, ut actiones nostras ad Dei honorem, & ad proximi utilitatem dirigamus.

[ ℣. 4. *Cùm autem obtuleris sacrificium coctum in clibano:* ] Hactenus de sacrificio similæ incoctæ actum est: Jam incipit ordinare de sacrificio similæ coctæ; ejusque tres recenset species. Sicut enim panis tribus modis coqui potest, scilicet in clibano, sartagine, & craticula; ita Deus sibi offerri voluit sacrificium panum, aut in clibano, aut in sartagine, aut in craticula coctorum. Lyranus quatuor species farinæ coquendæ assignat distinguens lagana à panibus in clibano coctis: sed cùm etiam lagana coquantur in clibano, non oportet consuetum loquendi modum, quem B. quoque Thomas sequitur citato art. 3. ad 12. immutare. In eo siquidem differre tantùm videntur panes, de quibus hic agitur, à laganis; quod cùm utraque fierent de simila, & coquerentur in clibano, panes essent crassiores, fierentque oleo cum simila commixto, eo modo quo solet aqua commisceri farinæ in aliis panibus: Lagana verò erant tenuiora & subtiliora, nec in ipsorum simila commiscebatur oleum, sed postquam erant cocta aspergebantur seu liniebantur oleo. Sensus igitur est: Cùm volueris offerre sacrificium farinæ in clibano coctæ.

[ *De simila, panes scilicet absque fermento,* ] Nempè offeres, sicut interpretantur Dionysius Carthusianus, Marsilia & alii.

[ *Conspersos oleo,* ] idest, subactos & commixtos in oleo, vice aquæ.

[ *Et lagana azyma,* ] seu pariter sicut panes infermentata. Quid sint lagana, diximus Exod. 29. vers. 2.

[ *Oleo lita:* ] Lagana non fuisse oleo commiscenda, sed tantùm exterius linienda, jam suprà diximus. Copula *&*, cùm dicitur, *& lagana*, vim habet disjunctivæ; Neque enim necesse erat quòd aliquis ista duo offerret, panes & lagana, sed sufficiebat quòd alterutrum; ideoque significatur quòd oporteret aut panes azymos offerre, aut lagana azyma.

[ ℣. 5. *Si oblatio tua fuerit de sartagine,* ] Si volueris offerre

offerre sacrificium de panibus coctis seu frixis in sartagine:

[ *Simila conspersa oleo, & absque fermento,* ] Supple, *erit:* quasi diceret. Illa oblatio sit de simila oleo subacta & absque fermento, quemadmodum interpretantur Petrus Serranus & Marius.

[ ℣. 6. *Divides eam minutatim, & fundes super eam oleum.* ] Pronomen *eam* refert oblationem compositam ex simila oleo conspersa, seu subacta absque fermento, & frixam in sartagine. Quam Deus mandabat in varias particulas dividi, ut oleo quod superfundebatur faciliùs imbibi posset apertis poris fractionum, & ut aliquæ istarum particularum ponerentur super Altare, aliæ autem relinquerentur in usum Sacerdotum. Observant quidam triplicem hîc fuisse olei positionem: prima fuit ad faciendum pastum: secunda, dum imponebatur sartagini: tertia, postquàm erat in frusta divisa.

[ ℣. 7. *Sin autem de craticula fuerit sacrificium,* ] Si volueris offerre sacrificium de panibus super craticulam coctis,

[ *Æquè simila oleo conspergetur:* ] Pariter similam oleo subiges & commiscebis absque fermento, sicut dictum est de panibus coctis in clibano, & in sartagine.

[ ℣. 8. *Quam offerens Domino, trades manibus Sacerdotis.* ] Modus hujus Sacrificii offerendi erat, ut Laicus, seu is qui cupiebat sacrificium istud offerri, primò curaret panem eo quo dictum est modo fieri, & coqui; ac deinde traderet eum Sacerdoti in manus, ut offerret Deo super Altare: Sacerdos autem ita susceptum panem totum illum elevabat in honorem Dei coram Altari, sicque Deo offerebat, & mox partem ejus sumebat cremandam super Altare, unde sequitur.

[ ℣. 9. *Qui,* ] nimirum Sacerdos, [ *cum obtulerit eam,* ] prædictam scilicet oblationem, [ *tollet memoriale de sacrificio* ] partem istius sacrificii accipiet comburendam super Altare; quæ erit memoriale, hoc est, in memoriam quod totum sit Deo consecratum: vel, si humano modo loquamur, Deum reddens memorem offerentis.

[ *Et adolebit super Altare,* ] Non totam illam oblationem, sed partem ex illa acceptam [ *in odorem suavitatis Domino;* ] Quasi diceret, & hoc erit Deo pergratum.

[ ℣. 10. *Quidquid autem reliquum est erit Aaron,* ] eo sensu quem vers. 3. dedimus.

[ ℣. 11. *Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domino.* ] Per oblationem hanc intelligitur sacrificium. Cur fermentatum exterminaretur à sacrificiis, duplex potissimùm est ratio: una historica, altera moralis. Historica, ut Israelitæ essent perpetuò memores liberationis ex Ægypto in qua Patres eorum debuerunt vesci azymis, Ægyptiis cogentibus eos exire, atque ita excitarentur ad gratiarum actionem pro tanto beneficio eis præstito. Moralis, ut quia fermentum pro vitio & corruptela ponitur, juxta illud, *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit, expurgate vetus fermentum.* 1. Cor. 5. vers. 6. & 7. Hebræi admonerentur seipsos servare ab omni peccatorum corruptione puros & incoinquinatos, nec Deo servire tantùm exteriori cultu & ore (nam hoc ad fermentum Pharisæorum, quod est Hypocrisis, pertinet) sed in sinceritate cordis, sive ut loquitur ibidem Apostolus ℣. 8. *non in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Mel verò propterea excludebatur à sacrificiis, partim quia est symbolum voluptatis & deliciarum corporalium, quæ à sacris abesse debent: partim quia mellitis panibus pueri & mulieres delectantur potiùs quàm viri & viriles, Virorum autem est offerre sacrificia, & virilium de illis participare. Huc pertinet quòd B. Hieronymus Epist. 12. ad Gaudentium postquàm ex Proverb. 5. dixit, *Mel distillare labia meretricis quod ad tempus impinguat vescentium fauces, & postea felle amarius invenitur;* ita subjungit: *Unde & in Domini sacrificiis mel non offertur, ceraque contempta, quæ mellis hospitium est, oleum accenditur in templo Dei, quod de amaritudine exprimitur olivarum.*

[ ℣. 12. *Primitias tantùm eorum offeretis ac munera:* ] Explicat legem de fermento ac melle, jam positam; docetque quòd etsi non licuerit ea farinæ Deo offerendæ miscere, potuerint tamen tam panis fermentatus quàm mel offerri Sacerdotibus, sive ad solutionem primitiarum, sive loco munerum: quia tunc nihil vitiant aut corrumpunt, nec sunt pars sacrificii, sed simpliciter cedunt in usum Sacerdotum: Unde inferiùs cap. 7. legimus panes fermentatos offerri jussos, quemadmodum & cap. 23.

[ *Super Altare verò non imponentur in odorem suavitatis.* ] Idest, nec primitiarum nec munerum mellis aut similæ sive panis fermentati quidquam offeretur super Altare, quia de illis non poterat offerri sacrificium.

*Allegoricè*, per illam panis absque fermento oblationem, significabatur Christus qui sine peccato est aliquando offerendus, & per absentiam mellis, omnis dulcedo & suavitas in ejus morte absutura.

[ ℣. 13. *Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies,* ] Pro *sacrificio, munus Mincha* vertit Oleaster, docetque consentientibus quoque aliis interpretibus quòd non tantùm in Sacrificio *Mincha*, sed cum omni etiam alio sacrificio offerendum esset sal; sive nimirum esset holocaustum, sive hostia pro peccato, sive victima pacifica: Id quod S. Hieronymus Epist. 4. ad Rusticum ita judicavit. *Nullumque sacrificium absque hujus aspersione suscipitur.* Imò Christus ipse Marci 9. dicens: *Omnis victima sale salietur.* Sed & subsequentibus verbis idem clarè hîc significatur.

[ *Nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal.* ] *Nec auferes*, idest, nec patieris abesse; neque enim vetatur sola ablatio salis, sed omnis ejus defectus. Unde 70. habent. *Non omittetis.* Cæterùm, quare Deus voluerit in omni prorsus sacrificio sal offerri, variæ sunt rationes. Placent eæ quas 1. 2. q. 102. art. 3. ad 14. adducit S. Doctor. Una est; quia sal impedit corruptionem; oportet autem à sacrificiis omnem corruptionem abesse. Altera, quia sal prudentiam & discretionem significat, juxta illud ad Coloss. 4. *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus*, sive, semper ex prudenti judicio procedat. Sacrificia verò cum magna offerentium discretione debent offerri; nam obsequium quod offerimus Deo oportere esse rationabile scripsit Apostolus ad Rom. 12. Addi potest altera ratio: quia sal est generale condimentum ciborum; adeò ut sine salis admixtione non sapiant: Deus autem sibi vult offerri ea quæ benè sunt sapida, utporè meliora quàm insipida. *Sal* porrò *fœderis* vocatur, vel accipiendo fœdus pro lege seu præcepto, quasi sal præcepti, hoc est, sal quod jussum est perpetuò addi sacrificio, ut Abulensis & Marius explicant: vel quia in omni fœdere interveniebat sal, quemadmodum vult Oleaster, addens propterea in pactis stabiliendis sal adhiberi solitum, ut sic adumbraretur perpetuitas & firmitas pacti. Sicut enim sal præservat carnes, & alia multa à putrefactione; ita volebant ostendere pactum cui salem adhibebant, alienum fore à corruptione & violatione. Huic non absimilis est ea ratio quam adfert Cajetanus; *sal fœderis* vocatum, quòd esset professio & signum fœderis cum Deo initi, in quantum scilicet in sacrificio istius fœderis constitutivo sal fuerat adhibitum unà cum victimis. Generaliùs tamen *sal fœderis* intelligi potest, quia erat signum fœderis firmi & stabilis, imò perpetui; quandoquidem sal sit symbolum perpetuitatis: Et eadem ratione *pactum salis* vocatur Num. 18. vers. 19. & 2. Paralip. 13. vers. 5. pactum firmum ac stabile.

*Allegoricè*, per salem *Christus* significatur qui sua gratia præservare nos potest à corruptione, & ad perpetuam incorruptionem ducere. Quem in omni sacrificio tam Eucharistiæ, quàm bonorum operum oportet apponere; quia sine ipsius meritis nihil nobis prodest: Unde Ecclesia suas orationes, quas Collectas vocant, solet per *Christum* concludere.

*Moraliter*, sal significat sapientiam, prudentiam, & discretionem: vel etiam Apostolos, quos *Christus* Matth. 5. *salem terræ* appellavit. Nam insulsum, & Deo ingratum est, quod caret sale doctrinæ Apostolicæ, seu quod Ecclesiæ Apostolicæ non consentit.

[ ℣. 14. *Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus,* ] Hæc est tertia species sacrificii *Mincha*. Prima enim erat

ex simi-

ex simila. Secunda ex panibus uno trium modorum supra explicatorum coctis. Tertia de spicis. Sensus ergo est: Si volueris in sacrificium offerre Deo munus primarum frugum tuarum de spicis adhuc vireotibus. Spicas adhuc virentes intellige, non eas quæ essent totaliter virides, sic enim non potuissent confringi in morem farris, sed ita maturescentes, ut adhuc postularent exsiccari.

[ *Torrebis igni & confringes in morem farris* , ] Seu, sicut far conteritur ad faciendum farinam. Cùm hæc non ad Sacerdotem dicantur, sed ad Laicum cupientem sacrificium fieri de primis suis frugibus; observandum est, quòd totus Laicus debebat accipere spicas maturesceotes quidem, sed ad perfectam maturitatem oondum perductas, easque igne torrere, & grana excutere, ac deinde frangere, seu contundere, & tum oleum superinfundere, tum thus imponere, ac omnia sic parata Sacerdoti offerre, ut exinde sacrificium Deo offerret. Et quamvis nihil nunc de sale dicatur, ex præcedentibus tamen liquet, quòd is quoque fuerit adhibendus.

[ ℣. 15. *Fundens supra oleum, & thus imponens, quia oblatio Domini est.* ] Sive, quia ista oblatio Deo offertur qui talem ritum jubet observari.

[ ℣. 16. *De qua adolebit Sacerdos in memoriam muneris,* ] sive in memoriam quòd totum hoc munus sit Deo dicatum.

[ *Partem farris fracti, & olei, ac totum thus.* ] Noo separatim adolere & in Dei honorem super Altare cremare debebat Sacerdos partem farris confracti ac contusi, & partem olei; sed simul assumendo partem farris cum oleo ipsi superinfuso. Residuum porrò tam farris quàm olei ad Sacerdotem pertinuisse, ex vers. 3. & 10. suppleodum est. Observant Lyraous, Hugo Cardinalis, Dionysius Carthusianus, & post eos alii, triplices primitias olim offerri solitas. Primæ offerebantur de spicis in Paschate, secundo scilicet die azymorum, seu postridie Paschæ, infrà cap. 23. vers. 10. & 11. Secundæ, de novis panibus in Pentecoste, eodem cap. vers. 17. Tertiæ de omnibus terræ fructibus in Festo Tabernaculorum, postquàm omnes fruges erant collectæ Exod. 23. v. 19. Lorinus ea quæ de primitiarum oblatione hic dicuntur existimat pertinere ad primi generis primitias, & quidem solas, quooiam ex iis solis fiebat oblatio Deo ad sacrificium in Altari. Sed probabilius omninò est hæc oon pertinere ad ullas ex tribus jam dictis primitiis: primò, quia illæ offerebantur ex præcepto, hic autem agitur de oblatione quæ spontè fieret citra necessitatem præcepti. Secundò, quia dum juxta legem offerebantur primitiæ spicarum, oportebat eas, & quidem in manipulum collectas, ferre ad Tabernaculum, ut ibi per Sacerdotem elevaretur manipulus coram Domino; spicæ autem de quibus hic agitur, ab ipsismet Laicis qui volebant eas offerre, domi torrebantur, excutiebantur, earumque grana contuodebantur, & postquàm oleum ac thus superimposuerant, sic demùm deferebant ad Sacerdotem qui sacrificium ex illis faciebat. Quapropter cum Abulensi quæst. 6. & 7. dicendum, hic agi de oblatione primitiarum diversa à supradictis, de ea nimirùm quæ erat veri nominis sacrificium, cùm aliæ essent simplices oblationes. 2. 2. quæstione 86. artic. 4.

*Allegoricè*, per primitias de spicis virentibus intelligitur Christus in sua Resurrectione virens ac refulgens, quem ignis passionis adussit, oleum Divinitatis illustravit & iounxit, bonique odoris reddidit Thus pietatis & Reverentiæ.

*Moraliter*, Spica virens est omnis homo dum incipit servire Deo; Et quia granum frumenti neque viret, oeque fructum adfert nisi mortuum fuerit, ideò à mortificatione debemus incipere. Cùm verò granum jam viruerit, excoquitur igni amoris; & quia gaudium est primus Charitatis fructus. 2. 2. q. 28. oblationi spicarum additur oleum; thus quoque devotionis, quia charitas magis per animi devotionem fertur ad cœlestia quæ amat, quàm ad inferiora,

## CAPUT III.

*Quo pacto offerantur hostiæ pacificorum, nempe de bobus, ovibus, agnis, & capris.*

EXplicantur isto Capite cæremoniæ secundi sacrificii cruenti quod quis sponte, seu præcepti oecessitate non arctatus, vellet per Sacerdotis ministerium offerre.

[ ℣. 1. *Quòd si hostia pacificorum fuerit ejus oblatio,* ] Si quis offerre voluerit hostiam pacificorum, seu pacificam. Sic vocabatur ea hostia quæ offerebatur pro pace, salute, vel prosperitate obtinenda, vel obtenta. Ut enim B. Thomas 1. 2. q. 102. art. 3. ad 8. multique alii observant, duplex erat hostia pacifica: Una offerebatur pro obtinendo beneficio pacis, tranquillitatis, aut alio quocumque: Altera erat in gratiarum actiooem pro eo obtento.

[ *Et de bobus voluerit offerre* , ] Hoc ita dicitur, quia liberum erat hostiam pacificam offerre de bobus, ovibus, & Capris, etsi non de avibus, in quo differebat ab holocausto, quod etiam de avibus offerri poterat; quia io holocausto tota hostia cremabatur; Aves autem haud difficulter poterant totæ cremari: At hostia pacifica in tres partes debebat dividi; atque ita exiguum fuisset, sive quod in honorem Dei cremaretur, sive quod in usum Sacerdotis cederet, si turtur vel pullus columbæ io tres partes fuisset divisus: Et hæc esse potest secunda differentia hostiæ pacificæ ab holocausto.

[ *Marem, sive fœminam* , ] Ista est tertia differentia, quòd cùm in holocausto de bobus, ovibus, & Capris, sola mascula liceret offerre, io hostia pacifica iodifferenter offerri posset sive masculus sive fœmina. Cujus ratio esse videtur, quòd holocausta purè in honorem Dei fierent: Deus autem optima quæque sibi vult offerri: Hostia verò pacifica primario fine respiciebat utilitatem offereotium, ideòque libertati eorum relioqui conveoiebat, cujus generis animal vellent offerre. Deinde sicut holocaustum conveniebat statui perfectionis in impletiooe consiliorum, io quo se totos Deo dant homines; ita hostia pacifica convenit statui proficientium, juxta B. Thom. 1. 2. q. 102. art. 3. ad 8. In hoc autem non omnes firmiter stant; ut viri, neque omnes sunt imbecilles ut fœmioæ, sed est status ex utrisque mixtus. Et ideò tam offerri poterat animal fœmellum quàm masculum.

[ *Immaculata offeret coram Domino.* ] Commune id erat holocausto & hostiæ pacificæ, quòd animal immolandum debebat esse absque corporis vitio, & defectu. Sermo autem hic est de Laico offerente, qui animal, quale dictum est, accipiebat, & ducebat ad atrium Tabernaculi, ut ibi offerret Sacerdoti, & Sacerdos Deo: Et ibi dicebatur offerre coram Domino, quia noo longè ab Altari.

[ ℣. 2. *Ponetque manum super caput victimæ suæ,* ] Ille nimirùm qui victimam adduxerat offereodam, idque ad ostendendum quòd victimam loco sui supponeret, & eam offerret Deo, sive ad beneficia ab eo impetranda, sive ad gratias agendas pro acceptis.

[ *Quæ immolabitur in introitu Tabernaculi testimonis,* ] Ille iotroitus erat ex parte orientali, ut diximus Exod. 27. vers. 15. Unde consequens est immolationem hostiæ pacificæ factam fuisse in parte Orientis, & non ad latus Aquilonare, sicut hostiam holocausti, & pro peccato, secundùm ea quæ dicebamus cap. 1. vers. 11.

[ *Fundensque filii Aaron Sacerdotes sanguinem per Altaris circuitum.* ] Hoc est, per parietes & extremitates quæ erant in circuitu Altaris.

[ ℣. 3. *Et offerent &c. adipem qui operit vitalia,* ] Sive totam illam pinguedinem quæ ambit partes vitales interiores, cor, hepar, pulmooem, in quibus maximè consistit vita, ita ut si vel modicum lædantur, animal de vita periclitetur.

[ *Et quidquid pinguedinis est intrinsecus* : ] Hæc est, intra illa membra vitalia, carni nimirùm adhærens.

[ ℣. 4. *Duos renes cum adipe quo teguntur ilia,* ] Per

renes hic intelliguntur renunculi qui dependent à renibus intra pinguedinem illam. Per adipem quo teguntur ilia, ea pinguedo accipienda est quæ adhæret illis.

[ *Et reticulum jecoris* ] scilicet, *removebit*, ut est in Hebræo, seu *auferet*, sicut habent 70. Per reticulum jecoris intelligitur ea pinguedo quæ est per modum retis, & circumdat hepar; Nam pro *jecore*, in Heb. *hepar* legitur, & ita communiter exponunt interpretes.

[ *Cum renunculis*. ] Id est, cum illis duobus renibus de quibus paulò supra. Non enim hi ab illis differunt, sed est hebraica repetitio.

[ ℣. 5. *Adolebuntque ea super Altare in holocaustum*, ] Ista omnia sic de hostia pacificorum ablata Sacerdotes cremabunt super Altare, ita ut totaliter igne absumantur. Hoc sacrificium non erat holocaustum, sed, quemadmodum ex textu liquet, hostia pacifica: ilia tamen, adipes, renes, & reticulum dicuntur adolenda esse in holocaustum, quia tota incendebantur & consumebantur; at non ut sacrificium per se, sed tantùm ut pars sacrificii pacifici quod in tres partes dividebatur; quarum una debebat incendi, secunda cedebat in usum Sacerdotum, tertia in usum offerentium ad significandum ait B.Thom. dicta Responsione ad 8. quòd salus hominis procedit à Deo, dirigentibus Ministris Dei, & cooperantibus ipsis hominibus qui salvantur.

*Allegoricè*, Hostia nostra pacifica est *Christus* per cujus sanguinem reconciliati sumus Deo, & obtinemus pacem, aliaque omnia beneficia quæ Deus dignatur nobis conferre, Hanc quoque hostiam quotidiè offerunt Sacerdotes in sacrificio Missæ.

*Moraliter*, Immolamus bovem, dum in laboribus & molestiis sæculi nosmetipsos Deo offerimus: bos enim est laboris hieroglyphicum. Marem offert qui superiorem animæ partem seu spiritum Deo immolat; fœminam verò qui partem sensitivam subdit rationi: Super eam imponit manum, qui rigore disciplinæ ipsam coercet. Adeps operiens vitalia, est amor quo vitam præsentem diligimus, & omne id quo illam fovemus. Hunc offerimus Deo; sive quando cum Abraham egredimur de terra & de cognatione nostra, & de domo parentum Genes. 12. sive dum animo sic illa abjicimus, ut eis cor non apponamus. Renes aut renunculi, in quibus viget fomes luxuriæ, ponuntur pro concupiscentia, unde est celebris illa Oratio: *Ure igne Sancti Spiritus renes nostros, & cor nostrum Domine*. Quos offerimus Deo, & igni absumimus, cum pravos motus concupiscentiæ per Spiritus Sancti gratiam refrænamus, abnegantes impietatem & sæcularia desideria, ut sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo. Per reticulum jecoris significatur intricatio & versutia tentationum, quæ offerenda est Deo, inquantùm ad ejus honorem est refrænanda, & quoad fieri potest extinguenda.

[ ℣. 6. *Si verò de ovibus fuerit ejus oblatio* ] De secunda materia hostiæ pacificorum nunc agitur; & per oves etiam intelliguntur agni, ut patet ex v.7. imò & arietes, cap.9. ver.19. Haberique potest eorum quæ sequuntur explicatio ex iis quæ hactenus dicta sunt, excepto eo quod statim dicitur offerendum esse.

[ ℣. 9. *Caudam totam* ℣. 10. *cum renibus* ] Hebraicè dicitur, *è regione spinæ dorsi*; & significatur caudam integram eò usque esse auferendam, ut simul auferantur renes oppositi spinæ dorsi, iique cremeotur in honorem Dei. In hostia Pacificorum de bobus & capris nihil præscribitur de cauda offerenda, sed tantùm in hostia de ovibus. Cujus ratio *litteralis* est, quòd in ove cauda sit quiddam delicatissimum, non similiter in bove & capra; Deus autem voluit Hebræos docere, quòd saltem optima quæque deberent ei offerre, cui debebant omnia.

*Moralis* autem, quòd cauda quæ finis est corporis, symbolum est consummationis & perseverantiæ in bonis & sanctis operibus: ex quo docemur totius vitæ nostræ finem Deo esse offerendum, & non tantùm principium, secundùm quod Ecclesia Deum orat: *Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni & adjuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur*. Hinc B. Gregor. hom. 25. in Euangelia; *Præcepto Legis cauda hostiæ in sacrificio jubetur offerri; in cauda quippe finis est corporis, & ille benè immolat, qui sacrificium boni operis usque ad finem debitæ perducit actionis*. In solis tamen ovibus caudam atque adeò perseverantiam jubet Deus offerri, quia simplicibus & incogitantibus magis est de inconstantia metuendum, quàm victimis caprarum, id est, peccatoribus pœnitentibus; & quàm victimis boum, id est, laboriosis qui videntes fructum suæ pœnitentiæ, aliorumque suorum laborum, magna voluptate capiuntur, & acuuntur ad perseverandum.

[ ℣. 11. *Et adolebit ea Sacerdos super Altare, in pabulum ignis, & oblationis Domini*. ] Ea quæ dicta sunt adolenda esse, erunt nutrimentum ignis & oblationis quæ fit Deo.

[ ℣. 12. *Si Capra fuerit ejus oblatio*, ] Describitur tertia materia hostiæ pacificæ.

[ ℣. 15. *Et Arvinam jecoris* ] Arvina est dura pinguedo inter cutem, quæ in porcis vocatur lardum, seu laridum. Hanc Dionysius Carthusianus distinguit ab adipe & pinguedine, quòd adeps dicatur quæ intestinis adhæret, pinguedo quæ miscetur carni. Sæpè tamen illæ tres voces, *Arvina, adeps, pinguedo* confunduntur.

[ ℣. 16. *Omnis adeps, Domini erit &c.* ℣. 17. *Nec sanguinem nec adipem omninò comedetis*. ] Videri hinc potest eadem universalitate prohiberi adipem & sanguinem, non tamen ita est; Nam sanguinis esus prorsus universaliter fuit Hebræis prohibitus; non tantùm ante legem Mosaicam, Genes. 9. sed etiam per eam infra cap. 17. Deuteronomii 12. & alibi; Esus autem adipis non fuit in totum illis prohibitus. Non enim ejus qui sic est carni permixtus, ut nonnisi difficulter ab ea separari possit: nec etiam ejus qui erat de animalibus mundis ad esum, etsi non ad sacrificium, cujusmodi recensentur Deuteronomii 14. Cervus & Caprea, Bubalus, Tragelaphus, Pygargus, Oryx, Camelopardalus; quorum proinde adipes comedere poterant. Sed prohibitus illis fuit esus adipis animalium quæ Deo immolata essent, vel apta ut ei immolarentur, hoc est, ovis, bovis, & capræ, ut inferius cap. 7. exprimitur; adeò ut sive hæc animalia domi occiderent ad usus domesticos, sive in Tabernaculo vel in Templo ad usum sacrificii, ab eorum adipe deberent abstinere. Quapropter quod hic legitur, *Omnis adeps Domini erit*, referendum est ad superiora, Omnis adeps supradictus qui facilè à reliquis partibus separari potest: Domini autem esse dicitur, quia in honorem Dei cremandus erat in Altari, quando ista animalia immolabantur; ab illius autem esu propter ejusdem honorem erat abstinendum, quando occidebantur domi; & tunc vel profano igne domi cremabatur, vel ad profanos usus, præterquàm ad esum, servabatur. Quod additur, *Jure perpetuo in generationibus & cunctis habitaculis vestris*, significat omnem adipem supradictum, quovis tempore & loco, fore Domini. Cæterum, quare Deus sanguinem & adipem sic prohibuerit Judæis, varias adducit rationes S. Thomas 1. 2. quæstione 102. articul. 3. ad 8. Prima est, ut Judæi quàm longissimè abessent à ritu Idololatrarum qui bibere solebant de sanguine victimarum, & adipes earum comedere, juxta illud Deuteron. 32. *De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum Libaminum*. Secunda est, ad informationem humanæ vitæ. Esus enim sanguinis prohibebatur, ut horrerent humani sanguinis effusionem; Adipis autem, ad vitandam lasciviam. Tertia est, propter reverentiam divinæ Majestatis; sanguis enim ad vitam est maximè necessarius, unde anima in sanguine esse dicitur infra capitul. 17. Adeps autem nutrimenti abundantiam designat. Itaque ad protestandum à Deo nobis esse vitam, & omnis boni sufficientiam, ad honorem Dei fundebatur sanguis ad crepidinem Altaris, & adeps incendebatur.

At dices: In Novo Testamento de sanguine dicitur Matth. 26. *Bibite ex hoc omnes*. Non igitur convenienter esus sanguinis prohibebatur in veteri.

Resp.

Reſp. Neg. Conſeq. propter maguam diverſitatis rationem. Nam in novo Teſtamento bibitur ſanguis, oon pecudis alicujus, nec in propria ſpecie, ſed Chriſti Domini, & quidem ſub aliena ſpecie, eaque maximè potabili: In veteri autem, erat ſanguis Beſtiarum in propria ſpecie, qui oon poteſt bibi ſine horrore, & ſioe quadam ſpecie crudelitatis. Deinde, ſanguis Chriſti eſt pretium noſtræ redemptionis, cujus participes efficimur, dum juxta ejus inſtitutionem de illo potamus. At ſanguis pecudum nihil ad juſtitiam cooferebat, & ideò tamquam inutilis jubebatur in terram effundi.

## C A P U T IV.

***Modus offerendi hoſtias Sacerdotis, Principis, & multitudinis per ignorantiam. peccantis.***

POſt holocauſtum & hoſtiam pacificam, tertium de viventibus ſacrificii genus exponitur, ſcilicet, hoſtia pro peccato, ſub quo genere hoſtia quoque pro delicto comprehenditur, de qua cap. 7. Enumerantur autem quatuor perſonæ peccantium, oimirùm, Sacerdos, Prioceps, Synagoga, ſeu Communitas, & quilibet de vulgo; ac pro unoquoque ipſorum hoſtia decernitur. Et cùm hucuſque actum fuerit de ſacrificiis non neceſſariis, ſed ſponſaneis; nunc de debitis, ſeu ex præcepto neceſſariis ſermo eſt.

[ ℣. 1. *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens*, ] Veriſimile eſt hæc quoque præcepta locutum eſſe Deum de Tabernaculo teſtimonii, & quidem eodem, ſeu continuo tempore quo præcedentia: Nam quod opponi poſſet, Hanc Phraſim, *Locutuſque eſt Dominus*, aliud poſtulare; dilui poteſt dicendo iſtam repetitionem arguere novitatem materiæ, non neceſſario novitatem temporis.

[ ℣. 2. *Loquere Filiis Iſrael:* ] Ut ſciant qualiter expiari poſſint à peccatis.

[ *Anima* ] Seu homo quicumque, ſive ſit Sacerdos, ſive Princeps, aut quivis de plebe, Ponitur enim pars pro toto, anima pro homine.

[ *Quæ peccaverit* ] Peccatum tribuitur animæ ad confutaodos eos qui corpus accuſant, quaſi ipſum ſit cauſa peccati, ut tradit Iſychius, cùm dubium eſſe nequeat quin anima omnis peccati actualis ſit cauſa. Omne eoim peccatum debet eſſe voluntarium, quod non à corpore accipit, ſed ab anima.

[ *Per ignorantiam*, ] Prout peccatum à delicto diſtinguitur, convenienter intelligitur ignorantia facti; aliquo tamen modo culpabilis: qui enim per ignorantiam prorſus inculpabilem operatur, in eo quod ſic operatur, non peccat. 1. 2. q. 76. art. 3.

[ *Et de univerſis mandatis Domini*, ] Ex qoa ſermonis forma rectè colligitur, non ſolùm de præceptis cœremonialibus & judicialibus, ſed etiam de naturalibus hic agi: Cùm enim de univerſis dicitur, pariter hæc ut illa comprehenduntur; neque quidquam eſt quod cogat reſtringere ad ſola cęremonialia & judicialia. Nam quod quidam opponunt contra naturalia non peccari per ignoraotiam, & eorum violatores morte puniri debuiſſe, noo per ſacrificia expiari; noo eſt univerſaliter verum: cùm graviora tantùm, eaque publica peccata præceptis naturalibus oppoſita morte punirentur: cumque io illis præceptis locum quoque habere poſſit ignorantia, ut minimum facti, ac interdum etiam juris, ſecundùm ea quæ diximus dicta q. 76. art. 3. q. 2.

[ *Quæ præcepit ut non fierent, quidpiam fecerit:* ] Propriè loquendo, nullum eſt Dei mandatum quod ipſe præcipiat noo fieri cùm generaliter velit omnia ſua mandata fieri ſeu obſervari, ſed per mandata, intelliguntur actiones per mandata prohibitæ. Sicut enim fides aliquando ponitur pro re credita, & amor pro re amata; ita mandatum hic ponitur pro re ſeu actione quæ mandato prohibetur: ut proinde ſenſus ſit, Qui de actionibus mandato aliquo prohibitis, aliquam fecerit: ſive, Qui fecerit aliquid lege prohibitum. Ubi expreſsè quidem ſermo eſt de peccato commiſſionis, quod contra præcepta oegativa committitur; probabile tamen eſt, & peccatum, & hoſtiam pro peccato, pariter extendi ad peccatum omiſſionis, quod fit omittendo obſervationem præcepti affirmativi, & ad hoſtiam pro talis peccati expiatione offerendam; non ſolùm quia utriuſque eadem eſt ratio, ſed etiam quia ſub commiſſione ſolet intelligi omiſſio, ſicut ſub affirmatione negatio, quemadmodum in defioitione peccati per dictum, factum concupitum 1. 2. quæſtione 71. articul. 6. diximus intelligi, non dictum, non factum, non concupitum. Obſervat autem Ribera Libr. 4. de Templo capitul. 6. poſt Joſephum lib. 3. Antiquit. cap. 10. de peccatis occultis hic agi: Si enim eſſent publica, oon expiabantur hoſtiis, ſed Judicis auctoritate puniebantur, qui excuſationem ignorantiæ non facilè admiſiſſet.

[ ℣. 3. *Si Sacerdos qui unctus eſt, peccaverit*, ] Nimirùm per ignorantiam, ut jam ſupra fuit expoſitum: Nam quod ibi generaliter dictum eſt, incipit explicare per partes. Per Sacerdorem, ſummus Sacerdos, ſeu Pontifex intelligitur, ut expreſſerunt 70. Illud, *qui unctus eſt*, non videtur poni tamquàm periphraſis ſummi Sacerdotis (quamquàm ille ſolus, & non minores Sacerdotes, ungeretur in capite, ut diximus Exod. 29. verſic. 7. poſt Beatum Thomam 1. 2. quæſtione 102. articul. 5. ad 8.) quoniam, ut ratiocinator Ribera, interpretes 70. poſtquàm dixerunt, *Si peccaverit Pontifex*, nihilominus addiderunt, *ille qui unctus eſt:* Si autem hoc additum eſſet, ut Sacerdotem non quemcumque, ſed ſummum intelligeremus, poſtquàm dixerant, *Pontifex*, fruſtrà addidiſſent, *qui unctus eſt*. Additur ergo iſta particula ad ſignificandum quòd ſi is qui ſolùm erat deſignatus ſummus Sacerdos, & oondum unctus, peccaret; oon tenebatur ſuum peccatum expiare per hoſtiam quæ hic exprimitur, ſed per hoſtiam plebeiorum; ante unctionem quippe ooo cenſebatur niſi ſicut unus de populo. Idemque diceodum eſt de minoribus Sacerdotibus quoad expiationem peccatorum, quæ per ignoraotiam committuntur.

[ *Delinquere faciens populum*, ] Hebr. ad *Delictum populi*, quod bifariam accipi poteſt. Uoo modo, ſicut quivis de populo peccare ſolet: alio, eoque veriſimiliori, Exemplo ſuo dans populo, qui peccati ipſius potuit eſſe conſcius, occaſionem peccandi. Majorum enim peccata facilè alios ad peccandum excitant, iiſque audaciam & inverecundiam addunt.

[ *Offeret pro peccato ſuo vitulum immaculatum* ] Hoc eſt ſine vitio, integrum, & nulla deformitate notabilem. Admonetur Pontifex ſuæ infirmitatis, ut humiliter agnoſcat peccatum ſuum, ſciatque perſonæ ſuæ dignitatem aggravare peccatum, nec tamen idcircò deſperandum eſſe de venia, ſed ejus crimen expiari poſſe, quamvis alia, & majori hoſtia quàm in politico Prioc ipe, vel in civibus particularibus: Nam Principis peccatum, hirco; Civis, Capra; Pontificis, vitulo purgari jubetur.

[ ℣. 4. *Et adducet illum ad oſtium Tabernaculi teſtimonii coram Domino: ponetque manum ſuper caput ejus*, ] Inter ritus ſacrificii pro peccato ſummi Sacerdotis, onus erat, ut ipſemet vitulum foris adductum adduceret ad oſtium tabernaculi, & ſuper eum manum ſuam poneret: Non quòd hoc ſit ſacrificare, materiam ſacrificii afferre, & offerre, oeque quòd Pontifex pro ſe victimam afferens, eoque modo offerens exiſtimandus eſſet ſacrificaſſe, niſi aliis ſacris actionibus circa eam factis, ſed qoia pro peccato ſuo ſacrificaturus debebat illas priores actiones facere; partim ut ſic magis ſatisfaceret, atque peccatum ſuum clariùs proteſtaretur; partim quia cùm non haberet Sacerdotem ſe majorem, vel parem, non erat ad quem adduceret victimam: ea enim adducebatur ad eum qui erat ſacrificaturus.

[ *Et immolabit eum Domino.* ] non alius Sacerdos, ut quidam voluerunt, ſed ipſe Pontifex: Id enim verba ipſa apertiſſimè declarant quæ ſemper de uno, eodemque loquuntur. Nec refert etiam de offerente holocauſtum dictum eſſe c. 1. *Immolabitque vitulum coram Domino*, cùm tamen ipſe non eſſet per ſe immolaturus, utpotè Laicus, viderique eodem modo accipiendum quod ounc dicitur, *Et immolabit eum Domino:*

Clara siquidem est diversitatis ratio. Nam cap. 1. mox talia subjiciuntur, ex quibus manifestum ex istud *immolabisque vitulum*, intelligendum esse quòd immolaret, non per se, sed per ministerium Sacerdotum: Additur enim, *Et offerent filii Aaron Sacerdotes, sanguinem ejus fundentes per Altaris circuitum*. Deinde, res ipsa clamat debere intelligi quòd immolabit per Sacerdotes: quia certum est Laicum, de quali sermo ibi est, non posse per seipsum sacrificare. At hìc de Pontifice, seu summo Sacerdote agitur, neque alterius personæ offerentis fit mentio. Non refert etiam quòd offerens seu adducens victimam debeat esse diversus ab eo qui illam suscipit: Id enim locum non habet, quando persona offerens non habet superiorem, imò nec æqualem quæ rem oblatam suscipiat ac sacrificet.

[ ℣. 5. *Hauriet quoque de sanguine vituli, inferens illum in tabernaculum testimonii.* ] Victimæ cædebantur extra tabernaculum, scilicet in atrio ubi erat Altare holocaustorum, & ibi sanguis qui per occisionem fundebatur, excipiebatur in aliquo cratere, ex quo deinde pars aliqua hauriebatur, ut ex eo fieret sacra effusio, vel aspersio super Altare, aut res alias. Et in victima pro peccato summi Sacerdotis, postquam illa erat occisa, ejusque sanguis aliquo vase exceptus, ipsemet de illo hauriebat, ac inferebat in tabernaculum, in eam videlicet Tabernaculi partem quæ dicitur Sancta, & Sancto Sanctorum erat proxima. Id quod de sanguine sacrificiorum præcedentium non est dictum ait Dionysius Carthusianus. Quemadmodum enim, cæteris paribus, peccatum Sacerdotis est gravius, sic ad impetrandam ipsius remissionem, propius ad Deum oportet accedere, & cordialius pœnitere; sed propter reverentiam & dignitatem Sacerdotalis officii condecens erat quòd sanguis hostiæ pro ipso oblatæ intra tabernaculum offerretur, ubi erat Altare Thymiamatis.

[ ℣. 6. *Cumque intinxerit digitum in sanguine*, ] Vituli nimirum pro peccato suo oblati,

[ *Asperget eo septies coram Domino* ] Septies videlicet intingendo digitum in sanguine; & toties aspergendo versùs eum locum in quo Dominus peculiariter se præsentem exhibebat. Aspersionis causa erat, ut per aspersionem toties repetitam, & culpæ demonstrativam sibi impetret plenam remissionem Deum placando. Aspersio quippè sanguinis fiebat ad expiationem peccati, Apostolo ad Hebr. 9. dicente quòd omnia penè in sanguine secundùm legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio. Et quoniam in septenario perfectio significatur, aspersio septies facta perfectam expiationem indicat.

[ *Contra velum Sanctuarii*. ] Per Sanctuarium intelligitur Sancta Sanctorum; & per velum, illud accipiendum est, quod ante illa sancta pendebat, eaque dividebat à Sanctis. Significatur ergo quòd in hac oblatione pro peccato Pontificis, ipse deberet sanguinem suæ victimæ in sancta inferre, & eo aspergere versus velum quod oppansum erat ante Sancta Sanctorum. An autem sic facienda esset aspersio versus velum, ut ipsum eo sanguine respergeretur, Scriptura tacet, sicut & plerique interpretes. Marius opinatur quòd sic, ut significaretur Deum sanguinem hostiæ suscipere pro sanguine peccatoris. Quibusdam visum fuit hìc agi de immolatione hostiæ pro peccato Pontificis fieri solita in festo Expiationis, de qua inferius cap. 16. & sanguinem, de quo hìc agitur, illatum fuisse intra Sancta Sanctorum. Sed oppositum cum communi sententia est tenendum. Primò, quia hìc sermo est de hostia pro peccato Pontificis, quotiescumque ipsum peccare contingeret, offerenda; illa verò quæ mandatur offerri in die expiationis, tantùm semel in anno debebat offerri. Secundò, quia Pontifex non plus quàm semel in anno, & quidem stato die poterat in Sancta Sanctorum ingredi; præsentis autem oblationis ritus, ac per consequens ingressus in Tabernaculum, sæpiùs erat repetendus, si Pontifex sæpiùs peccaret. Tertiò, quoniam quod hìc dicitur *contra velum*, magis significat quòd aspergendo, Pontifex non esset intra velum, sed extra.

[ ℣. 7. *Ponetque de eodem sanguine super cornua Altaris Thymiamatis gratissimi Domino*, ] Quæ sint cornua Altaris, dictum est Exod. 30. vers. 2. Illud, *gratissimi*, refertur ad *Thymiamatis*; & in Hebræo loco ejus legitur *Thymiamatis aromatum*: quod Thymiama, quoniam componebatur ex variis rebus odoriferis, prout eodem 30. cap. vers. 34. & seqq. præscribitur, nec in communem seu vulgarem usum venire poterat, meritò vocari potest *gratissimum Domino*, seu, *coram Domino*, ut hebræa sonant.

[ *Quod est in Tabernaculo testimonii*. ] Quod Altare non est in atrio, in quo Altare holocaustorum situm est, sed in ea parte Tabernaculi quæ dicitur *Sancta*, atque adeò in ipso Tabernaculo.

[ *Omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim Altaris holocausti* ] Post quàm Sacerdos in loco qui vocatur *Sancta* sanguinem vituli immolati asperserat, & ex eo super extremos Altaris Thymiamatis angulos posuerat, inde egredi debebat; & residuum sanguinem fundere juxta basim Altaris holocausti, secundùm ea quæ Exod. 29. vers. 12. diximus.

[ *In introitu Tabernaculi*. ] Significatur quòd istud Altare erat in atrio per quod intrabatur in Tabernaculum; hoc enim est esse in introitu Tabernaculi.

[ ℣. 8. *Et adipem vituli auferet* ] Ita quoque 70. consentientibus Hebræis Codicibus, pro eo quod quidam corruptè legunt *offeret*, Sensus autem est, quòd idem idem ille Sacerdos qui suprà dictus est, auferet de vitulo ejus adipem, ut eum pro peccato offerat, & adoleat Deo. Quamvis totus vitulus offerretur pro peccato Sacerdotis, adeps tamen & cætera quæ sequuntur, dicuntur specialiter auferri, ut offerantur pro peccato, quia tollebantur, ut ad honorem Dei cremarentur super Altare.

[ *Tam eum qui vitalia operit, quàm omnia quæ intrinsecus sunt:* ] Id est, totum adipem, tam eum qui cor, & præcordia, quæ per vitalia intelliguntur, operit; quàm illum qui est intra viscera. Pro vers. 9. conferatur cap. præced. vers. 4.

[ ℣. 10. *Sicut aufertur de vitulo hostia pacificorum:* ] Etiam hìc quidam legunt *oxertur*: sed contra fidem Hebræorum & Græcorum Codicum. Sensus est: Quemadmodum ista jam nominata abstrahunt Sacerdotes de hostia pacificorum ad cremandum in Altari; sic auferet Sacerdos de vitulo quem pro peccato suo offert,

[ ℣. 11. *Pellem verò, & omnes carnes, cum capite & pedibus & intestinis & fimo*, ]

] ℣. 12. *Et reliquo corpore*, ] Non in frusta conciso, sed integro, [ *exeret extra castra*, ] ut ita magnus peccati horror excitaretur. Quò enim majora sunt peccata, magis habenda sunt in horrore: Cæteris autem paribus, nullum peccatum est ita magnum sicut peccatum summi Sacerdotis, & peccatum totius populi: ideò in his sacrificiis, omnes carnes, pellis, fimus, & intestina deferuntur extra castra ad majorem peccati horrorem demonstrandum. Id quod in sacrificiis pro peccato Principis, & popularium non observabatur. Addi potest & ista ratio: Ut per hoc significaretur quòd post oblatum tale sacrificium, neque Sacerdotis, neque multitudinis peccatum quemquam læderet eorum qui erant in Castris, pœna jam è Castris fugata.

*Allegorica* quoque ratio est, ut ita innueretur Christus extra Castra, seu extra Jerusalem passurus.

[ *In locum mundum, ubi cineres effundi solent:* ] Quamvis ista omnia in detestationem peccati ejicerentur extra Castra; quia tamen vitulus, cujus illa erant, Deo fuerat immolatus; quædam reverentia ipsis debebatur, ne vel à populo conculcarentur, vel alioquin indignè tractarentur. Ideò Deus jubet in locum mundum ea deferri, ubi cineres holocaustorum, aliarumque victimarum & lignorum in Altari consumptorum effundi solent. Isti enim cineres, primùm vase aliquo excipiebantur quod erat propè Altare holocaustorum, supra cap. 1. vers. 16. & posteà foras efferebantur.

Similiter nunc in Ecclesia novi Testamenti sacris

cine-

cineribus quædam debetur reverentia, & locus mundus in quem projiciantur, ut patet ex Miſſali *de defectibus circa Miſſam* §. 10.

Quærunt aliqui quare nunc dicantur inteſtina eſſe cremanda extra caſtra, cùm priùs dictum ſit quòd incendi deberent ſuper Altare holocauſti? Sed Reſponſio clara eſt, id non eſſe dictum: Aliud enim eſt adeps operiens vitalia, id eſt, cor & præcordia, quæ ſunt inteſtina quædam; aliud ipſa inteſtina. De illo dictum fuit ut ſuper Altare cremaretur, non de iſtis.

Si petas, cur de fimo fiat hic mentio particularis; Reſpondeo, ne putaretur quòd inteſtina hujus victimæ purgari deberent, ac lavari, ſicut cap. 1. de aliis ſacrificiis fuerat præceptum.

Si prætereà petas, Cur caro vituli pro peccato Sacerdotis oblati ſic cremabatur, & non potiùs veniebat in uſum offerentis, cùm hoſtia pro peccato ſoleret in duas partes dividi, quarum una cremabatur, & altera cedebat in uſum Sacerdotum, ad ſignificandum quòd expiatio peccatorum fit à Deo per miniſterium Sacerdotum?

Reſpondeo iſtam diviſionem debuiſſe fieri quando offerebatur hoſtia pro peccato Principis, aut alicujus de populo: non autem ſi offerebatur ſpecialiter pro peccato ſummi Sacerdotis, vel pro peccato totius multitudinis. Nam tunc tota cremari debebat; partim quia non conveniebat ea in uſum Sacerdotis venire, quæ pro peccato ipſius offerebantur; cùm hoc non eſſet ſatisfacere; oblatio autem talis victimæ erat quædam ſatisfactio: partim ad ſignificandum quòd nihil peccati debebat remanere in Sacerdote, vel in multitudine, ut tradit Beat. Thom. 1. 2. qu. 102. articul. 3. ad 8. partim denique ad innuendum quòd Sacerdotum & multitudinis peccata ſunt aliis graviora.

Si poſtremò petas, Quare iſta hoſtia, quandoquidem erat omninò cremanda, non incendebatur tota ſuper Altare, ſed aliqua pars ſuper eo, alia extra Caſtra?

Reſpondeo, quia non erat holocauſtum, ideoque non erat offerenda juxta ritus holocauſti.

[ *Incenderque ea ſuper lignorum ſtruem*, ] Igne iſtis lignis ſuppoſito.

[ *Quæ in loco effuſorum cinerum cremabuntur*, ] Ità ut in iſto loco mundo tam caro vituli occiſi cum membris & partibus ſupradictis, quàm ligna pariter uſque ad cineres conſumantur.

*Ad Mores* quod attinet, quoniam in Novo Teſtamento, non ſoli Antiſtites ſunt uncti, ſed omnes Sacerdotes, ipſi conſiderare debent quòd ſi in veteri lege Sacerdos vel ſemel peccans, idque per ignorantiam, tenebatur pro peccato ſuo vitulum immolare, quid facturi ſunt qui ſcienter & frequenter enormia peccata committunt, potando, fornicando, aut aliter puſillos ſcandalizando. Oportet utique ut vitulum Deo offerant, hoc eſt, laſcivam, indomitam, fœdamque ſuam carnem vigiliis, abſtinentiis, ac diſciplinis caſtigent, ſalubriterque mortificent. Hunc vitulum ad oſtium Tabernaculi adducant coram Domino, coram ipſo lugendo, ſeriam contritionem concipiendo, & integrè confitendo. Manum ſuam ponant ſuper caput illius, agnoſcendo ſe reos eſſe, & æterno ſupplicio dignos. Et quia non valent ſuis viribus ſatisfacere, hauriant de ſanguine ejus qui fuit per vitulum figuratus, id eſt, conentur Corporis & ſanguinis Chriſti fieri participes, ſicque paulatim appropinquent ad Altare. Deinde pellem, carnes, & inteſtina comburant extra Caſtra, ubi populus non videat peccata eorum, nec ea jactentur in publicum, nec in locum immundum, id eſt, in conventicula detractorum: ſed igne charitatis conſumentur, ac in perpetuum ſileantur.

[ ℣. 13. *Quòd ſi omnis Turba Iſrael ignoraverit, & per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini eſt*, [ Subaudi, *vel omiſerit quod juſſum eſt ut faciat*. Incipit deſcribere ſecundum ſacrificium *pro peccato*, quod eſt pro peccato totius populi ex ignorantia commiſſo. Pro *omnis Turba*, Alii ex Hebr. vertunt, *Omnis Congregatio*: 70. *Omnis Synagoga*. Ut autem cenſeatur omnis Turba, vel Congregatio, aut Synagoga peccaſſe, non oportet quòd omnes & ſinguli peccaverint, ſed ſatis eſt quòd major pars populi, vel qui ſunt in populo præcipui, veluti Rectores, & Seniores, virique magnæ Auctoritatis; quia populum continent eminenter. Hoc peccatum eadem hoſtia iiſdemque fermè ritibus expiari decernitur, quo peccatum ſummi Sacerdotis; tum quòd in tota Turba Iſrael ipſe ſummus Sacerdos continetur, tum quòd graviſſimum eſt, quando omnis populus peccat, metuſque eſt ne totus idem populus pœna involvatur: Et ideò expedit illud peccatum tali expiatione purgari, ut quàm remotiſſimè ſeparetur à populo, nihilque ſuperſit de hoſtia, ſed tota concremetur. Pro talium autem peccato, unum duntaxat mandatur ſacrificium, quia omnes unam perſonam repræſentant, quæ dicitur perſona ficta. Et quod dicitur de peccato omnis turbæ, ſeu omnis populi, non tantùm eſt accipiendum de peccato univerſi populi Iſraelitici, ſed etiam de peccato totius alicujus Civitatis, quemadmodum obſervavit Dionyſius Carthuſianus.

[ ℣. 14. *Et poſteà intellexerit peccatum ſuum*, ] Sublata nimirùm ignorantia. Diſcrimen hic advertit Iſychius quod Scriptura de Sacerdote non dixit, *& peccatum ſuum intellexerit*, ſicut dicit de Turba Iſrael; quia Chriſtus per ſummum Sacerdotem deſignatus non erat ignoraturus peccatum, quod ut ſuſciperet expiandum, incarnandus erat: Populus autem ab initio peccatum ſuum ignoravit, & poſtea agnovit. Litteralis autem ratio eſſe videtur, quia Sacerdotis eſt ſcire, ac alios docere, & monere. Si autem ignoraverit, proprio ſtudio redire in cognitionem; id quod non eſt populi.

[ *Offeret pro peccato ſuo vitulum*, ] Ne putet quiſpiam his oppoſitum præſcribi Num. 15. verſ. 24. Obſervandum eſt, hic ſolùm agi de hoſtia pro peccato: Illic autem præter hanc hoſtiam, mandatur alius vitulus offerri in holocauſtum, ac inſuper hircus.

[ *Adducetque eum ad oſtium Tabernaculi*. ] Ipſa nimirùm Turba, ſeu multitudo Iſrael. Hoc eſt, unus aut plures, nomine & vice multitudinis.

[ ℣. 15. *Et ponent Seniores populi manus ſuper caput ejus* ] Hic ritus differt à cæremonia ſacrificii pro peccato Sacerdotis; quia in eo ipſemet Sacerdos, cùm pro ipſo eſſet hoſtia, manum ſuper caput hoſtiæ ponere debebat; hic autem Seniores ſeu Primores populi id facere jubentur, quia repræſentant populum qui præ multitudine non potuiſſet iſto munere fungi.

*Immolatoque vitulo* ] Non à Synagoga vel Senioribus per ſe & immediatè, ſed ab illis per miniſterium Sacerdotis de quo ſequitur.

[ *Inferet Sacerdos, qui unctus eſt*, ] Summus nimirùm Sacerdos; quia enim peccatum multitudinis eſt valde grave, nonniſi per ſummum Sacerdotem erat expiandum.

[ ℣. 20. *Sic faciens & de hoc vitulo, quomodò fecit & prius*, ] Quomodo præſcriptum eſt fieri de priore, qui pro peccato Sacerdotis juſſus eſt offerri.

[ *Et rogante pro eis Sacerdote, propitius erit eis Dominus*. ] Ut non inferat pœnam in hac vita, quam alioqui inflixiſſet. Obſervandum autem quòd preces quas faciebat ſummus Sacerdos in ſacrificio; & quarum ignoratur formula, ut ait Lorinus, non erant de eſſentia ſacrificii. Ex Beat. enim Thoma generaliter diximus 3. part. quæſtion. 60. articul. 6. ad 3. in Sacramentis veteribus (idemque judicium eſt de ſacrificiis) nulla fuiſſe verba quæ ad eſſentialem eorum rationem pertinerent: idque propterea, quia illorum ſignificatio non debebat eſſe tam expreſſa quàm Sacramentorum novi Teſtamenti. Ac proinde verba quorum uſus erat in quorumdam illorum adminiſtratione, non erant eſſentialia, ſed tantùm cæremonialia. Obſervandum præterea, quòd veteris Legis Sacramenta non juſtificaverint ex opere operato, quemadmodum ejuſdem 3. p. quæſt. 62. art. 6. probavimus, neque vim habuerint remittendi pœnam æternam: Sed adulti qui tunc juſtitiam; vel peccatorum, ac pœnæ æternæ remiſſionem conſequebantur, eam accipiebant per fidem Chriſti venturi, ſimul cum contritione, cujus utriuſ-

que signa erant hostiæ quas pro peccato offerebant. Et propterea quæ tum in præsenti capite, tum in aliquot subsequentibus dicuntur, quòd Deus erit propitius, quòd peccatum dimittetur *&c.* intelligi debent de propitiatione & remissione quoad pœnam hujus sæculi temporalem, & quantum ad immunditiam legalem, non quantùm ad culpam & pœnam æternam, ut isto art. 6. fuit explicatum.

[ ℣. 21. *Ipsum autem vitulum efferet extra castra, atque comburet sicut & priorem vitulum:* ] Qui dictus est esse offerendus pro peccato Sacerdotis.

[ *Quia est pro peccato multitudinis.* ] Quod additur, quia si esset pro peccato vel Principis, vel alicujus privati, neque ferretur extra castra, neque ibi combureretur: Sed quia est pro peccato multitudinis, quod, cæteris paribus, est magis grave, hostia longiùs efferenda est, ac comburenda.

[ ℣. 22. *Si peccaverit Princeps,* ] Tertium pro peccato sacrificium præscribitur. Et nomine Principis, non solus Rex aut Princeps qui toti populo præsit, intelligitur, sed comprehenditur quicumque est in dignitate constitutus, sive sit Rex, sive Princeps Militiæ, sive Dux, sive Judex, aut Caput alicujus Tribus vel Familiæ, ut interpretantur Cajetanus, Oleaster, & Marsilla, hic, Ribera lib. 4. de Templo c. 6. & plures alii: Vocabulum enim Hebræum significat hominem elevatum, & supra cæteros dignitate eminentem.

[ *Et fecerit unum è pluribus per ignorantiam, quod Domini Lege prohibetur,* ] Hoc est, quodcumque Dei præceptum violaverit, sive committendo, sive omittendo, per ignorantiam.

[ ℣. 23. *Offeret hostiam Domino, hircum de Capris* ] In Heb. *Hircum Caprarum*, eodem sensu, pro Agnum tenerum, & novellum, qui adhuc sequitur Matrem: Phrasi enim Hebræa, quando animali jungitur genitivus fœmininus pluralis, significatur illud animal esse tenerum, & à Matre necdum avulsum, ut diximus Genes. 38. vers. 17.

[ *Immaculatum.* ] Quomodo hircus potest dici immaculatus, cùm sit vile & fætidum animal? Respondeo immaculatum dici, quando non est defectuosus; sive, quando nullum habet corporis defectum: Unde Hebræi dicunt *Integrum*. Eadem, sicut & 70. addunt, *Masculum*, Id quod nostra versio satis significat vocans hircum immaculatum. Hircus est vilior hostia quàm vitulus; idcircò jubetur offerri pro peccato personæ vilioris. Vilior enim est Princeps, quàm summus Sacerdos, imò & quàm multitudo, cùm jure naturæ, ipsa Principem constituat, sitque Princeps propter multitudinem, non multitudo propter Principem.

[ ℣. 24. *Cumque immolaverit* ] seu, mactaverit, [ *eum,* ] non ipse Princeps per se, cùm esset Laicus sed per Sacerdotem.

[ *In loco ubi solet mactari holocaustum.* ] Hoc est, in atrio Tabernaculi.

[ *Coram Domino,* ] Seu coram Tabernaculo, ubi Deus erat specialiter.

[ *Quia pro peccato est,* ] In Hebr. & Græco, *Peccatum est*, ubi *peccatum* idem valet quod *hostia pro peccato*, sicut etiam sumitur 2. ad Cor. 5. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Cujus rei rationem ista verba contineant, ambigitur: Verisimile est quòd eorum quæ sequuntur;

[ ℣. 25. *Tinget Sacerdos digitum in sanguine hostia pro peccato, tangens cornua Altaris holocausti,* ] Quasi diceret: Quia est sacrificium pro peccato, isti ritus, *Tinget* &c. servabuntur. Si esset holocaustum, vel hostia pacifica, non tingeretur digitus ad tangendum cornua altaris, sed quoniam est hostia pro peccato, ideò tingendus est. Commune erat in quolibet sacrificio pro peccato, quòd sanguine tangerentur cornua altaris; differenter tamen: Nam pro peccato Sacerdotis, ac etiam pro peccato multitudinis tangebantur cornua Altaris Thymiamatis; At pro peccato Principis vel persona alicujus privatæ, tangebantur cornua Altaris holocausti; Nam pro his, utpote minoribus non tam multi ritus erant præscribendi, unde nec Sacerdos ingrediebatur in *Sancta*, nec hostia efferebatur extra Castra.

[ *Et reliquum fundens ad basim ejus.* ] Altaris nimirùm holocausti, ut 70. exprimunt conformiter Hebræo. Abulensis observat sanguinem hunc non fuisse fusum super Altare, vel per Altaris circuitum, sicut in holocaustis, & hostiis pacificis, sed ad basim, seu fundamentum Altaris; idque propterea, quia in diversis sacrificiis oportebat diversas esse cæremonias.

[ ℣. 26. *Adipem verò adolebat supra,* ] Id est supra Altare holocaustorum; quia hoc erat generale in omnibus sacrificiis de pecoribus. Quid fieret de carnibus hujus, ut & sequentis hostiæ dicetur cap. 6, vers. 26.

[ *Rogabitque pro eo Sacerdos, & pro peccato ejus,* ] Quidam hæc distinguunt; Ut rogare pro Principe, sit orare pro ejus incolumitate, & rogare pro peccato ipsius, sit orare, ut Deus remitteret ei peccatum, sive ut propter illud pœnam non infligeret. Sed tam ex Hebræo quàm ex Græco verisimilius est non differre, rogare pro Principe, & pro peccato illius, cùm agitur de sacrificio pro ejus peccato. Nam in Hebræo sic legitur: *Et expiabit super eum Sacerdos à peccato ejus*; hoc est, pro eo de peccato. Apud 70. *Et depropitiabit pro eo Sacerdos de peccato ejus.* Sensus igitur est; quòd Sacerdos rogabit pro eo, & pro peccato ejus: Id est pro eo ut remittatur ei peccatum.

[ *Et dimittetur ei.* ] Non ex opere operato sacrificii, vel precum Sacerdotis, sed ex devotione tum Sacerdotis, tum Laici offerentis, atque ex protestatione fidei in Christum. Sermo autem est de remissione quoad pœnam temporalem & quoad immunditiam legalem, ut ad v. 20. fuit observatum.

[ ℣. 27. *Quòd si peccaverit anima per ignorantiam de populo terræ,* ] Agitur hic de sacrificio pro peccato cujuslibet privati hominis: Et est istud quartum genus sacrificiorum pro peccato. Anima de populo terræ, sive de popularibus, idem est quod homo plebejus, seu vulgarus & privatus.

[ *Ut faciat quidquam de his quæ Domini lege prohibentur,* ] Subintelligendum est, *vel omittat aliquid eorum quæ jubentur fieri*: Eadem enim est ratio peccatorum omissionis, & commissionis.

[ *Atque delinquat,* ] Sicque peccet, frequenter enim Synonyma sunt peccare & delinquere. Confer quæ dicimus ad cap. seq. vers. 2.

[ ℣. 28. *Offeret Capram immaculatam.* ] In hoc differt sacrificium pro peccato cujuslibet personæ privatæ, à sacrificio pro peccato Principis; quòd pro peccato Principis offerebatur masculus de capris, pro peccato autem privatæ personæ, fœmella, scilicet capra: Nec refert quòd Capra, Ovis, & alia hujusmodi interdum non supponunt pro sexu: sed pro specie, ut tam masculus quàm fœmina possit intelligi: nam hic determinatur ad sexum, cùm dicitur *Capram immaculatam*, & tam apud 70. quàm in Hebræo exprimitur Capra fœmina. Quia enim privati hominis persona minùs digna est quàm Principis, minorem victimam offert, non marem, sed fœminam: Ipsi quippè fœmina convenit, sicut mas Principi, cùm minùs virilitatis & sapientiæ habeat privatus, quàm Princeps.

[ ℣. 30. *Tolletque Sacerdos* ] Qui poterat esse quivis Sacerdos, sive summus sive unus de minoribus, ut & in sacrificio pro peccato Principis, quemadmodum probabile est.

[ ℣. 31. *Adolebit super Altare in odorem suavitatis Domino:* ] De hujus sententiæ explicatione vide quæ diximus cap. 1. vers. 9. In cæteris tribus sacrificiis pro summo Sacerdote, pro toto populo, & pro Principe, nihil dixit Moyses de *odore suavitatis*; non quòd sacrificia pro illis oblata non fuerint Deo tam grata quàm id quod hic ponitur: sed ut quod exprimitur in ultimo, eoque viliore, intelligatur in reliquis ejusdem generis. Potuisset aliquis suspicari vilitatem tum personæ privatæ tum hostiæ esse in causa cur hoc sacrificium Deo minùs placeret: Ad removendam ergo hujusmodi suspicionem, opportunè hic additum fuit, *In odorem suavitatis Domino*. Si autem hoc veritatem habet in viliori sacrificio, eadem, si non majori, ratio-

ratione cenſendum eſt veritatem habere in præſtantioribus.

[ ℣.32. *Sin autem de pecoribus obtulerit victimam pro peccato, ovem ſcilicet immaculatam*; ] Ne putaret quiſpiam quòd perſona privata non poſſet pro peccato ſuo offerre niſi Capram, Moyſes oſtendit quòd & ovem offerre poſſet; imò, ſi nec ovem habere poſſet, potuiſſe offerre duos turtures, aut duos pullos columbarum ex cap. ſeq. verſ. 7. patet. Si quæras, num Capra non ſit de pecoribus ſicut ovis: Reſpondeo eſſe; ſenſus autem bujus ſententiæ ſic juxta Hugonem Cardinalem reddendus eſt: *Sin autem de pecoribus aliam voluerit offerre victimam quàm Capram, efferet ovem immaculatam*. Hugoni conſentit Marzilla ſic explicans: *Sin autem de pecoribus aliis a Capra offerre voluerit &c.* Hebræa exprimunt ut ovis hic immolanda ſit fœmella, quod Textui noſtro optimè quadrat.

[ ℣.35. *Omnem quoque adipem auferens, ſicut auferri ſolet adeps arietis qui immolatur pro pacificis*: ] Arietem in genere maſculino poſuit; quoniam in hoſtia pacifica indifferenter mas aut fœmina poterat offerri; & jam de fœmina pro peccato offerenda ſermonem fecerat, quæ ſola pro peccato bominis privati erat offerenda.

[ *Cremabit ſuper Altare in incenſum Domini* : ] Rectè reſtituta eſt præpoſitio, *In*, quæ fuerat aliquando omiſſa. Non enim ſignificatur cremandum fuiſſe thus, quod aliàs incenſum dicitur, ſed adipem cremandum fuiſſe in incenſum Domini: Hoc eſt, ut in honorem Dei incenderetur, fieretque ſacrificium ignitum.

## CAPUT V.

*De hoſtiis pro peccatis ex ſilentio veritatis, immunditia, errore, juramento, ſacrorum abuſu atque ignorantia.*

CAſus & Leges hujus ac ſequentis Capitis ad omnes pertinere videntur, cùm nulla fiat perſonarum diſtinctio, ſicut facta fuit in Cap. 4.

[ ℣.1. *Si peccaverit anima*, ſeu homo, *& audierit vocem jurantis, teſtiſque fuerit, quòd aut ipſe vidit, aut conſcius eſt: Niſi indicaverit, portabit iniquitatem ſuam.* ] Pro *vocem jurantis*, alii ex Heb. vertunt, *vocem juramenti*, alii, *adjurationis*, vel, *adjurantis*. Et quoniam ſententia non parùm eſt obſcura, hinc factum, quòd ejus ſenſus varii reddantur: Inter quos tamen duo maximè videntur probandi, quos tetigimus 2. 2. qu. 33. art. 7. Concluſione 3. Unus eſt, *Si quis flagitium aliquod commiſerit, & alius quiſpiam audierit vocem Judicis ipſum legitimè adjurantis, ſeu prævio juramento interrogantis ut id quod res eſt dicat, & teſtis eſſe poſſit, quia vel ipſe vidit, vel aliter conſcius eſt, ſi recuſet indicare, & veritatis teſtimonium ferre, portabit iniquitatem ſuam.* Juxta quam expoſitionem diverſi ſunt bomines, quorum unus ſub nomine Animæ dicitur initio peccaſſe, & alter qui dicitur eſſe teſtis, ac audire vocem jurantis: Neque de ſolo peccato perjurii, ſed de quovis etiam alio peccato agitur. Alter ſenſus eſt: *Si quis peccaverit, & audierit vocem jurantis, ſeu juramento aliquid confirmantis, hujuſque rei teſtis ſit vocatus ad judicium ut dicat id quod vidit aut novit: niſi veritatem, cùm ſit juridicè requiſitus, aperiat, portabit iniquitatem ſuam.* Uterque ſenſus valdè probabilis eſt. Priorem, ut multi alii, ita & Janſenius ſequitur in cap. 29. Proverb. ad eum verſum. *Qui cum fure participat, odit animam ſuam: adjurantem audit & non indicat.* Ubi de præſenti loco diſſerens, *Jurantis*, inquit, poſitum eſt pro *adjurantis*, eſt enim eadem dictio quæ hoc loco: Et eſt ſenſus. Si quis adjuratus, & per jusjurandum vocatus, ut ſit teſtis eorum quæ vidit & cognovit, non indicaverit, portabit iniquitatem ſuam. Ita & hic dicitur quòd particeps furti eſt, ſi audiat eum qui adjurat, & jurejurando exigit pro officio ut furtum prodatur, non tamen indicat, ne cogatur reſtituere. Iſta porrò verba, *portabit iniquitatem ſuam*, non ſignificant talem ſine ſpe veniæ relinqui pœnæ obnoxium, ſed portare iniquitatem eſt eſſe reum, & ſuſtinere pœnam ſuæ iniquitatis. Significatur ergo quòd talis punietur, vel à Judice, ſi coram eo ſufficienter probetur; vel alioquin à Deo niſi peccatum ſuum ſacrificio expiet. Quamvis enim nullum hic præſcribatur ſacrificium pro ejuſmodi peccato, expiandum tamen erat illo ſacrificio quod ver. 6. exprimitur. Illa enim ſanctio ad omnes caſus præcedentes eſt referenda. Quod autem de iſto peccato hic ſtatuitur, veriſimile eſt extendi debere ad omnes caſus ſimiles in quibus aliquis omiſſione peccat.

*Myſticè*, opòrtet quòd peccator portet iniquitatem ſuam, dignam in hoc ſæculo agendo pœnitentiam; alioquin portabit judicium ſuum, ad Galat. 5. & onus ſuum portabit, ad Galat: 6.

[ ℣. 2. *Anima quæ tetigerit aliquid immundum, ſive quod occiſum à beſtia eſt, aut per ſe mortuum, aut quodlibet aliud reptile*; ] Si quis rem aliquam immundam tetigerit, ex cujus nimirùm contactu homo ſecundùm legem polluitur; ſive id quod tetigit, ſit animal à beſtia occiſum, ſive per ſe, ſeu ex cauſa aliqua interiori mortuum, ſive quodvis reptile. Etſi enim quibuſdam viſum fuerit ſermonem hic eſſe de contactu cadaveris reptilium; probabilius tamen eſt agi de contactu cujuſvis reptilis, ſive vivi, ſive mortui, quemadmodum indicant Hug. Card. Lorinus, Marzilla, & Marius: Quia omne reptile erat immundum, ut nec comedi poſſet, nec tangi, ex hac Lege Levit. 5. v. 2. & cap. 22. v. 5. Conferatur etiam Caput 11. verſ. 41.

[ *Et oblita fuerit immunditiæ ſuæ*, ] Ac per conſequens non curaverit ab ea purgari per purificationem lege præſcriptam.

[ *Rea eſt*, ] Nihilominus eſt immunda & contaminata.

[ *Et deliquit*; Eò quòd omiſerit ſe juxta legem purificare, & ideò victimam pro peccato per ignorantiam admiſſo debet offerre. Alii ex Hebræo verbum *delinquendi* tam hoc quàm præcedenti capite interpretantur pro *peccati cognitione*, ita ut *deliquit* idem valeat, ac *delictum eſſe didicerit*, juxta Iſychium in præſens caput, conformiter B. Auguſtino q. 3. in Levitic.

[ ℣. 3. *Et ſi tetigerit quidquam de immunditia hominis juxta omnem impuritatem qua pollui ſolet*, ] Hoc eſt: Si tetigerit immunditiam hominis, quæcumque illa ſit, ex qua ſecundùm legem Moyſi homo ſolet pollui, & immundus fieri. Per immunditiam hominis, intelligitur homo immundus, ſive eſſet Cadaver, ſive homo leproſus, aut ſemine fluens, aut ſanguinis fluxum patiens, aut mulier menſtruata, vel tales fluxus patiens, aut quacumque alia ratione immunditiam contraxiſſet.

[ *Oblitaque cognoverit poſteà*, ] Oblita quòd in immunditiam inciderit; aut ignorans, vel non advertens ſe in immunditiam incidiſſe, atque ita omiſerit purgationem quam debebat.

[ *Subjacebit delicto*. ] Hebr. *Deliquit*. Quod dupliciter exponi poteſt. Primò, debebit pœnam ſolvere, ſeu offerre ſacrificium propter ſuam immunditiam præſcripta purgatione non expiatam. Secundò, ſibi apparebit quòd delicto ſubjaceat, pœnamque debeat. Obſervat S. Bruno Epiſcopus Herbipolenſis, omnes eos reputandos eſſe immundos, qui non ſunt noſtræ fidei, noſtræque Religionis. Quorum alii à Beſtia ſunt occiſi, id eſt, à diabolo vel hæreticis ſeducti, unde Pſalmiſta Pſal. 73. *Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi:* Alii verò per ſe ſunt mortui, id eſt, per ſuam ſuperbiam in hæreſim, vel aliud peccatum mortale præcipitati: Per reptile verò, quia toto corpore terram premit, & ad ſuperiora non erigitur, illi figurantur qui cunctis ſenſibus mentis & corporis, ſola terrena appetunt, avaritiæ inſerviunt, & cœleſtium obliti, omnibus ſe corporis voluptatibus tradunt. Quæ igitur anima, eorum aliquid tetigerit, ſuæque immunditiæ oblita fuerit, rea eſt, & deliquit; Hæc enim tangere, eſt his adhærere, his credere, his communicare, & eorum facta imitari. Recordetur igitur anima immunditiæ ſuæ, agnoſcat ſe peccaſſe, agat pœnitentiam, nec in his ulterius delinquat, ut non ſit rea coram Deo.

[ ℣. 4. *Anima, quæ juraverit, & protulerit labiis ſuis, ut vel malè quid faceret, vel benè, & idipſum juramento & ſermone firmaverit, oblitaque poſteà intellexerit delictum ſuum*, ]

[ ℣. 5. *Agat pœnitentiam pro peccato*, ] Certum eſt eum qui juraverit malè quid facere, nequaquam peccare, ſi juramentum ſuum non impleat, ſive hoc

per oblivionem contingat, sive aliunde; loquendo de malo culpæ: ac per consequens non debere agere pœnitentiam violationis juramenti. Si quis enim juraret, se inebriaturum, inimicum occisurum, aut quodvis aliud scelus commissurum, graviter quidem peccaret, sic jurando, juramentum autem illud non servando minimè peccaret, imò flagitium novum committeret, si faceret quod juravit. Dicendum ergo non hic agi de malo culpæ, sed de malo pœnæ seu afflictionis, secundùm quod in Theologia notum est, pœnam & afflictionem vocari malum ut Isa.45. Deus dicitur *faciens pacem, & creans malum*: Amos 3. *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit*. Et Lucæ 16. *Lazarus similiter mala*. Hujus ergo sententiæ sensus est. Qui juraverit vel carnem suam jejunio, aut quavis alia austeritate affligere, vel opus aliquod virtutis facere, velut sacrificium Deo offerre, aut pauperi eleemosynam dare, & per oblivionem non præstiterit, cognito delicto, agat pœnitentiam. Sensum hunc tradit Cyrill. Alex. lib. 3. in Levitic. Si tamen illius sint libri isti, & non potius Origenis. Et B. Gregor. lib. 32. Moral. cap. 2. *Cum bona*, inquit, *opera promittimus, benè nos facere spondemus: Cùm verò abstinentiam, cruciatumque carnis nostræ vovemus, malè ad præsens nos nobis facere juramus*. Eamdem expositionem adferunt & S. Bruno, Lyranus, Oleaster, & complures alii. Potest tamen prior pars generalius accipi de eo qui juraverit, aut seipsum sic affligere, aut quempiam sibi subditum juxta dictamen rectæ rationis punire: Sicut quando parentes propter evidentia filiorum suorum flagitia jurant eos castigare.

[ ℣. 5. *Agat pœnitentiam*] Pro *agat pœnitentiam*, alii ex Hebr. reddunt, *confitebitur quod peccavit*, Sacerdoti videlicet, conformiter iis quæ dicentur cap. seq. Etsi verò ista pœnitentia secundùm litteram, & secundùm Legis veteris morem sita esset in externa declaratione peccati, qua is qui deliquerat, exponebat peccatum suum Sacerdoti, ut sacrificium pro ipso offerret, quæ erat pœnitentia legalis, valens ad legalem peccati remissionem: Si tamen veram coram Deo remissionem, culpæ nimirùm ac pœnæ æternæ consequi vellent, oportebat quòd veram animi contritionem conciperent, sicque interiorem agerent pœnitentiam.

[ *Et* ℣. 6. *offerat de gregibus Agnam, sive Capram*, ] Notat Marius verbum *offerre*, tantùm accipi debere; pro *ad offerendum adducere, & Sacerdoti sistere*; Neque enim Judæi singuli per seipsos offerebant sacrificium in casibus suprà positis, sed Sacerdoti tantùm adducebant, ut pro ipsis offerret. Unde in Hebr. sonat: *Et adducet delictum suum*, id est, hostiam pro suo delicto. Sed & hic statim sequitur.

[ *Orabitque pro ea Sacerdos*, ] Scilicet sacrificium offerendo, [ *Et pro peccato ejus*: ] hoc est, pro isto homine, ut suum peccatum ei remittatur. Cùm dicitur, *Agnam, sive Capram*; *sive* non accipitur pro copulativa, *&*, quasi oporteret utramque offerre, sed pro disjunctiva, *vel*, quam habent tam Hebræa, quàm Græca; satis enim erat offerre alterutram: Quæ quòd fœminei sexus esse deberet, Hebræa clarè exprimunt. Curantem de gregibus Agna, vel Capra, & non de armentis, Bos, vel vitulus, vel vacca? Ad notandum quòd infirmioribus, iis maximè qui adeò negligentes sunt, ut votorum & juramentorum suorum obliviscantur, non est ardua conversatio aut pœnitentia injungenda, sed vulgaris, & quæ non opprimat vires cujuslibet etiam invalidi.

[ ℣. 7. *Sin autem non potuerit offerre pecus*, ] In Hebr. *Si non attigerit manus ejus sufficientiam pecoris*. Quia peccatum, de quo hactenus, erat commune, & committi poterat à tribus hominum generibus, scilicet, à divitibus, à tenuibus, & à pauperibus, Deus providet omnibus illis de sacrificio. Nam pro divitibus Agnam, vel Capram instituit offerri: Pro tenuibus, turtures aut pullos Columbarum: Pro pauperibus infra vers. 11. Similam. Quæsitur autem, an sit ubique accipiendum, ut qui non posset offerre animalia de grege, vel de armento, deberet offerre ex avibus, vel ex simila? Resp. negativa videtur tenenda; nimirùm, id quod hic statuitur, in casibus jam expressis locum habere, & non in aliis, sed in eis offerenda fuisse illa quæ Lex distinctè imperabat.

[ *Offerat duos turtures, vel duos pullos Columbarum, Domino*. ] Videantur quæ diximus cap. 1. ad vers. 14. & seqq. Ubi tamen non sunt expressæ duæ aves, quemadmodum hoc loco. Cùm enim esset sacrificium spontaneum, & liberum, una sufficiebat.

[ *Unam pro peccato, & alteram in holocaustum*, ] Cap. 12. pro puerperæ purificatione, si erat pauper, injungitur etiam duarum avium sacrificium, sed mutato ordine: Ibi enim sic dicitur; *Unam in holocaustum, & alteram pro peccato*. Mutati ordinis rationem adfert Lorinus, quoniam mulieris quæ pepererat, peccatum non erat propriè, sed sola immunditia: Et præcipuum erat in integro illo sacrificio, ut actio gratiarum redderetur pro edito partu, & Deus potissimùm honoraretur, quod fiebat magis per se holocausto. Ad expiandum verò immunditiam, spectabat ea pars sacrificii quæ dicebatur pro peccato. At in præsenti Capite agitur de expiando peccato propriè dicto: Et propterea priùs offerri debebat turtur pro peccato, & posteà in holocaustum, ad innuendum quòd non est speciosa laus Dei in ore peccatoris, quòdque oporteat remissionem peccatorum petere, priùsquàm offeramus Deo sacrificium gratiarum actionis.

Per duos Turtures, Juxta S. Brunonem, significari potest corporis & animæ castitas: Et per duos pullos Columbarum, & interioris hominis simplicitas & innocentia. Unus offertur pro peccato, dum corpus dura pœnitentia affligitur, & maceratur: Alter in holocaustum, quando spiritus interius contribulatur, secundùm illud Psal.50. *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus*. Juxta alios, unum offerimus pro peccato, si pro culpa gemitum damus: Alium in holocaustum, si nosmetipsos funditus succedentes, igne divini amoris ardemus.

[ ℣. 8. *Dabitque eos Sacerdoti*: ] Non utrosque, & & turtures, & columbas, sed vel duos turtures, vel duos pullos columbarum.

[ *Qui primum offerens pro peccato*, ] *Primum*, non sumitur adverbialiter, sed adjectivè, ut epithetum turturis, aut pulli Columbæ, quod apertè ostendit vers. 10. *Alterum verò*, in Hebr. *secundum verò*.

[ *Retorquebit caput ejus ad pennulas*, ] Seu ad alas,

[ *Ita ut collo hæreat, & non penitus abrumpatur*. ] Sic Sacerdos retorquere debebat caput aviculæ ad alas, ut vel ungue, vel ferro rumperetur locus vulneris, & sanguis difflueret, ipsum tamen caput maneret collo continuatum, & nequaquam avelleretur ab illo.

*Præter illa* quæ ad caput 1. notavimus, retorquendo caput ad pennulas, significabatur, quòd dum homo vult agere pœnitentiam, aut seipsum offerre Deo, non erecta cervice, & superba facie sit ei incedendum, sed capite inclinato, & mente ad tergum, seu ad finem humanæ vitæ conversa, & cum erubescentia sui peccati; atque ita, ut caput collo adhæreat: & non penitus abrumpatur: Quoniam humilitas non debet esse omninò coacta & violenta, sed suavis & spontanea. Coacta enim humilitas potest quidem apparere exterius, in animo autem esse non potest.

[ ℣. 9. *Et asperget de sanguine ejus parietem Altaris*. ] Hoc est, latus Altaris holocaustorum. Cap. 1. Dum de holocausto avium agitur, totus sanguis jubetur decurrere super crepidinem Altaris: Cap. 4. Ubi de hostia pro peccato sermo est, cornua Altaris sanguine tangi mandantur: Hic autem, latus Altaris sanguine aspergi. Rationem adfert Abulensis: Quia in omnibus sacrificiis pro peccato, cùm specialiter fiat expiatio peccatorum, debebant speciales cæremoniæ observari in sanguine.

[ *Quidquid autem reliquum fuerit, faciet distillare ad fundamentum ejus*, ] Fundamentum Altaris hic vocatur, quod alibi frequenter vertitur, *Basis*, retento nomine græco. Cap. præced. fuit ali-

aliquoties dictum, ut sanguis victimæ funderetur; In hoc autem dicitur, ut distillare faciat: Quod non ad mysterii varietatem spectare quidam observarunt, sed ad hostiarum diversitatem. Non enim tanta de avicula, quanta de pecude sanguinis copia profluere potest: Et ideò congruè pecudum sanguis fundi, avium verò dicitur distillari, ait ex Radulpho Lorinus.

[ *Quia pro peccato est.* ] In Hebr. *Peccatum* (seu hostia pro peccato) *ipse*. Ubi non additur vocula rationalis, subintelligitur tamen; idcòque interpres benè illam expressit. Redditur quippè ratio quare totus sanguis reliquus debeat ad fundamentum Altaris dimitti; quia nimirùm est hostia pro peccato: Hostiis autem pro peccato commune erat, ut residuum sanguinis ad basim Altaris funderetur.

[ ℣. 10. *Alterum verò* ] Seu turturum, seu pullum columbæ.

[ *Adolebit in holocaustum, ut fieri solet:* ] Hoc est, juxta morem & ritum qui servari solet in holocaustis, secundùm ea, quæ habentur cap. I. In Hebr. legitur, *Juxta judicium*, sed judicium sumitur pro consuetudine & ritu, quomodò Exod. 21. vers. 9. Ubi nos habemus, *Juxta morem filiarum faciet illi*, Hebr. dicitur, *Juxta judiciom filiarum faciet ei*.

[ *Rogabitque pro eo Sacerdos &c.* ] Confer quæ diaimus ad Capitis 4. versum 20. & 26.

[ ℣. 11. *Quòd si non quiverit manus ejus duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum*, ] Si facultas ejus non eò se extendat, ut ista volatilia sibi comparare possit,

[ *Offeret pro peccato suo simila partem ephi decimam*, ] Quæ pars decima æquivalet *gomor*, & quotidiano unius victui sufficit.

*Per Ephi*, quidam Incarnatum Deum interpretantur, quia Ephi tres habet mensuras, tria enim sata continet, quæ tres personas denotant, & una est, ob unam personarum essentiam: Per *decimam*; Christi humanitatem quæ in ipso fuit integra cum adimpletione Decalogi.

*Moraliter*, Ille offert similam, qui carnem affligit, eamque duris pœnitentiæ pressuris quodammodo molit & conterit. Offert autem partem Ephi decimam, dum seipsum esse drachmam perditam intelligit, de qua reperta gratulatur mulier Luc. 15.

[ *Non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet*, ] sicut cap. 2. præscriptum est fieri in aliis sacrificiis.

[ *Quia pro peccato est.* ] Hæc scilicet præsens oblatio. *Peccatorum* verò tametsi pœnitentem, non decet oleum lætitiæ & exultationis, neque decor quem in colore solet oleum adferre; neque suavitas odoris & bonæ famæ, quæ per thus significatur; sed potiùs reputare debet carnem suam sordidam, fœtidam, & sine bono odore, dicens cum Psalmista. *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ*. Psal. 37.

[ ℣. 12. *Traditque eam Sacerdoti:* ] ad offerendum Deo.

[ *Qui plenum ex ea pugillum hauriens*, ] Seu quantùm potest manu compressa tenere, & ex ea simila accipiens.

[ *Cremabit super Altare* ] Scilicet holocaustorum.

[ *In monimentum ejus qui obtulerit*, ] Primariò quidem cremabatur in honorem Dei; at secundariò in in memoriam ejus qui similam pro se offerri curabat, sive quòd ipse fuisset memor Dei, oblato illo sacrificio; sive, ut Deus esset memor ipsius, eam oblationem acceptando.

[ ℣. 13. *Rogans pro illo & expians*, ] Rogans ut illi remittatur.

[ *Reliquam verò partem ipse habebit in munere.* ] Reliquam partem ea simila pro peccato oblata, Sacerdos habebit tamquàm munus & honorarium quod Deus illi tribuit pro ministerio quo Altari deservit. 70. Sic habent; *Reliquum verò erit Sacerdotis*, ut sacrificium similæ, de quo superiùs, cap. videlicet 2. dicitur; *Quod reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron, & filiorum ejus*.

[ ℣. 14. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:* ] Incipit statuere quale sacrificium sit offerendum pro peccato per errorem commisso circa res Deo consecratas.

[ ℣. 15. *Anima, si prævaricans cæremonias, per errorem, in his quæ Domino sunt sanctificata peccaverit*, ] In Hebr. non habetur nomen *Cæremoniarum*, sed tantùm nomen cum verbo, *Cum prævaricata fuerit prævaricationem*, non malè tamen addidit interpres, ut ostenderet agi de rebus circa quas versantur præcepta cæremonialia, quod etiam optimè convenit cum verbis illis, *quæ sanctificata sunt Domino*. Per, *sanctificata*, quidam intelligunt carnes & partes sacrificiorum quæ cedebant Sacerdotibus, de quibus infra cap. 22. vers. 14. Nec dubium esse potest eas intelligi: at insuper alia comprehendi quæ sunt Deo consecrata, ut primitias & decimas, adipem victimarum, panes propositionis, sacrificia de panibus, atque simila, oleum unctionis, Thymiama; valde probabile est, juxta Lyranum, Hugonem Carnalem, Dionysium Carthusianum, Marzillam, & alios. Dicitur, *si per errorem*, quoniam si quis sciens ac volens in hujusmodi rebus peccaret, idque convenienter probaretur; non per sacrificium expiabatur, sed morte erat puniendus, Numer. 15. vers. 30. Nisi videlicet necessitate urgente aliquid eorum comedisset, sicut David & qui cum eo erant de panibus propositionis comederunt I. Reg. 21. quos Christus à peccato excusavit Matth. 12. propter necessitatem in qua erant.

[ *Offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus*, ] Hujus peccati gravitatem notant ex talis oblationis indictione, & ex eo quòd pro ea nulla permittitur substitutio.

[ *Qui emi potest duobus siclis*, ] Quidam ex versione 70. Interpretum legunt, *quinquaginta siclis*, sed iste numerus per errorem irrepsit in quibusdam eorum versionibus; constat enim eum non in omnibus reperiri, cùm Augustinus q. 9. in Levit. ejus non meminerit, imò disertè dicat istius arietis pretium non esse definitum: neque versio 70. Romæ impressa anno 1588. numerum illum habeat, sicut nec alia Coloniæ anno 1559. facta, sed tam Augustinus quàm istæ versiones, conformiter Textui Hebræo, nullum exprimant numerum, ita dicentes: *Pretio argenti siclorum*: Quo sermone B. Augustinus intelligit esse significatum, quòd iste Aries aliquot siclis emendus esset, & non tantùm uno. Unde quamvis in Hebræo nihil dicatur de duobus siclis; noster tamen interpres eum numerum benè expressit, ut significaret pretium hujus Arietis debuisse ut minimùm esse duorum siclorum. Addi his potest, quòd nec Cyrillus, seu potiùs Origenes scribens in Levitic. quidquam habeat de quinquaginta siclis; quòdque extra famis tempora, unus aries non soleat emi tot siclis.

[ *Juxta pondus Sanctuarii:* ] Alii legunt, *siclo sancto*; eodem sensu: Significatur enim quòd illi sicli deberent esse justissimi ponderis, ut omninò æqui-ponderarent siclo, qui tamquàm ponderis justissimi servabatur in Sanctuario, secundùm ea quæ diaimus. Exod. 30. vers. 13. Ex quo loco, id quoque venit observandum, hunc arietem debuisse esse talem, qui ut minimùm duobus florenis valeret: Nam siclus viginti nostris stuferis æquivalebat, seu uni floreno.

[ ℣. 16. *Ipsumque quod intulit damni restituet, & quintam partem ponet supra*, ] Quoad priorem hujus sententiæ partem, præceptum istud non est cæremoniale vel judiciale, sed naturale: Naturalis enim ratio, ipsumque lumen naturale dictat, & illata damna esse resarcienda, & res ablatas esse restituendas, ut cum B. Thom. ostendimus 2. 2. q. 62. art. 2. Quoad posteriorem verò partem, est tum cæremoniale, concernens videlicet res sacras, tum judiciale, constituens justitiam inter partes. Cùm dicitur, *ponet supra*, sensus est quòd supra damnum illatum, quod totum erat resarciendum, debebat ponere seu addere quintam partem ejus quod ablatum fuerat; idque vel numero, vel specie, vel pretio eamdem; ita ut si de rebus Deo dicatis aliquis abstulisset quidpiam valens quinque florenis, aut aliter eis damnum talis æstimationis intulisset, deberet aut rem ipsam, quando adhuc extabat, reddere; aut alioqui solvere quinque florenos, ac insuper quintam eorum, id est adhuc unum florenum, simul sex florenos. Neque refert quòd Origenes hanc interpretationem dicat esse simplicium, velitque hic esse significatum, quòd si abstulisset quinque, debebat illa quinque restituere, & ultra hoc alia quinque, & præ-

tercà

terceà unum, eò quòd vocabulum græcum significet reddendum esse illud quod peccavit, & *super quintas :* Quidquid enim sit de græca lectione, Hebræus, & noster latinus Textus significat quintam partem esse reddendam supra damnum, seu sortem, & capitale quod totum restituebatur. Quinta porrò illa pars serviebat, ut cum sacrificio arietis ita compensaretur injuria Deo per violationem rerum sacrarum illata.

At petes; Cui fieret prædicta Restitutio?

Respondeo quod Sacerdoti; sequitur enim in Textu:

[ *Tradens Sacerdoti* , ] Ita tamen ut in sacrificium offerri deberet, si violata fuerant ea quæ ad sacrificia pertinebant; Levitis autem redderet, si ea quæ Levitis competebant fraudata vel violata forent; sibi verò retineret, si frans esset in illis quæ juris erant Sacerdotalis.

*Moraliter*, juxta S. Brunonem per arietem ipse peccator intelligi potest, non tamen ut peccator, sed ut pœnitentia mundatus, sicque immaculatus. Duo sicli sunt duo testamenta. Emitur aries duobus siclis, quando peccator duorum Testamentorum monitis & exemplis convertitur: & à peccato redimitur: Damnum restituitur, quando per pœnitentiam Deo reconciliatur. Additur quinta pars, si quinque sensus in Dei obsequium impenduntur, ut in peccata deinceps non relabatur. Hæc omnia tradere debet Sacerdoti, se totum illi subjiciendo, paratus illi obedire.

[ *Qui rogabit pro eo offerens arietem* , ] Quidam ita vertunt: *Et Sacerdos propitiabit pro eo in ariete delicti:* Hoc est, in ariete qui offertur pro delicto. Propitiabit pro eo, id est, conabitur reddere Deum illi propitium, tum orando, tum sacrificium offerendo.

[ ℣. 17. *Anima si peccaverit per ignorantiam , feceritque unum ex his quæ Domini lege prohibentur,*] Ista lex similis est præcedenti, ut ex simili sacrificio quod versu sequenti præscribit, datur intelligi. Differt tamen juxta B. Augustinum quæst. 7. in Levitic. quòd præcedens esset de usurpatione vel ablatione rerum sacrarum; hæc autem de aliis peccatis circa res sacras: Veluti si quis non auferret quidem Thymiama, oleum sacrum, vel aliquid hujusmodi, per ignorantiam tamen, eis malè uteretur. Unde nulla hìc jubetur restitutio, sicut in præcedente. Quapropter cùm hìc dicitur, *feceritque unum ex his quæ Domini lege prohibentur*, hoc intelligi debet de pertinentibus ad sanctificata, sive ad res sacras.

[*Et peccati rea intellexerit iniquitatem suam,*] In Hebr. *Et non cognoverit, & deliquerit, & portaverit iniquitatem suam*. Id est, & ignoranter peccaverit, & posteà delictum suum cognoverit, pœnæque se esse obnoxium fassus fuerit.

[ ℣. 18. *Offeret arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti* , ] Ut Sacerdos Deo in sacrificium offerat.

[ *Juxta mensuram , æstimationemque peccati :* Hebr. *In ordinatione tua ad delictum* , Ubi *ordinatio*, idem valet quòd *æstimatio*, quæ facienda erat per Moysen; consequenter verò, post ejus mortem, per summum Sacerdotem. Æstimatio porrò illa erat cujus ætatis & valoris deberet esse aries, attenta ratione delicti & ignorantiæ, juxta Oleastrum & Marziilam: Aut juxta Abulensem, quem sequitur Lorinus, sensus est, quòd tantus esse deberet valor hujus arietis, quanta fuit æstimatio vel mensura posita superiùs in ariete pro peccato: Ibi enim dicebatur, quòd aries, ut minimùm, duobus siclis deberet valere; nunc autem dicitur quòd illa æstimatio est hìc tenenda. Juxta quam expositionem, *peccati*, in hac sententia idem est quòd *hostia pro peccato*; & æstimatio vel mensura non refertur ad quantitatem peccati ut peccatum est, sed ad quantitatem hostiæ, seu arietis pro peccato antea præscriptam. Qui tamen sensus nonnihil est priore difficilior. Et observat Ribera lib. 4. de Templo cap. 6. quòd ubi pretium duorum siclorum constituitur, non additur *juxta mensuram æstimationemque peccati*, quia jam certum pretium definiebatur: Ubi verò hoc additur, non constituitur pretium duorum, sed arietis immolandi pretium relinquitur æstimationi per Sacerdotem faciendæ. Quapropter prior expositio, sicut est clarior, ita videtur Textui conformior.

[ *Qui orabit pro eo , quia nesciens fecerit :*] Istud *quia* pro *quòd* accipit Lorinus: Cujus expositio convenit cum alia versione ex Hebræo, quæ habet, *expiabit super eum Sacerdos , super ignorantia quæ ignoravit , & ipse non scivit*. Ut significetur quòd Sacerdos offerendo arietem, orabit pro offerente, & pro ipsius peccato quod ignoranter admisit. Accipiendo autem voculam *quia*, causaliter; sensus erit, quòd ideò Sacerdos orabit pro illo, seu pro legali remissione peccati illius, secundùm ea quæ ad Cap. 4. vers. 20. diximus, quia ignoranter peccavit. Qui autem omninò scienter peccasset, etsi per veram pœnitentiam, & per fidem Mediatoris posset à Deo consequi remissionem sui peccati, non erat tamen aliquod sacrificium institutum per quod legalem remissionem acciperet, sed morte puniebatur, ut diximus supra versu 15. Unde id quod sequitur.

[ *Et dimittetur ei* , ] ad Litteram de remissione legali intelligitur, non excindendo tamen veram & propriam quæ ex opere operantis haberi poterat per oblationem sacrificii conjunctam pœnitentiæ & devotioni offerentis.

[ ℣. 19. *Quia per errorem deliquit in Dominum* . ] 70. quos Beatus Augustinus sequitur, habent, *ante Dominum*; id est, circa quidpiam quod exhibetur Deo, sive quod servit Dei obsequiis; sicque istud peccatum erat peculiariter in Deum.

## CAPUT VI.

*Oblatio pro peccato ex certa scientia commisso : leges holocausti , ignis perpetui singulorum sacrificiorum & oblationum Sacerdotis in die unctionis suæ : & in genere de hostia pro peccato ; quive & quando his vesci possint.*

Postquàm de delictis ignoranter admissis egit legislator, mansit ad ea quæ à scientibus & volentibus committuntur.

[ ℣. 1. *Locutus est Dominus ad Moysen dicens ;* ] Etsi non sit improbabile, Deum non hæc omnia simul, seu continuato sermone locutum esse ad Moysen, sed quædam una vice, & postmodum alia, eamque ob causam dici quòd Dominus locutus est; id tamen ex ista phrasi non sequitur. Frequenter enim Scriptura, cùm aliquid aliud vult dicere, iterùm inducit Deum loquentem quamvis anteà loqueretur.

[ ℣. 2. *Anima quæ peccaverit , & contempto Domino, negaverit proximo suo depositum quod fidei ejus creditum fuerat* , ] Copulativa, *&*, non sumitur *copulativè*, sed *exegeticè*, seu *expositivè* , pro *id est*, quasi diceretur: Homo qui peccaverit juxta modum qui subditur, hoc est, qui contempto Domino, negaverit depositum. Ubi per *Dominum* , non intelligitur Dominus rei depositæ, sed *Dominus Deus* . Nam in Hebr. est nomen *Jehova*, & apud 70. sic legitur: *Et despiciens despexerit mandata Domini* . Contemptus de quo hìc sermo est, non est intelligendus formalis, qualis foret si quis diceret, vel cogitaret; *Nolo obedire Domino*, sed interpretativus, quomodo quisque censetur contemnere eum, cujus præceptis, quando posset ac deberet, non obedit, etsi ex infirmitate, aut alia cupiditate, & non ex malitia peccet. Unde sequitur quòd peccatum istud non ex aperto contemptu, neque ex rebelli voluntate procedens; poterat restitutione & sacrificio expiari. Nec his contrarium est quod habetur Num. 15. vers. 30. quia illic superbia, contemptus, & rebellio formalis intelligitur.

[ *Vel vi aliquid extorserit* , ] Per violentiam aliena rapuerit,

[ *Aut calumniam fecerit*, ] per calumniam, & fraudem alicui nocuerit, 70. habent, *Injuriam aliquam fecerit proximo*.

[ ℣. 3. *Sive rem perditam invenerit , & inficians insuper pejeraverit*, [ Negans se invenisse perjurium commiserit, falsum jurando.

[ *Et quodlibet aliud ex pluribus fecerit , in quibus solent peccare homines* , ] Non de cujusvis generis peccato agitur, sed de illis per quæ solet damnum inferri proximo, nasciturque propterea onus restituendi.

[ ℣. 4.

[ ℣. 4. *Convicta delicti, reddet* ] Lyranus & Abulensis dicunt ista duo verba, *convicta delicti*, nec in Hebr. reperiri, nec esse de Textu, sed in eum irrepsisse ex ignorantia eorum qui nescientes distinguere inter Glossam & Textum, id quod erat in Glossa posuerunt in Textu. Et confirmant; quia si aliquis esset convictus de simili fraude vel damno alteri illato, non solùm condemnaretur ad restitutionem rerum, cum quinta parte; sed vel ad duplum, vel ad quadruplum, vel ad quintuplum, prout Exod. 22. fuit præscriptum. Verumtamen omninò dicendum est allata verba esse de Textu, & in Hebræo reperiri, etsi non secundùm litteras, seu characteres, certè secundùm significationem. Sic enim ibi legitur: *Et erit cùm peccaverit, & deliquerit*, id est, delictum suum agnoverit, seque reum esse confessus fuerit. Ita namque verbum, *Deliquit*, non infrequenter usurpari, ex cap. 5. vers. 2. notum relinquimur. Juxta quem sensum, istud, *Deliquerit*, æquivalet ei quod in Textu nostro est, *Et convicta delicti*, per propriam videlicet conscientiam. Accedit, quòd Philo lib. de victimis, omninò videtur clausulam istam apud 70. quos solet sequi, legisse. Ita enim refert verba legislatoris. *Si quis mentitus fuerit de societate aut deposito, aut rapina, aut inventione rei perdita, deinde ad vitandam suspicionem, jurare non recusarit, & tandem arguente se intùs conscientia, perjurium suum abnegationemque ipse damnans confessus fuerit, ac veniam petierit, merebitur delicti oblivionem*. Origenem quoque prædicta verba *convicta delicti*, legisse, manifesto argumento est, quòd hom. 4. in Levitic. sic apud eum habetur. *Restituet ipsum caput, & quintas insuper augebit, & cujus est, ei reddet, qua die convictus fuerit*. Quæ ultima verba, non minùs quàm priora, etiam recitat ad hoc præceptum S. August. quæst. 20. in Levitic. dicens. *Qua die convictus fuerit delicti sui*. Sed & ipsi 70. Interpretes expressè dicunt, *qua die convictus fuerit*. ubi Textus Hebræus habet, *In die delicti sui*; quod ita capoi potest, *in die quo delictum suum agnoverit*.

Ad Confirmationem Respondeo ea quæ ibi adferuntur, intelligenda esse de peccatis quæ apud Judicem probarentur, & propter quæ Judex præscriptam à lege restitutionem debebat præcipere. Hic autem agitur de peccatis occultis quæ non poterant judicialiter probari; ita ut istud, *convicta delicti*, non sit accipiendum de illo qui testibus, aut publico judicio convinceretur, sed propria conscientia, qua stimulante & arguente, peccatum suum Sacerdoti detegeret atque confiteretur, conformiter iis quæ jam ex Philone attulimus. Quibus etiam Josephus lib. 3. Antiquit. cap. 10. consentit ita scribens: *Qui sciens peccavit, nomine conscio, arietem offert, lege ita jubente*.

[ ℣. 5. *Omniaque per fraudem voluit obtinere, integra*, ] *Obtinere*, hic idem valet quòd *retinere*. Qui enim tantùm voluisset, seu concupivisset rem alienam obtinere & non obtinuisset, nihil debuisset reddere; cùm pro voluntate furandi, seu alteri damnum inferendi, nulla sit, aut aliquando fuerit necessaria restitutio, nisi res aliena de facto ablata fuerit, vel damnum illatum. Cùm dicitur, *integra*, significatur omnia injustè ablata esse restituenda, sine illorum corruptione vel diminutione. Neque verò ista lex solùm imponitur pro illo qui de rebus proximi aliquid abstulit, & apud se retinuit: sed etiam intelligenda, seu extendenda est ad eum, qui etsi nihil alieni apud se tenuerit, læsit tamen bona proximi; idque propter eamdem rationem: quia videlicet is cujus bona sunt læsa, æquè damnum patitur, ac si ea forent apud injustum læsorem detenta. Et quamvis dicatur, *qua per fraudem voluit obtinere*, nihilominùs non ea sola erant restitutioni obnoxia quæ per fraudem propriè dictam essent ablata, vel læsa; sed etiam quæ per violentiam extorta, sicut in Textu exprimitur: Ideoque fraus non propriè accipitur, sed largè, ut includit omnem illicitum modum acquirendi aliena: Mandatur autem fieri restitutio rei alienæ, ne putarent vel solo sacrificio se posse placare Deum, & sic retinere aliena: Vel sufficere, aliena in alios usus pios convertere.

[ *Et quintam insuper partem Domino cui damnum intulerat*. ] Omnia, tam injustè ablata, quàm quintam insuper partem, jubet Domino qui damnum passus est reddi; ablata quidem, quia id requirit jus naturale, de quo diximus 2. 2. q. 62. quintam, verò partem, ex jure divino positivo oportebat tradi, sive ob injuriam Domino illatam, atque ita in ejus solatium; sive in pœnam ejus qui damnum fecerat.

[ ℣. 6. *Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege*, ] Ex serie horum mandatorum colligi potest, restitutionem rei alienæ *priùs* faciendam esse, saltem in voluntate, & proposito, si aliter non possit, *quam* pro peccato sacrificium offeratur. Unde August. Epist. 54. scripsit. Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, cùm restitui potest.

[ *Et dabit eum Sacerdoti*, ] ut ipse sacrificium Deo offerat,

[ *Juxta æstimationem mensuramque delicti*: ] Ita ut si peccatum sit majus, major offeratur aries, si minus, minor; juxta Moysi æstimationem, & alterius Sacerdotis post eum.

*Duo* hic observanda occurrunt. *Prius*, quòd in veteri lege præcesserit typus & figura Confessionis quam in nova debent Sacerdoti facere qui post baptismum relabuntur. Ut enim Sacerdotis tunc erat judicare inter lepram & lepram; ita etiam judicare essetne peccatum admissum, & quale illud esset, qualivè sacrificio expiandum, cum hoc non esset relinquendum ipsorum peccantium arbitrio: Nam alioquin una victima frequenter fuisset oblata pro altera, privatis quibusque non ita exactè scientibus quæ victima cui peccato esset constituta.

*Confirmatur*. Tam hoc, quàm præcedenti capite dictum est, arietem debuisse offerri juxta delicti æstimationem, quam faceret Sacerdos; ipse autem nec judicium ferre, nec æstimationem facere poterat, nisi peccatum ei aperiretur; id quod per confessionem fiebat: Oportebat igitur ei confiteri non tantùm in genere quod quis peccasset, sed etiam in speciali quòd tale & tale peccatum fecisset: Loquendo videlicet de peccatis externis, pro quibus specialia erant ordinata sacrificia. Huc pertinet quod supra cap. 5. vers. 5. in Hebræo legitur, *Confitebitur, quod peccavit*, quodque in versione nostra habetur numer. 5. *Confitebuntur peccatum suum*. Eodem quoque faciunt Philonis verba ad versum 4. allata; Nam quòd loquatur de Confessione facta Sacerdoti, eaque speciali, manifestum est ex sequentibus, ubi scribit, nihil victimæ extra fanum efferri, ne pœnitenti exprobentur peccata pristina, jactata in vulgum susurris inimicorum, & linguis petulantibus gaudentium aliena ignominia. Præstat igitur ea contineri intra limina, ubi fit expiatio; à Sacerdotibus autem absumitur victima: *&c.* Idem aliqui probant ex Josepho lib. 3. Antiquit. cap. 10. post citata superiùs verba dicente, *Et is qui peccat, jubetur adire Sacerdotem, & peccatum illi detegere, ut pro ejus arbitrio aries deligatur, & ipso pro peccatore oret*. Sed hæc apud Josephum non reperio.

Ex his intelligi quoque potest adumbratam etiam fuisse nostram satisfactionem Sacramentalem in eo quod dicitur, *juxta æstimationem, mensuramque delicti*.

*Posterius*, Cur in peccatis per ignorantiam admissis, Moyses meminit Pontificis, totius populi, & Principis, ut cap. 4. patuit; in iis autem quæ scienter committuntur, nihil de illis dicit, sed unam omnibus legem statuit, nec majorem hostiam à Pontifice, vel à toto populo, vel à Principe afferri jubet, quàm à plebejo, cùm secùs in peccatis ex ignorantia statuerit?

Respondeo cum Ribera lib. 4. de Templo cap. 6. rationem esse, ut doceret Pontificem, totum populum, & Principem, posse quidem ut homines peccare ex ignorantia; peccatum autem scienter admissum longissimè ab illis abesse debere, ita ut non sit cogitandum illos ita peccaturos. Quomodo de Solone scribunt veteres, cum interrogaretur, cur nullum supplicium statuisset in eum qui parentem occideret, respondisse se id neminem facturum putasse; ac sapienter fecisse, nihil sanciendo de eo quod anteà commissum non erat, ne non tam prohibere, quàm admonere videretur.

Neque refert Deum qui Moysi legem dabat, benè sci-

scivisse illos aliquando scienter esse peccaturos: Nihilominùs enim suo silentio voluit eos esse monitos, ut magnopere caverent ab eo quod factum non fuerat, quodque vix putandum est posse fieri. Nam negare depositum, suæ fidei commissum, aliena extorquere, calumniam, negare inventionem rei alienæ, & pejerare, & alia similia, in plebejum hominem cadere posse putari voluit; in totum verò populum Dei, in Pontificem, in Principem cadere posse, quasi noluit putari. Si tamen illæ tantæ personæ sic peccarent, voluit eas infimorum & abjectorum hominum subire conditionem, & eadem cum illis offerre sacrificia, ut pœna pares essent iis quibus non erant virtute superiores.

Sic & Legibus civilibus ob quædam gravissima scelera, ut hæresis, læsæ Majestatis, & quæ contra naturam dicuntur, quique nobilissimi eadem pœna plectuntur, qua ignobiles.

Cæterùm, quòd hic pro peccatis scienter admissis jubetur offerri aries, cùm cap. 4. Capram offerre mandarentur qui de communi plebe peccassent per ignorantiam; ideò est, quòd sicut aries est melior & pretiosior capra, ita peccatum scienter commissum est gravius eò quòd committitur ignoranter. Notat tamen Dionysius Carthusianus quòd frequenter pro gravioribus peccatis viliora offerebantur animalia; & interdùm eadem animalia pro peccatis in gravitate disparibus, ad innuendum quòd peccata non dimittebantur virtute sacrificiorum.

[ ℣. 7. *Qui rogabit pro eo coram Domino*, ] Id, est coram ostio tabernaculi, seu ad Altare holocaustorum, ubi fiebat sacrificium.

] *Et dimittetur illi pro singulis quæ faciendo peccavit.* ] Quod idem est, ac pro singulis quæ peccavit, sive peccasset faciendo seu committendo, sive omittendo.

[ ℣. 8. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:* ] Novum hìc argumentum tractare incipit de certis legibus circa sacrificia observandis, ut propterea novum caput quidam ordiantur, etsi id non sit necesse; nam Hebræus, & 70. interpretum Textus cum nostro convenit.

[ ℣. 9. *Præcipe Aaron & filiis ejus:* ] Ideò sic loquitur, quia Moyses & divina institutione præerat universæ multitudini Israelitarum, atque adeò & Aaroni, & ejus filiis. Non jubetur Moyses vel ad totum populum loqui, vel ad omnes Levitas: Quia lex ista non omnes illos concernebat, sed solos Sacerdotes: Non est etiam recipiendum quod quibusdam placuit, ideò Moysen hæc jussum esse præcipere Sacerdotibus; quia Sacerdotes de suis expensis deberent quotidie matutinum & vespertinum sacrificium facere: Cùm enim hoc sacrificium offerretur pro populo æquum erat ut de communibus populi sumptibus fieret; ex ea nimirùm summa quæ conflabatur ex dimidio siclo, quem quilibet transiens ad nomen solvebat in enumeratione populi, sicut Exod. 30. fuit præceptum. Nam ibi dictum est eam pecuniam debuisse applicari ad usus tabernaculi: Præcipuus autem usus tabernaculi erat in oblatione sacrificii matutini & vespertini, quod vocari solet juge sacrificium, quia jugiter, seu omni die debebat offerri. Sed vera hujus præcepti ad Aaron & filios ejus faciendi ratio fuit, quia ipsorum erat sacrificare.

[ *Hæc est Lex holocausti:* ] (Jugis scilicet) Hoc est; istæ sunt cæremoniæ observandæ circa holocaustum, quod quotidiè offerendum erat, de quo Exod. 29. vers. 38. cum aliquot sequentibus, & Numer. 28. statim in initio.

[ *Cremabitur in Altari tota nocte usque mane:* ] Perspicuum est sermonem esse de sacrificio vespertino quod erat altera pars jugis sacrificii constantis ex duabus partibus: Nam manè ante omnia alia sacrificia quotidiè offerebatur Agnus, qui erat una pars jugis sacrificii; & vespere post omnia alia sacrificia offerebatur quoque Agnus, qui erat ejusdem sacrificii pars altera. Et cùm Agnus iste erat vesperi immolatus, illi Sacerdotes, quorum erant vices, debebant tota nocte vigilare circa Altare holocaustorum, ut & ignem attemperarent, & partes holocausti successivè imponerent paulatim consumendas, ita ut holocaustum tota nocte cremaretur usque manè dum alter vitulus esset immolandus. Utrùm verò iste vitulus qui manè offerebatur deberet similiter tota die cremari usque ad vesperam, incertum est: Et sunt qui sic existimant, ut sacrificium juge vocatum sit, eo quòd ejus crematio jugiter ac sine interruptione duraret. Sed ideò sic esse vocatum, nihil est quo probetur, cùm scriptura potiùs significet juge sacrificium esse dictum, quod jugiter seu semper, per dies singulos offerretur, Exod. 29. *Agnos anniculos duos per singulos dies jugiter.* Deinde, frequenter multa pro diversis tum causis, tum personis offerenda erant sacrificia eodem die, in eodem Altari; ideòque non facilè potuisset fieri ut agnus primò manè oblatus in eo tam successivè cremaretur, ut duraret usque in vesperam; sive propter sacrificiorum multitudinem, sive propter Sacerdotes circa alia occupatos, sive propter ignis acrimoniam. Accedit quòd sacer Textus nihil ejusmodi habet de holocausto matutino tota die cremando, sicut de altero tota nocte. Quapropter verisimilius est quod alii scribunt, holocaustum matutinum non debuisse tota die cremari.

[ *Ignis ex eodem Altari erit.* ] Quidam volunt corrigendam esse nostram lectionem, & pro præpositione, *ex*, substituendam, *in*: At non immeritò Romani Correctores reliquerunt *ex*; cùm ea retenta, sit sensus congruus; neque quidquam urgeat mutationem. Significatur enim quòd holocaustum non sit cremandum igne qui adferatur, vel assumatur aliunde, sed igne Altaris. Quasi diceret: Ignis quo cremabitur erit ex ipso Altari, & non aliunde. Sermo autem est de igne sacro, qui capite 9. legitur divinitùs fuisse missus.

Per juge sacrificium *Allegoricè* figuratum fuisse Christum diximus Exod. 29. vers. 39. quibus addi potest, eum manè, id est, ante Incarnationem, imò ab origine mundi occisum in figura; vesperè autem, hoc est circa finem mundi (nos enim sumus in quos fines sæculorum devenerunt, 1. ad Cor. 10.) in veritate.

*Moraliter*, unusquisque fidelium, & maximè Sacerdotum ac Religiosorum debet esse juge sacrificium, se totum Deo offerendo, & tota nocte præsentis vitæ ardendo igne amoris divini, qui sit ex eodem Altari, id est, ex Christo qui venit ignem mittere in terram, Luc. 12. & eum cupit vehementer accendi.

[ ℣. 10. *Vestietur tunica Sacerdos & fœminalibus lineis.* ] Tunica intelligitur stricta, quam Exod. 28. vers. 40. diximus fuisse de lino, sicut & fœminalia, seu fœmoralia. Unde quidam ex Hebræo ad nomen *Tunicæ* exprimunt epithetum *linea*.

[ *Tolletque cineres quos vorans ignis exussit, & ponens juxta Altare*, ] Istas vestes sacras jubetur assumere Sacerdos, quando cineres, tum ex victimæ, tum ex lignorum, quibus nutriebatur ignis Altaris concrematione residuos erat amoturus, & juxta Altare intra vas ad hoc destinatum positurus: Quia functio illa erat sacra, & in loco sacro: Cùm autem illos deberet extra locum sacrum efferre, vestes ista exuebat, juxta id quod sequitur.

[ ℣. 11. *Spoliabitur prioribus vestimentis*, ] Jam ante videlicet nominatis, seu sacris quæ ante induerat.

[ *Indutusque aliis*, ] Suis nimirum usualibus & communibus vestibus, quibus extra sacras functiones uti solet. Ista autem sacrarum vestium depositio, & usualium resumptio, fiebat, saltem post extructum Templum in quadam Exedra, vel Gazophilacio seu cubiculo. Fuerunt enim ibi quædam Gazophilacia in quibus Sacerdotes vescebantur carnibus Deo oblatis, sicque consummabant sacrificia, & in iisdem vestes sacras deponebant, suasque communes assumebant, quibus egrediebantur ad populum. Nam Ezechiel. 42. postquàm de Gazophilaciis dictum est, *in quibus vescuntur Sacerdotes qui appropinquant ad Dominum*; ita subditur: *Cum autem ingressi fuerint Sacerdotes, non egredientur de Sanctis in Atrium exterius: Et ibi reponent vestimenta sua in quibus ministrant, quia sancta sunt, vestienturque vestimentis aliis, & sic procedent ad populum.*

[ *Efferet eos extra Castra, & in loco mundissimo usque ad favillam consumi faciet.* ] Hebr. & Græcè. *In loco mundo*, sine adjectione verborum sequentium. Significatur autem quòd cineres ex sacrificio ac

lignis

lignis quibus crematum fuerat restantes, & carbones, carniumque & ossium partes cineribus permixtas ( nam ista omnia sub nomine cinerum comprehenduntur ) Sacerdos efferre debebat extra Castra, hoc est, extra locum in quo habitabant Israelitæ , & rursum illa omnia ibi comburere , ut nihil de iis remaneret , nisi puri cineres .' Scribit Lyranus fuisse locum ad hoc extra Castra deputatum quamdiù Israelitæ fuerunt in deserto ; & similiter extra Jerusalem, quamdiù stetit Templum.

Per istam electionem cinerum significabatur quòd per sacrificium impetrata esset sordium , seu peccatorum translatio , id est, remissio: Et per iteratam combustionem partium intra cineres restantium , quòd qui se totos Deo offerunt, debeant eidem offerre reliquias post principalem oblationem restantes, se mundando ab affectionibus , passionibus , & impedimentis supervenientibus.

[ ℣. 12. *Ignis autem in Altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos subjiciens ligna manè per singulos dies*, ] Sermo est de igne quem supra diximus divinitùs missum c.9. Existimat quidem Abulensis eum potuisse sine lignis manere , & ligna fuisse apposita , non quòd ad ejus conservationem essent necessaria , sed & convenientiùs maneret . Verùm , etsi non sit dubium quin Deus sua omnipotentia potuerit illum conservare sine adjectione lignorum , ipse tamen ignis non habuit ex sua natura quòd sic posset conservari ; tum quia Textus clarè dicit, quòd Sacerdos deberet eum nutrire subjiciendo ligna per singulos dies ; tum quia Deus non jussisset alioquin ligna subjici ; imò magis fuisset ad gloriam Dei manifestandam non apponere ligna, si ea non essent necessaria ad ignis conservationem ; sic enim magis eluxisset ipsius omnipotentia . Quod hic præcipitur de lignis manè subjiciendis ad nutriendum ignem Altaris holocaustorum, etiam intelligendum est idem fieri debuisse Vesperi , seu quovis alio tempore, si necessitas postulasset: Fit tamen mentio solius manè, quia eo tempore magna lignorum copia erat apponenda propter multitudinem holocaustorum, aliorumque sacrificiorum.

[ *Et imposito holocausto, desuper adolebit adipes pacificorum*. ] Manè igitur ligna primùm erant Altari imponenda, ac deinde vitulus, seu holocaustum matutinum : Et si quæ hostiæ pacificæ erant etiam offerendæ , Sacerdos debebat illarum adipes accipere, & eos super holocaustum ponere, ut unà cum eo cremarentur. Similiterque facere debebat de renibus & cauda agni in pacificam hostiam oblati , ut ex cap. 3. vers. 4. & 9. datur intelligi; solos tamen adipes nominat Textus , quia in sacrificiis pacificis eorum maximè ratio habebatur.

Per ignem Charitas intelligitur ; per Altare, Cor nostrum ; per ligna , Oratio, & Meditatio . Debet ergo Charitas in corde nostro semper ardere, & numquàm extingui ; ad eam verò nutriendam oportet orationem & meditationem adhibere , ut in meditatione nostra exardescat ignis. Psal.36. Idque manè præsertim est faciendum, ut initium diei Deo dicemus, & ut actiones diurnæ cum charitatis fervore alacriter suscipiantur. Sicut enim propter frigus piger arare noluit Proverb.20. Ita ignis divini calore accensus Athleta Dei graviter laborabit.

[ ℣. 13. *Ignis est iste perpetuus , qui numquàm deficiet in Altari*. ] Marzilla existimat hæc ita dici, non quòd ab eo tempore quo ignis fuit datus numquàm defecerit ; sed quia quantùm est ex parte Sacerdotum , quibus incumbebat eum nutrire , semper ardere debebat ; ita ut si ipsum extingui sinerent, graviter essent peccaturi : Opinionemque suam confirmat ex eo, quòd cùm Israelitæ profecturi erant de Sinai , Altare holocaustorum mundaverunt cinere , & involverunt illud cum suis vasis purpureo vestimento , ac operuerunt velamine Janthinarum pellium , secundùm ea quæ Num.4. præscripta leguntur : Unde perspicuum putat ignem non fuisse tunc conservatum . Verùm , juxta hanc sententiam dicendum foret ignem divinitùs datum primis dumtaxat sacrificiis serviisse , ac citò fuisse extinctum, utporè quando exierunt de Sinai , ideòque perperam vocari perpetuum qui numquàm deficeret. Dicendum quoque esset Israelitas non habuisse in Altari ignem sacrum, nisi in monte Sinai, cùm non reperiatur alius fuisse divinitùs datus, qui in eo conservaretur, & à Sacerdotibus nutriretur. Veriùs igitur alii censent hunc ignem à tempore quo fuit datus, id est ab anno secundo egressionis de Ægypto semper fuisse conservatum usque ad captivitatem Babylonicam , quando & Templum incensum est, & Judæi Babylonem abducti : Paulò autem priùs quàm Templum incenderetur, Sacerdotes qui cultores Dei erant, acceptum ignem de Altari occultè absconderunt in valle, ubi erat puteus altus & siccus. Multis deinde annis elapsis rehabitus est ignis : Etsi enim qui ad ignem requirendum missi fuerunt, ignem non invenerint, sed aquam crassam; postquàm tamen Nehemia jubente sacrificia & ligna fuerunt illa aqua aspersa, accensus est ignis magnus , quemadmodum 2. Machab.1. narratur. Hanc sententiam indicant Sanctus Ambrosius Lib.3. Offic.cap.14.& Rupertus lib. 2. in Levitic.cap.6. Manifestiùs autem tradunt Lyranus, Cajetanus, Dionysius Carthusianus ad cap.9. Levit. Ribera Lib. 5. de Templo cap.17.& alii communiter. Vocatur ergo iste ignis perpetuus, quia Deus volebat ut perpetuò duraret, quamdiu Tabernaculum & Arca perseverarent apud Israelitas, sicut etiam duravit. Si quæras, quomodò conservatus fuerit in deserto Hebræis fixam sedem non habentibus, sed de mansione in mansionem transeuntibus ? Resp. ipsum unà cum Altari, sicut Numeror.4. dicitur involuto fuisse deportatum & asservatum in Altari cavitate : Ita tamen, ut in ea esset spiraculum, & Sacerdotibus incumberet ipsi fomenta per aperturam aliquam subministrare.

*Hinc* discere possumus sacram Eucharistiam rectè asservari extra usum , contra quam volunt Sacramentarii : Quandoquidem ignis veteris Testamenti, qui istius Sacramenti in quo Deus frequenter per ignem significatus veraciter continetur , quoddam est Symbolum , annis multis servatus fuit, quando nulla offerebantur sacrificia.

[ ℣. 14. *Hæc est Lex sacrificii & Libamentorum, quæ offerent filii Aaron coram Domino, & coram Altari*, ] Referri hæc debent ad subsequentia, pertinentque ad sacrificia farinacea, de quibus cap.2. fuit dictum , sed non præscriptus locus in quo deberent comedi, nec determinatæ personæ quæ possent illis vesci : Quæ duo hìc specificantur. In Hebr. pro *sacrificii & Libamentorum*, unica est vox *Mincha* , de qua isto cap. 2. diximus . Ut ergo sciremus vocem *sacrificii* esse restringendam ad *Mincha*, seu ad sacrificium farinaceum. Interpres addidit, *Et Libamentorum*, copulativamque *&* accipit, non copulativè , sed exegeticè , seu expositivè , pro *id est* . Et quamvis non rarò per libamenta intelligi soleant rerum liquidarum oblationes , quando scilicet nuncupantur à libando , & attribuuntur iis quæ per modum potus sumuntur, aut sumi possunt: In præsenti tamen potiùs sic dicta videntur à libis seu panibus qui ex simila conficiuntur oleo conspersa: Nam quæ hic libamenta, sequenti versu vocantur simila, nihilque dicitur de libatione vini aut alterius liquidi per modum potus sumendi. Cùm dicitur, *Quæ offerent filii Aaron*, non significatur quòd ipsi offerent illa pro seipsis, sed pro aliis; pro iis nimirum qui ea adferrent in sacrificium offerenda. Ista duo, *Coram Domino, & coram Altari*, aut idem valent, quia in Altari Deus peculiari, quodam modo erat, sed repetitur ad majorem declarationem : Aut ideò sic dictum est, quia simila in aliquo vase posita, cùm à Sacerdote offerebatur, ponebatur ante Altare, & ex ea sic oblata Sacerdos sumebat pugillum , & super Altare incendebat.

[ ℣. 15. *Tollet Sacerdos pugillum similæ*, ] Non jubetur sumi decima pars Ephi , aut tres decimæ, sicut Num. 15. quia dum simila offerebatur cum ove, vel cum bove, illa quantitas erat sic determinata: Si autem simila offerebatur per se, non ut additamentum alicujus alterius sacrificii, sed ut sacrificium, ab iis quæ cruenta erant , distinctum, nulla ejusmodi quantitas similæ erat præscripta, sed non plus de ea debebat accipi , quàm parvo pugno, seu manu capi potest.

[ *Quæ conspersa est oleo*, ] Simila dicebatur conspersa oleo, quando permiscebatur ei oleum, sicut aqua permiscetur farinæ, dum panes pinsuntur.

[ *Et totum thus, quod super similam positum est : adolebitque illud in Altari* , ] Totum thus quod positum

sium erat super similam accipi debebat & cremari super Altare, & non solùm pars thuris, sicut pars similæ. Cujus una ratio est, quoniam simila pertinebat ad Sacerdotum alimenta, non similiter thus, ideòque non erat conveniens quòd aliquid thuris servaretur, sicut de simila. Altera, quia thus peculiari quadam ratione ad Deum pertinet, cùm sit Deitatis Symbolum; unde Sedulius de Magis Christi adoratoribus ita cecinit;

*Aurea nascenti fuderunt munera Regi:*
*Thura dedere Deo, Myrrham tribuere sepulchro.*

Simila autem non magis specialiter ad Deum pertinet, quàm aliæ res; & idcircò aliquid de simila poterat Sacerdotibus relinqui, & non pariter de Thure:

[ *In monimentum odoris suavissimi Domino*. Ut tamquàm odor suavissimus sit Deo valde gratum, & memoria seu recordatio tum offerentis, tum oblationis apud Deum.

[ ℣. 16. *Reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filiis suis*, ] Cap. 2. dictum erat, *quod autem reliquum fuerit de sacrificio erit Aaron & filiorum ejus*. Nunc exprimitur in quem usum hoc cederet Aaroni & ejus filiis, scilicet ad edendum. Qui tamen essent legaliter immundi, ab illis edendis abstinere debebant. Et si quid vel propter multitudinem talium sacrificiorum, vel ob quamlibet aliam causam superesset de simila; vel die sequenti comedendum erat in loco sacro, vel eodem die comburendum, quia nihil ejus poterat in profanos usus converti.

[ *Absque fermento:* ] Exprimi hoc debuit, ne Lex fermenti vetiti videretur tantùm pertinere ad eam sacrificii partem, quæ cremabatur in honorem Dei.

[ *Et comedet in loco Sancto atrii tabernaculi*. ] Hebr. *In loco sancto, in atrio tabernaculi*; ubi nimirùm post Templum extructum fuerunt Pastophoria, seu Gazophilacia, vel Exedræ, quas notiori vocabulo cubicula dicere licet: Aliqua quidem culinaria, ad cibos coquendos; aliqua verò ut in illis vescerentur Sacerdotes de rebus oblatis, quemadmodum ex Ezechiel. 42. vers. 13. ex cap. 46. versibus 23. & 24. patet. Sed & priusquàm Templum esset ædificatum, aliqua ejusmodi loca fuisse circa Tabernaculum, doceri potest ex 1. Reg. 2. Ubi filii Heli leguntur de carnibus, partim dum coquerentur, partim antequàm coquerentur, abstulisse quæ volebant.

[ ℣. 17. *Ideo autem non fermentabitur, quia pars ejus in Domini offertur incensum*. ] Quasi diceret. Causa cur id quod reliquum erat ex simila, postquàm Sacerdos pugillum in Altari cremaverat, debebat absque fermento comedi, est; quia pars similæ offertur Deo, & in Dei honorem crematur in Altari, ac per consequens non fermentatur, juxta legem cap. 2. positam. *Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet*; Non est autem conveniens quòd ex tota simila Deo oblata, cujus una pars fermentari non potest, altera fermentetur.

*Ex Luc.* 12. ubi Christus dixit, *Attendite à fermento Pharisæorum, quod est Hypocrisis*, liquet fermento vanam gloriam non incongruè significari. Oportet ergo quòd in bonis operibus tota nostra intentio tendat in Deum, & non tantùm pro parte una careat fermento vanæ gloriæ, sed totaliter.

[ *Sanctum Sanctorum erit, sicut pro peccato atque delicto*, ] Istud similæ sacrificium erit valde Sanctum, sicut sanctissimum est sacrificium quod offertur pro peccato atque delicto.

[ ℣. 18. *Mares tantùm stirpis Aaron comedent illud*. ] Quidam interpretantur hìc agi de sacrificio similæ pro peccato, de quo soli masculi edere poterant; Sed obstat quòd in tali sacrificio nihil thuris imponi poterat; in hoc autem poterat, ac debebat. Ideòque verius est, hìc generaliter agi de sacrificio similæ, & hoc fuisse commune omni illi sacrificio, quod non posset comedi nisi à Sacerdotibus, eorumque filiis masculis. Discrimen ergo erat sacrificii Minchæ, seu farinacei ab hostia pacifica, quòd de hac, pars illa quæ cedebat Sacerdotibus, comedi poterat ab ipsis Sacerdotibus, eorumque uxoribus, filiis & filiabus, imò & à servis tam vernaculis, quàm empticiis, qui erant de familia Sacerdotis; etsi non à servis mercenariis; atque à filia quæ nupserat viro alterius Tribus, nisi repudiata, vel vidua, & absque liberis reversa esset in domum Patris, ut ex n. 22. patet. Pars autem quæ de sacrificio similæ Sacerdoti cedebat, à solo Sacerdote & ejus filiis comedi poterat, exclusis omnibus aliis: Quia hoc sacrificium habebatur sanctius altero, & *intelligi potest* fuisse figuram sacrificii Eucharistiæ, ad quod soli Masculi possunt Altari ministrare, quemadmodum ostendimus 3. p. q. 83. art. 5.

*Moraliter*, per Mares significantur Sapientiores & constantiores, quorum est sacra mysteria discutere, & non infirmorum.

[ *Legitimum ac sempiternum erit in generationibus vestris de sacrificiis Domini*. ] Quasi diceret. Hæc lex de sacrificiis semper durabit, & servanda erit, quamdiù durabit Lex veteris Testamenti.

[ *Omnis qui tetigerit illa, sanctificabitur*. ] Futurum pro imperativo ponitur, & sensus est: Omnis qui sacrificia illa tangere voluerit, sanctificetur, seu mundetur priùs quàm ea tangat: Alioquin si immundus ea tetigerit, tantùm abest ut eo tactu mundetur, quin potiùs contaminabitur. Aggæi 2.

[ ℣. 20. *Hæc est oblatio Aaron, & filiorum ejus, quam offerre debent Domino in die unctionis suæ*, ] Tam Aaron, quàm ejus filii jam erant consecrati Sacerdotes priusquàm Moyses hunc librum scriberet; Ideòque vel per Aaron & ejus filios intelliguntur summus Sacerdos seu Pontifex, & Sacerdotes minores quicumque illi essent: Vel est Histerologia, & posteriùs narratur id quod priùs & dictum & factum fuit. Propterea autem hìc refertur, quia cap. 29. Exodi, ubi præscribuntur victimæ cruentæ quæ in illorum consecratione debebant offerri, nihil de sacrificiis similæ (quæ tamen etiam tunc oblata fuerunt) dictum est, sed huic loco reservatum, in quo de aliis sacrificiis similæ disponitur. Per hoc quod dicitur, *in die unctionis suæ*, significatur sermonem esse de oblatione quam offerre debebant, non tantùm summus Pontifex, sed etiam Sacerdotes minores in die suæ consecrationis: Idque intelligendum est, sive simul, seu eodem die consecrarentur, sive simul, sive solus Pontifex sine minoribus Sacerdotibus; sive minores Sacerdotes, sine Pontifice. Intelligi quoque debet de oblatione quam illorum sumptu fieri oportebat. Sed quis ille dies Unctionis? Sunt qui existimant octavam diem consecrationis debere intelligi, quando finiebatur consecratio quæ per septem dies fiebat, eò quòd ante illam diem non essent plenè consecrati. Aliis tamen magis placet intelligi primum diem consecrationis, qui erat præcipuus, & in quo satis initiati, seu sacra cæremonia consecrati erant Sacerdotes, ut sacrificium similæ possent offerre: Quorum sententia ex hoc quoque probabilitatem accipit, quòd dies octava non esset dies consecrationis, cùm septem diebus finiretur consecratio, quemadmodum infra c. 8. dicitur. Cæterùm, etsi hæc de prima die consecrationis accipiantur, probabile tamen est oblationem istam similæ, singulis illorum septem dierum, quibus fiebat Consecratio, fuisse iteratam.

[ *Decimam partem Ephi offerent similæ in sacrificio sempiterno, medium ejus manè, & medium ejus vesperè*. ] Decimam partem *Ephi* esse *Gomer*, diximus ad finem cap. 16. Exodi. Sic autem offerre debebant Gomor similæ, ut mediam ejus partem manè offerrent, & aliam mediam vesperè, in sacrificio sempiterno, id est, quòd semper, dum novus Sacerdos consecraretur, offerri deberet durante statu veteris legis. Alii interpretantur, de sacrificio quotidiè Sacerdotum expensis offerendo, cum jugi holocausto: Sed hujus rei nulla Lex extat, etiamsi Josephus lib. 3. Antiquit. cap. 10. sic intellexerit.

[ ℣. 21. *Quæ in sartagine oleo conspersa frigetur*. ] Describitur modus offerendi sacrificium similæ in consecratione Sacerdotis. Cùm enim quatuor modi essent offerendi similam, sicut cap. 2. declaratur: Primus, dum offerebatur cruda, seu incocta sed oleo conspersa: Secundus, dum offerebatur cocta in clibano: Tertius, dum cocta in sartagine: Quartus, dum cocta in craticula. Tertio modo hìc offerenda esse ostenditur, in quo Abulensis, eumque secutus Lorinus tradit triplicem fuisse positionem olei super similam:

Sci-

Scilicet quando cum eo commiſcebatur, quando ponebatur in ſartagine, & quando erat diviſa in partes. Nam & in Sacerdotum conſecratione, ſimilam, mox ut in ſartagine erat cocta ſeu frixa, debuiſſe in partes dividi, tum ex cap. 2. poteſt haberi, tum ex eo quòd Textus Hebræus hìc dicit: *Coctas oblationes fruſtorum offeres*, de quibus fruſtis ſub nomine fragmentorum & buccellarum etiam hìc meminerunt 70. & Eſychius.

[ *Offeret autem eam calidam*, ] Statim videlicet, ut frixa fuerit, ac in partes diviſa.

[ *In odorem ſuaviſſimam Domino*, ] Ut ſit Deo gratiſſimum; ſicut odor ſuaviſſimus ſolet eſſe homini gratiſſimus.

[ ℣.22. *Sacerdos qui jure Patri ſucceſſerit*: ] Quoniam ſicut filius ſummi Sacerdotis primogenitus Patri ſuccedebat in ſummo Sacerdotio, niſi deformitate aliqua impediente ab eo arceretur, ſecundùm ea quæ inferiùs cap. 21. leguntur, quo caſu ſecundò genitus debebat ſuccedere; ita minor Sacerdos Patri ſuccedebat in minoris Sacerdotis officio. Ideò hæc non de ſolo Pontifice ſunt accipienda, ſed de quolibet qui Patri Sacerdoti legitimè ſuccedebat in Sacerdotio.

[ *Et tota cremabitur in Altari*. ] Hebr. *Tota ſuffietur*, ſeu inſtar thuris incendetur, nec dicitur, *in Altari*, ſubintelligitur tamen; ideòque rectè fuit ab interprete expreſſum.

[ ℣.23. *Omne enim ſacrificium Sacerdotum* ] quod ipſi pro ſe offerunt.

[ *Igne conſumetur, nec quiſquam comedet ex eo*. ] Vox *Sacrificium*, non accipitur hìc generaliter pro quovis ſacrificio Sacerdotum; Nam de victimis eorum pacificis, de ariete conſecrationis, & de panibus in caniſtro licebat edere, ſicut habetur Exod. 29. verſ. 28. cum aliquot ſeqq. Sed reſtringi debet ad ſacrificium ſimilæ; Unde in Hebræo ſic ſonat, *Omne Mincha Sacerdotis*.

Per hæc autem, *Allegoricè* ſignificatum eſt, quòd Chriſtus per ſacrificium ſimilæ figuratus, non ſit dividendus, ſicut dividitur cibus qui editur: Ideoque non ſit dicendum, quòd is qui de muliere natus eſt, paſſus ſit, qui autem deſcendit de cœlo non ſit paſſus, ſed quòd idem Dominus gloriæ paſſus eſt: Quòdque hoſtia quam ſacrificavit in cruce, non ſit in partes dividenda.

*Moraliter* autem, ſignificatur quòd Sacerdotes debeant toti vacare igni divini amoris, & non dividi ſecundùm curas hujus ſæculi.

[ ℣.25. *Iſta eſt Lex hoſtiæ pro peccato*: ] In Hebr. *Lex peccati*: Sed *peccatum* idem ibi valet, ac *hoſtia pro peccato*: Ideoque ſenſus eſt optimè redditus. Incipit declarare modum offerendi hoſtiam pro peccato, non per habitudinem ad peccatores offerentes, ſed ad Sacerdotes. Nimirùm, quantùm ad locum, & quantùm ad partes quæ de hoſtia cedebant Sacerdotibus pro aliis eam offerentibus.

[ *In loco ubi offertur holocauſtum, immolabitur* ] Sicut hoſtia holocauſti, ita hoſtia pro peccato primùm occidi debebat in Atrio, non procul ab Altari holocauſtorum, ac deinde ſuper Altare poni quantùm ad eas partes quæ cremandæ erant.

[ *Coram Domino*. ] E regione Tabernaculi, ubi Deus peculiari ratione cenſebatur habitare.

[ *Sanctum Sanctorum eſt*. ] Hoſtia pro peccato, eſt res valdè ſancta, & à profanis uſibus maximè ſeparata.

[ ℣. 26. *Sacerdos qui offert, comedet eam in loco ſancto, in atrio Tabernaculi*. ] Hoſtia pro peccato privati cujuslibet, ac etiam pro peccato Principis jure pertinebat ad Sacerdotem offerentem, ita ut ipſe poſſet illam (in loco tamen ſancto) comedere. Poterat nihilominus & alios Sacerdotes, eorumque filios, ſicut & ſuos ad eam, etiam in loco ſancto, de quo verſ. 16. dictum eſt, comedendam aſſumere, juxta ea quæ ſequuntur v. 29. *Adumbratum* eſt in hoc facto quod in nova Lege ſtrictiſſimè ſervatur, ut Sacerdos qui Miſſæ ſacrificium celebrat; numquàm omittat ſumere communionem: Poſſet tamen & aliis eam diſtribuere, ſed maſculis. *At Maſculus non ſexu, ſed fide, ſapientia, fortitudine, & conſtantia judicatur; qui ſerpenti non facile credat, nec hæreticis ſuccumbat*, ait S. Bruno Herbipolenſis Epiſcopus.

[ ℣. 27. *Quidquid tetigerit carnes ejus, Sanctificabitur*. ] talem ex eo contactu ſanctitatem contrahet, ut non poſſit ad profanos uſus applicari, niſi priùs aliqua ceremonia ipſi adhibeatur. Alii, *ſanctificabitur*, per ſuum contrarium exponunt, id eſt, *inquinabitur*, & egebit ſanctificatione.

[ *Si de ſanguine illius veſtis fuerit aſperſa, lavabitur in loco ſancto* ] Hoc eſt, in Atrio. Sermo autem eſſe videtur de veſte profana: Nam de ſacris Sacerdotum veſtibus, vix aliter fieri poterat, quin ſanguis hoſtiarum frequenter eas tangeret, nec tamen veriſimile eſt quòd proptereà deberent ſæpius lavari, cùm jam anteà ſanctificatæ eſſent, nec ad profanos uſus applicarentur.

His proportione quadam reſpondet quòd in Romano Miſſali ex veteri obſervatione præſcribitur, lavari terram, mappam, corporale, ac veſtem, in quam aliquid ſanguinis Domini ceciderit.

[ ℣.28. *Vas autem fictile, in quo cocta eſt, confringetur. Quòd ſi vas æneum fuerit, defricabitur, & lavabitur aqua*. ] Diverſitatis ratio eſt, tum quòd vas fictile non commodè poſſet ita detergi, quin aliquid humoris ex carne cocta imbiberit per poros, ſicut poterat vas æneum; eratque idcircò uſibus profanis ineptum: Tum quòd exiguum eſſet diſpendium ex fractione vaſis fictilis: ſecùs de ænei. Hæc porrò vaſa ad carnes victimarum quæ in loco ſancto comedendæ erant, coquendas, partim ab offerentibus apportabantur, partim ibi ad eum uſum erant, ſecundùm ea quæ 1. Reg. 2. leguntur de lebete, caldaria, olla, cacabo. Ex quibus haud difficulter intelligi poteſt, in Tabernaculo vel Templo nonniſi elixas carnes edi potuiſſe, nequaquàm verò aſſas: Quæ enim ibi coquebantur, nonniſi in ollis aut ſimilibus vaſis elixabantur, quæ ad aſſandum non ſunt propria. Idem haberi poteſt ex 2. Paralip. 35. & ex Zachar. ult.

*Moraliter*, per vas æneum intelligitur vel anima pœnitentis, vel anima juſti in fide & charitate firmi, quæ tribulatione non frangitur, ſicut anima rudis & infirma, ſed defricatur & lavatur, ſicque ad charitatem revocatur, vel magis clareſcit.

Si quæras, quid de vaſis fictilibus fractis fieret, quidve de lotione vaſis ænei defricati? Reſpondeo iſta omnia deportari debuiſſe ad locum mundum extra caſtra, eo modo quo de cineribus ſupra fuit dictum; quia eadem eſt ratio.

[ ℣.29. *Omnis maſculus de genere Sacerdotali veſcetur de carnibus ejus*, ] Significatur quòd carnes hoſtiæ pro peccato comedi poſſent à ſolis Sacerdotibus, & iis qui erant de genere Sacerdotali, modò eſſent maſculi, non verò à fœminis.

[ *Quia Sanctum Sanctorum eſt*, ] Sive, quia illa hoſtia eſt res valde ſancta, ideòque non eſt edenda, vel à ſæcularibus, vel à quibuſcumque mulieribus.

*Moraliter* ſignificatur quòd in agenda pœnitentia nihil debet eſſe fœmineum, ſed opus eſt ſenſu & intentione virili.

[ ℣.30. *Hoſtia enim quæ cæditur pro peccato; cujus ſanguis infertur in Tabernaculum Teſtimonii ad expiandum in Sanctuario, non comedetur, ſed comburetur igni*. ] Pro *enim*, in Hebr. & 70. legitur *&*, habetque vim adverſativæ, vel exceptivæ. Unde alii dicunt particulam *enim* poſitam eſſe pro *autem*. Quia non redditur ratio præcedentium, ſed à præcedentibus fit exceptio, & ponitur differentia unius hoſtiæ pro peccato, ab altera quæ etiam eſt pro peccato. Quaſi diceretur. Hactenus oſtendi quinam hoſtias pro peccato comedere poſſint, attamen quæ inter illas ſanctiſſimæ ſunt, quarum videlicet ſanguis infertur in Tabernaculum, ſeu in Sancta, aſpergendo ſepties contra velum, & tingendo cornua Altaris Thymiamatis, ut cap. 4. fuit præſcriptum, non eas comedent Sacerdotes, nec quiſquam alius, ſed totæ comburentur igni. Hujuſmodi erant hoſtiæ quæ offerebantur vel pro Sacerdotis Magni, vel pro totius populi peccato, quemadmodum illo cap. 4. ſtatuitur: Ac etiam vitulus qui in conſecratione Sacerdotis offerebatur pro peccato. Exod. 29. verſ. 14. Itemque vitulus & hircus qui in feſto Expiationis pro peccato immolabantur. Infra cap. 16. verſ. 27. Retinendo voculam *enim* in ſua ſignificatione pro-

pria,

pria, quidam hunc sensum reddunt: Quoniam hostia pro peccato est valdè sancta, soli Sacerdotes, & qui de genere illo sunt illam edent: Qui tamen non de omni hostia pro peccato possunt edere; illa enim hostia cujus sanguis infertur in Tabernaculum, edi non potest, sed tota est igni cremanda.

## CAPUT VII.

*Ritus oblationis hostiæ pro delicto, & hostiæ ac victimæ pacificorum: adeps & sanguis in universum comedi prohibentur.*

[℣. 1. *HÆc quoque Lex hostiæ pro delicto*, ] Quamvis peccatum & delictum sæpè indifferenter ponantur pro eodem; certum nihilominùs est aliquando usurpari ut diversa. Inferiùs namque versu 7. sic legimus. *Sicut pro peccato offertur hostia, ita & pro delicto: Utriusque hostiæ lex una erit.* In quo autem differant, difficile est explicare. Sunt qui *peccatum* dicant, quando committitur malum; *Delictum*, quando omittitur bonum: Ita ut furtum peccatum sit, omissio autem eleemosynæ, delictum. Sed quoniam Scriptura etiam ibi agnoscit delictum, ubi committitur malum, ut cap. 4. *Quòd si peccaverit anima per ignorantiam, de populo terræ, ut faciat quidpiam de his quæ Domini lege prohibentur, atque delinquat.* Et cap. 5. *Anima quæ juraverit, & protulerit labiis suis, ut vel malè quid faceret, vel benè; & idipsum juramento & sermone firmaverit, oblitaque postea intellexerit delictum suum, &c.* Ea distinctio aliis non videtur omninò satisfacere, ideoque in valde diversas abeunt sententias. Inter quas hæc probabilior apparet, ut quando peccatum à delicto distinguitur, peccatum dicatur quod scienter & voluntariè committitur; delictum autem quod per imprudentiam, ignorantiam, aut oblivionem. Ita significat B. Hieronymus ad ista verba Ezechiel. 40. *Ut immoletur super eas holocaustum, & pro peccato, & pro delicto.* Sic enim commentatur: *Ut primùm immoletur holocaustum quod totum sacer ignis absumat, deinde pro peccato, & ad extremum pro ignorantia, quod vel scientes commisimus, vel ignorantes.* Opponitur quidem, quòd cap. 4. agitur de peccato, & de hostia pro peccato, ibique requiritur ignorantia: Unde consequens est non in hoc distingui peccatum & delictum, quòd peccatum committatur scienter, & non ita delictum. Verumtamen respondere potest peccatum vocari quod scienter committitur quoad scientiam juris, etsi possit ei adjuncta esse ignorantia facti: Delictum verò quod fit per ignorantiam aut oblivionem juris. Quam Responsionem ex eo confirmat Ribera lib. 4. de Templo c. 6. quòd cum de ignorantia quæ est in peccatis, agitur, peccata Pontificis & totius populi memorantur, quos per ignorantiam facti interdum labi, ut homines, probabile est; sed jus ignorare, vel Pontificem, qui docere illud debet, vel universum populum, in quo semper sunt aliqui prudentes, & gnari juris, non est credibile.

[ *Sancta Sanctorum est:* ] Res est valde sancta, & quodam eximio modo separata ad cultum Dei, & ad utilitatem personarum ei dicatarum.

[℣. 2. *Idcircò, ubi immolabitur holocaustum, mactabitur & victima pro delicto:* ] Nimirùm in atrio, juxta Altare holocaustorum, sicut explicatum fuit c. 6. vers. 25.

[ *Sanguis ejus per gyrum Altaris fundetur.* ] Utrùm super Altare, an ad ejus basim? Non liquet. 70. habent *ad basim*. Verisimile est, ita fundendum fuisse super Altare, seu super Altaris ora & extremitatem superiorem per circuitum ut usque ad ejus basim defflueret, secundùm ea quæ diximus cap. 1. vers. 15. Ut non sit agnoscendum hac in re discrimen hujus hostiæ ab aliis, quarum sanguis fundebatur ad basim, vel juxta basim Altaris. Observat S. Bruno quòd hostiæ sive pro peccato sive pro delicto sanguis fundebatur per gyrum Altaris, ut semper corda nostra pateant in Christi sanguine, & numquàm ejus passionis obliviscamur.

[℣. 3. *Offerent ex ea caudam* ] Eo quòd illa victima sit aries seu Agnus: Nam oblatio caudæ non se extendit ad bovem, vitulum, capram, ut cap. 3. diximus; ex quo cap. petenda est explicatio versuum 4. & 5. sicut & versus 6. ex cap. præced.

[℣. 7. *Sicut pro peccato offertur hostia, ita & pro delicto: Utriusque hostiæ lex una erit:* ] Eædem cæremoniæ servabuntur in hostia pro delicto, quæ in hostia pro peccato, ait Oleaster.

[ *Ad Sacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit.* ] Residuum hostiæ, dempta ea parte quæ Deo offertur, jure pertinebit ad Sacerdotem qui eam sacrificaverit, non ut liceat ei vendere aut donare quibus voluerit, sed ut inde vesci possit cum Sacerdotibus & Sacerdotum filiis.

[℣. 8. *Sacerdos qui offert holocausti victimam, habebit pellem ejus.* ] Cum holocausti victima deberet tota cremari, nihil de illa restabat pro Sacerdote præter pellem; quam quidem fuisse detrahendam, cap. 1. fuit præscriptum; quid autem de illa facere oporteret, vel in cujus utilitatem cederet, nihil est dictum: Ideò convenienter nunc exprimitur.

*Allegoricè*, sic S. Bruno interpretatur: Quia per victimam Christum Dei verbum & Sapientiam intelligimus, quid per pellem, nisi Litteram, qua spiritualis intelligentia tegitur, significabimus? Sicut enim quondam verbum & Sapientia Dei latebat in carne, sic & modò nisi subtracta pelle & Litteræ velamine, non apparet. Sacerdos igitur qui offert victimam, habet pellem ejus.

*Moraliter*, per pellem intelligi possunt divitiæ ad significandum quòd qui seipsos totos Deo volunt offerre, divitias & bona sua temporalia tradere debent Sacerdoti pro victu pauperum: Sicut in primitiva Ecclesia quotquot possessores agrorum, & domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, & ponebant ante pedes Apostolorum. Actor. 4. Alii patientiam intelligunt, quæ est Christi Sacerdotis tamquàm Exemplaris singularissimi, & quam unusquisque Sacerdotum maximè debet habere.

[℣. 9. *Et omne sacrificium simile, &c. ejus erit Sacerdotis à quo offertur:* ] Præter paulùlum scilicet similæ quod ex eo sumebatur ad cremandum coram Domino, ut ex cap. 2. patet. Quod hîc dicitur, *à quo offertur*, idem valet ac *à quo sacrificatur*: Et sermo est de omni sacrificio quod non offertur in consecratione Sacerdotis: Nam quod in ea offerebatur, totum cremabatur in Altari ut cap. 6. vers. 22. fuit habitum.

[℣. 10. *Sive oleo conspersa, sive arida fuerint, cunctis filiis Aaron mensura æqua per singulos dividetur*, ] Difficultas est, quomodò æqua mensura posset singulis Sacerdotibus dividi, si ut vers. 9. habetur, sacrificium similæ cederet illi Sacerdoti qui eam offerebat? Una responsio est, ea quæ vers. 9. dicuntur, accipienda esse de sacrificio similæ coctæ; quæ autem in præsenti versu, de sacrificio similæ incoctæ, quod in omnes Sacerdotes esset æqualiter dividendum: Id quod Sacerdotibus nondùm multiplicatis non erat difficile fieri; postquàm verò fuerunt vehementer multiplicati, admodùm difficile fuisset. Idcircò alii respondent hîc præscribi, ut æqua mensura sacrificii sic divideretur per singulos Sacerdotes, ut singuli eorum successivè haberent unum diem in quo ministrarent, & partes sacrificiorum quæ illo die offerebant ipsis cedebant; atque ita omnes æqualiter participabant de sacrificiis. Ita post Rabbi Salomonem sentiunt, Lyranus, Abulensis, Lorinus, Cornelius. Si dicas interdum plura uno die sacrificia fuisse oblata quàm alio. Respondeo æqualitatem nihilominùs fuisse servatam, partim quia absque ullo discrimine semper unicuique obveniebant partes sacrificiorum suæ diei: Partim quia dies abundantiorum sacrificiorum non erant constituti pro uno eodemque, sed ad singulos Sacerdotes poterant recurrere, juxta ordinem vicis suæ. Hujus præcepti ratio fuit, ne qua inter minores Sacerdotes (de illis quippe agitur) propter lucri cupiditatem aliamve causam, oriretur contentio, & alii alios prævenire vellent, ac præoccupare officium offerendi.

*Moraliter* instruimur, quòd beneficia aliaque bona Ecclesiastica sint Clericis secundùm æqualitatem Justitiæ distribuenda, non autem ita inæqualiter, ut unus esuriat, alius in illis inebrietur, ne dicam luxurietur: Ideoque & peccatum acceptionis personarum valdè est in ejusmodi bonorum collationibus

nibus cavendum, & beneficiorum pluralitas vitanda, ne qui benè præſunt Preſbyteri indigere ſinantur, contra Apoſtolum 1. ad Tim. 5. & ignavi ac otioſi plus æquo ſaturentur.

[ ℣. 11. *Hæc eſt Lex hoſtiæ pacificorum quæ offertur Domino.* ] Sunt qui hinc caput ſeptimum ordiuntur: Sed nihil neceſſe eſt ordinem conſuetum mutare. Quia verò hoſtiæ pacificorum erant duplicis generis, quædam pro pace, ſeu quovis alio beneficio impetrando, aliæ pro impetratis beneficiis: Primò diſponitur de poſterioribus dicendo:

[ ℣. 12. *Si pro gratiarum actione oblatio fuerit,* ] Alii ex Hebræo vertunt, *Si pro Confeſſione*, alii, *ſi pro laude*, eodem prorſus ſenſu: Sermo enim eſt de Confeſſione laudis; ac ſi dicat: Si pro laudando Deo propter beneficium acceptum, ſive pro agendis Deo gratiis.

[ *Offerent panes abſque fermento conſperſos oleo, & lagana azyma uncta oleo,* ] De quibus dictum eſt Exodi 29. verſ. 2.

[ *Coctamque ſimilam, & collyridas olei admiſtione conſperſas:* ] Non pauci copulativam *&* exegeticè accipiunt, pro *ideſt*, tum quòd in Hebr. non habeatur, ideòque iſtud, *collyridas*, videatur quaſi per appoſitionem eſſe poſitum, tum quòd ſimila frixa in ſartagine (de qua hìc eſſe ſermonem liquet ex Hebræo, ubi *frixa* ſeu *fricta ſimila* legitur) quædam eſt collyrida ſeu placenta, vel cruſtula, de qua eodem Exodi loco diximus.

[ ℣. 13. *Panes quoque fermentatos,* ] Non in ſacrificium, nec ſuper Altare (conſtat enim ex cap. 2. quòd nihil fermenti aut fermentati poſſet in ſacrificium, vel ſuper Altare offerri Deo) ſed in cibum.

[ *Cum hoſtia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis:* ] Ideſt, cum hoſtia quæ in gratiarum actionem immolatur nomine pacificorum, ſeu pro pace, aut alia felicitate impetrata.

[ ℣. 14. *Ex quibus unus pro primitiis offeretur Domino* ] *Ex quibus* ſcilicet panibus fermentatis. Plures ſiquidem panes fermentati offerebantur, ſed unus ex illis primitiarum nomine præſentabatur Deo, etſi non ſuper Altare, ſaltem coram Tabernaculo, ubi eum elevabant in ſignum quòd offerretur Deo.

[ *Et erit Sacerdotis qui fundet hoſtiæ ſanguinem.* ] Cedet in uſum illius Sacerdotis qui hoſtiam mactabit, facietque functiones Sacerdotales. Reliqui autem panes fermentati redibant ad Laicos illos qui curabant hoſtiam pacificam offerri, ut eos comederent cum ea parte hoſtiæ quæ ipſis cedebat. Pro, *Ex quibus unus*, alii ex Hebræo vertunt, *Ex omnibus unus*, voluntque ſignificatum, quòd ex qualibet ſpecie panum, de quibus verſu 12. unus deberet dari Deo tamquàm primitiæ, qui in uſum Sacerdotis cederet. Sed verſioni noſtræ vulgatæ conformius eſt ad ſolos panes fermentatos referre etiam legendo, *Ex omnibus:* Senſus enim eſſe poteſt, quòd ex omnibus panibus fermentatis, unus ſimplici oblatione præſentabatur Deo. Videri poteſt Ribera lib. 4. de Templo cap. 4. ſequens Abulenſem.

[ ℣. 15. *Cujus carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam uſque manè.* ] Carnes hoſtiæ quæ pro gratiarum actione offerebatur, jubentur comedi eadem die qua erat oblata; ſic ut earum nihil reſervari poſſet in ſequentem diem. Cujus rationem hanc aſſignat Philo Lib. de victimis, ut qui experti ſunt propenſum paratumque ſavorem cœleſtis numinis, incunctanter de hoc ſacrificio impertiantur aliis.

[ ℣. 16. *Si voto vel ſponte quiſpiam obtulerit hoſtiam,* ] Tractare incipit de illa hoſtia pacifica quæ offerebatur pro aliquo beneficio obtinendo: Statuitque, quòd de carnibus hujus hoſtiæ liceret veſci primo & ſecundo die quo eſſet oblata, nequaquam autem tertio. Cujus una ratio redditur à Philone eod. Lib. Quia ſacræ menſæ uſus debet eſſe tempeſtivus, curando ne quid carnium mora temporis, corrumpatur; cùm carnium natura ſit putredini obnoxia. Secunda, quia victimarum partes non ſunt in penum retrudendæ, ſed in medium proponendæ omnibus indigentibus. Jam enim non ſunt offerentis, ſed ejus cui oblatum fuit ſacrificium, qui cùm ſit beneficus & munificus, vult convivis vocatis communicari ſuum epulum, & non ſervari ſordidam avaritiam. Hanc rationem ita explicat Theodoretus: *Vult eos non ſolos epulari, ſed etiam egenis de carnibus elargiri. Idcircò prima quidem & ſecunda die de carnibus illis ſumere jubet: Et quæ ſuperſunt igni mandari, ut neceſſitate compulſi, pauperes convivii ſui ſocios habeant.* Tertiam rationem adfert Philo, quia ſacrificium hoc pro ſalute duorum offertur, corporis & animæ, æquumque eſt, ut primæ diei convivium admoneat nos ſalutis animæ, ſicut poſtera dies ſanitatis corporis. Quoniam autem tertium nihil eſt, cui propriè quæratur ſalus, ſeriò vetitum eſt proferri epulum uſque in diem tertium. Si dicas ſalutem proximi eſſe quid tertium: Reſpondeo eam contineri ſed præcedentibus; cùm neque proximo quæratur alia ſalus quàm animæ & corporis. Sed quare hoſtia pro gratiarum actione oblata debebat eodem die comedi? Quæ autem ſponte vel voto offerebatur, adhuc ſequenti die comedi poterat? Quidam hanc adferunt rationem, quia prior oblatio, gratiarum videlicet actionis, erat dignior, utpote ex animo prorſùs liberali & gratuito procedens; cùm poſterior, vel ex voti neceſſitate proficiſceretur, vel ex ſpe alicujus beneficii conſequendi. Alii iſtam, quòd eò citiùs conſumenda erat hoſtia, quo offerens magis erat obligatus Deo in re pro qua offerebat; magis autem obligatus eſt qui beneficium accepit, quàm qui petit ut accipiat.

*Quoniam* verò per illam hoſtiam Chriſtus figurabatur, S. Bruno per primum & ſecundum diem quo licebat de illa edere, *Allegoricè* vetus & novum Teſtamentum intelligit: Per tertium verò, pravam hæreticorum doctrinam, in qua multæ ſonant de Chriſto blaſphemiæ; ideoque non licet juxta eam Chriſtum manducare.

[ ℣. 17. *Quidquid autem tertius invenerit dies, ignis abſumet.* ] Ne aut putreſieret, quandoquidem non licebat eo veſci, aut à beſtiis comederetur, jubetur per ignem conſumi quidquid die tertio inveniretur de illa hoſtia. Sic etiam quiſquis hæreticorum doctrinæ adhæſerit igni infernali tradetur. Notanda eſt autem illa phraſis, qua dies hoc dicitur invenire, quod invenitur in die: Sicut etiam generaliter dies vel tempus dicitur id facere vel pati, quod in die ſeu tempore fit aut ſuſtinetur.

[ ℣. 18. *Si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio,* ] Quomodo tunc irrita, ſi quo die facta eſt, benè fuit facta? Reſpondeo, quia meritum primo die per oblationem tamquam per bonum opus acquiſitum, illo tertio die emittitur; & Deus qui priùs fuerat placatus, novo peccato offenditur reumque tenet hominem perinde ac ſi antea non fuiſſet ei placatus. Unde ſequitur.

[ *Nec proderit offerenti:* ] In Hebræo, pro *irrita fiet oblatio*; & pro his verbis, *nec proderit offerenti*; alii legunt, *non placebit offerens illud, nec reputabitur illi.* Ideſt, neque offerens gratus erit Deo, neque offerenti reputabitur pro ſacrificio; ideoque ſi voto adſtrictus illud obtulerat, tenebatur aliud offerre, ut obſervat Cajetanus; & ex eo Lorinus.

[ *Quin potiùs quæcumque anima tali ſe edulio contaminaverit, prævaricationis rea erit.* ] Hebr. *Iniquitatem ſuam*, ſeu iniquitatis ſuæ pœnam, *portabit.* Quænam eſſet illa pœna hìc non dicitur, ſed cap. 19. exprimitur dicendo: *Peribit anima illa de populo ſuo.* Nimirùm, aut per Judicem, ſi convenienter probetur in judicio, aut Deo pœnam infligente. Quoniam verò etſi Sacerdos ſacrificans propriè eſſet offerens, ille tamen qui victimam afferebat, vel adducebat, ut Sacerdotis manibus offerretur, erat quoque offerens.

Quæri poteſt, quis ſit cui oblatio fiebat irrita? Utrùm Sacerdos, an Laicus offerens? Reſpondeo cum Dionyſio Carthuſiano eum ſolum eſſe qui die tertio comedebat de iſta hoſtia; ita ut ſi ſolus Sacerdos inde comedebat, non imputaretur Laico offerenti: Et ſi ſolus Laicus, non imputaretur Sacerdoti, niſi aliunde communicaſſent in iſto crimine.

Quæri prætereà poteſt, quid dicendum de eo qui ſecundo die comederet de hoſtia gratiarum actionis, de qua priùs habitum eſt, quòd ejus carnes non poterant in ſecundum diem ſervari. Lorinus exiſtimat eadem pœna fuiſſe mulctandum, propter eamdem rationem.

Alia quæſtio eſt, quo in loco, ſive à Sacerdotibus, ſive à Laicis comedendæ eſſent carnes hoſtiæ pacificæ? Reſpondeo quòd non in Atrio Sacerdotum, cùm

non liceret Laicis illuc ingredi, sed in quolibet alio loco, quemadmodum scribit Dionysius, modò scilicet ille esset mundus. Poterant ergo illas domum ferre, & ibi cum amicis, mundis tamen, illis vesci: Non enim erat tantæ sanctitatis hæc hostia, ut hostia pro peccato, quæ in loco sancto comedi debebat.

[ ℣. 19. *Caro, quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, sed comburetur igni:* ] Sermo est de carnibus hostiæ pacificæ, quæ quoniam efferebantur ex atrio, facilè accidebat quòd ex contactu alicujus rei immundæ contraherent immunditiam, ideòque præscribitur quid esset de illis agendum: Quòd nimirùm deberent comburi, non quidem igne sacro, qui erat in Altari, sed igne profano, seu domestico. Et quoniam si carnes Deo offerendæ polluerentur ante oblationem, non poterant offerri; sermonem hìc esse oportet de carnibus postquàm fuerant oblatæ. Si verò carnes quæ non erant alicujus hostiæ polluerentur per contactum rei immundæ; quidam dicunt quòd etsi non liceret Hebræis eas comedere, non tamen erat necessarium quòd igni traderentur, sed poterant vel gentilibus vel canibus exhiberi comedendæ, quia non erant consecratæ. Ita Bonfrerius. Alii censent quòd etiam ab Hebræis comedi possent, ut Abulensis q. 3. & Cornelius hìc.

[ *Qui fuerit mundus, vescetur ex ea.* ] non est subaudiendum *carne immunda*, seu quæ immundum aliquid tetigerit; jam enim præmissum est quòd illa non comedetur: Sed referri debet ad hostiam pacificam, quæ est munda, talis videlicet, qualis fuit dum offerretur; Et significatur quòd de illa comedere possent non tantùm Sacerdotes & Laici offerentes, sed etiam alii, modò essent mundi.

[ ℣. 20. *Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis.* ] Si homo pollutus scienter comederit de illis carnibus, mortis reatum incurret, tum æternæ, tum temporalis. Dico *scienter*, quia si per ignorantiam, expiandus erat juxta legem cap. 5. vers. 3.

[ ℣. 21. *Et quæ tetigerit immunditiam hominis, vel jumenti,* ] Quid per immunditiam hominis intelligatur, diximus cap. 5. vers. 3. Per immunditiam verò jumenti, intelligitur jumentum seu animal immundum, sive illud sit vivum, sive mortuum.

[ *Et comederit de hujuscemodi carnibus,* ] Hostiæ videlicet pacificorum. Nam in Hebr. sic exprimitur: *Et comederit de carne sacrificii pacificorum quod est Domino.*

[ ℣. 23. *Loquere filiis Israel:* ] Toti populo jubetur loqui, quia daturus erat præceptum commune toti populo.

[ *Adipem Ovis, & Bovis, & Capræ, non comedetis.* ] Quoniam dictum fuerat à quovis homine mundo posse comedi carnes hostiæ pacificorum, excipit adipes animalium immolatitiorum, hoc est, eorum quæ immolari poterant, & de quorum carnibus, etiam postquàm erant immolata, licebat edere, non tamen de illorum adipibus; nequidem si occiderentur domi ad usus domesticos. Hujusmodi sunt, Ovis, bos, capra, & quæ sub illis continentur: Nam hæc occidi poterant non solùm ad sacrificia, sed etiam ad esum usumque communem: Ita tamen, ut de ipsorum adipibus numquam liceret comedere. Vide dicta ad cap. 3. vers. 17.

[ ℣. 24. *Adipem cadaveris morticini,* ] Seu spontè, vel per se mortui.

[ *Et ejus animalis quod à bestia captum est, habebitis in varios usus.* ] Hebr. *In omne opus*, ad quod nimirùm illi adipes poterant esse utiles, veluti ad lucernas, unctiones, & confectiones varias. Non autem poterant eorum animalium sive morticinorum, sive à bestia captorum, adipes habere ad esum, etiamsi essent animalia de se munda, vel ad esum, vel etiam ad sacrificium.

[ ℣. 25. *Si quis adipem, qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo.* ] Sermo est de adipe animalis immolatitii, ita ut illud, *qui offerri debet*, hunc sensum habeat juxta Abulensem, *qui offerri licitus est*. *In incensum Domini*, hoc est, ut offeratur Deo super Altare: Eorum enim animalium quæ munda erant ad sacrificium adipe vesci non licebat, etiamsi ipsa non occiderentur ad sacrificium, sed ad communem & domesticum usum.

[ ℣. 26. *Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibo, tàm de avibus, quàm de pecoribus.* ] Hujus præcepti rationes dedimus in fine cap. 3. Quæstio autem est, an similiter fuerit Hebræis prohibitus esus sanguinis piscium & locustarum? Ad quam Abulensis q. 6. respondet affirmativè: Quia hic prohibetur sanguis omnis animalis; in generalitate autem animalium, pisces & locustæ comprehenduntur. Deinde, ratio prohibitionis sanguinis quæ cap. 17. exprimitur, tam habet locum in illis, quàm in aliis, quia nimirùm anima carnis in sanguine est. Neque refert illic prohiberi sanguinem universæ carnis, non videri autem quòd pisces carnem habeant: Constat enim ea 1. ad Cor. 15. etiam pisces habere carnem, Apostolo ita dicente: *Non omnis caro eadem caro; sed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia volucrum, alia autem piscium*, Sed & Plinius lib. 9. cap. 17. carnem de piscibus usurpat. Non refert etiam tum aves, tum pecora isto loco nominari, & non pisces: Nam hoc exempli causa factum est, non exclusis aliis; alioquin excluderentur serpentes, Leones, & alia hujusmodi, quæ pecorum nomine non solent intelligi.

[ ℣. 29. *Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat simul & sacrificium, idest, libamenta ejus.* ] In Hebræo nihil exprimitur de libamentis; sic enim legitur: *Adducet*, sive afferet, *munus*, seu oblationem suam, *Domino*. Et sensus est, quòd quicumque vellet pro se offerri hostiam pacificorum, simul debebat afferre, seu curare afferri ea quæ in tali sacrificio offerri solent; nimirùm libamenta quæ erant quædam accessoria cum carnibus offerri jussa. Exod. 29. vers. 40. Et Numer. 15. vers. 4. 5. 6. 7. certa videlicet mensura similæ, & olei, ac vini. Cùm ergo hìc dicitur, *simul & sacrificium*, sacrificium non accipitur pro animali, sive vivo, sive mortuo, quod per victimam anteà designatur: Sed pro oblatione seu munere victimæ pacificorum accessorio; cui propterea statim in Textu nostro, explicationis gratia, subjungitur; *idest, libamenta ejus*. Dicitur autem *ejus*, scilicet *victimæ pacificorum*, quia tali victimæ sunt debita, juxta legem.

[ ℣. 30. *Tenebit manibus adipem hostiæ, & pectusculum: Cumque ambo oblata Domino consecraverit, tradet Sacerdoti,* ] Postquàm Sacerdos jugulaverat animal à Laico adductum, eique pellem detraxerat, ac in partes varias diviserat, tradebat ipsi Laico istius animalis adipem & pectusculum in manus; ipse autem Laicus ea elevabat ante Altare, sicque quodam modo consecrabat. ( Talis enim elevatio erat quædam consecratio ) & tum eidem Sacerdoti illa tradebat: Sacerdos verò totum adipem adolebat super Altare, pectusculo sibi reservato.

*Quid est*, ait S. Bruno, quòd adipem atque pectusculum, quæ homo Deo consecravit & devovit, Sacerdoti Domino tradere jubetur? Vult enim Deus & pectora nostra Sacerdotibus demus & aperiamus, quatenus eorum consiliis & doctrina repleantur. Demus eis & adipem nostrum: Confiteamur eis peccata nostra; Dicamus quid malè pinguis lasciviendo fecerit caro nostra; Ipsorum est enim adolere adipem; ipsorum est incendere, & delere peccata nostra.

[ ℣. 31. *Qui adolebit adipem super Altare,* ] Illum ibi incendendo:

[ *Pectusculum autem erit Aaron, & filiorum ejus.* ] Non quòd deberet dividi inter Sacerdotem magnum & Sacerdotes minores, sed quia erat illius Sacerdotis qui tunc ministrabat, & pertinere poterat ad quemlibet Sacerdotum, sive ad summum, sive ad minores, prout contingebat quòd ipsi ministrabant.

[ ℣. 32. *Armus quoque dexter de pacificorum hostiis cedet in primitias Sacerdotis.* ] Hoc est, *in præcipua dona*, ait Hugo Cardinalis: Vel juxta Abulensem, *in primitias*, quia tam armus dexter quàm pectusculum primò debebant dari Sacerdoti, antequàm Laicis darentur suæ partes. Cur ista duo, pectusculum & armus dexter fuerint præ aliis data Sacerdoti? Ratio *litteralis* esse videtur; quia sunt partes delicatiores; tales autem offerri decet. Ministris Dei propter ipsum, sicut & adipem ipsimet Deo. *Moralis* autem, quia Sacerdotes

debent

debent eſſe fortes ad aliorum ferenda peccata, ideòque datur eis armus dexter: Datur eis & pectuſculum, quoniam qui aliorum pectora repleot, ipſi ſine pectore eſſe non debent, ait S. Bruno. Cui conſentiens B. Th. 1. 2. q. 102. art. 3. ad 8. ſcribit ſignificatum fuiſſe quòd Sacerdoti neceſſaria erat ſapientia cordis ad inſtruendum populum, quod ſignificabatur per pectus, quod eſt tegumentum cordis: & etiam fortitudo ad ſuſtentandum defectus, quæ ſignificatur per armum dextrum.

[ ℣. 33. *Qui obtulerit ſanguinem & adipem, filiorum Aaron,* ] Senſus eſt: Quicumque filiorum, ſive ut eſt in Hebræo, *de filiis Aaron*, obtulerit ſanguinem & adipem victimæ pacificorum.

[ *Ipſe habebit & armum dextrum in portione ſua.* ] ſimul nimirùm cum pectuſculo: Reliquum verò hoſtiæ dempto ſanguine & adipe, cedet in uſus offerentium.

[ *Pectuſculum enim elevationis,* ] Sic dictum, quòd coram Domino verſus Altare elevabatur, & elevando ipſi conſecrabatur. Quidam ſcribunt quòd cùm Laicus offerens tenebat manibus adipem & pectuſculum ut verſ. 30. dictum eſt, Sacerdos manus ſuas manibus ejus ſupponebat, ſicque totum quod erat ſuperpoſitum elevabat cum eo in cœlum. Eſtque id ſatis conforme his quæ ad verſ. 24. cap. 29. Exod. diximus.

[ *Et armum ſeparationis,* ] qui nimirùm à reliquis carnibus ſeparatur Deo conſecrandus, ac vice Dei, in uſum Sacerdotis.

[ *Tuli à filiis Iſrael de hoſtiis eorum pacificis,* ] *Tuli*, ideſt, *accepi*, ſeu *accipiendum ſtatui*.

[ *Et dedi Aaron Sacerdoti, & filiis ejus lege perpetua,* ] Id patet ex cap. 29. Exod. verſ. 28. Quod dicitur *lege perpetua*, idem valet ac *lege ſtabili, & ſemper obſervanda*, quamdiù durabit Reſpublica Hebræorum, & ſtatus eorum.

[ *Et omni populo Iſrael.* ] In Hebræo eſt, *à filiis Iſrael*, ſicut priùs hoc eodem verſu. Voluit interpres phraſim variare, Deus autem per Moyſen iſta repetitione rem magis exprimere, ac beneficium exaggerare.

[ ℣. 35. *Hæc eſt unctio Aaron, & filiorum ejus* ] Iſta demonſtrativa, *hæc eſt unctio*, & mox: *Iſta eſt lex holocauſti*, quidam referri volunt ad ea quæ ſequenti cap. narrantur, quia ibi deſcribitur Conſecratio Aaron & filiorum ejus: Quos refutat Abulenſis, partim quia hic agitur de iis quæ dari debent Sacerdotibus à filiis Iſrael; id quod cap. ſeq. non dicitur: Partim quia hic ponitur de ſacrificio pro peccato, pro delicto, & de cæremoniis holocauſtorum & pacificorum; de his autem non tractatur cap. ſeq. Veriſimilius ergo eſt, quòd ipſe, & Lyranus, Heſychius, Serrarius, Lorinus, & alii non pauci cenſent referenda eſſe ad illa quæ in iſto Libro præcedunt, & hic quemdam Epilogum præcedentium contineri, itaut vel iſte ſit ſenſus: Hic eſt ritus in unctione, ſeu conſecratione Aaronis & filiorum ejus ſervandus: Vel potius accipiendo unctionem, non formaliter pro ipſa unctione aut conſecratione, ſed pro jure Sacerdotibus debito ratione ſuæ unctionis, iſte: Hoc eſt Aaroni & filiis ejus debitum ratione ſuæ unctionis; ſive, unctio ipſorum hoc exigit. *Sic enim dicitur: Hæc eſt unctio*, ait Cajetanus, *quemadmodum de Regi ex coronatione debitis; Hæc eſt Corona Regis*.

[ *In cæremoniis Domini,* ] Hebr. *De ignitionibus Domini*, ideſt de ſacrificiis quæ Domino debent offerri, & igne perfici vel conſumi. Noſter interpres maluit dicere *Cæremonias*, ut comprehenderet omnia quæ fieri & obſervari debebant circa ſacrificia.

[ *Die qua obtulit eos Moyſes ut Sacerdotio fungerentur,* ] Senſus eſt, illa jura Sacerdotibus decreta eſſe in die, ſeu debita eſſe à die quo Aaron ejuſque filii fuerant conſtituti Sacerdotes. Eos autem dicitur Moyſes obtuliſſe, quia ut Exodi 28. & 29. fuerat juſſum, ipſos applicavit & conſecravit, nec ipſi ſe obtulerunt ut fierent Sacerdotes, quod fuiſſet ambitionis, ſed ex Dei mandato Sacerdotium ſuſceperunt, ſecundùm ea quæ ad Hebr. 5. memorantur. Anteà nulli erant Sacerdotes publici & communes toti populo, ſed Sacerdotio fungebantur, verique Sacerdotes erant, vel primogeniti, vel Patres-familias, vel alii ex peculiari inſtinctu divino, ut diximus 2. 2. q. 85. Nunc autem Deus elegit Tribum Levi, & ex ea familiam Aaronis, ex qua deinceps fuerunt Sacerdotes toto tempore legis veteris.

[ ℣. 36. *Et quæ præcepit eis dari Dominus à filiis Iſrael* ] de ſacrificiis nimirùm, quæ per illos offerri curarent.

[ *Religione perpetua in generationibus ſuis.* ] Cultu, ſeu ritu perpetuo; quoad Lex, & ſtatus Legis permanſerit.

[ ℣. 37. *Iſta* ] quæ nimirùm in præcedentibus fuit deſcripta.

[ *Eſt Lex holocauſti, & ſacrificii pro peccato, atque delicto, & pro conſecratione, & pacificorum victimis:* ] Vox *Sacrificii*, non debet jungi cum ſequentibus vocibus, *pro peccato*, ſed commate ſaltem ſubintellecto disjungi, prout in Hebræo & 70. disjungitur. Nam per ſe conſtituit ſpeciem, oblationem ſcilicet de ſimila, ſeu farinaceam: Ita ut hic enumerentur ſex ſpecies ſacrificiorum, holocauſtum, Mincha, hoſtia pro peccato, hoſtia pro delicto, pro conſecratione Sacerdotum, & victima pacifica. Quamvis enim ſolùm ſint quatuor genera ſacrificiorum veteris Legis; tria de animalibus ſcilicet holocauſtum, hoſtia pro peccato, & victima pacifica; & unum de rebus inanimatis, nimirùm de farina; diſtinctionis tamen gratia hic exprimitur ſacrificium pro delicto, quod reducitur ad hoſtiam pro peccato, & pro conſecratione Sacerdotum, quod ad omnia refertur, cùm in ea omnis generis ſacrificia offerrentur. Confirmari hæc poſſunt ex verſione 70. quæ conformiter Textui Hebræo ſic habet: *Hæc eſt Lex holocauſtorum, & ſacrificii, & pro peccato, & delicto, & conſummatione, & ſacrificio ſalutaris*.

[ *Quam conſtituit Dominus Moyſi in monte Sinai,* ] Hanc Legem, ut & eas quæ in præſenti libro præcedunt, non conſtituit Dominus in cacumine montis Sinai, cùm cap. 1. Deus illas daturus vocaverit Moyſen de Tabernaculo Teſtimonii recens erecto: Sed, *in monte*, hoc eſt, *propè montem*, ubi erat Tabernaculum fœderis, ut explicat Abulenſis in fine hujus Libri.

[ *Quando mandavit filiis Iſrael, ut offerrent oblationes ſuas Domino in deſerto Sinai.* ] Obſervat Cajetanus quod dicitur, *in deſerto Sinai*, non referri ad illud, *ut offerrent*, ſed *ad filios Iſrael*: Non enim eſt ſenſus; Deum mandaſſe filiis Iſrael, ut in deſerto offerrent ſuas oblationes, ſed quòd illis in deſerto exiſtentibus mandaverit eas offerre, quando ſcilicet eſſent extra deſertum. Nam poſt dedicationem Tabernaculi & conſecrationem Aaronis, & filiorum ejus in Sacerdotes, Iſraelitæ numquàm vel rarò obtulerunt Deo ſolemne ſacrificium in deſerto, ut ex Amos 5. colligitur; neque Deus ab illis exigebat, ut ibi offerrent, ſed in terra promiſſionis. His conſentit Lorinus, ex Ruperto differentiam explicans quòd Moyſi in monte Dominus conſtituiſſe dicatur; & in deſerto mandaſſe populo, quoniam Moyſes claritatem ſpiritus accepit, populo autem obſcuritatem Litteræ protulit.

## CAPUT VIII.

*Aaronis & filiorum ejus conſecratio, ac tabernaculi ſupellectilisque ejus unctio.*

Deſcribitur hoc Cap. executio eorum quæ cap. 28. & 29. Exodi Deus Moyſi mandaverat de ſacris veſtibus Sacerdotum, & de modo conſecrationis ipſorum. Quæ conſecratio videtur eodem die eſſe facta, ſeu inchoata, qua erectum fuit Tabernaculum; hoc eſt anno ſecundo egreſſionis Hebræorum de Ægypto, prima die menſis primi. Exod. ultimo. De Aaron quippe, & ejus filiis tamquam Sacerdotibus ibidem narratur quòd ingrederentur tectum fœderis. Et hic verſ. 12. quòd cùm Moyſes aſperſiſſet Altare ipſum ſanctificando ſuderit oleum ſuper caput Aaron, & eum unxit ac conſecravit, ejuſque filios veſtivit Sacerdotalibus veſtibus. Unde apparet omnia illa eſſe ſimul, ſeu eodem die peracta: Et quoniam Leges in ſuperioribus hujus Libri capitibus deſcriptæ, fuerunt datæ poſt erectum Tabernaculum, in ipſo nimirùm Tabernaculo: Quidam opinantur ea quæ nunc ſequuntur, per Anacephalæoſim ſeu recapitulationem hic poni; quod tamen alii non putant eſſe neceſſarium, cùm Deus potuerit eas Moyſi dare poſt erectionem Tabernaculi, ante-

antequam consecrarer Sacerdotes. Rectè porrò notat Cajetanus, oe electio Aaron, & filiorum ejus in Sacerdotes ascriberetur amori fraterno quo Moyses Aaronem prosequebatur; hoc loco divinam auctoritatem & jussionem præponi, quam Moysen io concione ad populum exposuisse noo est dubium.

[ ℣. 1. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens;* ] In principio novi Tractatus aut Legis, ista sermonis formula solet præmitti. Observat autem Hugo Cardinalis ideò aote consecrationem Sacerdotum interpositas hic fuisse cæremonias, ut Sacerdotes earum notitia imbuerentur priùs quàm consecrarentur. Nam & decet nullum in Christi Ecclesia Pontificem ordinari, nisi priùs noverit ritus & cæremonias officio suo convenientes, & quæ ad subditos benè gubernaodos requiruntur.

[ ℣. 2. *Tolle Aaron cum filiis suis*, ] Illos assume, seu adduc tecum: Honoris enim causa conveniebat eos adduci potiùs quàm spontè venire: Atque ut etiam hac ratiooe species ambitionis penitùs amoveretur ab illis.

[*Vestes eorum*, ] Sacras videlicet quæ c.29. Exodi sunt descriptæ.

[ *Et unctionis oleum*, ] Cujus compositio in ejusdem libri c.30. habetur v.23. cum aliquot seqq.

[*Vitulum pro peccato*, ] immolandum, Exod.29. cootinetur v.10. cum quatuor seqq.

[ *Duos arietes*, ] Quorum unus offeratur in holocaustum, alter in hostiam pacificam, ut ibid. v.18.19.20.21. statutum fuit.

[ *Canistrum cum azymis*. ] Cootinens panes, crustulam, & lagana, omniaque hæc sine fermento, ibid. versib. 2. & 23. Jubet ergo Deus ut Moyses assumat omnia quæ ad consecrationem summi Sacerdotis, ac minorum requirebantur: Et quoniam ad consecrationis solemnitatem pertinebat congregatio populi; adjungit.

[ ℣. 3. *Et congregabis omnem cœtum* ] universam scilicet populi multitudinem, & non solùm principes, etsi quidam ita existimeot. Conferebat hæc Congregatio non solùm ad solemnitatem, sed etiam ut deinceps populus libentiùs honorem & obedieotiam deferret tum Pontifici, tum aliis Sacerdotibus quorum initiationem ita vidissent, & quodammodò approbassent sua præsentia. Io Ecclesia quoque novi Testamenti fit sacratum personatum consecratio in præseotia populi.

[ *Ad ostium Tabernaculi*. ] Porrò in atrio, Ita ut starent extra Tabernaculum, secundùm quod poterant locum habere.

[℣.4. *Fecit Moyses ut Dominus imperaverat.*] Per quod ejus promptitudo ad obediendum ostenditur:

[*Congregataque omni Turba ante fores Tabernaculi*,] Non est intelligendum omnem Israelitarum Turbam fuisse coogregatam intra Atrium ante fores Tabernaculi, cum tanta multitudo non posset illic consistere: sed quidam intra atrium, alii verò exteriùs circumfusi manebant, prout appropinquare poterant.

[ ℣. 5. *Iste est sermo, quem jussit Dominus fieri.*] *Sermo* ponitur pro *re* seu opere, sicut frequenter in sacris Litteris *Verbum* pro *re* positum invenitur: Ut 1. Reg.3. *Ecce ego faciam verbum in Israel, quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus.* Pro eo ac si diceret: Ego faciam rem mirabilem, quam omnes qui audierint, valdè stupebuot. Sic 2. Reg.1. *Quod est Verbum quod factum est?*

[ ℣. 6. *Statimque obtulit Aaron & filios ejus.*] In Hebræo, *Et appropinquare fecit*, seu adduxit. Non fuit tamen simplex adductio, sed talis, qua Moyses eos quos adduxit Deo præsentavit ac obtulit; statuens videlicet illos coram Altari, & Tabernaculo. Neque in Hebræo, neque io 70. exprimitur adverbium *statim*; sed quoniam rei gestæ inest, interpres illud expressit ad commendandam Moysi promptitudinem.

[ *Cumque lavisset eos*, ] Alii ex Heb. legunt, *Et lavit eos aqua*. Lavit autem eos, secundùm quod Exod. 29. præscriptum fuerat: Et quòd ipse per se laverit, eorumque manus & pedes dumtaxat, & non tota corpora, ut probabiliùs ibidem diximus. Quæ lotio exterior Symbolum est lotionis interioris; & Sacerdotibus indicat quòd sacris applicandi, eaque deinceps ex officio tractaturi deberent animam à sordibus peccatorum habere purum.

[ ℣. 7. *Vestivit Pontificem subucula linea*, ] *Subucula* est vestis illa quæ Exod. 28. vocatur *linea stricta*: *Linea*, quia ex lino confecta. *Stricta*, quia erat arcta, & sine rugis: *Subucula*, quia sub reliquis vestibus (sacris nimirùm) induebatur.

[ *Accingens eum Balteo*. ] *Baltes* nomine significatur *Zona*, quemadmodùm habent 70. seu *cingulum*.

[ *Et induens eum tunica hyacinthina*, ] Quæ Exod. 28. v.4. designatur simplici nomine tunicæ.

[ *Et desuper humerale imposuit*, ] *Humerale* in Exodo vocatur *superhumerale*, aliter dicitur *Ephod*.

[ ℣. 8. *Quod astringens cingulo aptavit rationali*, ] Non significatur quòd humerale fuerit apratum rationali astrictione cinguli, sed quòd postquàm superhumerale fuit astrictum cingulo, illud ipsum supernumerale adaptavit rationali. Ex his intelligi potest summum Pontificem Hebræorum in ornamentis Pontificiis duplex habuisse cingulum, sicut duplicem tunicam. Priore, atque adeò interiore, ciogulo cingebatur super subuculam lineam: Posteriore, quod exterius dici potest, super tunicam hyacinthinam.

[ *In quo erat Doctrina & veritas*. ] Eo modo quem Exodi 28. declaravimus. His admonebatur Pontifex quòd vestiendus seu præditus esse deberet linea castitatis, tunica sanctæ cooversationis, & superhumerali booæ operationis; cui rationale quoque doctrinæ & veritatis, omnisque sapientiæ indissolubiliter conjungatur.

[ ℣. 9. *Cidari quoque* ] seu *Mitra*, vel *Tiara*, (hæc enim tria idem significant) [ *cinxit caput*. ]

[ *Et super eam, contra frontem*: ] Hoc est, *in fronte*, aut *supra frontem* Nam Cidaris relinquebat partem capitis à fronte inopertam.

[ *Posuit laminam auream* ] In qua videlicet juxta mandatum Exod. 28. vers. 36. sculpturo erat: *Sanctum Domino*.

[ *Consecratam in sanctificatione*, ] id est, consecratam & sanctam, seu venetatione dignam. Io Hebræo legitur: *Laminam auream, coronam sanctitatis*: Q.d. *quæ est corona sancta*: *Corona* quidem, non quia esset rotunda, seu circularis, sed quia coronabat caput in parte anteriore: *Sancta* verò, propter sanctissimum oomen *Jehova* in ea scriptum.

[ ℣. 10. *Tulit & unctionis oleum, quo linivit Tabernaculum cum omni supellectili sua*. ] In Hebræo, *Et omni qua in illo*, nempè erant, seu quæ ad illud pertinebant: Cujusmodi erant Arca Testamenti, propitiatorium, Altare Thymiamatis, & Altare holocausti, candelabrum, mensa propositionis, & alia ad usum Tabernaculi pertioentia. Hujus olei compositio descripta est Exodi 30. v. 23. & seqq. Moyses autem liniendo, non totum Tabernaculum uogebat, neque totam Arcam, vel totam mensam, & sic de reliquis; sed digitum aut quidpiam aliud intingebat in oleuo, quo deinde certas quasdam partes, tum tabernaculi, tum arcæ, tum aliorum rerum ibi existentium contingebat, sicque liniebat. An liniendo figuram Crucis exprimeret, sicut modò fit in consecratione Altarium & Ecclesiarum; non est verisimile, cùm ea figura oon esset tunc vel io usu, vel in honore. Potiùs videtur quòd non exprimeret ullas certas figuras.

[ ℣. 11. *Cumque sanctificans* ] hoc est, divino cultui dedicans, Tabernaculum videlicet, & ejus supellectilem.

[ *Aspersisset Altare septem vicibus*, ] Etsi numerus secuodùm se oullam emphasim habeat, aliqui tamen oumeri majorem habent vel proportionem, vel rationem ad quidpiam significandum cui numerus est similis. Sic Binarius, significat duo præcepta charitatis: Ternarius, Sanctam Trinitatem, & tres virtutes Theologicas: Quaternarius, quatuor virtutes Cardinales, & quatuor Evangelistas: Quinarius, quinque Salvatoris nostris vulnera, & quinque corporis sensux: Senarius, tempus vitæ præsentis quod sex diebus peragitur; sicut Deus hunc mundum sex diebus creavit, septimo autem quievit, unde dies septimus est dies quietis: Septenarius præterea est in sanctis Scripturis frequens & sacer; quia septem sunt dona Spiritus Sancti, cujus virtute omnis consecratio perficitur. Hinc

B.Gre-

B. Gregorius Lib. 4. in Lib. 1. Reg. cap. 10. *Septenarius numerus propter dona septiformis spiritus, perfectus est.* Octonarius diem resurrectionis & æternitatem, seu æternitatis gloriam significat, apud eumdem Gregorium homil. 16. & 20. in Ezechiel. Denarius, decem præceptorum Decalogi Symbolum est, qui ideò perfectus est, juxta eumdem Lib. 35. Moral. cap. 20. quia lex in decem præceptis concluditur; omnisque culpa non ampliùs quàm per decem verba cohibetur, atque enarrante veritate, operatores vineæ denario remunerantur. Duodenario numero sæpè solet in Scripturis universitas designari, ait Venerabilis Beda homil. de S. Benedicto. Quadragenarius numerus ad peccatores pertinet teste S. Gregorio Lib. 1. in lib. 1. Reg. cap. 4. Unde & quadraginta annis offensus fuit Deus genti Hebræorum Psalm. 94. Et quadragesimæ tempus in sancta Ecclesia eodem dierum numero consecratum est. Per Quinquagenarium, requies designatur apud eumdem B. Gregorium homil. 17. & 19. in Ezechielem: Quia & quinquagesimus annus veteri populo in requiem datus est.

*Ex his* intelligi potest, cur Moyses Altare holocaustorum de quo hic agitur, asperserit septem vicibus; quia scilicet illud consecrabat; consecratio autem fit virtute spiritus septiformis. Nec refert quòd res illæ, utpotè irrationales, sunt incapaces donorum Spiritus Sancti: Satis enim est, quòd illi qui eis ad suam sanctificationem, vel ad exercitium divini cultus utuntur, eorum sint capaces. Ista autem aspersio non est facta neque per aquam, neque per sanguinem, cùm de illis nulla hic fit mentio, sed per oleum de quo manifestè præcedit: Unde in Hebr. & 70. sic legitur. *Aspersit ex illo*, subaudi, *oleo*. Non negamus Altare fuisse aspersum sanguine; id quod Apostolus ad Hebræos 9. loquens de Moyse satis significat his verbis: *Etiam Tabernaculum, & omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit:* Sed dicimus hoc loco non agi de illa aspersione; neque Moyses uspiam videtur eam disertè expressisse. Si quæras, unde igitur Apostolus illam habuerit? Respondeo, quòd ab eo à quo accepit omnia quæ scripsit, idest, à Spiritu Sancto.

[ *Unxit illud, & omnia vasa ejus*, ] Quòd hìc aspersio & unctio recensentur velut diversæ actiones, ita explicari potest. Moyses primùm aspersit Altare oleo, aspersione septies repetita, vaga tamen huc illuc aliquid olei jaciens; deinde, oleo sic disperso linivit Altare: Vasaque seu instrumenta Tabernaculo servientia, ut Arcam, Mensam, Candelabrum, Lebetes, forcipes *&c.* eodem oleo unxit.

[ *Labrumque cum basi sua sanctificavit oleo.* ] Hoc est, à profanis usibus separavit, & sacris deputavit unctione olei. Exprimitur autem labrum cum sua basi, quod extremum erat ac velut infimum vas, ut ex hoc de aliis nullus ambigeret, quin deberent eodem ritu consecrari.

[ ℣. 12. *Quod fundens super caput Aaron, unxit eum, & consecravit:* ] In minorum Sacerdotum consecratione nusquàm exprimitur unctio capitis ipsorum: Et omninò conveniens fuit ut ea soli summo Sacerdoti esset propria, eò quòd ipse reliquorum omnium Sacerdotum caput erat. Verosimilius est ex pleno cornu aut vase fundi solitum fuisse oleum, quam digito, ut quidam Hebraizantes voluerunt, duci consuevisse: Nam illud magis quadrat effusioni, & certum est multo, & copioso oleo eam esse factam, ita ut oleum deflueret super barbam Aaronis, & super oram vestimenti ejus, Psalm. 132. Per eam verò significabatur quòd abundante Spiritus Sancti gratia delibutus & sanctificatus esset summus Pontifex. At quæres, quomodò talis effusio potuit fieri super caput Aaronis, cùm ejus caput esset cinctum Cidari, seu Mitra, ut ex vers. 9. constat? Respondeo alterutro horum modorum rem esse peractam: Vel priùs quàm Cidaris imponeretur capiti, Moyses oleum fudit super illud; quod autem præcedit de Cidaris impositione, per anticipationem positum est, occasione aliorum ornamentorum quibus Aaron induebatur: Vel, post impositam priùs Cidarim cum lamina (ut ungendus & unctione consecrandus Pontifex, omnibus ornamentis Pontificiis vestitus conspiceretur) cum erat ungendus, deposita fuit Cidaris.

[ ℣. 13. *Filios quoque ejus oblatos vestivit tunicis lineis, & cinxit balteis: Imposuitque mitras, ut jusserat Dominus.* ] Nimirùm Exod. 28. vers. 40. & 41. & cap. 29. vers. 8. & 9. Sollicitus autem fuit Moyses Domini jussionem sæpiùs repetere, tum ut ostenderet quàm exactè curaverit eam exequi; tum ut exemplo suo nos admoneret obedientiæ erga Deum, quam tantò magis præstare debent, hi qui aliis præsunt, quantò sunt Deo propiores, secundùm potestatem quam habent; & quantò magis cupiunt à subditis obedire mandatis quæ proponunt. Per hoc quòd filii Aaron dicuntur fuisse oblati, indicatur ipsos non se ad sacrum Ministerium ingessisse. Attribuuntur autem Sacerdotibus minoribus tria vestimenta, ipsis & summo Sacerdoti communia, tunica linea, Balteus, & Mitra. Communia quoque illis erant fœminalia, quæ hìc non exprimuntur, sed ex cap. 28. Exodi supponuntur, & iis vestitos illos esse oportebat, priusquàm alias vestes sacras induerent. De unctione etiam manuum ipsorum nihil hìc dicitur; eam tamen adhibitam fuisse diximus ejusdem capitis 28. vers. 41.

[ ℣. 14. *Obtulit & vitulum pro peccato.* ] Quoniam Exod. 29. vers. 36. mandatum fuit quotidiè per septem dies consecrationis offerri vitulum, ita hìc esse factum, licèt non exprimatur, intelligendum est; idque non obscurè significatur sub finem hujus Capitis vers. 18. *Super cujus caput cùm imposuissent Aaron & filii ejus manus suas* eo ritu significantes sua peccata ab ipsis auferri, & quasi cum hostia moriente tolli, pœnamque illis debitam in vitulum transferri, ac ipsum loco eorum occidi.

[ ℣. 15. *Immolavit eum:* ] Scilicet Moyses, vitulum. Ipse namque solus fungebatur hìc officio Sacerdotis, ac per consequens ipsemet vitulum in honorem Dei interfecit. Nam neque Aaron, neque ejus filii erant plenè consecrati Sacerdotes.

[ *Hauriens sanguinem*, ] In Hebr. & 70. expresso nomine *Moysi* habetur: *Et sumpsit Moyses sanguinem.*

Et tincto digito, tetigit cornua Altaris per gyrum, sermo est de Altari holocaustorum, juxta quod immolatus, seu mactatus fuerat vitulus: De illo namque accipiendum est quod sequitur, reliquum sanguinem ad fundamenta ejus fusum; & adipem & renunculos super Altare fuisse oblatos. Nec refert quòd superiùs cap. 4. ubi his similia præscribuntur jussum fuerit, ut cornua Altaris Thymiamatis sanguine tingerentur: Est enim non parvum discrimen; cùm ibi de peccato summi Pontificis anteà consecrati, eoque certo & determinato, quod nimirùm per ignorantiam esset commissum, ageretur; hìc autem sermo sit de peccato summi Sacerdotis jam consecrandi, nec de peccato aliquo determinato, sed indefinitè pro peccatis.

[ *Quo* ] Altari videlicet holocaustorum,

[ *Expiato & sanctificato*, ] non est sensus, quòd istud Altare fuerit expiatum ab aliquo peccato anteà commisso: Sed expiatum dicitur, quia per eum ritum erat aptum, seu idoneum redditum ut in eo deinceps expiarentur peccata; sive, ut ibi offerrentur sacrificia expiatoria, & propitiatoria. Dicitur quoque Altare fuisse sanctificatum, quia per illam cæremoniam tinctionis de sanguine, separatum fuit à profanis usibus, & sacrificiis in eo offerendis deputatum, atque ita consecratum. Ipsa quidem olei aspersione & unctione quodammodo fuerat Altare consecratum, & sanctificatum; sed integrè demùm seu completè per illam sanguinis tinctionem.

[ *Fudit reliquum sanguinem ad fundamenta ejus*, ] Nempè *Altaris*, sicut in Hebræo exprimitur. Conferantur quæ de hac effusione ad *basim* diximus Exod. 29. vers. 12.

[ ℣. 16. *Adipem verò qui erat super vitalia, & reticulum jecoris, duosque renunculos cum arvinulis suis*, ] *Arvinulæ* sunt illæ pinguedines quæ cap. 3. dictæ sunt *Arvina*, seu pinguedo dura instar laridi. Videantur quæ de his ibi diximus.

[ *Adolevit super Altare:* ] Nimirùm holocausti. De illo quippe huc usque fuit sermo, & ad sacrificia pro peccato super illud offerenda erat institutum.

[ ℣. 17. *Vitulum cum pelle & carnibus, & fimo, cremans extra Castra*, ] Nomine *vituli*, intelligitur ejus Cadaver præter adipem & ea quæ versu superiore

ſunt expreſſa; & Deo oblata. Rationem talis cremationis expoſuimus Exod. 29. verſ. 14.

[ *Sicut præceperat Dominus*. ] Præter rationes verſu 13. allatas, Moyſes frequenter inculcat præceptum ſibi de iſtis à Deo datum, ut libentiùs admittantur, diligentiùſque cuſtodiantur, & ut abſit ſuſpicio quòd ipſe ex proprio ingenio ea faciat.

[ ℣. 18. *Obtulit & arietem in holocauſtum:* ] Poſt oblatam hoſtiam pro peccato, juxta quod Exod. 29. præceptum fuit pro conſecratione Sacerdotum, nunc deſcribitur Moyſen obtuliſſe arietem in holocauſtum; idque valdè conveniebat. Nam poſt purgationem à peccato, proximum eſt, ut ſacris initiandus totum ſe Deo offerat ad ſacrum miniſterium. De ritibus in iſta oblatione ſervari debitis, conſulere oportet hujus libri cap. 1. & Exod. 29.

[ ℣. 22. *Obtulit & arietem ſecundum*, ] Tertium hoc eſt ſacrificium pro conſecratione Pontificis, & aliorum Sacerdotum, quod illo cap. 29. Exod. diximus eſſe hoſtiam pacificam. Purgatis namque à peccatis, ac Deo in miniſtros oblatis ſatagendum eſt, ut pax ſeu gratia eis impetretur, qua ſuis officiis dignè fungantur, neque ex præſcriptis legibus quidquam prætermittant. Differt porrò hæc hoſtia à duabus præcedentibus non ſolùm quòd prima erat pro peccato, ſecunda holocauſtum, hæc autem pacifica: Sed etiam quòd illæ fuerunt ex toto igni crematæ, hujus verò ſolùm adeps omniſque pinguedo, reticulum jecoris, duo renes, & armus dexter. Deinde, cum illis nulla fuit immolatio ex farina & panibus, ſicut cum iſta: Et in illis carnes ſuper Altare cremandæ, ponebantur immediatè ſuper illud; hìc autem ſuper manus Aaron, & filiorum ejus, ac demùm poſteà ſuper Altare.

[ ℣. 27. *Tradens ſimul omnia Aaron & filiis ejus*. ] Ponendo videlicet ſuper manus eorum, ut illis ſuas ſupponeret, ac omnia cum eis elevaret verſus Altare holocauſtorum.

[ ℣. 28. *Adolevit ſuper Altare holocauſti* , ] Ipſe Moyſes qui Sacerdotis officio fungebatur, omnia illa, panes azymos, collyridos, lagana, & armum arietis dextrum cremavit ſuper Altare.

[ *Eo quod conſecrationis eſſet oblatio*, ] Seu hoſtia pacifica pro beneficio conſecrationis Sacerdotum. Quod proptereà additur; quia extra hunc caſum in hoſtiis pacificorum non comburebatur armus dexter, ſed cedebat Sacerdoti ſacrificanti, ſupra cap. 7. verſ. 32.

[ ℣. 30. *Aſſumenſque unguentum & ſanguinem qui erat in Altari*, ] Nomine unguenti, intelligitur oleum ſacrum, ſeu oleum unctionis, de quo priùs actum eſt. Cui oleo admiſcebatur aliquid ſanguinis qui in vaſe exceptus in eo ſervabatur ad uſum conſecrationi Sacerdotali neceſſarium.

[ *Aſperſit ſuper Aaron & veſtimenta ejus, & ſuper filios illius ac veſtes eorum*. ] Hoc eſt, ſuper illos ſacris veſtibus indutos. Veriſimile eſt aſperſionem hanc fuiſſe factam, ſine ullo reſpectu ad membra certa ſeu determinata, cùm neque fuerit effuſio, neque ulla membra præſcripta ſint, ſicut priùs.

*Porro*, quemadmodum veſtes ſunt typus humanarum actionum unde Chriſtum induere dicimur, quando ſecundùm illum actiones ſanctas operamur; ita hujus olei & ſanguinis aſperſione ſignificabatur quòd per merita ſanguinis Chriſti, & per oleum ſeu gratiam Spiritus Sancti ſanctificari oporteat eos qui ſacris miniſteriis deputantur.

[ ℣. 31. *Cumque ſanctificaſſet eos in veſtitu ſuo*, ] Poſtquàm Moyſes Aaronem & filios ejus iſto ultimo ritu aſperſionis ſuper eos, ac veſtes eorum, conſecraſſet in Sacerdotes.

[ *Præcepit eis dicens: Coquite carnes* ] Hoſtiæ nimirùm pacificæ; & ſermo eſt de carnibus quæ ſupererant, demptis adipibus, reticulo jecoris, duobus renibus, & armo dextro crematis, ac pectuſculo quod ceſſerat in partem Moyſi. Ignis porrò ad has carnes coquendas adhibitus, non fuit ignis ſacer; uti nec is quo Moyſes fuit uſus pro ſacrificiis tota ſeptimana conſecrationis Sacerdotum, cùm necdum eſſet à Deo datus, ſed fuit ignis communis ſeu uſualis. Poſtquàm verò habuerunt ignem ſacrum, non alio, quàm eo, licebat uti ad ſacrificia adolenda. At ad coquendas carnes quibus veſcerentur in Atrio Tabernaculi; quibuſdam veriſimile eſt quòd ignem profanum acciperent, ſicut etiam accipiebant vaſa non ſacra in quibus illæ coquerentur; quia talis coctio erat ad communem refectionem ſumendam. Dixit autem Moyſes Aaroni & filiis ejus iſta, *Coquite &c.* poſt peractam primæ diei conſecrationem.

[ *Ante fores Tabernaculi*, ] extra ſcilicet Tabernaculum, in ejus atrio ubi erant Exedræ ſeu cubicula ad uſum Sacerdotum opportuna.

[ *Et ibi comedite* ] non enim licebat foras efferre, vel durante ſeptem dierum numero inde exire. Carnes porrò illas edere debebant cum panibus ſacris; unde ſequitur.

[ *Panes quoque conſecrationis* ] ſeu conſecratos & Deo oblatos, [ *edite* ] in Hebræo non hìc exprimitur, *edite*, ſed ſubauditur ex præcedentibus.

[ ℣. 32. *Quidquid autem reliquum fuerit de carne & panibus, ignis abſumet*. ] Non exprimit hìc Moyſes à quo die nihil deberet eſſe reliquum; utrùm à primo, an ab ultimo die conſecrationis, an ab aliquo intermedio: Sed ex cap. præcedente ubi de hoſtia huic ſimili dicitur; *Cujus carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam uſque manè*, promptum eſt intelligere de quovis die in quo iſta pacifica hoſtia pro Sacerdotum conſecratione immolabatur; ita ut quidquid ab eo die reliquum eſſet uſque mane diei ſequentis, deberet abſumi igne: Non tamen ſacro qui erat ſuper Altare, cùm iſtæ reliquiæ non deſervirent ſacrificio, ſed communi & vulgari qualem Sacerdotes habebant intra atrium ad ſuos uſus.

[ ℣. 33. *De oſtio quoque Tabernaculi non exibitis ſeptem diebus*, ] Per illud oſtium intelligitur introitus atrii, per quem ſcilicet intrabant in atrium; & ex atrio patebat exitus: Adeò ut ſignificetur quòd Aaron & ejus filii totis ſeptem diebus ſuæ conſecrationis non poſſent exire de atrio, ne ad actus profanos diſtraherentur. Lyranus, Hugo Cardinalis, & alii interpretes quæſtionem movent de requiſitis naturæ: Et Reſpondent, aut eam ob cauſam exire potuiſſe, cum neceſſitas legem non patiatur; aut intra atrium quædam fuiſſe loca ſecreta in ejuſmodi uſum.

[ *Uſque ad diem quo complebitur tempus conſecrationis veſtræ*. ] Ac per conſequens uſque ad diem ſeptimum incluſivè.

[ *Septem enim diebus finitur conſecratio:* ] In quorum unoquoque iterare oportebat omnes ritus conſecrationis qui obſervati fuerant primo die, ſicut Exodi 29. diximus; etiamſi quidam velint tantùm iterari debuiſſe oblationes & ſacrificia: Sed eis adverſari videtur, quòd Hebræa ſic in præſenti habent. *Septem diebus complebit, ſeu conſecrabit manum veſtram*, ſcilicet Moyſes, cui Deus Exod. 29. dixerat: *Septem diebus conſecrabis manus eorum*, oleo ſcilicet unctionis; ex quibus iteratam fuiſſe manuum unctionem haud obſcurè colligitur.

[ ℣. 34. *Sicut & impræſentiarum factum eſt*, ] q. d. ſeptem diebus eadem ſacrificia, eædem unctiones & aſperſiones, iidemque ritus conſecrationis fient, ſicut hodiè factum eſt.

[ *Ut ritus ſacrificii compleretur*. ] Sive, ut tota ratio expiationis & conſecrationis à Deo præſcripta compleretur per hujuſcemodi ſacrificia. In Hebr. & 70. habetur: *Præcepit Dominus ad faciendum*, hoc eſt, ut faceretis, *ad expiandum*, ſeu propitiandum, *ſuper vos*, aut pro vobis.

[ ℣. 35. *Die ac nocte*, ] ſeptem videlicet dierum conſecrationis.

[ *Manebitis in Tabernaculo* ] Tabernaculum ſumitur generaliter, prout etiam complectitur atrium: Non enim oportebat quòd in ipſo Tabernaculo manerent, ſed ſatis erat quòd in ejus atrio, quòdque non egrederentur oſtium Tabernaculi: Unde tam ex Hebræo, quàm ex 70. alii reddunt: *Ad oſtium Tabernaculi*.

[ *Obſervantes cuſtodias Domini*, ] ideſt ea quæ Deus illis præcepit ut cuſtodiant, ipſum videlicet Tabernaculum, & ea quæ in illo erant. Jubentur ergo more cuſtodum totis illis diebus manere in atrio, non ita tamen ut ſomnus eis vetaretur.

[ ℣. 36. *Feceruntque Aaron & filii ejus cuncta quæ locutus eſt Dominus per manum Moyſi*. ] Hoc eſt, per

mini-

ministerium Moysi, atque adeò per ipsum Moysen. Cùm enim manus sit Organum organorum, frequens est, id dici factum vel dictum *per manum alicujus*, quod *per ejus ministerium*, seu *per ipsum* fit vel dicitur. Eodemque modo explicandum est quod subinde legitur Deus esse locutus in *manu Prophetarum:* Sive enim dicatur *in manu*, sive *per manum*, idem est.

## CAPUT IX.

*Primitiis sacrificiorum pro Sacerdote ac populo Deo redditis, Aaron populo benedixit, gloria Domini apparuit, ignisque holocaustum devoravit.*

[ ℣. 1. F*Acto autem octavo die*, ] Cùm advenisset dies octavus: Non enim ista phrasis significat diem octavum fuisse perfectum, seu completum, sed inchoatum dumtaxat, & jam advenisse, sicut Matth. 27. legimus, *Facto mane:* Et sicut solemus dicere fieri diem, pro eo quod est dilucescere. Hic dies octavus est is qui immediatè succedebat septem diebus consecrationis Aaron & filiorum ejus: Eratque etiam octavus primi mensis, anni secundi egressionis de Ægypto. Cœpta siquidem fuit illis consecratio prima die mensis primi istius anni, & per septem dies duravit, quemadmodum superiori Capite diximus.

[ *Vocavit Moyses Aaron & filios ejus*, ] Expleto spatio septem dierum consecrationis; aut jam è tabernaculo, seu ejus atrio egressos, aut potiùs cùm adhuc essent intra illud; erat enim manè nec refert quòd juxta hunc sensum Aaron & ejus filii non aberant à Moyse. Nam vocari etiam dicitur is qui non abest à vocante, quando aliquid novi est ei significandum; præsertim si colloquium quod cum eo habebatur, fuit intermissum.

[ *Ac majores natu Israel*, ] Vocationis causa fuit, ut novelli Sacerdotes, sua quam acceperant Sacerdotali potestate statim uterentur, suasque primitias celebrarent; utque seniores & honoratiores sua præsentia celebritatem illam, quæ magna erat, honorarent. Quamvis autem soli nominentur majores natu, verisimile tamen est, ipsorum opera turbas fuisse convocatas, ut interessent sacrificio quod pro illis erat offerendum, atque ut primam novi Pontificis benedictionem acciperent. Unde ipsas interfuisse, indicant ea verba versus 5. *Cùm omnis multitudo astaret*, itemque illa versus ult. *Quod cùm vidissent Turba, laudaverunt Dominum.*

[ *Dixitque ad Aaron:* ] Non ad majores natu quos vocaverat; quia id quod immediatè sequitur ad eos non pertinebat: Nempè sacrificium quod Aaron erat pro se oblaturus. Et quamvis etiam vocasset filios Aaron, ad solum tamen Aaronem dixit; quia ipse erat caput filiorum, & summus Sacerdos, qui & pro se, & præcipuè, debebat offerre sacrificia.

[ ℣. 2. *Tolle de armento vitulum pro peccato*, ] Tuo videlicet, quemadmodum versibus 7. & 8. exprimitur. Neque refert totis septem diebus præcedentibus oblata fuisse sacrificia pro peccatis Sacerdotum. Primò, quia oportebat Aaronem jam summum Sacerdotem factum eadem facere quæ viderat à Moyse fieri. Secundò, quia laudabile est de iisdem peccatis sæpiùs dolere, ac satisfacere; etiam nunc quando habemus Sacramenta quæ ex opere operato vim habent: Quantò magis in veteri lege, ubi nihil fiebat quod ejusmodi valorem haberet. Tertiò, quia tanta est humana infirmitas, ut homines etiam justi quotidiè peccent. Quartò, quia per hunc modum agendi, docere voluit Deus neminem sibi certò persuadere debere quòd peccata sua sint sibi remissa, aut ita remissa, ut nihil pœnæ luendæ restet. Hostiam porrò pro peccato Pontificis, qualis nunc erat Aaron, fuisse vitulum, cap. 4. habetur, cui jubetur hic addere arietem pro holocausto, sicut Moyses cap. 8. fecerat.

[ *Et offer illos coram Domino.* ] Tu ipse, cùm sis Pontifex, illos sacrifica; & quidem *coram Domino*, seu juxta Altare holocaustorum, ac super illud: Hostia enim propè Altare mactari debebat, & quæ cremanda erant in honorem Dei, in eo adoleri debebant.

[ ℣. 3. *Et ad filios Israel loqueris: Tollite hircum pro peccato*, ] *Tollite*, hoc est, *accipite & adferte*, vel *adducite*. Quæri potest, quare jubet afferri hircum, cùm hæc oblatio esset pro peccato populi seu multitudinis; cap. autem 4. pro peccato multitudinis præscriptum fuerit offerri vitulum? Respondeo offerendum fuisse vitulum, quando fiebat sacrificium pro aliquo peccato multitudinis certo, seu determinato, sicut cap. 4. fuit jussum: Debuisse autem offerri hircum, quando offerebatur pro peccato multitudinis indeterminatè seu in communi. Quod ex Numer. 15. posset opponi, paucis diluimus cap. 4. vers. 14.

[ *Et vitulum atque agnum anniculos*, ] ita legendum cum Hebræis Codicibus, ut significetur quòd tam vitulus quàm Agnus deberet esse anniculus, idest, annum ætatis non excedens.

[ *Et sine macula*, ] Seu sine vitio corporis; sive interim haberet maculas diversi coloris in vellere, sive non.

[ ℣. 4. *Bovem & arietem pro pacificis:* ] Ut offerantur hostiæ pacificæ.

[ *Et immolate eos coram Domino*, ] Quoniam Laici non poterant per seipsos sacrificare, seu hostias immolare, horum verborum sensus esse debet: Immolate eos per ministerium ejus cujus est sacrificare, hoc est, per meipsum.

[ *In sacrificio singulorum similam conspersam oleo offerentes.* ] Cum quavis ex hostiis jam dictis offerentes similam oleo conspersam: Significatur enim quòd singulas prædictas hostias deberent offerre cum suis libamentis, quæ nimirùm exprimuntur Numer. 15. etsi enim solùm hic mentio fiat de simila, reliqua tamen pariter esse intelligenda ex versu 17. patet.

[ *Hodiè enim Dominus apparebit vobis.* ] Suam præsentiam vobis manifestabit, ignem videlicet cœlitus in sacrificia mittendo, prout sub finem capitis narratur contigisse. Id quod propterea prædici oportuit, ne quis, quando contingeret, naturali causæ, ac impressioni metereologicæ ascriberet.

[ ℣. 5. *Tulerunt ergo cuncta quæ jusserat Moyses* ] tum per se immediatè Aaroni & ejus filiis; tum per Aaronem, populo:

[ *Ad ostium Tabernaculi:* ] Extra tamen Tabernaculum.

[ *Ubi cùm omnis multitudo astaret*, ] Seu præsens esset: Non enim ea phrasis tam significat situm, quàm præsentiam; nec necesse est quòd omnes interessent stantes.

[ ℣. 6. *Ait Moyses:* ] Locutus fuit Aaron illa quæ Moyses versu 3. & 4. ei mandaverat. Decuit autem quòd Moyses etiam loqueretur post ipsum, ut iis quæ Aaron dixerat, authoritas accederet; atque ut Aaron, qui hactenus non fuerat ad populum locutus, non videretur ex proprio ingenio annunciasse ea quæ dixit, & ita velle aut dominium usurpare, aut lucrum quærere.

[ *Iste est sermo quem præcepit Dominus:* ] *Sermo* ponitur pro *re* quæ sermone dicitur, sicut frequenter aliàs.

[ *Facite*, ] omnia quæ jussit, & quæ jam sunt vobis exposita,

[ *Et apparebit vobis gloria ejus.* ] Per ignem scilicet, quem modo extraordinario mittet. Id quod Moyses hic repetit, partim ut sic populum hortetur ad alacriter perficiendum quæ dicta erant de sacrificiis; partim ut confirmet promissionem apparitionis per Aaron factam vers. 4. sicque ostendat ea quæ Aaron dixit ex Dei voluntate esse profecta.

[ ℣. 7. *Et dixit ad Aaron: Accede ad Altare*, ] Scilicet holocaustorum.

[ *Et immola pro peccato tuo:* ] Hebr. *Fac peccatum tuum;* idest, hostiam pro peccato tuo sacrifica, nempè vitulum de quo versu 2.

[ *Offer holocaustum*, ] de ariete videlicet, cujus ibidem facta est mentio.

[ *Et deprecare pro te & pro populo.* ] Commune hoc est omni Sacerdoti, non tantùm veteris, sed etiam novi Testamenti, ut sacrificaturus primò deprecetur Deum pro se suisque delictis; deinde pro populo, populique peccatis. Unde Apostolus non solùm ad Hebræos 5. dicit de omni Pontifice ex hominibus assumpto, quòd circumdatus est infirmitate, & proptereà debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis: Sed insuper cap. 7. docet

docet quoslibet Sacerdotes habere necessitatem priùs pro suis delictis hostias offerendi, deinde pro populi. Ecclesiastica quoque, eaque laudatissima, consuetudo habet, ut Sacerdos novi Testamenti accedens ad Altare peccata sua confiteatur, priusquàm ad sacrificandum ascendat. Solus autem Christus est talis Sacerdos qui non habet necessitatem priùs pro delictis suis hostias offerre, deinde pro populi, ut qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus 1. Petri 2.

[ *Cùmque mactaveris hostiam populi, ora pro eo,* ] Hostia populi ea est quam populus suo sumptu adduxerat, seu detulerat pro peccato suo immolandam. Et quoniam summus Pontifex Aaron hoc die octavo incipiebat munus Pontificium exercere, hostias populi ipsemet mactavit & sacrificavit. Deinceps verò sacrificia ex hostiis à populo oblatis, aut etiam à personis privatis ordinariè perficiebantur à minoribus Sacerdotibus.

[ ℣. 8. *Statimque Aaron accedens ad Altare,* ] Scilicet holocaustorum, in eo quippe solo immolabantur victimæ.

[ *Immolavit vitulum pro peccato suo:* ] Alii ex Hebræo legunt, *Et mactavit vitulum*, nec malè, quoniam victimæ immolabantur eas mactando in Dei honorem, eratque ipse Sacerdos actu sacrificans cui manu propria illas jugulabat, aut aliter mactabat, etsi fortasse aliquis alius minister eas feriret, quando erant ferociores, ut esset adjutorio sacrificanti. Cæterùm, quamvis Aaron pro suo præsertim peccato, sicut jussus fuerat, immolaret; simul tamen pro peccatis quoque filiorum suorum immolavit.

[ ℣. 9. *Cujus sanguinem obtulerunt ei filii sui:* ] Sanguis vituli fuit aliquo vase exceptus, quem deinde filii Aaron, sicut minores Sacerdotes summo Pontifici subservientes, ex proprio suo munere obtulerunt Aaron.

[ *In quo tingens digitum, tetigit cornua Altaris,* ] Nempè holocausti.

[ *Et fudit residuum ad basim ejus.* ] Quoniam nullus umquam sanguis fundebatur ad basim Altaris Thymiamatis, etsi super ejus cornua interdum poneretur de sanguine hostiæ, consequens est sermonem esse de basi Altaris holocausti.

De versibus 10. & 11. videantur quæ diximus cap. 3. vers. 3. cum sequenti, & cap. 4. vers. 8. & aliquot seqq. Itemque cap. 8. à vers. 16. Notandum tamen id quod hìc dicitur, *Adolevit super Altare*, non necesse esse ita accipi, quasi jam tunc ea super Altare incenderit vel cremaverit, cùm ex fine capitis habeamus, quòd ista (ut & sequentes victimas) postea consumpserit ignis à Deo missus: Sed juxta Hugonem Cardinalem & plures alios potest esse sensus, quòd ista adolenda & cremanda super Altare disposuerit: Quamvis non desunt qui ea sacrificia velint fuisse cremata igne communi quo usus fuit Moyses, ac posteà demùm ignem à Deo missum alias hostias consumpsisse.

[ ℣. 12. *Immolavit & holocausti victimam:* ] Arietem scilicet. Non exprimitur manus super caput hostiæ fuisse impositas ab Aaron & filiis ejus: Quia tamen iste ritus cap. 1. fuit præceptus, & cap. 8. à Moyse servatus, non dubium est hìc servatum fuisse: Certum quippe est omnes cæremonias à Moyse servatas Aaronem diligenter servasse.

[ ℣. 13. *Quæ omnia super Altare cremavit igni,* ] Vel profano, secundùm quosdam, eodem scilicet illo quo fuerat usus Moyses: Vel, si sacro, sensus est, quòd jam super Altare posuerit postmodum cremanda.

[ ℣. 15. *Et pro peccato populi offerens mactavit hircum,* ] prout vers. 3. fuit ei præceptum.

[ *Expiatoque Altari,* ] Id quod dupliciter exponitur. Uno modo, Altare fuisse expiatum crematione adipis & renunculorum super illud, tinctione sanguinis super ipsius cornua, & effusione residui ad basim ejus. Alio modo, ut Altare censeatur dici expiatum, quatenus expiatio facta est in Altari, aut super Altare, intelligendo expiationem peccatorum, sive hominum à peccatis.

[ ℣. 16. *Fecit holocaustum,* ] *Facere* pro *sacrificare* non infrequenter sumitur. Aaron ergo hìc dicitur fecisse holocaustum, vel quia illud jam obtulit, igne communi hostiam cremante; vel quia carnes holocausti super Altare cremandas aptavit.

[ ℣. 17. *Addens in sacrificio libamenta, quæ pariter offeruntur,* ] q. d. quòd non solùm obtulit carnes holocausti, sed etiam sacrificium *Mincha*, seu de simila cum suis libamentis, vini videlicet ac olei, de quibus Numer. 15. Quæ lex, quamvis ibi referatur, posteriùs scilicet iis quæ hìc dicuntur, anteà tamen lata fuit.

[ *Absque ceremoniis holocausti matutini.* ] In Hebræo, *Præter holocaustum matutinum*. Hoc est, absque eo quòd omitteretur vel impediretur holocaustum matutinum cum omnibus suis ritibus; idemque judicium est de vespertino. Cùm enim Aaron eo die inciperet fungi officio Sacerdotis, non debuit omittere juge sacrificium quod quotidiè offerendum erat manè ante omnia alia sacrificia, & vesperè post reliqua omnia.

[ ℣. 19. & 20. *Adipem &c.* ] Posuerunt super pectora, non sua, sed victimarum occisarum. De quolibet animali pacifico sumpserunt pectusculum, quod in jus Sacerdotum cedebat, & super illa pectuscula seu pectora posuerunt adipes animalium immolatorum, eaque omnia in manibus alicujus Principis populi juxta mandatum cap. 7. vers. 30. descriptum, posita elevaverunt, & Deo obtulerunt; ac posteà solos adipes cum cauda arietis & renunculis, reticuloque jecoris posuerunt super Altare ut cremarentur; in usum Aaronis & filiorum ejus reservatis pectusculis & armis dextris. Si quæras, quare adipes cremandi ponerentur super pectora quæ non erant cremanda? Respondet Hugo Cardinalis, quòd adipes erant para Domini, & pectora pars Sacerdotis, ideòque adipes superponebantur pectoribus sicut pars dignior minùs dignæ.

[ ℣. 22. *Et extendens manus ad populum, benedixit ei.* ] Notant Oleaster & Marziila quòd Judæi consueverunt filios benedicere, elevando manum, & ponendo eam apertam super caput benedicendi; eumque ritum colligunt tum ex præsenti versu, ubi Aaron manus suas extendit, ac elevavit versus populum patentibus volis, ait Cajetanus tamquam si imponeret manus supra populum: Tum ex Genes. 48. ubi Jacob benedicturus Ephraim & Manassen; extendit manus suas super capita eorum. Hæc autem benedictio Aaronia fuit bona precatio istis verbis facta: *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad Te, & det Tibi pacem.* Numer. enim cap. 6. ea benedictionis forma legitur esse præscripta. Causa porrò benedicendi populo fuit; partim quòd tam promptè illuc convenisset, tamque liberaliter indictas hostias aliaque ad sacrificium necessaria detulisset; partim ut tamquam Pontifex hoc ederet signum acceptæ potestatis in subditos, quia minor à majore benedicitur.

[ *Sicque completis hostiis pro peccato, & holocaustis, & pacificis,* ] Completæ dicuntur istæ hostiæ, quia erant mactatæ, & super Altare positæ, nihilque restabat, nisi quòd cremarentur igne qui cælitùs expectabatur; quamvis aliqui velint, ut supradictum est, etiam fuisse crematas, igne scilicet communi.

[ *Descendit.* ] Nempe Aaron qui ad Altare holocausti sacrificaverat. Descendit autem, non quòd essent gradus per quos ascenderetur ad Altare, & descenderetur ex illo, qui gradus leguntur Exod. 20. fuisse prohibiti: Sed quoniam erat continua quædam planities paulatim se attollens altiùs quàm erat locus populi inferiùs consistentis.

[ ℣. 23. *Ingressi autem Moyses & Aaron in Tabernaculum Testimonii,* ] Postquam ex Altari descenderat Aaron, ipse una cum Moyse rediit, & ingressus est locum qui dicitur *Sancta*, ut ibi Deum deprecarentur pro manifestatione suæ gloriæ. Etsi enim certi essent Deum ita facturum, sicut promiserat; nihilominùs rectè id petierunt: Ea enim quæ Deus statuit, imò promisit facere, interdum non vult facere, nisi intervenientibus precibus quas præscit, ac præordinat esse futuras. Unde certitudo effectus eventuri nequaquam impedit orationem quæ pro ejus impetratione fiat. Nam & Christum Dominum orasse pro sui clarificatione, ac pro suis electis constat, quamvis esset de effectu eventuro certissimus. Hujus ingressus in Tabernaculum, causam

cauſam iſtam alii aſſignant, ut Moyſes Aaronem inſtrueret quomodò incenſum eſſet adolendum ſuper Altare Thymiamatis quod erat in *Sancta*: Cujus tamen cauſæ fundamentum Scriptura nullum ſuppeditat, cùm neque hic neque alibi ſignificet ſacrificium Thymiamatis fuiſſe hoc tempore peractum, & Moyſes alio tempore potuerit Aaronem de modo incenſi offerendi inſtruere. Priorem verò rationem ſatis clarè inſinuat 2. Machab. 2. dicens: *Moyſes orabat ad Dominum, & deſcendit ignis de cœlo, & conſumpſit holocauſtum*: Quod enim aſſeritus de Moyſe, non negatur de Aarone.

[ *Et deinceps egreſſi benedixerunt populo.* ] Benè ipſi precati ſunt, ac verba quæ ſolus Aaron verſu 22. pronunciavit, ambo pronunciaverunt, unus ſcilicet poſt alterum, Aarone, ſicut priùs, dicente: *Benedicat tibi Deus &c.* Moyſe autem mox id approbante & confirmante.

[ *Apparuitque gloria Domini omni multitudini.* ] Quando Deus eximium & inuſitatum aliquod opus edit, dicitur apparere, vel manifeſtare gloria Domini; quia per illud ejus gloria, ſeu glorioſa præſentia, potentia, & providentia agnoſcitur. Unde Exod. 16. *Manè videbitis gloriam Domini*. Numer. 16. *Apparuit cunctis gloria Domini*, & cap. 20. *Apparuit gloria Domini ſuper eos*. In præſenti ergo dicitur *apparuiſſe gloria Domini omni multitudini*, quia ignis valdè mirabiliter à Deo fuit miſſus, idque vidit tota multitudo.

[ ℣. 24. *Et ecce, egreſſus ignis à Domino*, ] hoc eſt, repentè, & nullo homine excitante, ignis de cœlo, aereo nimirum miſſus.

[ *Devoravit holocauſtum, & adipes qui erant ſuper Altare*, ] Conſumpſit quidquid ſacrificiorum erat ſuper Altare impoſitum. Ita facere voluit Deus, tum ut ordinem Sacerdotalem à ſe jam inſtitutum legeſque de ſacrificiis datas comprobaret; tum ut hæc ſacrificia ſibi grata eſſe oſtenderet, populique reverentiam erga Sacerdotes & ſacrificia accenderet. Sic Davidis ſacrificium ſibi acceptum eſſe, igne de cœlo miſſo Deus probavit 1. Paralip. 21. & Salomonis 2. Paralip. 7. & Eliæ 3. Reg. 18. Si dicas hinc ſequi noſtra ſacrificia non eſſe Deo grata, quandoquidem ſuper illa non deſcendat ignis de cœlo, Reſpondeo id non ſequi, cum ſit argumentum ab oppoſito antecedentis ad oppoſitum conſequentis; cùmque ille modus approbandi oblationem ſacrificii, qui eſt per ignem cœlitùs miſſum, non ſit ſolus, ſed alii ſint ſacrificio novæ Legis convenientes: Veluti Inſtitutio & juſſio Chriſti ut Sacerdotes ſacrificium offerant in ejus commemorationem, promiſſio remiſſionis peccatorum, aliorumque effectuum, præſertim ſpiritualium, de quibus Matth. 26. Luc. 22. 1. ad Cor. 11. ut latè oſtendimus 3. p. q. 83.

[ *Quod cùm vidiſſent Turbæ, laudaverunt Dominum, ruentes in facies ſuas.* ] Ob reverentiam immenſæ bonitatis, & potentiæ Divinæ tam admirabili ſigno approbantis, & grata ſibi eſſe manifeſtantis oblata per Aaronem ſacrificia. Caſus in terram cauſa eſt aliquando terror, ut Danielis 8. verſ. 17. Aliàs autem, reverentia, ut Geneſ. 17. *Cecidit Abraham in faciem ſuam*, & hic in propoſito. Cùm enim eſſent præmoniti de gloria Dei ſibi manifeſtanda, nec ullum ex ea manifeſtatione malum timerent, non videntur in terram ruiſſe ex timore, ſed ex reverentia. Ita, cùm Spiritus Sanctus in linguis igneis ſuper Apoſtolos deſcendit Actor. 2. ſtatim eruperunt in laudes Dei. Et cùm ignis divinæ charitatis in nos venit, Deum laudare debemus.

## CAPUT X.

*Igne Nadab & Abiu conſumpti planguntur à populo, non à Sacerdotibus: Vino autem Sacerdotibus interdicto, præcipitur ut reſiduum oblationis comedant.*

[ ℣. 1. *Arreptiſque Nadab & Abiu filii Aaron Thuribulis*, ] Completis die octavo conſecrationis Sacerdotum ſacrificiis quæ Aaron primitias ſuas celebrans obtulerat, victimiſque igne cœlitus miſſo conſumptis; duo filii Aaron natu majores, *Nadab*, & *Abiu*, ſive in gratiarum actionem pro hoſtiis tali modo repentè conſumptis, ſive quòd incenſum veſpertinum adolere vellent, acceperunt Thuribula ad Altare holocauſtorum ſuſpenſa, ut ſuper illis deferrent ignem, & incenſum adolendum in Altari Thymiamatis, quod erat intra locum qui vocatur *Sancta*. Confer quæ diximus Exod. 30. ad verſ. 31. In eo quòd dicitur, *Arreptis*, non ineſt illa vis quam aliqui faciunt, quaſi ſignificetur quòd cum impetu & præcipitanter Thuribula acceperint. Verbum enim Hebræum non plus importat quàm accipere vel ſumere: Perindeque eſt, ac ſi diceretur: *Et accipientes &c.* Quando autem hoc contigerit, etſi non certa, multorum tamen probabilis ſententia habet quòd ipſo die octavo conſecrationis.

[ *Poſuerunt ignem & incenſum deſuper*, ] Seu ſuper ignem, unuſquiſque ſcilicet in ſuo Thuribulo. Incenſum porrò illud intelligendum eſt quod Exod. 30. verſ. 34. juſſum eſt fieri ex ſtacte, onice, galbano, & thure lucidiſſimo.

[ *Offerentes coram Domino ignem alienum*: ] Hoc eſt, aliunde quàm ex Altari holocauſtorum deſumptum, ideoque profanum. Acceperunt nempè ignem qui in exedris ſeu cubiculis ſervabatur ad cibos ſeptem diebus conſecrationis coquendos. Quoniam verò ignis non eſt per ſe materia oblationis: Ideò cùm dicuntur obtuliſſe ignem alienum, ſenſus eſt, quòd obtulerint incenſum in igne alieno. Si quæras, unde acciderit quòd non acceperint ignem de Altari holocauſtorum: Reſpondeo id accidiſſe per oblivionem ſeu incogitantiam, & per turbationem qua tanta rei novitate fuerunt percuſſi, necnon per inexperientiam: Quomodò etiam nunc novi Sacerdotes ſæpius impingunt in ritus ſacrificii quos non ſatis ſunt experti. Alii addunt ipſos vino, ſi non ebrios, ſaltem fuiſſe temulentos, quibus favet S. Petrus Chryſologus Serm. 26. Idque non improbabiliter colligunt ex eo quòd ſtatim poſt hanc cladem ſubjungitur præceptum de abſtinentia vini, quamdiù Sacerdotes Altari miniſtrabant.

[ *Quod eis præceptum non erat.* ] Hoc eſt, quod eis prohibitum erat: Minus enim dicitur, & plus intelligitur. Sicut etiam Jeremiæ 32. ubi Deus improperans populo quòd ædificaſſent excelſa Baal, & filios ſuos initiaſſent Moloch, addit; *Quod non mandavi eis*, id eſt, de quo mandavi ut non facerent. Falluntur ergo hæretici dum ex hoc loco contendunt omnia quæ præcepta non ſunt, eſſe illicita, quorum error apertiſſimè convinci poteſt, tum ex illo Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*; tum ex aliis conſiliis Evangelicis, de quibus 2. 2. q. 184. art. 3. & q. 186. art. 2. cum ſequentibus.

*Quæritur* autem, ubi vel quando Deus prohibuerit Sacerdotibus accipere ignem alienum pro oblatione incenſi. Reſp. Veriſimile eſſe quòd ubi cap. 6. præcepit ignem quo cremandum eſſet holocauſtum, ex ipſo Altari debere eſſe; eumque ſic nutriri oportere, ut in Altari ſemper arderet. Quamvis enim ibi nihil expreſſè dicatur de incenſo, omninò tamen exiſtimandum eſt fuiſſe juſſum ut ad illud adolendum non alio igne, quàm ſacro, ſeu eo qui in Altari ſervabatur, uterentur.

*Myſticè*, ignem alienum offerunt omnes hæretici, dum contempta doctrina Eccleſiæ cœlitus data, privatam quiſque & peregrinam ſectatur. Similiterque omnes illi offerunt ignem alienum, qui aliquod

opus

opus suum, aut operis initium Deo offerunt, quod non totum se à Deo accepisse veraciter & humiliter agnoscont, sicut agnoscebat David 1. Paralip. 29. dicens: *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus dedimus tibi*. Pariterque ex Sancto Cypriano Augustinus 2. Retract. cap. 1. *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est. Sed totam ejus gratia qui cuncta largitus est*, ait Hieron. lib. 4. in Jerem. qua de re plura diximus lib. *de statu hominis post peccatum*, c. 9. Editionis tertiæ.

[ ℣. 2. *Egressusque ignis à Domino*; ] hoc est, divinitùs immissus, sive interim eruperit ex Altari, sive ex rbutibus, sive aliundè.

[ *Devoravit eos*. ] Non quòd in cineres redegerit; Nam nec tunicæ quidem eorum lineæ fuerunt in favillam redactæ, & eorum corpora statim post exportata sunt extra Castra. Sed *devoravit*, idem valet ac *occidit & extinxit*.

[ *Et mortui sunt coram Domino*. ] Id est, in loco sancto; vel coram ostio Tabernaculi; vel in ipso ingressu Tabernaculi: Probabile enim est eos dum ex atrio in ipsum Tabernaculum, seu in *Sancta* ire vellent, percussos fuisse in ipso Tabernaculi introitu priusquàm ad Altare Thymiamatis pervenirent. Utrùm porrò hi duo filii Aaron ab isto incendio temporali transierunt ad æternum, sintque damnati, compertum non habemus: Communior tamen est sententia quæ negat, sive quòd illorum peccatum non fuerit mortale, sive quòd vindictam divinam sentire incipientes, contritionem conceperint. Neque in oppositum facit quòd Deus pœna mortis eos mulctaverit: Cùm enim ipse sit vitæ & mortis Dominus absolutus, etiam peccata venialia morte potest punire: Idque interdum facit, vel ut populus intelligat quanti sit momenti ritè Deum colere, ipsique obedire; vel ut alii sint cautiores, & diligentiores: Vel ut ejusmodi exemplis Majestatem divinam magis revereantur. Sic Prophetam voci Dei inobedientem morte punivit Deus 3. Reg. 13. de quo Augustinus Lib. de cura pro mortuis cap. 7. indicat eum non admodùm graviter peccasse, & docet non ad æternum supplicium esse raptum.

[ ℣. 3. *Dixitque Moyses ad Aaron*: ] Volens eum consolari & monere, quòd divinæ voluntati sit acquiescendum, simulque populum tali morte perterritum erudire.

] *Hoc est quod locutus est Dominus: Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor*. ] Augustinus super Levit. & alii Tractatores post eum, monent ea verba nusquàm in superioribus reperiri dicta vel scripta: Unde consequens est, non omnia quæ Deus Moysi fuit locutus esse scripta, credendumque propterea non tantùm verbo Dei scripto, sed etiam non scripto, seu tradito. Per eos qui appropinquant Deo intelliguntur Sacerdotes qui res sacras tractant, & ingrediuntur ad Altare Dei. Sensus est. Sanctum & sanctitatis amantem me ostendam in Sacerdotibus puniendo ipsorum peccata quibus sanctitatem violant; & in conspectu omnis populi glorificabor: Efficiam ut omnis populus me glorificet, sanctumque ac justum prædicet, cùm videbit me Ministrorum meorum peccata graviter punire.

[ *Quod audiens tacuit Aaron*. ] 70. *Compunctus est*. Quidam observant verbum Hebræum non tantùm significare silentium, sed etiam perculsionem animi: Ut proinde commendanda sit patientia Aaron, qui tanta filiorum suorum clade perculsus tacuit & patienter sustinuit nihil obmurmurans.

[ ℣. 4. *Vocatis autem Moyses Misaele & Elisaphan filiis Oziel, Patrui Aaron*, ] Aaroni tamquàm Sacerdoti summo non licebat suorum filiorum funeribus operam dare, per legem, infra cap. 21. expressam. Eleazar autem & Ithamar, rem secundùm se considerando, potuissent fratrum suorum funera curare, sed ob recentem illorum consecrationem, ac consecrationis solemnitatem, non conveniebat, & propterea Moyses hoc mandavit eorum cognatis.

[ *Tollite Fratres* ( id est, Cognatos ) *vestros de conspectu sanctuarii*, ] sive de Tabernaculo, ubi corpora eorum jacebant juxta introitum in *Sancta*.

[ *Et asportate extra Castra*. ] Ad locum sepulturæ convenientem, qui solebat esse extra communem hominum habitationem, ut patet de Abraham Genes. 23. De Sepulchris vulgi, 4. Reg. 23. De sepulchro filii Viduæ, Luc. 7. Lazari, Joan. 11. Josephi ab Arimathæa, Joan. 19. Hujus rei ratio una erat, quòd locus ubi hominum cadavera jacebant, habebatur immundus, & ipsa cadavera; ex quorum proinde contactu contrahebant immunditiam.

[ ℣. 5. *Confestimque pergentes, tulerunt eos sicut jacebant*, ] In Heb. non exprimitur *Confestim*, sed interpres expressit, ut obsequii & obedientiæ alacritas significaretur.

[ *Vestitos lineis Tunicis*, ] Hinc benè colligit Cajetanus, quòd nec tunicæ Nadab & Abiu, nec eorum corpora fuerunt in cineres redacta: Alioquin non diceretur quòd tulerunt eos, & quidem vestitos lineis tunicis; aut, ut habent aliæ Editiones, *in tunicis suis*. Ex hoc filiorum Aaron exemplo ortam esse volunt veterem consuetudinem, quæ etiam nunc in Rituali Romano præscribitur, etsi multis in locis non servetur, ut Ministri Altaris cum sui Ministerii vestibus sepeliantur, propter sacri Ordinis dignitatem. Hujus consuetudinis meminit Petrus Comestor in historia Scholastica, qui claruit 1160. & post eum Lyranus hic, Durandus in Rationali Divin. Offic. lib. 7. cap. 35. num. 41.

[ *Et ejecerunt foras*, ] In Hebræo non dicitur *ejecerunt*, sed tantùm *foras extra Castra*. Indicatur celeritas in Cadaveribus è Sanctuario exportandis, ne alioquin Solemnitas nondum absoluta diutiùs turbaretur. Etsi autem verbum *ejiciendi* quandoque contemptum quemdam significet; id tamen non est perpetuum, ut patet ex Actor. 5. *Ita ut in plateas ejicerent* infirmos; ubi *ejicerent*, pro exportarent vel offerrent positum est. Atque ita hoc loco accipi debet.

[ *Ut sibi fuerat imperatum*. ] Alii ex Hebræo, *ut locutus fuit Moyses*. Quæ locutio, quia ab habente authoritatem, & voluntatem imperandi prolata fuerat, idcircò noster interpres rectè vertit, *imperatum*.

[ ℣. 6. *Capita vestra nolite nudare*, ] Apud 70. *Cidari* (vel ut alii, *Cidara*) *non denudabitis*.

[ *Et vestimenta nolite scindere*, ] Prohibetur Aaron ejusque filii superstites edere signa luctus pro morte Nadab & Abiu, jubeturque ne Cidarim quam in capite habebant deponant, neque vestes suas scindant. Quamvis enim tegere caput aliquando fuerit signum luctus & doloris, ut 2. Reg. 15. vers. 30. & cap. 19. vers. 4. Unde & apud nos, qui Defuncti funus proximè comitatur tecto capite procedit: Hoc tamen non semper & ubique fuit, sed interdum ipsa capitis denudatio ad luctum pertinuit, ut infra cap. 21. vers. 10. Maximè verò si conjunctam habeat aspersionem cineris, aut capillorum evulsionem, seu tonsionem. Job 1. 2. Machab. 10. & alibi. Huc pertinet illud B. Augustini quæst. 32. super Levitic. *Sicut in nostra consuetudine quia caput apertum magis habemus, operitur in luctu: Sic quia illi operimento capitis ornabantur, nudandum erat lugentibus*. Ex his porrò non est consequens Nadab & Abiu non fuisse lugendos, sed tantùm quòd non erant lugendi à Patre & Fratribus, idque ob reverentiam recentis eorum consecrationis.

[ *Ne fortè moriamini*, ] Certò morte puniendi erant, si præceptum hoc fuissent transgressi: Dicitur tamen in Editione vulgata, *ne fortè*, vel ut idem valeat, quòd *atque*, vel ad designandum in Deo libertatem arbitrii. Ab Hebræis & Græcis abest vocula *fortè*, solumque ibi habetur, *Et non moriemini*, vel, *ut non moriamini*.

[ *Et super omnem cœtum oriatur indignatio*. ] Ex quo facilè est colligere peccata Sacerdotum esse toti Reipublicæ noxia; eò quòd ipsi sint personæ publicæ: Neque injustum est illis peccantibus totam multitudinem puniri: Sivè quia multitudo vel consentit,

vel

vel saltem non repugnat eorum peccatis sicut deberet: Sivè quia ipsorum exemplo non ita reverenter se habent ad sacra, sicut obligantur. Sive quia Deus tali occasione vult alia populi peccata punire, & per cædem plurium declarare gravitatem peccati Sacerdotum.

[ *Fratres vestri, & omnis domus Israel, plangant incendium quod Dominus suscitavit:* ] Copulativa & neque in Hebræis, neque in Græcis est codicibus. Accipi autem potest exegeticè, perinde ac si diceretur; Fratres vestri, id est, totus populus Israeliticus plangat super incendio quod Deus immisit, ac per consequens super illis qui fuerunt incensi, seu incendio extincti. Decuit namque novos Sacerdotes, cùm pro toto populo essent ad Dei cultum deputati, ab universo populo plangi, sicut Prælatorum & Principum funera, rectè subditi honore prosequuntur.

[ ℣. 7. *Vos autem non egrediemini fores Tabernaculi*, Hoc est, atrii; nam in eo manebant Sacerdotes, & non in Tabernaculo strictè sumpto, quod continebat *Sancta*, & *Sancta Sanctorum*. Sed cùm lapsi jam essent septem dies consecrationis, in quibus præceptum acceperant manendi in Tabernaculo seu in ejus atrio, quomodo nunc jubentur non egredi? Hugo Cardinalis Respondet non simpliciter prohiberi ne egrediantur, sed ut non egrediantur ad plangendum fratres mortuos: Eamque responsionem confirmat ex cap. 21. ubi de summo Sacerdote dicitur, quòd non contaminabitur super Patre & Matre; additurque, *nec egredietur* de Sanctis, scilicet ad lugendum mortuum, ut ipse Glossam secutus exponit. Eademque est expositio Lyrani, & Dionysii Carthus. tum hic tum ad cap. 21. Quibus concordat Abulensis.

[ *Alioquin peribitis: Oleum quippè sanctæ Unctionis est super vos.* ] Quasi diceret. Jam recenter super vos fusum seu aspersum est oleum sacrum; estisque noviter consecrati Sacerdotes: Et ideò propter consecrationis vestræ reverentiam, oportet vos à tam solemnis planctus abstinere. Solus Aaron, tamquàm Summus Sacerdos, fuerat oleo sacræ Unctionis unctus in capite; ejus autem filii fuerant oleo sanguine mixto aspersi, Exod. 29. vers. 21. Imò verisimile est eorum quoque manus oleo isto fuisse unctas, quemadmodum Exod. 28.v.41.diximus.

[ ℣. 8. *Dixit quoque Dominus ad Aaron:* ] Quærunt nonnulli quare Dominus, seu Angelus personam Dei gerens, nunc loquitur immediatè ad Aaron, & non per Moysen, ut aliàs ferè semper? Respondeo verisimilem rationem esse, ut authoritas Pontificia, quæ ob mortem filiorum Aaron videri poterat aliquo modo imminuta, conservaretur; dum Deus ostendebat se non dedignari Aaronem suo alloquio.

[ ℣. 9. *Vinum & omne quod inebriare potest*, ] In Hebræo, & apud 70. legitur: *Vinum, & Siceram*. Per Siceram autem intelligitur omne inebriativum. Scribit namque B. Hieronymus epist. 2. quæ est ad Nepotianum cap. 14. quòd *Sicera Hebræo sermone omnis potio nuncupatur quæ inebriare potest, sive illa quæ frumento conficitur, sive pomorum succo, aut cùm favi decoquuntur in dulcem & barbaram potionem &c.* Rursum in cap. 28. Isa. Siceram esse ait omnem potionem quæ inebriare potest, & statum mentis evertere; sive illa frumento, sive hordeo, sive milio, pomorumque succo, & palmarum fructu, & alio quolibet genere conficiatur.

[ *Non bibetis tu & filii tui, quando intratis in Tabernaculum testimonii*, ] Ex quo patet non simpliciter fuisse prohibitum Sacerdotibus Aaronicis bibere vinum, sed tantùm cùm ingrederentur in Tabernaculum (sub quo Atrium quoque comprehenditur in quo erat Altare holocaustorum) ad ministrandum. Et quoniam non semper unus idemque erat qui ministrabat, sed diversi per diversas vices, ideò qui vices suas expleverat, poterat posteà uti vino. Cæterùm, quænam hujus præcepti ferendi ratio fuerit, incertum est; etsi quidam negent, probabile tamen est occasionem ei dedisse factum Nadab & Abiu, qui vel vino, vel alio quod inebriare poterat plusquàm par erat usi fuerant, priusquàm incensum adolere inciperent: Quare enim alioquin ista Lex abstinentiæ à vino mox ab eorum morte sanciretur? Respondent aliqui eam legem æquè ut multas alias, esse per se positam. At, si ita est: Cur hoc loco post illorum punitionem, & non potiùs ubi aliæ leges quæ ministerium Sacerdotum concernunt; veluti dum jubentur lavare manus ac pedes quando ingrediuntur fores Tabernaculi Exod. 30. data est?

[ *Ne moriamini:* ] Ne Deus ob legem hanc violatam vos interficiat; & si occasione vini aliquid perperam agatis in rebus sacris, idem vobis contingat quod Nadab & Abiu.

[ *Quia præceptum sempiternum est in generationes vestras.* ] Quia præceptum hoc non est ad breve tempus, sed obligat pro toto illo tempore quo Respublica vestra durabit.

*Discant* hinc Sacerdotes novi Testamenti quanta eos temperantia deceat, qui & sacra longè augustiora tractant, & ad ea frequentissimè tractanda parati esse debent.

[ ℣. 10. *Et ut habeatis scientiam discernendi inter Sanctum & profanum*, ] non est sermo de scientia habituali (hanc enim potus vini non tollit) sed de usu scientiæ, seu de scientia actuali, quam vini usus frequenter tollit. Et intelligitur scientia quæ ad sacrorum administrationem necessaria est, qua videlicet Sacerdotes possint actu discernere inter res sanctas, seu divinis usibus deputatas, ac ad illos idoneas, & inter profanas seu immundas, ideòque ad sacros usus inidoneas: In quo errasse noscuntur Nadab & Abiu non discernentes ignem profanum à sacro.

[ *Inter pollutum & mundum*: ] Hominem scilicet, & animal quodlibet aliud: Ne errent in discernendo leprosos, & animalia immolationi inepta.

[ ℣. 11. *Doceatisque filios Israel omnia legitima mea.* ] per ista legitima, quidam sola præcepta cæremonialia accipiunt; nihil tamen vetat cum aliis intelligere omnia præcepta filiis Israel à Deo data; cùm huic explicationi faveant verba Textus.

[ *Quæ locutus est Dominus ad eos per manum* ] id est per ministerium, *Moysi*; officiique Sacerdotum esset de omnibus divinis præceptis plebem instruere, juxta illud Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus.*

[ ℣. 12. *Locutusque est Moyses ad Aaron, & ad Eleazar, & Ithamar, filios ejus qui erant residui:* ] Qui aliis duobus igne extinctis, vivi remanserant. De seipso loquitur Moyses in tertia persona, ut jactantiam vitet, vitandamque doceat, quemadmodùm tradit Hugo Cardinalis.

[ *Tollite sacrificium quod remansit de oblatione Domini*, ] Aaron & ejus filii tardabant (ait Lyranus) comedere hostias propter mortem Nadab & Abiu: Ideò Moyses illos monet ut comedant. Et quoniam per *sacrificium*, in Hebræo est *Mincha*, quod significare solet sacrificium panis & farinæ, plerique intelligunt sermonem hic esse de sacrificio similæ: Perinde ac si diceretur; Accipite quod residuum est similæ, panum & crustularum, de eo quod fuit Deo oblatum & igne incensum: Nam præter partes illas quæ cremabantur super Altare, reliqua cedebant in usum Sacerdotum, ut cap. 2. habetur.

[ *Et comedite illud absque fermento juxta Altare*, ] Nimirum holocausti; hoc est, in aliqua exedra seu domuncula parata in atrio in quo situm erat istud Altare.

[ *Quia Sanctum Sanctorum est.* ] Quia hoc sacrificium est valde Sanctum, ideoque non est offerendum extra locum Sanctum.

[ ℣. 13. *Comedetis autem in loco Sancto:* Idem valet quod prius, *juxta Altare*; sed repetitio fit ad rei sanctitatem magis commendandam,

[ *Quod datum est Tibi & filiis tuis* ] in Hebræo: *Quia statutum tibi, & statutum filiis tuis est:* Sive, quia est potio à Deo statuta seu decreta tibi, & filiis tuis dati.

[ *De*

[ *De oblationibus Domini*, ] Heb. *De ignitionibus Domini:* Id est; de oblationibus Deo factis quarum aliqua saltem pars solet igne consumi.

[ *Sicut praeceptum est mihi* . ] Capite videlicet 2. vers. 3. Frequenter hoc repetitur, ad pondus majoris authoritatis: Et specialiter conveniebat nunc repeti, ne ipsi mœstitia gravati hæsitarent, an non eis imperaretur aliquid quod Deus non jusserat, & præsertim de epulo quod videri posset importunum in tanta occasione luctus.

[ ℣. 13. *Pectusculum quoque quod oblatum est, & armum qui separatus est, edetis in loco mundissimo* ] seu mundo; Nam Hebræi carent superlativis. Locus autem mundus is intelligitur qui omni pollutione & immunditia legali careat. Cur non intelligatur locus sanctus juxta Altare, sicut paulò ante, ratio est, quia de his ( pectusculo & armo ) comedere poterant mulieres, quibus tamen non licebat ingredi in locum sanctum: De illis enim quibus erat licitum vesci istis cibis, sequitur

[ *Tu & filii tui, & filiæ tuæ tecum* . ] Sermonem autem esse de filiabus Sacerdotum quæ erant de ipsorum familia, ea sequenti cap. 22. clarum est. An & uxores Sacerdotum possent edere de pacificis, Scriptura non dicit. Dionys. Carthus. affirmat, ut & plerique alii, post Josephum Lib. 4. Antiquit. cap. 4. sive illæ uxores essent de genere Sacerdotali, sive non; modò essent de familia Sacerdotis: Quod propterea additur; quoniam si uxor Sacerdotis desineret esse de ejus familia, veluti dum ipse moriebatur, vel dum à marito repudiata, nubebat non Sacerdoti; non ampliùs de illis edere poterat. Confer quæ diximus cap. 22. Cæterùm, etsi præter Sacerdotem, tantùm hic exprimantur ejus filii & filiæ, non tamen excluduntur omnes alii, ut isto cap. 22. videbitur.

[ *Tibi enim ac liberis tuis reposita* ] Seu data & à Deo decreta.

[ *Sunt de hostiis salutaribus filiorum Israel* : ] Hoc est de hostiis pacificis quæ offeruntur pro salute impetranda filiis Israel, vel agendo gratias pro impetrata.

[ ℣. 15. *Eò quòd armum, & pectus, & adipes qui cremantur in Altari elevaverunt coram Domino*, ] Quod sit suppositum verbi *elevaverunt*, utrùm *Liberi tui*, an *Filii Israel*, non liquet. Si prius, sensus est: Tibi & Liberis tuis cedunt, armus, & pectusculum, quia ipsi partes illas unà cum adipibus qui in honorem Dei debent cremari super Altare holocaustorum, coram Domino elevaverunt, sicque ei obtulerunt. Si posteriùs, significatur propterea partes istas cedere Aaroni, ejusque filiis; quia filii Israel elevaverunt eas cum adipibus coram Domino: Qua elevatione censendi sunt illas quodam peculiari modo obtulisse, & consecrasse Deo: Ideoque adipes ipsi cedunt dum cremantur in ipsius honorem. Armus autem & pectusculum cedunt eidem in suis Ministris, ad quos seu ad quorum usum Deus voluit ut pertineant, sup. cap. 7. & Exod. 29.

[ ℣. 16. *Inter hæc*, ] Neque in Hebræo, neque apud interpretes 70. reperiuntur ista duo verba, sed sola copulativa & Lorinus à nostro interprete posita esse dicit, ad nexum narrationis.

[ *Hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, cum quæreret Moyses, exustum reperit* : ] Ex c. 6. habemus quòd hostiæ pro peccato, sive Principis, sive cujuspiam privati non deberent totæ comburi, sed earum tantùm adipes; reliquæ autem carnes cedebant in esum Sacerdotibus. Idemque erat de illis hostiis pro peccato populi, quarum sanguis non inferebatur in *Sancta*. Cùm ergo inter varias hostias oblatus fuisset hircus pro peccato, Moyses diligenter quæsivit quid de illo factum esset, & reperit esse combustum, neque superesse ejus carnes quæ juxta legem debebant cedere Sacerdotibus. Quomodò autem acciderit ut totus combureretur, non videtur magnoperè quærendum, cùm in promptu sit existimare, quòd ex dolore, tristitia, & consternatione Sacerdotum, subita fratrum suorum morte perterritorum contigerit, ut non considerarent neque attenderent ad illam hostiam, multò autem minùs cogitarent de epulo ex ejus carnibus instituendo.

[ *Iratusque contra Eleazar & Ithamar filios Aaron, qui remanserant, ait* : ] Hæc ira Moysi est ea quam 2. 2. quæst. 158. art. 1. diximus vocari iram per zelum: Processit enim ex eo quòd cerneret neglectas divini cultus cæremonias, quas ipse, jubente Deo, præscripserat. Non legitur Aaroni fuisse iratus, vel ei aliquid hic dixisse: Partim quia videbat eum de morte filiorum nimis afflictum: Partim quia parcere voluit tum Aaronis ætati, tum Pontificiæ dignitati.

[ ℣. 17. *Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco Sancto*, ] In atrio nimirùm Tabernaculi, seu in domunculis ibi paratis, secundùm ea quæ cap. 6. dicta sunt.

[ *Quæ Sancta Sanctorum est*, ] Quæ hostia est valdè sancta,

[ *Et data vobis ut portetis iniquitatem multitudinis*, ] hoc est, ut iniquitatis ejus remissionem impetrare, Deumque precibus & sacrificiis ei placare satagatis, unde sequitur.

[ *Et rogetis pro ea in conspectu Domini*, ] Sive coram Altari, & in ostio Tabernaculi, ubi Deus peculiari modo esse censebatur.

[ *Præsertim cùm de sanguine illius non sit illatum intra Sancta*, ] In locum scilicet qui dicitur *Sancta*, ad ibi ex eo liniendum Altare Thymiamatis: Hostia enim pro peccato de cujus sanguine non inferebatur in *Sancta*, comedi debebat à Sacerdotibus: Illa autem de cujus sanguine illuc inferebatur, comburenda erat extra Castra, juxta illud ad Heb. 13. *Quorum animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra Castra*, conformiter iis quæ habentur c. 4. & 6. hujus Libri.

[ *Et comedere debueritis eam in Sanctuario*, ] Ita correctum est, *debueritis*, pro eo quod alii Codices habent, *debueratis*. In Heb. legitur: *Comedendo comedetis*; quæ verba futuri temporis interpres reddidit per *debueritis*, quia Hebræi tali verbo utuntur, ut significent id quod fieri vel solet, vel debet.

[ *Sicut præceptum est mihi?* ] Suprà cap. 6.

[ ℣. 19. *Respondit Aaron*: ] Quamvis Moyses Filios Aaronis reprehendisset, & non ipsum Aaronem; tamen Aaron pro illis, & pro se ipso respondet, filiis videlicet responsum decernentibus suo parenti; & quia ipse in sacrificio peragendo Princeps erat, ita ut filii nihil in eo facerent, nisi ipsius jussu vel exemplo.

[ *Oblata est hodie victima pro peccato, & holocaustum Domino: Mihi autem accidit, quod vides.* ] Q. d. Ex parte factum est quod fieri oportuit. Oblatæ fuerunt victimæ tum pro peccato, tum in holocaustum: Sed mihi accidit subita & inopinata filiorum meorum interfectio, quam vides; ex qua sic fui consternatus, ut præ nimio mœrore & perturbatione, nequiverim ad omnes cæremonias advertere, nec considerare, an hircus totus consumeretur, neque remanerent ejus carnes ad vescendum.

[ *Quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in cæremoniis, mente lugubri?* ] Sensus est: Quomodò eam hostiam comedere potui, aut cæremonias & ritus omnes juxta divinum beneplacitum servare mente tam lugubri, ut tristitia me impedierit à consideratione eorum quæ mihi erant facienda.

[ ℣. 20. *Quod cùm audisset Moyses, recepit satisfactionem*. ] Ea excusatione contentus fuit Moyses, intelligens culpam Aaronis fuisse leviorem; & nolens afflicto dare afflictionem, nihil ulterioris reprehensionis adjecit. Aaron modestè respondit Moysi irato: Moyses verò ipsum se excusantem benignè audivit, & excusationi acquievit. Per quæ docemur in primis quòd responsio mollis frangit iram, Proverb. 15. quòdque reprehensiones patienter ferendæ sunt, & excusationes benignè suscipiendæ, quando sunt rationabiles.

## CAPUT XI.

*Animalium mundorum ab immundis separatio, eorumque usus, at sancti sint filii Israel sicut & Dominus.*

[ ℣. 1. L*ocutusque est Dominus ad Moysen & Aaron*, ] ad utrumque jam loquitur Deus: Quoniam quæ hic dicuntur pertinent ad Moysen tamquàm ad Prophetam, & totius populi Principem, ad Aaronem verò tamquàm ad Summum Sacerdotem, cujus est munda discernere ab immundis, ac populum docere. Alia ratio esse potest, ut Deus alloquendo Aaronem simul cum Moyse, ostenderet se cum eo acquiescere excusationi per Aaronem allatæ de hirco non comesto, eademque opera isto familiari colloquio leniret dolorem quem ex filiorum morte Aaron conceperat. Observatione dignum est, quòd cùm isti duo nominantur; semper Moyses priorem locum tenet, præterquàm ubi generationis seu nativitatis ordo refertur: Quia Moyses erat legislator, Princeps, Propheta, Sacerdos & quidem Aarone senior quantùm ad Sacerdotium, etsi non quantùm ad ætatem. Quale quid in Evangeliis observare est erga Petrum & alios Apostolos: Semper enim ipse primus nominatur, ad primatum ejus inter eos, atque in Ecclesia universa commendandum.

[ ℣. 2. *Dicite filiis Israel*: ] In Lyrani, Dionysii Carthusiani & quibusdam aliis Codicibus hæc sequuntur: *Custodite omnia quæ scripsi* ( aliàs, *quæ præcepi* ) *vobis, ut sim Deus vester*. Sed cùm neque sint in Hebræo, neque apud 70. neque in omnibus Libris Latinis ( ea quippe non habet Textus Sancti Brunonis Herbipolensis Episcopi; neque Textus Isichii qui dicitur Presbyter Jerosolymitanus ) meritò fuerunt à correctoribus sublata, seu prætermissa. Cæterùm, an ea quæ Moyses & Aaron hic jubentur dicere filiis Israel, ab utroque illis dici debuerint, & quomodò, quidam disputant. Probabilius est quòd sic; ita scilicet ut Moyses, quia legislator, illa prior annunciaverit populo, Aarone præsente & annuente: Posteà verò in diversis occasionibus Aaron eadem repetierit, populum docendo.

[ *Hæc sunt animalia quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ*: ] Sensus est: Si quæ de animantibus terræ comedere volueritis, hæc sunt quæ comedere debetis: Non enim datur præceptum comedendi animalia terræ, cùm possent ab illorum esu abstinere, vel pœnitentiæ, vel alicujus alterius boni causa: Sed mandatur, ut si de illis comedere voluerint, tantùm ea comedant, quæ in sequentibus permittuntur. Unde in Hebræo, sicut etiam apud 70. pro istis verbis, *Quæ comedere debetis*, habetur, *Quæ comedetis*. Primò autem disponitur de quadrupedibus quæ per animantia terræ significantur, posteà verò de aquatilibus, ac denique de avibus.

*Quæri* hic potest, cùm Deus Genesis 9. dixerit, *Omne quod movetur & vivit erit vobis in cibum*: Quarè nunc facit discretionem animalium, non omnium esum permittens, sed quorumdam penitùs interdicens? Respondeo. Quæ Genesis 9. dicta sunt, ad universum genus humanum pertinent: Quæ autem hic statuuntur, pro solis sunt Israelitis: Quibus juxta B. Thomam 1. 2. quæst. 102. art. 6. in Corp. & ad 1. Deus præsentem animalium discretionem facere voluit. Primò, quoniam iste populus erat peculiariter populus Dei, & ad ejus cultum deputatus. Sicut ergo aliæ res quæ ad cultum divinum deputantur aliquam specialitatem habere debent ( quod ad cultus divini honorificentiam pertinet ) ita in conversatione istius populi debuerunt esse aliqua specialia congruentia ad cultum divinum tum corporalem, tum spiritualem. Cui rationi affine est quod quidam aliis verbis dicunt: Quoniam Christus ex Hebræis erat nasciturus, decuisse illos etiam corporali munditia pollere super omnes alios populos. Secundò, Quia quædam animalia propter nonnullam corruptionem videntur esse immunda, & minùs decere illos cultores Dei, quorum cultus maximè consistebat in rebus corporalibus: Vel quia rebus immundis vescuntur, ut porcus: Vel immundè conversantur, ut talpæ ac mures: Vel carnes eorum generant pravos humores ob nimiam, aut humiditatem, aut siccitatem, aut terrestreitatem. Tertiò. Quia sic Deus voluit Israelitas inducere ad detestationem Idololatriæ. Gentiles namque præsertim Ægyptii, inter quos Judæi fuerunt nutriti, animalia hujusmodi prohibita suis Idolis immolabant, vel eis ad maleficia utebantur. Animalia verò quæ Judæis concessa erant ad esum, non comedebant, sed tamquàm Deos colebant, vel ob aliam causam ab eis abstinebant. Quartò, Ut sic à Judæis tolleretur nimia circa cibos diligentia, dum ipsis conceduntur animalia maximè obvia quæ facillimè possent haberi. Quinta, eaque potissima ratio fuit, ut per animalia prohibita designarentur peccata quædam à quibus abstinere debebant Judæi: Quæ enim dicuntur immunda animalia, erant symbola peccatorum quibus homines redduntur immundi. Cum enim omnis creatura Dei bona sit 1. ad Tim. 4. Viderìtque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Genes. 1. certum est nullum animal esse natura sua immundum: Et idcircò quæ Judæis immunda fuisse dicuntur, non ex se vel ex natura sua erant immunda, sed significatione dumtaxat. Unde Augustinus lib. 6. contra Faustum cap. 7. *Si de porco & agno requiratur, utrumque natura mundum est; quia omnis creatura Dei bona est: Quadam verò significatione agnus mundus, porcus immundus est &c.* Cujus verba transcribens Nicolaus 1. ad Consulta Bulgarorum cap. 43. cum eo ait Litteras veteris Testamenti propter quasdam præfigurationes tempori congruentes, animalia quædam, non natura, sed significatione immunda dixisse. Et cum Adimantus Manichæus calumniaretur vetus Testamentum, velut à malo Deo datum, ac novo contrarium; Legemque de non vescendo carnibus quorumdam animalium in hoc Levitici libro præscriptam oppugnaret ex illo Matth. 15. *Non quod intrat in os coinquinat hominem*, Aug. c. 15. Libri contra eum scripti respondet eas non fuisse prohibitas, tamquàm quæ per se mentem inquinarent, sed talia populo adhuc carnali fuisse præcepta, ad significationem humanorum morum, & ut futuram disciplinam spiritualis populi prophetarent.

[ ℣. 3. *Omne quod habet divisam ungulam, & ruminat in pecoribus, comedetis*: ] Id est, licitè comedere potestis. In Hebræo sic legitur: *Omne dividens ungulam, & findens fissuram ungularum, ascendere faciens ruminationem, in animali*, seu inter animalia. Similiterque habent 70. Per cujusmodi sententiam, tria videntur requiri ad hoc ut animalia quadrupedia comedi possint. Unum est, quòd habeant ungulam divisam; secundum, quòd findant fissuram ungulæ, hoc est, quòd habeant ungulam supernè & infernè divisam, sicut est in bove, vacca, ove, capra, & non solùm ex parte, sicut est in equis, camelis, asinis, mulis, & aliis ejusmodi, in quibus ungula est ex parte divisa, sed cujus divisio non pertingit usque ad finem, cùm partes divisæ simul connectantur vel supernè, vel infernè, ideòque Judæis immundi erant. Tertium, quòd ruminent. Nihilominùs insistendo nostræ lectioni vulgatæ, quæ duo priora in unum conjungit, latini Tractatores rectè communiter docent duo tantùm requiri in animalibus quadrupedibus, ut apud Judæos munda esse censerentur, & comedi possent, scilicet, quòd haberent ungulam divisam, & quòd ruminarent; intelligunt enim divisionem ungulæ non solùm inchoatam, sed omninò perfectam; ita ut partes divisæ non connectantur ad invicem, nec supernè, nec infernè. Ruminare porrò, est cibum in stomachum dejectum, ad os revocare, ut iterùm conficiatur, magisque comminuatur, & sic deinde in viscera trajiciatur; propter quod ruminatio est signum bonæ digestionis; sicut perfecta ungulæ divisio signum est bonæ complexionis, nec nimis humidæ, nec nimis siccæ: Animalia enim multùm humida, non habent ungulas propriè dictas; quæ autem sunt magnæ siccitatis, ungulas non dividunt, saltem perfectè.

*Ad mores* quod attinet, sicut ungula seu pes est typus humanarum actionum; ita illi fideles dicendi sunt ungulam findere, qui bonum à malo discernunt;

Ru-

Ruminatio autem, ficut eſt iterata & perfectior cibi corporalis comminutio, & comeſtio; ita ſymbolum eſt eorum qui verbum Dei aure corporis percipiunt, & poſteà illud in memoriam revocant, ac mente revolvunt, in lege Dei meditantes die ac nocte. Utrumque horum ad hominum mundiliam & ſanctitatem requiritur; quia oportet verbum Dei feriò perpendere, & animo revolvere, ac inſuper opere adimplere. Conferri poſſunt Cyrillus Alexandrinus Lib. 7. in Levit. ſi tamen ipſis eſt opus illud, & non potiùs Origenis. S. Gregor. in cap. 7. Cantic. B. Thom. 1. 2. quæſt. 102. artic. 6. ad 1.

Poteſt etiam, juxta S. Brunonem Herbipolenſem, per ungulam, Scriptura Divina intelligi, qua pedes animæ muniuntur ad ambulandum. Hæc autem ungula in Litteram & ſpiritum, ſive etiam in novum & vetus Teſtamentum dividitur. Ruminare autem eſt ſanctam Scripturam diligenter inveſtigare, & cordis dentibus tenuiſſimè frangere, & ad ſpiritualem intelligentiam diutiſſimè volvendo perducere. Judæi ergò nec ungulam dividunt, nec ruminant, quoniam neque utrumque teſtamentum ſuſcipiunt; neque quod ſuſcipiunt ruminando ſpiritualiter intelligunt. Hæretici autem vel non recipiunt totam Scripturam, vel ſi recipiant, eam non ruminant, quia non ut oportet accipiunt: Ideòque omnes hujuſmodi ſunt immundi.

[ ℣. 4. *Quidquid autem ruminat quidem, & habet ungulam, ſed non dividit eam, ſicut Camelus & cætera,*] Nimirùm Cameloſi ſimilia quantùm ad conditionis requiſitæ defectum.

[ *Non comedetis illud, & inter immunda reputabitis,* ] Nimirùm legaliter. Triplex enim conſiderari poteſt immunditia. Una culpæ, per quam anima polluitur: Et ſecundùm hanc nullum animal brutum eſt immundum, quia neque eſt ſubjectum capax culpæ, cùm ſit rationis expers; neque ſecundùm ſuam naturam poteſt animam hominis inquinare, ut ex dictis ad verſ. 2. patet. Secunda immunditia eſt corporalis, ſecundùm quam hoc dicitur immundum quod corporaliter eſt ſordidum, quodvè homines communiter refugiunt velut qualitate aliqua noxia affectum. Priori modo immundus eſt, qui luto vel pulvere eſt aſperſus, aut qui manus habet pinguedine, ſanguine, purulentia maculatas. Poſteriori, ſerpentes, & quævis animalia venenata. Tertia eſt immunditia legalis, quam nimirùm Lex vetus inducebat, in eo conſiſtens quòd animalia ſic immunda nec comedi poterant, nec Deo offerri, nec eorum cadavera tangi quomodocumque eſſent mortua, abſque incurſu contaminationis & immunditiæ. Homo autem qui erat legaliter immundus arcebatur à Templo, & ab eſu uſuque ſacrorum, donec juxta Legis præſcriptum, fuiſſet mundatus. Sæpè incurrebatur abſque peccato, imò & per bona opera, ut per officium ſepulturæ: Quomodò etiam nunc ſine peccato incurri poteſt irregularitas. Etſi porrò immunditia corporalis & legalis interdum coinciderent (nam porcus & corporaliter & legaliter erat immundus, ſimiliterque ſerpentes) una tamen non idem erat cum altera. Legaliter enim & non corporaliter immundus erat, qui præſtabat officium ſepulturæ, & qui educebat caprum emiſſarium: Corporaliter verò, & non legaliter erat immundus, qui luto vel pulvere fœdatas, aut aliter ſordidas manus habebat. De legali immunditia hic ſermo eſt; & ſecundùm eam immundus inprimis erat Camelus quoniam etſi ruminet, ungulam tamen non dividit. Ob eamdem cauſam hic immundi eſſe dicuntur.

[ ℣. 5. *Chœrogryllus* ℣. 6. *Lepus.* ] Quale autem animal ſit *Chœrogryllus*, Authores non conſentiunt, nec valdè mirum, cùm ipſimet Hebræi fateantur ſe nominum animalium, ſicut etiam avium, arborum, & lapidum veras ſignificationes ignorare, ut teſtatur Oleaſter Can. 2. ac etiam hoc loco. S. Hieronymus & Hebraicè doctiſſimus, & in Palæſtina verſatus, de nominibus hebraicis ſcribens, in Jeremia dicit vocem Saphan quæ hic eſt in Hebræo, ſignificare Chœrogryllum, leporem, hericium. Unde videtur factum fuiſſe quòd eamdem vocem etiam Deuteronomii 14. reddiderit Chœrogryllum; Pſalm. 103. herinacium; Proverb. 30. lepuſculum. In Epiſt. 126. ad Suniam & Fretellam ſcribit Chœrogryllum animal eſſe non majus hericio, habens ſimilitudinem muris & urſi: Et magnam eſſe in iſtis Regionibus hujus generis abundantiam, ſemperque in cavernis petrarum & terræ foveis habitare conſueviſſe. Ex quibus patet B. Hieronymum diſtinguere Chœrogryllum ab hericio. De Lepore, quamvis aliter quoque & aliter ſcribant diverſi, animal illud timidum & velox intelligimus, quod vulgariter eo nomine ſolet intelligi, de quo Plinius lib. 8. cap. 55. & ſub eo Cuniculum comprehendimus, qui multùm eſt illi ſimilis. Si quæras quomodò Chœrogryllus & lepus dicuntur non dividere ungulam, cùm ungula ipſorum in plures partes videatur eſſe diviſa, ita ut plures habeant ungulas. Abulenſis quæſt. 6. Reſpondet non vocari ungulam quemlibet aculeum ex oſſe factum qui in manibus vel pedibus eſt, quos vocamus ungues recurvos in quibuſdam greſſilibus & volatilibus, ac etiam in quadrupedibus rapacibus: Sed ungula vocatur quædam latitudo cornea continens totam baſim pedis animalis quæ aliquando in duas partes diviſa eſt, ſicut in bobus, ovibus, & Capris, aliquando autem eſt continua, ſicut in Aſinis, equis & Camelis. In Chœrogryllo autem & lepore non eſt aliqua ſubſtantia cornea vel oſſea regens totam baſim pedum, ſed ſolùm ſunt quidam ungues adunci in partibus illis pedum carnoſis, ideoque verum manet, quòd ungulam non dividunt.

[ ℣. 7. *Et ſus: Qui cùm ungulam dividat; non ruminat.* ] Subaudi, immundus eſt. Deut. 14. & 2. Petri 2. ſus in fœminino genere ponitur nequi tamen culpari poteſt noſter interpres quòd hic in maſculino poſuerit, quia apud Latinos communis eſt generis: Quo proinde nomine tum porcus, tum porca accipi debet: Utriuſque enim caro fuit Judæis prohibita; quam prohibitionem quia exactè ſervaverunt Eleazarus 2. Machab. 6. Et ſeptem fratres cum Matre nolentes carnem porcinam edere, juſſi fuerunt interfici cap. 7.

[ ℣. 8. *Horum carnibus non veſcemini, nec cadavera contingetis, quia immunda ſunt vobis.* ] Sermo eſt de carnibus animalium priùs nominatorum, & eorum quæ ſunt illis ſimilia quantùm ad defectum alicujus conditionis requiſitæ ad munditiam. Doceturque quòd ejuſmodi animalia non ſolùm non poſſent edi à Judæis, ſed nec eorum cadavera, quomodocumque eſſent mortua, poterant tangi.

*At dices*: Quid ſi domi morerentur, debebant illic relinqui? Nequaquam: in tali enim neceſſitate poterant tangi ut foras educerentur; ſed tamen qui ſic tangebant, fiebant immundi, & egebant mundatione legali; antequam, ſi vel templum intraſſent, vel de ſacrificiis participaſſent graviter peccaſſent.

*Benè* obſervat Cajetanus ſignanter dici, *immunda ſunt vobis:* Ad inſinuandum quòd prædicta animalia non ſunt immunda ſecundùm ſe, neque cæteris nationibus, ſed tantùm Iſraelitis, quibus hæc lex poſita eſt, & non aliis.

*Moraliter*, juxta Iſichium & Gloſſam Ordinar. per jam dicta quatuor animalia deſignantur peccata quatuor virtutibus Cardinalibus oppoſita. Per Camelum altum & gibboſum, ſuperbia, quæ ſapientiæ ac prudentiæ, in quantùm ipſa humilis eſt, opponitur: Per Chœrogryllum, qui agros alienos depaſcitur & vaſtat, injuſtitia juſtitiæ contraria: Per Leporem qui timidus eſt, acedia & puſillanimitas, quæ repugnat fortitudini: Per Suem, quæ ſordidum eſt animal, gula & luxuria temperantiæ oppoſita. Horum carnes ne comedamus, id eſt, ne quas virtutes habere videntur, ſequamur; quia in hypocriſi, & non in veritate ſectantur illas. Nec eorum morticina tangamus, ſive, nec malis eorum actionibus communicemus. Ille ſiquidem carnibus immundis veſcitur, qui alienam pravitatem imitatur: Tangit autem morticina, qui mortuis iniquorum operibus dat conſenſum.

℣. 9.

[ ℣. 9. *Hæc ſunt quæ gignuntur in aquis , & veſci licitum eſt .* ] Poſtquàm de animalibus terreſtribus diſpoſuit; nunc præcipit de aquatilibus ſive de piſcibus , quinam ſint babendi mundi vel immundi ad eſum ; ac per conſequens, quibus licitè veſci poſſint Judæi , quibus non poſſint . Dico ad eſum , quia ex piſcibus nulli erant mundi ad ſacrificium , cùm Deus nullum eorum ſibi ſacrificari voluerit , ut ex B. Thom. diximus ſup. cap. 1. v. 14.

[ *Omne quod habet pinnulas & ſquamas ,* ] Pro *pinnulas* , 70. habent *alas* , quidam alii , *pennulas* , non diverſo ſenſu : Quia pinnulæ ſunt piſcibus vice alarum ad natandum , ſicut alæ ſunt avibus ad volandum , & vocantur pinnulæ ad ſimilitudinem pennarum in volatilibus. Eas autem pinnulas Abulenſis obſervat eſſe non tantùm in lateribus, ſed etiam in cauda piſcium . Squamæ porrò ſunt quædam cruſtæ lucentes , ſuper cutem piſcis extenſæ , & totum corpus ejus contegentes . Hæc ergo eſt regula generalis . Quicumque piſces babent iſta duo, pinnulas & ſquamas , poſſunt comedi . Quas conditiones ideò requiſivit Deus , partim quia piſces qui eas habent , ſunt ſiccioris atque adeò melioris temperamenti ; partim quia homines in mari hujus vitæ natantes , & variarum tempeſtatum fluctibus agitari, qui per piſces ſignificantur, ut mundi ſint ac ſancti , debent aliquando per contemplationem ſurſum elevati , quæ elevatio ſignificatur per pennulas : Ac inſuper debent morum gravitate & virtutum rigore eſſe muniti , ne vitiorum cupiditatem admittant , id quod per ſquamas figuratur.

*Si petas* , quare legislator nulla profert particularia , ſive exempla , ſive nomina piſcium , ſicut priùs aliqua expreſſit quadrupedum , & poſtcà avium : Reſpondeo veriſimilem rationem eſſe , quòd Hebræi , vel nulla , vel pauciſſima habeant nomina propria piſcium . Quemadmodùm enim Geneſis 2. diximus, non fuerunt ad Adam adducti piſces , ut ipſe nomina eis imponeret.

[ *Tam in mari , quàm in fluminibus & ſtagnis ,* ] Hebræa nihil exprimunt de *ſtagnis* : Ob quam cauſam Rabbi Aben-Ezrah dixit non fuiſſe licitum Judæis edere piſces ſtagnales . Sed dicendum eſt , ait Oleaſter Scripturam hebraico more ſub maribus ſtagna comprehendiſſe . Et confirmatur ex eo quòd Deuteron. 14. ſolùm nominantur aquæ , ſub quibus , tamquàm ſub nomine generali comprehenduntur omnes aquæ in quibus inveniuntur piſces.

[ *Comedetis ,* ] id eſt, comedere poteſtis.

[ ℣. 10. *Quidquid autem pinnulas & ſquamas non habet eorum quæ in aquis moventur & vivunt ,* ] Q. d. Quidquid piſcium ( de bis quippè certum eſt agi ) non habet pennulas & ſquamas utroſque nimirùm conjunctim : Quia ut comedere eis liceret de piſcibus, non erat ſatis quòd piſces alterutrum haberent , vel pinnulas , vel ſquamas , ſed oportebat quòd haberent utrumque ſimul , ita ut alterutrius defectus ſufficeret , ut non poſſent illis veſci.

[ *Abominabile vobis* ]

[ ℣. 11. *Execrandumque erit .* ] In Hebræo idem eſt vocabulum primo & ſecundo loco , ad majorem emphaſim , ideòque Synonyma bic ſunt , *abominabile & execrandum* . Senſus eſt : Ab illis abhorrebitis & fugietis tamquàm à re multùm fœtida & immunda.

[ *Carnes eorum non comedetis ,* ] Non licet vobis de carnibus eorum comedere . Quòd piſcibus ſua ſit caro , non ex boc dumtaxat loco eſt evidens, ſed etiam ex Tobiæ 6. ubi Tobias junior legitur magni piſcis carnes aſſaviſſe , & ex 1. ad Corint. 15. Ubi Apoſtolus ſcribit aliam eſſe carnem pecorum , aliam volucrum , aliam piſcium . Uſu tamen Eccleſiaſtico , quando de abſtinentia carnium , quæ in diebus jejunii præcipitur ſermo eſt , nomen carnis ſtrictiùs ſumitur , ita ut ſub illo non comprehendantur vel piſces , vel piſcium carnes , ſed tantùm carnes animalium terreſtrium & volatilium , ut cum B. Thom. diximus 2.2.q. 147. art. 8. Qui uſus Sacris quoque Litteris conſentaneus eſt . Geneſis enim 6. quando Deus dicit , *ut interficiam omnem carnem in qua ſpiritus vitæ eſt ſubter cœlum :* Et mox ; *Ex cunctis animantibus univerſæ carnis bina inducẽs in Arcam* , Rurſumque cap. 7. *Ingreſſa ſunt in Arcam bina & bina ex omni carne in qua erat ſpiritus vitæ* , nomen *carnis* uſurpatur ut diſtinctum à piſcibus , cùm conſtet eos nec diluvio periiſſe , nec in Arcam fuiſſe illatos.

[ *Et morticina vitabitis .* ] Ut ne quidem illa tangatis. Noſter interpres idem vocabulum Hebræum quod hic vertit *morticina* , v. 8. reddidit *cadavera* . Quamvis autem *morticina* ſtrictè loquendo vocentur corpora animalium quæ ſponte , ſeu per ſe mortua ſunt , interdum tamen *morticina* generaliùs dicuntur quæcumque eorum Cadavera , etiamſi violenta morte obierint . Unde , cùm Pſalm. 78. dicitur , *Poſuerunt morticina ſervorum tuorum eſcas volatilibus cœli* , morticinum accipitur pro eo quod ab alio eſt occiſum : Quia ſermo eſt de Judæis qui à Gentilibus erant interfecti . Et hoc generali modo accipienda ſunt morticina in præſenti.

[ ℣. 12. *Cuncta quæ non habent pinnulas & ſquamas in aquis polluta erunt .* ] Idem repetitur quod verſu 10. erat dictum, poſito tantùm hic generali nomine aquarum , & pro *abominabili* , vel *execrando* , vox *pollutorum* expreſſa eſt , idem valens quod immunda.

[ ℣. 13. *Hæc ſunt quæ de avibus comedere non debetis , & vitanda ſunt vobis :* ] Quarumdam nunc avium eſus prohibetur, viginti earum ſpecies recenſendo , quæ non quidem ſimpliciter , ſed Judæis erant immundæ quantùm ad eſum , multò autem magis ad ſacrificium . Harum ſpecierum nomina alii aliter vertunt ex Hebræo : Sed noſtro interpreti tam bic , quàm Deuteron. 14. ferè per omnia conſentiunt interpretes 70. natura Hebræi . Inprimis autem prohibentur volucres rapaces , partim quia non ſunt bonæ complexionis ad nutrimentum corporis humani , cùm ſint naturæ multùm calidæ & ſiccæ : Partim quia ſunt Symbola hominum rapacium , qui ſunt immundi apud Deum.

*Aquilam* , ſcilicet non comedetis . Etſi in Aquila quædam ſint bonæ conditiones , veluti quòd pullos ſuos exerceat ad volandum, eaſque in periculis protegat ſuo corpori ſuperponens, ne infernè ſagittis venatorum pateant; quas ob cauſas Deuteron. 32. ſic Dei erga Iſraelitas amor & cura commendatur . *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos ſuos , & ſuper eos volitans , expandit alas ſuas , & aſſumpſit eum , atque portavit in humeris ſuis* . Nihilominùs propter alias qualitates Aquilæ convenientes, ipſa typus eſt ſuperbiæ & rapacitatis . Una ejus qualitas eſt, quòd altè volat , juxta illud Abdiæ , *ſi exaltatus fueris ut Aquila , & ſi inter ſydera poſueris nidum tuum* . Cui conſonat quod Job 39. dicitur, *numquid ad præceptum tuum elevabitur Aquila , & in arduis ponet nidum ſuum &c.* Secunda eſt , quòd appetat comedere oculos . Proverb. 30. *Oculum qui ſubſannat Patrem &c. comedant eum filii Aquilæ* . Tertia, quòd eſt magna avis habens magnas alas, Ezechiel. 17. *Aquila grandis magnarum alarum* . Quarta, quòd Aquila eſt in volatu ſuo velox , & quidem ad prædandum . Hinc 2. Regum 1. de Saule & Jonatha dicitur, *Aquilis velociores* . Threnor. 4. *Velociores fuerunt perſecutores noſtri Aquilis cœli* . Habacuc 1. *Volabunt quaſi aquila feſtinans ad comedendum* . Ex his facilè intelligi poteſt Nabuchodonoſorem optimè prædici Ezechielis 17. tamquàm Aquilam devaſtaturum Jeruſalem , omniaque ipſius ornamenta ablaturum . Poteſt tamen Aquila non tantùm Nabuchodonoſoris & aliorum Tyrannorum qui minores opprimunt ac devorant typus eſſe, ſed etiam diaboli qui *eſt Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ* , Job 41. & tam altè fuit elevatus, ut diceret : *In Cœlum conſcendam , ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum* . Iſa. 14. Qui oculos quoque configit in peccatoribus , dum eis prudentiam eripit , ne peccati malitiam & gravitatem , ſtatumque miſerrimum in quem ſe conjiciunt videant : Qui etiam maximè eſt rapax , cùm ſit Leo infernalis circuiens, & quærens quem devoret . Rectè igitur B. Hieronymus in c. 8. Oſeæ ſcribit , diabolum ſæpiſſimè legi deſignatum per Aquilam.

[ *Et Gryphem ,* ] Sunt qui Gryphum vel Gryphem ( utroque enim modo vocatur ) deſcribunt eſſe animal pennatum & quadrupes , habens caput & alas Aqui-

læ,

læ, reliquum corpus Leonis, ita ut per terram currat, & per aerem volet. Sed hæc fabulosa magis sunt quàm vera, ut ex Plinio lib. 10. cap. 49. & aliis doceri potest: Et cùm ejusmodi animal, neque familiare, neque notum fuerit Judæis, imò verisimile sit nusquàm extare; hic autem prohibeantur Judæis Aves quæ & in rerum natura sunt, & ab eis cognoscebantur, consequens est de tali Gryphe non esse hic sermonem, Dicendum ergo Gryphen à rostro maximè adunco, & ab unguibus multùm recurvis sic dictum; esse speciem Aquilæ majoris, & Avem valdè rapacem ac fortissimam, quales in Judæa, ut & in aliis Regionibus, plures reperiri credibile est. *In Gryphe*, ait B. Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 6. ad 1. *qui equis & hominibus infestus est, crudelitas potentum prohibetur*.

[ *Et Haliaetum*, ] Speciem videlicet Aquilæ piscantis, quæ ab aliquibus vocatur *Aquila marina*, quia piscatur in mari. Plinius lib. 10. cap. 3. scribit quòd clarissima sit oculorum acie, librans ex alto sese, visoque in mari pisce, præceps in eum ruens, & discussis pectore aquis rapiens. Addit deinde quòd *Haliaeti* suum genus non habent, sed ex diverso aquilarum coitu nascuntur. Sunt ergo immundi ex duplici causa: Tum quòd spuriè nascuntur, tum quia sunt rapaces. Rapacitate sua significant injustos aliorum oppressores; spuria nativitate eos qui partim humana partim divina quærunt.

[ ℣. 14. *Et Milvum ac vulturem* ] 70. vocibus transpositis habent, *Et vulturem ac Milvum*. *Milvus* est avis rapax celerrimi ac fortissimi volatus, pullis, gallinis, anseribus maximè inhians & insidians ut illis pascatur. *Vultur* avis est etiam plurimùm rapax cadaveribus vescens, acuti intuitus, fortisque odoratus, sequens Exercitum, & sperans vesci cadaveribus vincendorum. B. Thomas lib. 2. de anima lect. 20. scribit odores Cadaverum ad quingenta milliaria vel ampliùs sentiri à vulturibus. Idem citato priùs art. 6. ad 1. dicit quòd in *Milvo* designatur fraudulenti. In *vulture* significantur illi qui mortes & seditiones hominum affectant, ut inde lucrentur. Quomodò vultur accomodari possit *Christo*, petendum est ex S. Gregor. Lib. 18. Moral. cap. 21.

[ *Juxta genus suum*, ] 70. dicunt: *Et similia ei*, scilicet *Milvo*, qui apud illos immediatè præcedit: Verisimile tamen est ad utrumque referri, nimirùm ad vulturem & ad Milvum, perinde ac si diceretur: Quòd non solùm Milvi & vultures immundi essent Judæis ad esum, sed etiam omnia alia animalia ad genus sive vulturis sive milvi pertinentia, quamvis neque vultures vocentur, neque milvi. Oleaster dicit Rabbi Salomonem notasse, quòd omnes aves de quibus dicitur, *juxta genus*, vel *juxta speciem suam*, differre specie, tamquàm species ejusdem generis, ita ut neque forma, neque nomine inter se sint similes.

[ ℣. 15. *Et omne corvini generis in similitudinem suam*, ] Alii ex Hebræo vertunt; *Et omnis corvus in specie sua*: Q. d. Et corvos, & omnia quæ corvis sunt similia, sive quæ ad genus corvorum pertinent habebis volo immunda quantùm ad esum. Ejusmodi sunt Cornix, Pica, Graculus, & qui dicitur corvus marinus, maris incola. Per animalia corvini generis, ait Beatus Thomas, significantur illi qui sunt voluptatibus denigrati, vel qui sunt expertes bonæ affectionis, quia corvus semel emissus ab Arca, non est reversus, quia scilicet pascebatur cadaveribus. Propter suam crocitationem possunt etiam significare illos qui tardant converti ad Deum.

[ ℣. 16. *Struthionem*, ] Pro *struthione*, hebraicè dicitur, *filia struthionis*, ea nimirùm Phrasi, quâ filius hominis idem valet quòd homo, & filia Jerusalem, idem quòd Jerusalem. Est autem Struthio Avis permagna, solitudinis amans, & habens quidem alas, sed volare non valens, frequenter gemens aut ejulans, & ova quæ excludit deserens. Hinc Isa. 13. *Habitabunt ibi struthiones*, & cap. 34. *Erit cubile Draconum, & pascua struthionum*. Job 39. *Penna struthionis similis est pennis Herodii, & accipitris. Quando dereliquit ova sua in terra. &c.* Tren. 4. *Filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto*. Mich. 1. *Faciam planctum velut Draconum, & luctum quasi struthionum*.

*Per Struthionem*, juxta B. Thomam significantur Deo militantes, & se negotiis sæcularibus implicantes. Significantur prætereà Hypocritæ, qui speciem virtutis habent, & virtutem non operantur: Et qui opera quædam faciunt, sed ea non fovent spiritu charitatis, cùm eam non habeant.

[ *Et noctuam*, ] *noctua* dicitur esse avis nocturna reliquarum avium consortia fugiens, quæ in secreto & tenebroso aliquo loco, domicilii loco habitat; lucem quoque ac hominum conspectum odiens, noctibus vigilat, & graviter cantat velut canticum lugubre. Ita Jansenius in Psalm. 101. illam eamdem faciens cum Nicticorace, sicut etiam Dionysius Carthus. hic, addens quòd ejus clamor sit aliis avibus odiosus, quòdque aves eam persequantur. Quibus conformiter Plinius lib. 10. cap. 17. dicit quòd majore avium circumdatæ multitudine, resupinæ pedibus repugnant, collectæ in arctum, rostro & unguibus totæ teguntur.

*B. Thomas* ait Nicticoracem quæ nocte acuti est visus, in die autem non videt, significare eos qui sunt astuti in temporalibus, in spiritualibus hebetes: Sive eos qui sapientes sunt ut faciant mala, velut de nocte videntes, benè autem facere nesciunt, Jerem. 4. tamquàm in solari luce caecutientes.

[ *Et larum*, ] Qui est avis nunc volans in aere, nunc natans in aqua. Dicitur esse avis parva, pigra, & pinguis libenter habitans juxta aquas, ideoque valdè humida, & sic complexionis distemperatæ.

*Juxta S. Thomam*, significat eos qui & circumcisionem & Baptismum venerantur: Vel eos qui per contemplationem volare volunt, & tamen vivunt in aquis voluptatum.

[ *Et accipitrem*: ] *Accipiter* ab accipiendo dicitur, & est avis rapax, sæva, nullis parcens avibus. Alia est Sylvestris; alia domestica, quæ rapinam cum hominibus operatur. Flante Austro, alas suas expandit, quatenus poris sui corporis apertis, eas excutiat, & novæ ei accrescant. Unde Job 39. *Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad Austrum*. De qua Sententia videatur B. Gregor. lib. 31. Moral. cap. 32.

*S. Thomas* scribit Accipitrem significare eos qui deserviunt potentibus, ad deprædandum pauperes.

[ *Juxta genus suum*: ] Seu omnes species quæ continentur sub accipitre tamquàm sub genere. Tales species decem esse dicit Philosophus Lib. 9. de historia animalium cap. 36. Plinius lib. 10. cap. 8. sedecim.

[ ℣. 17. *Bubonem, & Mergulum, & Ibin*, ] *Bubo* est avis nocturna turpis & fœda, debilis ad volandum, nocte cibum quærens; carnibus animalium, eorum præsertim vescens quæ noctu vagantur, ut murium, & vespertilionum, ac etiam cuniculorum, leporum, anatum, & similium. *Mergulus* à *mergendo* dicitur, quòd hæc avis frequenter se immergit aquis, ut vermes pisciculosque deglutiat. *Ibis*, avis est in Africa, habens longum rostrum, quæ serpentibus pascitur, & fortè est idem quòd Ciconia ait B. Thomas: Alii tamen diversam esse existimant, cùm Ibices in petris locisque abditis & abruptis pariant secundùm illud Job 39. *Numquid nostis tempus pariendi Ibicum in Petris?*

*Per Bubonem*, significari dicit luxuriosos qui quærunt occultari in turpibus actionibus quas operantur. Unde Job cap. 24. *Oculus adulteri observat caliginem*: Per *Mergulum* gulosos, qui in delectationum suarum humoribus se demergunt, ita ut corda eorum graventur in crapula & ebrietate Luc. 21. Per *Ibin*, invidos qui de malis aliorum quasi de serpentibus reficiuntur: Nam *invidus adversis gaudet, mœretque secundis*.

[ ℣. 18. *Et Cygnum, & Onocrotalem, & Porphyrionem*, ] Apud 70. sic ordine mutato legitur: *Et Porphyrionem, & Pellicanem, & Cygnum*. *Cygnus* est avis satis nota, pennis albissima, carne nigra, ponderosum gerens corpus, ideoque rarò volans, longum habet col-

collum, per quod ex profunditate terræ vel aquæ cibum trahit: Quasi mortem contemnens dulciter canit morte instante. Illos significat qui per exteriorem justitiæ candorem lucra terrena quærunt. *Onocrotalus* à Plinio Lib. 10. cap. 47. dicitur esse valdè similis Cygno, ita ut non existimaretur distare, nisi faucibus ipsis inesset alterius uteri genus miræ capacitatis, propter quam est insatiabilis. Ita vocatus putatur ab Asini ruditu quem collum aquæ immergens & spirans edit. Avaros, & Gulosos, & Detractores significat. Pro *Onocrotalo* 70. reddiderunt *Pellicanum*, sicut etiam B. Hieronymus Psalm. 101. ubi dum commentatur, duo esse dicit Pellicanorum genera: *Unum in aquis est, & esca ejus pisces sunt: & unum in solitudine, & esca ejus, venenata animalia, hoc est, serpentes & crocodili, & lacerta. Dicuntur autem ista volatilia, latinè Onocrotali.* Ita illic. In caput etiam 2. Sophoniæ bis conformiter scribit Onocrotalorum duo esse genera: Aliud aquatile, aliud solitudinis. Quibus consentiunt Jansenius & Bellarminus super illum Psalmum. Dionysius Carthusianus de Pellicanis ait post Lyranum, quòd serpentes eos odiunt, eisque absentibus, ascendunt in nidos ipsorum, atque pullos eorum intoxicant, quos rediens parens invenit morientes, & statim se vulnerans proprio sanguine curat eos. Qua ratione potest Pellicanus Christo accommodari qui nos sanguine suo sanat, imò & mortuos vivificat, tametsi ob alias rationes sit animal immundum ad esum, quia scilicet est vorax & insatiabilis, molliores præsertim pisces vivos deglutiens, & rudem ac ingratum sonum edens, hoc etiam addito, quòd fertur esse gravis odoris, saporis ingrati, carnisque durioris. *Porphyrionem* scribunt quidam vocari *Pellicanum* à 70. Sed contra facit, quòd ex supra dictis liquet eos recensere Porphyrionem & Pellicanum ut diversas volucres. Est igitur Porphyrio avis quæ habet unum pedem latum ad natandum, alium fissum ad ambulandum, quia in aqua natat ut Anates, & in terra ambulat ut perdices. Ita B. Thomas: Quod deinde addit, *sola avium morsa bibit, omnem cibum aqua tingens*, partim est petitum ex Philosopho lib. 7. 8. de historia animalium cap. 6. partim ex Plinio lib. 10. cap. 46. qui prætereà ait, quòd cibum pede ad rostrum velut manu affert.

*Juxta B. Thomam* Porphyrio significat eos qui nihil ad alterius arbitrium facere volunt, sed solùm quod fuerit tinctum aqua propriæ voluntatis. Significare insuper potest eos qui cùm elegantibus naturæ dotibus præditi sint, & alis ad volandum per contemplationem aptis, nidificant tamen in terra, & humi defixas habent cogitationes.

[ ℣. 19. *Herodionem & Charadrio* ] De *Herodione*, sive *Herodio*, multùm variant Authores. B. Thomæ, Lyrani, Dionysii Carthus. & Hugonis Cardinalis sententia est, esse avem illam quæ *falco* dicitur aliarum avium, etiam se majorum, rapax: Per quam significantur illi quorum pedes veloces sunt ad effundendum sanguinem, Psalm. 13. De *Charadrione* vel *Charadris*, similiter discrepant. Philosophus lib. 6. de Historia animalium cap. 11. eam vocat *hiaticulum*, quod circa riparum hiatus versari soleat. Calepinus dicit esse avem maritimam magnam & ingluviosam. Abulensis vult eam avem esse quam vocamus *Gruem*. S. Thomas non plus dicit, quàm esse avem garrulam, & significare loquaces.

[ *Juxta genus suum.* ] Multæ sunt species Charadrionis quæ omnes immundæ esse significantur: Idemque judicium est de speciebus Herodii, ut est *Ardea*, & quæ sub illa continentur.

[ *Upupam quoque & vespertilionem.* ] *Upupa* quæ nidificat in stercoribus præsertim humanis teste Philosopho lib. 9. de Histor. animal cap. 15. & fœtenti pascitur fimo; & gemitum in cantu simulat, significat tristitiam sæculi quæ in hominibus immundis mortem operatur, ait B. Thomas. Potest etiam significare fœdis vitiis deditum, qualis est luxuriosus. Quoniam ut Sanctus scribit Hieronymus Lib. 2. cont. Jovinian. cap. ult. *tota fœtida voluptatis lustra circumvolant*. Hugo Cardinalis dicit Upupam quæ in stercore nidificat, significare Prælatos qui Ecclesiam ædificant in nepotulis & cognatis. *Vespertilio*, est avis fœda & vilis, visum habens debilem, & alas sine plumis, reliquo corpore muri similis; quæ cùm videatur volitare, lucem fugit, nec solem videre patitur. Per eam significantur illi qui contemplationem profitentes occupantur circa terrena, nec lucem divinæ cognitionis aspiciunt. Quomodò possint Dæmones vespertilionibus comparari, luculentè docet S. Basilius in c. 2. Isa. sub fin.

[ ℣. 20. *Omne de volucribus quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis.* ] In Heb. non exprimuntur *pedes*, subintelliguntur tamen; nam ex verbo *gradiendi* facilè intelligitur quòd supplendi sint, ideòque noster interpres rectè expressit. Præcepti hujus ratio est, tum quòd ejusmodi volucres monstra quædam esse videantur, participantes videlicet de natura quadrupedum, & de natura volatilium, tum quòd pravam & noxiam habent complexionem. Cum dicitur, *abominabile erit vobis*, significatur quòd ab ejusmodi abstinere debeant tamquàm ab immundis: Et si quæ volucres inveniantur habere plures quàm quatuor pedes, idem est de illis judicium ob eamdem rationem. Hæc tamen Regula non prorsus universaliter est accipienda, sed cum exceptione earum volucrium quæ habent quidem quatuor pedes, at propriè super eos non gradiuntur, sed saliunt, unde sequitur.

[ ℣. 21. *Quidquid autem ambulat quidem super quatuor pedes, sed habet longiora retrò crura, per quæ salit super terram.* ]

[ ℣. 22. *Comedere debetis*, ] hoc est, potestis, vobisque licet comedere. In qua sententia, ut benè notat Abulensis, *ambulare* largè accipitur, ut non solùm comprehendat motum æqualem, qui dicitur progressivus, sed etiam inæqualem, qualis est saltativus: Cui motui saltativo deserviunt pedes posteriores longiores; quia volucres super eos innituntur, & ad saliendum elevantur, longè meliùs & convenientiùs, quàm dum omnes quatuor pedes sunt æquales. Cæterùm, habere longiora retrò crura non est causa cur istæ volucres sint mundæ, sed signum duntaxat; vera autem causa est, quia sunt bonæ complexionis.

*Moraliter*, qui super quatuor pedes æquales ambulant, sunt illi qui videntur esse contemplativis similes, & ambulare juxta quatuor Evangeliorum doctrinam, cùm terrenis cupiditatibus inhæreant, nec sursum ferantur. Longiora autem retrò crura habent per quæ saliunt, qui ea quæ retrò sunt obliviscentes in anteriora se extendunt ad Philipp. 3. & in carne non secundùm carnem ambulant, sed à sordidis actionibus exiliunt.

[ *Ut est Bruchus in genere suo, & Attacus, atque Ophiomachus ac Locusta*, ] *Bruchus* juxta Abulensem non est animal specie distinctum ab *Attaco*, & *Locusta*, sed tantùm differunt secundùm perfectum & imperfectum: Quoniam Bruchus est Locusta nondum habens alas nec volans: Cùm incipit habere alas, est Attacus: Quando illas habet perfectas, dicitur ac retinet nomen Locustæ. Scriptura tamen ista diversa nomina posuit se vulgari modo loquendi accommodans: Nam apud vulgares uni rei quæ secundùm speciem est eadem, frequenter imponuntur diversa nomina propter magnitudinem & parvitatem: Sicut Aries & agnus sunt nomina ejusdem speciei, sed aries ut magnus dicitur, Agnus ut parvus. Quibus conformia sunt quæ anteà scripserunt Author Glossæ, & Lyranus, significare autem possunt eos, qui etsi temporalibus honoribus subleventur, sive multùm, sive parùm, mentis humilitatem non deserunt, ideòque mundi sunt. *Ophiomachus* etiam *Locustæ* quædam species esse putatur, animal scilicet alatum & quadrupes; retrò habens crura longiora per quæ saltat: Vocatur autem Ophiomachus, quoniam bellum gerit contra Serpentes, & Symbolum est fidelium, quibus est continua cum antiquo serpente pugna.

[ *Singula juxta genus suum.* ] Id est, singula istorum genera, vobis licitum est comedere, singulasque illorum species: Variæ siquidem sunt species Locustarum.

[ ℣. 23. *Quidquid autem ex volucribus quatuor tantùm habet pedes, execrabile erit vobis:* ] Quod videlicet habet quatuor tantùm pedes æquales, & non longiora retrò crura.

[ ℣. 24. *Et quicumque morticina eorum tetigerit, polluetur, & erit immundus usque ad vesperum.* ] *Morticina* generaliter hic intelliguntur cadavera eorum quæ vel sponte essent mortua, vel ab aliquo occisa. Cùm dicitur, *polluetur, & erit immundus*, sermo est de pollutione seu immunditia quæ ab externo contrahebatur, non de illa quæ ab intrinseco, qualis ex Lepra. Illud *usque ad vesperum*, idem valet ac usque ad occasum solis; interimque abstinendum erat ab ingressu Sanctuarii, & à rebus sacris, non tamen ejiciebatur extra Castra, nec suo tactu alios polluebat, sicut Leprosus. Si quis morticina de quibus nunc agitur, non ante Solis occasum tangeret, sed post illum, sive circa mediam noctem, sive anteà, is immundus manebat tota illa nocte, ac die sequenti usque ad occasum solis. Lyranus, Dionysius Carthus. & alii quidam arbitrantur istam ex contactu morticini immunditiam, tamquàm leviorem, solo temporis lapsu tolli solitam, absque vestimentorum lotione: De qua proinde lotione nihil præscribitur, sicut fit in immunditia ex asportatione, quæ major est, quemadmodùm plus est asportare morticinum, quàm tangere. Aliis tamen videtur ad illam quoque immunditiam tollendam opus fuisse lotione; non minùs quàm ad reliquas.

[ ℣. 25. *Et si necesse fuerit ut portet quidpiam horum mortuum,* ] In Hebr. & 70. solùm legitur; *Et qui portat*, Interpres tamen rectè adjecit, *si necesse fuerit*, ad exprimendum quòd necessitas asportandi, quæ poterat contingere, sive ut aer non inficeretur, sive ex alia causa, non excusabat ab immunditia. Ex quo Dionysius concludit istam immunditiam non fuisse inquinationem culpæ, cùm necessitas excuset à culpa.

[ *Lavabit vestimenta sua, & immundus erit usque ad occasum solis.* ] Difficultas est, qua aqua fieri deberet hæc lotio. Non paucis videtur quòd aqua expiationis quæ Numeror. 19. describitur. Quibus tamen non parùm obstat, tum quòd *lavare*, & *aspergere* multùm differunt; Aqua autem expiationis serviebat ad aspergendum, & non ad lavandum vestimenta immundorum; tum quòd per aquam expiationis mundus aspergebat immundum, Numeror. 19. vers. 18. & 19. ipsius autem immundi erat se & vestimenta sua lavare. Quapropter Marziliæ & quorumdam aliorum sententiæ accedimus, qui lotionem sive corporis, sive vestimentorum opinantur fieri debuisse per aquam omninò diversam ab aqua expiationis, utpotè per aquam simplicem seu communem, cujusmodi est aqua fontana, fluvialis, & simile: Nam & Leprosi emundatio, quæ infra cap. 14. præscribitur, per simplicem aquam fiebat, uti & femini-flui cap. 15. & somnio polluti, Deuteron. 23. Hinc Josephus Lib. 3. Antiquit. cap. 10. *Qui per somnium genituram emisit, si se mergat in aquam frigidam, ut solet fieri post legitimæ uxoris congressum, pro puro habetur.*

*Moraliter*, is morticina tangit, qui aliorum iniquitatibus consentit: Morticina portat, qui eas excusat, vel etiam laudat. Immundus est usque ad vesperam, hoc est, usque dum egerit pœnitentiam.

*Observandum* autem, quòd lotio præscripta non necessariò differenda erat usque ad vesperam, sed quandocumque lubebat post immunditiam contractam adhiberi poterat; ita tamen ut ea imunditia non desineret nisi ad vesperam.

[ ℣. 26. *Omne animal quod habet quidem ungulam, sed non dividit eam, nec ruminat, immundum erit:* ] Repetitio est eorum quæ vers. 4. habentur, cum hac additione.

[ *Et qui tetigerit illud, contaminabitur.* ] Pro, *qui tetigerit*, aliqui legunt, *quidquid tetigerit*, sed perperàm; cùm non de alia immunditia hic agatur, quàm quæ contrahitur ab homine; cùmque Hebræa significent, *omnis qui tetigerit*. Quoniam porrò certum est Hebræos uti potuisse Equis, Asinis, Camelis, quæ erant animalia immunda, absque eo quòd immunditiam contraherent, nec tamen illis uti poterant, nisi tangerent; quod hic dicitur, *qui tetigerit illud contaminabitur*, intelligi debet de eo qui tetigerit illud, hoc est, illius morticinum, sicut 70. expresserunt.

[ ℣. 27. *Quod ambulat super manus, ex cunctis animantibus quæ incedunt quadrupedia, immundum erit;* ] Sensus est; Animal cujus pedes anteriores super quos graditur habent similitudinem manuum humanarum, ut sunt Simia, & Ursus, immundum erit. Per quod illi *moraliter* designantur qui citò manus alicui imponunt, ut inde aliquid capiant, ac etiam qui mente inclinantur ad terrena.

[ *Qui tetigerit morticina eorum*, ] Seu corpora eorum mortua, tam quæ interficiuntur, quàm quæ spontè moriuntur: Eam enim explicationem postulat vox *Cadaverum*, versu sequenti.

[ *Polluetur*, seu immundus erit, *usque ad vesperum.* ]

[ ℣. 29. *Hæc quoque inter polluta reputabuntur de his quæ moventur in terra,* ] Quæ sequuntur animalia non satis erant in superioribus comprehensa, idcircò nominatim exprimuntur.

[ *Mustela & Mus & Crocodilus,* ] *Mustela*, quasi *Mus longior*, est animal habens figuram muris, sed valdè longum & intrans caveas passerum, & columbarum, ilia jugulat, & sanguinem bibit, mures quoque ac serpentes persequitur. *Per eam* significantur rapaces, fraudulenti & insidiosi; sicut per murem, animal satis notum, illi qui sine ulla futurorum cogitatione viventes, quotidianis laboribus saturitatem ventris undecumque conquirunt, & optima quæ invenire possunt rodunt. *Crocodilus* juxta Plinium Lib. 8. cap. 25. & S. Isidor. lib. 12. Orig. cap. 6. est animal quadrupes, in terra & in aquis volans longitudine viginti cubitorum, dentium & unguium immanitate armatus est, tantaque cutis duritia, ut quamvis fortium ictus lapidum tergo repercussus non sentiat. Nocte in aquis, die in humo quiescit. Quidam addunt eum ita esse homini infensum, ut occidat, tuncque ploret quidem, sed posteà devoret. Symbolum est Latronum qui terra pariter & flumine insidiantur: Ac etiam adulatorum qui de aliorum malis dolere se simulant, cùm tamen ipsimet ea inferant.

[ *Singula juxta genus suum.* ] Per quod significatur varia esse genera Mustelæ & Muris, imò & Crocodili.

[ ℣. 30. *Mygale, & Chamæleon, & Stellio, & Lacerta, & Talpa:* ] *Mygale* putatur esse *Mus araneus*, qui muris est magnitudine, mustelina specie, ore oblongo, cauda gracili; animal edax & furax ac venenatum: Per quod significantur Hypocritæ, Schismatici, & Ambitiosi qui mansuetos se fingunt, & posteà venenum diffundunt. *Chamæleon*, quasi *parvus Leo*, est animal diversa varietate conspersum, quod ad colores quos videt facillimè mutatur, præterquàm ad rubrum & candidum. Quidam putarunt quòd solo aere vivat, at non ita est: Rore enim ac muscis eum vivere fuit deprehensum. Symbolum est rum Adulatorum qui ad omnium mores se accomodant, præterquàm ad Martyrum fortitudinem, & ad Virginum Candorem: Tum eorum qui ventis, muscis, aliisque rebus inutilibus se pascunt. *Stellio*, diversorum animalium est nomen. Interdum enim significat *simiam* ut Proverbiorum. 30. *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis*, juxta multorum interpretationem. Aliàs significat *Araneam*, ut ibidem alii intelligunt. Est etiam genus quoddam serpentis habens tergum depictum lucentibus gemmis in modum stellarum: De quo Plinius Lib. 30. cap. 10. scribit nullum animal fraudulentiùs invidere homini; unde *stellionatus* crimen apud Juris-consultos vocatur quod dolo & fraude committitur. Conferri possunt Jansenius & Pelranus in Proverb. Calepinus verbo *Stellio*, Dionysius Carthus. Abulensis & alii in hunc locum.

*Moraliter*, Stellio transferri potest ad Hæreticos & Hypocritas, qui quasi stelleis guttis externarum vir-

virtutum inſigniuntur, cùm intùs ſint ambitioſi, invidi, ac veneno pleni. *Lacerta* quoque eſt genus ſerpentis, & noxios immundoſque ſignificat. *Talpa* autem notum animal, cæcum, ſordidum, & intra terram habitans, eſt Symbolum eorum qui terrenas divitias quas numquàm aſſequuntur ſemper animo volvunt, ſolaque cupiditate cæci ſupernum lumen numquàm reſpiciunt.

[ ℣. 31. *Omnia hæc immunda ſunt*, ] Cum aliquo tamen diſcrimine. Quædam enim ſic erant immunda, ut ne quidem tangi poſſent ſive viva, ſive mortua, ut reptilia, de quibus ſup. cap. 5. verſ. 2. Et infra cap. 22. verſ. 5. Aliqua ſolùm poſt mortem tangi non poterant, eamque aut ſpontaneam aut violentam, ut Equi, Aſini, Cameli, & cætera hujuſmodi. Alia tangi poterant poſt mortem violentam, at non poſt ſpontaneam; quæ enim munda erant ad eſum, ut boves & oves, ſi occidebantur ad veſcendum, tangi poterant; ſecùs, ſi ſpontè moriebantur.

[ *Qui tetigerit morticina eorum*, ] Immundorum ſcilicet animalium. Et morticina non ſtrictè ſed generaliter accipiuntur.

[ ℣. 34. *Et ſuper quod ceciderit quidquam de morticinis eorum, polluetur, tam vas ligneum, & veſtimentum*, ] Actum eſt hactenus de immunditia quæ per actum propriæ voluntatis contrahebatur: Nunc agitur de illa quæ contrahi poterat caſu fortuito, cùm videlicet aliquid ex morticinis, ſive ex cadaveribus, quæ immunda erant, caderet ſuper rem aliquam etiam inſenſibilem. Exprimuntur quidem ſolæ res inſenſibiles, ut vaſa lignea, veſtimenta, & alia quæ ſequuntur; nihilominus etiam de hominibus lex intelligenda eſt; ita ut ſi ſuper eos aliquid de morticinis caderet, ipſi immunditiam contraherent. Scriptura tamen potius vaſa & veſtes ſpecificat; Tum quia de illis majus dubium eſſe poterat, tum quia hominum immunditia ex præcedentibus erat intelligenda, propter verbum *tangendi*: Eo enim nomine etiam improviſus tactus contineri poteſt. Hæc autem vaſorum & veſtimentorum immunditia in hoc conſiſtebat, quòd hominem illis utentem, ſeu ea tangentem pollüerent; quòdque nullus eorum uſus ad res ſacras eſſe poſſet, neque ad carnes pacificorum continendas vel coquendas.

[ *Quàm pelles & Cilicia*: ] Per *Pelles* vel intelliguntur qualeſcumque veſtes factæ de pellibus, vel ipſæ pelles quæ non ſunt veſtes, ſed ad uſus humanos proficiunt. Pro *Cilicia*, in Hebræo & 70. habetur *Saccat*, per quem Hebræi ſolent intelligere veſtes è pilis duras, cujuſmodi ſunt ruſticorum, mendicorum, & pœnitentium.

[ *Et in quocumque fit opus*, ] Tam Hebræa quàm Septuaginta exprimunt *vas*. Q. d. *Et omne vas quo ad opus aliquod utimur*: Per *vas* autem non hoc ſolùm eſt accipiendum, quod intra ſuam cavitatem aliquid continet, ſed generaliter quodvis inſtrumentum quo ad quælibet opera uti ſolemus. Iſtam enim univerſalem clauſulam poſuit legislator, ne opus ſit enumerare vaſa ſingula.

[ *Tingentur aqua, & polluta erunt uſque ad veſperum*. ] Non exprimitur qualis aqua eſſe debeat. Veriſimilius eſt non debuiſſe eſſe ſacram, ſed potuiſſe adhiberi communem è fonte vel fluvio hauſtam. Quamvis autem immediatè poſt immunditiam contractam, res immunda lavaretur, ſicut fieri poterat; ex hoc tamen non fiebat ſtatim munda; ſed permanebat immunda uſque ad ſolis occaſum.

[ *Et ſic poſteà mundabuntur*. ] Hoc eſt, *erant munda*: Non enim ſignificatur quòd adhibenda adhuc eſſet aliqua cæremonia rebus illis ut mundarentur, ſed ſenſus eſt, quòd lotione illa facta, & veſpera adveniente, legalis immunditia expirabat, & res illæ iterùm cenſebantur mundæ.

[ ℣. 33. *Vas autem fictile, in quod horum quidquam intrò ceciderit*. ] Id eſt, in quod aliquid prædictorum animalium immundorum, aut morticinum eorum ceciderit. *Vas fictile* dicitur quod fit à figulo, ſicque vocatur à fingendo, & diſtinguitur contra vaſa lignea & metallina.

[ *Polluetur, & idcircò frangendum eſt*. ] Cùm enim vaſa fictilia valdè ſint fragilia, & exigui pretii, ſi legaliter immunda erant, Deus nolebat ea mundari, ſicut lignea & ænea, quæ per lotionem & defricationem mundabantur, ſed jubebat frangi.

Juxta Heſychium, *Moraliter* in eos cadunt morticina qui per evenientem animæ negligentiam, & ob ſtuporem defectumque virtutum delinquunt; quia non ipſi ad peccata feſtinant, ſed incidunt in ea; & quodammodò ſuper ſe cadentia peccata ſuſcipiunt; quia tamen ſuſcipiunt, & non reſiſtunt, propterea immundi ſunt.

[ ℣. 34. *Omnis Cibus quem comedetis*, ] Hoc eſt, qui ad comedendum eſt deſtinatus, vel etiam paratus.

[ *Si fuſa fuerit ſuper eum aqua, immundus erit*: ] Ac propterea comedi non poterit. Non de quacumque aqua id accipiendum eſt, ſed de aqua quæ ex vaſe immundo, de quo prius agebatur, defluerct, juxta S. Auguſtinum & alios communiter. Similiterque quod ſequitur.

[ *Et omne liquens quod bibitur de univerſo vaſe, immundum erit*. ] Non univerſim de quocumque vaſe accipi debet, ſed de univerſo vaſe polluto. Quoniam verò ſolùm de liquidis in vaſe contentis præſcribitur quòd ſint immunda; ideò Abulenſis quæſt. 16. & poſt eum Cornelius, docet arida in aliquo vaſe immundo contenta non ex eo contraxiſſe immunditiam legalem; idque propterea quoniam arida non tam facilè contrahunt ſordes vaſis continentis, quàm humida.

*Moraliter* per cibum intelligi poſſunt bona opera; propterea enim dicitur, *quem comedetis*; cùm malorum operum cibus ſeu communicatio prohibeatur: Per aquam verò, prava intentio: Quæ dum bonis operibus ſupervenit, ea polluit. Nam ſi poſt bona opera benè facta, aliquis inde ſuperbiat, ea mortificantur. Conferri poteſt Iſychius, & ex eo Lorinus.

[ ℣. 35. *Et quidquid de morticinis hujuſcemodi ceciderit ſuper illud, immundum erit*: ] Q. d. Omne illud erit immundum ſuper quod ceciderit aliquid de iſtis morticinis, animalium ſcilicet immundorum, aut mundorum quidem, ſed ſpontè mortuorum.

[ *Sive clibani, ſive Chytropodes, deſtruentur, & immundi erunt*. Per *Clibanos* non intelliguntur *Furni* aut *fornaces* Piſtoriæ quibus ad panem coquendum utuntur Piſtores: Sed *Olla*, & quidem ſine pedibus quibus ſupponitur ignis ad coquendum placentas, liba vel etiam panes. Per *Chytropodes* autem, *Olla* ad ſimilem uſum quæ pedes habent. Et quoniam jubetur ut ſi quidpiam ſuper eos ceciderit, ob quod immunditiam contraxerint, deſtruantur; datur intelligi ſermonem eſſe de fictilibus & luteis, cùm vaſa lignea, ſaxea, vel ænea, ſolùm eſſent lavanda, non deſtruenda.

*Moraliter* per Clibanos & Chytropodes Iſychius intelligit Magiſtros in quibus cibi ſacræ doctrinæ coquuntur, operationis Spiritus Sancti igne ſuppoſito; quibus ſi morticinum inciderit, id eſt, ſi peccati mortificantis actio ſupervenerit, immundi fiunt & deſtruuntur; quia qui prædicant non furandum, furantur: Qui dicunt non mœchandum, mœchantur: ad Rom. 2.

[ ℣. 36. *Fontes verò & ciſterna, & omnis aquarum congregatio munda erit*. ] Intellige, etiamſi morticinum, aut aliquid aliud immundum in illis ceciderit. Et quoniam iſta declarantur eſſe munda, perinde licebat de iis bibere, ac ſi nihil in ea cecidiſſet. Ita autem ſtatuit Deus ob neceſſitatem aquarum quibus homines carere non poſſunt. Et per hæc ſignificari poteſt eos Doctores non contaminari in quos aliquid immundum cadit, hoc eſt, qui neceſſitatem vel cauſam rationabilem habent cogitandi de vitiis ad diſputandum, aut conſilia dandum de illis.

[ *Qui morticinum eorum tetigerit, polluetur*. ] Relativum *eorum* refert *animalia* in fontibus, ciſternis, aliiſque aquarum Congregationibus mortua; ut ſenſus ſit: Quamvis aquæ fontium Ciſternarum, &

aliarum Congregationum, in quibus vel animal aliquod suffocatum fuerit, vel in eas ceciderit, mundæ sint, si quis tamen eorum animalium Cadavera tetigerit, polluetur: Ne quis forte putaret eò quòd ista cadavera non polluerent aquas, etiam non contaminare illos qui ea tangerent.

[ ℣. 37. *Si ceciderit* ] aliquid scilicet morticinum, vel aliud immundum.

[ *Super sementem, non polluet eam,* ] *sementem* non tantùm intelligitur granum seminatum, sed etiam quod paratum erat ad seminandum, sive esset in agris, sive in horreis: Nam ex Hebræo alii vertunt: *Si ceciderit de morticinis eorum super omne semen seminatum, quod seminabitur*; Id est, super omne semen seminabile, seu quod seminari solet, quodque est seminationi destinatum, mundum erit, Quibus 70. consentiunt. Hujus ratio est, ne alioquin seminatio deberet magno cum damno differri; cùm facile esset murem inveniri suffocatum intra sementem atque ita sementem pollui, nec ad humanos usus posse applicari, donec sublata esset immunditia per ablutionem, ac deinde sementis exsiccata, nisi posita fuisset hæc exceptio. Cæterùm, quoniam præsens Legis dispositio peculiariter est de semente, ideò non est extendenda ad aliud granum sementi non destinatum; ac per consequens si morticinum seu immundum quidpiam reperirietur seu caderet in ejusmodi granum, polluebatur.

[ ℣. 38. *Si autem quispiam aqua sementem perfuderit,* ] In Hebr, & 70. generalius dicitur: *Si data, vel effusa fuerit aqua super semen*, Unde Abulensis & alii absolutè intelligendum volunt, Si super semen aqua ceciderit, sive hoc ex causa naturali provenerit, veluti dum pluit; sive ex homine illam jaciente, sive aliunde.

[ *Et postea morticinis tacta fuerit,* ] Sive ipsis casu super eam cadentibus, sive sponte ab aliquo positis, dum videlicet perseverat humiditas aquæ super sementem fusæ,

[ *Illicò polluetur,* ] Et propterea non poterit seminari, nec ad usus humanos applicari simpliciter & absolutè, secundùm Abulensem, & quosdam alios: Aut non nisi prius abluatur aqua, & exsiccetur, ut indicant Dionys. & Bonfrerius.

*Moraliter*, per *semen*, quod aridum non polluitur, humefactum verò polluitur, designantur Doctores, qui docendo aliorum vitia tractant neque polluuntur quamdiu non humectantur prava delectatione, polluuntur autem statim ut illis oblectantur.

[ ℣. 39. *Si mortuum fuerit animal quod licet vobis comedere, qui cadaver ejus tetigerit, immundus erit usque ad vesperum*; ] Sermo est de animali mundo ad esum, quod tamen non occideretur ad edendum, sed vel sponte moreretur, vel suffocaretur, vel à bestia prægustaretur, aut etiam occideretur: Et significatur quòd qui talis animalis cadaver tangeret, fieret immundus legaliter usque ad vesperam.

[ ℣. 40. *Et qui comederit ex eo quidpiam, sive portaverit; lavabit vestimenta sua, & immundus erit usque ad vesperum.* ] Meritò annotavit Abulensis hæc intelligenda esse de illo qui nesciens comederet ex istis morticinis, posteaquæ intelligeret fuisse morticina. Item de illo qui cadavera ista portaret propter aliquam necessitatem. Nam si quis scienter ex illis comederet, aut absque ulla necessitate portaret, non legalem dumtaxat immunditiam contrahebat, sed coram Deo graviter peccabat, morteque erat puniendus juxta legem Numer. 15. si judicialiter probabatur.

Per animal quod licebat Hebræis comedere, utpote mundum, *Moraliter* significatur homo justus, qui si in anima mortuus fuerit peccando mortaliter; non oportet eum tangere imitando vel portando, seu defendendo, ne pravitatis ejus efficiamur participes.

[ ℣. 41. *Omne quod reptat super terram, abominabile erit.* ] Decernitur omne reptile, non simpliciter, sed cum addito, *quod reptat super terram*, esse immundum. Quæ additio ad hoc servit, ne pisces qui reptilium nomine interdum designantur, ut Genes. 1. putentur hic declarati esse immundi. De illis igitur solùm reptilibus hic agitur quæ repunt super terram, & quæ reptilium nomine communiùs solent intelligi, ut sunt vermes, sanguisugæ, Colubri, aliique serpentes,

[ *Nec assumetur in cibum.* ] Imò quodlibet ejusmodi reptilium ita fuisse immundum, ut ne quidem vivens potuerit tangi absque legalis immunditiæ incursu, ex cap. 5. vers. 2. & ex cap. 22. vers. 5. atque ex præsentis capitis versu 43. communior est sententia.

[ ℣. 42. *Quidquid super pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, sive per humum trahitur, non comedetis,* ] *Quadrupedis* nomen hic limitatur per ista, *super pectus graditur*, alioqui per se positum significat animalia perfectiora, sive Armenti, sive Gregis. Abulensis observat in hoc versu tria genera reptilium Hebræis prohiberi. *Primum* est eorum quæ habent quidem quatuor pedes, super pectora tamen suum principalem motum habent, dicunturque idcircò super pectus gradi. *Secundum* est eorum quæ non tantùm quatuor, sed multos habent pedes, & tamen corpori ac pectori incumbunt ut gradiantur, sicque super terram reptant. *Tertium*, eorum quæ nullos pedes habent, sed oris & caudæ adminiculo tota trahuntur super terram. *Super terram* quippè illa dicuntur trahi quorum corpora moventur totaliter posita super terram, sicut est in colubris.

*Moraliter*, per ejusmodi reptilia significantur illi qui neglectis cœlestibus, toti inhærent terrenis, & gulosi, avari, libidinosi.

[ ℣. 43. *Nolite contaminare animas vestras,* ] Hoc est, vos ipsos: Animæ enim pro totis hominibus ponuntur, sicut suprà cap. 2. vers. 1. & alibi haud infrequenter. Et sermo est de contaminatione legali: Quamvis enim etiam spiritualiter contaminati ac peccati reatum incurrere possent, si præceptum divinum scienter violarent, extra necessitatem tangentes vel etiam edentes quæ lex prohibebat; per se tamen & directè non de illa immunditia hic agitur, sed de legali.

[ *Nec tangatis quidquam eorum,* ] Quæ nimirùm proximè præcesserunt, id est, Reptilium: Nam alia animalia licèt essent immunda, ut sunt Equi, Cameli, Asini, quando viva erant tangere poterant absque eo quòd contraherent immunditiam legalem, etsi non morticina seu Cadavera eorum.

[ *Ne immundi sitis.* ] Legaliter videlicet, aut etiam coram Deo per violationem præcepti ipsius.

[ ℣. 44. *Ego enim sum Dominus Deus vester: Sancti estote, quia ego Sanctus sum.* ] Duplex istis verbis ratio continetur præceptorum hactenùs traditorum. *Una est*, quia is qui præcipit est Hebræorum Dominus, summus nimirùm & absolutus, ac etiam Deus verus, extra quem non est alius: Qui proinde Authoritatem habet quidquid placuerit, eis præcipiendi; & consequenter cui omnimodam ipsi debent obedientiam. *Alia est*, quia Deus est Sanctus, ab omni scilicet prorsus immunditia segregatus, imò sanctitas ipsa; ideoque oportet quòd ejus populus ab immunditiis separetur, sanctitatique studeat.

[ *Ne polluatis animas vestras in omni reptili quod movetur super terram.* ] Repetitur prohibitio de Reptibilibus, quoniam magis sunt immunda, cùm nec viva tangi possint, nec mortua.

[ ℣. 45. *Ego enim sum Dominus, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut essem vobis in Deum.* ] Ut sim & habeat Deus vester, vosque mihi cultum exhibeatis tamquam Deo vestro. *Tertiam*, eamque Hebræis peculiarem reddit rationem, quare ipsos oporteat præceptis ante allatis obtemperare; quia scilicet liberavit & eduxit eos de durissima servitute Ægypti. Quod beneficium frequenter Deus illis repetit, quia primum & maximum est toti populo præstitum, ac in se complectitur signa & portenta in Ægypto patrata, ipsasque plagas Ægyptiacas, & transitum maris rubri, cum aliis quæ in deserto contigerunt.

Mal-

*Multò* autem majori ratione Chriſtianos frequenter meminiſſe oportet, quòd Chriſtus nos per ſuum ſanguinem liberavit de ſervitute diaboli, & de pœnis inferni æternis, cujus liberationis Hebræorum liberatio ſolùm erat figura.

[ ℣. 46. *Iſta eſt Lex animantium* ] *Epilogus* eſt eorum quæ in iſto Capite præcedunt, Q. d. Quæ jam dicta ſunt, ſunt Lex quædam per quam cognoſci poſſit munditia & immunditia animantium. *Animantia* autem hic vocantur ea quæ moventur in terra, neque ſunt Aves, vel piſces, vel Reptilia; nam hæc ſuis propriis nominibus poſteà exprimuntur: Sequitur enim.

[ *Ac volucrum*, ] per quas non dubium eſt Aves intelligi:

[ *Et omnis anima viventis quæ movetur in aqua, & reptat in terra*, ] Hoc eſt, omnium animalium quæ in aquis degunt, ut ſunt piſces, & quæ in terra reptant, ut quæ reptilia terræ vocantur. Quoniam enim omne quod vivit, anima dici poteſt, ideò per *animam viventem* animalia hic intelliguntur.

[ ℣. 47. *Ut differentias noveritis mundi & immundi*,] Nimirùm animalis.

*Cæterùm*, ſi Deus tam ſollicitè providit Hebræis ut poſſent agnoſcere animalia munda & immunda, quanta diligentia Chriſtiani debent incumbere, ut virtutes & vitia, bona & mala opera noverint diſcernere, præſertim illi qui curam aliorum habent!

*Quæri poteſt*, Cur in Lege Moſaica nullum inveniatur diſcrimen herbarum mundarum ab immundis, ſimiliterque aliorum terræ naſcentium, ſicut poſitum eſt in animalibus; cùm non dubium ſit multas herbas eſſe noxias. Reſpondeo rationem eſſe, quia eſus herbarum; & aliorum terræ naſcentium eſt juxta primam hominis inſtitutionem, cùm ante peccatum Deus dixerit: *Ecce dedi vobis omnem herbam &c.* Geneſ. 1. quod de animalibus non dixit; longèque minùs peccatur per luxum & gulam in herbarum eſu, quàm in eſu animalium. Reſtringi ergo debuit eſus eorum quæ poſt primam inſtitutionem gula appetiit, & in quibus per gulam ſæpius peccatur; non ſimiliter eorum quæ ex prima inſtitutione Deus conceſſit, & in quorum eſu minùs peccatur. Conferri poſſunt quæ B. Thomas habet 1. 2. quæſt. 102. art. 6. ad 2. & quæ Eſtius in hunc locum. Quod attinet ad herbas noxias, Lex naturæ per ſe ſatis eas prohibet. Si dicas ante peccatum fuiſſe vetitum primis hominibus unius arboris fructum: Reſpondeo hoc non fuiſſe propter aliquam ejus immunditiam vel naturalem vel legalem, ſed ſolùm ad probandam eorum obedientiam.

## C A P U T XII.

*Puerperæ immunditia, & mundatio cum oblatione.*

[ ℣. 1. MUlier, *ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit*. ] Non abſque Myſterio, & ſingulari Spiritus Sancti providentia additum eſt, *Si ſuſcepto ſemine*; per hoc enim indicare voluit futuram aliquando mulierem, quæ abſque ſuſcepto ſemine maſculum pareret, & quæ idcircò hac lege non comprehenderetur. Et hæc fuit *Beatiſſima Virgo* Maria, quæ ſine ſuſceptione ſeminis Chriſtum concepit ac peperit, Ipſam enim Lege præſenti comprehenſam non fuiſſe tradunt Origenes, Procopius, Rupertus, Beda, Bruno Herbipol. ſuper Levit. Theophilactus ſuper Lucam, Bernardus Serm. 1. de Purificatione, Doctor Angelicus 3. p. quæſt. 37. art. 4. & alii Veteres communiter. Quibus tamen ſe opponunt Abulenſis, Oleaſter, & quidam alii Hebraizantes: Partim quia non habetur in Hebræo, *ſi ſuſcepto ſemine*, ſed, *mulier, cùm ſeminificaverit*, ſive cùm ſemen ſeu prolem habuerit: Nam *ſemen* frequenter poni pro *prole* notiſſimum eſt in ſacris Litteris: Partim quia Legiſlator ſine cauſa intendiſſet excipere Beatam Virginem, cùm illa exceptio nulli uſui eſſet futura. Neque enim ipſa erat iſtius exceptionis privilegio uſura, neque aliis conſtare poterat quòd non ſuſcepto ſemine concepiſſet. Verùm, hæ rationes non multum urgent. *Non prima*. Quamvis enim ſemen poni haud rarò pro prole certum ſit; hic tamen non ita ponitur, ſed pro ſemine prolifico quod eſt principium generationis; ejuſmodi autemque eſt ſemen quod mulieres ex viris ſuſcipiunt. Nec noſtra ſolùm Verſio vulgatis habet, *ſi ſuſcepto ſemine*, ſed ita quoque habent Lyranus & Vatablus. Et juxta verſionem quæ exhibet, *cùm ſeminificaverit*, non eſt ſenſus, *cùm prolem habuerit*; ſed, *cùm ex ſemine ſuſcepto conceperit*: Vel, *cùm ſuſcepto viri ſemine, ſuum quoque ſemen emiſerit*. *Non ſecunda* ad excellentiam quippe B. Virginis multùm pertinuit quòd modus quo Chriſtum erat conceptura tanto antea tempore fuerit Propheticè indicatus, quòdque ipſa, tametſi lege non comprehenſa, legem tamen ſervare voluit: Quæ etſi aliis non conſtiterint quando peperit, fidelibus tamen poſterioribus ſatis conſtat. Si cum Abulenſi dicas, aliquem ſanguinem de utero B. Virginis fluxiſſe, poſtquàm Salvator noſter de utero ipſius exivit, ideòque oportuiſſe ipſam purgari juxta legem: Omninò negandum eſt; neque enim ſeminis, neque ſanguinis, neque alicujus alterius rei ſordes fuerunt vel in conceptu vel partu Sanctiſſimæ Matris. *Stulte*, ait Auguſtinus Lib. de quinque hæreſib. cap. 5. *unde ſordes in Virgine Matre, ubi non eſt concubitus cum homine Patre? Ubi ſordes in ea quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo perpeſſa eſt dolorem?* Quibus conſentanea ſcribunt S. Epiphanius contra ultim. hæreſim. B. Leo Serm. 2. de Nativitate Domini, Zeno, Ildeſonſus & alii tum veteres tum recentiores.

[ *Immunda erit ſeptem diebus, juxta dies ſeparationis menſtruæ*. ] Hoc eſt, eo modo, & tot diebus erit immunda, quo modo & quot diebus immunda eſt mulier, quæ redeunte menſe patitur fluxum ſanguinis, ſeu menſtrualium, eamque ob cauſam ſeparatur ab aliorum conſortio. Quis porrò vel qualis eſſet iſte modus, exprimitur infra cap. 15.

[ ℣. 3. *Et die octavo circumcidetur Infantulus*: ] Juxta Legem Geneſ. 17. latam, quæ etiam ſervata fuit in S. Joanne Baptiſta Lucæ 1. Et in Chriſto Lucæ 2.

[℣. 4. *Ipſa verò triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ*. ] Sive, in ſanguine à quo purgari, & purificari debet: Aut, per *Hypallagen*, Manebit in ſanguine Purificationis, domi ſcilicet ſe continebit, donec & ſanguine & ſordibus partus purificata fuerit, ſicque erit triginta tribus diebus immunda. Qui dies 33. diverſi erant à primis ſeptem, & ideò per dies quadraginta immunda erat quæ maſculum pepererat; differenter tamen, Primis enim ſeptem diebus immunda erat ſicut mulieres quæ patiuntur menſtruum; reliquis autem, ſolùm debebat domi manere, & abſtinere ab his quæ ſequuntur.

[*Omne Sanctum non tanget*, ] Id eſt, nullam rem ſacram ei tangere licet. Ideòque nec de ſacrificiis illis quorum alliàs poterant eſſe participes, nec de aliis rebus ſacris comedere ipſis licebat; imò nec tangere cineres luſtrationis ad expiandum aliquem immundum. Ut enim Numeror. 19. præſcribitur mundus immundum luſtrare debebat.

[ *Nec ingredietur in Sanctuarium*, ] Seu in eam Atrii ſanctuarii partem ad quam Laici tum viri tum mulieres ingredi poterant, modò eſſent mundi.

[ *Donec impleantur dies purificationis ſuæ*. ] Qui, ut jam dictum eſt, erant quadraginta: Poſt eos verò, licebat ipſi & Sancta tangere, & in Atrium Sanctuarii introire.

*Allegoricè*, per iſtos dies quadraginta purificationis, intelligi poſſunt dies præſentis vitæ quibus imago Dei in nobis purificatur ut ingrediamur in Sanctuarium, & in Tabernaculum æternæ beatitudinis.

[ ℣. 5. *Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus* ] Hoc eſt, quatuordecim diebus.

[ *Juxta ritum fluxus menſtrui, & ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ*. ] Significatur

quòd quæ mulier fœminam pareret, esset quatuordecim diebus eo modo immunda quo mulieres immundæ erant tempore menstrui; in sequentibus autem diebus sexaginta sex, tantùm debebat se domi continere, & res sacras non contingere, & non ingredi in Atrium Sanctuarii: Sicque in universum ejus immunditia durabat per dies octoginta. Si quæras, quare in partu fœmineo plures dies purificationis præscribuntur quàm in partu masculi, & quidem ad duplum. Respondeo rationem esse, quoniam in genitura fœminæ, naturalis immunditia Matris est major, majorque & diuturnior sanguinis & sordium fluxus, quàm in genitura masculi. Præscribuntur autem quadraginta dies pro partu masculi, & octoginta pro partu fœminæ; non quòd semper tot diebus duret fluxus & evacuatio sordium, sed quia eò usque extendi potest, & non ultra, saltem ordinariè.

[ ℣. 6. *Cumque expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio, sive pro filia,* ] Ista, *pro filio, sive pro filia*, non debent construi cum verbo sequenti, *deferet*; sed cum præcedentibus, *Purificationis suæ*. Et sensus est: Cùm expleti fuerint dies quibus puerpera debet purificari ab immunditia quam contraxit pariendo sive filium sive filiam, quadraginta scilicet pro partu filii, & octoginta pro partu filiæ.

[ *Deferet Agnum anniculum* ] Hoc est, qui superet quidem septimum diem à nativitate (ante octavum enim offerri non poterat ob legem Exod. 22.) adhuc tamen sit infra annum.

[ *In holocaustum*, ] Ut offeratur Deo in holocaustum, in ejus laudem, & gratiarum actionem, quòd puerperam à doloribus partus, & periculis mortis, quæ tunc magna sunt, liberaverit. Etsi enim holocaustum non esset ex prima sua institutione ordinatum ad gratiarum actionem, sed ad significandum totum hominem, & omnia quæ ad ipsum pertinent, Dei esse; & ad ipsum purè & simpliciter honorandum tamquàm Dominum supremum: Tamen quando cum holocausto non offerebatur simul hostia gratiarum actionis, quæ erat species hostiæ pacificæ, in holocausto includebatur gratiarum actio.

[ *Et pullum columbæ sive turturem pro peccato*, ] Cur non dicatur *pullum turturis*, & *columbam*, ex dictis ad cap. 1. v. 14. petendum est. Cùm dicitur, *pro peccato*, dubium est de quo, & de cujus peccato sit intelligendum. Satis convenit non agi de peccato prolis, cùm illa nullum die quadragesimo peccatum haberet, originali per circumcisionem remisso die octava in masculis; in fœmellis autem per signum aliquod de quo diximus 3. p. quæst. 61. art. 3. Sed nec videtur sermo esse de peccato matris propriè dicto, cùm nullum designari possit pro quo præscriptum fuerit hoc sacrificium. Nam neque pariendo peccabat, neque virum cognoscendo, si per se res consideretur. Et ut concederetur, non rarò aliquod vanæ delectationis peccatum in actu conjugali intervenire; quare ejus expiatio tamdiu fuisset differenda? Et quare mulieris potiùs quàm viri peccatum debuisset sacrificio purgari? Duobus igitur aliis modis tolli potest hæc difficultas. *Unus est*, ut sermo sit de peccato Matris, sed per peccatum non intelligatur peccatum propriè dictum, sed legalis immunditia quam puerpera ex profluvio sanguinis contrahebat, & à qua sacrificia vetera poterant expiare: Cui expositioni convenit, quod mox sequitur, *quod offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, & sic mundabitur à profluvio sanguinis. Alter est*, ut cùm hic dicitur *pro peccato*, neque Matris, neque prolis peccatum significetur; sed sensus sit pullum Columbæ, sive turturem offerendum esse tamquam hostiam pro peccato. Quia tamen non apparet debuisse offerri hostiam pro peccato, nisi aliquod esset peccatum aut verum, aut impropriè dictum: Ideò prior modus videtur esse præferendus. Cui similis omninò est ille qui habetur infra cap. 14. dum leproso præscribitur offerre pro delicto sive pro peccato; cùm tamen lepræ immunditia non esset veri nominis peccatum: Possetque absque hujusmodi peccato contrahi. Idemque judicium est de eo quod cap. 15. dicitur pro emundatione semi-ni-flui.

[ *Ad ostium Tabernaculi Testimonii, & tradet Sacerdoti.* ] Eousque deferebat puerpera hostias Deo per Sacerdotem offerendas.

[ ℣. 7. *Et orabit pro ea*, ] Muliere nimirùm puerpera. Ubi cùm non dicatur *pro eo*, scilicet *puero*, consequens est, id quod supra diximus, non fuisse scilicet jussum offerri pro puero. Nec refert quod Lucæ 2. Ubi parentes Christi leguntur istam legem servasse, dicitur, *ut facerent secundùm consuetudinem legis pro eo*: Quodque in festo Purificationis canitur; *Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum*: Nam *pro eo*, idem illic valet, ac *quia ipse natus est*: Sive, *quia B. Mater eum peperit*.

[ *Et sic mundabitur à profluvio sanguinis sui.* ] Hoc est, ab immunditia legali quam contraxit ob fluxum sanguinis, ideoque deinceps poterit & sacra tangere, & ad Sanctuarium ire sicut priùs.

[ *Ista est Lex parientis masculum aut fœminam.* ] Seu, quam servare debet illa mulier quæ peperit masculum aut fœminam. Notandum porrò quòd sicut aliæ leges cæremoniales fuerunt per Christum abolitæ, ita & hæc; ideoque secluso scandalo, mulieres statim à partu possunt ire ad Ecclesiam gratias Deo acturæ, quemadmodùm declaravit Innocentius III. cap. unico de Purificatione. Antiquus tamen ac probatus Ecclesiæ mos quo puerperæ duas aut tres septimanas expectant, ac tum demum Ecclesiam accedunt ad agendas Deo gratias pro partus liberatione, suaque incolumitate, & ut Sacerdotis benedictionem accipiant, nequaquàm est negligendus; tum quòd Pontifex eodem loco sic addit: *Si tamen ex veneratione voluerint aliquamdiù abstinere, devotionem earum non credimus improbandam*; tum quòd talis consuetudo est in Ecclesia valdè generalis, nec aliud quàm honestatem & pietatem redolet. Si dicas eam ex superstitione aut imitatione Judaica descendere; negandum est, non enim Ecclesia intendit vel legem Mosaicam servare, vel quiddam Judaicum imitari, sed aliquid facere honestati sibique conveniens. Unde non jubet illam quæ masculum peperit expectare dies quadraginta, & eam quæ fœmellam, octoginta; neque præscribit offerri Agnum & turturem vel columbam, sed ordinat ritum quo puerpera, quæ partim propter honestatem donec à profluvio sanguinis emundetur, partim propter infirmitatem donec vires corporis confirmentur, domi se continet, suscipienda sit à Sacerdote ab eoque benedicenda quando primùm venit ad Ecclesiam. At dices, Ritus ille vocari solet *Purificatio*, ipsaque puerpera dicitur esse purificanda: Ergo aliquam habet immunditiam; nec apparet quòd aliam quàm legalem; ergo Ecclesia agnoscit Judaicam seu legalem immunditiam. Respondeo Ritum illum non esse Purificationem, & valde impropriè sic vocari, ex eo scilicet quòd non solet adhiberi nisi postquàm mulier explevit tempus purgationis à sordibus puerperii, unde nec nisi abusivè ipsa dicitur esse Purificanda. Atque hæc causa est cur in Manualibus seu Pastoralibus Romano & Atrebatensi Ritus hic vocetur *Benedictio mulieris post partum*.

[ ℣. 8. *Quòd si non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre Agnum*, ] Hoc est, si mulier ita sit pauper ut non inveniat in facultate sua Agnum anniculum, nec pretium ad eum emendum, sicque non possit Agnum offerre.

[ *Sumet duos Turtures, vel duos pullos Columbarum*, ] Et horum sive turturum, sive pullorum, *unus* debebat offerri per Sacerdotem in holocaustum, *alter* tamquàm hostia pro peccato, ut mulier emundaretur ab immunditia legali, unde sequitur:

[ *Orabitque pro ea Sacerdos*, ] Offerendo scilicet hostiam pro peccato.

[ *Et sic mundabitur*. ] Quemadmodùm versu 7. fuit dictum. Istam legem de oblatione pauperibus puerperis præscripta, servavit B. Virgo Deipara Lucæ 2. non solùm quia erat spiritu pauper, & paupertatis amans, sed quoniam reverà erat conditione pauper. Nec refert quòd ea auro per Magos oblato facilè potuisset Agnum emere; siquidem ante diem

Puri-

Purificationis illud in pauperum usus distribuerat. Et quamvis aliquid ei superfuisset, non tamen decebat modestiam ejus, quæ ab omni fastu erat aliena, ut subitò indueret conditionem divitum. Observandum porrò præter hanc legem de Purificatione puerperæ, quæ generalis erat, aliam fuisse specialem pro Masculo primogenito, ut is offerretur Deo, & redimeretur quinque siclis Exod. 13. & Numer. 18. Et quoniam huic oblationi non erat per legem præfixus dies; consuetudo obtinuit ut fieret eadem die qua purificabatur Mater, ut ex Luc. 2. colligitur.

*Moraliter*, Mulier quæ suscepto semine parit Masculum, intelligi potest anima quæ Spiritu Sancto ipsum fœcundante concipit virile propositum boni operis, illudque exequitur, ac nihilominùs immunda est septem diebus, quoniam in hac vita per septenarium dierum significata *in multis offendimus omnes*, Jac. 3. *Neque est homo qui non peccet*, 2. Paralip. 6. Die autem octava mundatur, quia in octava Resurrectionis ab omni defectu erit mundata: Etiam per dies quadraginta manet in Purificatione: Quia debet agere pœnitentiam quæ per tempus quadraginta dierum significatur. Quæ autem fœminam parit, id est, bonum quidem, sed infirmum ac debile, plus est immunda, & majorem pœnitentiam agere debet. Offert agnum qui est animal simplex, quando peccatum perpetratum humanæ menti simpliciter, & verè displicet, & non tantùm simulatoriè: Turturem verò, qui gemitum habet pro cantu, quando non solùm verè displicet peccatum, sed etiam mens acriter gemit ac dolet: Columbam autem quæ est Symbolum Spiritus Sancti, quando per Spiritus Sancti gratiam anima peccatrix reformatur.

## CAPUT XIII.

*Lex & cognitio lepræ in homine & vestimento.*

DE Lepræ immunditia deinceps agitur, & de signis quibus discerni possit. Quæritur autem, qualis fuerit Lepra Judæorum? Respondeo non fuisse unum aliquem morbum, sed varia cutis & coloris vitia, turpitudines, & immunditias: Non enim sanati, sed mundati dicuntur qui ea caruerunt ait Augustinus Lib. 2. Quæst. Evangelic. cap. 40. Unde sequitur, non fuisse per omnia eamdem cum lepra nostrarum Regionum, quæ etiam domos & vestes non inficit, sicut inficiebat lepra Judæorum. Interdum tamen fuisse apud Judæos Lepram quæ carnem & viscera depascebatur, eratque eadem, aut omninò similis nostræ ex versu 45. intelligi potest, ubi leprosi jubentur os tegere; utique ne alios suo pravo halitu inficerent: Licèt enim ista Lex sit Cæremonialis, sicut tamen reliquæ, ita & hæc in naturali ratione fundatur,

[ ℣. 1. *Locutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron*, ] Utrique simul tradit Deus leges sequentes: Illi ut Legislatori, huic ut summo Sacerdoti: Ad Sacerdotes enim spectabat judicium lepræ. Hic autem dantur indicia lepræ discernendæ.

[ ℣. 2. *Homo in cujus cute & carne ortus fuerit diversus color sive pustula*, ] *Homo* complectitur utrumque sexum. *Diversus color* is intelligitur qui esse notabiliter variatus à colore pristino naturali. *Pustula* est inflatio aliqua vel tumor ex putrida materia exurgens.

[ *Aut quasi lucens quidpiam*, ] Hoc est, candor quidam interlucens.

[ *Id est plaga lepræ*, ] Ista sunt signa quæ lepram indicent, vel saltem probabilem de ea dubitationem moveant.

[ *Adducetur ad Aaron Sacerdotem, vel ad unum quemlibet filiorum ejus*. ] Mandat ut ejusmodi de lepra suspectus, nisi spontè veniret, adduceretur ad summum Sacerdotem, aut ad unum ex Sacerdotibus inferioribus, ad eum videlicet, cujus essent vices, vel cui esset commissum. Si quæras, quare judicium Lepræ, quod proprium est Medicorum, qui de corporalibus morbis aliisque hujusmodi judicare habent, commissum fuerit Sacerdotibus: Respondeo rationem esse, quoniam Lepra, etsi non pertineret ad Sacerdotem ut morbus ab eo curandus, ut immunditia tamen quæ hominem à Sanctuario & ab aliorum consortio arcebat, spectabat ad Sacerdotem; cùm muneris Sacerdotalis esset munditiam divini cultus curare, & immundos ab eo repellere. Simul quoque per hoc significabatur futurum quòd ad Sacerdotes novi Testamenti pertineret judicium lepræ spiritualis, sive peccati.

[ ℣. 3. *Qui cùm viderit Lepram in cute*, ] Septuaginta & alii quidam reddunt: *Tactum in cute carnis*. Alii, *maculam in cute carnis*. Q. d. Cùm Sacerdos viderit hominem, seu corpus ejus tactum sive maculatum & vitiatum in cute carnis, quod est indicium lepræ.

[ *Et pilos in album mutatos colorem*, ] *In album*, hoc est, *in albidum*, ait Hugo Cardinalis: Non enim intelligitur Albedo propriè dicta, quæ in homine est color vividus & naturalis, sed candor quidam ex corruptione causatus; qui v. 16. vocatur *albor*, & est albedo in palloremdeclinans.

[ *Ipsamque speciem lepræ* ] Heb. dicunt, *aspectum plagæ*, id est apparentem speciem lepræ:

[ *Humiliorem cute & carne reliqua*; ] Q. d. Cùm viderit extremam superficiem loci malè affecti esse inferiorem seu profundiorem quàm sit reliqua cutis & caro vicina.

[ *Plaga lepræ est*, ] Ex illis indiciis judicabit esse plagam lepræ. Inest enim lepræ vis corrosiva cutis & carnis, atque ex cap. 4. Exod. & ex cap. 12. Numer. liquet candorem extraordinariè advenientem esse indicium lepræ.

[ *Et ad arbitrium ejus separabitur*. ] Non sumitur hic *arbitrium pro libera voluntate* ac beneplacito Sacerdotis, sed pro judicio: Non enim ei licebat pro suo placito segregare ab hominum consortio, sed juxta præscriptum legis quæ jubebat Leprosum habitare extra Castra infrà versu 46. sicque servatum fuit in Maria Sorore Moysi Numer. 12. in Ozia Rege 2. Paralip. 26. & in aliis. Neque opponendum est quòd Simon *Leprosus* de quo Matth. 26. non ita esset separatus, quandoquidem Christum Dominum Convivio exciperet: Quoniam non erat tunc Leprosus, sed ita cognominatur: Vel quia quondam Leprosus à Domino fuerat mundatus: Vel quia hoc erat ei familiare cognomen, quamvis numquàm fuisset Leprosus; quemadmodùm quibusdam est cognomen *cocles*, *rufus*, *claudus*, qui tamen numquàm fuerunt coclites, rufi, & claudi.

[ ℣. 4. *Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, & pili coloris pristini*, ] Si fuerit quidam color à naturali albedine degenerans & ex aliquali corruptione exurgens, qui *albor* dici potest, & est unum ex indiciis lepræ, ita tamen ut neque cutis neque caro istius loci sit depressior humiliorve, sed etiam retineat æqualitatem, & pili suum colorem naturalem non mutent; talis homo non est penitus extra castra separandus, cùm non constet ipsum esse leprosum; sed recludendus est, ne interim dum est suspectus alios inficiat: Unde sequitur.

[ *Recludet eum Sacerdos septem diebus*, ] Jubebit eum tot diebus recludi: Et quoniam non exprimitur quo in loco sic suspectus esset recludendus, verisimile est quòd quisque in aliqua parte suæ domus, ubi se continere, & ab aliorum consortio abstinere debebat. Determinantur autem septem dies, quòd illi soleant multùm esse critici seu judiciarii, in quibus scilicet judicium rationabile ferri potest de ægritudinibus.

[ ℣. 5. *Et considerabit die septimo*: ] Utrùm sit aliquid mutatum circa eum propter quod deprehendatur esse leprosus vel sanus.

[ *Et siquidem lepra* ] Seu lepræ similitudo & macula quæ lepræ suspicionem faciebat.

[ *Ultra non creverit, nec transierit in cute priores terminos*, Id est, si nec intensivè nec extensivè creverit; incrementum enim extensivum posteriora verba significant; intensivum per priora designatur.

[ *Rursum recludet eum septem diebus aliis*] quia necdum constat sitne leprosus an mundus, & num casu aliquo lepra sit occultata.

[ ℣. 6. *Et die septimo contemplabitur:* ]Eum scilicet qui de lepra fuerat suspectus.

[ *Si obscurior fuerit lepra, & non creverit in cute,* ] Si macula seu signum & similitudo lepræ sit obscurior, ita ut albor qui anteà faciebat suspicionem lepræ, sit in nigredinem mutatus, vel obscuratus; Et macula illa nec profundiùs in cute creverit, nec latiùs se diffuderit. Liquet *lepram* hic aliquoties *impropriè* accipi: Quoniam si esset Lepra *propriè* dicta, homo judicaretur leprosus & immundus, neque maneret locus disquisitioni.

[ *Mundabit eum,* ] Judicabit ac declarabit eum esse mundum & immunem à lepra. Non enim potest hic *propriè* accipi *mundare*, pro eo quod est *mundum facere*: Cùm Sacerdos veteris Testamenti non haberet virtutem curandi lepram, aut mundandi leprosos.

*Hinc* argumentatur Hæreticus; Sacerdos veteris Testamenti tantùm ideò mundat, quia mundum declarat: Ergo similiter Sacerdos novi Testamenti, cujus ille typum gessit, solùm mundat & absolvit, quia mundum & absolutum esse declarat.

*Sed* Respondeo, negando consequentiam. Iniqua enim est ista comparatio: cùm plus efficaciæ tribuendum sit veritati quàm umbræ & figuræ: Sacerdotium autem novi Testamenti est veritas quam Sacerdotium vetus adumbrabat & figurabat; ideoque plus tribuere oportet Sacerdotibus testamenti novi quàm veteris. Hinc Chrysostomus Lib. 3. de Sacerdotio: *Corporis lepram purgare, seu verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare Judæorum Sacerdotibus solis licebat; At verò nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ sordes non dico purgatas probare, sed purgare prorsùs concessum est.*

[ *Quia Scabies est:* ] Simplex nimirùm, propter quam non erat quispiam simpliciter judicandus immundus, nec ab aliorum communicatione excludendus.

[ *Lavabitque homo vestimenta sua,* ] Sive propter lepræ suspicionem quam intulit, sive ob aliquam, etsi levem, immunditiam quam scabies secùm adfert, Et hæc lotio non erat aquis lustrationis facienda, sed aquis communibus. Quænam porrò vestimenta hujus hominis lavari deberent, non exprimitur quidem; verisimile tamen est quòd omnia, aut saltem ea quæ carnem atque adeò scabiem propiùs attingebant.

[ *Et mundus erit.* ] Peracto Sacerdotis judicio, factaque vestimentorum lotione habebitur mundus quantùm ad lepram, ne censeatur leprosus; & ut liberè possit in atrium mundorum ingredi, sacris interesse, eaque tractare.

[ ℣. 7. *Quòd si post quàm à Sacerdote visus est, & redditus munditiæ,* ] Si postquàm fuit à Sacerdote consideratus, & ex ejus sententia mundus judicatus, atque ita mundorum consortio & convictui redditus:

[ *Iterum lepra creverit;* ] Vel quæ priùs inerat, sed latebat, lepra creverit, vel nova lepræ indicia apparuerint, non propter priorem sententiam permitti debet inter sanos & mundos habitare: Cùm enim Sacerdotis de lepra judicium non esset infallibile, sententia illa potuit continere errorem: Sed homo iste.

[ *Adducetur ad eum:* ]si visus fuerit habere manifesta signa lepræ.

[ ℣. 8. *Et immunditiæ condemnabitur.* Judicabitur esse immundus & leprosus; quia tum ejusmodi signa redeuntia, tum ipsum lepræ malum recrudescens arguunt intùs inhærentem lepræ radicem.

[ ℣. 9. *Plaga lepræ si fuerit in homine,* ] Aliud genus lepræ describitur, quæ non in sola cute, aut corporis superficie esset, sed in carne viva. 70. & alii ex Hebræo vertunt: *Tactus lepræ si factus fuerit in homine:* Id est, si lepra hominem aliquem tetigerit, seu infecerit:

[ *Adducetur ad Sacerdotem,* ] Generale hoc erat in omnibus speciebus lepræ, quo is qui videbatur ea esse infectus, iret vel adduceretur ad Sacerdotem, quia ad illum solum pertinebat judicare de lepra.

[ ℣. 10. *Et videbit eum.* ] Considerabit an secundum regulas hic traditas reverà sit lepra, an non. Quamvis ergo dicatur, *si fuerit plaga lepræ in homine;* non tamen oportet præsupponi esse veram lepram: Nam si hoc præsupponeretur, non debuisset homo ille duci ad Sacerdotem ut consideraret utrùm esset leprosus, an non; Sed plaga lepræ accipitur pro similitudine lepræ.

[ *Cùmque color albus in cute fuerit,* ] In illa scilicet cute quæ plagam lepræ ambit. *Color albus* intelligitur sicut in versu 3. dictum est, qui *albidus* dici potest, & à naturali albedine in *pallorem* degenerat.

[ *Et capillorum mutaverit aspectum.* ] Faciendo quòd capitis aliarumvè partium corporis pili à suo nativo colore mutati sint in alium.

[ *Ipsa quoque caro viva apparuerit:* ] Cute scilicet quæ anteà illam operiebat lacerata & detracta, vel plagæ eam exedentis. Dicitur namque caro viva apparere, quando cutis ablata est, vel consumpta, & apparet ipsa caro rubra & sanguinolenta quæ priùs sub cute latebat.

[ ℣. 11. *Lepra vetustissima judicabitur, atque inolita cuti.* ]Illis tribus signis simul apparentibus, non solùm judicabitur esse lepra, sed etiam quòd à multis temporibus in carne præfuerit, sitque consueta esse in cute. Cujus judicii ratio est, quòd lepra nova non potuisset tantum carnis & cutis corrodere.

[ *Contaminabit itaque eum Sacerdos,* ] Hoc est, eum contaminatum esse judicabit; neque enim Sacerdos ipsum propriè contaminabat, cùm nullam ei maculam inferret, sed contaminatum seu pollutum esse ac leprosum definiebat.

[ *Et non recludet,* ]Ad examinandum denuò sitne malum lepræ an non;

[ *Quia perspicua immunditia est.* [ Alii ex Hebræo: *Quia immundus ipse,* q. d. quia homo iste evidenter est immundus.

[ ℣. 12. *Sin autem effloruerit discurrens lepra in cute;* ] Alius à præcedente casus proponitur. Si malum quod candor lepræ videtur esse, quodque ab ignorantibus putatur esse lepra, germinaverit & creverit, non in uno corporis loco manens, sed tamquàm si ab una parte in aliam transiret discurrens per totum corpus.

[ *Et operuit omnem cutem à capite usque ad pedes, quidquid sub aspectum oculorum cadit,* ] hoc est, quidquid oculis videri potest: Continent enim hæc verba expositionem præcedentium; *Si malum istud operuerit omnem cutem à capite usque ad pedes,* & non tantùm id quod est vestimentis tectum, cujusmodi sunt facies & manus, & aliqua pars crurum, vel etiam pedum, sed quidquid est oculis aspectabile.

[ ℣. 13. *Considerabit eum Sacerdos,* ] Diligenter talem hominem inspiciet: Et si repererit totum corpus ita esse candore respersum, sed nec pilos in alium à nativo colore mutatos, nec vivam carnem apparere.

[ *Et teneri lepra mundissima judicabit:* ] Cum *nulla lepra* sit munda, necesse est *lepram* hic *impropriè* accipi, nimirùm pro *scabie candida*, quam vulgares distinguere nescientes, lepram vocant. Dicitur autem *mundissima*, vel quia inter omnes species quæ *lepra* vocantur, nulla est mundior, cùm hæc non sit contagiosa: Vel quia corpus purgat & emundat. *Scabies* namque per totum corpus discurrens, tantùm est purgatio naturæ validè humores vitiosos undequaque ejicientis: Cùm verò in una solùm parte corporis candor lepræ considet, indicium est aliquam ibi esse radicem corruptionis; ideoque talis jubetur recludi ad explorandum sitne lepra an non.

[ *Eò quòd omnis in Candorem versa sit,* ]Sive, quia tota caro in alborem versa est; absque partium scilicet corrosione & putrida depressione.

*Et*

[ *Et ideircò homo mundus erit*. ] Judicabitur mundus eſſe à lepra, quamvis non à ſcabie.

[ ℣. 14. *Quando verò caro vivens in eo apparuerit*, ] Quando in tali homine aliquis locus eſt in quo apparet caro viva, cute ſcilicet diſcooperta, ideoque rubra & ſanguinolenta propter corroſionem mali humoris qui cutem ipſam lacerat.

[ ℣. 15. *Tunc Sacerdotis judicio polluetur*, ] à Sacerdote judicabitur pollutus & leproſus.

[ *Et inter immundos reputabitur*. ] Ab omnibus videlicet, ideòque ab hominum conſortio excludetur. Quidam exiſtimant quòd antè hoc Sacerdotis judicium non licebat alicui de populo reputare illum tamquam immundum, aut eum excludere à communione cæterorum, quamvis eſſet verè leproſus. Sed diſtinctione utendum eſt. Si privatus quiſpiam ſciret eſſe lepram, poterat cautè ipſum vitare, & conſortium ejus declinare; ad proprium periculum cavendum, hoc enim natura docet: Non tamen poterat ipſum à communione cæterorum excludere; quia id non ad privatum aliquem pertinet, ſed ad eum qui publicam habet authoritatem.

[ *Caro enim viva ſi lepra aſpergitur*, ] Si lepræ notis affecta ſit.

[ *Immunda eſt*. ] Quæ conditio propterea videtur eſſe addita, quia ſi caro viva appareret ſine illis notis, judicabatur quòd ex alia cauſa non pertinente ad immunditiam eſſet viva, ſeu abſque cute.

[ ℣. 16. *Quòd ſi rurſum verſa fuerit in alborem*, ] Si deſierit apparere caro viva, & ipſa, ſeu ipſius color verſus fuerit in colorem qui ad *pallorem* accedit.

[ *Et totum hominem operuerit*, ] Ita ut in eo nulla caro appareat ſine cute:

[ ℣. 17. *Conſiderabit eum Sacerdos*, ] Synonyma hic ſunt: *Conſiderare*, *contemplari*, *videre*, perindeque eſt quòd modò unum ponatur modò alterum.

[ *Et mundum eſſe decernet*. ] Seu non leproſum. Iſta enim ſunt indicia quòd totum malum foras eruperit, ceſſetque lepra.

[ ℣. 18. *Caro autem & cutis in qua ulcus natum eſt & ſanatum*. ]

[ ℣. 19. *Et in loco ulceris cicatrix alba apparuerit, ſive ſubrufa*, ] ſeu *ſubrubra*. Deſcribitur aliud genus lepræ, ejus ſcilicet quæ naſcitur in ulcere quod ſponte ſeu ex cauſa interiore ſeca prodiit. Cùm enim poſtquam ulcus erat curatum, hæc tria reperiebantur, quòd in loco ulceris appareret cicatrix *albi*, vel *ſubrufi*, ſeu *ſubrubri* coloris: Et quòd locus ulceris eſſet humilior, ſeu profundior reliqua carne: Quòdque pili à priſtino colore eſſent in *candorem*, ſeu *alborem* mutati; Sacerdos debebat talem hominem contaminare, ideſt, contaminatum & immundum declarare. Cujus ratio mox redditur.

[ ℣. 20. *Plaga enim lepræ orta eſt in ulcere*. ] Si autem non omnia iſta tria reperiebantur, ſed vel unum tantùm, vel duo; non erat judicandum eſſe lepram, ſed dicitur quòd Sacerdos.

[ ℣. 21. *Recludet eum ſeptem diebus*. ] Ut poſt illos dies re examinata poſſit ferre ſententiam. Non jubetur bis recludere per ſeptem dies, ſicut in alio caſu verſu 5. quia in lepra, ſeu in indiciis lepræ ex ulcere, ſeptem dierum ſpatium ſufficiebat.

[ ℣. 22. *Et ſiquidem creverit*, ] Si die ſeptimo Sacerdos viderit cicatricis alborem lucentem eſſe auctum, vel in ſe, vel per ſui extenſionem ſeu diffuſionem.

[ *Adjudicabit eum lepræ*. ] Judicabit eum eſſe leproſum: Quia iſtud incrementum erat ſufficiens ſignum lepræ; ſi enim non eſſet vera lepra, iſte albor potiùs defeciſſet, quàm creviſſet.

[ ℣. 23. *Sin autem ſteterit in loco ſuo*, ] Ita ut non creverit, neque ad alias corporis partes ſe extenderit.

[ *Ulceris eſt cicatrix:* ] Non aliud eſt quàm veſtigium ulceris curati; & id quod in veſtigio ſeu cicatrice apparet album aut ſubrufum eſt ex ulcere præcedente, non autem eſt lepra.

[ *Et homo mundus erit*. ] Judicabitur eſſe mundus, & nequaquam leproſus.

[ ℣. 24. *Caro autem & cutis quam ignis exuſſerit*, ] Deſcribitur lepra proveniens ex vulnere ſeu nocumento per violentiam agentis exterioris illato. Et ſolùm quidem exprimitur ea quæ provenit ex combuſtione; idem tamen judicandum eſt de illa quæ ex aliis cauſis externis oritur.

[ *Et ſanata albam ſive rufam habuerit cicatricem*, ] Hoc eſt, ſi in loco vulneris ſanati orta ſit cicatrix alba vel rufa;

[ ℣. 25. *Conſiderabit eam Sacerdos, & ecce verſa eſt in alborem*, ] Si videat quòd cicatrix commutata ſit in alborem, qui eſt color à puro & naturali colore degenerans reique infectæ conveniens.

[ *Et locus ejus reliqua cute eſt humilior:* ] Quæ humilitas ſeu depreſſio cauſatur ex corroſione lepræ.

[ *Contaminabit eum*, ] contaminatum & leproſum eſſe judicabit.

[ ℣. 26. *Quòd ſi pilorum color non fuerit immutatus;* ] ita nimirùm, ut pili circumſtantes cicatricem aduſtam eumdem colorem retineant, quem priùs habebant.

[ *Nec humilior plaga carne reliqua:* ] Nec plaga aduſtionis ſit humilior ſeu profundior reliqua carne.

[ *Et ipſa lepræ ſpecies*, ] Seu macula quæ lepræ ſpeciem gerebat.

[ *Fuerit ſubobſcura*, ] ita ut non poſſit apertè cognoſci quòd ſit lepra.

[ *Recludet eum ſeptem diebus*. ] Confer verſ. 21. cum ſeqq.

[ ℣. 29. *Vir, ſive mulier in cujus capite vel barba germinaverit lepra*, ] Eſt hæc alia ſpecies lepræ, quæ quidem erat in carne ut patet ex verſ. 30. ubi dicitur; *ſi humilior fuerit locus carne reliqua*; ſed oriebatur intra pilos capitis vel barbæ. Et hujus lepræ indicia ſunt eadem quæ præcedentium, ſcilicet quòd ſit humilior carne reliqua, quòd ſerpat, ſeque diffundat; & quòd color mutetur à nativo. Solùm differentia eſt quòd cùm in aliarum partium lepris color mutetur in alborem; in lepra capitis aut barbæ mutetur in flavedinem, & capilli reddantur ſolito ſubtiliores. Cujus ratio eſſe videtur, quòd ſalſæ ac vitioſæ pituitæ, quæ lepram in capite excitat, flava bilis miſceatur. Sed ea conſideratio Medicorum eſt.

[ ℣. 38. *Vir, ſive mulier in cujus cute candor apparuerit*, ] Generalis regula traditur ad dignoſcendum non eſſe lepram, ſi nulla alia indicia appareant quàm candor in cute; ſi nimirùm candor ille ſit albidus quidem, ſed ſubobſcurus & parum lucens.

[ ℣. 40. *Vir, de cujus capite capilli fluunt, calvus & mundus eſt*. ] De alia ſpecie lepræ nunc ſermo eſt: In qua licèt tantùm vir nominetur, probabile tamen eſt id quod notat Abulenſis, muliebrem quoque ſexum comprehendi, ita ut ſi in fœminis reperiretur eadem calvities vel recalvatio quæ in viris, idem eſſet dicendum, etſi rariùs ea contingant in fœminis.

[ ℣. 41. *Et ſi à fronte ceciderunt pili, recalvaſter & mundus eſt*. ] Quæ ſit differentia inter *calvum* & *recalvaſtrum*, non omninò convenit. Sententia communior eſt, *calvum* dici eum, cui à vertice vel à toto, ſeu majore parte capitis defluxerunt capilli; *recalvaſtrum* autem illum cui defluxerunt à fronte & ſincipite, ſeu ab anteriore ſolùm parte capitis. Sive autem calvus, ſive recalvaſter; decernitur, ex eo ſolo quòd talis ſit, non eſſe immundus aut leproſus, quando non adſunt lepræ indicia, quia ejuſmodi, ſive calvities, ſive recalvatio, poteſt naturaliter provenire ex capitis ſiccitate, vel ex morbo, abſque ulla immunditia lepræ.

[ ℣. 42. *Sin autem in calvitio ſive in recalvatione albus vel rufus color fuerit exortus*, ] Si in ipſo loco defluxionis capillorum exortus fuerit color albus, non quidem exactè albus, ſed à perfecta albedine degenerans, aut rufus ad quamdam rubedinem inclinans.

[ ℣. 43. *Et hoc Sacerdos viderit, condemnabit eum haud dubiè lepræ*, ] quia iſtæ maculæ albæ vel rufæ ſignificant malos humores lepræ qui corrumpunt radices capillorum; ideoque non debet talis homo recludi ad explorandum ſitne lepra an non, ſed judicandum eſt eſſe lepram.

[ ℣. 44. *Quicumque ergo maculatus fuerit lepra, & ſeparatus eſt ad arbitrium Sacerdotis*, ] Poſt tractationem de diverſis lepris in homine, earumque ſignis, quinque generalia præcepta dantur, omnes leproſos, qui Sacerdotis judicio declarati erant eſſe tales, concernentia. *Primum*,

[ ℣. 45.

[ ℣. 45. *Habebit vestimenta dissuta,* ] Seu aperta, tum in anteriori parte circa pectus, tum in lateribus: Unde fit probabile cæteros qui leprosi non erant passim solitos fuisse habere vestes clausas, aut saltem non tam multùm apertas. *Secundum est*, quòd debebant habere.

[ *Caput nudum,* ] Etsi fuerit populo Hebræo familiare nudo capite incedere extra tempus luctus; in luctu tamen solebant capita tegere, ut ostendimus Exod. 3. Imò probabiliter scribit Abulensis eos semper capita velasse cùm orabant, vel loca orationis intrabant; sicut eorum Sacerdotes Mitram habebant super caput dum sacris operabantur: At qui erant leprosi, ne quidem luctus aut orationis causa poterant operire sua capita. Neque his obstat quòd Apostolus 1. ad Cor. 11. ait: *Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum:* Alia enim est ratio veteris Testamenti; alia novi. In illo, erat Lex timoris & servitutis; in isto, lex amoris & libertatis: Ad timorem autem & subjectionem pertinet Velamen capiti impositum; Nam hoc significat potestatem alterius hominis supra se, quemadmodum docet Beatus Thomas Lect. 3. in cap. 11. prioris ad Cor. Nudatio verò capitis, ad amorem & Christianam libertatem pertinet. *Tertium* Leprosis datum præceptum, est ut haberent.

[ *Os veste contectum,* ] Aliqua scilicet parte vestis propriæ, aut alioquin alio panno vel lino; quando scilicet appropinquabant aliis qui non erant Leprosi. Quando autem erant soli, vel cum aliis pariter leprosis, non erat necesse quòd os contegerent. *Quartum præceptum*, in aliorum etiam duntaxat præsentia vel conspectu qui mundi erant, observandum, continebat ut Leprosus contaminatum ac sordidum se esse clamaret. Lyranus & Abulensis existimant Leprosum non debuisse sono vocis hoc clamare: Sed quòd per prædicta signa manifestè apparebat omnibus ipsum esse leprosum perinde ac si voce clamasset. In cujus confirmationem adfert Abulensis, quòd ad clamandum voce, leprosus debuisset habere os nudum, cùm tamen jubeatur illud tegere. Sed quoniam nihil est quod à proprietate verborum nostræ versionis vulgatæ cogat nos recedere; cum aliis dicendum est, quòd Leprosus alta & aperta voce clamare debebat se contaminatum esse ac sordidum, quoties erant qui audire possent: Ut autem id faceret, tantisper oris velamentum removere poterat. *Quintum* Leproso datum præceptum sic habet.

[ ℣. 56. *Omni tempore, quo Leprosus est: Et immundus, solus habitabit extra castra.* ] Leprosus à communi cæterorum consortio separari debebat; ideoque dum in deserto morabantur Hebræi, ubi Castra figebant, illi qui judicati erant esse leprosi, extra Castra, seu extra communem aliorum habitationem dimittebantur, ibique habitabant, vel usque ad mortem, si lepra erat perpetua; vel alioquin usque dum judicati erant esse mundati: Postquam verò terram promissionis occupaverunt, similiter extra urbes & extra conversationem aliorum habitare debebant. Quod quidam ita limitant, nisi persona leprosa esset magnæ excellentiæ; quasi tunc licuerit eam sinere habitare intra urbem in domo à reliquis separata, sicut in Ozia factum legimus 4. Reg. 15. Sed hujus limitationis veteres non meminerunt. Imò Cyrillus Alex. tum in cap. 6. Isaiæ, tum in cap. 1. Amos, & Chrysostomus super Isaiam censent Oziam Regem Jerosolymis pelli debuisse juxta Legis præscriptum: Eosque sequitur Sancius tam in Isaiam scribens, quàm in Libros Regum. Per hoc porrò quod dicitur, *solus habitabit*, non significatur Leprosos non potuisse cum aliis Leprosis habitare, sed quòd deberent habere habitationem seorsim à mundis, & ab eorum conversatione abstinere. Cum uxore tamen & liberis & servis verisimile est eos conversari potuisse; modò id esset absque aliorum qui mundi erant periculo. Et quamvis Leprosi excluderentur ab urbibus, non tam strictè tamen hoc esse intelligendum quin per modum transitus via publica incedere possent, vel etiam necessitate urgente urbem ingredi, & in ea morari vitando aliorum consortia, etsi alii dissentiant, Jansenius cap. 44. Concordiæ Evangelicæ, & Estius super Leviticum probabiliter docent. Nam vir plenus lepra, quem Christus Lucæ 5. mundavit cùm esset in una civitatum, videtur fuisse in civitate. Et quatuor Leprosi qui 4. Reg. 7. dicebant: *Sive ingredi voluerimus civitatem &c.* Non obscurè significant integrum sibi fuisse, saltem in ea necessitate in qua erant, urbem ingredi. Cumque 4. Reg. 8. Rex Israel proliæè locutus fuisse legatur cum Giezi leproso, consequenter dicendum apparet non omne cum leproso colloquium fuisse vetitum. Prædictorum porrò quinque præceptorum pro Leprosis datorum ratio partim erat pro ipsorum leprosorum utilitate, partim pro aliorum. Vestimentorum enim apertura & capitis nudatio serviebat ut putidi vapores liberiùs expirarent, qui plurimùm nocuissent valetudini, & sanationem eorum retardassent, si fuissent conclusi nec liberam habuissent viam expirationis. Oris autem velamen & vox qua se contaminatos ac sordidos esse clamabant, conducebant aliis, ne inficerentur à Leprosis: Nulla enim re magis inficere potest alium homo immundus, quàm suo pravo halitu & expiratione. In quem quoque finem serviebat leprosorum separatio, & habitatio extra urbes.

[ ℣. 47. *Vestis lanea, sive linea, quæ lepram habuerit.* ] Hactenus de lepra quæ in homine est egit Legislator: Nunc de lepra vestis laneæ, vel lineæ, vel pelliceæ disponit. Quæ fuerit lepra vestium quæri meritò potest, sicut etiam de lepra domorum cujus mentio est cap. seq. Certum est quòd quemadmodum semina pestis adhærere solent vestimentis, cubiculis, aliisque ædificiis, sic immunditia lepræ possit adhærere vesti & domui; ipsamque tum vestem, tum domum possessa sicut pestilentem, ita & leprosam. Certum præterea quòd ex aeris infectione & corruptione, vestes & domus contrahere possint pestem & lepram, seu lepræ sordes & immunditias. Verumtamen hanc fuisse vestium & domorum Judaicarum lepram, saltem adæquatam, non liquet; cùm ad eam judicandam non requirantur illa signa lepræ quæ hic & cap. seq. proponuntur; cumque hæc lepra non invadat, nec erodat vel consumat lapides duros, solidos, & novos in locum veterum, qui vitiosi erant, substitutos, sicut faciebat lepra Judæorum cap. 14. vers. 44. Dicendum ergo lepram vestibus aut domibus Judæorum inhærentem, fuisse qualitatem quamdam corrosivam vel corruptivam, quæ tum vestes tum ædes eorum depascebatur & corrodendo serpebat. De hac lepra scribit Theodoretus q. 18. quòd esset plaga quam Deus infligebat quando homines peccabant, ut sic vestium & domorum possessores ad mentem redirent: Et confirmat ex versione 70. quæ cap. 14. versu 34. habet; sicut alii quoque ex Hebræo vertunt. *Dabo tactum, seu plagam lepræ in domibus terræ quam possessuri estis.* Quæ cùm ita sint, non propterea tamen est consequens istam lepram aut semper miraculosè fuisse à Deo immissam, aut solis omninò Judæis fuisse propriam. Potuit enim mediantibus caussis naturalibus Deus eam mittere, poteratque apud alias etiam gentes esse, sed quam ipsi non curarent neque æstimarent, ut nec alias quasdam corporales immunditias.

[ ℣. 48. *In stamine atque subtegmine,* ] Lepra in vestibus aliquando erat in solo stamine, aliquando in solo subtegmine, aliquando in utroque. Sive autem esset in omnibus, sive solùm in aliquo, nihil differebat, quia semper eædem purgationes fieri debebant. *Stamen* à *stando* dictum vocatur *filum* quod tenditur in longitudinem, & rectum ac stabile est dum texitur. *Subtegmen* verò, est *filum* quod sub stamine texitur, ac per latitudinem; sive per transversum ducitur.

[ *Aut certè pellis, vel quidquid ex pelle confectum est,* ] Significatur lepram vestis posse esse non tantùm in veste lanea & linea, sed etiam in pelle, & in omnibus quæ ex pelle fiunt.

[ ℣. 49. *Si alba vel rufa macula fuerit infecta,* ] Pro *alba*, alii vertunt, *viridem*, aut, *virescentem*; non sic tamen ut significetur color omninò viridis, uti nec significatur color planè albus vel candidus: Sed designatur quivis color ab albedine degenerans in pallorem, cujusmodi est etiam ille subviridis qui ex corruptione & putredine oritur, quemdamque horrorem incutit.

[ *Lepra reputabitur,* ] Non est sensus quòd statim judicari

judicari debeat esse Lepram: Additur enim illam vestem esse considerandam & recludendam septem diebus; sed quòd digna sit ut teneatur suspecta de lepra: Unde sequitur.

[ *Ostendeturque Sacerdoti.* ] Ut scilicet eam vestem consideret.

[ ℣. 50. *Qui consideratam recludet septem diebus:* ] Ut posteà videat num macula illa creverit, an defecerit; non autem ut aliud lepræ indicium deprehendat, quia non requirebantur alia signa lepræ in vestibus. Ac in primis, non ut locus lepræ esset humilior, sicut in lepra hominis; quia vestes & pelles non ita sunt teneræ, nec habent eam humiditatem quam caro hominis, ideoque posset lepra vestis diu esse, quamvis non esset locus lepræ humilior. Deinde, non requirebatur etiam mutatio coloris pilorum: Cùm enim vestis constet ex pilis seu filis; facta mutatione in substantia vestis quantùm ad colorem, satis intelligitur mutatio coloris pilorum, seu filorum ejus.

[ ℣. 51. *Et die septimo rursus aspiciens si deprehenderit crevisse, lepra perseverans est.* ] Si deprehenderit maculam crevisse quæ erat in veste, aut in pelle, judicabit esse lepram, eamque perseverantem; alioquin enim non crevisset.

[ *Pollutum judicabit vestimentum, & omne in quo fuerit inventa:* ] Per illud *omne*, intelligitur quidquid fit quod ex lana, lino, vel pelle confectum est, ut proinde omnia ejusmodi judicanda essent polluta si in eis inveniretur macula lepræ.

[ ℣. 52. *Et idcirco comburetur flammis:* ] Ne quem ex re sic polluta infici contingat, cùm infectio quam habet sit dispositio ad inficiendum eos qui tali se utentur.

[ ℣. 53. *Quod si eam* ] lepræ maculam.

[ *Viderit non crevisse,* ] Non idcircò judicandum est rem illam esse à lepra immunem, sed velut in re dubia, expectandi erant alii septem dies. Unde sequitur.

[ ℣. 55. *Præcipiet* ( nimirùm Sacerdos ) *& lavabunt id in quo lepra est,* ] Seu lepræ signum, *est*. Ex jussu Sacerdotis oportebat, lavare vestem laneam, lineam, vel pelliceam, seu quidquid ex pelle confectum erat, saltem in ea parte in qua erat istud signum vel macula lepræ. Quæ lotio non per aquam expiationis facienda erat, sed per aquam simplicem cum defricatione.

[ *Recludetque illud* ] In quo est macula, seu signum lepræ.

[ *Septem diebus aliis.* ] Pro *aliis*, ex Hebræo alii vertunt, *secundò*, eodem sensu.

[ ℣. 55. *Et tunc viderit faciem quidem pristinam non reversam, nec tamen crevisse lepram,* ] *Faciem pristinam* vocat eam quam vestis aut pellis seu quidquid aliud est, habebat priùs quàm esset macula lepræ infectum.

[ *Immundum judicabit, & igne comburet,* ] q. d. Cùm Sacerdos septimo die secundæ seclusionis viderit colorem quem vestis lanea aut linea vel pellicea, seu res quæcumque ex illis confecta habebat antequam signum vel macula lepræ esset in illa, non redire, quamvis ea macula non creverit: Judicabit illam esse immundam, & jubebit ut comburatur.

[ *Eo quod infusa sit in superficie vestimenti vel per totum, lepra.* ] Quoniam dicta lepra infecit vestimenti superficiem, vel totam quoque ejus substantiam in ipsa profunditate penetrando usque ad aliam superficiem. Tot enim diebus non potuisset ea macula perdurare in colore præternaturali, sed res illa paulatim redire cœpisset ad naturalem suum colorem, si in ea non esset macula lepræ.

[ ℣. 56. *Sin autem obscurior fuerit locus lepra, postquam vestis est lota,* ] Ut non possit satis discerni, an sit vera lepra vestium.

[ *Abrumpet eum,* ] Scilicet locum lepræ, seu partem illam in qua est iste color obscurior.

[ *Et à solido dividet.* ] Hoc est, à tota veste reliquaque ejus integritate dividet, seu dividi faciet, ut posteà comburatur.

[ ℣. 57. *Quod si ultra apparuerit in his locis quæ priùs immaculata erant,* ] Si post divisionem partis maculatæ adhuc appareat macula in aliis partibus quæ priùs erant immaculatæ.

[ *Lepra volatilis & vaga:* ] Cùm enim anteà solùm esset in uno loco, deprehenditur vagari & serpere per diversas partes.

[ *Debet igne comburi.* ] Tota scilicet vestis, seu totum quod talem habet maculam. Ex hoc namque quòd vim habet sensim vagandi ac rodendi, judicandum est esse veram lepram.

[ ℣. 58. *Si cessaverit,* ] Si post secundam reclusionem Sacerdos invenerit maculam penitùs cessasse.

[ *Lavabit aqua* ] non ipse Sacerdos, sed alius quispiam ex Sacerdotis imperio.

[ *Ea quæ pura sunt, secundò,* ] ad leviores sordes, si quæ sint, abstergendas, & ad tollendam legalem immunditiam.

[ *Et munda erunt.* ] Facta ista secunda lotione, tum in se tum apud homines erunt munda, ita ut ad usus humanos possint applicari.

[ ℣. 59. *Ista est Lex* ] Recapitulatio est Leptis de lepra vestimenti & similium de quibus in ultima parte capitis actum est.

[ *Quo modo mundari debeat, vel contaminari.* ] Id est, quo modo res illa judicari debeat munda vel immunda.

*Ad mores* quod attinet, *per lepram* qua homines infici contingit generaliter intelligi potest quodcumque peccatum mortale. Ideò quippè dicitur quòd Sacerdos novæ Legis debeat in Sacramento pœnitentiæ discernere inter lepram & lepram: Specialiter tamen intelligitur falsa doctrina, & præsertim pravitas hæretica. Nam sicut in lepra est colorum permixtio, & lucens albedo, ipsa serpit, partes alioqui mundas contaminando: Ita in falsis hæreticisque dogmatibus est falsitatum cum quibusdam veritatibus conjunctio, & apparens quidam Religionis candor, sed degenerans, malumque ipsum ad alios extenditur, ac eos corrumpit. Hæreticorum enim sermo ut cancer serpit juxta Apostolum 2. ad Tim. 2. Potest quoque *per Lepram* significari hypocrisis, cùm in ea sit sanctitas ficta, & realis ac contagiosa vitiositas. *Per Lepram discurrentem* quæ operit omnem carnem designatur congeries peccatorum venialium, à quibus etiam perfecti quique immunes non sunt in tota sua vita. Hæc lepra dicitur *mundissima*, quia relinquit homines mundos à peccatis mortalibus quæ sola sic hominem inquinant, ut eum simpliciter immundum reddant. Alii *per lepram discurrentem* intelligunt infamiam criminum falsò alicui impositam, quæ licèt per hominum ora dispergatur, non tamen eum inquinat, neque facit immundum. *Caro viva* tunc aspergitur lepra, quando membra nostra exhibemus arma iniquitatis peccato, præsertim luxuriæ, gulæ, similibusvè immunditiis. *Per ulcus natum & sanatum* significatur peccatum mortale ex causa interiori commissum, veluti ex malitia, somite, vel crassa ignorantia. Quod dum per pœnitentiam est sanatum, si in cicatrice remanente, idest, si ex pronitate ad malum oriatur *color albus*, si voluptatum blandimenta redeant; aut *subrufus*, si discordiæ vel rixæ suscitentur, Sacerdotis est considerare num accesserit consensus, & quantus, perfectus an imperfectus, ut secundùm hoc mundum vel immundum esse judicet. *Per ignis exustionem*, seu *vulnus*, significatur peccatum in quod incidit homo ex motivo extrinseco, putà ex diabolica tentatione, humana suggestione, adulatione, comminatione *&c.* *Per Lepram Capitis* intelligi potest vel propriæ mentis arrogantia, vel error circa Divinitatem: Et per *Lepram Barbæ*, effœminatio cordis virilis, cùm barba sit signum virilitatis. *Quod Leprosi debebant habitare extra castra*, symbolum quoddam fuit Excommunicationis per quam graves peccatores ejiciuntur extra Ecclesiam. *Vestimentorum apertura*, significat immundorum iniquitates revelandas esse, quando est alioquin periculum ne alios inficiant. *Nudatio capitis*, peccatorum radices esse denudandas. *Oris velatio*, impediendam esse confabulationem immundorum cum iis quos possent pravis suis colloquiis corrumpere, juxta illud 1. ad Cor. 15. *Corrumpunt mores bonos colloquia mala*. *Lepra vestis*, est vana gloria quæ bonis operibus se immiscet; opera quippè justitiæ, sunt justorum vestimenta, unde Psalm. 131. *Sacerdotes tui induantur justitiam*. Quoniam porrò *Christus Dominus* propter nos homo factus est, *leprosi cujusdam* speciem gessit Isaia cap. 53. dicente, *Nos putamus*

putamus

*vimus eum quasi leprosum*, operæ pretium est observare, quæ Leprosorum conditiones in eo reperiantur. *Prima*, sicut leprosi sunt viles & abjecti, ita *Christus* fuit despectus & novissimus virorum. *Secunda*, Leprosi pellebantur urbe, & *Christus extra portam passus est*, ad Hebr. 13. *Tertia*, Leprosi debebant habere vestes dissutas; & *Christi* vestimenta fuerunt à militibus divisa, Matth. 27. *Quarta* & *Quinta*, debebant habere caput nudum, & os contectum: *Christus* nudatus fuit capite, ut spineam coronam plecterent super illud: Et ita fuit tractatus, ut *non esset aspectus, & quasi absconditus vultus ejus* Isa. 53. *Sexta*, illi contaminatos & sordidos se esse clamabant: *Christus* clamavit Psalm. 21. *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis*. Et Thren. 1. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor sicut dolor meus*.

## C A P U T XIV.

*Lepræ expiandæ sacrificia pro homine, domo, ac vestimento.*

[ ℣. 1. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:* ] Ostenso qualiter Lepra sit cognoscenda, jam præcipitur quomodò ea sit expianda, & ipse leprosus purificandus. Quòd solus Moyses exprimitur, non est ad excludendum Aaronem, sed quia expresso Legislatore, satis intelligitur locutionem Dei quæ ad ipsum facta est, etiam esse factam ad Aaronem qui cum illo erat, & ad quem Deus, sicut ad Moysen, ceperat loqui de lepra.

[ ℣. 2. *Hic est ritus Leprosi, quando mundandus est:* ] Istæ sunt Cæremoniæ quas volo observari quando is qui Leprosus erat, aut ut talis judicatus, est emundandus, idest, legaliter expiandus, & communi hominum consortio restituendus. Quod ideò sic est explicandum, quia Sacerdotes veteris Legis non poterant lepram mundare, sed tantùm quòd mundata esset declarare, ac legaliter expiare leprosum. Quæ legalis expiatio consistebat in eo quòd fierent omnia quæ Lex præscribebat, quòdque is qui priùs fuerat è castris vel urbe ejectus propter lepram, ad communem aliorum convictum reverti, & ad Tabernaculum venire permitteretur. Rectè porrò notat Abulensis ea quæ hìc jubentur non pertinere ad eos qui cùm essent suspecti de lepra judicio Sacerdotis recludebantur per septem, aut etiam per quatuordecim dies, ut dignosci possent, utrùm essent leprosi, an non: Qui enim sic recludebantur, necdum judicati erant esse leprosi, neque ejiciebantur extra Castra: Hìc autem agitur de iis qui judicati erant leprosi, atque ut tales habitabant extra castra.

[ *Adducetur ad Sacerdotem:* ] Is qui putatur esse mundatus à lepra.

[ ℣. 3. *Qui egressus de Castris,* ] Sacerdos ad aliquantam distantiam egredi debebat è Castris, & ad illum ibi existentem adduci is qui à lepra mundatus esse dicebatur, ut Sacerdos eum consideraret, mundumque pronunciaret ac dignum qui admitteretur ad castra, si ex signis capite præcedenti assignatis reperiret lepram verè esse mundatam. Per hoc quod dicitur, *cùm invenerit lepram esse mundatam*, manifestè significatur id quod suprà dicebamus, Sacerdotes veteris legis non mundasse à lepra, sed eam esse mundatam declarasse.

[ ℣. 4. *Præcipiet ei qui purificatur,* ] idest, qui Sacerdotis judicio purus à lepra esse decernitur.

[ *Ut offerat duos passeres vivos pro se, quibus vesci licitum est,* ] Hebraicè dicitur, *mundus*, quod idem est.

*Per passeres* Origenes, eumque secutus S. Prosper p. 2. de promiss. cap. 6. *Gallinas* intelligit; suntque tam Gallinæ quàm passeres inter animalia munda quibus in lege veteri vesci licebat. Communior tamen veterum ac Recentiorum interpretatio est de propria passerum specie, eaque retinenda.

[ *Et lignum cedrinum, vermiculumque & hyssopum.* ] Ista tria usurpabantur ad faciendum aspergillum, cujus manubrium esset frustum aliquod ligni cedrini; ei verò alligaretur fasciculus hyssopi filo vermiculati seu coccinei coloris constrictus. *Cedrus* quidem, quæ est arbor imputribilis, adhibebatur contra putredinem lepræ. *Hyssopus*, quæ est herba odorifera, contra ejus fœtorem. *Vermiculus*, qui est coloris speciosissimi, contra deformitatem, ut habet B. Thomas 1. 2. q. 102. art. 5. ad 7.

[ ℣. 5. *Et unum ex passeribus immolari jubebit* ] Quamvis *immolandi* verbo utatur Interpres, cùm in Hebræo habeatur *jugulari*; non erat tamen hæc passeris occisio sacrificium propriè dictum, etsi non desint qui aliter loquantur. Non enim fiebat ad Altare, nec in Tabernaculo, vel ejus Atrio, sed longè ab illis, extra Castra; poteratque fieri per non Sacerdotem, per eum scilicet cui Sacerdos juberet. Ad quid ergo serviebat hæc occisio? Ut posset haberi sanguis quo aspergendus erat qui fuerat leprosus.

[ *In vase fictili super aquas viventes.* ] Hoc est, super vas fictile, seu testaceum, in quo sunt aquæ viventes, fluviales scilicet aut fontanæ. Nam hæ vocantur viventes propter continuum fluxum ac motum qui in animalibus solet esse signum vitæ. Propterea verò hæc passeris occisio fiebat super vas fictile, ut in eo exciperetur sanguis passeris, ibique commisceretur aquis puris ac viventibus quæ in illo vase erant: Alioquin ex solo passere vix haberi potuisset tantum sanguinis quantum sufficeret aspersioni.

[ ℣. 6. *Alium autem vivum cum ligno cedrino, & cocco, & hyssopo, tinget in sanguine passeris immolati,* ] seu, *jugulati*. *Tinget*, dicitur, non autem, *Tingi jubebit*, sicut priùs *immolari jubebit*, quia ipsemet Sacerdos tingere debebat. Hic passer vivus colligabatur filo coccineo cum hyssopo ad manubrium cedrinum, ita ut cauda passeris emineret in extremitate aspergilli, & caput esset aversum; sicque cauda passeris cum alarum ipsius aliqua parte, & non caput tingebatur in sanguine quem cum aquis continebat vas fictile.

[ ℣. 7. *Quo asperget illum qui mundandus est, septies,* ] Non intelligitur esse mundandus à lepra, cùm agatur de illo cujus lepram mundatam Sacerdos invenerat; sed, *qui mundandus est*, idem valet ac *qui legaliter est expiandus*. Illum ergo qui sic erat expiandus Sacerdos debebat sanguine passeris, seu aspergillo in sanguine tincto, aspergere septies, ad insinuandam perfectam mundationem, cùm *septenarius* perfectionis sit symbolum. An etiam deberet aspergillum septies intingere in sanguinem, non dicitur, nec videtur fuisse necessarium, si intinctio semel facta sufficiebat septenæ aspersioni.

[ *Ut jure purgetur:* ] Ut legitimè, & juxta ordinem præceptarum cæremoniarum purgatus censeatur, & ad communem convictum admittatur.

[ *Et dimittet passerem vivum, ut in agrum avolet.* ] Post factam aspersionem oportebat passerem qui ad lignum cedrinum ligatus fuerat filo coccineo, solvere & pristinæ libertati restituere, sicque sinere avolare in agrum cum aliis; ad significandum quòd solutum esset ligamen quo propter lepram astrictus antea fuerat leprosus, quòdque ipse restitueretur suæ libertati pristinæ, & communi hominum consortio frui posset.

[ ℣. 8. *Cumque laverit homo vestimenta sua,* ] Is qui à lepra mundus declarandus erat per sententiam Sacerdotis, adhuc ea quæ sequuntur præstare debebat. *In primis*, post aspersionem supra dictam, propria vestimenta lavare, omnes totius corporis pilos radere, totumque corpus lavare, non tamen aquis lustrationis, sed aquis simplicibus & viventibus. *Deinde*, sic purificatus admittebatur in castra, & ad communem reliquorum hominum habitationem: sed ita, ut extra tabernaculum, seu extra domum suam habitaret septem diebus, in aliqua scilicet alia domo separata, ad majorem cautelam, ne fortè adhuc aliquid lepræ esset residuum quo domestici inficerentur.

[ ℣. 9. *Et die septimo radet capillos capitis, barbamque & supercilia, ac totius corporis pilos. Et lotis rursum vestibus & corpore,* ] Hæc est secunda rasio, & secunda lotio; idcircò bis præcepta, quòd lepra facilè inter pilos adhærescit, similiterque lepræ sordes.

[ ℣. 10. *Die octavo assumet duos agnos immaculatos, & ovem anniculam absque macula,* ] Septuaginta pro, *duos agnos immaculatos*, addunt, *anniculos*: quod ob communem legem Hebræus hìc non exprimit, ut nec Latinus. Ea autem hostia dicebatur *annicula*, quæ ab

octavo

octavo die ortus sui, adhuc erat intra spatium primi anni. Peractis cæremoniis supra dictis, factaque illi qui leprosus fuerat potestate redeundi ad castra, & ad communem locum habitationis aliorum, oportebat ut octavo die consequente accederet ad tabernaculum, sive ad Templum, ibi per Sacerdotis ministerium oblaturus sacrificia. Et siquidem non erat pauper, debebat afferre, seu curare afferri duos agnos & unam ovem sive agnam, omnia immaculata, hoc est, integra & perfecta, neque annum ætatis excedentia.

[ *Et tres decimas similæ*, ] Hoc est, tres mensuras floris farinæ purissimæ, quæ mensuræ singulæ vocabantur *Gomor*; Gomor autem decima pars est Ephi. Exod. 16.

[ *In sacrificium*, Heb. *Mincha*, q. d. Sacrificium farinaceum, ita ut hæ singulæ hostiæ suum habere deberent sacrificium accessorium è farina.

[ *Quæ conspersa sit oleo*, ] Quæ simila sit oleo commixta, nondum pane ex illa confecto, imò nec ea omninò adhuc subacta.

Et seorsum olei sextarium. Lorinus observat Interpretem addidisse *seorsum*, ut intelligeremus diversum esse ab eo quo dictum fuerat similam oportere esse conspersam. Pro *sextario*, 70. habent *cotylam*, Aug. legit *heminam*: Textus Hebræus habet *Log*, & est mensura continens circiter tredecim uncias aquæ aut vini. Movere quempiam potest quomodò ad harum singulas hostias jubeatur addi sacrificium similæ oleo conspersæ, cùm inter illas una esset pro delicto, seu peccato; superius autem cap. 5. dictum fuerit quòd dum offertur hostia pro peccato, non sit adhibendum oleum. Sed responderi potest quiddam singulare & extraordinarium fuisse statutum in sacrificio pro emundatione leprosi, quod etsi diceretur *pro delicto*, vel *peccato*, quia offerebatur ad modum hostiæ pro peccato; non supponebat tamen verum delictum aut peccatum, cùm lepra sæpius oriretur ex vitio corporeæ dispositionis, quàm infligeretur ob peccatum.

[ ℣. 11. *Cumque Sacerdos purificans hominem*. ] Hoc est, complens cæremonias purificationis leprosi vel leprosæ: Quæ enim de purificatione leprosi præcipiuntur, pariter observanda erant, quando mulier quæ leprosa fuerat, declaranda erat mundata, & communi hominum conversationi restituenda.

[ *Statuerit eum, & hæc omnia coram Domino in ostio Tabernaculi Testimonii*, ] Sacerdos ad quem usque ad sanctuarium allati erant agni cum ove, & tres mensuræ similæ; ac insuper sextarius olei, eum hominem qui pro sua emundatione illa attulerat, debebat statuere in ea parte atrii quæ erat ante ostium Tabernaculi: similiterque omnia jam dicta, priusquàm inciperet quidquam sacrificare.

[ ℣. 12. *Tollet agnum*, ] Sacerdos assumet unum de agnis prædictis.

[ *Et offeret eum pro delicto, oleique sextarium*. ] Non accipitur isto loco, *offeret*, pro *sacrificabit*, vel, *jugulabit*; paulò post enim versu 13. sequitur de immolatione in sacrificium, sed *offeret* idem valet ac *elevabit coram Domino*, ritu *Tenupha*, de quo diximus Exod. 29. ad vers. 24. Erat quædam cæremonia, per quam hostia, priusquàm sacrificaretur per elevationem & agitationem quamdam præsentabatur Deo, eoque signo postulabatur ut ipse haberet illam gratam, quomodò etiam nunc panem & vinum Deo præsentamus, antequam fiat eorum consecratio. Per eamdem quoque elevationem significatur & Dei sedes in Cœlo esse, & quòd habeat dominium partium mundi.

[ *Et oblatis ante Dominum omnibus*, ] Modo jam dicto.

[ ℣. 13. *Immolabit agnum*, ] Eum quem assumpserat.

[ *Ubi solet immolari hostia pro peccato, & holocaustum, id est, in loco sancto*. ] Sive in atrio Sacerdotum, juxta altare holocaustorum. Nam quòd hostia pro peccato non alibi esset immolanda, quàm ubi immolabatur holocaustum, disertis verbis cautum est supra cap. 6. ℣. 25.

[ *Sicut enim pro peccato, ita & pro delicto ad Sacerdotem pertinet hostia*: Alii ex Heb. vertunt, *sicut peccatum delictum ipsum Sacerdotis*, jure scilicet competit. *Peccatum* autem & *delictum*, illic ut & alibi frequenter, idem valet, quòd *hostia pro peccato & pro delicto*.

[ *Sancta sanctorum est*, ] Videlicet hostia utraque, q. d. Res est sanctissima, quam proinde oportet in loco sancto immolari, ac in eo per Sacerdotem comedi, & non in loco profano, neque à personis profanis. Conferatur cap. 6. vers. 26. & cap. 7. v. 2. cum aliquot seqq.

[ ℣. 14. *Assumensque Sacerdos de sanguine hostiæ, quæ immolata est pro delicto*, ] Quæ hostia hic dicitur immolata pro delicto, & quæ infra pro peccato, rectè intelligitur ea quæ offerebatur illo ritu quo solebat hostia peculiariter pro delicto vel peccato instituta offerri. Potest quoque per delictum & peccatum intelligi quædam quasi irregularis & legalis immunditia quæ per veteris legis sacrificia tollebatur. Nam pro veri nominis peccato non videntur ista sacrificia esse instituta; cùm nec lepra esset peccatum, nec semper infligeretur propter peccatum; semper autem offerri deberent hæc sacrificia pro leprosi purificatione.

[ *Ponet super extremum auriculæ dextræ ejus qui mundatur*, ] Vox Hebræa pro qua habemus *extremum*, significat cartilaginem & molliorem seu teneriorem partem. Sed quoniam extrema seu ima pars auriculæ est tenerior, rectè interpres posuit *extremum*, imam ejus partem significare volens.

[ *Et super pollices manus dextræ & pedis*: ] Ad indicandum quòd is qui antea propter lepram non poterat se aliis conjungere ad audiendum sacra, & ad operandum cum illis, uti nec ad frequentandum Sanctuarium, ad omnia illa jam esset liber.

[ ℣. 15. *Et de olei sextario mittet in manum suam sinistram*, ] Ut digitus dextræ manus tingi possit oleo in ea posito: Manus enim dextra magis est prompta & expedita ad operandum.

[ ℣. 16. *Tingetque digitum dextrum in eo*, ] Videlicet oleo quod erit in manu sinistra.

[ *Et asperget coram Domino septies*. ] *Coram domino*, Id est, *versus altare holocausti*, ubi Deus specialiter erat, in quantùm ibi offerebantur ei sacrificia quæ ipse acceptabat. Ideò autem fiebat ibi aspersio, ut indicaretur quòd perfecta mundatio est à Deo. Cur septies, vide ad vers. 7. Sed quo digito fieri deberet hæc aspersio, non exprimitur: probabile (est) quòd indice, vel medio.

[ ℣. 17. *Quod autem reliquum est olei in læva manu, fundet super extremum auriculæ dextræ ejus qui mundatur*, ] nimirùm legaliter.

[ *Et super pollices manus ac pedis dextri*, ] In Hebr. non exprimitur *læva*, sed ex versu 15. satis intelligitur. Pro verbo *fundet*, reddi potest, *dabit*, vel, *ponet*; unde 70. dicunt, *imponet*: Ne quis opinetur significari largam seu copiosam effusionem, cùm tantùm significetur simplex impositio. Cùm dicitur, *quod reliquum est*, non intelligitur totum reliquum esse fundendum super partes jam nominatas; sed idem est quod *de reliquo*, seu *de aliqua parte reliqui*; nam de illo adhuc ponendum erat super alia. Unde sequitur:

[ *Et super sanguinem, qui effusus est pro delicto*. ] Copulativa & abest hodiè ab Hebræo, non tamen à versione 70. potest autem sumi exegeticè, seu expositivè; perinde ac si diceretur: De residuo olei quod in manu sinistra positum est, ponendum esse super sanguinem, id est, super partes litas seu tinctas sanguine qui effusus fuit pro delicto. Hinc Author scholasticæ historiæ c. 20. super Levitic. sic ait: *Reliquum olei quod erat in sinistra fundebat super extremum auriculæ dextræ hominis, & super pollicem manus dextræ & pedis dextri, id est super sanguinem quem prius infuderat*. Quibus conforme est quod Lyranus interpretatur, *super sanguinem*, id est *ut eisdem locis in quibus jam posuerat sanguinem*. Et Dionysius Carthusianus, super prælatas partes membrorum sanguine attactorum.

[ ℣. 10. *Et super caput ejus*. ] Quoniam anteà, dum esset leprosus, debebat habere caput nudum ut appareret leprosus omnibus; ideò hic ungitur caput ejus oleo, ut designetur perfectè mundus, ait Lyran. Addi potest, isto ritu significatam fuisse deprecationem divinæ misericordiæ super illum hominem. Si quæras, quid fieret de oleo quod post hæc omnia restabat: Respondeo illud cessisse in partem Sacerdotis cum hostia pro delicto & pro peccato.

[ ℣. 19. *Rogabitque pro eo coram Domino*, ] Scilicet

Sa-

Sacerdos, ut Hebræa & Græca exprimunt. *Coram Domino*, hoc est, *coram altari*.

[ *Et faciet sacrificium pro peccato.* ] In Hebr. *Et faciet Sacerdos peccatum*: sed *peccatum* idem valet quod *hostia*, vel *sacrificium pro peccato*. Nec oportet intercessisse veri nominis peccatum: quoniam vel lepra, vel lepræ quædam quasi irregularitas, quæ arcebat à divinis & à civili conversatione, rectè per peccatum intelligitur. Offerebatur autem in hoc sacrificio ovis annicula, de qua versu 10. Pro peccato enim etiam fœmellas offerri potuisse, liquet ex hujus lib. cap. 4. & 5.

[ *Tunc immolabit holocaustum*, ] Post hæc omnia, agnum secundum offeret in holocaustum: Ex cap. enim 1. habemus omnes holocaustorum victimas debuisse esse masculas.

[ ℣. 20. *Et ponet illud in altari cum libamentis suis*, ] Hoc est, cum oblatione similæ, olei, & vini quæ Numer. 15. præscribuntur. Sicut autem in hoc holocausto, ita in præcedentibus hostiis tum pro delicto, tum pro peccato, ista libamenta debuisse offerri, ex v. 10. potest intelligi ubi etsi de vino nihil dicatur, ex cit. tamen cap. Num. constat fuisse adhibendum, & quidem ejusdem mensuræ cum mensura olei.

[ *Et homo ritè mundabitur.* ] Et cùm totus iste ritus fuerit observatus, homo censebitur perfectè mundatus, nec plures aliæ cæremoniæ requiruntur.

*Juxta allegoriam, homo leprosus* est genus humanum peccato infectum. Pro cujus *emundatione*, Christus de castris cœlestibus quodammodò est egressus, quando descendit de cœlis, & homo factus est. *Ad illum adductus est leprosus* à Patre æterno: nisi enim Pater traheret ad Christum, nemo veniret ad illum. Joan. 6. *Attulit duos passeres vivos*, divinitatem & humanitatem, unde Psalm. 101. de seipso dicit: *Factus sum sicut passer solitarius in tecto: Quibus vesci licitum est*; Christus enim est cibus fidelium spiritualis, Joan. 6. *Lignum quoque cedrinum*, Crucem suam: *& vermiculum*, seu coccinum, quatenus in passione chlamydem coccineam fuit indutus Matth. 27. *& hyssopum* boni odoris, gratiam Spiritus Sancti cooperatricem nostræ emundationis. *Unus passerum occisus est in vase fictili super aquas viventes*, quia Christus secundùm humanitatem occisus est; & aquæ Baptismi per virtutem passionis ejus consecratæ fuerunt, ut faciant homines spiritualiter vivere. *Alter*, hoc est divinitas, *remansit vivus & liber*; quia nec mori potuit, nec ullis legibus astringi. *Vivus passer tingitur in sanguine passionis occisi*, in quantùm Baptismus confertur, & vim suam habet ex passione Christi, qui Deus est & homo. *Duos agnos* interpretari possumus duorum Testamentorum homines quos Christus per suam mortem salvare venit; *cum ovicula*, quia venit pro salute utriusque sexus. *Quod & ovem & agnos oportebat esse immaculatos*, perfectionem sacrificii Christi designat: *Tres decimæ similæ* fidem sanctæ Trinitatis quam habere debent qui per Christi passionem mundantur, credendo eamdem esse in singulis personis perfectionem. *Olei conspersio*, quòd Christus per suam misericordiam pro nobis se obtulit, & per gratiam nos salvet. *Sextarii mensura*, utpotè una & æqua, mensuram fidei quam Deus cuique divisit ad Rom. 12. & quam sic tenere oportet, ut nec plus nec minùs credendum sit quàm ipse docet. *Et sanguine agni*, qui est Christus, *& oleo* gratiæ ejus *tingitur auris*, ut auditum muniat; *manus*, ut actiones; *& pes*, ut motus & gressus dirigat & corroboret. *Reliquum super caput effunditur*, ut sanctificationem toti corpori præstet. *In prima lotione corporis*, adumbratur Baptismus qui non potest repeti; *in secunda*, lachrymæ pœnitentis. *In lotione vestimentorum*, munditia operationum: *In rasione pilorum*, amputatio operum inutilium: *In rasione superciliorum*, abjectio superbiæ. Plura videri possunt partim apud B. Thomam 1. 2. q. 102. art. 5. ad 7. partim apud Rupertum, Isychium, Dionysium super Leviticum.

[ ℣. 21. *Quòd si pauper est, & non potest manus ejus invenire quæ dicta sunt*, ] Si non potest suis sumptibus comparare omnia quæ dicta sunt, duos videlicet agnos cum ove, & tres decimas similæ. Condescendens enim Deus paupertati hominum statuit differentiam inter emundationem leprosi pauperis & divitis, quæ consistebat non in aliqua mutatione circa primas cæremonias, sed tantùm circa eas quæ ultimò sunt dictæ, & die octavo peragi debebant; ita ut pro duobus agnis & ove, pauperes unum agnum offerrent & duos turtures, sive duos pullos columbæ; & pro tribus decimis similæ, unam decimam. Quantùm autem ad sextarium olei, utrique erant pares, & æqua manebat obligatio. Similem paupertatis rationem habitam videmus cap. 5. in sacrificio pro peccato pauperis; & cap. 12. pro purificatione mulieris quæ pepererat: Tale autem discrimen nullum est positum in populi numeratione, sed omnes sine exceptione debebant solvere dimidium siclum Exod. 30. nec in redemptione primogenitorum, sed pro quolibet exigebantur 5. sicli num. 3. Rationem dat Abulensis quæst. 9. quia in solutione dimidii sicli pretium dabatur pro sumptibus sacrificiorum; & si statutum fuisset quòd aliqui minùs solverent, potuissent existimare cultum Dei non æqualiter ad eos pertinere sicut ad alios, sicque noxia æmulatio fuisset orta. Similiter in redemptione primogenitorum, cùm omnia illa essent Dei, si ordinatum fuisset minus solvi pro redemptione aliquorum, quàm pro aliorum; visum fuisset magis apud Deum valere divites quàm pauperes, quod malam quoque æmulationem causare potuisset: Ista autem omnia in purificatione tum leprosi, tum puerperæ, locum non habebant cùm in ea nec hominum fieret appretiatio, nec spectaretur quòd homines ad cultum Dei pertinerent. Cæterùm, cùm Deus vellet diminuere sacrificia pauperum quantùm ad valorem, quare unum agnum exegit, & non condonavit agnos cum ove? Idem quæst. 10. respondet rationem esse, quia tinctio sanguinis in auricula, manu, & pede fieri non poterat, nisi haberetur animal ex quo aliquantò plus sanguinis posset extrahi. Addi potest ratio mystica, ut præsignaretur quælibet emundatio fieri per sanguinem agni qui tollit peccata mundi.

[ ℣. 31. *Unum pro delicto, & alterum in holocaustum*, ] Sermo est de turturibus seu pullis columbæ. Et quoniam versu 21. jubetur pauperi, ut agnum assumat pro delicto; & v. 22. ut unus turturum, seu pullorum columbæ sit pro peccato, alter in holocaustum, unde consequens est agnum debuisse offerri pro delicto, & non turturem; dicendum est in hoc versu non haberi rationem distinctionis *delicti & peccati*, quæ aliàs habetur, sed *delictum* sumi pro peccato.

[ ℣. 34. *Cùm ingressi fueritis terram Chanaan*, ] Incipit legislator de lepra domorum (quæ quid esset diximus cap. 13. v. 47.) deque ejus purificatione disponere. Cujus dispositionis observatio differtur usque ad ingressum in terram Chanaan, quia eò usque nec habebant, nec habituri erant domos fixas de lapidibus aut terra, sed cùm non esset proficiscendum semper, habitaturi erant in tentoriis sub pellibus, aut velis lineis vel laneis; quæ autem ad talium lepram pertinere poterant, satis dicta fuerunt capite præcedenti.

[ *Si fuerit plaga lepræ in ædibus*, ] In Hebr. & apud 70. *Et dedero*, vel, *& dabo tactum seu plagam lepræ*. Unde sequitur, Deum, sicut aliorum malorum pœnæ, ita & lepræ authorem esse, quam etsi non semper miraculosè mittat, sicut fecit Mariæ sorori Moysi num. 12. & Giezi 4. Reg. 5. & Oziæ Regi Juda 2. Paralip. 26. semper tamen est causa illius.

*Moraliter*, lepra domus est corruptio fidei aut morum in aliqua congregatione.

[ ℣. 35. *Ibit cujus est domus*, ] Sive sit ejus quod proprietatem sive quantùm ad solam inhabitationem.

[ *Nuntians Sacerdoti, & dicet: Quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo mea.* ] Particula *quasi* ponitur ad significandum non esse certitudinem de lepra, sed tantùm dubium: & juxta *Tropologiam* indicatur non sola illa peccata esse Sacerdoti confitenda, quæ pœnitens est certus se commisisse; sed ea quoque de quibus est dubius, vel quòd commiserit, vel quòd sint mortalia. Quæ omnia sic debet confiteri, ut certa pro certis, dubia pro dubiis accuset. Ex his denique reprehendendi veniunt qui vel non audent conscientiam suam aperire Sacerdoti; vel dum sunt apud illum, expectant ut tanquam *divinus* sua ipsorum peccata illis manifestet, cùm oporteat eos Sacerdoti suam lepram ostendere. Quod attinet ad *lepram domus* seu congregationis, conformiter dicendum est, cujus superiori

incum-

incumbere, ut quando ſuſpicio eſt pravæ alicujus in ea doctrinæ aut corruptionis morum, diligenter invigilet ad eam extirpandam & ſi non poteſt per ſe extirpare, tempeſtivè Sacerdotem ſeu Epiſcopum admoneat.

[ ℣. 36. *At ille præcipiet ut efferant univerſa de domo, priuſquam ingrediatur eam, & videat utrùm leproſa ſit,* ] Cujus rei ratio mox ſequitur:

[ *Ne immunda fiant omnia quæ in domo ſunt.* ] Hoc eſt, ne ſi fortè Sacerdos domum ingreſſus judicet eam eſſe leproſam, lepræ quoque & immunditiæ adjudicet omnia quæ in ea fuerint reperta. Ita enim oportebat, ut judicata domo immunda, ſimiliter adjudicarentur immunditiæ omnis quæ erant in illa. Non abſimili ratione, ſi qui necdum ſint inquinati, ſed propter aliorum ſocietatem & conſortium periculum eſt ne inquinentur, citò debent ab ejuſmodi ſocietate removeri.

[ *Intrabitque poſteà,* ] Poſtquàm omnia quæ in domo erant fuerint ablata, Sacerdos illam intrabit ut videat ſitne in ea lepra domus, an non.

[ ℣. 37. *Et cùm viderit in parietibus illius quaſi valliculas* ] Hoc eſt, quaſi parvas valles, ſive foſſas vel cavitates.

[ *Pallore, ſive rubore deformes,* ] à priſtino ſuo colore declinantes in pallorem, & in imperfectam rubedinem, & quaſi viriditatem, ut alii vertunt, ideòque deformes.

[ *Et humiliores ſuperficie reliqua:* ] Sive depreſſiores quàm ſunt aliæ partes eorumdem parietum; hoc enim membro explicatur præcedens, videlicet de valliculis.

[ ℣. 38. *Egredietur oſtium domus,* ] Ipſe Sacerdos, & omnes quoque alii qui fortè intra illam fuerint.

[ *Et ſtatim claudet illam ſeptem diebus.* ] Vocula *ſtatim* non eſt in Hebr. ſatis tamen intelligitur. Ad hoc enim erat domus claudenda, ne quis eam intraret; & hoc ideò, quia nemine illam intrante per ſeptem dies, magis poſteà poterat apparere conditio domus: Notum enim eſt, quòd dum domus omni habitatore vacuæ ſunt, apertius cognoſci poſſunt earum vitia, quàm cùm habent habitatores.

*Myſticè*, per *parietes domus* intelligi poſſunt Ordines ſacri, ſeu divina dicentium, docentium & miniſtrantium ex quibus Eccleſia Chriſti conſiſtit. In quibus tunc reperiuntur *vallicula*, quando viliùs & abjectiùs tractantur divina, quàm poſtulet ipſorum dignitas: *Pallor* quoque aut alius color à priſtino degenerans, quando vana gloria & ſuperbia ſe immiſcet: *Domus* autem *clauditur ſeptem diebus*, dum moderata correptio adhibetur, ut pœnitentiam agant.

[ ℣. 39. *Reverſuſque die ſeptimo, conſiderabit eam. Si invenerit creviſſe lepram,* ] Seu ſigna lepræ jam dicta, valliculas ſcilicet colore innaturali deformes.

[ ℣. 40. *Jubebit erui lapides in quibus lepra eſt, & projici eos extra civitatem in locum immundum:* ] Ne ſi ponerentur in loco mundo, contingeret aliquem eos tangere, & ita polluì ac infici. Quod autem de lapidibus dicitur, ſimiliter intelligendum eſſe de lignis, aliiſque partibus domus, benè monet Dionyſ. Carthuſ. cùm ſit eadem ratio.

[ *Domum autem ipſam radi intrinſecùs per circuitum,* ] Totam ſcilicet ſuperficiem parietum interiorem, quia illic majus eſſe poterat periculum contagii.

[ *Et ſpargi pulverem raſuræ extra in locum immundum.* ]

*Moraliter*, Sacerdos jubet *erui lapides de domo* Eccleſiæ, quando erroris Doctores, per quos plebs depravatur, facit ſeparari, & Eccleſiæ communione privari. *Radi domum intrinſecùs per circuitum*, quando quidquid falſitatis adhæſerit cordibus eorum qui ſeducti fuerunt, curat deleri. *Pulverem raſuræ extra urbem ſpargi in locum immundum*, quando facit ne quid immundorum, vel hæreticorum ſeu ſuum reſideat in domo Dei, ejicitque ex illa omne quod ejuſmodi poteſt reperire.

[ ℣. 42. *Lapideſque alios reponi pro his qui ablati fuerint, & luta alia liniri domum.* ] Ad r... ficiendum quod lapidum ablatio, & ſuperficiei parietum raſura detrimentum domui attulerat, ... malis ... multis, improbiſve domeſticis de Eccleſia ... congregatione ejectis ſubſtituendi ſunt boni, & *luta alio domus linienda*, ideſt, veritatis Catholicæ doctrina, morumque bonorum prædicatione imbuenda eſt domus Eccleſiæ, & quæcumque congregatio.

[ ℣. 43. *Sin autem poſtquam eruti ſunt lapides, & pulvis eraſus,* ] Ita legendum, *eraſus*, pro eo quod alii habent, *elatus*, ex Hebræo & 70. clarum eſt.

[ *Et alia terra lita,* ] *Terram* non exprimunt Hebræa & Græca, ſed ex verſu præcedente ſubaudiunt lutum, calcem, aut pulverem, quæ noſter interpres intelligi voluit per terram.

[ ℣. 44. *Ingreſſus Sacerdos viderit reverſam lepram, & parietes reſperſos maculis,* ] Vallicularum ſcilicet & colorum innaturalium; ſive interim parietes illis maculis ſint operti, ſive in paucioribus partibus appareant.

[ *Lepra eſt perſeverans,* ] Quandoquidem perſeveret infectio quæ erat à principio.

[ *Et immunda domus:* ] Atque ut talis ſententia Sacerdotis judicanda eſt, & ideò prorsùs inidonea ut per aliquem inhabitetur.

[ ℣. 45. *Quam ſtatim deſtruent,* ] Hebr. *deſtruet*, nempè Sacerdos, per eos quibus id jubebit: Et hoc ideò, ne alioqui aut domus vicinæ, aut perſonæ aliquæ inficiantur ex illius vitio.

[ *Et lapides ejus, ac ligna, atque univerſum pulverem projicient extra oppidum* ] De lignis nulla eſt in ſuperioribus facta mentio; ob ſimilem tamen rationem ſimiliter intelligendum fuit ſicut de lapidibus, cùm ligna non minùs capacia ſint lepræ rerum inanimatarum quàm lapides. An poſſet poſteà in eodem ſolo alia domus ædificari, ſi quæratur: Reſpondeo potuiſſe, lapſo temporis aliquanto intervallo, cùm jam nullum ampliùs metueretur periculum, modò nihil de materiis ejectis aſſumeretur ad ædificationem.

*Moraliter*, *tota domus eſt deſtruenda*, quando perſeverat in illa hæreſis, aut alia morum corruptio: quia univerſa malignantium Eccleſia, totumque hæreticorum Conciliabulum diſſipari, ac, quantùm fieri poteſt deſtrui debet; & tam *lapides* quàm *ligna*, ideſt tam fortes quàm fragiles, cum *univerſo pulvere*, hoc eſt, cum omnibus ſtultis & inanibus ſuis opinionibus foras projici, & anathematizari.

[ ℣. 46. *Qui intraverit domum* ] De qua dictum eſt quòd propter ſuſpicionem lepræ deberet ex Sacerdotis judicio claudi ſeptem diebus.

[ *Quando clauſa eſt, immundus erit uſque ad veſperum,* ] Computando à tempore egreſſus de domo illa, uſque ad primum ſolis occaſum. Et interim nefas ei erat intrare Sanctuarium, & res ſacras attingere; etſi non prohiberetur remanere intra urbem aut caſtra, cùm non eſſet de numero illorum qui Num. 5. verſ. 2. jubentur è caſtris ejici.

[ ℣. 47. *Et qui dormierit in ea, & comederit quidpiam,* ] Non ſunt hæc accipienda *conjunctivè*, ita ut dormiviſſe & comediſſe oportuiſſet illum à quo exigebatur lavatio veſtimentorum, ſed *disjunctivè*, alterutrum enim ſufficiebat.

[ *Lavabit veſtimenta ſua.* ] Non aſperſione aquæ luſtralis, ſed aquis viventibus. Quoniam ille qui dormierit vel comederit in tali domo magis poterat infici, quàm is qui ſolùm eſſet ingreſſus, ideò ingrediens non indigebat veſtium lotione, ſed tantùm erat immundus uſque ad veſperam, & ſolo tranſitu temporis purgabatur. Alteri verò præſcribitur lotio veſtium. Ita Lyranus, Dionyſ. & Marzilla.

*Moraliter*, Is *ingreditur domum leproſam eo tempore quo clauſa eſt*, qui hominibus mente corruptis vel ad horam conſentit, aut eorum congregationi ſe jungit quamdiù talem acceſſum Sacerdotalis authoritas interdicit: *In ea* autem *dormit & comedit*, qui ſe illis tradit imbuendum pravis eorum opinionibus; Ideoque majori opus habet pœnitentia, quàm alius.

[ ℣. 48. *Quod ſi introiens Sacerdos,* ] domum ſcilicet ob ſuſpicionem lepræ clauſam.

[ *Viderit lepram non creviſſe in domo,* ] atque adeò lepræ indicia non ampliùs apparere.

[ *Poſtquàm denuò lita fuerit,* ] Sine dubio, poſtquàm quoque pro lapidibus erutis alii fuerint repoſiti, & parietes ab interiori parte domus raſi. Sed ex eo quod erat ultimò factum, facilè intelligi poteſt de aliis quæ neceſ-

necessariò præcedebant, & propterea non oportuit illa exprimi. . .

[ *Purificabit eam reddita sanitate:* ] Legaliter eam mundabit adhibitis cæremoniis lege præscriptis, & declarabit illam esse mundam velut pristinæ sanitati restitutam. Etsi sanitas videri possit propria viventium, rebus tamen inanimatis etiam tributa invenitur, ut 4. Reg. 2. *Sanata sunt aquæ.* Ezechiel 47. *Sanabuntur aquæ* 2. Paralip. 7. *Sanabo terram eorum*, Sap. 16. *Tuus Domine sermo qui sanat omnia.*

[ ℣. 49. *Et in purificationem ejus* ] ad domum illam legaliter purificandam.

[ *Sumet duos passeres,* ] & reliqua, quæ ex vers. 4. cum aliquot sequentibus clara sunt.

[ ℣. 53. *Orabit pro domo,* ] Non additur sicut versu 19. *Coram Domino*, quia ritus de quibus hic præcedit, neque pro leproso, neque pro leprosa domo fiebant in Templo, sicut sacrificia quæ ante versum 19. exprimuntur. Hujus orationis materia videtur fuisse, ne domus incideret in lepram, seu ne signa lepræ redirent.

[ ℣. 54. *Ista est Lex omnis lepræ* ] non solùm in communi, sed etiam in particulari: Sive, hic est ritus lege præscriptus ad discretionem & emundationem lepræ; ille scilicet qui præsenti & superiori capite est positus: Fit enim recapitulatio eorum quæ illis duobus capitibus habentur.

[ *Et percussura,* ] quando in percussuram, aut ex percussura vel convulsione lepræ irrepserit.

[ ℣. 56. *Cicatricis* ] Lepra *Cicatricis* dicitur, quando in cicatrice ulceris, aut vulneris lepra innascitur.

[ *Et erumpentium papularum,* ] seu tuberculorum, aut pustularum, quando nimirùm in quibusdam tumoribus apparet lepra.

[ *Lucentis maculæ,* ] Talis lepra est quæ agnoscitur ex maculis lucem aliquam aut splendorem emittentibus.

[ *Et in varias species coloribus immutatis,* ] non sunt hæc in Hebræo, & putantur ab interprete nostro addita pro explicatione, ad significandum lepram non semper esse ejusdem coloris, sed subinde varii coloris maculas inspergere.

[ ℣. 57. *Ut possit scire quo tempore mundum quid, vel immundum sit.* ] q. d. In hunc finem legem istam de Lepra, & de Lepræ speciebus earumque purificatione dedi, ut sciri possit quando aliquid sit mundum, quando immundum, ac per consequens, quando sacra tangere, vel civili habitationi deservire idoneum sit aut inidoneum.

## CAPUT XV.

*Seminiflui viri & menstruosæ mulieris expiatio.*

[ ℣. 1. Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: ] Ad utrumque sermonem dirigi clarum est, ut Dei nomine promulgarent ea quæ sequuntur; Moyses quidem, ut primas obtinens; Aaron autem, ut approbans & confirmans ea quæ Moyses annuntiabat.

[ ℣. 2. *Vir qui patitur fluxum seminis,* ] In Hebr. *Vir vir;* quæ geminatio generalitatem & universalitatem cujuscumque viri significat, & est Phrasis Hebraica perinde valens ac *omnis*, seu *quicumque vir*. Dicit, *qui patitur;* Quia non est sermo de illo qui voluntariè semen emittit, quique propterea non solùm est corporaliter & legaliter immundus, sed est apud Deum detestabilis: Verùm de illo qui fluxum istum ex debilitate aut ex alia causa patitur invitus.

[ *Immundus erit.* ] Ita ut à sacris arceri debeat. Imò, secundùm Legem Num. 5. & à castris: Ibi namque Deus jubet ejici de castris *omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusque est super mortuo.* Et quoniam subditur, *Tam masculum quam fœminam ejicite de Castris;* intelligere possumus ea quæ hic dicuntur de viro semini-fluo, ad mulieres quoque semini-fluas pertinere.

[ ℣. 3. *Et tunc judicabitur huic vitio subjacere,* ] *Vitium* non accipitur vel pro peccato, vel pro morali habitu vitioso, sed pro vitiosa seu mala corporis affectione. Et quamvis non dicatur à quo sit judicium ferendum, procul dubio intelligendum est quòd à Sacerdote; ad illum enim spectabat judicium legalis immunditiæ per quam aliquis arcendus erat à sanctuario.

[ *Cum per singula momenta adhæserit carni ejus atque concreverit fœdus humor.* ] Exprimitur indicium, quod Sacerdos sequi debebat, ut judicaret quempiam subjacere prædicto vitio: Quod indicium, quia non poterat cum honestate Sacerdoti innotescere, nisi ex relatione ipsius semini-flui; ideò ipsemet Sacerdotem accedebat, modumque suæ passionis exponebat. Et si quasi continuè seu frequentissimè tam de die quàm de nocte flueret semen, & adhærens carni post fluxum concresceret, judicabat hominem isti passioni subjacere.

*Moraliter*, *Semini-fluus* atque adeò immundus est tum is qui animi vires per quas fructificare Deo posset, filiosque spirituales ei generare, in nihilum, aut etiam in res turpes absumit: tum qui verbo Dei quod Christus *semen* fuit interpretatus Matth. 13. sic abutitur, ut indignè illud tractet, & sine discretione profundat quasi mittens margaritas ante porcos. Qui tunc *judicabitur huic vitio subjacere*, cùm frequenter superfluæ & indiscretæ verborum effusioni operam dederit.

[ ℣. 4. *Omne stratum, in quo dormierit, immundum erit, & ubicumque sederit.* ] Abulensis q. 3. sup. hoc cap. docens quòd inter res immundas aliquæ facerent alia immunda, aliæ non facerent, istam generalem regulam statuit: Illæ res quæ solùm sunt immundæ per contactum, seu ea eo quòd tetigerint aliquid immundum, numquàm faciunt alias res immundas, quamvis tangantur ab eis: Illæ autem quæ non tantùm per contactum, sed in se sunt immundæ, suam immunditiam transfundunt in alias res, efficiuntque eas immundas à quibus tanguntur. *Prioris partis* exemplum est in eo qui tetigisset Cadavera, vel reptilia, sive viva, sive mortua, aut alia animalia quibus non licebat vesci: Talis enim erat quidem immundus, sed qui eum tangebant non efficiebantur immundi. *Posterioris*, in semini-fluo, Leproso, & menstruata, itemque in reptilibus & aliis animalibus immundis, quæ cùm in se immunda essent, & non ex solo contactu alicujus rei immundæ, immunda reddebant ea à quibus tangebantur. *Si objicias*, præsenti capite immundos decerni qui lectum, vestem, sellam, & alia ad semini-fluum pertinentia tetigissent, cùm tamen illa solùm videantur fuisse immunda per contactum semini-flui. *Dicendum est*, non ex eo solo contactu immunda fuisse, sed multò magis ex fœdo humore qui communiter cadebat in res illas quibus vestiebatur, aut in quibus dormiebat vel sedebat semini-fluus. Et si interdum contingebat nihil fœdi istius humoris decidere, id erat per accidens; ac nihilominùs illa censebantur immunda ab eo humore ut plurimùm decidente. *Cæterum*, an ista regula sit universaliter vera, dubitari potest, ob ea quæ leguntur cap. 22. vers. 4.

[ ℣. 5. *Si quis hominum tetigerit lectum ejus, lavabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.* ] Ista lotio, sicut & quæ hic sequuntur, non erat facienda aquis lustrationis vel expiationis, sed aquis viventibus, seu scaturientibus; & post factam lotionem, non continuò tollebatur immunditia legalis, sed perdurabat usque ad solis occasum, & propterea usque ad illud tempus debebat abstinere ab ingressu Sanctuarii, & à participatione sacrorum. Quòd si in ipso solis occasu vel hanc, vel aliam immunditiam contraheret quispiam, immundus erat usque ad sequentem occasum solis.

[ ℣. 7. *Qui tetigerit carnem ejus,* ] in quacumque parte corporis: Non enim recipienda est eorum expositio qui solùm de tactu lascivo interpretantur.

*Moraliter*, Ille tangit lectum aut carnem semini-flui qui pravum Doctorem aut Prædicatorem fovet, eive consentit.

[ ℣. 8. *Si salivam hujuscemodi homo jecerit super eum qui mundus est,* ] Quoniam saliva semini-flui erat in se immunda, imò & virulenta esse potest, ideò si jaciebatur sive sponte, sive fortuitò super eum qui mundus erat, is reddebatur immundus. Nec de alio humore sermo est, quàm de eo quem saliva solet significare. *Saliva* porrò Doctoris *immundi jacitur super eum qui mundus est*, quando aliquis simplex & justus allega-

allegationibus carnalis sapientiæ quasi quibusdam sputis illitus, ad perversitatis ejus societatem pertrahitur.

[ ℣. 9. *Sagma, super quod sederit, immundum erit:* ] *Sagma* idem valet quod *Ephippium* vel *Sella*, seu quodcumque aliud quod ponitur super animal ad ipsum equisandum, 70. dicunt *Stragulum Asini*; eò quòd in Palæstina frequens erat Asinis uti loco equorum. Unde 2. Reg. 17.4. Reg. 2. & alibi frequenter: *Stravit asinum suum*.

[ ℣. 10. *Qui portaverit horum aliquid*, ] &c. *Moraliter Sagm.* & aliquid aliud in quo seminifluus sedeat, portare, est favores in quibus Doctor pravus requiescat, assumere, & cùm stultitia illius redarguenda sit, talem se exhibere, in cujus applausu & favore muliter sedeat.

[ ℣. 11. *Omnis, quem tetigerit qui talis est, non lotis ante manibus, &c. immundus erit*, ] Per quam sententiam datur intelligi, quòd si seminifluus lotis antea suis manibus tangeret aliquem mundum, is ex mundo non reddebatur immundus. Quod ne videatur adversari iis quæ habentur vers. 7. Dicendum est omnem illum qui tangebat semini-fluum, seu carnem ejus, ex hoc fuisse immundum, sicut vers. 7. indicatur: Non omnem tamen qui à semini-fluo tangebatur ideò immundum fuisse, sed solùm si tangebatur priùs quàm semini-fluus lavisset manus. Et quamvis ejusdem rationis esse videatur tangere semini-fluum, & tangi ab eo; nonnulla tamen reperitur diversitas: Nam *tangere* spontaneum est, non similiter *tangi*; quam diversitatem spectare potuit Legislator.

*Moraliter, à semini-fluo non lotis manibus tangitur* qui à Doctore immundo præmiis aut aliis blanditiis corrumpitur, ut illi se associet.

[ ℣. 12. *Vas fictile quod tetigerit*, ] Nimirùm semini-fluus, ut exprimunt Hebræa & 70.

[ *Confringitur*: ] Quia immundum est, nec valde aptum ad sustinendum fortem defricationem quæ adhibenda esset, ipsum lavando. Conferantur quæ diximus cap. 6. vers. 28. & cap. 11. vers. 33.

[ *Vas autem igneum lavabitur aqua*. ] Quia fortiter defricari, atque in pristinam munditiam facilè reduci potest. De vasis æneis aliisque metallinis idem videtur esse judicium, etsi lignea fuerint hic expressa, quia frequentior est in re domestica illorum usus; si excipias vasa igni applicanda. Per *vasis fictilis confractionem* intelligi potest corpus peccatoris esse per pœnitentiam affligendum: Per *lignei lotionem*, purgatio ejus qui sine ullo sui detrimento curatur.

[ ℣. 13. *Si sanatus fuerit qui hujuscemodi sustinet passionem*, ] Si fluxus & fœditas illa cessaverit in semini-fluo.

[ *Numerabit septem dies post emundationem sui*, ] hoc est, post illum diem quo fluxus ille cessavit. *Numerare* autem non est idem quòd simpliciter *recensere numerum*, sed est tot dies pertransire, seu tot dierum spatium percurrere, sicut Job 7. *Noctes laboriosas numeravi mihi*, id est, transegi.

[ *Et lotis vestibus & toto corpore in aquis viventibus, erit mundus*. ] Ita videlicet, ut alios tangere, & ab aliis tangi possit, absque eo quòd immunditiam incurrant, etsi necdum sic mundus fieret, ut Templum ingredi posset, nisi priùs alteram die octavo purificationem adhiberet.

[ ℣. 14. *Die autem octavo sumet duos turtures, aut duos pullos columbæ*, ] Quia minor erat hæc immunditia quàm lepræ, minores hostiæ præscribuntur, nec ullum quadrupes animal exigitur etiam à divitibus, quemadmodum pro purificatione lepræ unum saltem Agnum quivis, etiam pauper, tenebatur offerre, sup. cap. 14. vers. 21.

[ *Et veniet in conspectu Domini* ] ad eam videlicet partem Atrii quæ est.

[ *Ad ostium Tabernaculi testimonii* ] In quo Tabernaculo Deus peculiariter residebat.

[ *Dabitque eos Sacerdoti*. ] Quia solus Sacerdos poterat offerre sacrificium.

[ ℣. 15. *Qui faciet unum pro peccato*, ] *Faciet*, hoc est, *sacrificabit*. *Pro peccato*, id est, eo ritu quo sacrificari debet victima pro peccato. Quamvis enim ille seminis fluxus absque peccato propriè dicto esse posset, continebat tamen quamdam legalem immunditiam, quæ peccati nomine intelligi potest, & hoc sacrificio erat expianda.

] *Et alterum in holocaustum: Rogabitque pro eo coram Domino*, ] In Hebr. *Et expiabit super eum Sacerdos ad facies Domini*, hoc est, ad Altare holocausti. Et intelligitur expiatio ab immunditia legali ex fluxu seminis contracta, pro qua sic rogabat Sacerdos illa sacrificia offerens, ut peteret ratam à Deo haberi istam emundationem, & concedi ne homo jam mundatus relaberetur in illam immunditiam.

[ *Ut emundetur à fluxu seminis sui*. ] Sive ut mundus habeatur, & idoneus declaretur, qui more mundorum tangere & tangi possit, ac civilem sacrorumque communicationem liberam habere.

[ ℣. 16. *Vir de quo egreditur semen coitus*, ] Qui polluitur commiscendo se mulieri, sive legitimè, ut in Matrimonio; sive illegitimè, ut extra Matrimonium.

[ *Lavabit aqua omne corpus suum, & immundus erit usque ad vesperam*. ] Illum scilicet vesperum qui eam pollutionem sequebatur, & sic impediebatur ab usu sacrorum, & ab ingressu Sanctuarii; usque ad illud tempus.

[ ℣. 17. *Vestem & pellem, quam habuerit*, ] ille qui sic polluitur.

[ *Lavabit aqua, & immunda erit usque ad vesperum*, ] Ut proinde nemini liceat ea uti ante istud tempus. Legem hanc sanxisse videtur Deus modestiæ & continentiæ causa: ut etiam in Conjugibus cohiberet nimiam frequentiam congressus ex tædio & molestia lotionis propter eum faciendæ. Sunt qui per *vestem* intelligunt non solùm *vestimentum*, quo homines solent interdiu vestiri, sed generaliter omne quod corpori potest adaptari ad illud quoquo modo operiendum, ut sunt lectus, lintea, & stragula. Quæ expositio confirmatur ex Exodi 22. ubi sub *vestimento* clarum est ista omnia comprehendi, cùm dicitur: *Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei: Ipsum enim est solum quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud in quo dormiat*.

[ ℣. 18. *Mulier, cum qua coierit, lavabitur aqua, & immunda erit usque ad vesperum*. ] Eo scilicet modo quo vir; intelligendumque est de quacumque muliere, sive esset viri propria, sive aliena, & sive viro consensisset, sive coacta fuisset.

[ ℣. 19. *Mulier, quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur*: ] Non debebat extra Castra, seu extra communem aliorum habitationem exire (nam huc solis leprosis, semini-fluis, pollutisque super mortuo præscribitur Num. 5. & pollutis Nocturno somnio Deuteron. 23.) sed oportebat eam in domo recludi, & non habere ullum cum aliis commercium, idque per septem dies; non quòd toto illo tempore sanguis flueret, sed quia tot diebus fluere poterat & vix ultra.

De quatuor versibus seqq. videantur quæ post hujus Capitis initium diximus.

*Moraliter*, juxta S. Brunonem Herbipolensem, qui *fluxus sanguinis patitur*, in peccatis perseverat, sanguis enim peccata significat. *Septem diebus separatur*, quia nisi pœniteat & peccare desistat, non potest Ecclesiæ reconciliari. *Qui talem tetigerit, immundus est*; quia tangere est imitari.

[ ℣. 24. *Si coierit cum ea vir tempore sanguinis menstrualis, immundus erit septem diebus*: ] De tali viro legimus cap. 20. quòd deberet interfici. Sed ibi sermonem esse de illo qui scienter copulam haberet cum menstruata, & de hoc in judicio convinceretur: In præsenti autem, de eo qui ignoranter, & de eo cujus factum esset occultum, benè annotarunt Lyranus & Dionysius Carthusianus.

[ ℣. 25. *Mulier, quæ patitur multis diebus fluxum sanguinis non in tempore menstruali*, ] Qualis fuit hæmorroissa quam Christus sanavit Matt. 9. Marci 5. & Lucæ 8.

[ *Vel quæ post menstruum sanguinem fluere non cessat, quamdiu subjacet huic passioni*, ] Per quam Phrasim insinuatur fluxus involuntarius & quædam ratio morbi:

[ *Immunda erit quasi sit in tempore menstruo*. ] Ita separari debet sicut mulier quæ patitur menstrua, & sa-

& eadem circa illam sunt observanda, quæ circa menstruatam.

[℣.26. *Omne stratum in quo dormierit, & vas in quo sederit, pollutum erit.*] Similis sententia fuit versu 4. ubi latinè ponitur immundum, quod idem est ac pollutum.

[℣.27. *Quicumque tetigerit ea,*] Retinendum esse neutrum plurale *ea*, non autem singulare fœmininum *eam*, sicut quidam legunt, patet ex Hebræo. Neque solùm est sermo de tangente mulierem, sed etiam de tangente stratum & vas de quibus præcedit, & quæ sub neutro plurali continentur, non verò sub fœminino singulari.

[℣.28. *Si steterit sanguis, & fluere cessaverit,*] convalescente muliere ab infirmitate profluvii.

[*Numerabit septem dies purificationis suæ:*] A die quo ultimo cessavit iste fluxus.

[℣.29. *Et die octavo offeret pro se Sacerdoti duos turtures, aut duos pullos columbarum* &c.]

[℣.30. *Qui unum faciet*] seu sacrificabit.

[*Pro peccato,*] Non quòd ille fluxus sanguinis sit peccatum, sed quia est quædam legalis immunditia, & legale peccatum, sicut fluxus seminis versu 15.

[*Rogabitque pro ea coram Domino, & pro fluxu immunditiæ ejus.*] Ut scilicet liberetur ab immunditia legali quam ex eo fluxu contraxit.

Quædam hìc quæri possunt. *Primum*, Cur Hæmorroissa à fluxu sanguinis curata non jubetur lavare vestes & corpus, quemadmodùm is qui sanatus erat à fluxu seminis? *Secundum*, Quare non requirebatur sacrificium pro menstruata, quando cessabat fluxus menstrui; sicut requirebatur pro muliere quæ ex infirmitate passa fuerat fluxum sanguinis, & ab eo sanabatur? *Tertium*, Quare Christus Hæmorroissam quam curavit, non misit offerre munus quod præcepit hìc Moyses, quemadmodùm Matth. 8. misit Leprosum quem mundaverat? *Ad Primam*. Respondeo difficile esse absolutam rationem reddere, non improbabiliter tamen dici potest, non tantam fuisse immunditiam fluxus sanguinis, quanta erat fluxus seminis. *Ad* 2. sunt qui hoc quod præscribitur mulieri à fluxu sanguinis extraordinario liberatæ extendunt ad menstruatam à naturali fluxu liberatam. Alii rationem hanc adferunt, quòd cùm fluxus menstrui esset omninò naturalis & ordinarius, si quod sacrificium debuisset eo cessante offerri, non fuisset oblatum pro aliquo singulari & extraordinario beneficio, sicut illud quod offerebatur pro muliere hæmorroissa, quæ innaturalem sanguinis fluxum passa, ab eo erat curata. *Ad* 3. Respondeo quòd ob duas rationes. *Prior est*, quia judicium de lepræ munditia pertinebat ad Sacerdotes: Ut verò miraculum quo leprosos mundabat notius fieret, & adversarii convincerentur, voluit Sacerdotes adiri, & oblationem lege præscriptam offerri. *Posterior*, quoniam ista mulier erat gentilis, ac proinde Legi Mosaicæ non subjecta.

[℣.31. *Docebitis ergo filios Israel ut caveant immunditiam,*] Alii ex Hebr. vertunt. *Et separabitis filios Israel ab immunditia sua. Separabitis*, id est, *separare facietis*, seu illos instruetis à quibus cavere debeant, ne immunditiam aliquam contrahant, & quomodò eos emundari oporteat quando aliquam contraxerint.

[*Et non moriantur in sordibus suis,*] hoc est, propter sordes seu immunditias suas, Deo nimirùm ulciscente peccatum illorum: Etsi enim legales immunditiæ non essent secundùm se peccata; peccatum tamen erat, illis non expiatis sacra tangere vel adire; quia erat contra legem.

[*Cùm polluerint Tabernaculum meum quod est inter eos.*] Cùm polluerint Tabernaculum quod erat quædam Domus Dei, illud ingrediendo priusquam sint à suis immunditiis purificati.

*Observandum hic*, quòd si tantopere parcendum erat à sordibus, illi Tabernaculo in quo boum, oviumque sanguis fundebatur, multò magis deferendum est Ecclesiis nostris in quibus Corpus & Sanguis Christi offertur & servatur. Et si ea polluebant quæ involuntariè accidebant, quantò magis polluunt veri nominis peccata, quæ peccata non sunt nisi sint voluntaria.

[℣.32. *Ista est Lex,*] hactenùs in præsenti cap. posita. Continetur enim hic brevis recapitulatio præcedentium, quod meritò imitari convenit Prædicatores, ut aliquando sub finem prædicationis summatim repetant quæ dixerunt ad memoriam Auditorum.

## CAPUT XVI.

*Quando & quomodo Sacerdos ingredi debeat Sanctuarium, ipsumque expiare unà cum Tabernaculo & Altari, emissariam capram abigere, & festum expiationum celebrare.*

[℣.1. LOcutusque est Dominus ad Moysen post mortem duorum filiorum Aaron, Nadab & Abiu de quibus cap. 10.

[*Quando offerentes ignem alienum interfecti sunt:*] Quæ interfectio cùm contigerit post erectum Tabernaculum, & post Aaronis filiorumque ejus consecrationem, sicut ex cap. 9. & 10. patet, ac per consequens anno secundo egressionis populi de Ægypto, mense videlicet primo anni secundi; non videtur recipiendum quod quibusdam placuit, *Festum Expiationis*, de cujus institutione nunc agitur, institutum fuisse statim post acceptam remissionem peccati idololatriæ circa vitulum commissæ, quam remissionem intellexerunt esse factam Moyse cum secundis tabulis descendente de monte Exod. 34. Nam iste descensus contigit anno primo, mense septimo. Sunt qui velint hoc caput non esse positum loco suo, sed substituendum esse statim post caput 10. At nulla est istius rei necessitas, cùm possimus commodiùs dicere etiam ea quæ hucusque à capite decimo fuerunt interposita, eodem tempore fuisse Moysi dicta tamquàm pertinentia ad officium Sacerdotum quorum consecratio tunc demùm erat perfecta; hìc tamen notari tempus & occasionem sequentium præceptorum ex morte filiorum Aaron, quoniam hæc præcepta eò spectabant ut Aaronem cautum & circumspectum redderent in obeundis divinis ministeriis, maximè in ingrediendo Sancta Sanctorum quod nomine Sanctuarii significatur. Unde consequenter dicendum videtur occasionem instituendi hoc *festum Expiationis*, fuisse peccatum irreverentiæ quod filii Aaron commiserunt in Tabernaculo offerentes ignem profanum: Ad quod præcavendum, & ad Reverentiam Sancti Sanctorum inculcandam Deus jubet ut non nisi semel in anno summus Pontifex illud ingrediatur, & quidem servatis iis quæ hìc præscribuntur. Causa porrò hujus festi instituendi fuit, ut semel in anno fieret generalis expiatio omnium peccatorum tam à Sacerdotibus quàm à populo per totum annum admissorum. Qui tamen dicunt Judæos illud celebrasse in memoriam beneficii quo Deus propitiatus est peccato populi de adoratione vituli ad preces Moysi, ut B. Th. 1. 2. q. 102. art. 4. ad 10. nihil à veritate alienum opinantur, cùm hanc causam alteri conjunctam fuisse non repugnet.

[℣.2. *Loquere ad Aaron Fratrem tuum,*] Tanquàm scilicet summum Sacerdotem, cujus erat Cæremonias istas perficere, ac filios suos de illis docere.

[*Ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod est intra velum coram propitiatorio quo tegitur Arca,*] *Ne omni tempore*, hoc est, *ne umquam. Sanctuarium quod est intra velum, &c.* Est periphrasis *Sancti Sanctorum*. Cùm enim in Tabernaculo essent duo vela, ut Exod. 26. diximus, unum pendens ante locum qui dicitur *Sancta*, eumque dividens ab Atrio; aliud pendens ante *Sancta Sanctorum*, eumque locum dividens à Sanctis; hoc posterius dicebatur esse coram propitiatorio quod erat operimentum Arcæ, quia proximum erat Sancto Sanctorum, ac per consequens Propitiatorio & Arcæ quæ collocata erant intra Sancta Sanctorum.

[*Ut non moriatur,*] Ne, sicut ejus filii fuerunt morte percussi propter neglectum Cæremoniarum, ita ipse percutiatur.

[*Quia in nube apparebo super oraculum,*] Seu super propitiatorium quod idem est, ut diximus Exod. 25. Ratio his verbis redditur, quare esset diligenter Aaroni curandum ut omnia expleret quæ præmittenda erant priusquàm ingrederetur in Sancta Sanctorum, quia videlicet Deus illic se peculiariter præsentem erat

exhibi-

exhibiturus, & summo Sacerdoti appariturus in nube: Quod non pauci sic interpretantur, quasi Angelus Deum repræsentans humanam figuram in Sancto Sanctorum assumeret, atque ita (nube tamen tectus) summo Sacerdoti appareret alis Cherubinorum insidens, & Propitiatorio seu Oraculo velut scabello pedum innixus. Verùm, etsi detur Deum aliquando ita apparuisse, verba tamen illa, *in nube apparebo*, non necessariò talem apparitionem important: Similiter enim Exodi 3. & Actor. 7. dicitur Dominus apparuisse in flamma ignis de medio rubi: & cap. 19. Dominus dixit ad Moysen: *Veniam ad te in caligine nubis*: Et mox: *In die tertia descendet Dominus*. Et Deuteron. 31. *Apparuitque Dominus in columna nubis*, neque tamen significatur quòd apparuerit in figura humana. Sed ea phrasi, *apparebo in nube*, significatur quòd Deus esset se præsentem exhibiturus, & præsentiam suam testaturus *in nube*. Frequenter quippe in sacris Litteris legimus Deum apparuisse *in nube*, aut locutum esse *de nube*: Quia *nubes* habet nescio quid augusti ad Majestatem & præsentiam Dei testandam & declarandam; unde ipsa interdum vocatur *gloria Domini*. Conferri possunt quæ diximus Exodi 40. Ad hanc sententiam, *In nube apparebo &c.* Verisimile est respexisse Salomonem, quando 3. Reg. 8. in hæc erupit. *Dominus dixit, ut habitaret in nebula*, sive, verba ut 2. Paralip. 6. habetur, *in caligine*. Cæterùm, qualis esset nubes in qua Deus dicit se appariturum super oraculum; Utrùm nebula, aut vapor incensi quod Pontifex adolebat ad Altare Thymiamatis qui usque ad Sancta Sanctorum penetrabat; an nubes Angeli ministerio formata; incertum est, nec multum refert ut tradit Cajetanus. Ad hoc autem voluit Deus nubem illuc induci, tum ad divinæ majestatis reverentiam excitandam; tum ad impediendam curiositatem intuendi quæ ibi erant; tum ad indicandum non posse in hoc sæculo divina nisi obscurè cognosci.

[℣. 3. *Nisi hæc ante fecerit:*] Quæ nimirùm statim subjunguntur. Non significatur Pontifici licitum fuisse quotiescumque iuberet, in Sancta Sanctorum ingredi modò ea omnia quæ hic præscribuntur præmitteret. (Nam hæc nonnisi semel in anno facienda fuisse ex versibus 29. & seqq. patet: Sicut etiam semel tantùm in anno poterat Pontifex in illa Sancta intrare, ut hinc ex consequenti colligitur, & apertissimè tradit Apostolus ad Hebræos 9. scribens quòd in secundo Tabernaculo semel in anno solus Pontifex introibat. Quibus consentit Josephus Lib. 6. de Bello Judaico cap. 6. dicens: *Illa* (veste scilicet utebatur Pontifex) *si quando adyta introibat, solus autem atque semel in anno intrabat, quo die cunctos jejunare Deo mos erat*. Similiterque Philo Lib. 2. de Monarchia. *Intima nemini videre fas, & præterquam soli Sacerdotum Principi, & id ei quoque uno die dumtaxat anniversariè permittitur*. Sed Lex statuitur ut Aaron aliusque post eum summus Pontifex non intret umquàm in Sancta Sanctorum, nisi priùs ea faceret quæ posteà hic exprimuntur: Hoc autem solùm contingebat semel in anno; ut proinde verborum præcedentium hic sensus reddi possit: Ne aliquando ingrediatur, etiam cùm licitum ei fuerit in Sancta Sanctorum ingredi, nisi sequentes Cæremonias præmiserit. Observant quidam disparitatem inter Aaronem & Moysen, quòd Aaron, tametsi Summus Pontifex, non poterat in Sancta Sanctorum ingredi, nisi semel in anno, & sub certis conditionibus: Moysi autem licebat sæpiùs intrare, pro exigentia scilicet ac opportunitate rerum super quibus Deus erat consulendus, & absque conditionibus Aaroni positis. Ratio disparitatis erat quòd Aaron tantùm esset Summus Pontifex cujus officium erat in successores derivandum, ideoque conveniebat illud secundùm aliquas certas leges formari, ut secundùm illas omnes ejus posteri se conformarent. At Moyses erat Legislator & Princeps populi, ipso quoque Aarone major cujus Officium non erat in posteros transiturum. Observandum prætereà quod dictum est de unico per annum ingressu Pontificis in Sancta Sanctorum, accipiendum esse pro illo tempore quo Tabernaculum erectum erat ac fixum. Nam cùm Castra essent movenda, Tabernaculumque deponendum, etiam minores Sacerdotes in illa ingrediebantur, ut Arcam involverent, sicut habetur Num. 4. Similiterque ingredi eos oportebat, quando Tabernaculum erat erigendum, & omnia quæ ad illud pertinebant disponenda.

[*Vitulum pro peccato offeret, & Arietem in holocaustum.*] Non est hic idem *Offeret* quod *immolabit* vel *sacrificabit*, de tali enim oblatione demùm agitur versu 11. *His ritè* celebratis, offeret *&c.* Sed *offeret*, idem hoc versu valet quod *dabit*, vel *exhibebit*. Cùm dicitur *pro peccato*, intelligitur de peccato ipsiusmet Aaronis seu Pontificis & suorum: Id enim significat illud *pro se & pro domo sua* versibus 6. & 11. conveniensque erat, ut qui pro peccatis populi erat sacrificium oblaturus, priùs pro suis offerret. Unde Apostolus ad Hebræos 7. huc respiciens tradit quòd Sacerdotes veteris Testamenti priùs pro suis delictis hostias offerrent, deinde pro populi. Per *peccatum* porrò pro quo hic jubetur Pontifex offerre vitulum, cujusvis generis peccata intelliguntur quæ Pontifex aut ejus familia toto anno commisisset, sive pro quibus particularia sacrificia fuissent priùs oblata; sive pro quibus nullum; & sive essent peccata scienter admissa, sive ignoranter, aut etiam oblita. *Confirmatur*. Sacrificium quod eodem Expiationis Festo fiebat pro peccato populi, erat pro omnibus peccatis toto anni decursu per populum admissis, qualiacumque & cujuscumque essent conditionis, sicut patet ex versibus 30. & 34. ergo idem dicendum est de sacrificio pro peccato Pontificis.

Neque his obstat ad Hebr. 9. haberi quòd Pontifex offerret pro sua & populi ignorantia. Nam *ignorantiæ* in Scriptura passim vocantur peccata; ut Ecclesiastici 23. *Ne adincrescant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea, & peccata mea abundent*. 1. Machabæor. 13. *Remittimus quoque ignorantias & peccata*. Et apud Abacuc titulus capitis tertii est *pro ignorantiis*, id est, pro peccatis, ubi teste B. Hieron. Theodotion vertit, *pro voluntariis, & pro his qui sponte delinquunt*. Hujus autem rei ratio est, quia omnis peccans est ignorans, cùm nullum sit peccatum quod non procedat ex errore judicii practici, quemadmodum 1. 2. q. 77. art. 2. luculentè ostendimus.

Ex Josepho Lib. 3. Antiquit. cap. 10. al. 13. observare licet, & vitulum & arietem quos Pontifex hic jubetur offerre, debuisse ipsius Pontificis sumptu comparari: Cùm enim pro se suisque offerret, conveniens erat ut de suo compararet hostias.

*Allegoricè*, per *vitulum* significari potest *Christus*, qui *tamquam ex bobus* est ex *Patriarchis* secundùm carnem, & priusquàm *in Sancta Sanctorum*, hoc est, *in Cælos intraret*, *seipsum Deo obtulit pro peccatis*, non suis quæ fecerat, cùm sanctus innocens, & impollutus fuerit, sed *suis*, id est, quæ *tamquam sua*, utpotè corporis sui, luenda susceperat. *Per Arietem* idem *Christus* intelligitur, qui etsi fuerit de genere ovium, os & caro nostra, fuit tamen inter omnes homines præcipuus ac Dux Gregis, præiens nos, ac salutis viam ostendens: Qui seipsum obtulit holocaustum dum se totum Dei obsequio mancipavit, & igne charitatis in ara crucis fuit incensus.

*Moraliter*, *vitulus* est *Caro nostra* indomita & lasciva, quæ *Deo offertur*, quando propter Ipsum jugo disciplinæ subjicitur, ac jejuniis, vigiliis & laboribus castigatur. *Arietem* verò *in holocaustum* offerimus, quando pars superior inferioribus dominatur, easque divino cultui totaliter mancipat cum inflammatione charitatis.

[℣. 4. *Tunica linea vestietur*,] Pontifex in Festo Expiationis Tabernaculum & populum expiaturus non utebatur vestibus Pontificalibus seu Pontifici propriis, quæ erant *Tunica talaris* tota hyacinthina, *Ephod* quatuor colorum *Rationale* & *Lamina aurea*, de quibus Exod. 28. sed, *vestibus Sacerdotalibus*, id est, communibus tam Sacerdotibus inferioribus quàm Summo Pontifici, quæ erant *Tunica linea*, *Fæminalia linea*, *Zona*, & *Cidaris linea*, idque propterea, quia vestes Pontificiæ erant pretiosiores; in diebus autem mœstitiæ & afflictionis, qualis erat festum Expiationis, docet uti vestibus simplicibus, & non pretiosis, sicut illo cap. 28. Exod. fuit dictum & declaratum.

*Per has quatuor vestes* significantur *quatuor virtutes Cardinales*, quibus præditum esse oportet Pontifi-

cem, ut munia Pontificalia benè exerceat. Nam in *Tunica*, significatur *justitia* juxta illud Psalm. 131. *Sacerdotes tui induantur justitiam* ? In *fœminalibus*, *Temperantia*, quæ & suo decore hominem ornat, & si quid fecit inhonestum, quasi superducto velamine virtutis illud occultat. In *Zona fortitudo*, secundùm illud Job 38. *Accinge sicut vir lumbos tuos*. In *Cidari*, *Sapientia*, & *Prudentia* : *Sapientis* enim *oculi in capite ejus*, Ecclesiastæ 2. & *Sapientia hominis lucet in vultu ejus*, cap. 8. In *Linea* omnium istarum vestium *materia*, ostenditur partim illarum virtutum facilis acquisitio, partim quòd habiles, & gratæ sint adipiscenti, sicut quæ linea sunt facilè adaptantur corpori.

[ *Hæc enim vestimenta sunt sancta* : ] Ad cultum divinum in eis faciendum deputata ac consecrata.

[ *Quibus cunctis, cùm lotus fuerit, induetur*. ] Quod ergo supra dicitur, *Tunica linea vestietur*, intelligi debet de vestitione facienda, postquam Aaron *se*, hoc est, *manus & pedes suos* lavisset ? Nec videtur totius corporis lotio fuisse requisita, sed eorum dumtaxat membrorum ; Et per eam *moraliter* significabatur munditia operum & affectuum.

[ ℣. 5. *Suscipietque ab universa multitudine Filiorum Israel duos hircos pro peccato, & unum arietem in holocaustum*. ] Hæ Hostiæ suppeditabantur vel ex communibus facultatibus, vel ex pecunia quam singuli conferebant in usus Sanctuarii, sive essent pauperes, sive divites, qui erat media pars sicli Exod. 30. & eas à primoribus populi allatas seu adductas Pontifex suscipiebat ad ostium Tabernaculi consistens. Cùm autem superiùs cap. 4. pro peccato multitudinis jubeatur offerri vitulos, dicendum est hircos hic præscriptos fuisse peculiares præsenti sacrificio ; idque ad magis significandum fœtorem & turpitudinem peccatorum toto anno commissorum à populo.

[ ℣. 6. *Cumque obtulerit vitulum*, ] Verbo *offerendi* non significatur *jugulatio & immolatio*, de quo demùm versu 10. agitur, sed *præsentatio*, qua vitulum pro se & suis adductum Deo præsentabat non immolandum.

[ *Et oraverit pro se & pro domo sua*, ] Non exprimitur quæ fuerit oratio ; dicendum tamen est, quòd præsentando vitulum immolationi destinatum, vel hoc ipso Deum oraret, vel aliam quoque aut mentalem, aut etiam vocalem orationem funderet. Cùm dicitur, *Et pro domo sua*, per domum Aaronis seu Pontificis, non intelligitur *strictè* domus seu familia ipsius Pontificis ; quæ nimirùm ipsi cohabitabat ; sed generaliter familia Sacerdotalis, seu Sacerdotum omnium atque Levitarum, id quod Abulensis q. 12. benè probat, quia in festo Expiationis orabatur & sacrificabatur pro omnibus Hebræis, ac per consequens etiam pro minoribus Sacerdotibus & pro Levitis ; Levitæ autem, sicut & Sacerdotes minores non comprehendebantur nomine multitudinis Hebræorum, sed cùm Deus jussit populum Israel numerari, Levitæ sunt per se ac seorsim numerati Cap. 1. Num. Oportet ergo quòd comprehendantur sub nomine domus, seu familiæ Sacerdotum, idque satis rationabiliter, quia Levitæ ministrabant Sacerdotibus : Quemadmodum ergo famuli pertinent ad domum vel familiam Dominorum, ita Levitæ censeri poterant de Familia Sacerdotum.

[ ℣. 7. *Duos hircos stare facies coram Domino in ostio Tabernaculi Testimonii* ; ] Isti sunt hirci quos populus obtulerat pro peccato suo, quosque Pontifex ab universa multitudine susceperat. Eos dicebatur *facere stare coram Domino*, quia statuebat illos in ostio, seu juxta ostium Tabernaculi, Deus autem specialiter erat intra Tabernaculum. Causa porrò cur illic statuerentur, erat, partim quia ibi erat locus ad oblationes Deo faciendas (Ambo autem offerendi erant Deo priusquàm sors super eos mitteretur) partim ne videretur alia in istis sortibus cæremonia observari, præterquàm Dei veri.

[ ℣. 8. *Mittensque super utrumque sortem, unam Domino, & alteram Capro emissario* : Ex istis duobus hircis unus erat immolandus & sacrificandus Deo, alter mittendus in desertum portans iniquitates filiorum Israel. Et ut sciretur quis deberet immolari, quis in desertum mitti, ponebantur sortes super eos, designando scilicet unam pro uno, aliam pro alio hirco, seu capro. Nam *Caper* idem hic valet quòd *hircus*, & quod alibi *hœdus* : Et per has sortes intelligebatur quis hircus cui usui deserviret. Licebat autem in isto negotio sortium usus, tum quia Deus volebat eas adhiberi, tum quia sortes divisoriæ non sunt malæ, quando in eis nihil mali admiscetur, ut ostendimus 2. 2. quæst. 95. art. 8.

[ ℣. 9. *Cujus exierit sors Domino, offeret illum pro peccato* : ] Illum hircum super quem cadet sors Dei, Pontifex offeret Deo pro peccatis filiorum Israel.

[ ℣. 10. *Cujus autem in Caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino*, ] Si quæras, quomodò nunc specialiter dicitur, *Statuet eum coram Domino*, cum paulò ante habeatur de utroque, *Duos hircos stare facies coram Domino* ? Respondeo quòd post sortitionem factam, cùm unus hircorum esset mactandus in sacrificium, alter sinebatur stare seu consistere vivus coram Domino, ut ibi super eum fierent cæremoniæ à Deo jussæ, ita ut, *statuet*, hoc loco non aliud sit quàm *stare sinet*. Aut si aliud sit, summus Sacerdos debebat nunc specialiter præsentare coram Domino. *Caper*, seu *hircus emissarius* vocatur qui emittendus erat in solitudinem. Neque audiendi sunt quidam Hebraizantes qui volunt vocem Hebræam *Azazel* esse nomen proprium montis, idque confirmant ex eo quod dicunt hic in Hebræo haberi, *ad emittendum eum, ad Azazel in desertum*. Ubi, ait Oleaster, non benè vertas, *ad Caprum emissarium in desertum* ; quoniam caper non mittebatur ad caprum in desertum. Septuaginta namque Interpretes, & S. Hieronymus hujus libri interpretes meliùs intellexerunt vocem Hebræam esse compositam ex duabus, quarum una significat *Caprum* sive *hircum*, altera ; *abeuntem* seu *recedentem* ; ut proinde *Azazel* idem valeat quòd *Caper abiturus*, seu *dimittendus*, pro quo noster interpres dixit, *Emissarius*. Theodoretus q. 22. refert Symachum de hirco abeunte, & qui emittitur in desertum interpretari ; Aquilam verò de hirco qui solvitur in solitudinem. Quæ omnia cum versione nostra quæ caprum vocat *emissarium*, optimè conveniunt. Ad Confirmationem ex Oleastro allatam Respondeo ipsum ita quidem Textum Hebræum interpretari, sed absque ulla necessitate ; cùm Pagninus & alii meliùs interpretentur, *ad mittendum eum pro capro emissario in desertum*. Neque quidquam urgeat Lectionem vulgatam deserere *Confirmatur* ; Si vox Hebræa esset hic nomen montis, consequens foret, unam sortem fuisse missam super montem, eumque debuisse statui coram Domino, quæ tamen nemo rectè dixerit.

[ *Ut fundat preces super eo*, ] Suo nimirùm tempore postquam vitulo & hirco pro peccatis populi oblatis & immolatis, ex Sancto Sanctorum redierit. Non enim hæc narrantur eo ordine quo gesta sunt, sed hic ponuntur per Anticipationem. Preces porrò de quibus hic sermo est, illæ sunt intelligendæ per quas Pontifex omnia populi peccata & pœnas eorum imprecabatur Capro emissario infra versu 21.

[ *Et emittet eum in solitudinem*. ] Quasi portaturum illuc iniquitates filiorum Israel, ut quidquid ipsis propter eas imminebat pœnæ Deus convertere vellet in istum Caprum.

[ ℣. 11. *His ritè celebratis*. ] Ista neque sunt in Hebræo, neque apud 70. sed ab interprete posita sunt : Et per pronomen *his* non demonstrantur omnia præcedentia, demùm enim posteà super hircum viventem fusas esse preces, ipsumque in solitudinem missum, liquet ex sequenti littera, ubi dicitur hoc esse factum post emundationem Sanctuarii & Tabernaculi : Sed demonstrantur ea quæ ante sacrificii executionem præcedunt quòd nimirùm Aaron exhiberet vitulum pro se, & pro domo sua, & Arietem in holocaustum ; & quòd susciperet à filiis Israel duos hircos, mitteretque duas sortes super illos, unam Domino, alteram Capro emissario ; ita ut post hæc ritè celebrata fieri debuerint quæ jam sequuntur.

[ *Offeret vitulum*, ] illum scilicet quem Aaron pro se suisque adduxit, seu adduci curavit. Offeret autem præsentando jam nunc immolandum, & aptando ad immolationem proximam. Quidam opinati fuerunt *nomen sexus*, positum hic esse pro *nomine speciei*, ita ut vitulus dicatur, sive sit masculus, sive fœmina,

volunt-

voluntque sermonem esse de vitola seu vacca rufa quæ offerebatur ad expiandum Num. 19. Verùm ista opinio nequaquàm est recipienda, tum quòd ista vacca immolabatur extra Castra, hic autem vitulus apud ostium Tabernaculi; tum quòd illa offerebatur pro toto populo, ut inde fierent cineres pro expiandis immunditiis filiorum Israel, præsens verò vitulus solùm pro Pontifice & pro domo sua: Tum quòd ille qui immolabat vaccam rufam erat immundus usque ad vesperam, qui autem vitulum hunc immolabat non erat immundus; statim enim intrabat in Sancta Sanctorum, id quod non faceret, si esset immundus. Retinenda igitur est Communis sententia, & dicendum hunc fuisse vitulum pro Pontifice, aliisque Sacerdotibus & Levitis immolandum, unde mox sequitur.

[ *Et rogans pro se, & pro domo sua, immolabit eum:* ] Ipsum jugulando, & in sacrificium pro peccatis suis, & suorum offerendo apud Altare holocaustorum.

[ ℣. 12. *Assumptoque thuribulo*, ] Non hic intelligitur Thuribulum illud aureum de quo Apostolus ab Hebr. 9. & quod Exod. 30. diximus non aliud fuisse quàm Altare Thymiamatis. Sed cùm juxta Altare holocaustorum varia reservarentur Thuribula, ut eis uteretur partim summus Pontifex, dum adolebat incensum, partim Sacerdotes inferiores, dum quotidiè id faciebant, unum ex illis assumeret Pontifex.

[ *Quod de prunis Altaris impleverit*, ] Debebat Sacerdos prunas seu carbones ardentes vel ignitos accipere de Altari holocaustorum, eosque imponere thuribulo. In eo siquidem Altari semper erat ignis quem Sacerdos nutriebat quotidiè apponendo ligna. Nec licebat aliundè quàm ex isto Altari prunas accipere ad adolendum incensum, sicut ex superioribus Capitib. 6. & 10. patet, ubi Nadab & Abiu perierunt, quòd non de illo, sed de alio igne acceperint.

[ *Et hauriens manu compositum Thymiama*, ] Debuisse Thymiama esse compositum ex stacte, onycha, galbano, & thure lucidissimo dictum fuit Exod. 30.

[ *In incensum* ] Ad hoc ut incendatur, à prunis scilicet super thuribulum positis.

[ *Ultra velum intrabit in Sancta:* ] Intelligitur *velum secundum* quod proximè pendebat ante Sancta Sanctorum, & per *Sancta*, Sancta Sanctorum intelliguntur: Post illud enim velum erat locus Sanctissimus, *Sancta Sanctorum* nominatus.

[ ℣. 13. *Ut positis super ignem aromatibus, nebula eorum & vapor operiat Oraculum*, ] seu *Propitiatorium*. Assignatur causa supradictorum, quare scilicet Aromata ex quibus Thymiama erat compositum, atque adeò ipsum Thymiama jussum fuerit poni super prunas in thuribulo, ad hoc nimirum ut de thymiamate exurgeret nebula & vapor, idest, parva nubes seu vapor & fumus qui operiret oraculum. Etsi enim Sanctum Sanctorum nullas haberet fenestras, neque ulla sui parte lumen admitteret; ne tamen vel per tantillum luminis quod esse poterat ex apertione veli ad ingressum Pontificis quidquàm conspiceretur intra Sancta Sanctorum, Deus voluit totum obscurari per fumum & vaporem sacri suffitus. Id quod etiam pertinebat ad reverentiam & horrorem reverentialem excitandum, & ad impediendam curiositatem.

[ *Quod est supra testimonium*, ] hoc est, supra Arcam in qua Lex seu Testimonium servabatur.

[ *Et non moriatur.* ] Per quod indicatur quòd alioqui moreretur summus Sacerdos si absque dicto suffitu Thymiamatis intraret in Sancta Sanctorum, quemadmodum & si absque veste cui tintinabula erant appensa fungeretur officio ministerii, Exod. 28. vel absque lotione, Exod. 30.

[ ℣. 14. *Tollet quoque de sanguine vituli* ] Immolati pro eo, & pro domo sua. Non est existimandum quòd summus Sacerdos in Sancta Sanctorum ingressus, & illato in illud thuribulo supradicto inde egrederetur ad sanguinem vituli accipiendum, & in illa Sancta inferendum. Et similiter dum dicitur versu sequenti, *Cumque mactaverit hircum pro peccato populi inferet sanguinem ejus intra velum*, non est intelligendum quòd disperso ad propitiatorium vituli sanguine, è Sanctis Sanctorum egrederetur ad mactandum hircum, sumptoque ejus sanguine regrederetur in illa, ut istius hirci sanguinem aspergeret. Sic enim sæpiùs in Sancta Sanctorum intrasset, cum Apostolus ad Hebr. 9. dicat quòd semel in anno intraret. Neque sufficit dicere quòd semel in anno, id est, uno die in anno, etiamsi eo die pluries intraret: Id enim esse contra intellectum & praxim Judæorum clarum est ex Philone qui in Legatione ad Cajum asserit non licuisse Pontifici pluries eodem die in Sancta Sanctorum ingredi. Neque etiam varius ille ingressus censendus esset pro uno, cùm diversis ex causis esset, & quidem cum justo temporis intervallo: Sciendum ergo quòd antequam Pontifex intraret in Sancta Sanctorum cum Thymiamate, oportebat vitulum esse occisum, similiterque hircum, ut de utriusque sanguine aliquid inferret in illa Sancta, & ex eo aspersionem faceret. Quapropter, cùm dicitur hic *Tollet de sanguine vituli*, & infra, *cumque mactaverit hircum, inferet sanguinem ejus:* Utrobique intelligendum est; *Tollet*, vel *inferet* unà cum Thymiamate & thuribulo, facta jam antè tum hirci, tum vituli immolatione.

[ *Et asperget digito septies contra propitiatorium ad orientem.* ] Mittet digitum suum in sanguinem, & ex eo asperget contra, id est versus propitiatorium, idque septies, ad designandam isto numero emundationem ab universitate immunditiarum, quæ universitas septenario numero significatur. Quod dicitur *ad orientem*, difficultate non caret, cùm enim Arca & Oraculum super eam essent versus occidentem, & intraretur in Sancta Sanctorum à parte orientali, quæritur quomodò summus Pontifex ea ingressus poterat aspersionem facere versus orientem? Inter varias Responsiones illa est probabilior quòd per *Orientem* hic non intelligatur pars mundi Orientalis, neque aspersio fieri debuerit versus partem mundi Orientalem, sed potiùs versus Occidentalem. Verùm, per *Orientem* & tum Arcæ, tum Propitiatorii pars accipienda est quæ Orientem spectabat, & erat versùs Introitum; ita ut Pontifex per Orientalem mundi plagam ingressus, & aspersionem faciens ad partem Arcæ anteriorem, aspergeret versus Orientem ipsius Arcæ & Propitiatorii, vertens ipse faciem ad Occidentalem plagam mundi. Cæterùm; utrùm sic sanguine aspergeret ejus guttæ deberent contingere Propitiatorium, quæri potest: Respondetur autem non debuisse, sed sufficisse quòd aspersio fieret versus illud, sive interim guttæ usque ad illud pertingerent, sive non. Nec refert in Hebræo haberi: *Super faciem Propitiatorii*; Nam *super*, idem valet, quod, *in*, vel *contra*, conformiter nostræ versioni.

[ ℣. 15. *Cumque mactaverit hircum pro peccato populi*, ] Ex duobus hircis qui erant (ut in versu 5. habetur) pro peccato populi; unus mactabatur in sacrificium; & quidem (secundùm jam superiùs dicta) antequam Pontifex intraret in Sancta Sanctorum.

[ *Inferet sanguinem ejus* ] hoc est, de sanguine ejus.

[ *Intra velum*, ] Sive intra Sancta Sanctorum. Inferebat autem simul cum sanguine vituli de quo præcedit, & cum thuribulo, ac Thymiamate. Utrùm verò inferret sanguinem hirci permixtum; cum sanguine vituli, an impermixtum; non liquet: Probabilius tamen loquuntur qui dicunt quòd impermixtum, atque adeò in diversis vasculis: Quia sanguis vituli erat pro expiatione peccatorum Sacerdotis & Familiarum Sacerdotalium, sanguis autem hirci, pro expiatione peccatorum multitudinis, seorsim verò fiebat expiatio horum & illorum, sicut diversa erant sacrificia pro his & pro illis, & omnes intelligerent alterius quasi ordinis, & graviora esse peccata Sacerdotum, propter dignitatem personæ, quàm aliorum.

[ *Sicut præceptum est de sanguine vituli, ut aspergat è regione Oraculi*, ] Verisimile est quòd Pontifex misso digito in sanguinem hirci septies de illo aspersionem faceret versus oraculum seu Propitiatorium, sicut de sanguine vituli: Unde in Hebræo & 70. sic legitur: *Et faciet sanguinem ejus, sicut fecit sanguinem vituli.* Quæ verba innuunt diversas fuisse aspersiones unius sanguinis & alterius. *Ista sanguinis tum vituli tum hirci illatione in Sancta Sanctorum ad expiandum tam pro Sacerdotis quàm pro populi peccatis*, figurabatur quòd *per Sanguinem Christi expianda essent humani generis* pec-

*peccata*, & patefaciendus aditus in Cœlum, quod per Sancta Sanctorum repræsentabatur, & quòd propterea cæteris totius anni diebus non liceret Pontifici in illa Sancta ingredi, ut intelligeremus necdum tunc propalatam, id est apertam fuisse viam Sanctorum, seu quæ ducunt ad Sancta, *adhuc priore Tabernaculo habente statum* ad Hebr.9. Et quòd nulli præterquàm Summo Pontifici liceret ingressus in Sancta Sanctorum, similiter figurabatur nullius alterius Sacerdotis hostia aperiendum nobis esse Regnum Cœlorum, quàm per solam Christi hostiam, *qui non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa*, eod. cap.9. Per hoc quòd sanguis tum vituli, tum hirci septies aspergitur significatur quòd morte & Sanguine Christi facta peccatorum nostrorum expiatione, nobis confertur septiformis Christi gratia, qua cœlum introeamus.

[ ℣. 16. *Et expiet* ] Seu mundet.

[ *Sanctuarium* ] Id est, Sancta Sanctorum.

[ *Ab immunditiis filiorum Israel, & à prævaricationibus eorum, cunctisque peccatis*. ] Non quasi locus ille realiter esset pollutus, sed quòd morali æstimatione censebatur pollui, tum per immunditias legales, *vel Sacerdotum* qui Tabernaculum adibant, sacravè, contrectabant etiam ignoranter; *Vel Laicorum* qui idem Tabernaculum ingrediebantur, aut de pacificis vescebantur; tum per quævis alia peccata quæ redundabant in irreverentiam Tabernaculi, seu Templi, ac etiam Dei, qui habitationem ibi elegerat: Quomodò etiam nunc Ecclesiæ Christianorum per certa quædam peccata dicuntur violari & pollui, ita ut egeant repurgatione, & reconciliatione. Ex supra dictis intelligi potest hanc expiationem fuisse prorsus universalem quorumcumque peccatorum, ita tamen ut non excluderet expiationes particulares quas Lex præcipiebat iis qui peccaverant. *Si quæras*, ad quid ergo serviebat hæc generalis expiatio? *Respondeo* quòd ad hoc, ut omnium peccatorum & delictorum pœna quæ potuisset afficere populum, & à privatis ob eorum peccata etiam in populum converti, ab eo averteretur. *Patet* insuper ex his quantam Deus requirat munditiam in hominibus qui per peccata propriè polluuntur, dum videmus eum tantam requirere in rebus materialibus emundandis quæ nec propriè polluuntur, nec per gratiam mundantur.

[ *Juxta hunc ritum faciet Tabernaculo testimonii*, ] Post expiationem Sancti Sanctorum expianda erat alia pars Tabernaculi quæ dicitur *Sancta*, vel *Sanctum*, Jubet autem Deus ut in ea expianda servetur idem ritus qui præscriptus fuit pro expiatione Sancti Sanctorum, ut scilicet expiatio fiat septena aspersione sanguinis tum vituli tum hirci, versus velum, seu versus eam partem in qua erat propitiatorium.

[ *Quod fixum est inter eos in medio sordium habitationis eorum*. ] *Sordium* esse legendum, & non *fortium*, ut quidem Libri habent, liquet ex Hebræo, ubi habetur, *In medio immunditiarum eorum*; consentitque Editio 70. Dicitur autem Tabernaculum esse fixum in medio sordium; quia inter homines sordidos qui legem violant, & sacra polluunt peccando.

[ ℣. 17. *Nullus hominum sit in Tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur*, ] Nomine *Tabernaculi* intelligitur ea Tabernaculi pars quæ vocabatur *Sancta*, vel *Sanctum*, ubi erat Altare incensi; & per *Sanctuarium* intelligitur *Sancta Sanctorum*; ita ut hujus præcepti sensus sit: Nullus hominum sit in loco qui dicitur *Sancta*, quando Pontifex ingreditur *Sancta Sanctorum*. Cujus præcepti ratio erat, tum ad Reverentiam Dei qui in Sancta Sanctorum quasi residebat, excitandam; tum ne quis reducto per Pontificem velo, provocaretur ad inspiciendum ea quæ illic erant, vel etiam ad audiendum voces, si quæ fortassis ibi fierent ad Pontificem; tum ne quis impedimento esset devotioni Pontificis sacra peragentis. Hæc autem Lex propriè concernebat Sacerdotes, quia præter ipsos nullus alius poterat in *Sanctum* ingredi, sed in *Atrium* duntaxat, ex quo non erat periculum inspiciendi in *Sancta Sanctorum* ob velum duplex quod intercedebat.

In multis Bibliis annotatur hic ad marginem locus Luc.1, ubi de populo qui convenerat ad Templum quando *Zacharias* Pater Sancti Joannis Baptistæ offerebat incensum, dicitur quòd omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Verùm, iste locus huc non pertinet. Agitur enim ibi non de sacrificio expiationis, quod semel tantùm in anno fiebat, idque per Summum Pontificem, sed de quotidiano quod per Sacerdotes inferiores offerebatur singulis diebus in loco qui dicitur *Sancta*, ubi erat Altare Thymiamatis, non verò in *Sancto Sanctorum*. Accedit, quòd iste Zacharias non fuerit Summus Pontifex, ut Exod. 30. diximus.

[ *Ut roget pro se, & pro domo sua, & pro universo cœtu Israel*, ] Exigit hunc in orando ordinem Charitas, qui etiam servatus fuit in oblatione hostiarum, priùs pro Pontifice, domoque ipsius, deinde pro populo.

[ *Donec egrediatur*. ] Scilicet è Sancto Sanctorum.

[ ℣. 18. *Cum autem exierit ad Altare quod coram Domino est*, ] Pauci quidam istud interpretantur de Altari *holocaustorum*: Sed aliorum communior magisque recepta interpretatio est, de Altari *Thymiamatis*, quod peculiariter dicebatur *esse coram Domino*, quia erat Arcæ & Propitiatorio vicinius, ubi Deus censebatur habitare. Accedit quòd Exod.30. Cæremonia hic expressa præscribitur fieri ad *Altare incensi* seu *Thymiamatis*. *Si Dicas* expiandum quoque fuisse Altare holocaustorum, imò & Atrium; *Respondeo* satis fuisse quotidiè expiatum per quotidiana sacrificia animalium quæ ibi immolabantur, ideoque Deum non jubere aliter expiari. *Addi potest*, totum sanguinem non fuisse consumptum in aspersionibus faciendis, ac proinde eum qui restabat, debuisse ad basim Altaris holocaustorum fundi, sicut de sanguine hostiæ pro peccato jussum est supra cap.4. Sicque etiam hoc Altare fuisse expiatum per sanguinem præsentis sacrificii.

[ *Oret pro se*, ] Primùm videlicet, & consequenter pro illis pro quibus effundi debebat sanguis: Hoc est, pro domo sua, & pro universo cœtu filiorum Israel; Erat enim hæc expiatio generalis.

[ *Et sumptum sanguinem vituli* ] Anteà pro Sacerdotibus oblati.

[ *Atque hirci*, ] Pro populo immolati. An istorum animalium sanguinem sumeret permixtum, an impermixtum, incertum est: Ex dictis ad versum 15. probabilius videtur quòd impermixtum.

[ *Fundat super cornua ejus per gyrum*: ] Hoc est super quatuor cornua quæ sunt in gyro, seu in ambitu ipsius Altaris. Nam *fundere per gyrum*, non est fundere per circuitum totius quadraturæ Altaris, sed super quatuor cornibus quæ comprehendebant totum gyrum seu circuitum Altaris. Illa porrò cornua erant parvæ quædam pyramides in superioribus angulis prominentes, aut quid simile.

[ ℣. 19. *Aspergensque digito septies*, ] De sanguine, ut est in Hebr. & 70. tam vituli scilicet quàm hirci. Quæ aspersio juxta superiùs dicta verisimiliter fiebat priùs de vituli, deinde de hirci sanguine; & quidem versus idem altare Thymiamatis.

[ *Expiet & sanctificet illud ab immunditiis filiorum Israel*. ] Illa ipsa aspersione *expiet* illud altare ab immunditiis, seu tollat legales immunditias quæ videri poterant esse inductæ in illo per iniquitates & immunditias Sacerdotum, aliorumque Israelitarum; *& sanctificet*, seu sanctum faciat, reddendo ipsum conveniens ad Dei cultum, & administrationem in eo peragendam.

[ ℣. 20. *Postquam emundaverit Sanctuarium*, ] Hoc est, Sancta sanctorum.

[ *Et Tabernaculum*, ] Seu eam Tabernaculi partem quæ dicitur Sancta.

[ *Et altare*, Scilicet Thymiamatis. Cùm enim istud altare situm esset in *Sancta*, eo ipso emundabantur Sancta, quo altare expiabatur per ritus jam ante præscriptos. Postquàm igitur Pontifex ea omnia in festo expiationis perfecerit.

[ *Tunc offerat hircum viventem*: ] Alterum scilicet hircum qui relictus fuit vivus, & qui vocatur *Caper emissarius*. Offerat autem non eum immolando jugu-

jugulando, ſed ſiſtendo & præſentando coram Deo & Tabernaculo.

[℣. 21. *Et poſita utraque manu ſuper caput ejus,*] Ad ſignificandum quòd nomine totius populi conſentiebat, imò & Deum rogabat ut omnia Iſraelitarum peccata ſeu pœnas eorum transferret in caput iſtius hirci.

Confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſrael, & univerſa delicta atque peccata. Oleaſter pro *Confiteatur*, legendum eſſe vult, *projiciet*, dicitque verbum Hebræum non propriè ſignificare *confiteri peccata*, ſed rum *projicere*, tum *confiteri confeſſione laudis*. Verùm, quis credat, vel Beatum Hieronymum, vel 70. interpretes, vel alios Hebraicè doctiſſimos, qui omnes verterunt, *confiteatur*, ignoraſſe ſignificationem verbi Hebraici? Neque concedendum eſt verbum Hebræum non propriè ſignificare *confiteri peccata*, Proverbior. enim 28. apertiſſimè de peccatis ponitur; *Qui confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur*. Similiterque hujus libri cap. 5. & Num. etiam 5. ut ſuperiùs cap. 5. & 6. diximus. Quibus addi poſſunt quæ habentur 2. Eſdræ 1. v. 6. & Daniel. 9. v. 4. Retinenda igitur eſt noſtra lectio, & per *iniquitates*, *delicta*, atque *peccata* tamquam ſynonyma idem intelligi poteſt; niſi quis malit ea accommodare ad peccata malitiæ, ignorantiæ, & infirmitatis, quamvis proprietas iſtorum nominum hoc non importet. Iſta autem Sacerdotis confeſſio pro univerſo populo non ita fiebat in genere, ut ſolum profiteretur populum peccaſſe; hoc enim non eſſet confiteri omnea iniquitates Iſrael, & univerſa delicta atque peccata eorum. Neque tamen illa confeſſio ſic erat particularis, ut ſingulorum peccatorum à ſingulis commiſſorum enumerationem contineret, nam nec ea omnia ſcire poterat Sacerdos; nec ſi ſciviſſet, uno brevi temporis ſpatio potuiſſet enumerationem abſolvere. Sed fiebat enumeratione peccatorum ſecundùm ſpecies eorum quæ ſciret in populo regnare, addendo deinde generalem clauſulam quæ peccata omnia comprehenderet.

[*Quæ imprecans capiti ejus.*] *Quæ peccata*, ſeu *quorum peccatorum pœnas*. Neque enim peccata vel peccatorum culpæ poterant in hircum transferri, ſed illorum pœnæ dumtaxat. Peccatorum ergo populi pœnas imprecabatur ſummus Sacerdos hirco, quatenùs ex deteſtatione illorum Deum precabatur, ut quidquid ſupplicii eſſet in hoc ſæculo irrogaturus populo propter ſua peccata, convertere vellet in hircum, ſicque pecatorum populi pœnas in hircum transferre. Et hæ ſunt preces quæ verſu 10. dicebantur eſſe ſuper Caprum emiſſarium fundendæ.

[*Emittet illum per hominem paratum.*] Pro *hominem paratum*, alii ex Hebr. vertunt, *virum temporis*, & intelligunt *virum ſenem*, eo modo quo *vir terræ* ſignificat Agricolam. Sed nulla ratio ſuppetit cur per ſenem emittendus eſſet iſte hircus; imò minùs videtur fuiſſe conveniens virum ſenem ejus eductione gravari; præſertim cùm talis eductio commodiùs fieri poſſet per virum mediæ ætatis. Alii per *tempus*, *temporis opportunitatem* accipientes *virum temporis* probabilius intelligunt virum illo tempore, tamquam opportuno paratum. Cæterùm, tam 70. interpretes quàm S. Hieronymus optimè reddiderunt, *paratum*; ita enim frequentiſſimè reperitur uſurpatum vocabulum Hebræum.

[*In deſertum.*] Cùr illùc emitteretur iſte hircus, litteralis ratio erat, ut ibi devoraretur à feris, ſicque tamquam placulum lueret pœnas populi peccatis debitas; & propter hoc Deus liberaret populum à cladibus & calamitatibus temporalibus belli, famis, peſtis, & aliis hujuſmodi, quamvis ſinguli pœnas ſuis propriis peccatis judicio Dei debitas luere deberent aut hìc aut in altero ſæculo.

*Allegoricè*, per *hos duos hircos* pro peccato oblatos quidam intelligunt duas Chriſti *naturas*, *unam paſſibilem* ſecundùm quam ipſe *fuit immolatus & occiſus*, *aliam impaſſibilem* ſecundùm quam *fuit liber dimiſſus*. Sed quoniam hircus emiſſarius non dimittebatur ut maneret liber, ſed ut à feris pateretur & occideretur; Chriſtus autem ſecundùm naturam ſuam impaſſibilem pati non poterat, nec occidi, iſta *allegoria* videri poteſt minùs eſſe conveniens, niſi fortè in hirco emiſſario ſpecialiter conſideretur quòd peccata populi tolleret: nam Chriſtus ſecundùm naturam divinam propriè peccata noſtra aufert, dum ea, in quantum Deus eſt, delet. Poteſt etiam per utrumque hircum idem Chriſtus eſſe figuratus ſecundùm diverſas rationes: per eum qui *immolabatur*, Chriſtus ſecundùm quod præcisè fuit pro nobis *immolatus*: per *emiſſarium* quatenus Patre iniquitates omnium noſtrum in eo ponente, in montem exiit bajulans ſibi crucem, ibique expoſitus fuit atrociſſimis beſtiis devorandus; de quibus Pſal. 21.

[℣. 22. *Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram ſolitariam,*] Quamvis ſolæ hic nominentur iniquitates, cætera genera priùs poſita intelliguntur, vel per hoc nomen omnia ſignificantur, ita ut priora fuerint ſynonyma. Dicitur autem quòd hircus portaret iniquitates in terram ſolitariam, ſive in deſertum, quia cùm Sacerdos omnes illas hirco eſſet imprecatus, cum ea imprecatione hircus mittebatur in deſertum.

[*Et dimiſſus fuerit in deſerto,*] Ut devorari poſſit à feris.

[℣. 23. *Revertetur Aaron in Tabernaculum Teſtimonii,*] Aaron & quivis alius poſt eum Summus Pontifex egrediebatur è loco qui dicitur *Sancta*, ad introitum atrii ut viro parato ibique expectanti traderet hircum emiſſarium deducendum in deſertum: quod cùm feciſſet Pontifex, non expectato donec hircus perveniſſet in deſertum, ipſe ex introitu atrii revertebatur in Tabernaculum, hoc eſt, ad priorem Tabernaculi partem quæ dicitur *Sancta*, ut ibi veſtes tantiſper deponeret dùm ablueretur.

[*Et depoſitis veſtibus, quibus priùs indutus erat cùm intraret Sanctuarium,*] Hoc eſt, *Sancta ſanctorum*. Veſtes illæ erant lineæ, tunica, fœminalia, zona, & Cidaris, eratque locus ſeparatus ubi ſacræ veſtes conſervabantur.

[*Relictiſque ibi:*] Ut poſtmodum reſumeret eas cum Pontificalibus.

[℣. 24. *Lavabit carnem ſuam*] Non propter contractam ullam immunditiam, ſic enim impeditus fuiſſet ab ulteriori ſacrificio eo die peragendo, cùm immunditia legalis ſoleret ut minimùm durare uſque ad veſperam: ſed ut ſignificaretur quòd facta priùs expiatione pro ſuo & populi peccato, tam ipſe quàm populus mundi erant ab illo; quemadmodùm is qui lavatur in aquis viventibus mundus eſt à ſordibus corporalibus. Quæ porrò corporis partes lavari deberent, non exprimitur. Quidam putant quòd totum corpus: Dionyſius Carthuſianus, Marzilla, Marius, de ſolis manibus & pedibus intelligunt; idque veriſimilius.

[*In loco Sancto,*] Hoc eſt, in atrio Tabernaculi, ubi juxta altare holocauſtorum erat labrum æneum ejuſmodi lotionibus ſerviens.

[*Indueturque veſtibus ſuis.*] Sive Pontificalibus. Quoniam enim ea quæ iſto die peragenda reſtabant, læta erant & ſolemnia, offerendumque holocauſtum & pro ipſo Pontifice, & pro populo, Pontifex debebat non ſolùm reſumere veſtea Sacerdotales, quas paulò ante depoſuerat ſed etiam indui Pontificalibus: quæ dicuntur *ſuæ*, quia erant Pontifici propriæ, cùm aliæ eſſent communes omnibus Sacerdotibus.

[*Et poſtquam egreſſus*] è prima ſcilicet Tabernaculi parte ſive de *Sanctis* ad atrium ubi erat altare holocauſtorum.

[*Obtulerit holocauſtum ſuum ac plebis,*] De ariete videlicet qui verſus 3. dictus eſt debuiſſe per Aaronem dari ſeu exhiberi in holocauſtum, & de alio ſimiliter ariete quem Aaron ſuſcipere debebat ab univerſa multitudine, verſ. 5.

[*Rogabit tam pro ſe quàm pro populo.*] Etſi holocauſtum per ſe in honorem Dei referretur, & non ad impetrandam remiſſionem peccatorum, vel ad aliud beneficium obtinendum, aliquo tamen modo ad illa valere poterat, accedente præſertim Sacerdotis oratione.

[℣. 25. *Et Adipem qui oblatus eſt pro peccatis, adolebit ſuper altare.*] Sermo eſt de adipe tum vituli pro Sacerdote & domo ejus; tum hirci pro populo priùs oblati, quorum ſanguis effuſus tunc fuit, ac in Sanctuarium illatus, ſed adeps remanſit intactus, qui tamen dicitur eſſe oblatus, in quantùm oblati fuerunt vitulus & hircus. Hunc ergo adipem debebat

Pontifex jam adolere seu cremare super altare holocaustorum juxta ritum cap. 4. præscriptum.

[ ℣. 26. *Ille verò, qui dimiserit caprum emissarium, lavabit vestimenta sua & corpus aqua*, ] Non aquis expiationis, sed aqua communi. Lotionis causa erat, ut sic mundaretur ab immunditia legali quam contraxerat ex deductione hirci, seu capri emissarii. Cùm enim ille caper eo ferretur omnes iniquitates & peccata Israelitarum toto anno commissa secum auferre, coogestæque in eum essent imprecationes pœnarum pro eis debitarum, ipse sic censebatur immundus ut immundum quoque redderet eum qui illum ducebat.

[ *Et sic ingredietur in Castra*. Loquitur Legislator juxta conditionem temporis in quo dabantur istæ leges, quando scilicet Israelitæ erant in deserto, & Castra figebaot ubi erat quiescendum, ibique tunc erat communis ipsorum habitatio. Sed quod dicitur de Castris, pariter intelligendum est de locis habitationum, civitatum & villarum quando essent in terra promissionis.

[ ℣. 27. *Vitulum autem & hircum, qui propeccato* ] Tam Sacerdotum quàm populi.

[ *Fuerant immolati, & quorum sanguis illatus est in Sanctuarium* ] Sive de quorum sanguine aliquid illatum est in Sancta sanctorum.

[ *Ut expiatio compleretur, asportabunt foras Castra*, ] Minores videlicet Sacerdotes aut Levitæ quibus summus Sacerdos id jusserit, & quorum tamquàm ministrorum opera usus fuerit in mactatione victimarum.

[ *Et comburent igni tam pelles quàm carnes eorum ac fimum*: ] In loco scilicet mundo, super struem lignorum ut habetur cap. 4.

Hujus rei *Allegoriam* tradit Apostolus ad Hebr. 13. quòd nimirùm sicut animalium quorum infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra Castra; ita Christus qui sanguinem suum in Sancta cœlestia intulit, extra portam passus est.

[ ℣. 28. *Et quicumque combusserit ea, lavabit vestimenta sua & carnem aqua*, ] Nimirùm communi, ut sic quam immunditiam vel legalem vel corporalem contraxerit, ab ea mundetur priùs quàm ingrediatur castra, seu locum communem aliorum habitationem.

[ ℣. 29. *Eritque vobis hoc legitimum sempiternum*: ] Hæc lex erit vobis ac posteris vestris perpetua, semperque observanda quamdiù status vestræ Reipublicæ durabit.

[ *Mense septimo, decima die mensis*, ] Determinat tempus quo festum huc usque descriptum celebrari debeat; nempè mense septimo qui vocabatur *Tisri*, & respondebat nostro partim Septembri, partim Octobri. Et ad majorem temporis determinationem, additur ut celebretur decima die, juxta morem scilicet Israelitarum qui festa sua celebrabant à vespera ad vesperam, infra cap. 23. Quapropter quod ibi dicitur, *affligetis animas vestras die nono mensis*, non pugnat cum eo quod hìc legitur de die decima; quia ibi significatur afflictionem inchoandam esse à vespera diei noni quæ continuanda erat usque ad vesperam diei decimæ; unde consequens est istud jejunium fuisse 24. horarum.

[ *Affligetis animas vestras*, ] Seu vos ipsos: anima enim pro ipso homine ponitur, ut sæpè alias: & per *afflictionem* communiter intelligitur *jejunium*. Unde B. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum Jejunii ostorem sic cap. 11. scribit: *Si non vult jejunium Deus, quomodò in Levitico præcipit, ut septimo mense, decima mensis omnis populus jejunet usque ad vesperam?*

[ *Nullumque opus facietis*, ] Non tantùm servile, cujusmodi nec in aliis festis poterant facere, sed nec alia quæ in reliquis festis, præterquàm in Sabbathis, licita erant; ut sunt cibos coquere, ignem accendere, aquam haurire, de quibus Exodi 12. vers. 16. & cap. 35. vers. 3. dictum est. Scribunt enim Abulensis, Marziila, Lorinus, & alii parem fuisse religionem festi expiationis & Sabbathi quoad vacationem ab operibus, ita ut in his duobus festis non solùm essent prohibita opera servilia, sed etiam alia.

[ *Sive indigena, sive advena* ] *Indigena* dicitur qui de terra illa est ortus in qua commoratur, quasi indegenitus; *advena* autem generaliter dicitur qui aliunde venit: at hìc *advena* intelligitur is qui ex alia natione quàm Judaica veniens legem Judaicam recepit, vocarique solet *proselytus*; quomodò hìc est apud 70.

[ *Qui peregrinatur inter vos*. ] Non est sermo de peregrinatione quæ nudum transitum importet sine habitatione saltem fixa; sed verbum *peregrinandi* accipitur pro eo quod est peregrè venire, & inter Israelitas habitare, etiam fixè ac firmiter, aliundè accedendo; quod confirmari potest ex 70. qui pro istis verbis, *qui peregrinatur inter vos*, habent qui appositus est in vobis.

[ ℣. 30. *In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris*: ] Synonyma sunt *expiatio* & *mundatio*. Sub nomine *peccatorum* intelliguntur omnes immunditiæ & prævaricationes filiorum Israel de quibus versu 16. illæ præsertim quæ communes erant toti populo. Continet autem hæc sententia quamdam repetitionem ad celebritatem festi expiationis commendandam, significaturque quòd in ea die fiet expiatio & mundatio ab omnibus peccatis per cæremonias anteà hoc cap. descriptas.

[ *Coram Domino mundabimini*. ] Volo quòd ista mundatio fiat coram Domino: sive, quòd cæremoniæ ad eam præscriptæ fiant coram propitiatorio, ubi Dominus peculiariter se præsentem exhibet, partim scilicet in Sancto sanctorum, partim in Sancto atque in atrio.

Non habebant illæ ceremoniæ virtutem mundandi verè ac realiter animas peccatorum à peccatis, sicut habent Sacramenta novæ legis, quemadmodum cum B. Thom. diximus 1. 2. q. 103. art. 2. & 3. p. q. 62. art. 6. sed munditiam solùm legalem & externam tribuendi, Apostolo ab Hebr. 9. scribente, & talem comparationem instituente. *Si sanguis hircorum & Taurorum & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quantò magis sanguis Christi qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis?* Qui tamen illis utebantur profitendo fidem Christi venturi, & veram in animo contritionem concipiendo, per eam justificari & coram Deo mundari poterant.

[ ℣. 31. *Sabbathum enim requietionis est*, ] Apud 70. *Sabbathum Sabbathorum*, quasi dicerent: maximum & potissimum Sabbathum, sicut Canticum Canticorum significat Canticum excellentissimum. Non tamen est sensus quòd festum expiationis esset absolutè majus omnibus aliis festis, etiam Paschatis, sed cùm Sabbathi vocabulum significet cessationem & quietem, hoc die erat maxima quies seu cessatio, cessare enim debebant non solùm ab operibus servilibus, sed etiam ab his quæ in aliis festis erant licita, ut versu 29. latiùs dictum est.

[ *Et Affligetis animas vestras* ] Seu vos ipsos: hoc est jejunabitis.

[ *Religione perpetua*. ] Cultu seu ritu semper observando, sicut versu 29. fuit explicatum.

[ ℣. 32. *Expiabit autem Sacerdos, qui unctus fuerit*, ] Explicatis ritibus & tempore hujus festi, describitur persona ad quam pertinebat munus perficiendi omnem sacram Cæremoniam expiationis, & dicitur quòd ad summum Sacerdotem hoc pertineret. Illud enim, *Sacerdos qui unctus fuerit*, est periphrasis summi Sacerdotis, eò quòd ipse quodam peculiari modo ungeretur, scilicet in capite, & non solùm in manibus, ac quemadmodum inferiores Sacerdotes, secundùm ea quæ diximus Exod. 28. v. 41. & cap. 29. v. 7. conformiter iis quæ B. Thomas scribit 1. 2. q. 102. art. 5. ad 8.

[ *Et cujus manus initiata sunt* ] Hoc est, consecratæ, ut ex iisdem locis Exodi colligendum relinquimus.

[ *Ut Sacerdotio fungatur pro Patre suo*: ] Cui nimirùm succedit in dignitate & officio Sacerdotali. Ex quo colligit Abulensis manifestè significari quòd hìc agitur de summo Sacerdote; quia de aliis non diceretur quòd succederent suis patentibus, cum omnes filii Sacerdotum essent Sacerdotes, nisi fortè haberent aliquam maculam naturalem, vel accidentalem

talem

talem prohibentem, de qua inferiùs cap. 21. Sed in filiis ſummi Sacerdotis non erat ſic; quoniam non omnes ejus filii erant ſummi Sacerdotes, ſed ſolus primogenitus qui ſolus Patri ſuccedebat, & conſecrabatur, niſi quid obſtaret.

[ *Induetur que ſtola linea, & veſtibus Sanctis.*] Per ſtolam lineam, quidam comprehendi volunt omnes veſtes Sacerdotales lineas, fœminalia, tunicam, Zonam, & Cidarim: per veſtes autem ſanctas, intelligunt eas quæ erant pretioſiores, & Pontifici propriæ. Quia tamen hic agi videtur de veſtibus quas induebat Pontifex ad expiationem faciendam, illam verò faciebat in veſtibus lineis, quæ omnes ſanctæ erant, probabilius videtur per ſtolam, intelligi tunicam lineam; & per veſtes ſanctas, reliquas lineas fœminalia, Zonam, & Cidarim, ſicut interpretantur Dion. Carth. Abulenſis & Marzilla.

[ ℣. 33. *Et expiabit Sanctuarium & Tabernaculum Teſtimonii atque altare,* ] Per Sanctuarium, ſignificatur Sanctum, ſeu Sancta ſanctorum: per Tabernaculum Teſtimonii, Sancta; per altare, quidam intelligunt altare holocauſtorum, ſed ſupradictis conformiter, meliùs accipitur altare Thymiamatis quod erat in Sancta, & ad cujus expiationem ipſa Sancta cenſebantur expiari, cùm alioqui non expiarentur per ſe & directè.

[ *Sacerdotes quoque & univerſum populum.* ] Summus Sacerdos etiam expiabit minores Sacerdotes ( ſub quibus Levitæ comprehendantur tamquàm Sacerdotum miniſtri ) & univerſum populum Iſraeliticum: Hoc autem faciebat cœremonias ſupradictas explendo, & ſacrificia præſcripta pro omnibus offerendo.

[ ℣. 34. *Eritque vobis hoc legitimum ſempiternum,*] Hoc erit in legem ſemper à vobis obſervandam. Ad ſummos autem Sacerdotes hæc pertinent, quoniam ipſis ſolis competebat cæremonias expiationis explere, ac in feſto expiationis pro omnibus Iſraelitis orare, & ſacrificium offerre.

[ *Fecit igitur ſicut præceperat Dominus Moyſi.* ] De ſeipſo loquitur Moyſes in tertia perſona, quaſi diceret: Moyſes fecit ſicut Dominus ei præceperat. Per quod non ſignificatur quòd ipſe Feſtum expiationis celebraverit, ejuſque cæremonias perfecerit, cùm Deus non præcepiſſet ei ut iſta faceret; cùmque feſtum iſtud celebrandum eſſet menſe ſeptimo, hæc autem contigerint menſe primo anni ſecundi égreſſionis de Ægypto. Sed fecit ſicut præceperat ei Deus, quia hæc omnia locutus eſt Aaroni. Dicitur autem initio capitis, quòd ſic præcepit Deus Moyſi: *Loquere ad Aaron fratrem tuum*. Et quoniam hæc eadem concernebant quoque populum, non dubium quin etiam ipſi populo leges iſtas promulgaverit.

## CAPUT XVII.

*Nuſquam niſi ad oſtium Tabernaculi ſacrificandum, atque à ſanguine & morticinio abſtinendum.*

[ ℣. 1. **E**T *locutus eſt Dominus ad Moyſen*, ] Non conſtat quando ſequentia locutus ſit Dominus, utrùm immediatè poſt præcedentia, an aliàs.

[ ℣. 2. *Loquere Aaron & filiis ejus, & cunctis filiis Iſrael,*] His omnibus promulganda erat iſta lex de loco immolationis Sacrificiorum, quia ad omnes pertinebat. Ad Sacerdotes quidem, quia ipſorum erat offerre ſacrificia, tum pro populo, tum pro ſeipſis: ad ſummum verò, quia præter hoc, ejus erat præeſſe aliis Sacerdotibus, ipſos erudiendo, moderando, & corrigendo. Ad populares quoque, quoniam pro ſe hoſtias offerebant per manus Sacerdotum immolandas. Cœterùm, ut Moyſes dicatur iſta locutus eſſe cunctis filiis Iſrael, non eſt neceſſe quòd omnes omninò vocaverit; non enim facilè potuiſſet ab omnibus audiri & intelligi, nec eſt recurrendum ad miraculum ſine gravi cauſa: ſed ſufficit quòd primores populi convocaverit, eiſque legem hanc annuntiaverit, per quos ea reliquis innoteſceret, ſicut patet ex dictis Exod. 12.

[ *Iſte eſt ſermo quem mandavit Dominus,* ] *Sermo* accipitur aut pro *lege* quæ ſermone denuntiatur ac promulgatur, aut pro *re*, quemadmodùm ſæpè aliàs verbum pro *re* ponitur.

[ ℣. 3. *Homo quilibet de domo Iſrael, ſi occiderit bovem aut ovem, ſive capram, in Caſtris, vel extra Caſtra,* ] Quamvis ſolùm exprimantur Iſraelitæ, intelligendum nihilominùs eſt comprehendi proſelytos, ſeu Gentiles ad Judaiſmum Converſos; quia ipſi tenebantur omnes cæremonias legis Moſaicæ obſervare, ut teſtatur Apoſtolus ad Galat. 5. dicens: *Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ*. Cùm dicitur, *ſi occiderit bovem &c.* Non agitur de quacumque occiſione, ſed de ſacrificatoria, ſeu de illa quæ fiebat ad ſacrificium Deo offerendum. Prob. 1. quia ſtatim v. 5. dicitur; *Ideò Sacerdoti offerre debent filii Iſrael hoſtias*. Et mox: *Et immolent eas hoſtias pacificas Domino*. Et iterùm; *Fundetque Sacerdos ſanguinem ſuper altare Domini*, Prob. 2. Quia dum Deuteronomii 12. jubetur, ne in omni loco holocauſta ſua offerant, ſed in eo quem elegerit Dominus, ita ſubjungitur: *Sin autem comedere volueris, & te eſus carnium delectaverit, occide & comede juxta benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi in urbibus tuis*. Et poſteà. Quando *volueris veſci carnibus &c. Locus autem quem elegerit Dominus Deus tuus ut ſit nomen ejus ibi, ſi procul fuerit, occides de armentis &c. Et comedes in oppidis tuis, ut tibi placet*. Prob. 3. Quia alioquin ſequeretur Aaronicos Sacerdotes fuiſſe veros Laniones, ſi omnium boum, ovium, & Caprarum occiſio, etiam profana, ſeu ad communem uſum & eſum debuiſſet per ipſos fieri. Sequeretur quoque Tabernaculum fuiſſe locum publicæ laníenæ, cùm tamen eſſet locus facer. Ex his patet Beatum Auguſtinum quæſtione 56. in Levitic. meritò ſcripſiſſe non de iis hic dicere Deum quæ occiduntur ad uſum veſcendi, vel ſi quid aliud, ſed de ſacrificiis. Prohibuit enim privata ſacrificia, ne ſibi quoque quodammodò Sacerdos eſſe audeat, ſed illuc afferat, ubi per Sacerdotem offeratur Deo. Nominantur autem iſta tria animalia, *bos ovis, capra*, quoniam inter quadrupedia, hæc ſola erant immolaticia, ſeu ad immolandum idonea, & quæ ſub illis continentur, ut ad cap. 1. verſum 3. diximus.

[ ℣. 4. *Et non obtulerit ad oſtium Tabernaculi oblationem Domino*, ] Id eſt, ſi non adduxerit illud animal ad oſtium Tabernaculi, ut ibi offeratur Deo.

[ *Sanguinis reus erit: quaſi ſi ſanguinem fuderit, ſic peribit de medio populi ſui*. ] Erit reus mortis, & ſi res in judicio conſtet, peinde eſt morte plectendus, ſicut ſi hominem occidiſſet. Dupliciter enim peccabat qui hoſtiam immolabat non ad oſtium Tabernaculi *primò*, quia ſibi uſurpabat Officium Sacerdotis, cùm non eſſet Sacerdos. *ſecundò*, quia faciebat contra expreſſam legem divinam quæ vetabat alibi quàm ad oſtium Tabernaculi victimas offerri. Cujus prohibitionis ratio erat, ut Judæi longiùs arcerentur à periculo idololatriæ, & ne ſicut Gentiles ſacrificarent in montibus, lucis & cavernis.

*Allegoricè* autem ſignificabatur in ſola Chriſti Eccleſia, quæ per Tabernaculum figurabatur, eſſe locum ſacrificii; nec Deo placere poſſe ſacrificium quod offertur extra illam. *Si dicas* agnum paſchalem non fuiſſe ſolitum occidi vel immolari ad oſtium Tabernaculi, ſed in ædibus in quibus Patres-familias eum comedebant cum ſua familia, ſicut a. 2. q. 85. diximus, *Reſpondeo* hoc fuiſſe propter peculiarem ea de re legem Exodi 12. datam. *Si præterea dicas* Eliam 3. Reg. 18. & quoſdam alios Sanctos viros Sacrificia obtuliſſe extra locum Tabernaculi; *Reſpondeo* cum Beato Auguſtino quæſtione 56. non aliter eos excuſandos, quàm quòd imperio, vel inſtinctu divino id fecerint.

[ ℣. 5. *Ideò Sacerdoti offerre debent filii Iſrael hoſtias ſuas*, ] *Ideo* hoc eſt, ne rei fiant ſanguinis & mortis filii Iſrael, hoſtias Deo immolandas offerre debent Sacerdoti tamquam miniſtro per Deum conſtituto. In Hebræo, non eſt nomen *Sacerdotis* initio hujus verſus:

versus; est tamen posteà, cùm dicitur: *Et adducant ea Domino ad ostium Tabernaculi Ecclesiæ ad Sacerdotem*, ut est apud Pagninum, Vatablum, & alios.

[ *Quas occident in agro*, ] Sive, quas alioquin occiderent, vel occisuri essent in agro, more Gentilium: Non enim significatur quòd hostiæ priùs in agro mactatæ, essent posteà deferendæ ad ostium Tabernaculi, cùm hoc etiam contextui repugnet, & victimæ per ipsos Sacerdotes occidi debuerint.

[ *Et immolent eas hostias pacificas Domino*. ] Non debent hæc verba sic accipi, quasi sola immolatio hostiarum pacificarum esset restricta ad locum Tabernaculi, & tum holocausta, tum hostiæ pro peccato possent alibi offerri; hæc enim Lex est generalis, pertinetque ad omne genus sacrificii, ut ex versib.3. & 8. liquet; sed ideò nunc fit particularis mentio hostiarum pacificarum: vel quia istæ hostiæ frequentiùs & libentiùs offerebantur; cùm fierent, aut ad gratias pro acceptis beneficiis agendas, aut pro novis beneficiis obtinendis, cumque etiam Laici de ipsis comederent: Vel quia hostiæ pacificæ magis erant apud Gentiles usitatæ, qui de illis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum Deuteron.32. Sicque majus fuisset periculum ne Judæi idem facerent, si non expressè illis prohiberetur. Vel denique, quia de holocaustis & aliis victimis non alibi quàm ad ostium Tabernaculi offerendis, satis apertè versu 8. præscribitur.

[ ℣.6. *Fundetque Sacerdos sanguinem super Altare Domini ad ostium Tabernaculi Testimonii*, ] De Altari holocaustorum sermo est, quod constitutum fuit ad ostium Tabernaculi. Super quod non sic erat effundendus sanguis victimarum, ut funderetur in ipsius medio, vel super craticulam, sed super cornua, seu extremitates Altaris per ejus circuitum, secundùm ea quæ dicebantur cap.1.vers.5.& 11.& cap.3. vers.2.

[ *Et adolebit adipem in odorem suavitatis Domino:* ] Significatur quòd adipis hostiarum crematio esset valdè grata Deo, ut explicatum fuit Genes.8. vers. 21. & hujus lib.cap.1.vers.9.

[ ℣.7. *Et nequaquam ultra immolabunt hostias suas dæmonibus, cum quibus fornicati sunt*. ] Pro *Dæmonibus*, 70. habent *Vanis*, ex Hebr. alii vertunt, *Pilosis*: Quoniam tam dæmonia quàm idola verè vana sunt, ut propterea Apostolus meritò scripserit 1. ad Cor.8. *Scimus quia nihil est idolum in mundo*, & dæmones sub hirci alteriusve animalis pilosi solent apparere & coli. Ex hac sententia non est difficile colligere Hebræos ante hac sive in Ægypto, sive in Deserto sacrificasse tum Idolis, tum dæmonibus qui in Idolis habitabant. Quibus conformiter Josue 24. dicitur quòd Patres eorum servierunt diis alienis in Mesopotamia & in Ægypto. Et Amos 5. sic eis improperatur: *Numquid hostias & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis domus Israel, & portastis Tabernaculum Moloch vestro, & imaginem Idolorum vestrorum?* Frequenter in sacris Litteris Idololatria vocatur Fornicatio, & Idololatræ dicuntur fornicari cum Idolis: Quia relicto Deo qui animas fidelium sibi despondit ad salutem, seipsos dant amori & cultui alterius, nempè dæmonis. Nec refert quòd non omnes Idololatræ directè intendant servire dæmonibus, veluti quando cœlis, elementis, brutis, aut aliis rebus etiam inanimatis sacrificant; saltem enim indirectè & virtualiter intendunt servire dæmonibus, quia ex dæmonum instigatione est quòd talibus sacrificant, eisque hoc valdè placet, imò & in illis sæpè habitant & responsa dant.

] *Legitimum sempiternum erit illis, & posteris eorum*. ] Hoc scilicet quod de sacrificiis uno tantùm loco offerendis statutum est.

[ ℣.8. *Et ad ipsos Israel dices: Homo de domo Israel*, ] Seu Israelita.

[ *Et de Advenis* ] Hoc est profelytis, seu de Gentilibus ad Judaicam Religionem conversis. Repetitur Lex paulò antè data, sed cum expressa adjectione proselytorum: Quamquam etsi non exprimerentur, satis per se foret intelligendum, ex eo quòd Proselyti unum cum Israelitis populum facerent, ac inter Hebræos censerentur quoad Leges & Privilegia, præterquàm ubi de quibusdam prærogativis & dignitatibus agitur, quas Ammonitæ & Moabitæ numquàm poterant consequi. Idumæi autem & Ægyptii, nonnisi post secundam generationem. Deuteron.23.

[ *Qui obtulerit holocaustum, sive victimam*, ] quamcumque aliam, aut scilicet pro peccato, aut pacificam.

[ ℣. 9. *Et ad ostium Tabernaculi Testimonii non adduxerit eam, ut offeratur Domino, interibit de populo suo*. ] Vel per Judicis sententiam, si peccatum convenienter probetur in judicio; vel Deo pœnam inferente, secundùm quod judicabit opportunum. Ab hac autem sententia excepti esse intelligi debent quicumque Spiritus Sancti instinctu permoverentur ad sacrificium extra locum Tabernaculi offerendum: Quia Deus legi suæ non subjicitur, & ab ea eximere potest quos voluerit.

[ ℣.10. *Si comederit sanguinem*, ] De esu sanguinis qui hìc tam proselytis quàm Judæis prohibetur, videantur quæ diximus Genes. 9. & hujus Lib. cap. 3.

[ *Obfirmabo faciem meam contra animam* ] Seu contra vitam.

[ *Illius*, ] Hoc est, vehementer offensus illi ero; Vide cap.20.vers.3.

[ ℣.11. *Quia anima carnis in sanguine est*: ] Hæc est una ratio quare Deus esum sanguinis prohibuerit Judæis: Quia anima, seu vita omnis carnis est in sanguine; quatenus scilicet maximè fovetur & sustentatur sanguine, estque sanguis necessaria dispositio ad vitam animalem. Quòd si animam propriè accipias, similis sensus reddi potest dicendo quòd anima etiam humana est in sanguine, quia potissimùm sanguinis præsentia fovetur, & continetur in corpore. Quòd autem de humana quoque anima hoc dicatur, ex versu 14. patet, ubi sic legitur: *Anima enim omnis carnis in sanguine est*. Ratio igitur prohibitionis esus sanguinis in hoc consistit, quòd cùm anima carnis sit in sanguine, quamdam inhumanitatis & crudelitatis speciem habere videtur, sanguinem comedere, cùm hoc sit quasi comedere vitam & privare vita.

[ *Et ego dedi illum vobis, ut super Altare in eo expietis pro animabus vestris*, ] Hæc est altera ratio prohibitionis esus sanguinis, quia scilicet Deus sanguinem destinavit expiationi faciendæ, ut fundendo illum super Altare, seu tingendo, vel etiam aspergendo fiat expiatio peccatorum, & mors quam homines sunt promeriti convertatur in pecudem cujus sanguis effunditur. Unde sequitur:

[ *Et sanguis pro animæ piaculo sit*. ] Dum mors & sanguis pecudis supplet vicem hominis qui peccando mortem meruit, nec tamen occiditur.

[ ℣.12. *Omnis Anima* ] Omnis homo Judæus aut Proselytus.

[ ℣. 13. *Si venatione atque Aucupio ceperat feram vel avem, quibus vesci licitum est*, ] Extendit Deus legem superiorem, ut non tantùm habeat locum in sanguine animalium quæ sunt apta immolationi, sed etiam in aliorum quæ etsi non essent munda ad sacrificium, erant tamen munda ad esum, cujusmodi sunt quæ Deuteron.14. v. 5. recensentur. De sanguine bestiarum quæ non immolari; nec edi poterant, nihil hic statuitur; quia perspicuum est ab illis penitùs fuisse abstinendum. De illarum sanguine quibus vesci licebat, & quæ neque venatione, neque aucupio capiebantur, sed domi occidebantur ad esum, ex Deuteron. 12. patet fundendum fuisse in terram. De piscium sanguine nihil ordinatur, partim quia plerique exangues, partim quia sufficienter comprehenditur lege generali superiùs posita.

[ *Fundat sanguinem ejus, & operiat illum terra*. ] Tum ad immunditiam & fœtorem arcendum; tum propter reverentiam, ne sanguis qui secundùm speciem suam est Deo dicatus, vel conculcaretur; vel à bestiis lamberetur.

*Moraliter*, per *prohibitum esum sanguinis* intelligimus prohibitam esse omnem crudelitatem, & jussum esse ne iniquis carnalibusque vel cogitationibus, vel operibus communicemus: Et per sanguinis opertionem, ne aliorum peccata propalemus, sed occultemus. Possunt quoque per *Israelitas* tum *indigenas* tum adve-

*advenas* intelligi fideles, & maximè Prædicatores qui *venatione vel aucupio feram, vel avem capiunt*, quando hæreticos vel Geotiles Evangelica Prædicatione vel fraterna correptione ad fidem convertunt. *Quorum* quidem *sanguinem fundunt & terram operiunt*, quoniam eorum peccata aut pœnitentiæ aut Baptismi Sacramento penitùs delent.

[ ℣.14. *Anima enim omnes carnis in sanguine est:* ] In Hebræo: *Quia anima omnis carnis sanguis ejus est*: Quod non propriè accipi debet, sed causaliter & concomitanter; eo modo quo versu 11. fuit expositum.

[ ℣.15. *Anima que comederit morticinum, vel captum à Bestia,* ] *Anima* pro *homine* ponitur, & statuitur quòd si quis de populo Israelitico, sive indigena, sive advena, comederit aoimal ex se quidem mundum, sed vel per se mortuum, vel à Bestia captum, eamque ob causam immundum, immunditiam cootraheret. A qua ut muodaretur, debebat vestimenta & corpus suum lavare, seque pro immundo gerere osque ad vesperam.

[ *Et hoc ordine mundus fiet.* ] Servatis his cæremoniis. Sermonem esse de illo qui per ignorantiam talia comederet, ex dictis supra cap.11. vers.40. intelligi potest; Nam qui sciens & volens de istiusmodi comedebat, mulctandus erat morte per legem Num.15.

[ *Quòd si non laverit vestimenta sua & corpus, portabit iniquitatem suam.* ] Pœnas luet, si non homine judice ipsas inferente, eò quòd talia oon solerent deferri ad judicium, Deo eas immittente, nisi videlicet seipsum expiet offerendo victimam pro peccato, juxta mandatum cap.4. vers.27. & cap.5. datum.

*Moraliter*, *Morticinum* est quidquid eam vitam non habet quæ Joan.14. dicit, *Ego sum via, veritas, & vita*. *Captum* verò *à bestia* est, qui ab Hæreticis seductus est. *Hos* autem *comedere*, est eos suscipere, eis communicare, eos imitari. Quod qui fecerit, *debet se* interiùs & exteriùs *aqua* contritionis & pœnitentiæ lavare.

*Quid de illo dicendum?* Qui lavaret quidem vestimenta sua & corpus, sed non se gereret pro immundo usque ad vesperum? *Respondeo* quòd & ille portaret iniquitatem suam, cùm eamdem legem transgrederetur.

## CAPUT XVIII.

*Gradus conjugii illiciti, ad gentium opera fugienda in varia carnali turpitudine,*

[ ℣. 1. LOcutus est Dominus ad Moysen, ] De Aarone nihil dicitur: Fortè ideò, quooiam istæ leges erant populo per Moysen proponendæ tamquàm Reipublicæ Judaicæ caput & Principem Politicum. Cùm enim Matrimonium oon esset Sacramentum veteris Legis, sed Contractus tantùm naturalis & civilis, materiæ ipsius consideratio non ad Ecclesiasticum, sed ad Politicum Principem spectabat.

[ ℣.2. *Loquere filiis Israel*, ] Sic videlicet ut Primoribus, atque illis qui præsentes ipsum audire & intelligere possent, ipse per se leges sequentes promulgaret, per quos deinde cæteris omnibus, cujuscumque essent conditionis, sexus, ætatis quæ præceptorum capax esse posset, notæ fierent.

[ *Ego Dominus Deus vester:* ] Frequenter in hoc capite repetit Deus se esse Dominum, partim ut inculcet authoritatem suam legislativam propter quam Israelitæ tenentur ipsi obedire; partim ut intelligant quàm seriò velit has leges ab eis observari.

[ ℣.3. *Juxta consuetudinem terra Ægypti, in qua habitastis, non facietis: & juxta morem Religionis Channan, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis,* ] Inter *consuetudinem* & *morem* nihil est distinguendum, quia in Hebræo eadem est vox quæ significat *opus*. Vetat autem Deus Hebræis ne imitentur perversos mores & nefanda opera tum Ægyptiorum cum quibus habitaverant, tum Chananæorū ad quorum terram proficiscebantur & ubi conspecturi etiam erant pravos mores, malaque opera. Ex qoibus discere licet quantum sit malæ societatis periculum & damnum, quandoquidem Deum tam seriò populum suum moneat cavere à vitiis illarum gentium: Notumque est mala facillimè disci exemplo & conversatione, admodum autem difficulter dedisci, postquam aliquis ea didicerit.

[ *Nec in legitimis eorum ambulabitis.* ] *Legitima* vocat quæ *lege*, vel *quasi lege statuta* observabantur ab istis Gentibus, tametsi forent impia & injusta. Etsi verò prohibitiones hæ sint generales, secundùm subjectam tamen materiam potissimùm intelligendæ veniunt de Connobiis rebusque venereis in quibus tam Chananæi quàm Ægyptii turpissimè erraverunt.

[ ℣.4. *Facietis judicia mea, & precepta mea servabitis* ] *Judicia* & *præcepta* possuot sumi pro ijsdem, si judiciorum nomine generaliter intelligantur quæcumque justè & secundùm rectam rationem ordinantur & decernuotur: Si autem judicia restringantur ad ea quæ dirigunt in ordine ad proximum, & secundùm quæ in foro externo judicare oportebat, per *judicia præcepta judicialia* intelliguntur; & per præcepta, cæremonialia & moralia.

[ *Et ambulabitis in eis.* ] In eorum observatione perseverabitis, & proficere studebitis.

[ ℣. 5. *Custodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo, vivet in eis.* ] De temporali vita sermo est ad Litteram; Et significatur quòd servantes Dei præcepta, non incurrerent pœnam mortis quam Lex comminabatur transgressoribus, quòdque Deus eis largiretur in hoc sæculo prosperam & longam vitam. Hæc quippè vita est quam Lex vetus promittebat suis observatoribus, quamquàm illi qui ex charitate eam servabant æternam mererentur, quæ sub temporali tamquam sub typo adumbrabatur.

[ ℣.6. *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet,* ] Non commiscebitur carnaliter cum Consanguinea: Generaliter enim isto versu probibetur carnalis Copula cum propinqua, secundùm tamen eas limitationes quæ mox sequuntur. In Hebr. pro *Omnis homo*, habetur *vir, vir*. Quæ geminatio universalitatem importat, perindeque valet ac *Omnis* aut *Quilibet*. Sub sexu autem masculino, etiam fœmininus comprehenditur; Certum est enim utrique sexui prohibitam esse copulam illicitam.

[ *Ut revelet turpitudinem ejus.* ] *Revelare turpitudinem* sive (ut est in Hebræo) *nuditatem alterius* est pudendas ejus partes detegere ad copulam carnalem habendam.

*Spiritualiter* autem significatur quòd non licet revelare peccata & turpes actiones Cognatorum & Amicorum, ne fortè patiamur quod Cham Genes.9. qui Patris nuditatem videns eam non cooperuit, sed fratribus nunciavit, fuitque idcircò maledictus.

[ ℣.7. *Turpitudinem Patris tui & turpitudinem Matris tua non discooperies:* ] Duobus modis explicatur hæc sententia: *Unus est*, ut priori parte probibeatur filiæ, nè Patris turpitudinem discooperiat, ipsique carnaliter commisceatur; Posteriori autem prohibeatur Filio ne discooperiat turpitudinem Matris, Matrique carnaliter copuletur. Sic interpretantur Cajetanus, Dionysius, Carthusian. & Oleaster. *Alius modus* est, ut expressè solùm hic prohibeatur Matrimonium & copula filii cum Matre, eadem intelligatur esse turpitudo Matris quæ turpitudo Patris; quia ratione tum Dominii in corpus uxoris, tum copulæ carnalis, quæ uxoris est turpitudo, Mariti esse censetur. Unde Aug. q.58. in Levitic. ad hæc verba: *Prohibet*, inquit, *cum Matre concumbere; ibi est enim turpitudo Patris & Matris*, Idemque est sensus B. Ambrosii Epist.66. Lirani, & communis aliorum super hoc Caput: secundùm quem copulativa, *&*, *exegeticè* accipitur pro *id est*. *Confirmatur*, quia toto hoc capite *revelare turpitudinem alterius* tribuitur viris, qui mulierum turpitudinem dicuntur revelare.

*Si quæras*, ubi nam ergo prohibeatur copula vel Matrimonium Patris cum filia? Respondeo nusquam expressè & disertè prohiberi, interdictum tamen esse jure naturæ, quia tam turpe est Filiam cum Patre, quàm filium cum Matre copulari. Est ergo hoc præceptum juris naturæ quod omninò dictat turpe esse filium copulari cum Matre, ut & copulari filiam cum Patre. Qua ex causa diximus Supplem. quæst.54. art.3. ejusmodi Matrimonia, quæ sunt in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ, esse irrita jure naturæ.

[ ℣.8. *Turpitudinem uxoris Patris tui non discooperies:* Non commiscearis nec Matrimonium ineas cum uxore Patris tui. Sermo est de uxore Patris quæ non sit Mater, sed vel Noverca quæ in locum Matris defun-

defunctæ successerit, vel alia uxor Patris; nam illo tempore in usu erat Polygamia, & unus plures uxores habebat. De tali autem uxore propterea disponit Lex, ne existimaretur ex eo solum vetari tale Matrimonium, quòd esset Mater. Neque tantùm prohibetur copula vel Matrimonium cum ejusmodi uxore Patris, vivente adhuc Patre; hoc enim satis patebat esse illicitum ex generali lege qua vetatur Adulterium; verùm etiam Patre mortuo. Cæterùm, quo jure prohibitum; & si attentetur, irritum sit hoc Matrimonium? Et consequenter quo jure affinitas in primo gradu lineæ rectè dirimat Matrimonium, non liquet. Boni quidam Authores volunt quòd jure solùm positivo; Alii autem quos secuti sumus quæst. 55. Supplem. art. 6. tenent quòd jure naturæ. Non propter locum Apostoli 1. ad Corint. 5. ita scribentis, *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio qualis nec inter Gentes ita ut uxorem Patris aliquis habeat* (Iste enim fornicator concubinatum exercebat sine specie conjugii, Patre suo adhuc vivente? Nam quòd Pater adhuc viveret, omninò patet ex illo 2. ad Corinth. 7. *Etsi scripsi vobis, non propter eum qui fecit injuriam, nec propter eum qui passus est*, scilicet Patrem:) Sed quia est contra honestatem naturalem, & contra eam subjectionem, eam reverentiam quæ natura dictat debere esse inter illas personas.

[ *Turpitudo enim Patris tui est.* ] *Turpitudo Patris* dicitur ea quæ est *turpitudo uxoris ipsius*, quoniam honor & injuria uxoris resultat in virum, sicque eadem censetur turpitudo uxoris ac Mariti, ut versu 7. dicebatur: Hinc est quòd Scriptura hìc vocet turpitudinem Patris eam quam immediatè ante dixit turpitudinem uxoris ejus.

[ ℣. 9. *Turpitudinem Sororis tuæ ex Patre, sive ex Matre, quæ domi vel foris genita est, non revelabis.* ] Generatim prohibet ne frater Matrimonium contrahat cum sua sorore; sive eumdem Patrem, sed diversam Matrem habeat; sive eamdem Matrem, sed diversum Patrem; & sive sit ex legitimo matrimonio genita, sive ex thoro illegitimo. *Domi* namque *nasci*, est *nasci ex legitimo thoro*: & *nasci foris*, est *nasci ex thoro illegitimo*; fortè ideò, quoniam sola legitima uxor pertinet ad domum Mariti, non verò Pellex, Concubina, vel Adultera. De illa quæ ex parte utriusque parentis sit Soror, multò magis censendum est ejus quoque Matrimonium cum fratre esse prohibitum. *Si enim non licet Sororis turpitudinem revelare ex quolibet parente natæ, quanto magis ex utroque?* Ait Augustinus. Disputant Scholastici quo jure Matrimonia inter Fratres & Sorores, qui sunt in primo consanguinitatis gradu lineæ transversæ, sint irrita. Et quamvis non sit improbabile quòd positivo solùm, probabilius tamen esse quòd jure naturæ, satis luculentè ostendimus Supplem. quæst. 54. art. 3. etiamsi initio mundi & licita & valida fuerint, cùm aliter propagari non potuisset genus humanum, quod tamen Deus volebat propagari.

[ ℣. 10. *Turpitudinem filiæ filii tui vel neptis ex filia non revelabis*: ] Non contrahes Matrimonium cum tua Nepte, sive hæc sit filia filii, sive filia filiæ tuæ.

[ *Quia turpitudo tua est.* ] Quoniam cùm sint de tua substantia, turpitudo illarum, quodammodò est turpitudo tua, ut proinde si earum turpitudinem reveles, tuam propriam turpitudinem revelare censearis: Et quod hìc dicitur de conjugio Avi cum Nepte, similiter intellige de conjugio Aviæ cum nepote, tum propter paritatem gradus: tum quia magis dedecet Aviam esse subjectam nepoti, quomodò uxor debet subjecta esse marito, quàm Neptem esse subjectam Avo. Existimant non pauci hunc gradum, qui est secundus Consanguinitatis in recta linea, dirimere Matrimonium jure naturæ; imò addunt perpetuum esse jure naturæ impedimentum in ista linea, adeò ut si Adam nunc viveret, cum nulla muliere validum posset Matrimonium contrahere, eo quòd omnes mulieres ab eo descendant per rectam lineam. Sed contraria sententia est verior gradum nempè secundum consanguinitatis, etiam in linea recta, non dirimere Matrimonium jure naturæ, ac per consequens nec ulteriores gradus, quemadmodum Supplementi quæst. 54. art. 3. probavimus cum pluribus Doctoribus quibus addi potest Lorinus ad præsentem versum commentans.

[ ℣. 11. *Turpitudinem filiæ uxoris Patris tui, quam peperit Patri tuo, & est Soror tua, non revelabis.* ] Filiam Novercæ tuæ non duces uxorem. Lex ista est pars legis versu 9. positæ. Ibi enim prohibebatur universaliter Matrimonium Fratris cum Sorore cujuscumque generis esset Soror: hìc autem, specialiter prohibetur Matrimonium cum Sorore quæ esset ex eodem Patre & Noverca, vel alia Patris uxore. Quod ergo dicitur, *Et est soror tua*, intellige, quia ex eodem Patre genita est, etsi non ex eadem Matre. Repetitionis ratio est, ut explicatior esset prohibitio Matrimonii cum Sorore non uterina, quod Judæi verisimiliter non intelligebant esse irritum, imò nec prohibitum.

[ ℣. 12. *Turpitudinem Sororis Patris tui non discooperies*: ] Vetatur Conjugium Nepotis cum Amita.

[ *Quia caro est Patris tui.* ] Cum enim Frater & Soror sint consanguinei, unusque quodammodo sanguis & una caro, turpitudo Sororis Patris quadam ratione censetur esse turpitudo Fratris ipsius.

[ ℣. 13. *Turpitudinem Sororis Matris tuæ non revelabis*, ] Materteram tuam non duces uxorem: Prohibetur enim Matrimonium Nepotis cum sua Matertera, hoc est, cum Sorore Matris ejus.

[ *Eo quòd caro sit Matris tuæ.* ] Quodammodò enim duæ Sorores sunt ejusdem carnis & sanguinis, inquantùm ab eodem proximo stipite descendunt in quo habuerunt unitatem.

[ ℣. 14. *Turpitudinem Patrui tui non revelabis*, ] Hoc est, non inibis connubium cum uxore tui Patrui: Ideò enim tamquàm explicatio, sequitur.

[ *Nec accedes ad uxorem ejus*, ] Ita ut turpitudo Patrui non alia hìc intelligatur, quàm turpitudo uxoris ejus. *Exposuit* (ait Aug. quæst. 60.) *quid dixerit, turpitudinem Fratris Patris, id est, Patrui tui non revelabis: Hoc est enim; ad uxorem ejus non introibis. In uxore quippe Patrui vult intelligi turpitudinem Patrui, sicut in uxore Patris, turpitudinem Patris.*

[ *Quæ tibi affinitate conjungitur.* ] Redditur ratio quare Nepos non possit accedere ad uxorem sui Patrui, quia per Matrimonium cùm Patruo ipsa est Nepoti facta affinis. Quæ affinitas cùm perseveret Patruo mortuo, consequens est hoc præceptum etiam locum habere post mortem Patrui, imò tunc maximè, quia illo superstite simul fuisset adulterium generali lege prohibitum. Sicut Nepos prohibetur inire matrimonium cum uxore sui Patrui, sive cum Matertera: *Quæritur*, An similiter Patruus prohibeatur contrahere cùm filia Fratris sui, sive cum sua nepte. Nec desunt qui affirment, eo quòd sit idem gradus. Negant tamen Cajetanus, Cornelius, Lorinus, Titinus, Menochius & alii, partim quia Lex nihil de eo determinat, partim propter magnam disparitatis rationem. Siquidem uxor est naturaliter subdita Marito; indecens autem foret quòd Matertera vel Amita subjiceretur suo nepoti, quæ indecentia tollitur, quando Patruus neptem ducit, quia Neptis manet subdita suo Patruo.

[ ℣. 15. *Turpitudinem nurus tuæ non revelabis*: ] Non copulaberis cum uxore filii tui, etiam cùm ipse fuerit mortuus.

[ *Quia uxor filii tui est*, ] Ita namque vocatur etiam post mortem mariti, ex eo quòd uxor ejus fuit.

[ *Nec discooperies ignominiam ejus.* ] Pronomen est fœminini generis, quod proinde ad nurum referri debet, non (ut quibusdam placuit) ad filium. Pro *ignominiam*, in Hebræo est, *nuditatem*, quod noster interpretes solet dicere turpitudinem; ideoque nullum discrimen quærere oportet inter turpitudinem & ignominiam, sed sunt synonyma.

[ ℣. 16. *Turpitudinem uxoris Fratris tui non revelabis*: ] In quibusdam Bibliis ita præcedit: *Et uxorem Fratris sui nullus accipiat.* Quæ tamen verba non sunt de Textu, cum neque sint in Hebræo, neque apud 70. neque in latinis Codicibus correctioribus, sed continent expositionem eorum quæ pro versu 16. allata sunt. Prohibetur enim ne quis fratris sui uxorem ducat, non solùm dum Frater vivit (quod aperta esset Adulterii injustitia) sed nec post ejus mortem. Quæ tamen prohibitio intelligi debet juxta B. Aug. & alios, cum

exce-

exceptione, *nisi frater defunctus nullum reliquisset semen*: In quo casu alia Lex Deuteron. 25. jubet Fratri superstiti ut uxorem defuncti accipiat. Si uxor fratris viventis ab eo per repudium recessisset, per quam dimissionem putari fortè potuisset quòd licitè quisquam sibi uxorem copularet fratris, ubi adulterium non timeret, hac eadem lege prohibebatur.

[ *Quia turpitudo Fratris tui est* : ] Cùm vir & uxor sint una caro. Quoniam porrò constat ex Genes. 38. Judam Patriarcham dedisse filio suo secundo uxorem Fratris sine Liberis defuncti, manifestum est hoc præceptum non esse juris naturæ, sed juris positivi; divini quidem, sed judicialis quod per Christi mortem desiit obligare, sicut alia præcepta judicialia Judæis posita tunc desierunt. Ac proinde quòd inter Christianos non possit aliquis contrahere Matrimonium cum uxore fratris sui defuncti, neque est propter jus naturæ, neque propter jus divinum positivum, sed est propter Ecclesiasticum: in quo jure, Ecclesiam, seu caput ejus Romanum Pontificem posse dispensare, non est dubium; quomodò Innocentius III. cap. fin. de Divortiis dispensavit cum infidelibus ad fidem conversis, ut matrimoniis cum relictis fratrum contractis uterentur. Henricus porrò VIII. Angliæ Rex contra hanc legem turpiter impegit, cùm enim Catharinam Austriacam, quæ fuerat Arturi fratris ejus defuncti uxor, repudiare vellet, dixit Pontificem non potuisse dispensare, ut uxorem fratri sui duceret, eò quòd gradus ille sit in Levitico prohibitus: nolens scilicet intelligere leges ibi expressas, quæ solùm sunt juris positivi, non obligare Christianos jure divino, sed Ecclesiastico tantùm, quoad eas quas Ecclesia posuerit.

[ ℣.17. *Turpitudinem uxoris tuæ, & filiæ ejus non revelabis*. ] q. d. Si qua mulier sit uxor tua, non copulaberis cum ejus filia (ne quidem post ejus mortem) sive etiam sit filia tua, sive sit filia ipsius ex alio viro.

[ *Filiam filii ejus, & filiam filiæ illius non sumes*, ] Non accipies in uxorem eam quæ est neptis tuæ uxoris, sive sit neptis ex filio uxoris, sive ex filia. Lorinus addit eamdem videri rationem ut non posset uxor contrahere cum filio sui viri, neque cum nepote.

[ *Quia caro illius sunt*, ] Quia tuæ uxori sunt proximæ junctæ sanguine.

[ *Et talis coitus incestus est*. ] *Incestum* quidam interpretantur quasi *non castum*. Alii derivant à *cesto*, quod sumitur pro cingulo quo uxor à marito cingebatur in fide maritali, ut incestus dicatur ille concubitus illegitimus, cui cingulum legitimarum nuptiarum insigne adhiberi non potest propter consanguinitatis vel affinitatis impedimentum. Sed undecumque dicatur, juxta communem receptamque sententiam *incestus* describi solet esse congressus cum consanguinea vel affine intra gradus prohibitos: quales sunt illi de quibus posteà Pro *incestus*, in Hebr. legitur *Nefas*, apud 70. *Impietas*, ad designandum scelus quo pietas & reverentia parentibus & affinibus debita violatur.

[ ℣. 18. *Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies*, ] *Pellex* olim dicebatur quæ uxorem habenti nubebat. Generalius *Pellex* est quæ ab habente uxorem cognoscitur ut concubina, quasi pelliciat, seu blanditiis decipiat, virum ad se trahendo, & ab uxore separando. Pro *in pellicatum*, Augustinus quæst. 63. legit *in zelum*: exponitque, ne vel sit zelus inter sorores, vel ne isto animo fiat, ut in zelum sororis soror superinducatur. In Hebr. sonat *ad anxiandum*, ne videlicet oriatur æmulatio & anxietas, si una sororum sit magis dilecta, altera minùs, sicut in Rachele & Lia contigit Genes. 30. Cùm inter illas maximè debeat esse pax & concordia. Similis anxietas & invidia facilè quoque oritur ubi plures sunt uxores tametsi non sint sorores, ut patet ex Genes. 16. de Agar & Sara. Exod. 1. Reg. 1. de Anna & Phenenna. Sed propter majus commodum, scilicet propter populi fidelis multiplicationem, lex toleravit polygamiam, etsi non plurium uxorum cum uno fratre Conjugium. Prohibetur ergo hac lege ne quis uxore ducta, sororem illius accipiat in Concubinam, aut in uxorem secundariam. Pariter autem censendum est prohiberi ne duas sorores, etiam ut æquè principales simul habeat uxores, sicut habuit Jacob Rachelem & Liam Genesis 29. antequam ulla lex id vetaret.

[ *Nec revelabis turpitudinem ejus adhuc illa vivente*. ] Per quam clausulam indicatur, quòd uxore mortua, posset ejus sororem in Matrimonium accipere, quamvis nunc non possit propter impedimentum affinitatis per Ecclesiam inductum.

Observat Liranus, per revelationem turpitudinis, *moraliter* significari detectionem criminis quæ duodecim modis fieri potest, sicut duodecim vicibus hic replicatur non esse revelandam turpitudinem. *Primus modus est*, sic detrahere, ut aliquid minùs habeatur de alio. *Secundus*, malitiosè quidpiam tacere, ut alter pejus suspicetur. *Tertius*, reprehendendo nimis exaggerare, ut malum credatur gravius. *Quartus*, in aurem susurrare, quasi moneatur ex charitate. *Quintus*, aliter de præsente, & aliter de absente loqui. *Sextus*, adulari, & præsentem commendare de malo. *Septimus*, juxta malum alterius, propria bona fingere ut fama alterius vilescat. *Octavus*, murmurando malum seminare, ut omnibus clareat. *Nonus*, verba mala recitare, ut turbatio excitetur. *Decimus*, aliorum mala exaggerare, ut tu puteris justus. *Undecimus*, Ex relatione malorum apparentium verba bona obnubilare, ut innocens condemnetur. *Duodecimus*, scienter de aliis mala referre, ut in hoc delecteris.

*Observandum restat*, Gradus tum consanguinitatis tum affinitatis hoc capite prohibitos, prout ibi sunt, non esse impedimenta dirimentia Matrimonium inter Christianos, sed eos tantùm qui vel jure naturæ dirimunt, ut sunt primus consanguinitatis in linea recta, & probabiliter in linea etiam transversa; & secundùm probabilem sententiam primus quoque affinitatis ex Matrimonio contractæ in linea recta: vel jure positivo per Ecclesiam constituto, cujusmodi sunt reliqui gradus hic expressi, quibus ipsa pro authoritate qua pollet alios addidit, ita ut in universum omnes gradus consanguinitatis usque ad quartum inclusivè sint impedimenta dirimentia, & similiter quatuor gradus affinitatis ex legitimo Matrimonio, & duo illius affinitatis quæ ex fornicatione oritur. In illis qui per Ecclesiam constituti sunt, ipsa æquè potest dispensare, sicut potuit eos pro impedimentis statuere. Unde Concil. Trid. sess. 24. Can. 3. anathemate ferit illum qui dixerit eos tantùm consanguinitatis & affinitatis gradus qui Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere ut plures impediant & dirimant.

[ ℣. 19. *Ad mulierem quæ patitur menstrua, non accedes*, ] Deinceps agitur de copula quæ ad generandum est inordinata. Et hujus præcepti ratio est, tum propter fœditatem fluxus sanguinis, quo mulier tunc laborat; tum quòd talis concubitus vix habere potest finem suum qui est prolis susceptio; vel si proles tunc concipiatur, ea ferè sit debilis, monstrosa, vel leprosa. *Quæritur autem*, Utrùm hoc præceptum sit morale, an judiciale? *Respondeo* esse morale quatenùs congressus cum menstruata est jure naturæ malus, tum ob indispositionem materiæ quæ necessaria est ad conceptum prolis; tum ob turpitudinem & indecentiam; stando tamen in jure naturæ, seu præveniendo legem positivam severissimè prohibentem illum congressum Judæis, non videtur hujus præcepti transgressio esse mortalis: Et ideò ex ea parte qua lex pœnam mortis comminatur, est judicialis, sicut lex vetans esum adipis & sanguinis etiam sub pœna mortis supra cap. 7. Conferantur quæ diximus supplem. quæst. 49. à 6. Concl. 7. & quæ scribit Marius ad hunc versiculum.

[ *Nec revelabis fœditatem ejus*. ] In Hebræo habetur, *Nuditatem* sicut in præcedentibus ubi nos habemus, *turpitudinem*; ut proinde sint synonyma, *nuditas*, *turpitudo*, *fœditas*.

[ ℣. 20. *Cum uxore proximi tui non coibis, nec feminis commistione maculaberis*. ] Utraque hujus sententiæ pars ad idem pertinet, nempè ad prohibendum adulterium. Sicut autem vir ad alterius uxorem accedere prohibetur, ita pariter existimandum est uxori prohibitum esse, ne ad virum alium accedat, cùm sit eadem ratio; cumque mutuam fidelitatem uxor viro, sicut vir uxori debeat.

[ ℣.22.

[ ℣. 21. *De semine tuo non dabis ut consecretur Idolo Moloch*, ] Quia semen bifariam accipi potest, vel pro spermate seu humore qui ad generationem ordinatur, vel pro filiis ea semine genitis, dupliciter præsens locus exponitur. *Primò*, ut vetetur offerri sacrificium de spermate. Sicut enim aliqui sacrificabant Idolis de suo sanguine, ut 3. Reg. 18. ubi Sacerdotes Baal incidebant se juxta ritum suum cultris & lanceolis donec perfunderentur sanguine; ita etiam aliqui Idololatræ sacrificabant de suo spermate, ait Liranus. Quod ne quis putet incredibile, Augustinus hæresi 46. scribit quosdam Manichæos semen humanum cum farina commiscuisse, in qua deinde Eucharistiam celebrarent, Epiphanius quoque hæresi 26. refert Gnosticos semen humanum manibus exceptum obtulisse Patri universorum, & vocasse hoc Corpus Christi, *alio modo*, ut prohibeatur ne quis det de filiis suis ut consecretur Idolo Moloch, quod fuit Idolum Ammonitarum. Hoc autem Idolum dicitur fuisse cupreum, capite vitulino, reliquo corpore ad formam hominis factum, intus concavum latas habens manus ad recipiendum puerum qui ipsi dabatur. In cujus concavitate fiebat ignis, quo usque esset quasi ignitum, & puer ei oblatus, ac in manus datus ibi comburebatur. Quidam putant quòd non semper in manibus Idoli puer combureretur, sed quòd interdum sic cogeretur transire & retransire per flammam donec spiritum exhalaret. Ne autem parentes ejulantis pueri clamores audirent, Sacerdotes tympanis, aliisque musicis instrumentis tantum edebant sonitum, ut clamores audiri non possent; sicque putabatur anima pueri à Diis accipi in bona quiete. Tam stolida erat Gentilitas, quam tamen Judæos fuisse imitatos constat, tùm ex 4. Reg. 16. ubi de Achaz dicitur quòd *filium suum consecravit transferens per ignem secundùm Idola gentium:* Et ex cap. 21. ubi Manasses legitur traduxisse filium suum per ignem: ac rursum ex cap. 23. Ubi *Josias contaminavit Tophet quòd est in convalle filii Ennon, ut nemo consecraret filium suum aut filiam per ignem, Moloch.* Tum ea Jerem. 19. *ædificaverunt excelsa Baalim ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baalim:* Et cap. 32. *ædificaverunt excelsa Baal quæ sunt in valle filii Ennon, ut initiarent filios suos, & filias suas Moloch.* Quibus addi possunt quæ habentur Psalm. 105. v. 37. Ezech. 16. v. 20 & alibi.

*Moraliter, semen suum dant Moloch* qui opera ex se bona faciunt ex inani gloria, & multò magis qui liberos suos Dæmoni devovent, eosve in hæresi educant.

[ *Nec polluas nomen Dei tui* ] Polluitur, & quantùm in hominibus est, dehonestatur nomen Dei quod est Sanctum, quando honor soli vero Deo debitus & attribuendus, falsis diis defertur, sicut fit dum Idola coluntur.

[ *Ego Dominus*, ] Qui hæc præcipio, & injuriam mihi factam ulcisci possum.

[ ℣. 22. *Cum masculo non commiscearis coitu fœmineo, quia abominatio est.* ] Ob quam Sodoma igne cœlitùs misso conflagravit, Genes. 19. Et de qua Gentiles ipsos reprehendit Apostolus ad Roman. 1. sicut & eorum fœminas quæ immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam; quale ipsarum peccatum censeri quoque debet hìc esse prohibitum; cùm etiam sit abominabile.

[ ℣. 23. *Cum omni pecore non coibis*, ] q. d. Cum nullo pecore coibis. De hoc peccato igitur quoque Exod. 22. v. 19. Infra cap. 20. vers. 15. & Deuteron. 27. vers. 21.

[ ℣. 24. *Nec polluamini in omnibus his*, ] Id est, in nullo eorum polluamini,

[ *Quibus contaminatæ sunt universæ gentes*, ] Incolentes videlicet Provinciam Chanaan. Ideò enim sequitur:

[ *Quas ego ejiciam ante conspectum vestrum*, ] Quibus verbis auget causam cur Israelitæ fugere debeant prædicta scelera: cùm enim Chananæos sit propter illa suis regionibus ejecturus non obscurè significat se ipsos quoque ejecturum, si similibus polluantur.

[ ℣. 25. *Et quibus polluta est terra?* ] Terra peccatis hominum pollui dicitur, quando ipsi qui terram incolunt peccatis præsertim enormioribus polluuntur: In ejus enim terræ ac loci dedecus & ignominiam vergit habitatorum impietas, ut ob eam causam minoris fiat, & externi eam refugiant. Simili modo dicitur Genes. 6. *Terra esse corrupta:* Et Psalm. 105. *Infecta est terra in sanguinibus, & contaminata est in operibus eorum.* Jerem. etiam 16. *Contaminaverunt terram meam in morticinis Idolorum suorum.*

[ *Cujus ego scelera visitabo*, ] Cujus scilicet terræ, seu quorum in terra habitantium scelera puniam. *Visitare* in sacris litteris verbum est *ambiguum:* nam *& in bonum* sumitur pro eo quod est benefacere ut Luc. 1. *Visitavit & fecit redemptionem plebis suæ; Visitavit nos Oriens ex alto:* Et *in malum*, pro eo quod est punire & ulcisci, ut Exod. 20. *Visitans iniquitatem Patrum in Filios.* Hoc posteriori modo hìc sumitur.

[ *Ut evomat habitatores suos.* ] Quemadmodùm Stomachus cibos indigestos & corruptos ferre non valens illos evomit; sic terra ægrè ferens habitatores immundos, illos à se rejicit, & quasi evomit. Qui sermo figuratus est ad exaggerandum gravitatem & enormitatem scelerum quæ à terræ habitatoribus perpetrantur, & ob quæ per prosopopejam terra dicitur eos evomere, quando Deus illos expellit.

[ ℣. 26. *Custodite legitima mea atque judicia*, ] Per *legitima* quidam ea præcepta intelligunt quæ ordinant homines ad Deum, idest *ceremonialia;* & per *judicia*, quæ dirigunt ad proximum, idest *judicialia;* sed nihil impedit per utrumque vocabulum intelligi omnes leges & statuta per Deum data.

[ *Et non faciatis ex omnibus abominationibus istis, tam indigena quàm Colonus qui peregrinantur apud vos*, Per *Indigenam* & *Colonum* rectè significantur illi qui cap. 16. dicti fuerunt *Indigena*, & *Advena* seu *proselytus*. *Non faciatis ex omnibus*, perinde est ac nihil faciatis istarum omnium abominationum.

[ ℣. 27. *Omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam.* ] Synonymum est nomen execrationum, nomini abominationum posito in versu præcedente, & per eas intelliguntur scelera horribilia execratione & abominatione digna, quæ accolæ seu habitatores terræ Chanaan committebant. Quoniam verò non est dicendum Chananæos ob omnia Matrimonia quæ in præsenti cap. prohibita sunt, fuisse ejectos (cùm aliqua eorum non essent secundùm se, seu seclusa lege positiva, qualem nullam habebant, illicita, nec juri naturæ adversa) Ideò execrationes ob quas ejecti fuerunt, & per quas terram polluisse dicuntur, non sunt referendæ ad omnes contractus vel copulas Matrimoniales de quibus præcedit, sed tantùm ad Idololatrias, adulteria & flagitia contra naturam, vel ad omnia illa superiora quæ sunt contra jus naturæ.

[ ℣. 28. *Cavete ergo ne & vos similiter evomat, cùm paria feceritis*, ] Paria enim peccata pari pœna plecti æquum est.

[ *Sicut evomuit Gentem, quæ fuit ante vos.* ] *Singulare* pro *plurali* positum est, *Gentem* pro *Gentes;* Et præteritum *evomuit*, juxta morem Propheticum pro futuro, seu pro *brevi ac certò evomet.*

[ ℣. 29. *Omnis anima quæ fecerit de abominationibus his quidpiam, peribit de medio populi sui.* ] *Anima* pro *homine* ponitur qui significatur esse interficiendus, si de abominationibus Gentium aliquid fecerit; homines enim de medio hominum tolli, est eos interfici. Decernitur ergo pœna mortis per judices inferenda esse talibus peccatoribus. Quia tamen cap. 20. singulis hisce flagitiis in particulari pœna statuitur, & plerisque quidem pœna mortis, & non omnibus (quibusdam enim mitior, ut ibi exponendum erit) idcircò supplicium hìc decretum, referendum est ad abominationes juri naturæ contrarias.

CA-

## CAPUT XIX.

*Varia præcepta moralia ac judicialia.*

[ ℣. 1. L*ocutus eſt Dominus ad Moyſen dicens* . ] Dum Iſraelitæ adhuc erant in deſerto Sinai hæc dicta ſunt. An autem omnia ſunt eodem ordine Moyſi propoſita quo Moyſes hîc ea recitavit, non liquet. Quidam putant quòd modo concionatoris illa dixit, non habita ratione ordinis.

[ *Loquere ad omnem cœtum filiorum Iſrael* , ] Licèt intelligi poſſit convocatus eſſe omnis cœtus, convocatis primoribus; nihil tamen vetat omnes Iſraelitas fuiſſe convocatos, cùm omnibus communia eſſent quæ dicebantur. Quòd ſi unius vox à ſingulis audiri nequibat, non immeritò tamen ad Edicta communia omnes invitari poterant; ut audirent qui poſſent; qui non poſſent, ab aliis diſcerent. Utroque igitur modo fieri potuit quòd Moyſes loqueretur ad omnem cœtum filiorum Iſrael.

[ *Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum Dominus Deus veſter* , ] Optima ratio, ut Sancti ſint ſervi ac ſubditi Dei, quia ipſe Sanctus eſt. Ratiocinatur B. Thom. 1.2. q.99. art.2. intentionem divinæ legis eſſe ut conſtituat principaliter amicitiam hominis ad Deum. Cùm autem ſimilitudo ſit ratio amoris, ideoque non poſſit eſſe amicitia hominis ad Deum qui eſt optimus, niſi homo efficiatur bonus; propterea hîc requiri Sanctitatem à nobis, quia Deus eſt Sanctus; eademque cauſa data eſſe præcepta in lege veteri de actibus etiam virtutum, ſive moralia.

[ ℣. 3. *Unuſquiſque Patrem ſuum & Matrem ſuam timeat.* ] Hoc eſt, revereatur & metuat, eiſque obtemperet: hic enim timor, cùm ſit filialis, includit amorem, honorem, reverentiam, & obedientiam. In Hebræo præponitur Mater, *vir Matrem ſuam & Fratrem ſuum timebitis:* fortè ideò, quoniam ſolent filii plus Patrem quàm Matrem timere, imò pro nihilo reputant Matrem, ait Oleaſter. Atquè, ut loquitur Vatablus, Matres ſolent in liberos eſſe indulgentiores, & ob id minus reverentur eas filii. Quidam putant Moyſen potiùs hîc uti verbo *timere*; quàm *honorare*, quòd à pueris omnibus faciliùs concipiatur *timor* quàm honor.

[ *Sabbata mea cuſtodite.* ] Sabbatum ſignificat quietem; ſed appropriatum eſt ad ſeptimum ſeptimanæ diem in quo Deus volebat Judæos quieſcere, & ad reliqua Judæorum feſta ſignificandum.

[ ℣. 4. *Nolite converti ad Idola.* ] Oleaſter obſervat Hebræum vocabulum *Elilim*, pro quo habemus *Idolum*, quoſdam componere ex *Al*, quod eſt *Non*, & *El*, quod eſt *Deus*, quaſi *non Dii*, quoniam Idola verè non ſunt Dii: alios ex *Alal*, quod eſt, *vanum eſſe*, quia ſunt res vanæ ac nullius momenti. Tum addit: Si *Elelim* ſit ab *Alah*, quod eſt *execrari & maledicere*; Idola dicentur *Elilim*, quoniam *execrabilia & maledicta ſunt*. Si verò ab *El*, quod eſt *fortitudo*, ita vocabuntur *à fortitudine Deitatis*, quam homines falsò Idolis tribuunt.

[ *Nec deos conflatiles faciatis vobis.* ] Species pro genere ponitur. Nam per deos conflatiles intelliguntur Idola omnia cujuſcumque ſint generis, ſive ſint fuſilia & conflata, ſive ductilia, ſive ſculptilia. Non eſt autem abſque emphaſi quòd Idola circumſcribuntur dii conflatiles & facti; utroque enim epitheto convincuntur non eſſe dii: Quomodò enim quod conflatum eſt, aut ab alio factum, poſſit eſſe Deus?

[ ℣. 5. *Si immolaveritis hoſtiam pacificorum Domino.* ] Hoſtia pacifica, quæ & pacificorum dicitur, duplicis erat generis *Una* offerebatur in gratiarum actionem pro accepto beneficio: *Altera* immolabatur ad aliquid impetrandum. Et ſolùm de hac poſteriore nunc agitur.

[ *Ut ſit placabilis* , ] Alii ex Hebr. vertunt; *ad voluntatem veſtram*, ſeu *ad beneplacitum veſtrum ſacrificabitis*, quaſi iſtud *ut ſit placabilis*; idem valeat ac, *qua vobis placet*, vel, *quam vultis offerre*. Potius tamen videtur referendum ad Deum, ſicut intellexit noſter interpres, & quemadmodùm interpretantur Hugo Cardinalis & Dionyſ. Carthuſ. *ut ſit placabilis*, id eſt, *ut ſit Deo grata & accepta*, ſicut cap. 23. *ut acceptabile ſit pro vobis*, nempè *apud Deum*. Generaliter namque *placabilis*, vocari poteſt hoſtia quatenus eſt Deo grata, eumque reddit placatum & propitium, ſive ut ignoſcat, ſive ut aliquo alio beneficio afficiat.

[ ℣.6. *Eo die quo fuerit immolata, comedetis eam, & die altero* . ] Videantur quæ ad cap.7. verſus 16. & 17. dicta fuerunt.

[ ℣. 7. *Si quis poſt biduum comederit ex ea, prophanus erit* . ] Hoc eſt, ab omni re ſacra, & ab omni ſanctitate ſegregatus, ideoque prorsùs immundus.

[ *Et impietatis reus:* ] Culpabilis ſicut is qui impietatem ſeu peccatum contra Dei cultum commiſit, quia ſcilicet ſacram hanc cæremoniam à Deo ſancitam violavit. Pro ipſis verbis, *Prophanus erit & impietatis reus*, alii ex Hebr. vertunt in neutro genere, *abominabile, non acceptabitur*, vel *non erit immolatum*, ſeu *non reputabitur pro immolato*; ſecundùm quos iſta referuntur ad ſacrificium, ſenſu tamen non contrario: Cùm enim illæ hoſtiæ non eſſent ſecundùm ſe ſanctæ vel prophanæ, denominationem eam accipiebant ab uſu, quo ipſe utens prophanus erat ſi contra legem utebatur.

[ ℣. 8. *Portabit iniquitatem ſuam* . ] Pœnam luet pro ſua iniquitate.

[ *Quia ſanctum Domini polluit*, ] Quia res ſanctas commaculavit. Res ſanctæ intelliguntur carnes Deo immolatæ; quæ dicuntur pollui & commaculari, quando comeduntur contra legem à Deo de illis datam. Cùm enim eas comedendo ſervatur ritus à Deo præſcriptus, manent in honore ipſis debito; ſed dum contra Dei ordinationem comeduntur, non ſunt in aliqua reverentia, & dicuntur eſſe pollutæ.

[ *Et peribit anima illa de populo ſuo.* ] Ipſe interficietur, ſi nimirùm ſciens & volens fecerit. Nam ſi per ignorantiam, expiari poterat ſacrificio juxta legem cap.5. datam.

[ ℣.9. *Cùm meſſueris ſegetes terræ tuæ, non tondebis uſque ad ſolum ſuperficiem terræ.* ] Per ſuperficiem terræ, hîc intelliguntur ſegetes quæ terræ ſuperficiem tegunt: & ſenſus eſt; non ſecabis omnes omninò ſegetes uſque ad terram, ita ut nihil prorsùs de ſpicis & ſtipulis remaneat quod à pauperibus colligi poſſit. Commendatur miſericordia & benignitas in pauperes. Ex Hebr. alii ſic reddunt, *non conſummabis angulum, ſeu extremitatem agri tui metendo*. Quod dupliciter accipi poteſt. *Uno modo*, ſegetes tuas non tam exactè demetes, ut etiam in quibuſcumque angulis vel extremitatibus agri tui omnia prorsùs colligas, ſed ibi aliqua relinques, quæ poſſint colligi à pauperibus. *Alio modo*, ut per extremitates agri intelligantur ipſarum ſegetum quæ in agro ſunt extremitates, & ſignificetur quòd falx non ſit tam profundè in ſegetes mittenda, ut earum extremitates & quaſi radices omnes amputentur, nec ullæ ſtipulæ in uſus pauperum relinquantur. Hoc poſteriori modo videtur noſter interpres Textum Hebræum accepiſſe.

[ *Nec remanentes ſpicas colliges* : ] Sivè ſint ſpicæ quæ non ſunt reſectæ; ſive quæ effugerunt manus colligentium manipulos, ſive quæ ex manipulis deciderunt: imò, ſivè ſit integer manipulus per oblivionem in agro relictus, ut expreſſum eſt Deuter.24.

[ ℣.10. *Neque in vinea tua racemos & grana decidentia congregabis.* ] Idem enim erat de vinea quod de ſegetibus, atque idem etiam de olivis & de cæteris fructibus colligendis, ut nimirùm ſemper aliquid relinqueretur quo pauperes alerentur. Et cùm dicitur, *Racemos & grana decidentia non congregabis*, ſermo eſt de racemis qui vel decidunt, vel poſt vindemiam remanent.

[ *Sed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes* . In Hebræo & apud 70. dicitur in ſingulari, *pauperi & peregrino relinques*, nimirùm carpenda, ut interpres adjecit. Pro *peregrino*, 70. habent *proſelyto*, quoniam tamen conjungunt cum paupere, non eum ſolùm intelligunt qui ex Gentili ſit factus Judæus, ſed generaliter omnem illum qui de foris venit; omnium enim pauperum rationem eos habere voluit: ac ſpecialiter peregrinorum foris advenientium, quia tales, cùm ſint extra ſuam patriam & cognationem, frequenter ſunt miſeri.

[ ℣.11.

[ ℣. 11. *Non facietis furtum. Non mentiemini* . ] Furto conjungitur mendacium, quia plerumque per hoc fit illud. Conferantur quæ de furto diximus ad cap. 20. Exod, & 2. 2. q. 66. per diversos articulos: de mendacio, quæst. 110.

[ ℣. 12. *Non perjurabis in nomine meo* , ] Seu per nomen meum. De perjurio multa diximus 2. 2. quæst. 98. sicut & de juramento q. 89.

[ *Nec pollues nomen Dei tui* , ] Irreverenter illud tractando, seu pejerando. Nomen Dei non potest secundùm se pollui, sed pollui dicitur, quando homines eo tamquàm re polluta utuntur, vel ad levia illud usurpantes, vel, quod pejus est, ad falsa, & ad alteri noxia.

[ ℣. 13. *Non facies Calumniam proximo tuo , nec vi opprimes eum* . ] Calumniam à violenta oppressione distinguere solent interpretes, quòd Calumnia sit extorsio rei alienæ cum quadam apparenti ratione, sed non vera: violenta autem oppressio, sit rei alienæ per vim acceptio, sine ullo rationis prætextu. Sed hæc procedunt de Calumnia, quatenùs importat realem læsionem in rebus externis cum quæsita aliqua verisimilitudine. Alioqui Calumnia generaliter est falsa & malitiosa criminis impositio apud B. Thomam 2. 2. quæst. 68. art. 3. quem sequitur Tabiena verbo *Calumnia*.

[ *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque manè* . ] Per opus mercenarii intelligitur merces operi debita, significaturque quòd mercenario reddenda sit merces eo ipso die quo laboravit. Cùm enim illi qui operas suas ad laborandum elocant communiter sint pauperes, ideò est eis merces persolvenda, & ad injustitiam pertinet illam differre contra consuetudinem aut mercenarii liberam voluntatem, aut aliam rationabilem causam, numeraturque inter peccata in Cœlum clamantia, ut diximus ad cap. 4. Genes. & ad cap. 22. Exodi.

[ ℣. 14. *Non maledices surdo , nec coram cæco pones Offendiculum* : ] Quia valde inhumanum est irrogare injuriam ei qui se non potest defendere, & offendiculum ponere illi qui non potest ab eo sibi cavere.

[ *Sed timebis Dominum Deum tuum* : ] q. d. Quoniam etsi surdus & cæcus nequeant se defendere, Deus tamen qui omnia audit & videt, timendus est: Eum enim injuriæ sibi factæ vindicem habebunt.

[ *Quia ego sum Dominus* , ] Qui scilicet injuriam eis factam vindicem.

*Moraliter, Surdo maledicunt* , qui de absente vel non audiente malè loquuntur sive detrahendo, sive malum imprecando; *Cæco* autem *ponunt offendiculum* , qui ignorantibus præbent occasionem ruinæ.

[ ℣. 15. *Non facies quod iniquum est , nec injustè judicabis* . ] In Hebr. & apud 70. sic legitur: *Non facietis iniquitatem in judicio* : Unde liquet utramque partem sententiæ nostri Textus referendam esse ad judicia.

[ *Non consideres personam pauperis* : ] Sive illam despiciendo, sive illius nimiùm miserendo, & ob eam causam à rectitudine justitiæ discedendo. Confer quæ dicta sunt Exod. 23.

[ *Nec honores vultum potentis*, ] Ita nimirum ut studio ipsum honorandi sive placendi pervertas judicium.

[ *Justè judica proximo tuo* , ] Unicuique scilicet quod suum est tribuendo. *Si Dicas* modum præcepti non cadere sub præcepto, adeoque non convenienter dici, *Justè judica* : *Respondeo* , etsi modus præcepto *extrinsecus* non cadat sub præceptum, non sitque propterea necessarium ad implendum præceptum de honorandis parentibus, ut hoc fiat ex charitate: Modus tamen qui est præcepto *intrinsecus* , sive qui pertinet ad rationem virtutis ejus quæ præcipitur, sub præceptum cadit. Modus autem importatus in his verbis, *justè judica*, est *intrinsecus* virtute justitiæ, cùm modus ille sit ordo juris. Confer quæ diximus 1. 2. q. 100. art. 9.

[ ℣. 16. *Non eris criminator , nec susurro in populo* . ] Criminatorem prout à Detractore & Susurrone differt, eum esse dicit B. Thomas 2. 2. qu. 74. art. 1. qui publicè crimina aliis imponit vel accusando vel conviciando. Susurro autem & Detractor in eo conveniunt, quòd uterque malum occultè dicit de proximo; propter quòd unum subinde pro altero ponitur, unde Ecclesiastici 5. super illud, *non appelleris susurro*, Glossa dicit; *Id est* , *Detractor* . Differunt autem, quòd Detractor famam denigrare intendit: At susurro Amicitiam quæ inter alios est separare. Quæ cùm ita sint, hìc tamen in Textu Hebr. non sunt ista duo vocabula, *Criminator* & *Susurro*; sed unum; *Non ibis Detractor in populos tuos* , sensu non omninò dissimili, perinde enim est, ac si diceretur. Non ambulabis huc illuc aliorum vitia etiam occulta explorare cupiens, ut alibi ea sive falsa sive vera reveles discordiasvè excites.

[ *Non stabis contra sanguinem proximi tui* . ] Ne moliaris mortem ejus qui est innocens, neque illam molientibus jungaris, aut ullo modo faveas, sive sis Judex, sive testis, aut quivis alius.

[ ℣. 17. *Non oderis Fratrem tuum in corde tuo.* ] Ex hac lege, sicut etiam ex præceptis Decalogi, patet in veteri lege non solos actus exteriores malos fuisse prohibitos, tametsi quidam Judæi sic existimaverint, sed etiam interiores.

[ *Sed publicè argue eum* . ] Non significatur eum qui injuriam fecit, aut aliter peccavit, statim arguendum esse coram multitudine. Cùm Christus Matth. 18. doceat primò corripiendum esse privatim, ejusque Apostolus 1. ad Tim. 5. de solis publicè peccantibus moneat, ut publicè arguantur: Sed sensus est: Ne odium in corde tuo foveas contra fratrem, seu contra proximum tuum, nec occultè machineris ei malum, sed apertè illum redargue, manifestèque declara quòd satisfactionem habere velis. In Hebr. & 70. Non habetur *publicè* , sed solum dicitur; *Corripiendo corripies*, vel *Arguendo argues*; id est, omninò argues eum de suo peccato, & quidem manifestè, seu claris & apertis verbis: Id quod importat istud *publicè* in nostro Textu.

[ *Ne habeas super illo peccatum* . ] Ne occasione illius incurras peccatum, sive iram in corde fovendo, sive illum odio habendo.

[ ℣. 18. *Non quæras ultionem*, ] Privata scilicet authoritate inferendam, vel publica quidem, sed ex odio & rancore: Alioquin licitum aliquando esse expetere vindictam, imò vindicationem esse virtutem, cum B. Th. diximus 2. 2. q. 108. art. 1. & 2.

[ *Nec memor eris injuriæ Civium tuorum* ; ] Ad eam nimirum ulciscendam ex odio, vel ex affectu vindictæ, quamvis non sit illicitum ejus meminisse ad petendam satisfactionem.

[ *Diliges Amicum tuum sicut teipsum* . ] Vocula *sicut* non hìc importat æqualitatem, sed similitudinem, quemadmodum & alibi haud infrequenter, ut ostendimus 2. 2. q. 26. art. 4. Per Amicum, omnis proximus intelligitur, etiam inimicus, ut patet ex Parabola de incidente in Latrones Lucæ 10. per quam Dominus docet omnem hominem, qui quocumque modo eget, aut juvari potest alterius opera, esse ejus proximum, quo in numero etiam sunt inimici juxta illud Proverbior. 25. *Si esurierit inimicus tuus* , *ciba illum* : Et Exod. 23. *Si occurreris bovi inimici tui aut Asino erranti* , *reduc ad eum*. Ex cap. etiam seq. ubi dicitur; *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius* , *& adulterium perpetraverit cum Conjuge proximi sui &c.* Clarum est quòd ex sententia Moysi, omnis homo alter à nobis sit noster proximus. Huc facit quòd hoc loco apud 70. pro *Amicum* , legitur *proximum*; quòdque ipse Christus *amicum* interpretatus est *proximum* , quando dixit & approbavit Lucæ 10. secundùm legis mandatum esse; *Diliges proximum tuum sicut teipsum* . Istud enim præceptum ex hoc loco sumptum est, Imò vox Hebræa *proximum* significat, ut *Pagninus* , & Vatablus verterunt, vel *Socium*, ut Arias. Vox quidem Hebræa est hoc loco diversa ab ea qua sæpè alibi significatur proximus, verumtamen ad idem significandum passim usurpatur, videnturque illæ dictiones esse Hebræis Synonymæ, Unde *Vatabli* versio ubique *proximum* reddidit.

*Si dicas* ; eum qui inimicus est, non posse dici amicum, ac per consequens per Amicum non posse intelligi omnem proximum, etiam eum qui est inimicus. Respondeo negando Assumptum; omnis quippe homo sive erga nos amicum gerat animum, sive inimicum

micum

micum, rectè amicus vocatur, quia omnibus debemus amorem, & eo ipso quo eos diligimus, Amici sunt passivè, quia scilicet à nobis amantur, licèt nos non redament. Observandum enim Amicos vocari, non tantùm eos qui nos amant, sed illos quoque qui amantur à nobis: Unde & Judam Dominus Amicum vocavit Matth. 26. dicens: *Amice, ad quid venisti?* Quoniam multa amicitiæ signa ei exhibuerat, etsi Judas tunc eum non amaret.

*Ex his* facilè est intelligere Judæos tutpiter fuisse hallucinatos, dum ex eo quod hìc dicitur, *Diliges Amicum tuum*; intulerunt odio habendum esse inimicum: Noluerunt enim advertere *Amicum* idem hìc valere quod *proximum*, sub quo etiam inimicus comprehenditur. De quo argumento plura diximus 2. 2. q. 25. art. 8.

[ ℣. 19. *Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus.* ] Hoc præceptum, & duo alia isto versu contenta de agro serendo, & de veste conficienda, Cajetanus & alii quidam volunt ad litteram esse symbolica, & sermonem parabolicum continere, ac per consequens sensum litteralem non esse eum quem verba præ se ferunt; perspicuum enim est Deum non prohibuisse generationem mulorum & mularum, cùm illis usi fuerint Judæi, ipseque David & ex 3. Reg. 1. constat. Deinde Apostolus 1. ad Corinth. 9. pro absurdo habet quòd Deus legem dederit pro bobus, ergo non est verisimile quòd dederit pro jumentis. Accedit quòd inter Mulieris fortis elogia ponitur Proverb. ult. quòd *quæsivit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum:* Non ergo videtur fuisse prohibitum habere vestem ex lana & lino confectam. *Vera* nihilominùs est B. Thomæ 1. 2. q. 102. art. 6. 8. & 9. & aliorum communis sententia, hæc præcepta ad litteram esse intelligenda juxta sensum quem verba per se sumpta sine tropo significant; ita ut Judæis prohibitum fuerit quòd equi & asinæ, vel equæ & asini coirent. Cujus prohibitionis tres rationes adfert B. Th. dicta responsione ad 8. quarum *una* est ad detestationem Idololatriæ Ægyptiorum, qui diversis commixtionibus utebantur in servitium & honorem planetarum, qui secundùm diversas conjunctiones habent effectus diversos. *Secunda*, ut Judæi intelligerent arctius sibi interdictos esse concubitus contra naturam, cujusmodi aliquo modo est ille qui fit inter animantia diversi generis. *Tertia*, ad tollendam occasionem carnalis concupiscentiæ quæ facilè nascitur ex aspectu animalium coeuntium; hic autem aspectus evitari non posset ab iis qui diversi generis animalia coire facerent. *Ad contraria* verò motiva, & *ad* 1. quidem Respondeo Deum non prohibuisse Judæis usum mulorum & mularum, imò nec illorum generationem, quæ aliter fieri poterat quàm ipsis procurantibus. Habebant enim mulos aliunde adductos 3. Reg. 10. vers. 25. & habere poterant in terra sua genitos, quamvis ipsi ad eorum generationem nihil conferrent. Observandum prætereà reperiri in Syria mulas quæ ipsemet pariunt, & sunt quidem diversi generis à reliquis, similes tamen, ut scribit Philosophus Lib. 1. de Historia animalium cap. 6. & Lib. 6. cap. 24. & 36. ut proinde non omnes ex equa & asino generari necesse sit. *Ad* 2. Respondeo Apostolum non habere pro absurdo quòd Deus legem dederit pro bobus, quando Deuteron. 25. dixit, *Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas*, sed docere intendit quòd in ea lege ferenda Deus non principaliter & primariò respectum habuerit ad boves, sed ad eos qui per boves figurabantur, sive ad Prædicatores, & sacrorum Ministros. *Ad* 3. Respondeo Neg. Conseq. Non enim sic intelligenda est sententia Sapientis quasi Mulier fortis unam eamdemque vestem ex lana & lioo fecerit, sed ex lana unam, ex lino alteram.

[ *Agrum tuum non seras diverso semine.* ] Hujus præcepti ratio *una* est, ut Deus Judæis præcideret occasionem novitatis & confusionis, doceretque ordinem & simplicitatem sibi placere. *Secunda*, ut monerentur alieni esse à nimia lucri cupiditate. *Tertia*, Quia speciem quamdam crudelitatis habet, nimis multa simul à terra exigere, eamque seminis varietate quasi opprimere. *Quarta*, Ne contingat tam unum quàm alterum semen deperdi, dum unum impediret alterum, & suffocaret, vel succo terræ exhausto interimeret. Quam rationem indicat Scriptura Deuteron. 22. dicens: *Ne seras vineam tuam altero semine, ne & sementis quam sevisti, & quæ nascuntur ex vinea pariter sanctificentur*, idest, polluantur, seu corrumpantur & pereant.

[ *Veste quæ ex duobus texta est non indueris.* ] Cujusmodi sint illa duo, ex Deuteron. 22. petendum est, ubi hoc præceptum sic effertur: *Non indueris vestimento quod ex lana linoque contextum est.* In cujus præcepti ratione assignanda laborant Interpretes. Duæ videntur probabiliores, *una* ad declinandum luxuriam, nam per commixtiones varias in vestimentis, omnis inordinata commixtio coitus excluditur ait B. Th. eod. art. 6. ad 6. *Altera*, ne populus in vestimentis suis communibus, conveniret, cum vestibus Sacerdotalibus in quibus erat talis varietas. Exod. 39. Hanc indicare visus est Josephus Lib. 4. Antiquit. cap. 8. quando Legem hanc ita pronuntiat: *Nemo veste è lino & lana contexta utatur, est enim Solerson Sacerdotum.*

*Moraliter*, Ille *facit coire jumenta diversæ speciei*, qui populares facit habere conjunctionem cum Gentilibus aut Hæreticis, vel bonos cum impiis. *Agrum autem serit diverso semine*, qui in Ecclesia veram & falsam doctrinam prædicat, vel qui verbo doctrinæ benè docet, sed opere destruit. *Veste è duobus texta utitur*, qui simplicitatem & innocentiam præ se fert, ac interim malitiam & duplicitatem habet; sive, *qui loquitur pacem cum proximo suo, mala autem in corde ejus.* Psalm. 27.

[ ℣. 20. *Homo si dormierit cum muliere coitu seminis.* ] Voluit Legislator dormitioni coitum seminis addere, ut indicaret se non agere de dormitione in genere, sed de ea quæ ad generationem ordinatur: Contingit enim ut vir mulieri condormiat, sine ulla copula, sicut patet in Davide & Abisag 3. Reg. 1. qui casus hac lege non continetur.

[ *Quæ sit Ancilla, etiam nubilis.* ] Multi pridem legerunt *Nobilis*, hoc est, genere clara: Sed vera lectio est *Nubilis*, seu apta nuptui. Quod quidem probabiliter intelligendum est, non de potentia remota, quasi designetur ea quæ solùm dicatur nubilis, quia habeat ætatem sufficientem ad nubendum; sed de potentia proxima: Significeturque sic esse nubilis, ut de facto sit desponsata, ut patet ex Hebr. ubi legitur; *Desponsata*, vel ut 70. habent, *reservata homini*, promissa nimirùm in matrimonium, nondum tamen matrimonio juncta.

[ *Et tamen pretio non redempta, nec libertate donata.* ] Hoc est, adhuc in servitute manens.

[ *Vapulabunt ambo*, ] Ex sententia Judicis, & ita ut quadragenarius plagarum numerus non excedatur, juxta Legem Deuter. 25.

[ *Et non morientur, quia non fuit libera.* ] Ratio evadendi mortem in utroque assignatur quòd mulier esset serva. *Sed contra.* Quamvis mulier esset libera, non debebat propter simplicem fornicationem mori; cùm simplici fornicationi non fuerit pœna mortis constituta, nisi in casu de quo diximus Exod. 22. Ratio igitur illa, *quia non fuit libera*, non videtur aptè assignari. *Respondeo* Neg. Cons. Etsi enim Lex non puniret simplicem fornicationem morte, sic tamen puniebat fornicationem cum puella ingenua, seu libera, alteri desponsata, in urbe admissam, Deuteron. 22. & non similiter fornicationem cum serva, tametsi desponsata: Hìc autem agitur de ancilla, seu serva alteri desponsata, secundùm ea quæ supra diximus.

[ ℣. 21. *Pro delicto autem suo offeret Domino ad ostium Tabernaculi Testimonii arietem.* ] Delictum hìc non distinguitur contra peccatum, sed idem est quod peccatum. Suppositum verbi *offeret*, est homo, de quo præcedit; *Homo si dormierit &c.* Ut proinde soli viro fornicanti cum muliere serva præscribatur offerre sacrificium & non mulieri; fortè ideò quia serva mulier ordinariè nihil habet proprium. Arietem autem debebat iste fornicator offerre Deo per unum ex Sacerdotibus, cui illum præsentabat ad ostium Tabernaculi propè quod erat Altare holocaustorum.

[ ℣. 22. *Orabitque pro eo Sacerdos* ] Pro eo nimirùm qui cum muliere fornicando peccaverat. Non dicitur *pro eis:* Quia sicut non offerebat sacrificium pro muliere, sed tantùm pro viro, ita pro eo solo orabat.

[ *Et pro peccato ejus,* ] Ut scilicet ipsi remitteretur. Non est necesse discrimen ponere inter *orare pro eo,* & *orare pro peccato ejus;* nam orare pro peccato ejus, sive ut peccatum ei remitteretur, erat orare pro eo, ut proinde unum sit explicatio alterius.

[ *Coram Domino.* ] Ad Ostium Tabernaculi, seu ad Altare holocaustorum.

[ *Et repropitiabitur ei , dimitteturque peccatum ,* ] Dimissione scilicet legali per quam tollebatur quædam quasi irregularitas ex qua reputabatur ineptus ad sacra accedere; ac insuper vera & propriè dicta remissione culpæ, si fidem & pœnitentiam jungebat cum suo sacrificio.

[ ℣.23. *Quando ingressi fueritis terram,* ] Promissionis videlicet, seu terram Chanaan.

[ *Et plantaveritis in ea ligna pomifera:* ] Hoc est, arbores fructiferas, seu ferentes fructus esui aptos. In Hebræo sonat, *Omnem arborem cibi*, aut *manducabilem*, ut est apud 70. Poma ergo quæ in vocabulo *pomifera* continentur, non intelliguntur ea sola quæ communiter vocantur *poma* seu *mala*; sed generaliter omnis arborum fructus qui comedi potest; Quomodo Plinius Lib. 15. cap. 18. & seqq. pomis annumerat ficus, nuces, mespila, cerasa. Eadem generali significatione sumitur pomiferum Genes. 1. vers. 11. Utitur autem scriptura verbo *plantaveritis*, quoniam ut ait B. Thom, 1. 2. q. 102. art. 6. ad 5. & Dionys. Carthus. post ipsum, rarò contingit ossa fructuum arboris vel semina latentia seminari, quia tardius fructum ferrent. Ex eodem *plantandi* verbo consequens videtur hac lege comprehensos non fuisse fructus arborum quas Hebræi reperirent in Terra promissionis jam ante plantatas, ut nec earum quæ sponte provenirent. De fructibus arborum quæ essent per Hebræos insitæ, dubium esse potest; probabile tamen est eos lege præsenti fuisse comprehensos, quia trunco unius arboris surculum alterius inserere, quoddam plantare est.

[ *Auferetis præputia eorum.* ] Præputia arborum fructiferarum sunt primi trium annorum fructus quos ipsæ producunt. Et vocantur præputia allusione facta ad circumcisionem pueri; Sicut enim puer erat immundus donec in circumcisione auferretur ab eo præputium, & tamquam aliquid immundum abjiceretur, ita arbores illæ habebantur immundæ, sic ut de fructibus earum edere non liceret, donec trium annorum fructus ex illis decerpti, essent abjecti. De tribus annis nihil expressit noster interpres, Hebræa tamen & Græca exprimunt, & noster satis reliquit intelligendum per ea quæ de quarto & quinto anno subjicit,

[ *Poma quæ germinant immunda erunt vobis, nec edetis ex eis,* ] Primis nimirum tribus annis. In Hebr. sic legitur de arbore in singulari: *Præputiabitis præputium ejus, fructum ejus.* Quasi diceretur: Reputabitis ejus præputium seu fructum velut quid immundum. Ad cujus explicationem sequitur. *Tribus annis erit vobis præputia*, fructus arboris tribus annis erit vobis ita abominabilis & immundus, sicut præputia puerorum; *Non comedetur.*

Præsentis Legis rationes assignari possunt diversæ. *Prima*, ut Hebræi avocarentur ab errore Idololatrarum qui primos fructus partim offerebant idolis, partim in Templo comedebant, idque per tres annos continuos à plantatione, simul existimando tales primitivos fructus esse faustos ac fortunatos, ut ex Gulielmo Parisiensi refert Lorinus, & ante ipsum Dionys. Carthus. à quibus non dissentit B. Thomas 1. 2. q. 102. art. 6. ad 5. *Secunda*, quia primorum annorum fructus intempestivi sunt & imperfecti; Deus autem voluit primos fructus sibi consecrari; Conveniens ergo erat eum annum expectari in quo possent haberi fructus perfecti; Neque enim decebat offerri Deo fructus imperfectos. *Tertia*, Quoniam illorum annorum fructus non sunt bonæ digestionis, nec conveniunt sanitati. *Quarta*, eaque mystica est apud S. Thomam quia per hoc præfigurabatur quòd post tres status Legis, quorum unus est ab Abraham ( vel, ut alii, à Moyse) usque ad David; secundus, usque ad transmigrationem Babylonis; Tertius, usque ad Christum; Christus erat Deo offerendus qui est fructus legis. *Quinta*, etiam mystica apud eumdem, quia primordia nostrorum operum debent esse nobis suspecta propter imperfectionem, & curandum ut cùm primordia boni laudantur operis, hoc animum non pascat operantis, ne dum accepta laus suaviter carpitur, fructus operis intempestivè comedatur.

[ ℣.24. *Quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur Laudabilis Domino.* ] Ex Hebr. alii vertunt, *Et in anno quarto erit omnis fructus ejus sanctitas laudum Domino.* Q. d. Anno quarto omnis fructus arboris fructiferæ consecrabitur Deo in laudem ejus: Ut nimirùm tamquam primitiæ cedant in usum ministrorum ejus, Sacerdotum ac Levitarum; quorum erat Officium laudare Deum, & qui Deum laudabant dum fructus illi offerebantur ipsi. Abulensis ergo, Lorinus, Cornelius & alii censent fructus quarti anni potuisse comedere Sacerdotes, & non Laicos.

[ ℣. 25. *Quinto autem anno comedetis fructus congregantes poma quæ proferunt,* ] Quinto anno liberum erat Dominis arborum de fructibus earum comedere, dare, vendere, sicut de rebus ad se pertinentibus. In Hebr. sic legitur; *Et in quinto anno comedetis fructum ejus ad reddere faciendum vobis proventum ejus.* Hoc est, ut deinceps uberior arboris fructiferæ proventus vobis sit, Deo scilicet incrementum dante propter obedientiam in abjiciendis fructibus primorum trium annorum, atque in offerendis Deo, nomine primitiarum, iis qui quarto anno nati sunt.

[ ℣. 26. *Non comedetis cum sanguine.* ] Differt ista Lex ab iis quæ cap. 3. & 17. prohibent esum sanguinis; Nam illæ non loquuntur expressè de sanguine qui adhuc est in animalibus, sicut contingit dum animalia suffocantur, vel ante sanguinis effluxum moriuntur, qui in ipsis deinde concrescit; sed nec aliquid exprimunt de sanguine qui cibis adhibetur instar condimenti: Hæc autem omnem hujusmodi esum sanguinis vetat. Apud 70. sic legitur; *Non comedetis in montibus*, Quæ varietas orta esse putatur ex vicinitate & similitudine litterarum *d.* & *r.* Nam *Hadam* in Hebr. est sanguis; *Harim* verò sunt montes.

*Moraliter*, Cum sanguine comedunt qui Subditorum facultates diripiunt, vitamque ipsam: Sicut fecit Achab quando non solum sibi vendicavit vineam Naboth, sed vitam quoque ipsam ei eripuit 3. Reg. 21.

[ *Non augurabimini.* ] De futuris aut occultis rebus non divinabitis ex avium garritu, neque ex ullis aliis quæ nullam habent naturalem connexionem cum rebus quas inquiretis. Augurium *strictè* acceptum significat divinationem futurorum ex avium volatu, pastu, cantu, garritu: *Generalius* autem tum hic, tum alibi sumitur pro superstitiosa divinatione quæ ex quacumque re capitur, saltem à vigilantibus. Unde Genes. 44. Joseph dicebatur augurari in Scypho. Et Num. 23. ad laudem populi Israelitici dicitur: *Non est augurium in Jacob*; ad vituperium autem: Isaiæ 2. *Augures habuerunt ut Philisthiim.*

[ *Nec observabitis somnia:* ] Ut ex illis judicetis, vel divinetis de futuris aut occultis. *Multos*, ait Sapiens Ecclesiastici 34. *errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.* Conferantur quæ cum B. Thoma 2. 2. q. 95. art. 3. 6. 7. diximus de Divinatione per somnia, & per auguria.

[ ℣. 27. *Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam.* ] Solent Hæretici nostri hæc objicere contra Monachos & Sacerdotes alios qui coronam in capite gerunt, & barbam radunt. Sed prorsùs inaniter. *Primò*, Quoniam ista præcepta sunt cæremonialia; ideoque non obligant Christianos, sed omnem vim obligandi amiserunt in morte Christi. *Secundò*, Quia non prohibent tonderi vel radi capillos capitis uno circulo capillorum relicto, sicut tondentur vel raduntur Sacerdotes, & Monachi, sed vetant attonderi comam in rotundum. Pro cujus explicatione, observandum est, attondere comam in rotundum, non esse idem quòd capillos penitùs abscindere circa Caput: Sed est quibusdam capillis abscissis comam nutrire, & in rotundum ducere ad ornatum corporis, & ad gloriam ex sua cæsarie captandam, & ut hæc postea immolaretur Dæmonibus, sicut olim fecerunt Gentiles. Atque hoc est quod hic prohibetur Judæis. Si conferatur quod Dominus Jerem. 9. dicit se visitaturum super omnes qui attonsi sunt in comam; videtur

dici

dici posse quòd attonderi comam in rotundum, sit idem quod attonderi in comam, sive, sic tonderi, ut coma relinquatur, eaque ornetur per detonsionem capillorum circumcirca caput factam. Quæ expositio cum priore coincidit. De ritu porrò qui usque nunc in Ecclesia servatur, & juxta quem Sacerdotes tonsis vel rasis capillis coronam in capite gerunt, videantur quæ diximus ad Supplem. q. 40. art. 1. Ad barbæ rasuram quod attinet, ea non universim prohibita fuit Judæis: Nam Leprosus mundatus supra cap. 14. bis jubetur omnes corporis pilos radere. Num. 8. Levitis præcipitur ut radant omnes pilos carnis suæ. 1. Esdræ 9. *Scidi*, inquit ipse, *pallium meum & tunicam, & evelli capillos capitis mei & barbæ.* Jerem. 41. Israelitæ venerunt rasi barba, & scissis vestibus. Sed prohibetur ea barbæ rasura quæ more Gentilium fieret in honorem Idolorum, juxta Lyranum, Hugon. Card. & Dionys. Carthus. Hinc Baruch 6. de Sacerdotibus Idolorum dicitur, quòd in domibus eorum Sacerdotes sedent habentes tunicas scissas, & capita, & barbam rasam. Ex quibus liquet, nihil hinc statui posse contra illos sive Sacerdotes sive Laicos qui justa diversitatem locorum & temporum barbas radunt vel tondent. Videri possunt quæ luculentè scribit Baronius ad annum Christi 58.

[ ℣. 28. *Et super mortuo non incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas aut stigmata facietis vobis.* ] Solitos olim fuisse Idololatras in Charorum funeribus carnem suam cultris seu lanceolis concidere, sicque suum sanguinem fundere, partim ad luctus quantitatem demonstrandam; partim in Deorum suorum honorem, quos tali modo placatos se reddere existimabant, scribunt Veteres, & ex Veteribus alii: Verisimileque est quòd & figuras aliquas & stigmata sibi facerent in manibus, in fronte, vel in aliis corporis partibus. Quæ omnia Deus vetat Judæis, ut à gentilium ritibus imitandis magis abstineant.

[ ℣. 29. *Ne prostituas filiam tuam.* ] Ad fornicationem eam exponendo, vel inducendo. Etsi non desint qui de spirituali fornicatione hæc intelligant, ad litteram tamen non dubium est sermonem esse de corporali; sub quo mystico sensu rectè spiritualis intelligitur.

[ *Ne contaminetur terra, & impleatur piaculo.* ] Ne ex tali prostitutione plurimi habitatores terræ inquinentur, & ipsa terra fornicationibus repleatur, dicaturque ideircò esse contaminata, secundùm ea quæ diximus cap. 18. vers. 25. & Genes. 6. vers. 11.

*Moraliter. Filias suas prostituunt*, qui proles suas in partibus Hæreticorum educari curant, aut aliis pravis moribus imbuunt.

[ ℣. 30. *Sabbata mea custodite.* ] Sabbatorum nomine quælibet festa intelliguntur, sicut inferius cap. 23. *à vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra.*

[ *Et Sanctuarium meum metuite.* ] Per Sanctuarium designatur locus sanctus ad sacrificia Deo offerenda peculiariter destinatus, Tabernaculum scilicet & Templum: Quod jubentur metuere, idest, revereri, ne contra ejus sanctitatem aliquid faciant, sive irreverenter accedendo, sive hostias lege vetitas offerendo, sive aliud contra legis præscriptum agendo. Idem præceptum sic cap. 26. repetitur: *Pavete sanctuarium meum.* Ex quibus ita ratiocinantur quidam. Si loco illi in quo vitulorum & hircorum sanguis offerebatur tanta exhibebatur reverentia; quid honoris exhibendum est Ecclesiis Christianorum in quibus verum Christi Domini Corpus verusque sanguis consecratur, servatur, & sumitur?

[ ℣. 31. *Non declinetis ad Magos.* ] In Hebr. *Ad Pythones:* Apud 70. *Ad ventriloquos*, hoc est, ad homines qui dæmonem habent, maximè ventriloquum, sic dictum, quòd interdum ex eorum ventre loqueretur. Talis fuit Pythonissa quam consuluit Saul 1. Reg. 28. & ea cujus fit mentio Act. 16. quæ à dæmone obsidebatur; & per quam etiam non liberè agentem dæmon loquebatur.

[ *Nec ab Ariolis aliquid sciscitemini.* ] *Arioli* strictè loquendo dicuntur qui ex inspectione extorum animalium dæmonibus immolatorum divinant; sed *generaliter* sumuntur pro *incantatoribus*, ut 70. hic reddunt, ita ut sub Magis & Ariolis qui hic exprimuntur, censeri debeant comprehensi quicumque incantatores & Divinatores. Supra siquidem vers. 26. prohibuit Deus exercitium earum Artium quæ ad divinationes superstitiosas pertinent; in præsenti autem vetat ne quis alios consulat causa talis divinationis.

[ *Ut polluamini per eos.* ] Ex quo fiat quòd gravi scelere vos obstringatis, & sitis multùm polluti. Vocula enim *ut*, non causam, sed eventum significat.

[ ℣. 32. *Coram cano capite consurge.* ] Verbo *consurgendi* generaliter intelligitur *honor*; ita ut hæc verba idem valeant, ac si dicas: *Senes honora:* Unde tamquam explicatio mox sequitur.

[ *Et honora personam Senis.* ] Ex hoc loco S. Cyprianus Lib. 3. ad Quirin. monet surgendum cùm Episcopus aut Presbyter venit, quæ est vetus Ecclesiæ consuetudo. Rationum porrò cur senes sint honorandi, *una est*, quia propiùs accedunt ad Deum, quem Daniel *Antiquum dierum* cognominat, Daniel, 7. *Secunda*, Quia in Senibus præter excellentiam ætatis, est etiam excellentia experientiæ, virtutis & prudentiæ ex ætate longiore Hinc Job 12. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Sanctus quoque Thomas 2. 2. q. 63. art. 3. scribit quòd senes sunt honorandi propter signum virtutis quod est senectus, licèt hoc signum quandoque deficiat. *Tertia*, Quia Senes sunt junioribus instar Magistrorum, ut propterea Ecclesiastici 6. dicatur: *In multitudine Presbyterorum prudentum sta, & sapientia illorum ex corde conjungere.* Et cap. 32. *Ubi sunt senes non multùm loquaris.* Sed & Apostolus Petrus prioris Epistolæ suæ cap. 5. ita monet: *Adolescentes subditi estotè senioribus.* Accedit, Gentiles natura duce idem tradidisse. *Omni seniori*, ait Philosophus Lib. 9. Moral. cap. 2. *Honor pro ætate reddendus est assurgendo, & sessione cedendo, atque hujusmodi cæteris.* Tullius Lib. 1. Officiorum, *Est*, inquit, *Adolescentis Majores natu venerari.* Et Ovidius Lib. 5. Fastorum.

Magna fuit capitis quondam reverentia cani, inque suo pretio ruga senilis erat.

Et mox de Sene.

Et medius juvenum non indignantibus illis ibat, & interior si comes unus erat.

Ex quibus intelligi potest jure impiis probro dari, quòd *facies Senum non erubuerunt*, Thren. 5. quodque ausi sunt dicere Sap. 2. *Non parcamus viduæ, nec veterani revereamur canos multi temporis.*

[ *Et time Dominum Deum tuum,* ] Qui punire potest ac solet eos qui senibus non assurgunt, multòque magis illos qui senes irrident, aut aliter inhonorant; quemadmodum patet de pueris Elisæum irridentibus quos Ursi laceraverunt 4. Reg. 2.

[ ℣. 33. *Si habitaverit Advena in terra vestra, & moratus fuerit inter vos.* ] Per Advenam, non pauci Proselytum seu conversum ex Gentilitate ad Judaismum intelligunt; nec dubium est etiam de illis sermonem esse. Quia tamen alii quoque peregrini, si qui inter Judæos morarentur, benignè tractandi erant; & quia Deuteron. 14. jubetur ut morticinum quo nec Judæi nec Proselyti poterant vesci, detur peregrino ut comedat, aut vendatur ei, per Advenam seu peregrinum generaliter intelligi hic videtur quicumque peregrinus, seu qui aliundè adveniens, habitaret cum Judæis, quemadmodum Lorinus & Marius interpretantur. Ita tamen ut eo nomine non contineantur Chananæi, Amorrhæi, & alii terræ illius inquilini: Hi enim non possunt censeri pro advenis, & jussi fuerunt ab Israelitis deleri.

[ *Non exprobretis ei:* ] Sive quòd sit Gentilis, sive quòd Peregrinus, aut quidvis aliud quod molestiam ei adferre potest, vel eum affligere, juxta illud Exod. 22. *Advenam non contristabis, neque affliges eum.* Et cap. 23. *Peregrino molestus non eris.*

[ ℣. 34. *Sed sit inter vos quasi indigena:* ] Honorem & benevolentiam ei impertiendo, perinde ac si esset de gente vestra.

[ *Et diligetis eum quasi vosmetipsos,* ] Eadem bona ipsi volendo quæ vultis vobis; & eadem mala ei nolendo, quæ vobis non vultis. Conferantur quæ diximus 2. 2. q. 26. art. 4.

[ *Fuistis enim & vos Advenæ in terra Ægypti.* ] Istam ratio-

rationem Hebræis propriam alibi quoque adfert Scriptura, quòd videlicet ipsimet experti fuerint in Ægypto Advenarum seu peregrinorum incommoda. Vide quæ ad citata Exodi loca commentati sumus. Aliam deinde magis communem rationem subjicit, dicens,

[ *Ego Dominus Deus vester*, ] Qui nimirùm hæc præcipio, & cui idcirco oportet vos obtemperare.

[ ℣. 35. *Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura.* ] Vetat ne quid contra justitiam committant, sive in judicio alios vel judicando, vel accusando, vel testificando, vel quovis alio modo: Sive in regula, nimirùm mensoria qualis usurpatur ad agros, domos, pannos laneos aut lineos, & ad alia ejusmodi emenda, vel vendenda; Sive in pondere, quod est in auro, argento, ære, metallis, & medicinis: Sive in mensura, vini, olei, aliorumque liquorum, ac etiam frumenti, hordei, & aliarum frugum.

[ ℣. 36. *Statera justa & æqua sint pondera.* ] Pro *pondera*, in Hebr. est, *lapides*; quòd olim lapidibus uti solerent pro ponderibus: quemadmodum etiam nunc fit satis frequenter. Similiter Deuteron. 25. ubi legimus; *non habebis in sacculo diversa pondera, majus & minus*; in Hebr. est, *non erit tibi in loculo tuo lapis & lapis, major & minor*. Et Proverb. 20. pro *pondus & pondus*, quod est in nostro Textu, in Hebr. est, *lapis & lapis*.

[ *Justus modius, æquusque sextarius.* ] Pro *Modio*, Hebraicè est *Epha*, quod supra cap. 5. & alibi redditur *Ephi*, continetque tres modios. Pro *Sextario*, est *Hin*, quod continet duodecim sextarios. Sed utroque loco species ponitur pro genere, *modius* pro mensura aridorum; *sextarius* pro mensura liquidorum. Et cùm de mensuris non una omnium sit sententia, difficileque foret veteres mensuras ad æqualitatem earum quæ modò sunt in usu, reducere; præsenti loco sufficit scire, quòd Deus hìc jubet Hebræos justa mensura uti tam in aridis, quàm in liquidis.

## CAPUT XX.

*Morte plectendi sunt qui de semine suo Moloch offerunt, qui magos aut ariolos consulunt, qui parentibus maledicunt, qui varios exercent coitus illicitos.*

[ ℣. 2. HOmo de filiis Israel ] In Hebr. *Vir vir de filiis Israel*, hoc est, omnis homo quicumque ille sit de filiis Israel.

[ *Et de advenis*, ] Seu Proselytis, qui cùm essent ad Judaismum conversi, ideoque circumcisi, obnoxii erant legi Mosaicæ, ac pœnis contra ejus violatores latis.

[ *Si quis dederit de semine suo Idolo Moloch.* ] Quid hoc sit, cap. 18. fuit explicatum.

[ *Morte moriatur*, ] Omninò moriatur. Ista enim phrasis habet Emphasim qua & plenus mortis reatus, & certa mors peccatoris denunciatur.

[ *Populus terræ lapidabit eum.* ] Cùm scilicet fuerit satis probatum, & judicatum. Quatuor tantùm suppliciorum capitalium genera in usu fuisse apud Judæos ex scriptura observant; per lapidationem, per suspensionem, per gladium, & per ignem. Lapidationis, hìc & alibi frequenter fit mentio; suspensionis, Deuteron. 21. gladii, Actor. 12. Ignis, Josue 7. præter capitalia verò supplicia, una erat pœna mitior, nimirum flagellatio, de qua Deuteron. 25.

[ ℣. 3. *Et ego ponam faciem meam contra illum.* ] Hoc est, graviter ei irascar. Graviter enim irati solent faciem in eos quibus sic irascuntur veluti vibrare, fixèque defigere, ac eam, seque totos opponere ad eis nocendum si possint. Deus autem juxta morem humanum hìc loquitur.

[ *Succidamque eum de medio populi sui*, ] Auferendo vitam illius, non secus ac vita aufertur ab arboribus, quando succiduntur radicitus.

[ *Eò quod dederit de semine suo Moloch.* ] Repetitur causa pœnæ infligendæ, ad magis inculcandam criminis gravitatem.

[ *Et contaminaverit Sanctuarium meum, ac polluerit nomen sanctum meum*, ] quantùm videlicet in ipso est. Barbara enim illa immolatio redundabat in Sanctuarii ignominiam, & divini nominis contemptum, dum locus sacrificiis soli vero Deo debitis dicatus deserebatur, offerebaturque hostia vetita. Isto enim facto quasi profanum judicabatur Sanctuarium, & nomen Dei ipsaque divinitas transferebatur ad Idolum.

[ ℣. 4. *Quod si negligens populus terræ, & quasi parvi pendens imperium meum, dimiserit hominem qui dedit de semine suo Moloch, nec voluerit eum occidere.* ]

[ ℣. 5. *Ponam faciem meam super hominem illum*; ] Non illum qui dimisit & noluit occidere, sed illum qui scelus commisit dando de semine Moloch: judicat enim Deus talem hominem, etiamsi non puniatur ab hominibus, non futurum tamen impunitum, etiam in hoc sæculo, sed quòd ipsemet eum exterminabit, ejusque familiam & posteritatem; id quod absque injustitia fieri posse à Deo, facilè intelligi potest ex iis quæ diximus ad cap. 20. Exod. & 2. 2. q. 108. art. 4.

[ *Succidamque & ipsum & omnes qui consenserunt ei ut fornicaretur cum Moloch, de medio populi sui.* ] Per eos qui consenserunt, non intelliguntur solùm illi qui formaliter consenserunt adjuvando, consulendo, hortando, vel aliquo simili modo; sed etiam qui cùm possent ac deberent impedire, non impediverunt; ac insuper qui punire neglexerunt: negligentia enim judicis non punientis scelera quæ ex suo officio punire deberet, est quidam tacitus consensus in factum. Unde Lyranus hìc. *Ex quo*, inquit, *patet quòd illi qui debent corrigere crimina, si negligant, consentientes reputentur, & eamdem pœnam incurrant*; quoniam ut Dionysius eum sequens ait, mortaliter peccant, negligendo seu omittendo quod eis præceptum est; imò interdum graviùs quàm particulares qui privatim delinquunt. Fornicatio porrò de qua hìc est sermo, spiritualis intelligitur, hoc est Idololatria.

[ ℣. 6. *Anima quæ declinaverit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis*, ] Anima per Synecdochen pro toto homine ponitur, & per fornicationem, sicut supra, ita hìc intelligenda est spiritualis. Qui enim magos & ariolos consulit, spiritualiter fornicatur, & Idololatriam, saltem implicitam, committit: quia deserto Deo, diaboli ministris adhæret, ac per consequens ipsi diabolo, à quo per ipsos quærit scire ea quæ desiderat. Et si quærat scire fortuitos eventus, vel interiores hominum cogitationes, aut alia ejusmodi occulta, honorem soli Deo debitum impertitur diabolo; quia tribuit ei notitiam eorum quæ solus Deus scire potest.

[ *Ponam faciem meam contra eam.* ] Tali homini graviter irascar.

[ *Et interficiam illam*, ] Non animam, quæ immortalis est, sed hominem per eam significatum. q. d. Si judex non curet interfici, ego ipse interficiam. Ipsemet autem Deus intelligitur interficere aliquem, quando tradit eum interficiendum vel alteri homini, vel bestiæ: prætereà, cùm præcipitio, subversione, vel alio genere mortis afficit quod humano judicio sæpe putatur casu fortuito accidere, sed Deus in præcedentis peccati ultionem immittit.

[ ℣. 7. *Sanctificamini & estote sancti*, ] Diligenter nimirùm custodiendo mandata vobis data, & specialiter ea quæ hìc præcedunt, de Idololatria spiritualique fornicatione vitanda, & quæ sequuntur de peccatis carnis; videtur enim hæc sanctificatio juxta subjectam materiam esse intelligenda. Quòd si ad veram ac interiorem animæ Sanctitatem extendatur ista sententia, rectè dicit quòd homo se sanctificet quando se cum auxilio gratiæ disponit ad gratiam habitualem, diximus 1. 2. q. 113. art. 3. quæsito 2.

[ *Quia ego sum Dominus Deus vester*, ] Qui & perfectè Sanctus sum, & sanctitatem amo, vobisque jubeo ut sancti esse curetis.

[ ℣. 8. *Ego Dominus qui sanctifico vos.* ] Solus Deus, ut nostræ justificationis, ita interioris, veræque sanctitatis nostræ causa est efficiens principalis; non est tamen hoc quod directè verbis præsentibus significatur, sed sensus eorum est: ego Dominus qui jubeo vos esse sanctos, & qui do vobis præcepta quorum observatione sancti eritis.

[ ℣. 9. *Qui maledixerit Patri suo, aut Matri, morte moriatur.* ] Istam legem explicuimus Exod. 21. v. 17.

[ *Patri Matrique maledixit, sanguis ejus sit super eum.* ]

*eum.* ] Copulativa *que*, pro disjunctiva sumitur, & sensus est: aliud facinus, seu aliam mortis causam ne require; satis est quòd Patri vel Matri maledixerit, hoc enim ipso, dignus est morte: *sanguis ejus*, hoc est, pœna sanguinis, sive mortis, sit super eum, ipse puniatur morte. Simili phrasi dicitur Ezechiel. 18. *Sanguis ejus in ipso erit:* q. d. luet pœnam sanguine proprio, idest morte.

[ ℣. 10. *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur & mœchus & adultera.* ] Statuitur in adulteros pœna mortis. Et quamvis non clarè determinetur quo genere mortis puniri debeant, Judæi tamen ea quadam consequentia intellexerunt eos esse lapidandos; sive quia pœna in dantes de semine suo Moloch v. 2. decreta, ad sequentes casus quibus certum genus mortis non additur, referenda est, ac per consequens etiam ad adulteros: sive quia Deuteron. 22. ubi Deus adulterum & adulteram interfici jubet, adjunxit: *Si puellam virginem desponderit vir, & invenerit eam aliquis in civitate, & concubuerit cum ea; educes utrumque ad portam civitatis illius, & lapidibus obruentur.* Hoc autem mortis genus Judæi etiam ad adulteros referebant, quoniam apud eos eodem ferè loco reputabatur concubitus desponsatæ, & concubitus nuptæ, & uterque adulterii nomine censebatur, justa Philonem lib. de specialibus legibus. Sic Judæos intellexisse patet ex Joan. 8. ubi Judæi adulteram adduxerunt ad Christum, & dixerunt: *in lege Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare*, & quòd benè intellexerint, liquet ex cap. 16. Ezechiel. ubi cùm Deus ita loquens inducitur, *judicabo te judiciis adulterarum*; paulò post subditur; *& adducent super te multitudinem, & lapidabunt te lapidibus.* Ex quibus consequens est judicia adulterarum fuisse ut lapidarentur. *Benè* tamen observat Estius legem istam non complecti omnes adulteros; sed eos solùm qui adulterarent uxorem alterius, non autem viros conjugatos qui mulierem solutam cognoscerent. Quod planum est ex verbis hujus legis, & ex iis quæ Deuteron. 22. habentur semper enim sermo est de cognoscente uxorem alterius. Ratio diversitatis est, non quòd vir & mulier non sint pares quoad actum conjugii, sed quia multò gravior est injuria quæ conjugio infertur ex adulterio mulieris quàm viri, propter prolis & posteritatis incertitudinem. *Observandum* prætereà, eos qui ibi, *cum uxore alterius*, &, *cum conjuge proximi sui*, dicunt per *alterum*, intelligi quemcumque hominem; per *proximum*, verò, amicum vel fratrem, idest, Israelitam; ineptam facere sententiam, cùm sic posterius membrum contineretur in priori; cùmque juxta morem Hebræum, non aliud sit quàm ejusdem repetitio & inculcatio; ut discamus proximum intelligi omnem hominem, quemadmodum cap. præced. ad v. 18. monuimus. Similis repetitio & inculcatio est supra: *Qui maledixerit Patri suo aut Matri, morte moriatur. Patri matrique maledixit, sanguis ejus sit super eum.*

[ ℣. 11. *Qui dormierit cum Noverca sua, & revelaverit ignominiam Patris sui.* ] Ignominia enim seu turpitudo Novercæ est turpitudo Patris, eò quòd per Matrimonium facti sunt quasi una caro, redundatque in virum revelata uxoris ejus ignominia & turpitudo.

[ *Morte moriantur ambo.* ] Quando videlicet crimen fuerit judicialiter probatum: quod pariter in sequentibus est intelligendum. Hujus legis sensus per se est de uxore Patris defuncti; sicut & illius quæ sequenti versu ponitur, de Nuru post mortem filii, ejus mariti; tum quòd viventibus Patre & filio fuisset etiam adulterium, de quo jam proximè dictum fuit: tum quia hoc cap. videntur statui pœnæ illis peccatis quæ cap. 18. fuerunt prohibita, sed sine appositione pœnæ. *Si petas*, quo genere mortis essent puniendi: Abulensis respondet quòd lapidatione; quia omnes qui hìc pœna mortis mulctantur, nisi ea specialiter exprimatur, lapidari debebant.

[ ℣. 14. *Qui supra uxorem filiam, duxerit Matrem ejus, scelus operatus est.* ] Idem intellige, si Matri suæ uxoris copularur non titulo Matrimonii, sed ut concubinæ, vel quomodocumque. Idemque judicium si supra uxorem matrem, duceret ejus filiam, aut copularetur filiæ.

[ *Vivus ardebit cum eis:* ] Cum filia nimirùm & cum matre quas duxit, si vel simul ei nupserint, vel utraque consenserit ut altera superduceretur: nam si una quæ priùs erat nupta, repugnasset secundo alterius Matrimonio, insons erat, nec puniri poterat. Huic porrò incœstui talis incendii pœna statuitur, cùm aliis, etiam gravioribus, criminibus solùm lapidationis pœna decernatur; quia Judæi magis erant ad hunc incœstum proclives, quàm ad alia quædam majora crimina, ideoque vehementiori pœna fuerunt ab eo arcendi, ut ait Marzilla.

[ ℣. 15. *Pecus quoque occidite.* ] Non quòd pecus peccaverit, cùm non habeat liberum arbitrium, sed in detestationem facinoris, & ne ex aspectu talis animalis aliqui provocarentur ad idem vitium. Ita Lyranus.

[ ℣. 16. *Mulier quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo.* ] Legislator hìc nihil dicit de viro, existimans idem satis intelligi posse de eo quòd de muliere, ob paritatem sceleris æquè damnati cap. 18. v. 23.

[ ℣. 17. *Qui acceperit sororem suam,* ] Etiamsi solùm sit soror ex altero parente: hoc enim est quod sequitur.

[ *Filiam Patris sui, vel filiam Matris suæ;* ] Multò autem magis eadem pœna intelligenda est, si acciperet eam quæ esset soror ex utroque parente.

[ *Et viderit turpitudinem ejus.* ] Abulensis, Marzilla, & quidam alii hæc interpretantur etiam de solo turpi aspectu fratris & sororis; ita ut pro sola quoque mutua monstratione membrorum genitalium mors esset inferenda. Aliis tamen magis placet B. Augustini expositio qui quæst. 72. in Levitic. Visionem turpitudinis & ignominiæ sumi censet pro carnali copula, accipiendo sensum visus pro aliis sensibus; ita ut videre turpitudinem seu partes quæ non nisi turpiter aspiciuntur, sit eas ad invicem commiscere, & ea commixtione oblectari. *Quid est*, ait Augustinus, *viderit, nisi concumbendo cognoverit? Sicut in lege dicitur, cognovit uxorem suam, pro eo quod est, mixtus est ei.*

[ *Et portabunt iniquitatem suam.* ] Hoc est, iniquitatis suæ pœnam, scilicet lapidationem & mortem.

[ ℣. 18. *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo:* ] Subaudi, & sciverit mulierem esse in ejusmodi fluxu, factumque ejus probetur in judicio, secundùm ea quæ notavimus cap. 15.

[ *Ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui,* ] Seu membrum genitale ex quo tamquam ex fonte manat profluvium sanguinis. Non nuda apertio intelligitur, sed ea quæ deservit carnali copulæ.

[ *Interficientur ambo.* ] Congressus cum muliere menstruata etiam illa quæ sit propria uxor, propter immunditiam seu fœditatem, ac insuper propter aliquam materiæ indispositionem, est de se malus; stando tamen in jure naturæ, non videtur tantam habere malitiam, vel proli generandæ ita esse noxius, ut pœnam mortis mereatur: imò, sunt boni Authores, de quibus supplem. q. 49. art. 6. dictum est, qui existimant non esse peccatum mortale seclusa lege positiva severè illum prohibente. Et propterea, quòd tam menstruatæ, quàm congredienti cum ea hìc intentetur pœna mortis, non est ob prævaricationem legis naturalis: sed propter transgressionem legis divinæ positivæ quæ Judæis severè prohibebat talem congressum.

*At Dices:* Si lex severè prohibens Judæis istum congressum non est naturalis, sed positiva, quare hìc ponitur inter præcepta naturalia? *Resp.* partim quia hæc omnia congressum & libidinem spectant; partim quia congressus cum menstruata est jure naturæ malus & prohibitus, ideoque peccatum saltem veniale; accedente autem hac lege positiva, mortale. Nec novum est præcepta positiva permisceri naturalibus; id enim etiam capite præcedente factum invenitur, ut & Exod. 20. & alibi.

[ ℣. 19. *Turpitudinem materteræ & amitæ tuæ non discooperies.* ] *Matertera* est soror Matris; quasi *Mater altera: amita* autem, soror Patris; quasi *à Patre meo amata:* quòd sorores magis amari soleant à fratribus, quàm fratres, propter dissimilitudinem personarum, quæ ideò minùs dissensionis habent, quò minùs æmulationis. Hæc matrimonia fuerunt etiam vetita

cap. 18. versibus 12. & 13. sed sine adjectione pœnæ: at hic pœna apponitur.

[ *Qui hoc fecerit, ignominiam,* ] Seu turpitudinem,

[ *Carnis suæ nudavit,* ] Propter quamdam identitatem quam ratione consanguinitatis habet aliquis cum sua amita & matertera.

[ *Portabunt ambo iniquitatem suam,* ] Pro iniquitate sua pœnam luent. Quidam volunt hanc pœnam esse lapidationis, & mortis, sed alii probabiliùs censent oppositum. Cùm enim priùs aliquoties expressa fuerit pœna mortis, in hoc autem & duobus seqq. versibus ea non apponatur; verisimile est nec legislatorem eam exigi voluisse: idque propterea, quoniam etsi ejusmodi connubia essent illicita, non tamen ita intolerabilia, sicut alia quibus nominatim apponitur pœna mortis. Sermo igitur est de pœna, vel quæ judicis arbitrio inferretur, diversa à pœna mortis, vel de orbatione liberorum, vel alia qua Deus illos puniret,

[ ℣.20. *Absque liberis morientur.* ] Justo Dei judicio fiet, ut ex tali matrimonio vel nulli nascantur liberi, vel si qui fuerint nati, ii parentes suos moriendo præveniant. Potest etiam esse sensus quòd morientur absque liberis, nimirùm legitimis, & qui habeant jus succedendi parentibus, quia si fortè aliquos genuerint, illi erunt spurii, nec habebunt jus successionis.

[ ℣.21. *Qui duxerit uxorem fratris sui, rem facit illicitam,* ] excepto scilicet casu, quo juxta legem Deuteronomii 25. debebat suscitare semen fratri defuncto, quemadmodum cap. 18. fuit dictum.

[ ℣. 22. *Custodite leges meas,* ] Tum morales, tum cæremoniales,

[ *Atque judicia,* ] Idest, judiciales. Frequenter hoc repetit Deus, ut tantò altiùs Judæorum animis imprimat studium observandi suas leges.

[ ℣.23. *Nolite ambulare in legitimis nationum,* ] Sive in ritu vivendi gentium.

[ ℣.25. *Separate ergo & vos jumentum mundum ab immundo.* ] Discrimen facite inter animalia munda & immunda, de quibus supra cap. 11.

[ *Ne polluatis animas vestras,* ] Vosipsos; tum per inobedientiam tum per immunditiam legalem,

[ ℣.27. *Vir sive mulier, in quibus pythonicus vel divinationis fuerit spiritus.* ] Latiùs patet divinationis spiritus quàm pythonicus, si strictè accipiatur, cùm divinationes superstitiosæ aliter fieri possint quàm per pythonem, seu dæmonem ventriloquum. In aliis legibus admodùm tarò distinguuntur sexus, sed in virili solet fœmineus intelligi. Cur hîc distinguatur dicendo: *vir sive mulier*, quidam putant rationem esse quia sexus muliebris magis videtur obnoxius ludibrio dæmonis, & maleficis artibus, propter naturæ imbecillitatem, acriores & vehementiores passiones, constitutionem humidiorem; imaginationem promptiorem ac tenaciorem, curiositatem, levitatem, & superbiam.

[ *Morte moriantur.* ] *Quærit Estius* quomodò hoc supplicium sit justum, cùm ista sit species obsessionis dæmoniacæ; dæmoniaci autem non sint occidendi, sed quantùm fieri potest curandi, eò quòd patiantur & non agant. *Respondet autem* esse duplex genus eorum qui pythonem habent. *Quidam* enim sunt qui dæmoni cooperantur, ut mulier illa 1. Reg. 28. quæ Samuelem suscitare volebat. Cujusmodi quoque erant vates gentilium, seu viri, seu fœminæ qui certis quibusdam adhibitis cæremoniis provocabant dæmonem ad reddendum oraculum, & posteà eodem dæmone agitati loquebantur ea quæ dæmon volebat. Atque hoc genus è medio tollendum est. De quo proinde accipiendum est quod hîc præcipitur. Sed *alii sunt* qui solùm patiuntur & dæmoni non cooperantur, vocanturque *Energumeni*, quos oportet exorcismis aliisque remediis Ecclesiasticis juvare ut curentur; qualem verisimile est fuisse puellam pythonissam quam ejecto dæmone Apostolus restituit Act. 16.

## C A P U T XXI.

*Quibus funeribus interesse possint Sacerdotes, & quales ducere uxores, quive inepti sint ad Sacerdotium: & de filia Sacerdotis fornicante.*

[ ℣. 1. LOquere ad Sacerdotes filios Aaron. ] De Sacerdotibus *minoribus* hîc agitur: nam de *summo* demùm versu 10. disponitur; unde non dicitur, *loquere ad Aaron & filios ejus*, sed tantùm, *ad Sacerdotes filios Aaron.*

[ *Ne contaminetur Sacerdos in mortibus civium suorum.* ] Caveat aliquid facere ex quo immunditiam contrahat in funeribus suorum civium; multò autem magis in funeribus alienigenarum. Pro, *in mortibus*, alii ex Hebr. reddunt, *in animam*, vel, *super animam.* Ubi anima non pro cadavere sumitur, sed vel pro homine qui animam efflavit, vel pro vita (cujus anima est causa) per mortem deperdita. Ea porrò per quæ contaminabantur Sacerdotes in funeribus, hæc erant: tangere Cadaver mortui, aut ejus sepulcbrum, ingredi domum in qua jaceret mortuus, comitari funus. Illa facere quæ ad luctum vel planctum funebrem pertinent, cujusmodi erant, radere caput aut barbam, facere incisuras in corpore, quemadmodum colligi potest ex collatione hujus capitis cum cap. 10. & cum Numer. 19. Contaminatos quoque fuisse ob cædem hominis, quamvis justam, ex Num. 31. patet. *Si quæras*, quænam hujus prohibitionis fuerit causa? *Respondeo*, *unam* fuisse, ne retardaretur Sacerdotale ministerium, cùm talis immunditia per septem dies duraret. *Secunda*, quia Sacerdotes divina tractare, & Sanctuarii officia obire debebant, ideoque conveniebat, ut ab immunditiis & irregularitatibus longè abessent. *Tertia*, ut Sacerdotes non agendo luctum super mortuo magis præ se ferrent fidem & spem Resurrectionis futuræ, quam aliqui satis exiguam habebant. S. Thomas 1. 2. q. 102. art. 6. ad 11. istam rationem adfert: Malefici & Sacerdotes idolorum in suis ritibus utebantur ossibus vel carnibus hominum mortuorum: & ideò ad extirpandum idololatriæ cultum, præcepit Dominus ut Sacerdotes minores qui per tempora certa in Sanctuario ministrabant non inquinarentur in mortibus, nisi valdè propinquorum. Unde, hic sequitur:

[ ℣. 2. *Nisi tantùm in consanguineis, ac propinquis, idest, super Patre & Matre, & filio & filia, fratre quoque.* ]

[ ℣. 3. *Et sorore virgine.* ] Ne judicaretur omnis pietas & humanitas erga mortuos negata, excipiuntur à lege superiori quædam personæ super quarum funeribus cæremonias lugubres assumere, & contaminari poterant minores Sacerdotes: quæ nimirùm funera & rariùs contingunt, & ex quibus res sacra non erat passura detrimentum, neque fides aut spes resurrectionis in dubium ventura. Hæ personæ sunt sex. Pater & Mater, Filius & filia, Frater & soror non tamen omnis, sed quæ esset virgo. Cui legislator addidit.

[ *Quæ non est nupta viro,* ] Ad significandum quòd Sacerdotibus non permitteretur luctus super funere sororis quæ esset conjugata, tametsi adhuc esset virgo, utpotè necdum cognita; id quod inde factum putant, quòd conjugata præsumitur esse cognita, quòdque per conjugationem transiret ex paterna familia in aliam. An autem super funere sororis viduæ Sacerdotes possent luctum agere, præsertim si ea esset in domum paternam regressa, quæstio est: ad quam negativè videtur respondendum, propter illam clausulam, *& sorore virgine;* quæ enim erat vidua non præsumebatur esse virgo. Et ob eamdem clausulam, non poterant etiam super sorore aliter quàm in matrimonio vitiata cæremonias luctus assumere, si vitiatio erat nota: si autem esset ignota, cùm tunc in opinione hominum esset virgo, sicut pro sorore virgine, ita pro illa poterant luctum agere. Quoniam verò hîc non ponitur uxor inter personas à Sacerdotibus lugeri permissas, probabile est non licuisse Sacerdoti mortem uxoris plangere cæremoniis polluentibus.

*Si quæras*, quomodò hîc dicatur Sacerdos potuisse luctum agere super fratre mortuo, cùm superius

cap. 10.

cap. 10. Eleazar & Ithamar vetiti fuerint ſuper morte Nadab & Abiu fratrum ipſorum, capita nudare, veſtimenta ſcindere, Tabernaculi fores egredi. *Respondeo* iſta fuiſſe illis licita, ſi tantùm attendatur ipſa lex, illicita tamen fuiſſe ob ſpecialem prohibitionem. Cujus prohibitionis ratio fuit, quòd ob recentiorem ſui conſecrationem minùs deceret eos planctum ſumere; quodque conveniret ut præſentia ſua Patrem conſolarentur mœſtum de tanta filiorum aliorum clade.

*Moraliter. In mortibus civium ſuorum non contaminantur Sacerdotes & Doctores*, qui nihil inveniuntur omiſiſſe quod ad eorum inſtructionem, & ad eos à peccato arcendos pertinet: *contaminantur autem*, ſi ſubditi ex eorum incuria mortaliter peccent; imò ſi Pater aut Mater; quia Sacerdotalis dignitas filium facit eſſe Doctorem Patris ac Matris.

[ ℣. 4. *Sed nec in principe populi ſui contaminabitur*,] Plangendo videlicet mortem ipſius & ea in ejus funere faciendo, quæ ſolent hominem legaliter polluere.

[ ℣. 5. *Nec radent caput, nec barbam, neque in carnibus ſuis facient inciſuras.* ] Simile præceptum generaliter toti populo datum videmus cap. 19. v. 27. & 28. hic tamen ſpecialiter jubetur Sacerdotibus ne aliquid ejuſmodi faciant propter mortuos. Cùm enim idololatræ iſta facerent in luctu ſuorum, & Sacerdotes longiùs abeſſe deberent ab idololatria quàm alii; conveniebat ut peculiariter monerentur abſtinere à ritibus qui apud idololatras erant in uſu.

*Spiritualiter autem*, Sacerdotes non debent *radere caput*, id eſt, deponere ſapientiam, nec radere barbam, id eſt, perfectionem ſapientiæ; neque etiam *ſcindere veſtimenta*, aut *incidere carnes*, ut ſcilicet vitium ſchiſmatis non incurrant. Ita S. Thomas dicto art. 6. ad 11.

℣. 6. *Sanctierunt Deo ſuo.* ] Valdè caveant ab omni contaminatione & immunditia, nec non à ritibus gentilium; oportet enim quòd ſint mundi.

[ *Et non polluent nomen ejus.* ] Non lædant famam & dignitatem nominis Dei nihil faciant cujus occaſione Sacerdotium malè audiat, ipſeque Deus ad quem Sacerdotium ſpectat blaſphemetur aut vituperetur;

[ *Incenſum enim Domini & panes Dei ſui offerunt.* ]Per *incenſum* non intelligitur præcisè Thymiama, ſed generaliter omne ſacrificium quod incenderetur, ſive eſſet ex victimis, ſive ex aliis rebus, conformiter iis quæ habentur ſupra cap. 4. v. 35. c. 6. v. 17. c. 7. v. 5. & 15. Per *panes* quoque generaliter accipi poſſunt panes Deo conſecrati, tam qui ſuper menſam propoſitionis offerebantur, quàm alii.

[ *Sicut* ſacrificia vetera erant typica, & umbram dumtaxat habentia futurorum; ita & ſanctitas de qua hic agitur, non aliud eſt quàm externa quædam & legalis munditia. At in novo Teſtamento utrumque intelligendum eſt verum ac proprium. Sacrificium enim quod à Sacerdotibus novi Teſtamenti offertur, non typicum eſt, ſed res ipſa quæ per antiqua illa ſacrificia figurabatur, ipſum videlicet Corpus Domini quod in Ara Crucis pependit, ipſe ſanguis qui ibi effuſus eſt. Ideoque & Sanctitas requiritur, non ea quæ in legali & externa munditia conſiſtit, ſed ea quæ ſita eſt in vera pietate ac puritate animi, ſine qua quiſquis ad hæc tremenda myſteria accedit, immundus accedit, & judicium ſibi ſumit, non remedium.

[ ℣. 7. *Scortum & vile proſtibulum:* ] Hoc eſt, meretricem, tam eam quæ occultè copiam ſui facit, quàm illam quæ publicè venalem ſe exponit.

[ *Non ducent uxorem, nec eam quæ repudiata eſt à marito*; Quia ejuſmodi Matrimonia minùs honeſta ſunt, minùſque honorabilia, & viros ita contrahentes reddunt viles atque contemptibiles, ac etiam prolem inde conceptam, Sacerdotes autem, tametſi minores, non decebat eſſe contemptibiles.

[ *Quia conſecrati ſunt Deo ſuo*, ] Neque verò quia exprimitur uxor; putandum eſt quòd Sacerdotes poſſent tales mulieres accipere in concubinas, ſic enim filii multò magis fuiſſent viliores, nimirùm propter concubitum illegitimum, & non ſolùm propter vilitatem Matrum. Nec refert ex Levit. 19. conſtare quòd Levita habuerit concubinam: ut enim concedatur quòd iſte Levita eſſet Sacerdos, ejus mulier non erat concubina, prout concubina ſonat in vitium, ſed vera ac legitima uxor; ex verſu enim 2. habetur quòd eam accepit uxorem, & in decurſu capitis Pater illius mulieris aliquoties vocatur ſocer Levitæ; ipſeque Levita gener ipſius. Et tum in eod. cap. tum in ſeq. Levita illam vocat uxorem ſuam, & eum ſacer Textus vocat maritum illius. Cùm ergo dicitur *concubina*, accipiendum eſt eo modo quo Geneſ. 25. Agar & Cethura vocantur concubinæ Abrahæ, etiamſi utraque vocetur ejus uxor. Agar cap. 16. v. 3. Cethura cap. 25. v. 1. ſcilicet juxta conſuetudinem Scripturæ, quæ haud infrequenter illas uxores quæ ductæ ſunt abſque conſuetis ſolemnitatibus concubinas vocat, ut Geneſ. 27. diximus, ac inſuper ſupplem. quæſt. 65. art. 5.



*Si dicas*, Deuteron. 23. ſic haberi; *non erit meretrix de filiabus Iſrael, nec ſcortator de filiis Iſrael*, ob quæ videri poſſit fruſtra vetari ne Sacerdotes in Matrimonium ducerent meretricem: *Reſpondeo* non fruſtra vetari; quoniam verba Deuteronomii non ſunt prædictio rei eventuræ, ſed continent præceptum: ſicut autem contra alia præcepta peccatum eſt à Judæis, ita & contra illud: unde mox ibidem ſequitur; *non offeres mercedem proſtibuli &c.* per quod ſatis innuitur non defuturum proſtibulum inter Judæos. *Vile proſtibulum*, alii ex Hebr. reddunt, *Prophanatam*, ſeu vitiatam, & corruptam ab alio, docentque illam non potuiſſe à minoribus Sacerdotibus in Matrimonium duci, quæ etſi non eſſet meretrix erat tamen ab alio corrupta extra matrimonium: nihilominùs eam quæ vidua erat duci potuiſſe, modò non eſſet repudiata. Nam viduæ tametſi ab aliis viris cognitæ eſſent, non tamen erant factæ viles: repudiatæ autem viles factæ erant, ait Abulenſis.

[ ℣. 9. *Sacerdotis filia ſi deprehenſa fuerit in ſtupro*,] Voluntariè patiens ſe deflorari. Nomen *filiæ* innuit eſſe ſermonem de puella in domo & ſub poteſtate Patris conſtituta, quæque adhuc ſit, aut ſaltem habeatur virgo. Et alioquin ſi ageretur de filia in Matrimonio locata, adulterarum pœna veniret punienda, nimirùm lapidatione; neque ut filia Sacerdotis, ſed tamquàm adultera; neque tam Patri (quod tamen hic urgetur) quàm marito feciſſet injuriam.

[ *Et violaverit nomen Patris ſui*; ] Quoniam illa ſua fornicatione nomen Patris Sacerdotis dehoneſtavit gravemque notam & ignominiam ei intulit, tale quippe dedecus in Patrem redundat:

[ *Flammis exuretur*, ] Cùm ſuo ſtupratore. Nam vir in peccato fornicationis numquàm debet minori pœna puniri quàm mulier, ait Marzilla. Aliæ quàm Sacerdotum filiæ propter ſimplicem fornicationem non puniebantur ex legis præſcripto, niſi eſſent alicui deſponſatæ, vel niſi poſtquàm erant fornicatæ, adhuc ſe gererent tamquàm virgines, & ut tales nuberent, ſicque ſponſum deciperent, ſecundùm ea quæ diximus Exod. 22. ad v. 16. & 17. ac etiam 3. p. q. 29. art. 1. Hæc igitur lex ſpecialis fuit contra filias Sacerdotum pro Sacerdotali dignitate conſervanda; ut eorum filiæ magis caverent à fornicatione.

[ ℣. 10. *Pontifex, id eſt, Sacerdos maximus inter Fratres ſuos.* ] Poſt explicata ea quæ ad Sacerdotes inferiores pertinent, Deus quædam ſubdit quæ ſolum Pontificem, ſeu ſummum Sacerdotem concernunt. In quibus circa funera & Matrimonia eum magis reſtringit quàm Sacerdotes minores, ſicut anteà hos magis reſtrinxerat quàm cæteros Iſraelitas: nam quoad ad funera attinet, ei non permittitur quod aliis Sacerdotibus fuit permiſſum, ut lugeat ſuper morte parentum, etiam maximè propinquorum. Et quoad ſuum Matrimonium, præter ſcortum & repudiatam vetitas quoque Sacerdotibus inferioribus, vetatur ei vidua, quæ aliis Sacerdotibus non fuit vetita, ſolaque virgo ipſi aſſignatur in matrimonium.

[ *Super cujus caput fuſum eſt unctionis oleum, & cujus manus in Sacerdotio conſecratæ ſunt, veſtituſque eſt Sanctis veſtibus.* ] Hæ ſunt tres notæ Sacerdotum, quarum *prima* ſoli ſummo Pontifici abſolutè propria eſt, *ſecunda* omnibus Sacerdotibus convenit. *Tertia*, quadam ratione communis eſt, & alia ratione propria. Omnium enim Sacerdotum manus conſecrabantur, ſolius autem Summi Pontificis caput oleo perfundebatur, Sanctarum verò veſtium aliquæ communes erant minoribus Sacerdotibus & ſummo, aliæ ſoli

summo propriæ, ut patet ex dictis Exod. 28. vers. 3. & 41. & ex cap. 29. vers. 7.

[ *Caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet:* ] Ad lugendum scilicet, vel in signum luctus in funere alicujus, secundùm ea quæ cap. 10. diximus.

[ ℣. 11. *Et ad omnem mortuum non ingredietur omninò.* ] Hoc est, ad nullum prorsùs mortuum, seu ad nullius mortui funus, ne quidem Patris aut Matris: Ideò sequitur.

[ *Super Patre quoque suo & Matre non contaminabitur.* ] Si Pater aut Mater Pontificis moriatur, occasione mortis eorum, nihil de ritibus ad luctum mortui pertinentibus faciet, quia aliquid istorum faciendo contaminaretur. *Si dicas*, hoc videri contrarium pietati quæ debetur parentibus. *Dionysius Respondet* unam virtutem aliquando cedere alteri, præsertim inferiorem superiori ex causa rationabili; sicque in proposito misericordiam & charitatem fraternam cedere Charitati Divinæ & Latriæ. *Aliter dici potest*, nihil hic juberi contrarium pietati in Parentes: Quoniam hæc pietas non dictat cultum esse parentibus quomodocumque exhibendum, sed eo modo quo Deus & recta ratio jubet; Neque autem Deus, neque recta ratio jubet, imò nec permittit, ut illis contra divinum mandatum exhibeatur; quin potiùs si sic exhiberetur, non esset pietas, sed impietas. Confer quæ huc pertinentia diximus 2.2. q. 101. art. 4.

*Alia difficultas est*, Quorsum mandatur Pontifici ne Cæremonias luctus agat super morte Patris; cùm nullus posset esse Pontifex, nisi Patre defuncto, cui secundùm legem debebat succedere. Respondeo funus apud Hebræos pluribus diebus durasse, atque ita filius succedens Patri in munere Pontificio, facilè poterat illi funeri operam dare, si non fuisset ei prohibitum. Statim enim à morte Patris, ejus Filius consecrabatur, & post suam consecrationem vetabatur tum ad Cadaver Patris, si fortè adhuc esset insepultum, ingredi, tum alias lugubres cæremonias assumere.

[ ℣. 12. *Nec egredietur de Sanctis*, ] Hoc est, de Sanctuario, vel de Atrio Sancto, causa nimirùm alicujus mortui lugendi: Adeò ut si, dum Pontifex ibi erat, contingeret aliquem quantumcumque propinquum mori, ipse non posset inde egredi, vel ad curandum, vel ad comitandum funus, vel ad quidvis lugubre agendum. Ex aliis autem causis licuisse Pontifici Sanctuarium egredi, manifestè constat, quia non habebat ibi suum domicilium. *Ubi* Ecclesiastici nostri habent quod considerent, liceatnè ipsis è divinis Officiis egredi, sive ad fabulandum, sive ad quidvis aliud profanum, cùm Judæorum Pontifici non liceret egredi Sanctis pro luctu parentum.

[ *Ne polluat Sanctuarium Domini*, ] Ne irreverenter se gerat erga Sanctuarium ex quo contingat ipsum pollui. Si enim summus Sacerdos egrederetur Sanctuarium ob funus alicujus, minimè curans prohibitionem, & locum sacrum perinde hac in re tractans ac si esset profanus, ipse pollueretur, ac etiam Sanctuarium, præsertim cùm Pontificis immunditia & spontè & in ipso Sanctuario contracta redundet in ipsum Sanctuarium.

*Moraliter*, significatur studium quo Summus Pontifex cavere debet à peccatis.

[ *Quia oleum sanctæ Unctionis Dei sui super eum est.* ] Sive, quia in sua consecratione fusum est super caput ejus oleum sanctæ Unctionis, supra cap. 8. ideoque debet præcipua honestate & puritate pollere. In Hebr. sic legitur: *Quia corona olei*, vel *Corona oleum unctionis Dei sui super eum est*, quod quidam sic interpretantur, quia corona, hoc est, lamina sancta sacræ Unctionis oleo uncta est super eum. Sed quia non constat laminam sanctam fuisse oleo unctam, aliorum expositio eaque verisimilior est hæc: Quia corona quæ comitatur oleum sacræ unctionis, sive, quæ propria est illi qui oleo ungitur, nimirùm in capite, est super eum. Potest etiam subintellecta copulativa, hic sensus reddi, quia corona & oleum unctionis Dei super eum est; ut *duplex* adferatur causa cur Pontifex cavere debeat ne polluat Sanctuarium: *Una*, quia coronam, seu laminam sanctam gestat: *Altera*, quia oleum sanctum super caput ejus fusum est; quæ ambo & Pontifici propria sunt, & peculiarem ab eo requirunt munditiam & reverentiam. Conferri possunt quæ Cajetanus hic commentatur.

[ ℣. 13. *Virginem ducet uxorem:* ] Summo Sacerdoti seu Pontifici jubet id Deus, propter honestatem & dignitatem Summi Sacerdotii.

[ ℣. 14. *Viduam autem & repudiatam, & sordidam, atque meretricem non accipiet*, ] Per *sordidam*, seu ut alii, *prophanam*, intelligitur ea quæ vitiata est & polluta, quamvis non sit meretrix publica.

*Allegoricè*, Per *Pontificem* figurabatur Christus, qui *duxit virginem*, idest, Ecclesiam, juxta illud Apostoli 2. ad Corinth. 11. *Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo*. Non accepit *viduam & repudiatam*, hoc est Synagogam quæ aliquando Deum pro Sponso habuit, sed propter fornicationem cum idolis, & ob alia deinde peccata, rejecta fuit & viduata: *Nec sordidam & Meretricem*, quia quam in Gentibus meretricem adamavit, ut sibi copularet virginem fecit, fide, spe, & charitate illam exornans, & propinans vinum quod germinat virgines.

[ *Sed puellam de populo suo:* ] Pro *puellam*, in Hebr. & apud 70. est, *Virginem*. *De populo suo*, idest, de populo Judæorum. Neque enim *populus suus* hic accipitur pro familia vel congregatione hominum in eodem loco habitantium, aut pro eadem Tribu, sed ut distinguitur contra *populum alienum*, qui erat populus gentilis. Sacerdoti siquidem summo non erat prohibitum contrahere cum virgine de quacumque Tribu, sed cum Gentili, etiamsi esset conversa ad Judaismum.

[ ℣. 15. *Ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ:* ] Quidam hæc referunt ad omnes personas hucusque Sacerdoti prohibitas, ut scilicet non ducat viduam, repudiatam, sordidam, vel meretricem. Cajetanus & alii probabiliùs interpretantur novum & generale præceptum istis verbis tradi, quo Pontifici jubetur, ne aliquam è vulgo & fæce populi uxorem sibi vel filiis suis accipiat; quod in contemptum & ignominiam dignitatis Sacerdotalis cederet, sed honoratam, & ex illustri familia.

[ *Quia ego Dominus qui sanctifico eum.* ] Qui jubeo illum esse sanctum, & abstinere à contaminatione vulgaris & plebejæ uxoris.

[ ℣. 17. *Loquere ad Aaron:* ] Ad Aaron loqui jubetur Moyses, etiamsi præceptum quod sequitur commune esset Sacerdotibus inferioribus; quoniam summi Sacerdotis erat curare, ne illi qui de genere suo maculati erant, ministrarent.

[ *Homo de semine tuo per familias* ] Per quamcumque familiam à Te, & à posteris tuis descendat. Significatur nullam Sacerdotalium familiarum excipi ab hac lege.

[ *Qui habuerit maculam*, ] Non sumitur hic *macula* sicut Genesis 30. Ubi describitur partitio animalium maculosorum & unicolorium, pro quadam scilicet *colorum varietate*; sed pro *vitio corporis*, sive sit per membri alicujus defectum, sive per deformitatem, aut deformem illius læsionem.

[ *Non offeret panes Deo suo*, ] Quos nimirùm offerre possunt ac debent alii Sacerdotes dum Sacerdotali funguntur officio. Per hanc oblationem panum Sacerdoti vetitam, verisimile est vetari quoque omnem cujuscumque sacrificii oblationem, imò omnes functiones Sacerdotales; habentes enim maculam arcebantur ab Altaribus holocausti & Thymiamatis, à Candelabro, & à mensa propositionis: Ad quod explicandum noster Interpres putatur adjecisse id quod in Textu nostro sequitur, & non est in Hebræo.

[ ℣. 18. *Nec accedet ad ministerium ejus:* ] Ubi nomine *Ministerii* omnis functio Sacerdotalis intelligitur.

[ *Si cæcus fuerit, si claudus*, ] Quia præter deformitatem quæ personam reddit vilem & contemptibilem, verendum erat, ne vinum, oleum, sanguinem intra Crateres contentum effunderet; sed nec victimas commodè jugulare potuisse.

[ *Si parvo, vel grandi, vel torto naso*, ] Pro tribus istis nominibus, Hebræa solùm habent duo, *charum*, & *sarua*; voluntque Cajetanus & Oleaster nihil in Hebræo haberi de Naso. Quibus tamen alii refragantur. Primum enim nomen etsi varias habeat significationes, rectè nihilominùs verti potest, *simus nasum*,

*naſum*, vel, *ſimum habens naſum*, cujus ſcilicet naſus ſit depreſſus, ſeu profundus & brevis. Secundum, ſignificat quidem omne quod excreſcit & ſuperabundat, adeòque etiam retortum & nimis magnum, ſed noſter Interpres illud hoc loco determinavit ad naſum, non ut ſignificaret ea aliis membris nimium excreſcentibus non contrahi maculam & irregularitatem, ſed ut in exemplo naſi, ad quem primum nomen pertinebat, permaneret. Ex quibus intelligi datur illa duo nomina quæ ſunt in Hebræo, complecti omnia quæ ſunt in noſtra verſione. *Ideò autem* qui maculis iſtis affectus eſt reputatur inhabilis ad exercitium Sacerdotii, quoniam reddunt vultum notabiliter deformem.

[ ℣. 19. *Si fracto pede, ſi manu*, ] Quia ejuſmodi ſunt minùs habiles ad munia Sacerdotalia, minùſque decori.

[ ℣. 20. *Si Gibbus*. ] Seu gibboſus ſive in dorſo, ſive in pectore:

[*Si lippus*, ] Hoc eſt, ſi oculos habet tenues ac molles, ex quibus quaſi indeſeſsè fluit humiditas.

[ *Si albuginem habens in oculo*, ] Per *albuginem* intelligitur albedo quædam in oculo, non qualiſcumque, ſed quæ aut viſionem impedit, aut deformitatem inducit.

[*Si jugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore*, ] Differt *impetigo* à *jugi ſcabie*, quòd impetigo ſit quid levius, & quaſi origo ſcabiei. Vide c. ſeq. v. 22.

[*Vel herniosus*. ] Eo enim ipſo quo quis *hernia* laborat, contemptibilis judicatur à vulgaribus. *Obſervandum*, quòd in Sacerdotibus veteris teſtamenti requirebatur magna honeſtas propter reverentiam cultus divini, ne vituperaretur vel contemneretur dum notabiliter deformes aut defectuoſi ſacra peragerent. Sic & in novo Teſtamento Sacerdotes debent honeſti eſſe & non deformes, partim propter ſacrorum Myſteriorum decorem & reverentiam; partim ne horrorem populo incutiant; ſicque fideles ab eis avertantur. Strictiùs tamen olim vitia corporis impediebant Sacerdotes ab officio quàm nunc, quia eorum Officia conſiſtebant in externis cæremoniis, quæ vim nullam habebant interiùs mundandi aut ſanctificandi: Ideoque populus ille cum eſſet protervus & contumax, facilè cultum divinum contempſiſſet, ſi occaſionem habuiſſet videndo Sacerdotes viles, contemptibiles, & deformes: In nova autem Lege ſacrificium & Sacramenta ſunt ſpiritualia, habentque virtutem nos in anima mundandi & ſanctificandi; atque ideò magis curandum eſt ut Sacerdotes noſtri careant vitiis animæ, quàm corporis.

*Juxta Tropologicum*, *Cæcus eſt* qui lucem veritatis intueri non poteſt, ipſum excæcante malitia ejus. *Claudus*, qui in via mandatorum Dei non recto gradu incedit, ex aliqua parte illa ſervans ex alia ſubvertens. De cujuſmodi Pſalmo 17. dicitur; *Filii alieni mentiti ſunt mihi, filii alieni inveterati ſunt, & claudicaverunt à ſemitis ſuis*. Et cùm bonum malumque odorem naſo diſcernamus, *ille eſt parvo naſo*, qui non ſentit ad plenum ea quæ boni ſunt inter fideles odoris, quique contra Apoſtolum 1. ad Corinth. 14. monentem, *Nolite pueri effici ſenſibus*, ut puer imperfectè ſapit ſpiritualia: *Iſte eſt grandi naſo*, qui ſapere vult pluſquàm oportet ſapere, cùm oporteat ſapere ad ſobrietatem ad Rom. 12. *Tortum* autem *habet naſum*, qui bonum odorem dicit malum, & malum bonum; & qui quantò eſt cæteris turpior, tantò eſt iniquior. *Pedem & manum fractam habet*, qui languens inertia, bonum aliquid neque dicit neque facit, aut certè facit negligenter. *Gibboſus eſt*, qui terrena ſolùm reſpicit numquam ſe ad cœleſtium conſiderationem erigens: Sicut avarus, cujus omnis ſpes & deſiderium circa terrena & tranſitoria verſatur. *Lippus intelligitur*, qui videt, prudentiaque valet, ſed à ſuis paſſionibus vincitur, & per eas avocatur ne prudenter judicet, ac ne amplectatur recta quæ cognoſcit. *Albuginem in oculo habet*, qui ſcientia Dei præditus eſt, ſed corrupta, & qui inflatus ſenſu mentis ſuæ aliter docet, nec acquieſcit ſanis ſermonibus. *Qui jugem habet ſcabiem*, ſemper eſt inquietus, laborat & fatigatur, ac interim creſcit ſcabies, & non ſanatur. *Per quem* deſignantur Ambitioſi qui quantò plus huic vitio inſiſtunt, tantò ampliùs inflammantur, laborant, & fatigantur, & magis magiſque inardeſcunt, & tamen ut plurimùm non ſanantur. Unde Chriſtus Matth. 19. *Dives difficile intrabit in regnum cælorum*. Sed quid *per Impetiginem* quæ latenter & quaſi inſenſibiliter creſcens ſubitò loca circumſtantia invadit & occupat, niſi luxuriam intelligimus? Quæ ſi ſaltem per cogitationem cordi inſederit, ſemper creſcens totum hominem corrumpit. Quid verò per *Hernioſos*, niſi Hypocritas, & inanis gloriæ appetitores? Sicut enim illi volunt videri ſine defectu virilitatis, etſi multùm eo laborent; ita iſti, boni videri volunt, non eſſe; & cùm ſint omnium bonorum ſteriles, ſe fœcundiſſimos eſſe jactant. Atque hæc partim ex S. Brunone Herbipolenſi, partim ex aliis. Cum quibus conferri poſſunt quæ habet B. Gregorius p. 2. Paſtoral. c. ult.

[ ℣. 21. *Omnis qui habuerit maculam de ſemine Aaron*, ] Maculam intellige aliquam ex prædictis aut ſimilibus. De qua ſi dubitaretur, eſſetne tanta, ut ſufficeret excludere à functionibus Sacerdotalibus, an tam exigua, ut non ſufficeret; Summi Sacerdotis ſententiæ cum ipſius Concilio ſtandum erat.

[ *Non accedet offerre hoſtias Domino, nec panes Deo ſuo:* ] Per *hoſtias*, intelliguntur quæcumque victimæ: per *panes*, illi qui ſuper menſam propoſitionis ponendi erant ſingulis ſabbatis, ac etiam alii qui per Sacerdotis miniſterium debebant offerri.

[ ℣. 22. *Veſcetur tamen panibus qui offeruntur in Sanctuario*, ] Significatur quòd Sacerdos habens quamplam ex prædictis maculis, ideoque inhabilis ad fungendum officio Sacerdotali, poſſit veſci panibus qui offeruntur in loco *Sancta* vocato, ac per conſequens illis etiam rebus ex victimis, & oblationibus aliis quarum eſus concedebatur cæteris Sacerdotibus, dummodò tamen eſſet legaliter mundus, ita nimirùm, ut nullam contraxerit maculam ex tactu morticini vel alterius rei immundæ, ex pollutione, ex Lepra, &c. Quo modo in nova Lege is qui talem peccati maculam habet, ob quam prohibetur eſſe Sacerdos; de panibus tamen & cibis ſpiritualibus edere poteſt.

[ ℣. 23. *Ita dumtaxat, ut intra velum non ingrediatur*, ] Hoc eſt, non tranſeat velum quod pendet ante *Sancta*, eaque dividit ab *Atrio*. Unde fit conſequens quòd non poſſet ingredi *Sancta*, neque vel panes ſuper menſam propoſitionis ponere, vel lucernas Candelabri accendere, vel thus in Altari Thymiamatis offerre, cùm iſta omnia eſſent in *Sanctis*, & intra velum.

[ *Nec accedat ad Altare*, ] Scilicet Holocauſtorum, ad offerendum in eo ſacrificium. Non enim abſolutè prohibitum ei erat intrare in Atrium in quo erat iſtud Altare, ſed ſolùm ne intraret functurus aliquo munere Sacerdotali.

[ *Quia maculam habet*, ] Quæ ipſum reddit inhabilem ad iſtiuſmodi officia.

[ *Et contaminare non debet Sanctuarium meum*. ] Reddendo illud contemptibile & abjectum. Sicut enim ex eo quòd miniſtrans eſt vilis & deformis ejus miniſteria quodammodò contemnuntur, propter ipſum: Ita locus in quo iſta fiunt, pariter contemneretur, quod eſt ipſum contaminari.

[ ℣. 24. *Locutus eſt ergo Moyſes ad Aaron, & ad filios ejus, & ad omnem Iſrael, cuncta quæ fuerant ſibi imperata*. ] Cùm præcepta in iſto capite tradita propriè ad Aaron & filios ejus ſeu ad Sacerdotes pertineant, *Quare* Moyſes non ſolùm ad illos, ſed ad omnem quoque Iſrael ea locutus eſſe dicitur? *Reſpondeo* cum Abulenſi, quoniam inter illa unum fuit, ut ſummus Sacerdos puellam de populo ſuo in uxorem acciperet, & non commiſceret ſtirpem generis ſui vulgo gentis ſuæ, ſuprà v. 15. ſi autem peteret puellam honorabilem & de illuſtri familia, fieri poterat quòd ei negaretur; ideò oportuit populum intelligere hoc ipſum diſertè à Deo imperatum fuiſſe cum reliquis per Moyſen, cui populus credebat.

CA-

## CAPUT XXII.

*Ab esu sanctificatorum qui abstinere debeant, & quæ debeant offerri.*

[ ℣. 2. LOquere ad Aaron & ad filios ejus, ut caveant ab his quæ consecrata sunt filiorum Israel, ] Pro *caveant*, alii ex Hebræo vertunt, *separent*, id est, abstineant, quando videlicet sunt immundi; ut ex sequenti versu patet, Sensus est: Præmone Aaronem & alios Sacerdotes ut sollicitè attendant, ne quando immundi sunt, comedant ex his quæ sunt Deo sanctificata per filios Israel: Per *consecrata* enim *filiorum Israel*, intelliguntur ea quæ filii Israel offerebant ut per Sacerdotum ministerium immolarentur Deo, sicque consecrabantur & sanctificabantur: Non est autem sermo de Decimis & Primitiis illis quæ dabantur Sacerdotibus ad ipsorum usum, quas ipsi poterant ad res alias sibi necessarias vendere & permutare, & quibus propterea vesci poterant etiam immundi.

[ *Et non contaminent nomen Sanctificatorum mihi*, ] Ne oblatis mihi & sanctificatis nomen impuritatis aspergant, neque faciant ut quæ sancta sunt, utpotè mihi consecrata, habeantur ut polluta & contaminata: Quod fieret, si ab immundis irreverenter, & velut res profanas tractari viderent.

[ ℣. 3. *Dic ad eos, & ad posteros eorum:* ] Moyses non poterat propriè loqui posteà nascituris. Verùm, quod loquebatur præsentibus, censebatur loqui etiam successoribus, quia Lex generaliter utrosque comprehendebat.

[ *Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, & quæ obtulerant filii Israel Domino*, ] De *stirpe vestra*, hoc est, de stirpe Sacerdotali. *Accessus* ad ea quæ consecrata seu sanctificata erant, & à filiis Israel oblata, duplex esse potuit in Sacerdotibus. *Unus* ad ministrandum, *alter* ad comedendum sacras victimas & oblationes. De secundo nunc propriè agitur, & quantùm ad res illas quas edere solis licebat Sacerdotibus.

[ *In quo est immunditia*, ] Qualis versu 4. explicatur, si nimirùm sit leprosus, si patiens fluxum seminis, si tetigerit mortuum vel reptile, aut quodlibet aliud immundum.

[ *Peribit coram Domino.* ] Heb. *Excidetur anima illa à facie mea*; hoc est, à me: Et per *animam*, ipse homo intelligitur; significaturque quòd ista pœna, non per Judicem esset infligenda, sed à Deo, vel in ipso Sanctuario, vel alibi.

*Ex quibus* discere licet, maximum esse peccatum Sacerdotibus novi Testamenti, si ad nostra mysteria quæ sunt veteribus longè sacratiora, immundi accesserint; & metuendum illis divinam vindictam, etiam in hoc sæculo.

[ ℣. 4. *Homo de semine Aaron, qui fuerit leprosus*, ] Quod versu præcedente *generaliter* prohibitum est ne Sacerdotes immundi accederent ad sanctificata, nunc *distinctè* de variis immundorum generibus cavetur; addendo eos qui semel immundi essent, non perpetuò tales censendos aut prohibendos ab esu sanctificatorum, sed quamdiù dumtaxat in immunditia manserint. Unde cùm dicitur; *Qui fuerit leprosus*, non agitur de illo qui aliquando fuit leprosus, nunc autem est mundatus: sed de eo qui in præsenti est leprosus. Ex quo patet etiam Sacerdotes fuisse lepræ obnoxios, & consequenter debuisse subire judicium alterius Sacerdotis, & purificationem lege decretam. Idem accidit Sacerdotibus nostris, ne summo quidem excepto, quia omnes peccamus.

[ *Aut patiens fluxum seminis*, ] In Hebr. non plus dicitur quàm, *vel fluens*; sed ex sequentibus facilè intelligitur, subaudiri, *semine*.

[ *Non vescetur de his quæ sanctificata sunt mihi donec sanetur*, ] Seu mundetur & purificetur. Non enim sanitas hic tantùm Physicè sumi potest, pro recuperata valetudine, vel amota ægritudine, sed etiam legaliter pro expiatione & purificatione præscripta per legem. *Accipitur hic sanari*, ait Abulensis, *non solùm pro sanatione, sed etiam pro emundatione: Nam non poterat immediatè, qui sanabatur, ministrare, sed requirebatur ut prius mundaretur quàm ministraret.* Patet hoc ex sup. cap. 14. ubi postquàm aliquis esset mundatus à lepra, jubetur lavari & radi, & septem diebus manere extra Tabernaculum suum. Postquàm etiam cessasset in aliquo infirmitas fluxus seminis, manendum ei erat per septem dies, totum corpus lavandum, & vestes, ac die octavo offerendum sacrificium, ut mandatur cap. 15.

[ *Qui tetigerit immundum super mortuo*, ] Variè quidam hæc explicant: Sed sensus maximè probabilis quibusdam videtur esse is quem Textus noster innuit, scilicet; Qui tetigerit eum qui factus est immundus ex eo quòd cadaver mortuum tetigit. Ut enim dicunt non solùm ille erat immundus qui tangebat aliquod Cadaver aut morticinum, sed etiam qui sic immundum factum tangeret. Sensum hunc adserunt Oleaster, Cornelius, Marius. Accipiendo tamen præpositionem *super* pro *propter*, sicut Threnor. 2. *Super contritionem filiæ populi mei*, potiùs videtur esse sensus de illo qui factus est immundus occasione mortui, vel propter mortuum, cui scilicet, aut cujus funeri interfuit.

[ *Et ex quo egreditur semen quasi coitus*; ] Sive nimirùm in somno, sive in vigilia: Et significatur quòd ille immundus sit qui seu voluntariè, seu involuntariè polluitur, non tantùm si extra actum matrimonialem, sed etiam si per illum. Vocula, *quasi*, non est in Hebræo, fortè autem ideò est per nostrum Interpretem addita, ut indicaret comprehendi pollutionem involuntariam, in qua videtur potiùs cum restrictione, quàm absolutè, esse semen coitus.

[ ℣. 5. *Et qui tangit reptile*, ] Sive vivum, sive mortuum: Tam enim viventis, quàm mortui reptilis tactus hominem tangentem reddit immundum secundùm ea quæ diximus cap. 5. vers. 2. & cap. 11. vers. 41.

[ *Et quodlibet immundum, cujus tactus est sordidus*, ] Quia sordidum seu immundum facit eum qui illud tangit. Supponit hæc sententia præter reptilia esse quædam sic immunda, ut ea tangentem redderent immundum. De quibus supra cap. 11. & 15.

[ ℣. 6. *Immundus erit usque ad vesperum*, ] Ad hoc tempus præcisè durabat immunditia ejus qui rem immundam tetigisset, sive paulò, sive multò ante solis occasum contraxisset eam immunditiam. Quibusdam tamen aliis casibus immunditiam ex contactu longiori tempore durasse patet ex eod. cap. 15. & ex Num. 19.

[ *Et* ] toto illo tempore quo sic immundus est.

[ *Non vescetur his quæ sanctificata sunt:* ] Seu consecrata, utpotè Deo super Altare oblata, secundùm ea quæ ad v. 2. diximus.

[ *Sed cùm laverit carnem suam aqua*, ] Nimirùm communi: Neque enim de lotione per aquam expiationis quidquam hic dicitur, uti nec de aspersione per eam.

[ ℣. 7. *Et occubuerit sol*, ] In Hebr. *Et ingredietur sol*, occasum videlicet: Nam Hebræi solis *ortum* vocant *egressum*, unde Psalm. 18. sol oriens ita describitur: *Tamquam sponsus procedens de Thalamo suo*; *occasum* autem, vocant *ingressum*.

[ *Tunc mundatus vescetur de Sanctificatis, quia cibus illius est.* ] In Hebr. *Panis illius est*: Sed nomine *panis* quilibet cibus significatur. Et sensus est, quia ad eum tamquàm ad Sacerdotem, pertinet de cibis illis vesci; cùm Deus ita de Sacerdotibus ordinaverit sup. cap. 7. vers. 6. cum aliquot seqq. & cap. 10. vers. 13. & 14.

[ ℣. 8. *Morticinum & captum à Bestia non comedent*, ] Idem toti populo Israelitico præceptum videri potest supra cap. 17. v. 15. & Exod. 22. v. 31. Hic autem peculiariter ad Sacerdotes dicitur. Et ne videatur ad solum Sacerdotem, de quo in singulari numero hactenùs fuit sermo, pertinere; quidam opinantur Interpretem posuisse numerum pluralem, quamvis retinere potuisset

ſet ſingularem, ut indicaret omnibus Hebræis commune eſſe.

[ ℣. 9. *Cuſtodiant præcepta mea, ut non ſubjaceant peccato*; Ne alioquin ſint peccato obnoxii, & propter illud Rei pœnæ. Pro *præcepta mea*, in Hebræo dicitur, *Cuſtodiam meam*: Hoc, eſt quæ cuſtodienda trado præcepta; Hebræi enim non rarò uſurpant *cuſtodiam* pro *re cuſtodita* ſeu *cuſtodienda*.

[ *Et moriantur in Sanctuario*, ] Hebr. *In eo*, ſeu *propter illud*, ſcilicet peccatum quod eſſet, non cuſtodire præcepta hic tradita. Sanctuarii locum Interpres addidit ( ait Lorinus ) quia præcepta tradita pertinebant ad illud in quo ſanctificatas res comedi oportebat, hoc eſt, ad Sanctuarium: Nam *cuſtodia* pro quibus in Textu noſtro eſt *præcepta*, peculiariter fiebant in Sanctuario, & ut ibi fierent, Sacerdotibus commendatæ erant.

[*Compolluerint illud*. ] Ita etiam eſt in Textu Hebræo, juxta quem ſenſus eſt; cùm polluerint præceptum meum, aut, cùm polluerint ſe in eo quod prohibui illis. Interpres noſter retulit ad Sanctuarium, quod cenſetur pollui, quando polluuntur ſeu violantur præcepta ad illud, ſeu ad cultum divinum pertinentia.

[ ℣. 10. *Omnis alienigena non comedet de ſanctificatis*, ] Id eſt, nullus alienigena comedet de illis quæ offeruntur Deo ſuper Altare, vocanturque ob hoc ſanctificata & conſecrata, & quorum pars cedit in uſum Sacerdotis. Per *Alienigenam* non ſolùm hic ſignificatur ille qui de alia natione quàm Judaica, neque qui eſt de alia tribu quàm Levitica: Sed quicumque eſt de alia familia quàm Sacerdotali, etiamſi Judæus, imò & Levita eſſet. Ut enim ſoli Aaroni ejuſque filiis datum eſt Sacerdotium, ita ſoli familiæ Sacerdotali competunt beneficia Sacerdotalia.

] *Inquilinus Sacerdotis & Mercenarius non veſcentur ex eis*. ] Per *Inquilinum* is intelligitur qui habitat in domo Sacerdotis, & neque eſt de ſtirpe, neque de familia ejus, ut ſunt hoſpites qui in ejuſdem domus aliqua parte habitant cum aliquo, ſed diverſam familiam conſtituunt. *Mercenarius* dicitur, qui cùm non ſit de ſtirpe Sacerdotis, ad tempus locat ſuas operas.

[ ℣. 11. *Quem autem Sacerdos emerit, & qui vernaculus domus ejus fuerit, hi comedent ex eis*. ] Ratio eſt, quia cùm ſervus emptus, ac etiam ſervus domi natus ( quod ſignificat *vernaculus* ) toti ſint ſui Domini, & ad ejus familiam pertineant, conveniebat ut de iiſdem cibis veſci poſſent, de quibus veſcebatur ipſa familia. *Obſervat* autem Lorinus hos ſervos ſive emptos, ſive domi natos, non potuiſſe de ſanctificatis comedere, niſi eſſent circumciſi, & Hebræam Religionem profeſſi; quemadmodùm nec eſus Agni Paſchalis permittebatur alienigenæ, niſi eſſet circumciſus, Exod. 12. *Utrùm verò* Iſraelitæ qui non eſſent de familia Sacerdotali, ſed empti erant in ſervos, aut erant vernaculi, poſſent de ſanctificatis comedere, *quæſtio eſt*: Ad quam videtur *affirmativè reſpondendum*: Quia tunc pertinebant ad familiam Sacerdotis; nec videtur ratio id negandi ſervo Hebræo quamvis temporario, quod licebat ſervo Gentili. Quamquàm veriſimile ſit non agi hic de ſervis Hebræis, cùm Hebræi non emerentur nec venderentur in ſervos perpetuos, de cujuſmodi Lex præſens diſponit; neque filii eorum eſſent ſervi domi nati, ſed liberi.

[ ℣. 12. *Si filia Sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit*: ] Hoc eſt, ei qui non ſit de ſtirpe Sacerdotali.

[ *De his quæ ſanctificata ſunt, & de primitiis non veſcetur*. ] Per *Primitias* non ſignificantur hic primi fructus, ſed electa quæque & præſtantiſſima quæ Deo offeruntur & ſanctificantur, ſicut Exod. 25. verſ. 2. Filia Sacerdotis quamdiù habitabat cum Patre in ejus domo, poterat manducare de cibis factis quibus ipſe in domo ſua veſcebatur; ſimiliterque ſi nubebat alicui Sacerdoti: At ſi nubebat alicui non Sacerdoti, non ampliùs poterat de illis edere, quia deſierat eſſe de familia Sacerdotali, & in aliam tranſierat; ſicque privilegia Sacerdotalia amiſerat. Si autem nuberet Sacerdoti, non tantùm in domo viri poterat de illis edere, ſed etiam in domo Patris, cùm veroſimile ſit unum Sacerdotem ad ejuſmodi epulas potuiſſe invitare alium Sacerdotem cum ſua familia. *Quid* de Sacerdotis uxore dicendum, ſi ea non erat priùs de familia Sacerdotali, imò nec de Tribu Levitica? *Reſpondeo* potuiſſe manducare de ſanctificatis quamdiù erat cum ſuo viro; partim quia uxor cenſetur una caro, unaque perſona cum Marito; partim quia talis uxor magis eſt ad familiam Sacerdotali, quam ſervus emptitius & vernaculus, quos potuiſſe de illis manducare verſu 11. expreſſum eſt: Partim quia dedecuiſſet non eſſe in eadem domo cibos viro & uxori communes. Et ob has rationes tam claras, factum putatur, ut de Sacerdotis uxore Legiſlator non expreſſerit, ratus rem ſatis eſſe certam. Cæterùm, ſi accideret quòd uxor Sacerdotis exiret familiam ipſius, veluti ſi Sacerdote mortuo, vel eam repudiante, nuberet non Sacerdoti, nequaquàm de ſacris cibis veſci poterat. Videri poteſt Abulenſis q. 13. ſup. hoc cap. *Quid*, ſi poſt mortem ſui mariti Sacerdotis non nuberet alteri, maneretque vidua in domo viri defuncti? An adhuc poſſet de ſanctificatis edere? *Reſpondeo* non videri, quia non ampliùs eſſet de familia Sacerdotis, etiamſi maneret in ejus domo, cùm domus materialis non faciat familiam, ſed Pater-familias.

[ ℣. 13. *Sin autem vidua, vel repudiata, & abſque liberis reverſa fuerit ad domum Patris ſui: ſicut puella conſueverat, aletur cibis Patris ſui*. ] In Hebr. *De pane Patris ſui*: Sed nomine *panis*, *quivis cibus* intelligitur. Senſus autem eſt, quòd talis filia, ſic in domum Patris reverſa, perinde veſcetur cibis paternis, atque adeò de rebus ſanctificatis, ſicut conſueverat dum eſſet in ætate puellari, & moraretur in ædibus paternis. Dicitur, *abſque liberis reverſa fuerit*; quoniam ſi rediret cum Liberis ex viro non Sacerdote ſuſceptis, non poterat de ſanctificatis edere, cùm non eſſet de familia Patris, ſed de familia Mariti, ſicuti ſui liberi. Et per *liberos*, non intelliguntur præcisè *filii*, ſed *filii*, aut *filiæ*; nam in Hebr. eſt *ſemen*, quod indifferens eſt ad filios & filias, ſicut etiam vox *liberorum*. Illud porrò *abſque liberis reverſa fuerit*, variè intelligi poteſt: Vel enim hunc ſenſum habet, ſi nullis ſuſceptis liberis redierit, ita quòd nullos habuerit, nec etiam nunc habeat liberos. Juxta quem ſenſum manifeſtum eſt, quòd filia Sacerdotis tametſi extraneo nupta, facta vidua vel repudiata, poterat redire in domum Patris, & de ſanctificatis comedere, quia fiebat de familia Patris, perinde ut anteà. Vel ſenſus eſſe poteſt, quòd reverteretur abſque liberis, ita ut quamvis habuiſſet liberos, ipſi tamen eſſent mortui, & ſic in domum Patris redibat ſine liberis. Quomodo dicendum quoque videtur, quòd poſſet de ſanctificatis comedere, quia ſecundùm rei veritatem erat abſque liberis. *Quid autem*, ſi dum revertebatur habebat quidem liberos, non tamen redibat cum illis, ſed eos relinquebat apud Patrem; vel Tutorem? *Probabile eſt*, quòd ſic in domo Patris conſtituta, ac de ipſius familia exiſtens, de iiſdem cibis veſci poſſet.

*Juxta ſenſum Allegoricum*, *Filia Sacerdotis* eſt anima fidelis in Chriſto *Sacerdote magno* regenerata, quæ *ſi alieni de populo nupſerit*, id eſt, Hæretico aut infideli ſe junxerit, ſtatim à ſpiritualibus cibis fit aliena. Sin autem Hæreticorum ſpernat contubernia, & errore relicto, *in domum Patris*; hoc eſt, ad Eccleſiam *redeat*, & *omnes* Hæreticæ pravitatis *filios*, operaque illorum *reliquas*, iterùm *Patris* clementiſſimi *cibis* ſpiritualibus *aletur*.

[ *Omnis alienigena comedendi ex eis non habet poteſtatem*. ] Similis ſententia præceſſit verſu 10. Sed hæc repetitio ad illius confirmationem ſeriamque obſervantiam valet.

[ ℣. 14. *Qui comederit de ſanctificatis per ignorantiam*, ] Loquitur de illo qui ſit alienigena, ſeu non Sacerdos, neque de Sacerdotis familia. Et *per ſanctificata* intelliguntur, ſicut priùs, ea quæ offerebantur Deo ſuper Altare. Dicitur, *per ignorantiam*, quia ſi ſcienter de illis ederet, morte puniendus

dus erat, per Legem Num. 15. ut dictum est sup. cap. 5. vers. 15.

[ *Addet quintam partem cum eo quod comedit*, ] q. d. solvet totum quod comedit, & insuper adjiciet quintam partem illius, ut nimirùm & illatum damnum compenset, & pro offensione, qua re sacra fuit in usum profanum abusus, satisfaciat. Quod ad damni compensationem attinet, benè observat Marius, non fuisse restituendam solam partem comestam, sed totam partem læsam, v. g. qui comederat de armo separationis qui cedebat Sacerdotibus, aut de pectusculo, non erat satis quòd restitueret frustum comestum, ejusque quintam partem; hoc enim fuisset nimis vile: sed debebat ipsum armum restituere, seu valorem ipsius, ac insuper quintam armi partem, & sic de reliquis. Eumdem intellectum videri potest Oleaster innuisse dicens quòd talis tenebatur addere quintam partem, præter valorem rei sanctificatæ. In cap. 5. præter hæc, mandatur oblatio arietis pro peccato in Deum commisso; quæ hic reticetur; sed ex eo loco petenda relinquitur.

[ *Et dabit Sacerdoti in Sanctuarium.* ] Sunt qui nolunt *Sanctuarium* hic accipere pro *loco sancto*, seu *Tabernaculo*, interpretantes quintam illam partem dandam Sacerdoti *in Sanctuarium*, hoc est, *ut sit res Sancta, & Deo consecrata*. Alii retinent communem *Sanctuarii* acceptionem, & dicunt illam quintam partem dandam Sacerdoti *in Sanctuarium*, quoniam dando erat in *usus Sanctuarii*, accipiendo *usus* ad eum modum quem requirit justitia, ut qui serviens Sanctuario passus est damnum & injuriam, horum compensationem & satisfactionem accipiat. Juxta quem sensum, quinta illa pars cedebat Sacerdoti qui damnum passus fuerat. Potest etiam cum Dionysio dici eam partem debuisse dari Sacerdoti *in Sanctuarium*, quia erat deferenda ad atrium Tabernaculi, ac ibi tradenda Sacerdoti cui per illicitam comestionem facta fuerat injuria.

[ ℣. 15. *Nec contaminabunt sanctificata filiorum Israel, quæ offerunt Domino:* ] Sensus esse potest de Sacerdotibus, quibus jubetur ne contaminent ea quæ per filios Israel, ( de quacumque tribu illi sint ) sanctificata sunt & Deo oblata, vel offerendo ea comedenda iis quibus non licet de illis vesci, vel permittendo quòd de illis comedant. Alii referunt ad ipsos comedentes qui neque sunt Sacerdotes, neque de Sacerdotum familia; quibus mandatur ut caveant contaminare sanctificata, de illis comedendo. Quamvis autem ea non contaminarentur secundùm se, per talium comestionem, contaminarentur tamen si manducarentur ab eis quibus non licet, in quantùm per hoc irreverenter tractarentur, & vilia, quasique contemptibilia reputarentur.

[ ℣. 16. *Ne fortè sustineant iniquitatem delicti sui, cùm sanctificata comederint.* Ne forte gravem peccati sui pœnam luant, me graviter ipsos puniente, cùm contra meum præceptum comederint de sanctificatis.

[ ℣. 18. *Homo de domo Israel*, ] Seu de stirpe & posteritate Jacob.

[ *Et de advenis qui habitant apud vos;* ] Hoc est, de proselytis, seu de Gentilibus qui Religionem Israeliticam sunt amplexi.

[ *Qui obtulerit oblationem suam*, ] Qui voluerit offerre Deo sacrificium, per ministerium scilicet Sacerdotum.

[ *Vel vota solvens, vel spontè offerens*, ] Sive hoc faciat ad solvendum vota quæ emisit, & quorum emissione se obligavit, sive ultrò, & sine ulla præcedente obligatione.

[ *Quidquid illud obtulerit in holocaustum Domini*, ] Ad hoc ut fiat illa species sacrificii quæ vocatur holocaustum.

[ ℣. 19. *Ut offeratur per vos*, ] Qui estis Sacerdotes, & ad quos propterea solos pertinet sacrificare. Ex Hebr. alii aliter ista verba reddunt, scilicet: *Ut grati sitis*; aut, *in placationem ero vobis*, ad significandum quòd ut grati sint offerentes, & ut ea quæ offerunt sint Deo accepta & grata, vel etiam ut placetur vobis Deus, servari debeant sequentes conditiones. Oleaster vertit, *ad voluntatem vestram*, ut sensus sit, liberum erit vobis offerre quod vultis, hoc vel illud, modò sit masculus *&c.* Determinantur enim hic conditiones quas in oblatione holocausti servari volebat Deus, quæ sunt, ut animal sit masculum, quod huic sacrificio *peculiare* est, cum in aliis etiam fœmellæ possent sacrificari. Et ut sit sine macula, quod *commune* est omnibus sacrificiis maculam intelligendo non velleris aut coloris, sed corporis: animal enim habens vellus respersum diversis coloribus, poterat offerri in holocaustum, modò tamen careret maculis seu defectibus corporis.

[ *Masculus immaculatus erit ex bobus, & ovibus, & ex capris*, ] Sunt qui tertiam hanc adjiciunt conditionem, ut holocaustum fieri deberet ex uno istorum animalium: sed hæc conditio tum demùm erat necessaria, quando holocaustum erat offerendum ex quadrupedibus, secundùm ea quæ cap. 1. diximus. Alioqui, quòd etiam ex avibus holocausta fierent, eodem illo cap. habetur.

[ ℣. 20. *Si maculam habuerit, non offeretis, neque erit acceptabile*. ] Tale sacrificium non erit gratum: imò erit irritum. Nec hoc satis; sed littereà sic offerens graviter peccabat, & puniri debebat.

[ ℣. 21. *Homo qui obtulerit* ] Seu offerre voluerit.

[ *Victimam pacificorum Domino*, ] De altera specie sacrificii quæ est hostia pro peccato, nihil hic dicitur; cujus ratio videtur esse, quòd de illa in præcedentibus satis actum fuerit cap. 4. 5. 6. non similiter de holocausto, neque de victima pacifica, quorum proinde peculiaris mentio hic facienda fuit.

[ *Vel vota solvens, vel spontè offerens*, ] Seu vi voti constrictus, seu absque ulla obligatione.

[ *Tam de bobus quàm de ovibus*, De istis animalibus offerri poterat hostia pacifica, sicut & de capris, quemadmodùm ex cap. 3. constat; ideoque sub ovibus comprehenduntur capræ, secundùm ea quæ ad cap. 5. v. 3. notavimus.

[ ℣. 22. *Si cæcum fuerit, si fractum*, ] Describuntur maculæ seu defectus, qui si essent in animali, non poterat offerri in sacrificium: non quòd ejusmodi animalis caro mala sit vel immunda, sed propter honestatem; inhonestum enim videbatur, Deo qui perfectus est, super altare offerre animalia defectuosa, & imperfecta: unde duces terreni tales oblationes recusarent, aut saltem gratas non haberent, Domino sic Malach. 1. dicente. *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonnè malum est? Et si offeratis claudum & languidum, nonnè malum est? Offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperis faciem tuam.* Sub illo, *si cæcum fuerit*, non tantùm intelligitur, si utroque oculo fuerit orbatum, sed etiam si vel altero; nam animal uno orbatum oculo notabilem habebat maculam seu defectum, ideoque non erat idoneum ut immolaretur. Per illud, *si fractum*, intelligitur animal quod vel pedes, vel lumbos habet fractos, vel aliam corporis partem notabilem. Sub quo proinde comprehendi videtur id quod hic subticetur, sed exprimitur Deuteron. 15. *Vel claudum, aut in aliqua parte deforme, vel debile*, conformiter iis quæ ex Malach. 1. suprà retulimus.

[ *Si cicatricem habens*, ] Hoc est, si ex vestigio vulneris aut plagæ, etiam sanatæ, notabilem habens deformitatem. Si quod autem animal haberet cicatricem, sed obductam, vel lana tectam, & absque deformitate, non propter hoc desinebat esse aptum immolationi.

[ *Si papulas, aut scabiem, aut impetiginem:* ] Pro *papulas*, alii *verrucas* reddunt, eodem tamen sensu: quia significantur carnis elevationes & pustulæ, seu tuberculæ, quæ ex malignorum humorum abundantia, solent animalibus innasci. *Impetigo* est quædam fœdatio carnis, serpens cum pruritu, quam aliqui scabiem siccam vocant.

[ ℣. 23. *Bovem & ovem aure & cauda amputatis, voluntariè offerre potes, votum autem ex iis solvi non potest.* Hæc videntur contrariari superioribus, ubi non tantùm de *vota solvente*, sed etiam de *sponte offerente* jus-

juſſum fuit ut offerat animal immaculatum ſeu ſine vitio & deſectu, atque ut eſt in Hebr. *integrum*. Sed *Reſpondeo*, hic tantùm permitti ut bos & ovis aure & cauda amputatis ſponte offeratur Sacerdoti, qui eos poſſet vel in ſuos uſus convertere, vel vendere, & ipſorum pretium impendere aut in ſacrificia, aut in neceſſitates Tabernaculi ſeu Templi, non verò votum ſolvere, hoc eſt, ſacrificium ex voto debitum offerre. Hunc ſenſum ex Rabbi Salom. adſert Liran.

*Moraliter*, datur intelligi quòd illi non ſunt ad Religionem idonei *qui ſunt cæci*, id eſt, qui carent induſtria: *Qui ſunt fracti*, ſeu impotentes ad Religionis onera perferenda: qui cicatricem habent, hoc eſt, notam infamiæ ex crimine admiſſo: Et *qui papulas, aut ſcabiem, aut impetiginem*, per quos deſignantur qui murmurationibus aut detractionibus dediti ſunt, carniſque petulantiam vel avaritiam ſectantur. *Per defectum auris* rebellio & inobedientia ſignificatur; *per caudæ defectum*, defectum perſeverantiæ. Et qui laborant iſtis defectibus, ad aliqua poſſunt eſſe utiles, non tamen offerendi ſunt Deo per votum Religionis.

[ ℣. 24. *Omne animal quod vel contritis, vel tuſis, vel ſectis ablatiſque teſticulis eſt, non offeretis Domino*, ] Per quod ſignificatur illos qui ſunt impotentes ad generandum in Eccleſia filios ſpirituales, non eſſe in ea promovendos.

[ ℣. 25. *De manu alienigenæ non offeretis panes Deo veſtro, & quidquid aliud dare voluerit*: ] *Alienigenæ* hic intelliguntur gentiles, & incircumciſi de Religione Judaica nihil participantes: & ſignificatur quòd Sacerdotes neque panem neque aliud quidquam Deo immediatè offerendum de manu eorum accipere poterant. Cujus ratio mox ſequitur.

[ *Quia corrupta, & maculata ſunt omnia*: ] Sive, quia gentiles, utpotè Idolorum cultores & incircumciſi, ſunt immundi; ac proinde omnis eorum oblatio haberi debet tamquàm immunda. Hia non obſtat quòd Seleucus Aſiæ Rex de redditibus ſuis præſtaret omnes ſumptus ad miniſterium ſacrificiorum pertinentes. 2. Machab. 3. Etſi enim vetitum eſſet ſuſcipere ab alienigenis immediatè ſacrificia & oblationes, non erat tamen prohibitum pecunias ab iiſdem accipere quibus emerentur victimæ ad ſacrificia etiam pro ipſis alienigenis offerenda. Quapropter per illud, *& quidquid aliud dare voluerit*, Sacerdotes non prohibentur accipere pecuniam & alia ejuſmodi, ſed ea tantùm quæ in propria ſpecie apponebantur ſuper altare. Sed neque obſtat atteſtante Joſepho lib. 2. de Bello Judaico cap. 17. morem apud Judæos fuiſſe, ut Cæſaris & aliorum Romanorum hoſtias & munera ſuſciperent, adeò ut, quia morem iſtum Sacerdotes quidam abolere volebant, magni fuerint excitati tumultus: loquitur enim de hoſtiis quæ de Romanorum pecuniis & aliis donis comparabantur, ac deinde pro ipſis offerebantur, non autem de illis quæ in propria ſpecie acciperentur à Romanis, & ſuper altare ponerentur.

[ ℣. 27. *Bos, ovis, & capra, cùm genita fuerint, ſeptem diebus erunt ſub ubere Matris ſuæ*: ] Cum enim iſta pecora recens nata non ſint apta eſui propter nimiam ſuam teneritudinem & immaturitatem, non decet ea tunc offerri Deo in ſacrificium.

[ *Die autem octavo, & deinceps offerri poterunt Domino*. ] Confer quæ diximus Exod. 22. v. 30.

[ ℣. 28. *Sive illa bos, ſive ovis, non immolabuntur uno die cum fœtibus ſuis*. ] In Heb. eſt vox quæ ad ovem & capram communis eſt, nec dubium, caprinum quoque genus hic comprehendi. Præcepti hujus ratio eſt, ut Judæi ad crudelitatem proclives exercerentur & inſtruerentur circa humanitatem: ad quamdam enim crudelitatem pertinere videtur, Matrem cum fœtu ſimul occidere.

[ ℣. 30. *Eodem die comedetis eam*, ] Sicut c. 7. v. 15. expoſuimus.

[ ℣. 32. *Ne polluatis nomen meum Sanctum*, ] Ne per mandatorum meorum tranſgreſſionem, & per veſtram inobedientiam ſitis cauſa vel occaſio quòd gentes nomen meum, ſeu Me blaſphement.

[ *Ut ſanctificer in medio filiorum Iſrael*. ] Ut omnes me Sanctum habeant & honorent, videntes ſacra per me inſtituta Sanctè obſervari, meoſque miniſtros præceptis meis eſſe obedientes.

[ *Ego Dominus qui ſanctifico vos*, ] Qui jubeo vos eſſe Sanctos.

## CAPUT XXIII.

*Solemnitates Sabbati, Paſchæ, Primitiarum, Hebdomadarum, Miſſis, Tubarum, Expiationis, ac Tabernaculorum, & quibus ritibus peragi debeant.*

[ ℣. 2. HÆ *ſunt feriæ Domini*, ] Hæc ſunt feſta à Deo inſtituta quibus ab omni opere ſervili vacandum eſt, & divino cultui intendendum.

[ *Quas vocabitis Sanctas*. ] Quæ vobis erunt Sanctæ. Ex Heb. alii vertunt: *Quas vocabitis convocationes aut conventus ſanctitatis*; quia ſcilicet in illis feriis populus convocabatur & conveniebat ad audiendam legem, ad ſacrificia & ad preces, atque ad ſanctitatem Deo exhibendam. *Feriarum* quoque nomine uti ſolet Eccleſia ad cujuſque ſeptimanæ dies deſignandos, ſicut enim Gentiles nuncupare ſolebant dies à planetis, quaſi unus ex eis cuilibet diei dominaretur, dicendo diem ſolis, Lunæ, Martis *&c.* pro quo Judæi dicebant prima Sabbati, ſecunda, tertia, quarta Sabbati: Ita Chriſtiani ſuos dies vocant Feriam ſecundam, tertiam, quartam *&c.* ad ſignificandum partim quòd ipſi debent quotidiè feriari, ſeu ceſſare à vitiis; partim quòd Clericos decet, abjecta rerum ſæcularium cura, quotidiè uni Deo prorsùs vacare. *Perantiquam* porrò eſſe hanc Chriſtianorum conſuetudinem, ex S. Sylveſtri vita conſtat, in qua legitur quòd *Sabbati & Dominici diei nomine retento, reliquos hebdomadæ dies feriarum nomine diſtinctos, ut jam ante in Eccleſia vocari cœperunt, appellari voluit*. Qua de re plura diximus 2. 2. quæſt. 89. art. 3. eumque loquendi morem ad Apoſtolorum tempora reduximus. *Quoad feſta Judæorum*, obſervandum eſt illa fuiſſe *Octo* à Deo inſtituta, ſcilicet: *Sabbati, Paſchæ, Pentecoſtes, Tubarum, expiationes, Tabernaculorum, Cœtus*, ſive *Collectæ* & *Neomeniæ*. Quibus poſteà ex diverſis occaſionibus Judæi addiderunt quatuor feſta, videlicet: *Diem ſortium* tempore Mardochæi, Eſther, *Encæniorum*, ſeu *Dedicationis altaris*, 1. Machab. 4. *Diem ignis è Cœlo recepti*, 2. Machab. 7. & 2. Machab. ult. In novo Teſtamento, nullum eſt feſtum à Chriſto ipſo inſtitutum, ſed omnia ſunt ab Apoſtolis Apoſtolorumque ſucceſſoribus conſtituta. Cujus diverſitatis rationem quidam hanc adſerunt, quòd cùm Iſraelitæ eſſent rudes, nec haberent cæremonias peculiares Deum colendi, neque vidiſſent ſpeciales dies divino cultui deputatos, periculum erat quòd nullos deputarent, ſi Deus eos non inſtituiſſet. Quoniam verò Apoſtoli, virique Apoſtolici tum Hebræorum exemplo eruditi, tum Spiritu Sancto repleti, tum maxima ad Eccleſiam gubernandam poteſtate à Chriſto præditi, facilè intelligebant neceſſarium eſſe certa tempora determinari, quibus Deus peculiariter coleretur ab omnibus Chriſtianis, nullum ſuberat ejuſmodi periculum. Adde, feſtos dies in lege veteri fuiſſe inſtituendos, per quos certa futurarum rerum, putà Redemptionis & Salvationis noſtræ, ſignificarentur; quæ etiam ab illis qui populo præerant valdè obſcurè cognoſcebantur: *Omnia* enim *in figura contingebant illis*. 1. ad Corinth. 10. & *Lex* illa *umbram habebat futurorum*. Ad Hebr. 10. Opus ergo erat authoritate divina ad hujuſmodi feſtorum inſtitutionem. Feſta verò Chriſtianorum ferè continent commemorationem præteritorum beneficiorum ac myſteriorum Redemptionis noſtræ, ut Chriſti Nativitatis, Paſſionis, Reſurrectionis, Miſſionis Spiritus Sancti: quæ cùm in Eccleſia ſint notiſſima, & præſertim præfectis ipſius, facilè ab iis inſtitui potuerunt dies feſti, nec opus quòd à Deo immediatè inſtituerentur.

[ ℣. 3. *Sex diebus facietis opus*: ] Liberum vobis eſt, quæcumque opera habetis facienda, ea in ſex die-

bus

bus septimanæ facere: quod intellige, nisi intra hos dies occurrat aliqua solemnitas, ob quam à servilibus operibus sit abstinendum.

[ *Dies septimus, quia Sabbati requies est*, ] Ex Hebræo alii legunt: *Requies requiei*, quasi diceretur, *maxima requies*; quamquàm (id quod Cajetanus & Marzilla notant, verisimile sit fieri respectum ad quietem Dei, hoc aut simili sensu: quia est Symbolum vel commemoratio requiei qua Deus requievit die septimo ab universo opere quod patrarat. Genes. 2.

[ *Vocabitur Sanctus*. ] Hoc est, erit Sanctus, divino scilicet cultui deputatus, ita frequenter *vocari* pro *esse* ponitur, ut Isa. 9. *Vocabitur nomen ejus admirabilis*, pro, *erit admirabilis*. Matth. 1. *Vocabunt nomen ejus Emmanuel*, id est, *erit verus Emmanuel*: Ad Rom. 9. *Vocabo non plebem meam, plebem meam*, q. d. Gentiles qui hactenus non fuerunt plebs mea, erunt deinceps plebs mea, quia erunt Christiani.

[ *Omne opus non facietis in eo*. ] Hoc est, nullum omninò opus; non tantùm servile, sed nec quale in festis aliis facere poterant, quemadmodùm supra c. 16. v. 29. dictum est, conformiter ad quæ. c. 20. Exodi fuerunt notata.

[ *Sabbatum Domini est* ] Quia Dominus in prima rerum creatione die septimo requievit; cumque diem elegit quo Israelitæ deberent in ipsius honorem quiescere:

[ *In cunctis habitationibus vestris*. ] Quod propterea additur, quia in suis quidem ædibus omnes abstinere debebant ab operibus servilibus, & ab aliis in Sabbatho prohibitis: at in Sanctuario seu in Templo, non similiter; cùm ibi Sacerdotes & Levitæ possent juxta cujusque officium animalia mactare, excoriare, secare, ligna comportare, ignem struere, igni carnes cremandas imponere, liba coquere, & alia hujusmodi opera facere, quæ secundùm se servilia sunt, & quæ si extra Sanctuarium, & alia quàm sacrificii occasione facerent in Sabbato, reverà Sabbatum violassent, ac graviter peccassent; sed quoniam ibi, & ea occasione faciebant, nequaquàm peccabant: Christus Matth. 12. *Non legistis in lege, quia Sabbatis Sacerdotes in Templo Sabbatum violant*, nimirùm materialiter, *& sine crimine sunt*.

[ ℣. 4. *Hæ sunt ergo Feriæ Domini Sanctæ*, ] Istæ sunt festivitates in Dei honorem observandæ. Vocula *ergo*, quæ nec in Hebr. nec apud 70. reperitur, non videtur hic vim illationis habere, sed potiùs idem valet, quòd *autem*.

[ *Quas celebrare debetis temporibus suis*. ] Unamquamque statuto ad illam tempore. Sabbatum quidem, ut singulis septimanis recurrebat, ita septimanis singulis erat celebrandum: at quæ deinceps sequuntur in præsenti capite, tantùm semel per annum erant celebranda, recurrente scilicet tempore ad hoc determinato.

[ ℣. 5. *Mense primo quarta decima die mensis ad vesperum, Phase Domini est*: ] Paschæ festum est, Domino dicatum, & à transitu ejus sic vocatum. Quod festum incipiet decima quarta die lunari, seu decima quarta lunatione mensis primi ad vesperam, nimirùm posteriorem, quæ claudet diem decimum quartum, & incipiet decimum quintum. Multa de hoc festo diximus ad cap. 12. Exod. quæ ibi videantur.

[ ℣. 6. *Et quinta decima die mensis hujus, solemnitas azymorum Domini est*. ] Dies azymorum incipiebant simul cum Paschate, scilicet decima quarta die mensis primi ad illam vesperam quæ erat initium diei decimæ quintæ: neque enim per diem decimam quartam, & per diem decimam quintam notantur duo diversi dies integri; sed solùm significatur quòd festum tam Paschæ quàm azymorum incohabatur decima quarta die; idque non manè, quasi totus dies esset festus, sed vespere quando incipiebat dies decimus quintus qui totus erat festus, & dicebatur solemnitas, ac etiam primus dies azymorum: quoniam vespera præcedens pertinebat ad hunc diem tamquàm ejus principium, juxta computationem sacrorum dierum, quamvis alioquin juxta civilem computationem pertineret ad diem decimum quartum, velut ejus vespera & finis.

[ *Septem diebus azyma comedetis*.] Initio à secunda vespera diei decimæ quartæ facto. Plura vide ad v. 15. c. 12. lib. Exod.

[ ℣. 7. *Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque*: ] Hoc est, valdè celebris, atque (ut Exod. 12. vers. 16. legitur) solemnis; & Sanctus, utpotè divino cultui dicatus, & segregatus ab aliis diebus quibus licebat opera servilia facere, ideò enim additur.

[ *Omne opus servile non facietis in eo*: ] Hebræa & Græca tam hic quàm v. 3. non habent *In eo*: ex proximè tamen præcedentibus satis intelligitur.

[ *Sed offeretis sacrificium in igne Domino septem diebus*. ] Pro, *sacrificium in igne*, unicum est in Hebræo vocabulum quod Græcè redditur *holocautoma*, vel, *holocaustum*, idemque valet quòd *totum combustum*. Hoc tamen loco extendi debet ad quodlibet sacrificium quod per ignem conficiebatur, sive tota victima combureretur, sive tantùm ejus pars: Nam cap. 28. Num. ubi recensentur sacrificia per septem dies azymorum offerenda, recensetur sacrificium pro peccato, quod non comburebatur totum, sed aliqua ejus pars cedebat Sacerdoti.

[ *Dies autem septimus erit celebrior & sanctior*: ] Id est, valdè celebris & valdè Sanctus: ista enim comparativa sumuntur pro positivis, sicut etiam superlativus v. 7. positus. Nam in Hebr. ut & apud 70. non reperitur alius gradus quàm positivus. Exodi quoque 12. sine gradu comparativo vel superlativo de diebus azymorum dicitur: *Dies prima erit Sancta atque solemnis; & dies septima eadem festivitate venerabilis*: Quoniam tam in una quàm in altera, pariter abstinendum erat ab opere servili. Ex septem ergo diebus azymorum, soli primus & septimus erant propriè festi, cùm in reliquis quinque intermediis operari possent & laborare.

[ ℣. 10. *Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis*, ] Terram scilicet Chanaan, quæ quòd patribus eorum, atque etiam ipsis promissa esset, vocari solet *terra promissionis*. Ex hac temporis nota colligere est Israelitas neque ad hanc, ad similes cæremonias fuisse obligatos toto suæ peregrinationis per desertum tempore.

[ *Et messueritis segetem*, ] Seu, ut alii reddunt, *Messem*. Quod non ita est accipiendum, quasi tota seges deberet esse demessa, cùm nec temporis qualitas id pateretur; nec messis fieri poruerit ante istam, de qua hic agitur, manipuli oblationem. Sed sensus est, *cum messueritis*, id est, *cùm parata segete ad metendum*, *metere volueritis*; initium enim Messis fiebat ab hac spicarum defectione: unde Deuteron. 16. iste dies vocatur dies qua falx in segetem mittitur.

[ *Feretis manipulos spicarum, primitias Messis vestræ, ad Sacerdotem*: ] In Hebr. non habetur, *spicarum*; & pro *manipulos*, legitur, *homer* vel, *gomor*, quod etsi sit genus mensuræ de qua Exod. 16. significat tamen etiam manipulum, quo modo manifestè accipitur Deuteron. 24. vers. 19. ac etiam hoc loco: Ubi cùm dicitur, *manipulos plurale* pro *singulari*, quod in Hebr. est, positum videtur; nam & in Textu nostro semel iterumque *singulariter* hoc ipso capite legitur. Est autem *manipulus* primaria sua notione, fasciculus herbarum quem quis manu potest apprehendere; unde mox sequitur: [ *Elevabit fasciculum*. ] Præceptum porrò offerendi manipulum spicarum non sic est accipiendum, quasi familiæ singulæ deberent unum offerre; cùm nimis difficile, imò impossibile foret, ut tam citò & uno eodemque die omnes, etiam qui longissimè distabant ab Jerusalem, unum spicarum manipulum afferrent: Sed universitati incumbebat curare, ut eo die offerretur aliquis manipulus spicarum: Id quod facilè poterat fieri, seligendo spicas maturiores ex uno vel pluribus agris non admodùm ab urbe Jerosolyma remotis; quemadmodùm & apud nos quorumdam agrorum segetes visuntur maturescere ante segetes aliorum. Etsi autem universitatis populi esset curare manipulum offerri, non est tamen du-

dubium, quin plures Messis suæ primitias Deo offerre cupientes suos ex devotione afferrent manipulos. Ex quibus omnibus Sacerdos unum quem vellet accipiebat, & coram Domino elevabat, & sic oblatum torrebat igni & siccabat, siccatum excutiebat, granaque excussa confringebat seu comminuebat, & ex farina sic comminuta, imposito simul thure & oleo, partem accipiebat quam cremabat, & Deo adolebat juxta hujus lib. cap. 2. Reliqui verò manipuli spicarum, earumque grana & farina, cedebant in jus & usum Sacerdotum. Addit Abulensis, quòd cùm populares offerrent manipulos suos Domino, & unius manipulus cremaretur, non similiter aliorum; non ex hoc alter alteri invidebat, quia cùm omnes manipuli essent oblati Domino, omnes æqualiter pertinebant ad Dominum; & quòd unus elevaretur, & adoleretur, non faciebat oblationem acceptabiliorem in uno quàm in alio. Ne cui autem vel incredibile, vel impossibile videatur, quòd mense primo, qui respondet nostro partim Martio, partim Aprili, offerri posset novarum spicarum manipulus; sciendum est quòd in calidis regionibus, cujusmodi est Palæstina, citiùs est æstas quàm in his partibus, & grana citiùs maturescunt; Unde Exod. 13. Mensis primus vocatur *mensis novarum frugum*. Ex Jos. 3. ubi de Jordanis transitu (qui primo mense contigit) sermo est, dicitur quòd Jordanis ripas alvei sui tempore Messis impleverat. Cap. etiam 5. quòd eodem mense comederunt de frugibus terræ Chanaam, azymos panes, & polentam ejusdem anni. Unde liquet non fuisse Judæis difficile habere in diebus azymorum manipulum spicarum præsertim hordei, ut quidam verba præsentis capitis restringunt, ex eo quòd primitiæ Messis triticeæ demùm offerrentur in Pentecoste, juxta illud Exod. 34. *Solemnitatem hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum Messis tuæ triticeæ*. Quamquàm hac restrictione non sit opus, cùm etiam tritici spicæ possent mense primo hinc inde ex variis agris colligi, & in Pentecoste non esset offerendus manipulus spicarum tritici pro primitiis, sed panes ex novo tritico confecti. Confer quæ ad cap. 23. Exod. notavimus. Quapropter quod hic de manipulo spicarum scribitur, absolutè est accipiendum, sive de tritici spicis, & non de solius hordei.

[ ℣. 11. *Qui elevabit fasciculum coram Domino*, ] Ex variis manipulis qui aliquando plures, aliquando pauciores erant, pro devotione offerentium, Sacerdos unum quem volebat assumens, eum elevabat sursum ac deorsum movendo ad dextram & sinistram, antè & retro: Ut hoc pacto significaretur quòd Deus cui oblatio ista fiebat, est Dominus totius mundi & omnium plagarum ejus. Sic autem elevando manipulum, sanctificabat seu consecrabat eum Deo, adjunctis præsertim tostione spicarum, confractione, olei infusione, & thure, ut supra diximus. *Coram Domino*: Id est, ante Altare holocaustorum, ubi Deo fiebant specialia ministeria, & Deus specialiter erat.

[ *Ut acceptabile sit pro vobis*, ] Ut Deo sit acceptum pro vobis omnibus, seu, pro universo populo; Nomine enim totius populi, ac pro toto populo offerebat Sacerdos eum manipulum quem ex omnibus eligebat.

[ *Altero die sabbati*, ] Hoc est, postridiè Paschatis, secundo videlicet die azymorum qui erat decimus sextus dies lunaris primi mensis: Isto enim die oblationem manipuli spicarum fieri debuisse Interpretes consentiunt. Quare in his verbis, *Altero die Sabbati*, per *Sabbatum* non designatur dies septimus Septimanæ, sed *festum Pascha*, juxta morem Sacræ Scripturæ familiarem, quo *festa* sæpè vocantur *Sabbata*, proptereà quòd in illis esset quiescendum, & ab opere servili cessandum.

[ ℣. 12. *Atque in eodem die quo manipulus consecratur, cædetur Agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domini*. ] Q. d. Eodem secundo die Azymorum, quo manipulus offeretur, simul in holocaustum immolabitur Agnus qui sit integer & absque defectu, & qui ab octavo die non excedat annum. Quod intelligendum est præter Agnos qui quotidiè debebant immolari, unus manè, alter vesperi, & præter septem Agnos qui in diebus Azymorum quotidie offerebantur juxta legem num. 28.

[ ℣. 13. *Et libamenta offerentur cum eo*, ] Per *libamenta* intelliguntur ea quæ simul cum hostia seu victima solebant offerri, scilicet panis, aut similia, vinum, oleum, thus, & sal.

[ *Duæ decimæ similæ* ] Seu, duo gomor farinæ selectæ & delicatæ.

[ *Conspersæ oleo*, ] Sicut si conspergeretur aqua ad faciendum panem.

[ *In incensum Domini*, ] Ut incendatur in honorem Domini, pars nimirùm ejus. Cùm enim illæ decimæ erant oblatæ Domino ad incendendum, Sacerdos pugillum inde accipiebat, quod cum oleo ac thure cremaretur super Altare, reliquum autem manebat pro ipso.

[ *Odoremque suavissimum*: ] Ut sicut odor suavissimus solet esse valdè gratus homini, ita hæc oblatio sit Deo valdè grata.

[ *Liba quoque vini, quarta pars hin*. ] Per *Liba*, intelliguntur libamina quæ erant de liquidis, & significatur quòd cum Agno deberet offerri vini quarta pars mensuræ hin. Dicit autem Liranus quòd quantitas hujus mensuræ, & aliarum quæ sunt in Scriptura, nobis est incerta; quia mensuræ liquidorum & aridorum multùm variantur secundùm varietatem locorum & temporum. De oleo nihil hic dicitur, quia cùm ista Libamenta essent quædam appendix sacrificiorum, quod de uno exprimitur, de reliquis etiam est intelligendum; eademque olei mensura adhibenda erat quæ vini, secundùm quod Num. 15. semper eadem mensura olei & vini quibusque sacrificiis adjungi præscribitur. Ista porrò libamenta in Dei honorem absumebantur; simila quidem oleo conspersa, hoc est pugillus istius similæ, ignis crematione; vinum autem effundebatur super Altare, inter Altaris limbum & craticulam.

[ ℣. 14. *Panem & polentam & pultes non comedetis ex segete, usque ad diem qua offeretis ex ea Deo vestro*. ] Manipulum videlicet jam ante nominatum, qui tamquàm primitiæ novarum segetum erat offerendus, priusquàm de novis segetibus cibus pararetur. *Panes* dicuntur, qui facti sunt ex farina redacta in pastam: *Polenta*, erat cibus ex granis ad ignem tostis vel frixis: *Pultes* vocantur cibus liquidus ex farina confectus & coctus. Pro, *Pultes*, alii ex Hebræo vertunt *spicas*: Sed intelligunt spicas tusas, in farinam atque in pultem deductas, & sic in idem redit. Quoniam verò hæc tria verantur antequàm primitiæ sint oblatæ, Abulensis meritò censet non futurum contra hanc legem, si quis spicas virides vellerer & comederet sine alia paratione; quia non prohibetur granorum excussorum comestio, sed præparatio in modum cibi.

[ *Præceptum est sempiternum in generationibus, cunctisque habitaculis vestris*. ] Non significatur quòd præceptum istud de manipulo primitiarum semper sit duraturum in singulis domibus, cum, ut supra diximus, non singulæ familiæ essent ad illud obligatæ: Sed sensus est, præceptum hoc semper servandum esse, nimirùm ab universitate populi, quamdiù status Reipublicæ ipsorum durabit: Ita ut eorum posteri, ubicumque habitaverint, ad hoc sint obligati. Et quamvis singuli non obligarentur ad istius manipuli oblationem, omnes tamen & singuli manebant obligati, non edere panem, polentam, aut pultes de novis frugibus, nisi priùs facta esset oblatio manipuli.

[ ℣. 15. *Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas*, ] In Hebr. est. *Septem sabbata consummata*; accipiturque *Sabbatum* pro *septimana*, sicut Joan. 20. *una*, seu prima, *sabbati*, idest, *prima die* septimanæ.

[ ℣. 16. *Usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ; id est, quinquaginta dies*: ] De Festo Pentecostes sermo est; præscribiturque ut septem hebdomades dierum numerentur à die oblati manipuli spicarum, sive à secundo die azymorum, qui erat decimus sextus dies primi mensis, usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ: Id est usque ad diem

qui

qui sequitur immediatè expletionem hebdomadæ septimæ; qui omnes simul conficiunt dies quinquaginta. Nam septem septimanæ faciunt dies quadraginta novem, & dies posteà proximè illos subsequens erat dies quinquagesimus, eratque ipse dies ac festum Pentecostes, quæ sic dicta est, à numero dierum quinquaginta: *Pentecoste* enim idem valet quod *quinquagesima*: Ab hebdomadis autem, de quibus jam dictum est, idem festum vocabatur *Festum Hebdomadarum*. Deuter. 16. Institutum autem fuit hoc festum in memoriam Legis populo Israelitico datæ in Monte Sinai: Datam enim fuisse die quinquagesimo ab egressu istius populi de Ægypto, communis est B. Hieronymi Epistola 127. Mansione 12. & aliorum sententia, de qua ad c. 19. Exod. diximus. Sed *Difficultas est*, quomodò supputandi sint prædicti dies à die oblati manipuli, utrùm *inclusivè*, an *exclusivè*? Siquidem verba Scripturæ & modus loquendi utrumque sensum admittunt. Si tamen supputatio fiat a die oblationis manipuli, sive à secundo die azymorum *inclusivè*, eo anno quo Christus est passus, Pentecoste non inciderit in diem Dominicum, sed in Sabbatum. Nam à Sabbato *inclusivè* in quem diem isto anno cadebat oblatio manipuli, numerando quinquaginta dies, quinquagesimus etiam inciderit in Sabbatum. Ut ergo communiorem sequamur sententiam quæ dicit anno Passionis Christi, Pentecosten incidisse in diem Dominicum, ac die Dominico Spiritum Sanctum descendisse in Apostolos, melius est dies illos supputare à secundo die azymorum, atque à die oblationis manipuli *exclusivè*: Ita ut cùm dicitur, *ab altero die Sabbati quo obtulistis manipulum primitiarum*, idem valeat, ac post alterum diem Sabbati, sive, post secundum diem azymorum quo obtulistis manipulum. His consentiunt Lorinus, Malus, & alii.

[ *Et sic offeretis sacrificium novum Domino*, Pro, *Sacrificium*, in Hebr. est *Mincha*, significatque oblationem panum: Ut confirmari potest tum ex sequentibus, tum ex epitheto *novi*, sacrificium enim de animalibus, cùm esset quotidianum, non vocaretur *novum*, sed *novum* dicitur quod de novis maturisque segetibus fieri debebat. Impropriè autem hic sumitur sacrificium, cùm sermo sit de offerendis panibus fermentatis; non posset autem quidquam fermentatum offerri Deo in sacrificium, Lege ita statuente supra cap. 2. *Omnis oblatio qua offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domino.*

[ ℣. 17. *Ex omnibus habitaculis vestris panes Primitiarum duos* ] Scilicet offeretis. Isti panes in Heb. vocantur *panes elevationis*, quia elevabantur coram Domino, quasi præsentarentur illi. Quidam existimant hos panes primitiarum offerri debuisse in Pentecoste ab omnibus saltem illis qui agros sativos habebant. Alii tamen probabiliter censent non majorem esse causam obligationis offerendi istos panes, quàm offerendi manipulum spicarum; suffecisseque quòd nomine Communitatis tunc offerrentur duo panes, & ex numero plurium, qui forsan essent spontè oblati duo deligerentur, qui elevarentur coram Domino. Ita Lorinus & Marius. *Confirmatur*. Ea quæ subjiciuntur de offerendo cum panibus septem Agnos, vitulum, & arietes duos, & hircum, non debent ad singulos vel Judæos vel Judæorum Patres-familias referri, ergo nec ea quæ dicuntur de duobus panibus: Omnia enim ista eodem tenore dicuntur; neque est in Textu quidpiam, quod requirat unum aliter intelligi quàm alterum. Nam quod opponi posset, hic dici; *ex omnibus habitaculis vestris*, simile dictum habemus de manipulo v. 14. sensusque legitimus reddi potest iste, quòd ex omnibus habitaculis simul, offerri debuerint duo panes: Id quod fiebat eo ipso quo Communitatis nomine offerebantur. Opponi fortè posset, quòd oportebat unumquemque aliquid offerre, nec apparere vacuum in festo Paschæ, Pentecostes, & Tabernaculorum, quemadmodùm legitur Deuteron. 16. At præscriptum non erat quid & quantum offerre deberent; Ibi namque additur: *Offeret unusquisque secundum quod habuerit, juxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei.*

[ *De duabus decimis* ] Seu mensuris quæ *Gomer* vocabantur.

[ *Simila fermentata, quos coquetis in primitias Domini:* ] Ex his cessare potest quorumdam admiratio: Quomodò hic jubentur offerri panes fermentati, cùm cap. 2. fermentum generali lege sit exclusum ab oblatione sacrificii. Clarè siquidem hic innuitur istos panes esse offerendos, non super Altare in sacrificium, sed in primitias, atque ut posteà sequitur, in usum Sacerdotis. Cap. autem 2. expressis verbis de fermento ac melle dicitur; *Primitias tantum eorum offeretis ac munera: Super Altare vero non imponentur.*

[ ℣. 18. *Offeretisque cum panibus septem Agnos immaculatos anniculos, & vitulum de armento unum, & arietes duos,* ] Non jubentur hæc singulis, sed Communitati; ita ut ex sumptu publico ista omnia deberent offerri.

[ *Et erunt in holocaustum* ] Tota videlicet comburentur super Altare, sicut proprium est illi speciei sacrificii, quæ dicitur holocaustum. Concurrebant autem & aliæ duæ species sacrificii, scilicet, victima pacifica, & pro peccato, ut statim sequitur.

[ *Cum libamentis suis,* ] In Heb. *Cum suo Mincha & libamine:* Ac proinde per *libamenta* hic intelligitur quidquid offerebatur cum victima: nimirùm, farina, oleum, vinum, Thus, & Sal.

[ ℣. 19. *Facietis & hircum pro peccato,* ] *Facietis,* id est, *sacrificabitis:* Quomodo etiam apud profanos Scriptores subinde accipitur verbum *facere*. Pro *hircum*, in Hebr. est *hircum caprarum*, hoc est, tenerum & novellum, qui Matrem adhuc sequitur, secundùm ea quæ hujus Lib. cap. 4. diximus. Cùm cap. illo 4. præscribatur offerri vitulus pro peccato multitudinis, *Quæritur*, Quomodò hic jubetur offerri hircus pro peccato, utique multitudinis? *Respondeo* hic sermonem esse de sacrificio pro peccato multitudinis incerto & indeterminato, quo modo hircus poterat esse hostia pro peccato illius. At cap. 4. agitur de sacrificio pro certo aliquo peccato quod intelligeretur fuisse commissum à multitudine.

[ *Duosque Agnos anniculos hostias pacificorum.* ] Licèt non exprimatur quòd deberent esse immaculati, seu integri & sine corporis defectu, subaudiri tamen debet ex generali regula de non offerenda hostia nisi immaculata, sup. cap. 22.

[ ℣. 20. *Cumque elevaverit eos Sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino,* ] Seu coram Altari holocaustorum, ubi Deus peculiari modo erat. Pronomen *Eos*, refert Agnos, non tamen vivos & integros, sed cæsos, & more hostiarum dissectos: Non enim viventes & integri vituli elevabantur cum panibus, sed partes eorum & quidem illa elevatione de qua v. 11. diximus.

[ *Cedent in usum ejus.* ] Exceptis videlicet illis partibus quæ in honorem Dei cremandæ erant. Ex hostia enim pacifica, una pars debebat cedere Deo; alia Sacerdoti offerenti: Et tertia ei pro quo offerebatur. Quoniam verò in præsenti hostiarum pacificarum oblatione non erant aliqui particulares offerentes, sed Sacerdos pro universa populi multitudine eas offerebat, nihil distribuebatur illis pro quibus fiebat oblatio, sed loco ipsorum Sacerdos Officium faciens accipiebat eam partem simul cum ea quæ ordinariè ipsi cedebat. Pro his verbis, *Cedent in usum ejus*, nempè Sacerdotis, alii ex Hebr. sic legunt; *Sanctitas*, seu Sancta, *erunt Domino, Sacerdoti*. Quasi diceretur, Sanctificata erunt Domino, sic ut ejus Ministro seu Sacerdoti cedere debeant.

[ ℣. 21. *Et vocabitis hunc diem, celeberrimum, atque sanctissimam:* ] Hoc est, iste dies, nimirùm *Pentecostes*, erit vobis valdè celebris & festus, ita ut ab omni opere servili tunc cessare oporteat. Et valdè sanctus, quia Deo ejusque cultui & sacrificiis dicatus.

*Pro sensu Mystico*, Observandum quòd sicut *Pascha Judæorum* fuit figura *Paschatis Christianorum*, Apostolo 1. ad Corint. 5. scribente, *Pascha nostrum immolatus est Christus: Itaque epulemur non in fermento veteri neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis*; Ita manipulum seu *fasciculum spi-*

*spicarum*, qui statim post Pascha offerebatur, convenire Christo, qui etiam fasciculus myrrhæ vocatur, propter Passionis amaritudinem, & *botrus cypri* propter Resurrectionis dulcedinem. *Pentecoste* quoque *Judæorum* significavit *Pentecosten Christianorum*, qua lex nova promulgari cœpit, & quando Apostoli ceperunt *metere* Regiones jam albas ad messem, ac *offerre Deo duos panes primitiarum* ex duobus populis, Judæo & Gentili. Tunc quoque *immolati sunt Deo* Martyres, partim *Agni*, id est, innocentes; partim *arietes*, id est. Doctores & Principes Ecclesiæ; partim *vituli*, qui olim in sæculo fuerant petulantes; partim *hirci*, qui nimirùm in sordibus & fœtore peccatorum ante vixerant.

[ ℣. 22. *Postquàm autem messueritis segetem terræ vestræ*, ] Hoc est, postquàm statueritis, seu volueritis metere; in Hebræo enim sonat, *in metendo*, sive, cùm meteris, *non secabitis eam usque ad solum*. Non prorsùs eam demetetis, ita ut nihil omninò ejus relinquatis. Cætera videri possunt explicata cap. 19. quæ tamen hic repetuntur, partim quia præcessit sermo demessionis spicarum & segetis; partim quia Hebræi valdè erant duri præsertim in pauperes, ideoque inculcandum eis fuit, ne nimis exactè & sollicitè cuncta demeterent, nihil relinquentes in usum pauperum.

[ ℣. 24. *Mense septimo prima die mensis, erit vobis Sabbatum memoriale, clangentibus tubis*, ] Hoc est quartum Festum scilicet *Tubarum*, quod celebrabatur die prima mensis septimi, qui (saltem ex parte) respondet nostro Septembri, & vocari solet *Tisri*. Erat igitur hoc die duplex festum. Primum, *Neomeniæ*; seu *Novilunii*. Nam Hebræi mensem inchoabant à Novilunio, ita ut primus dies cujusque Mensis esset *Novilunium*, Secundum, *Tubarum*; sic dictum à clangore Tubarum qui eo die edebatur Jerosolymis, & verisimiliter in aliis quoque urbibus. Quemadmodùm verò tunc erat festum duplex, ita duplicia erant offerenda sacrificia, ea videlicet quæ festo Tubarum erant pro propria: & quæ in Neomenia fuere præscripta. ut patet ex Num. 29. vers. 2. cum aliquot seqq. Institutionis hujus festi rationem non pauci adferunt, ut esset in memoriam liberationis Isaac, quando Abraham voluit eum immolare, & pro eo surrogatus fuit Aries Genes. 22. Unde & tubis arietinis vel corneis clangere tunc solebant. Alii istam; ut celebraretur memoria clangoris quo perstrepuit mons Sinai, quando in illo data fuit lex. Aut in commemorationem excidii urbis Jericho quod buccinis clangentibus accidit, Josue 6. Ut quemadmodum Pascha celebrabatur in memoriam egressus de Ægypto, ita festum hoc fieret in memoriam ingressus in terram promissionis, & rei illius admirandæ quæ tunc contigit. Nec refert rem illam admirandam nondum fuisse, quando festum hoc instituebatur, quia satis est quòd fuerit priusquàm celebraretur, & quòd esset à Deo prævisa. Ubi nos habemus, *prima die mensis*, Hebræa dicunt, *una die mensis*, *unamque* accipiunt pro *prima* sicut Genes. 1. *Factumque est vesperè & manè dies unus*, seu *primus*. *Sabbatum* non sumitur hic pro *die septimo*, cùm prima dies mensis septimi non posset semper cadere in Sabbatum: Uti nec aliorum mensium primus dies, sed pro *quiete* seu *festo*, in quo esset ab opere servili quiescendum. Quod additur, *Memoriale*, non est epithetum *Sabbati*, neque construendum cum *Sabbato*; sed cum *clangentibus tubis*, ut idem valeat cum eo quod 70. habent, *Memoriale tubarum*, vel ut alii, *Memoriale clangoris*: Unde Numeror. 29. istud festum vocatur *dies clangoris & tubarum*. Memoriale porrò dicitur, quod aliquid in memoriam revocat, ac proinde *Memoriale clangoris & tubarum* intelligi potest, quod liberationem Isaac, & ea quæ supra diximus revocabat in memoriam. Sed prætereà erat *Recordatio Dei*, quia Deus juxta imperfectum modum nostrum loquendi recordabatur ut sicut eripuerat Isaac à morte, & destruxerat urbem Jericho, ita populum Hebræum à mortis periculis liberaret, & hostium vires frangeret.

[ *Et vocabitur sanctum*. ] Illud Sabbatum seu festum erit sanctum, utpotè Deo, ejusque cultui dicatum, atque, ut sequitur.

[ ℣. 25. *Omne opus servile non facietis in eo*, ] Uti nec in aliis Sabbatis, seu festis.

[ *Et offeretis holocaustum Domino*. ] Sub hoc comprehenduntur omnia sacrificia, quæ isto die erant offerenda, & specificantur Num. 29.

*Septimus mensis* designat tempus gratiæ, quo septem spiritus Dei in omnem terram missi sunt Apoc. 5. & *Sonitus Tubarum* qui lætitiam & hilaritatem præ se ferebat, figura erat lætitiæ futuræ in conversione Gentilium quando Apostolis clangentibus seu prædicantibus ad Christi Ecclesiam aggregandi erant.

[ ℣. 27. *Decimo die mensis hujus septimi dies expiationum erit celeberrimus*, ] Quintum est hoc Festum; vocaturque *Expiationis* vel *Propitiationis*, quia in eo fiebat expiatio ab omnibus peccatis toto anno commissis, sive à Sacerdotibus, sive à populo, per eas videlicet cæremonias quæ superiori capite 16. fuerunt expositæ, ubi etiam declaravimus qua occasione & qua ex causa institutum fuerit hoc festum.

[ *Affligetisque animas vestras* ] Seu vos ipsos.

[ *In eo*, ] Nihil videlicet comedentes, nec bibentes.

[ *Et offeretis holocaustum Domino*. ] De quo videndum istud caput Lib. Numer. vers. 7. cum seqq.

[ ℣. 28. *Omne opus servile non facietis in tempore diei hujus*: Omitti potuit epithetum *servile*, quod neque hic, neque Num. 29. vers. 7. est in Hebræo, & quod ab Interprete nostro omittitur hic versibus 30. & 31. in eadem omninò sententia, uti & supra cap. 16. vers. 29. Isychius quoque & Abulensis in suo Commentario eamdem vocem hic omittunt. Nec irrationabiliter, quia quantùm ad cessationem ab operibus, festum expiationis non differebat à Sabbato, sed in utroque abstinendum erat non solùm ab opere servili, sed etiam ab aliis quæ in festis reliquis permittebantur, ut sunt cibos coquere, ignem accendere, aquam haurire, de quibus supra cap. 16. Neque his oppositum sentire dicendi sunt qui ad *opus* adjiciunt *servile*; Ista enim adjectione non significant opera pro victu parando potuisse exerceri, sed tantùm quòd opera servilia essent prohibita: Quod verissimum est.

[ *Quia dies propitiationis est*. ] In quo à cibo & potu, ac per consequens ab eorum paratione est abstinendum.

[ ℣. 29. *Omnis anima quæ afflicta non fuerit*, ] Quæ non jejunaverit.

[ *Die hac, peribit de populis suis*: ] Deo ultionem inferente, morietur.

[ ℣. 32. *Sabbatum requietionis est*, ] Festum est, & maxima requies in quo videlicet quiescendum est ab omni opere, etiam non servili.

[ *Et affligetis animas vestras die nono mensis*: ] à vespera nimirum diei noni, seu quæ diem nonum claudit, usque ad vesperam diei decimi: Unde seq.

[ *A vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbata* ] Id est, Festa.

[ *Vestra*. ] Puta ab occasu diei unius, usque ad occasum alterius: Quomodò etiam Ecclesia Christiana, quoad Officium Ecclesiasticum sua festa celebrat à vespera in vesperam, etsi populo indicantur observanda à media nocte ad mediam noctem. Quærit Abulensis quomodò ista consistant, quòd unus idemque dies esset Sabbatum requietionis, & quòd in eo Judæi deberent affligere animas suas, cùm afflictio repugnet quieti? Respondet autem quòd si *quies* accipiatur pro *delectatione*, ita ut is dicatur *quiescere* qui *delectatur*, sic *affligere animas*, & *quiescere* repugnant. Si autem *quies* sumatur pro *vacatione à laboribus*, seu *operibus laboriosis*, cujusmodi sunt opera servilia, & quædam alia, tam in Festo Expiationis, quàm in Sabbato prohibita, *quies* non repugnat *afflictioni animarum*, seu *hominum*, ei præsertim quæ fit per jejunium. Et hoc modo Judæi in Festo Expiationis quiescebant, quia nihil operis agebant, & animas suas, seu seipsos affligebant; quia nul-

nullum cibum capiebant, imò ut verisimile est, nec potum.

[ ℣. 34. *A quinto decimo die mensis hujus septimi erunt feriæ Tabernaculorum septem diebus Domino.* ] Sextum est hoc festum, quod à figendis Tabernaculis græcè dicitur *Scenopegia*, Latinè autem vocatur *Festum Tabernaculorum*, institutum in memoriam & gratiarum actionem, quòd Deus annis quadraginta protexit Hebræos in deserto habitantes in Tabernaculis nocte ac die. Quam rationem ita exprimit Textus noster v. 43. *Ut discant posteri vestri quòd in Tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cùm educerem eos de terra Ægypti.* Quare in deserto non fuit à Judæis celebratum hoc festum, cùm ibi res ipsa ageretur, in cujus memoriam posteà illud observarunt in terra Chanan. Durabat hoc festum per septem dies; non sic tamen quasi omnes essent festi, & in omnibus abstinendum esset ab opere servili (hac enim ratione solus primus erat festus) sed omnes illi dies peragendi erant festivè seu hilariter cum sacrificiis quæ specificantur Num. 29. & Conviviis, de quibus Deuteron. 16. & in Tabernaculis. Construi autem debebant ista Tabernacula sub dio; & tum in urbe ipsa Jerusalem, ad quam omnes masculini sexus convenire tunc oportebat, sicut in Pascha & Pentecoste, ut eodem cap. 16. Deuteron. exprimitur, fieri poterant; tum in vicinia, sive in plateis, sive in domorum atriis, hortis & domatibus, ut ex 2. Esdræ 8. habemus: Ubi per domata intelliguntur tecta plana, cujusmodi solebant esse in Palæstina, in quibus & dormire, & ambulare licebat. Ad constructionem porrò suorum Tabernaculorum utebantur Judæi lignis seu palis, eisque addebant pelles, lintea, ramos & similia.

*Hoc festo* significabatur peregrinatio fidelium in hoc mundo, in quo ambulant in virtutibus proficiendo, ait B. Th. 1. 2. q. 102. art. 4. ad 10.

[ ℣. 35. *Dies primus vocabitur celeberrimus atque Sanctissimus:* ] Non sunt in Heb. superlativi: Sensus autem est, quòd dies primus erit valdè celebris & sanctus, id quod verbis proximè sequentibus ita declaratur.

[ *Omne opus servile non facietis in eo.* ] Quod cum de sequentibus diebus non dicatur, ne quidem de septimo, propterea diximus non oportuisse in illis ab opere servili abstinere, sed tantùm in primo. Septem verò dies assignantur huic festo, sicut & Festo Azymorum, quoniam in his commemoratur id quod multis diebus factum est, septenario autem numero universitas denotatur, universumque tempus septem dierum spatio volvitur, quo finito succedet solemnitatis perpetuæ dies octava. Non ergo fuerunt octo dies festivitatis Tabernaculorum, sed septem dumtaxat, etsi non desint qui octo numerent, eo quòd octavus proximè sequebatur illam festivitatem. At reverà ille octavus ad præcedentem festivitatem non pertinebat, unde in eo non manebant in Tabernaculis sicut in septem præcedentibus, sed liberè ab eis exibant.

[ ℣. 36. *Et septem diebus offeretis holocausta Domino.* ] Ac etiam illa sacrificia quæ sub holocausto tamquàm sub præcipua specie continentur, de quibus Numer. 29.

[ *Dies quoque octavus erit celeberrimus atque sanctissimus.* ] Qui tamen non comparatur cum præcedentibus tamquam unum festum componentibus, sed erat novo festo dicatus qui vocatur Festum *Cœtus & Collectæ*, & in quo non similiter offerebantur sacrificia, sicut diebus præcedentibus, sed numero longè minore.

[ *Est enim Cœtus atque Collecta:* ] Hoc est festum septimum, quod cur ita sit appellatum, rationes variæ solent adferri. *Una est*, Quòd incideret in tempus collectionis frugum: Sed ex Scriptura constat festum *Scenopegiæ* celebrari solitum post fruges collectas; quare ergo illud non potius fuit dictum Collecta? *Altera*, quòd eo die colligeretur pecunia pro sacrificiis ordinariis, quæ per totum annum offerenda, & pro aliis ad cultum Dei necessariis: Sed hoc non significat *Cœtus*, qui magis populi collectionem denotat. *Alia ergo*, eaque probabilissima est, quam explicat Ribera Lib. 5. de Templo cap. 15. Quia in hoc die Judæi, relictis Tabernaculis in quibus per septem dies habitaverant, simul omnes in Tabernaculum, sive in Templum conveniebant, gratias Deo solemnibus sacrificiis relaturi, quòd post longam 40. annorum peregrinationem, & in Tabernaculis habitationem, tandem in terram promissam omnes Tribus salvæ venissent. Atque ideò post septem dies Tabernaculorum conveniebant, quibus annos peregrinationis testabantur, & *Cœtus*, sive *Collecta* dicebatur, quòd omnes simul congregarentur. *Confirmatur*. Voa Hebræa significat *Cœtum & Congregationem populi*, neque ulla est necessitas interpretandi de *Collectione pecuniæ*; cùm ex donis variis quæ a Judæis undequaque mittebantur, atque ex dimidio sicli quod juxta Legem Exod. 30. pendebatur, abundè suppeterent quæ ad usum Templi erant necessaria. Meliùs ergo est exponere, diem *Cœtus & Collectæ* dictum fuisse, quia eo die populus debebat colligi, & adunari ad vacandum rebus divinis. Unde ferè semper additur; *omne opus servile non facietis in eo*, & Paraphrasis Chaldaica sic habet: *Collecti eritis ad celebrandum festivitatem*. Sed & quod 2. Paralipom. 7. de Salomone legitur, *Fecitque die octavo collectam*, convenientissimè intelligi potest, quòd populum per domos & Tabernacula dispersum adunaverit, & in Templum collegerit; sic enim ratio subsequens locum habebit, *Eò quòd dedicasset Altare septem diebus, & solemnitatem celebrasset diebus septem*; Non videbitur autem habere locum, si de collecta pecuniæ sit sermo, cùm Salomon esset opulentissimus & liberalissimus. Deinde, statim sequitur quòd die vigesimo tertio Mensis septimi, sive, ut ex 3. Reg. 8. patet, die octavo, dimisit populos, utique congregatos, seu collectos, ad Tabernacula sua lætantes atque gaudentes.

*B. Thomas* dicto art. 4. ad 10. scribit quidem quòd in Festo Cœtus atque Collectæ, *colligebantur à populo ea quæ erant necessaria ad expensas cultus divini*: Sed addit, *& significabatur adunatio populi, & pax præstita in Terra promissionis*. Mysticum quoque sensum posteà eaplicans, *per Festum*, inquit, *Cœtus atque Collectæ significatur Congregatio fidelium in Regno Cœlorum*. Igitur, etiam ex mente B. Thomæ, Festum Cœtus & Collectæ sic dictum est, propterea quòd populus tunc colligeretur & congregaretur, quamvis nihil vetet aliquam quoque pecuniæ collectionem eodem die esse factam.

[ ℣. 37. *Hæ sunt Feriæ Domini, quas vocabitis celeberrimas atque sanctissimas,* ] Hæc sunt Festa in Dei honorem ab ipso instituta, scilicet, *Sabbati, Paschæ, Pentecostes, Tubarum, Expiationis, Tabernaculorum*, & *Cœtus*, sive *Collectæ*, quæ vobis erunt valdè celebria & sancta: Omittitur hic festum Octavum quod ad versum 2. hujus cap. diximus esse *Neomeniæ*, seu *Novilunii & Calendarum*, & de quo plura dicuntur Nu. 28. Ideò verisimiliter, quia non erat simpliciter & absolutè festum, sed tantùm secundùm quid: Non enim ex præcepto divino abstinere debebant ab opere servili, sicut in festis propriè dictis, sed ratione specialium sacrificiorum quæ Deus tunc offerri jubebat, dies aliquo modo festus erat ac sacer.

[ *Offeretisque in eis oblationes Domino, holocausta & libamenta juxta ritum uniuscujusque diei:* ] Sub *holocaustis* comprehenduntur aliæ species Sacrificiorum, *pacificorum* videlicet & *pro peccato*, quæ pro festorum diversitate diversa debebant offerri, juxta Leges Num. 28. & 29. ac etiam hoc cap. præscriptas.

[ ℣. 38. *Exceptis Sabbatis Domini, donisque vestris, & quæ offeretis ex voto, vel quæ spontè tribuetis Domino.* ] *Sabbata* sumuntur hoc loco pro diebus in qualibet hebdomada septimis, & vocantur *Sabbata Domini*, quia Domino dicata, & ab ipsomet Domino instituta. Sensus autem est; illa sacrificia quæ pro singulis festis determinata sunt, in iis offerri debent, præter sacrificia quæ quibusque Sabbatis offerri jubentur, quæ sunt; duorum Agnorum manè, & duorum Agnorum vesperi Num. 28. & præter dona ac vota vestra; id est, præter victimas quas spontè vel ex voto offeretis. Quod porrò hic de Sabbatis statuitur pariter accipiendum est de aliis hebdomadæ diebus, ut dum in eos caderet aliquod festum, præter peculiaria istius festi sacrificia, juge sacrificium unius

Agni manè, & unius vesperi, numquàm omitteretur, sicut nec omittebantur sacrificia Neomeniarum, quamvis in eas aliquod aliud festum incideret.

[ ℣. 39. *A quintodecimo ergo die Mensis septimi ;* ] Initium faciendo à vespera diei decimi quarti, juxta legem de Festis à vespera in vesperam celebrandis.

[ *Quando congregaveritis omnes fructus terræ vestræ,* ] Non solùm segetes, sed fructus quoque vinearum, arborum, & hujusmodi.

[ *Celebrabitis ferias Domini septem diebus.* ] Sermo est de feriis, seu festis Tabernaculorum, & præter rationem institutionis eorum, de qua diximus ad versum 34. indicatur alia, quòd scilicet instituta fuerint ad agendas Deo gratias pro frugibus & fructibus eo anno collectis.

[ *Die primo & die octavo erit Sabbatum, id est requies.* ] Ista verba, *Id est requies*, neque sunt in Hebræo, neque apud 70. Putantur ab Interprete addita esse ad innuendum quòd nomen *Sabbati* non sumitur hic pro *die septimo*, sed pro re per Sabbatum significata, id est, pro *quiete ;* significatur enim quòd tum in primo, tum in octavo die esset ab opere servili quiescendum sicut vers. 36. exprimitur. Hic autem dies *octavus* non intelligitur *octavus Festi Tabernaculorum*, cùm illud festum septenario dierum numero clauderetur, sed *octavus* dicitur, etsi alteri festo dicatus, quia proximè sequebatur diem septimum Tabernaculorum.

[ ℣. 40. *Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ,* ] Non agitur hic de fructibus vel ramis qui usurpabantur ad construenda Tabernacula ( nam hæc pridiè esse oportebat, ne alioqui opera servilia deberent ipso festo die facere ) sed de illis quos manibus gestarent, partim Sacrificiorum tempore, partim dum gaudentes & lætantes saltabant in Sanctuario. Etsi verò jubeantur sumere fructus & ramos primo die festi Tabernaculorum, non est tamen existimandum, id quod quibusdam visum est, Judæos tantùm primo die debuisse illos gestare, sed per septem continuos dies eos gestare debebant, quoniam ut sequenti versu habetur, debebant solemnitatem celebrare septem diebus. Per arborem pulcherrimam, *citram*, & per fructus ejus *mala citrea* communiter intelligunt B. Thomas 1. 2. quæst. 102. artic. 4. ad 10. Ribera lib. 5. de Templo cap. 14. & hujus capitis interpretes. Aliàs etiam vocantur *mala persica*, vel *medica*, quòd ex Persia & Media olim sint in Italiam advecta. Quod ergo B. Hieron. in caput 14. Zachariæ scripsit, arborem pulcherrimam in Levitico à Judæis intelligi *Cedrum*, nequaquàm intelligit eam *Cedrum* quæ est arbor excelsa & præstans quæ plerumque hoc nomine significari solet, sed eam quam Latini *Citram* vocant : quod ex Dioscoride lib. 1. cap. 131. ubi de malis loquens ait : *Ea quæ Medica dicuntur, aut Persica, aut Cedromela, Latinè autem Citria, omnibus nota :* confirmat Ribera, additque *Cedromela* dici, quasi *mala cedri*.

[ *Spatulasque* ] seu ramos [ *palmarum, Et ramos ligni* ] seu arboris [ *densarum frondium,* ] id est myrti, [ *Et salices de torrente.* ] Jubentur manibus tenere ramos quatuor arborum jam nominatarum, ut recordarentur se de sterili solitudine in terram feracem & rivis ( id enim indicant salices de torrente ) ac optimis arboribus abundantem translatos fuisse. Propterea arbores pulchræ & optimæ assumuntur, ut citrus, & palma, & myrtus, & juxta rivos nascentes salices. In quibus *Citrus & Myrtus* odoris boni sunt, *Salices* verò & *Palmæ*, pulchræ & humidæ, diuque virorem servant. Observandum porrò, quòd cùm legimus fructus arboris esse sumendos, fructus cum ramis quibus inest, sit accipiendus ; & quod quidam ad salices addunt ramos agni casti, sic est accipiendum, ut per *agnum* intelligatur *arbor* quæ sit eadem cum *salice*. Vide Plinium lib. 24. cap. 9.

*Moraliter*. Festum Scenopegiæ seu Tabernaculorum *celebrabatur à decima quinta die mensis septimi, quando luna decrescit*, quia qui in tempore gratiæ, per septimum mensem significato, volunt peregrinando proficere, debent cognoscere res hujus mundi esse caducas & defectibiles, ut in illis non inhæreant per affectum, sed ad cœlestes aspirent. *Septem diebus agebatur*, quoniam tota vita nostra Deo dicanda est, & semper aspirandum ad bona æterna. *Offerebantur Deo holocausta*, ut indicaretur quòd dum vivimus, nos totos tradere oportet Deo. *Fructus arboris pulcherrimæ*, id est, *citri*, qui colore aurum referunt, sumimus, si non quæ nostra sunt, sed quæ JESU Christi quæramus, & operibus charitatis, quæ virtutum omnium pulcherrima est, abundemus. *Spatula palmarum* victoriam indicant, sicut de Sanctis victoribus scriptum est Apoc. 7. *Et palmæ in manibus eorum*. Tunc enim gloriosè vincimus, quando sic peregrinamur in hoc sæculo, ut conversatio nostra sit in Cœlis ad Philip. 3. *Ramos ligni densarum frondium* quod pulchrum est & humidum, designat virtutum densitatem semper in virore suo permanentium. *Ramos salicis*, quæ diu virorem retinet, nec illis septem diebus arescit, sumimus, si firmitatem animi non marcescentem, sed semper in felici virtutum statu perseverantem tenemus. *Quæ de torrente sumitur*, si crebrò in lege Domini meditamur. *Qui enim in lege ejus meditatur die ac nocte, erit tamquàm lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*. Psal. 1.

[ *Et lætabimini coram Domino Deo vestro :* ] q. d. Istos ramos & fructus ex eis dependentes manibus gestando saltabitis in Sanctuario, ubi Dominus quodam singulari modo esse censebatur, sic gaudium & exultationem ostendentes. Ex quibus intelligere est, Judæos non semper mansisse in suis Tabernaculis spatio septem dierum solemnitatis ; sed ita in illis habitasse, sicut aliquis in domo sua habitare dicitur, in qua comedit, dormit, & manet quando opus est, quamvis inde exeat ad Templum, vel etiam ad visendos amicos.

[ ℣. 41. *Celebrabitisque solemnitatem ejus septem diebus per annum.* ] Alii ex Hebræo reddunt. *Et tripudiabitis illud tripudium Domino &c.* Per quæ significatur partem illius solemnitatis fuisse saltare & tripudiare in honorem Dei, Ramos videlicet ac fructus quos manibus gestabant sursum elevando, & deorsum deprimendo, in omnesque loci differentias movendo, sicut vers. 11. diximus de fasciculo spicarum. Solitos fuisse Hebræos in suis solemnitatibus saltare & tripudiare, liquet ex cap. 32. Exodi, ex Judic. 21. ex 2. Regum 6.

[ ℣. 42. *Omnis, qui de genere est Israel, manebit in Tabernaculis :* ] Sunt qui legem hanc nolunt pertinere ad proselytos. Sed quoniam decuit ascitos in numerum Judæorum, aliasque Religionis Judaicæ cæremonias observantes, imò debitores universæ legis faciendæ ad Galat. 5. in celebrandis festis rationem ac finem sequi propter quem sunt instituta, & vetera beneficia recolere olim concessa populo cui adjuncti sunt ; verosimilius est, sub principalioribus, & quibus lex primò & per se data est, comprehendi conversos ad Judaismum, qui denominationem desumerent à prioribus, & cum illis unum populum Israeliticum constituerent.

[ ℣. 44. *Locutusque est Moyses super solemnitatibus Domini ad filios Israel.* ] Hoc est, retulit filiis Israel præcepta quæ à Deo acceperat de festis per annum celebrandis.

## CAPUT XXIV.

*Ritus concinnandarum lucernarum, panum propositionis ; pœna blasphemorum ac talionis.*

[ ℣. 2. P*Ræcipe filiis Israel ; ut afferant tibi oleum de olivis.* ] Exodi 27. diximus hæc verba rectè de præcepto propriè dicto intelligi, etsi quidam aliter opinentur, eo argumento moti quòd oleum ad luminaria concinnanda numeretur ejusdem libri cap. 25. inter primitias ultrò offerendas : Quia præceptum non dirigitur ad singulos filiorum Israel, imò nec determinatè ad aliquos, sed ad ipsam communitatem ; ad quam,

eorum status & Respublica : Tum quòd isti panes & materiæ ipsorum subministratio ; esset symbolum quoddam fœderis perpetui inter Deum & ipsos initi.

[ ℣. 9. *Eruntque Aaron & filiorum ejus, ut comedant eos in loco Sancto* : ] Seu in atrio Tabernaculi. Pertinebant hi panes ad omnes Sacerdotes, sive idonei essent ad sacrificandum, sive propter aliquam maculam essent inidonei ; nam & hos illis vesci potuisse ea super cap. 21. vers. 22. liquet Quoniam porrò dum numerus Sacerdotum fuit notabiliter auctus, panes isti duodecim non poterant in singulos eorum distribui, verisimile est quòd postquàm Sacerdotes fuerunt in viginti quatuor sortes divisi, 1. Paralip. 24. quarum quælibet sua septimana vice ministerii obibat in Tabernaculo, unaquæque sors acciperet ac inter se distribueret panes suæ septimanæ. Et priusquàm facta esset illa sortium divisio, similis aliquis modus inibatur ad panes illos distribuendum inter Sacerdotes. *Si quæras*, quinam possent de his panibus comedere ? Resp. quòd soli Sacerdotes eorumque filii, prout Textus noster indicat, atque adeò nec Sacerdotum uxores, nec filiæ, quemadmodùm de simila consecrata superiùs cap. 6. dictum est quòd mares tantùm stirpis Aaron comederent illam, conformiter his quæ Num. 18. leguntur. *Confirmatur*. Christus ipse Matth. 12. asserit quòd panes propositionis non liceret edere, nisi solis Sacerdotibus : Igitur eorum uxores aut filiæ non poterant eos edere. Neque verosimiliter excludendi sunt ipsorum filii, quoniam illi tametsi adhuc pueri, poterant comprehendi sub nomine Scerdotum, eò quòd essent Sacerdotii capaces, & jus haberent adeundi Sacerdotium. Quoniam porrò, ut dici solet, necessitas legem non habet, poterant hi panes in necessitate ab aliis comedi, sicut à Davide & sociis factum est. 1. Reg. 21. & Matth. 12. à quibus tamen requisita fuit munditia à mulieribus, quia non apparebat necessitas extrema : si autem fuisset extrema, etiam ab immundis comedi potuissent.

[ *Quia Sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini* ] Redditur ratio, quare panes illos edi oporteret sumà solis Sacerdotibus eorumque filiis, tum in loco Sancto ; quia scilicet sunt quid valdè Sanctum, & habentur inter oblationes Domini : offeruntur enim intra Sancta, ibique per integram septimanam manent, cùm victimæ offerantur extra Sancta in atrio, & alia quæ offerantur vel in atrio vel etiam in Sancto, non diù illic relinquerentur. Istorum porrò panum oblatio non videtur fuisse sacrificium *propriè* dictum, cùm nulla in eis mutatio fieret, sed dicuntur esse *de sacrificiis Domini*, quia erant de oblationibus Deo factis. De *allegoria* mensæ & panum diximus Exod. 25. ad versum 20.

[ ℣. 10. *Ecce autem egressus filius mulieris Israelitidis, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Israel, jurgatus est in Castris cum viro Israelita*. ] *Egressus jurgatus est*, idem valet ac *jurgari cœpit*, sicut Deut. 13. *Egressi sunt filii Belial de medio tui, & averterunt &c.* idem est, quòd *filii Belial cœperunt avertere habitatores urbis suæ*. Hunc jurgatorem mulier Israelitis pepererat de viro Ægyptio cùm Hebræi Ægyptum incolerent, ibique inter filios Israel habitarent Ægyptii. Causam jurgii variam adserunt aliqui ; sed solùm divinant : præstat fateri ignorationem ejus, præsertim cùm non adeò mirum videri debeat quòd sæculares inter se jurgia habeant, maximè qui de Patre gentili nati sunt. Et fortassis ideò additur *de viro Ægyptio*, ut indicetur ex eo propensiorem eum fuisse ad jurgandum, quòd Patrem haberet Ægyptium, ac per consequens infidelem, priusquàm converteretur ad Judaismum, ex quo pravos mores verisimiliter imbuerat. Cur autem præsens historia hoc loco narratur, non alia videtur inquirenda esse ratio, quàm quòd evenerit sub tempus quo præcepta priora fuerunt data.

[ ℣. 11. *Cumque blasphemasset nomen*, ] Non est addendum *Domini*, aut *Dei*, cùm neque sit in Heb. neque apud 70. Augustinus tamen subintelligendum esse vult. Moyses autem consultò omisit propter reverentiam. Alii ex Hebr. vertunt : *Nuncupavit nomen, & maledixit* ; pro *nuncupavit cum maledicto* : Non enim fuisse simplicem prolationem nominis Dei, sed cum maledicto & blasphemia, Textus non solùm latinus, sed Hebræus quoque & Græcus significant per verbum *maledixit*, quemadmodùm & loci circumstantia, ubi mox generaliter statuitur pœna lapidationis in eum qui nomen Domini blasphemaverit.

[ *Adductus est ad Moysen*. ] Quoniam ad eum tamquàm ad Legislatorem pertinebat cognoscere de causis majoribus, illis maximè quæ Deum spectabant. Exodo 18.

[ *Vocabatur autem Mater ejus Salumith, filia Dabri de Tribu Dan*. ] Sic ostenditur quòd Mater hujus blasphemi erat Israelitis. Quod Hebræi fabulantur eam ex adulterio concepisse istum blasphemum, simile est ei quòd volunt eum esse filium Ægyptii quem percussit Moyses Exod. 2. quia tam unum quàm alterum sine fundamento dicitur.

[ ℣. 12. *Miseruntque eum in Carcerem*, ] Ne anxiè quæratur quomodò esset carcer in deserto, ubi non domus firmæ construebantur, sed solùm erigebantur tentoria ; dicendum est carcerem *non ita* hic *strictè* sumi, sed pro *custodia* : Unde 70. & alii quidam ex Hebræo reddunt, *Posuerunt eum in custodia*.

[ *Donec nossent quid juberet Dominus*. ] Ex eo quod Dominus Exodi 20. dixit, *non habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra*, facilè poterat Moyses intelligere blasphemum ad se adductum esse dignum morte, sicut etiam ex eo quod posteà Deus dixit & refertur Exod. 21. *Qui maledixerit Patri suo vel Matri, morte moriatur*. Sed hactenus nulla erat species mortis determinata contra blasphemantem Nomen Dei ; Ideo Moyses qui in rebus magnis solebat Deum consulere, Dei voluntatem hic expetere voluit, ac zelare pro gloria Dei, judicans illud scelus tantum esse, cui nulla satis gravis pœna rependi posset. *Si quæras*, quare huc usque Lex non præscripserit supplicium contra blasphemantes Nomen Dei, *Respondet Estius*, quia tam grave & horrendum est hoc peccatum, ut non priùs contra ipsum lex statuenda sit, quàm fuerit commissum. Alia est de aliis peccatis ratio, quæ cùm sæpiùs occurrant, ad Legislatoris prudentiam spectat, legibus latis ab iis deterrere, & de iis statuere. Sic Solon parricidio pœnam lege non statuit : Causam rogatus, Respondit : Quia non existimasset quemquam tam sceleratum fore qui parricidium perpetraret. Hoc quidem Deus dicere non potuit qui omnia novit antequàm fiant, sed legem non ferendo insinuare voluit hujus criminis extremam malitiam.

[ ℣. 13. *Qui locutus est ad Moysen*, ] Deus, seu Angelus Dei personam repræsentans frequenter solebat loqui ad Moysen, ut tum ex cap. 33. Exodi, tum ex Num. 12. & aliundè constat ; idque vel ex propitiatorio ; cùm enim ingrederetur Moyses Tabernaculum fœderis, ut consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, Num. 7. vel ad ostium Tabernaculi de quo Dominus Exod. 29. Moysi dixit, *ubi constituam ut loquar ad te*. Et Num. 11. *Duces eos ad ostium Tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare secum, ut descendam & loquar tibi* : Vel alibi ubicumque Deo placebat. Ubi, & quomodò locutus fuerit ea quæ sequuntur, parum refert.

[ ℣. 14. *Dicens : Educ blasphemum extra Castra*, ] Tanta est blasphemiæ enormitas, ut blasphemus non tantùm non sit permittendus vivere in communi aliorum hominum consortio, sed nec ibi eum mori deceat. Sic Judæi B. Stephanum, quem habebant pro blasphemo, ejecerunt extra civitatem lapidantes.

[ *Et ponant omnes qui audierunt, manus suas super caput ejus*, ] Hujus causam *aliqui* reddunt, quòd sicut is pro cujus peccato offerebatur hostia, debebat ponere manum super caput hostiæ, ad significandum quòd suum peccatum puniebatur, & expiabatur morte illius pecudis ; ita si qui audierunt blasphemiam, deberent ponere manum super caput blasphemi ad significandum aliquod suum peccatum, quo

blasphemum audierant, In hominis blasphemi morte expiari. *Sed contra facit*, quòd qui blasphemum audiunt, non ex hoc præsumendi sunt peccato consentire, præsertim si ad Superiorem deferant, sicut in proposito factum est. Neque manuum impositio super reum semper est signum consensus in ejus peccatum; cùm senes libidinosi qui videri volebant immunes ab adulterio quod Susannæ imponebant, super ejus caput manus suas imponerent Daniel. 13. *Potiùs ergo dicendum est*, quòd jubentur manus imponere in testimonium quòd blasphemiam audierant, & in approbationem justi supplicii. Conferri possunt Liranus, Dionys. Abulensis.

[ *Et lapidet eum populus universus*. ] Ad aliorum terrorem. *Quæri potest*, quare Deus tam levi pœna, scilicet lapidatione mulctavit blasphemum, quæ erat apud populum Hebræum satis communis, & inferebatur pro delictis multò minoribus: *Respondeo cum Estio*, quia Deus exemplum dare voluit omnibus præfectis, Regibus, Principibus, ne proprias injurias velint graviùs vindicare, sed clementiam etiam in eos qui in se peccaverunt, ostendere: Hoc enim Principem facit populo maximè carum. Fecit ergo Deus quod suam decebat clementiam: Facit autem & Moyses quod decebat Principem gloriæ Dei zelatorem.

[ ℣. 15. *Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum*: ] Per *Deum suum*, non intelligitur *homo princeps populi*, ut quidam volunt, sed *Deus verus*: respicitur enim ad præcedens factum blasphemi, & ejus occasione ista Lex statuitur. Cùm dicitur *Portabit peccatum suum*, non est sensus, quòd punietur infra pœnas mortis, sed quòd afficietur pœna peccato suo condigna, quæ utique non alia erat quàm mortis.

[ ℣. 16. *Et qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur*: ] Verisimile est hunc versum præcedentis explicationem esse, cùm non aliud sit *Deum maledicere*, quàm *eum*, *ejusve nomen blasphemare*; neque in proposito aliud sit, *portare peccatum suum*, quàm *mortis pœna per peccatum commerita affici*.

[ *Lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille Civis, sive peregrinus fuerit*, ] Per *Civem* is intelligitur qui ejusdem est gentis, scilicet Judaicæ; sive, qui est de genere Israel: per *peregrinum*, qui de alia gente est conversus ad Judaismum, sive *Proselytus*, ut habent 70. *Sed quid*, si aliquis neque Israelita, neque proselytus verum Deum blasphemaret apud Israelitas existens? *Respondeo*, quamvis non disertè dicatur eum similiter lapidibus fuisse obruendum; etsi enim talis non esset legibus populi Israelitici simpliciter obstrictus, ratione tamen delicti apud eos commissi forum eorum sortiebatur, & puniendus erat secundùm ipsorum legem, non solùm pro crimine blasphemiæ, verùm etiam pro aliis quibus pœna per legem erat statuta.

[ ℣. 17. *Qui percusserit, & occiderit hominem, morte moriatur*. ] Per sententiam Judicis occidatur. Confer quæ diximus Exod. 21. de lege talionis.

[ ℣. 18. *Qui percusserit animal, reddet vicarium, id est, animam pro anima*. ] Sermo est de percutiente qui percutiendo occidit; & jubetur reddere vicarium, id est, animal vivum vice animalis per eum injustè occisi.

[ ℣. 19. *Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum*: [ Per *maculam* hic intelligitur cicatrix, deformatio, mutilatio &c. Per *Cives* intelliguntur qui vel genere, vel Religione erant Israelitæ, quemadmodùm *proselyti*.

[ *Sicut fecit, sic fiet ei*: ] Qualem maculam inflixit, talis macula infligetur ei: Non tamen ex ejus qui læsus fuit authoritate vel judicio, sed per sententiam Judicis. Certum est Hebræo non licuisse maculam irrogare gentili tametsi non converso ad Judaismum, cùm Lex naturæ id generaliter prohibeat. Si autem faceret, *utrùm* pœna talionis esset plectendus; incertum est. *Probabiliter* dici potest quòd sic, si is qui læsus fuerat non erat servus ejus qui læserat.

[ ℣. 20. *Fracturam pro fractura*, ] Si manum vel pedem alterius fregerit, eidem frangatur manus vel pes.

[ ℣. 21. *Qui percusserit jumentum, reddet aliud. Qui percusserit hominem, punietur*. ] De hujus versus sententia dissensio est, nùm contineat repetitionem eorum quæ versibus 17. & 18. dicta sunt, An verò nunc agatur de percutiente hominem aut jumentum citra mortem. Ita enim quidam existimant; sed qui prius asserunt, *probabiliùs* loquuntur. Nam *percutere animal aut jumentum* rectè intelligitur esse idem quod *occidere*; sicut *reddere vicarium*, idem est quod *reddere aliud*. *Percutere* quoque *hominem*, sumitur pro *eum occidere*; & *punietur*, pro *occidatur*: Tam enim in Heb. quàm apud 70. habetur, *moriatur*, sicut v. 17. Causam repetitionis istorum præceptorum Cajetanus adfert ea versu seq.

[ ℣. 22. *Æquum judicium sit inter vos, sive peregrinus, sive civis peccaverit*: ] Scilicet ut intelligeretur non debere esse duo genera judiciorum circa injurias jam dictas, pro naturali Israelita, & pro peregrino, sive proselyto, sed unum idemque Commune. Sensus autem est, jus verum & æquale sit, eademque judicandi ratio servetur, sive is qui peccaverit sit Judæus, sive proselytus. Et *probabile est* hoc extendi posse ad Gentiles omninoque externos, si in eadem incurrerent.

[ *Quia ego sum Dominus Deus vester*. ] Redditur ratio cur æquale judicium in delictis sit exercendum erga Judæos & peregrinos, quia Deus est qui hoc præcipit.

[ ℣. 23. *Locutusque est Moyses ad filios Israel*: ] Narratur relatio præcepti divini ad populum de blasphemo lapidando, & illius executio. *Quibusdam* videtur mirum quòd pro occisione, læsione, vel mutilatione hominis Lex Mosaica simplicem intulit ultionem, pro furto autem multiplicatam Exod. 22. *Responderi* autem potest cum Dionysio Carthusiano homines esse proniores ad bona aliorum occultè rapienda, quàm ad eos in propria persona lædendum, & ideò pronitas illa coercenda fuit per restitutionem multiplicatam.

*Juxta Mysticum sensum*, debemus in Christi Ecclesiam afferre *oleum purissimum*, id est, opera pietatis, quibus nihil vanitatis sit mistum, & ea quibus *foveantur Lucernæ*, bonæ videlicet famæ claritas, lumen scientiæ salutaris, & sermo prædicationis. Sint *in mensa* animæ nostræ *duodecim panes*, hoc est, duodecim Apostolorum doctrinæ virtutes, & exempla. *Neminem occidamus*, in mortale peccatum aliquem inducendo, Neque *oculum eruamus*, ad cordis excæcationem vel errorem permovendo; nec *dentem excutiamus*, impediendo ne cibum menti possit conterere & ruminare: Sed *nec maculam ulli inferamus*, detrahendo, vel quomodolibet injustè infamando, quia vindex est Deus de omnibus, & reddet unicuique secundùm opera sua.

## CAPUT XXV.

*Septimi & quinquagesimi anni lex, non sumenda à fratribus usura, nec ipsi servitute perpetua opprimendi sunt, sed magis ab advenis potentibus redimendi.*

[ ℣. 2. QUando ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis, ] De lege ac quiete anni septimi, deque Jubilæo, Deus seu Angelus, Dei personam gerens Moysen instruit, jubens ut ea loquatur populo Israelitico. Et quoniam istorum præceptorum materia non poterat tempore peregrinationis eorum in deserto occurrere, cùm ibi nec serere possent, nec metere, nec fixas habitationes domosve haberent: Ideò determinatur tempus quo illa præcepta essent per eos servanda, quando scilicet ingressi essent terram promissionis, supple, *& possiderent*, ita ut agros ejus possent colere, sequitur enim; *sex annis seres agrum tuum*.

( *Sabbatizes Sabbatum Domino*. ] Celebra annum septimum, & quoddam Sabbatum terræ serva, cessando ab omni ejus aratione, satione, messione, & simi-

similibus; Idque *Domino*, id est, *in Domini honorem*. Variæ quidem apud diversos hic reperiuntur lectiones, dum quidam habent: *Sabbatizet populus*, alii, *Sabbatizet terra*; alii, *Sabbatizare*. Sed quomodocumque legatur, certum est sermonem esse de Sabbato terræ; Nam quomodò implendum sit quod in Textu nostro est, explicant versus proximè sequentes. Nec refert, singulariter dici *Sabbatizet*, cùm proximè antè in plurali præcesserit de filiis Israel, *Quando ingressi fueritis*: Quia singularis numerus *collectivè* accipitur, & indicat sigillatim ab unoquoque præstandum esse id quod præcipitur.

[ ℣. 3. *Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam*, ] Ab eo scilicet tempore quo cœperis in terra promissionis agros colere.

[ ℣. 4. *Septimo autem anno Sabbatum erit terræ, requietionis Domini*: ] Terra permittitur quiescere, ita ut non moveatur per agriculturam, vel similem aliquem modum; & hoc in signum quoddam memorativuum requietionis Domini, seu quietis illius, qua, mundi creatione peracta, Deus die septimo quievit ab operibus suis: Sicut & cujusque septimanæ dies septimus, seu diei septimi Sabbatum, ejusdem quietis est signum.

[ *Agrum non seres, & vineam non putabis*. ] Voluerunt quidam etiam anno septimo seminandum fuisse, at non metendum à Dominis, sed fructus dimittendos pauperibus. Verùm nihil est quod à verbis Textus nos recedere cogat; eo quoque considerato, quòd non fuisset eo anno Sabbatum, seu quies terræ, si tunc arata, culta, & sata esset. Per hæc portò duo generalia, *Agrum non seres, & vineam non putabis*, intelliguntur prohiberi omnia opera ad Agriculturam pertinentia. Unde quod Exod. 23. dictum erat de terra anno septimo dimittenda, & de faciendo eam quiescere, ibidem extenditur ad oliveta. Sunt qui existimant eo anno hortos coli potuisse: Sed cùm prohibeatur cultura vinearum & olivetorum; hæc autem frequenter essent non tantùm in agris, sed etiam in hortis, oppositum verius est.

[ ℣. 5. *Quæ sponte gignet humus*, ] Quæ anno septimo humus gignet sponte, id est absque humano artificio.

[ *Non metes*: ] Non totaliter secabis & colliges, sicut aliis annis colligere potes fructus qui in agris tuis nascuntur.

[ *Et uvas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam*: ] Hoc est, uvas quas aliis annis soles tibi instar primitiarum separare non colliges eo modo quo soles facere, quando facis vindemiam: Ita ut *uvæ primitiarum* vocentur illæ quas Dominus fundi sibi colligit priusquàm permittat pauperes & alios in vineam ingredi, & colligere racemos restantes.

[ *Annus enim requietionis terræ est*: ] Quo terra permittenda est quiescere, ne aretur, feratur, vel metatur eo modo quo annis aliis fieri potest.

[ ℣. 6. *Sed erunt vobis in cibum, tibi & servo tuo, Ancillæ & Mercenario tuo, & Advenæ qui peregrinantur apud te*: ] Fructus qui anno septimo reperiebantur in agris non poterant quidem à Dominis agrorum meti, vel totaliter colligi, sicut in aliis annis; ita tamen erant communes omnibus, ut ex iis vivere possent & Domini ipsi, & servi, Ancillæ quoque & Mercenarii; & peregrini, & pauperes quicumque ac etiam bestiæ, non tantùm domesticæ, quæ hic versu 7. per jumenta & pecora significantur, sed etiam sylvestres quæ Exod. 23. sub bestiis agri comprehenduntur. De anno autem septimo qui dicebatur *Sabbaticus*, & qui apud omnes Hebræos erat unus idemque, sicut apud illos erat idem Sabbatum cujusque septimanæ; *Quæri solet*, quando cœperit, vel unde computandus fuerit? *Satis convenit*, quòd ex eo tempore quo Terram promissam ingressi, eam possederunt & coluerunt: Sed quando hoc fuerit, non perinde clarum est. Non coluerunt eam priusquàm facta esset sortitio & divisio terræ; quoniam anteà nesciebant quæ portio cuique cederet: Sortitio autem & divisio cœpta est fieri Josue 14. in Galgala, sed completa demum in Silo Josue 18. & 19. Quoniam ergo tunc cœperunt terram colere, ab harum sortitionum altera computari cœpit annus Sabbaticus, & quidem satis probabiliter *à posteriore*; cùm anteà terræ divisio nondùm esset perfecta, ac proinde annus ab ea divisione septimus, fuit primus annus Sabbaticus. A quo mense ducendum fuerit hujus numerationis initium, non omninò constat, probabile tamen est quòd à mense septimo. Eadem enim fuit ratio computandi annum quinquagesimum seu Jubilæum, qui annum septimum; Jubilæus autem cœpit mense septimo, die decima mensis in festo Expiationis. De quo Jubilæo jam sequitur.

[ ℣. 8. *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem*, ] Annos videlicet.

[ *Quæ simul faciunt annos quadraginta novem*: ] *Hebdomas annorum* dicitur quæ continet septem annos, sicut *hebdomas dierum* continet septem dies.

[ ℣. 9. *Et clanges buccina* ] Fuerunt apud Hebræos duplices *buccinæ*: Quædam *cornea*, vel de cornibus boum, vel, ut pluribus placet, de cornibus arietum. De his dicitur Psalm. 97. *In voce tubæ corneæ*. Aliæ erant *Argenteæ*, de quibus Num. 10. *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem*. Et quando, quibusve occasionibus esset his utendum, ibidem præscribitur: Cùm verò nihil ibi dicatur pro tempore Jubilæi, complures probabiliter opinantur non esse hic sermonem de *Tubis argenteis*, sed de *corneis*, idque confirmant ex eo quòd vocem Hebræam *Sophar*, quæ hoc loco habetur, Hieronymus in cap. 5. Oseæ interpretatur *Buccinam* quæ cornu recurvo efficitur. *Accedit* quòd tubæ quarum usus erat in Jubilæo erant septem Josue 6. tubas autem argenteas solùm duas jussit Deus fieri: Non ergo eædem sunt argenteæ, & quibus utebantur in Jubilæo.

[ *Mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore* ] Hoc est, ipso die festo Expiationis: Unde perspicuum est non alio die indicendum fuisse Jubilæum quàm die Expiationis. Id enim verba Textus nostri nimis apertè significant, conformiter Hebræo & Græco. Sed *Controversia est*, fueritne tunc inchoandus Annus Jubilæi, an demùm anno sequenti? *Verisimilius* loquuntur, qui censent quòd tunc, dicentes quòd eo ipso die Expiationis quo clangebatur buccina, sic indiceretur Jubilæus, ut eodem die inchoaretur, finiendus anno sequenti pari die festo Expiationis, Quapropter cùm dicitur, *clanges buccina mense septimo*, hoc accipiendum de mense septimo qui post annos quadraginta novem sequebatur, in anno scilicet quinquagesimo.

[ *In universa terra vestra*. ] Ne putaretur satis esse quòd buccina Jubilæi clangeretur Jerosolymis, Deus jubet hoc fieri in universa terra Judæorum; ita scilicet ut in omnibus urbibus, ac verisimiliter etiam in viis audiri posset sonus buccinæ. In quem finem in diversis terræ partibus plures fuisse Buccinatores benè observat Dionysius Carthusianus.

[ ℣. 10. *Sanctificabisque annum quinquagesimum*, ] Sanctè & religiosè celebrabis, juxta Legis præscriptum. *Difficultas hic est*, tum apud Hebræos, tum apud Catholicos. Quidam enim, per hunc annum quinquagesimum intelligunt ultimum annum prædictarum septem Hebdomadarum, id est, annum quadragesimum nonum, quem tamen vocant annum Jubilæi & quinquagesimum computando præcedentis Jubilæi annum ultimum. Alii per quinquagesimum annum, intelligunt eum annum qui proximè sequebatur præfatas septem Hebdomadas, seu annum quadragesimum nonum. Et horum sententia longè est probabilior. *Primò*, quia secundùm alteram, primus Jubilæus non posset vocari annus quinquagesimus, cum nullum inclusisset Jubilæum antecedentem, ac per consequens nec præcedentis Jubilæi annum ultimum. *Secundò*, quia sic in reliquis Jubilæis unus idemque annus semper debuisset bis numerari, semel ut ultimus annus Jubilæi præcedentis; & iterum, ut primus annus Jubilæi sequentis. Unde sequitur quòd Jubilæus numquam celebraretur anno propriè quinquagesimo. *Tertiò*, quia juxta illam rationem, semper esset idem annus Jubilæus & Sabbaticus, ideoque non oportuisset de anno Jubilæo dicere, quòd in eo non sereretur, cùm hoc satis esset

esset notum ex dictis de anno Sabbatico. *Quartò*, Scriptura disertè jubet sanctificari annum non quadragesimum nonum, sed quinquagesimum; Rursumque positâ dicit: *Jubilaeus est, & quinquagesimus annus*. Similiter Josephus Lib. 3. Antiquit. cap. 10. Postquàm scripsit Moysen septimo quoque remissionem agris dedisse, intactosque aratro & plantatione esse jussisse; subdit, *quod idem observari jussit post septimam annorum septimanam, qui numerus quinquaginta conficit, vocaturque Hebrais quinquagesimus quisque annus, Jobelus &c.*

[ *Et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ:* ] Sensus duplex reddi potest, & uterque probabilis ac simul consistens. *Posterior*, *Vocabis remissionem*, hoc est, *erit remissio*, scilicet servitutum, debitorum, & bonorum alienatorum. Si enim anno septimo fiebat remissio debitorum, secundùm ea quæ Deuter. 15. habentur, non potest esse dubium, quin & in Jubilæo, quamvis hic non exprimatur; cùm tunc esset amplissima omnium obligationum remissio. Unde Josephus post verba superiùs ex cap. 10. citata de Jubilæo ita subjungit; *In quo & debitores debitis absolvuntur*, ut habet vera lectio. Et generaliter B. Hieronymus in cap. 1. ad Galat. *Omnis dura conditio Jubilæi solvebatur adventu*.

[ *Ipse est enim Jubilæus*. ] Unde iste annus dicatur Jubilæus, & quid ista vox significet, non omnium una est sententia. *Probabilissima est* quæ dicit significare libertatem, & annum quinquagesimum ideò vocari Jubilæum, vel annum Jubilæi & quia erat annus libertatis quo & servitutes & reliquæ obligationes solvebantur, possessionesque, velut libertate recuperata, liberè ad antiquos Dominos redibant. *Confirmatur*. Quoniam 70. Interpretes annum Jubilæum passim vocant annum remissionis, quod idem est ac libertatis. Josephus quoque dicto cap. 10. Lib. 3. Antiquit. apertè ait quòd vox *Jobel* libertatem significat. Et B. Hieronymus Lib. de nom. Hebr. ex Genesi, *Jobel* interpretatur *dimittens*. In cap. autem 3. Isaiæ, *Jubilæus* inquit, *id est*, *remissionis annus*. Theodoretus etiam quæst. 35. in Levit. *Statuit ut annus Jubilæus cum cessatione celebretur, quod quidem nomen remissionem ac libertatem significat*. Quod attinet ad radicem hujus nominis *Jobel*, Hebraicè periti illud derivant à *Jubal*, vel *Jabal*, quod significat adducere cum gaudio & jubilo: Ut proinde hic annus fuerit dictus *Jobel*, id est, *libertas adducta*, vel *adducens libertatem*, rem adeò lætam & gratam.

[ *Revertetur homo ad possessionem suam*, ] Ad Agrum scilicet & domum, & ad similia bona immobilia; de hujusmodi enim solùm est sermo, idque indicat verbum *revertendi* cum nomine *possessionis*, quæ denotant rem immobilem. Hoc inter cætera, fuit privilegium Jubilæi præ anno septimo seu Sabbatico, in quo possessiones ad antiquos Dominos non revertebantur, sed tantùm in Jubilæo; in quo propterea sic statutum fuit, ne possessiones diversarum Tribuum permiscerentur, & ita Tribus confunderentur, sed per hæreditates & hæreditarias successiones, in possessionibus cuique Tribui assignatis, cognosceretur ex qua Tribu quis esset; Idque propter *Messiam*, ut certò constaret Judæis Christum natum esse de Juda. Quia tamen urgente necessitate quidam interdùm compellebantur possessiones suas vendere, id quidem permittebat eis Deus, sed ut illæ ad certum dumtaxat tempus manerent apud Emptores, anno autem Jubilæi redirent ad eos qui vendiderant. Unde fit consequens quòd talis venditio non tam esset propriè dicta *venditio*, quàm quædam *elocatio*; & jus quod emptor acquirebat, non tam *dominium* vocari deberet quàm *usufructus*.

[ *Et unusquisque redibit ad familiam pristinam:* ] Quidam hanc sententiam referunt ad Emptores & venditores possessionum: Sed alii meliùs referunt ad servos Hebræos qui tempore servitutis necessariò heris adhærebant, & à familia sua aberant, servitute autem per Jubilæum liberati ad suam quisque familiam redibat. Hinc Cajetanus de hoc & de priori membro loquens, *Duo*, inquit, *proponuntur*. *Alterum*, *quòd ager venditus redeat liberè ad eum qui vendidit*; *Alterum*, *quòd quilibet servus redeat liberè ad progeniem suam*. Similiter commentatur Marzilla.

[ ℣. 11. *Quia Jubilæus est & quinquagesimus annus*. ] Ex quibus verbis patet quod supra diximus, annum Jubilæi non fuisse anno quadragesimo nono, sed quinquagesimo. *Si quæras*, An igitur duo anni Sabbatici proximè sibi succederent, scilicet quadragesimus nonus & quinquagesimus. *Respondendum est affirmativè*, saltem pro primo Jubilæo: Sed liberalitas Dei providebat de utriusque anni annona, juxta promissionem hoc cap. versu 22. expressam.

[ *Non seretis, neque metetis spontè in agro nascentia, & primitias vindemiæ non colligetis*, ] Sicut vers. 5. fuit explicatum. Per extremas autem istas actiones *serendi* atque *metendi*, mediæ ad Agriculturam pertinentes intelligi debent esse prohibitæ, & per collectionem primitiarum vindemiæ, quidquid operis circa vites fieri solet: Quantùm autem ad alia opera etiam servilia, quies, seu vacatio ab illis non imperabatur istis annis, Sabbatico nimirùm & Jubilæo, sicut in Sabbatis cujusque septimanæ, quemadmodùm expressè tradit Lorinus, qui etiam B. Gregorium homil. 24. in Evangelia dicentem quòd in Jubilæo cunctus populus ab omni operatione quiesceret, exponendum esse ait quantùm ad opera agriculturæ.

[ ℣. 12. *Ob sanctificationem* ] seu sanctitatem [ *Jubilæi*, ] Quia Jubilæus peculiariter censeri debet Deo consecratus, qui fruges & fructus illius anni spontè provenientes voluit esse communes, etsi nulla sacrificia particularia pro eo anno instituerit.

[ *Sed statim oblata comedetis*. ] Tum agrorum, tum vinearum fructus obvios poteritis carpere, & statim comedere, non autem sicut in aliis annis servare.

[ ℣. 13. *Anno Jubilæi redient omnes ad possessiones suas*. ] Eo ipso quòd est annus Jubilæi, absque ulla pretii aut mercedis commutatione. Repetitur ista Lex ad eam magis exaggerandam & inculcandam.

[ ℣. 14. *Quando vendes quidpiam* ] De rebus scilicet immobilibus.

[ *Civi tuo*, ] seu Judæo; solis enim naturalibus Judæis possessiones suas immobiles vendere poterant Israelitæ, ne Tribuum & familiarum confusio oriretur.

[ *Vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum*, ] Volendo contra Legis præscriptum rem ab eo emptam retinere ultrà Jubilæum, vel minoris emere, quàm ipsa, seu, ipsius usus & fructus valeat usque ad Jubilæum.

[ *Sed juxta numerum annorum Jubilæi emes ab eo*, ] Ita scilicet ut si pauci anni supersint usque ad Jubilæum, res minoris vendatur; si plures, pluris.

[ ℣. 15. *Et juxta supputationem frugum vendet tibi*. ] Hoc est, juxta æstimationem frugum recipiendarum usque ad Jubilæum.

[ ℣. 16. *Quantò plures anni remanserint post Jubilæum*, ] Finitum scilicet usque ad sequens, in quo terminanda & extinguenda est venditio.

[ *Tantò crescet & pretium: &c. Tempus enim frugum vendet tibi*. ] Ipsum tempus, temporisvè dilatio per se & secundùm se vendi non potest; neque propter solam dilationem seu temporis moram potest res cariùs vendi, si absit lucrum cessans, & damnum emergens, ut ex iis quæ 2. 2. quæst. 77. & 78. diximus, clarum est. Neque per Textum præsentem significatur oppositum, sed sensus est; quòd non ipsam terram terræque proprietatem & dominium absolutum, sed fructus, seu jus fructuum tanto tempore percipiendorum tibi vendet.

[ ℣. 17. *Nolite affligere Contribules vestros*, ] Volendo, ipsos injustè gravare, sicut v. 14. exposuimus. Per *Contribules*, non solos eos oportet intelligere qui sunt ejusdem Tribus, etsi vox ipsa propriè id significet, atque ita accipiatur 1. Reg. 20. vers. 6. sed generaliter omnes qui ejusdem sunt gentis, sive omnes nativitate Judæos: Quo generali modo sumitur eadem vox 2.

Ma-

Machab. 4. vers. 10. & rursum cap. 15. vers. 31. itemque 1. ad Thessalon. 2. vers. 14.

[ *Sed timeat unusquisque Deum suum, quia ego Dominus Deus vester.* ] Appositè ingeritur mentio timoris Dei, & Dominii quod habet Deus in omnes, etiam in illos qui Dominio vel potentia sua freti alios affligunt & contristant; quia qui hoc agunt ordinariè sunt illi qui potentia prævalent, seque aliis superiores existimant. Per hanc verò mentionem indicatur, quòd quamvis injuriam passi non possint eam propulsare, aut se vindicare; qui tamen spe impunitatis sæviunt, non evadent manum Dei omnipotentis & omnium Judicis.

[ ℣. 18. *Facite præcepta mea, & judicia custodite, & implete ea,* ] Synonyma hìc sunt, *facere, custodire, implere,* ut & ista, *præcepta* & *judicia*. Ad hoc tendebat quod præcedit de timore, & præcepto Dei, ut præceptorum ejus observatio diligens commendaretur. Eadem nunc commendatur proposita spe securæ habitationis in terra promissa, eaque frugifera, dicendo.

[ *Ut habitare possitis in terra absque ullo pavore,* ] Ubi certum est *Terram* intelligi eam quæ fuerat eis promissa, vocarique solet *Terra promissionis.*

[ ℣. 19. *Et gignat vobis humus fructus suos, quibus vescamini usque ad saturitatem,* ] Lucæ 6. Dominus dicit: *Væ illis qui saturati sunt.* Sed *saturitas* ibi sumitur pro vitiosa repletione, quæ est dum corpus alitur copiosiùs quàm naturæ conveniat: At hìc *saturitas* accipitur pro larga & liberali pastione, secundùm quod naturæ congruum est, sicut etiam accipitur *satietas* Ecclesiastici 45. *Panem ipsis in primis paravit in satietatem.* Et *saturitas* Isaiæ 23. *Ut manducent in saturitatem;* ac etiam hujus Lib. cap. 26. vers. 5.

[ ℣. 20. *Quòd si dixeritis: Quid comedemus anno septimo, si non severimus, neque collegerimus fruges nostras?* ]

[ ℣. 21. *Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, & faciet fructus trium annorum:* ] Occurrit Deus objectioni quam facere possent Judæi, & eis promittit quòd anno sexto daret eis tantam abundantiam frugum & fructuum, quæ sufficiat pro tribus annis, sexto scilicet, septimo, & octavo: In quo serebant ut sequenti anno meterent, indeque viverent. Intelligenda autem est hæc promissio sub conditione, *si legem servent*, ac præsertim eam quæ est de quiete anni septimi; alioquin eos hujus promissionis beneficio aliquando fuisse privatos, ex 1. Machab. 6. versib. 49. & 53. constat. Et quamvis pro anno Jubilæi nihil hìc promittatur, quia tamen eadem est ejus ratio quæ anni septimi, promissio pariter est pro illo accipienda. *Fructus* autem & *fruges* tametsi possint distingui, usurpantur hìc pro iisdem.

[ ℣. 22. *Seretisque anno octavo,* ] Nisi videlicet tunc sit annus Jubilæi in quo non magis seri poterat quàm in anno septimo.

[ *Et comedetis veteres fruges* ] Quæ anno sexto collectæ fuerint.

[ *Usque ad nonum annum:* ] Usque ad perfectam collectionem frugum anni octavi, postquàm incipit computari annus nonus. Verùm, si annus octavus subsequens annum septimum seu Sabbaticum esset Jubilæus, veteres fruges comedendæ etiam erant illo anno octavo usque ad annum decimum, idest, usque ad perfectam collectionem frugum anni noni, post quam collectionem incipiebat computari annus decimus.

[ *Donec nova nascantur edetis vetera.* ] Non satis erat novas fruges esse natas, nisi aptæ essent ad esum; propterea istorum verborum, *donec nova nascantur*, sensus est, donec nova nata sint & collecta.

[ ℣. 23. *Terra quoque non vendetur in perpetuum:* ] In Hebr. *ad excisionem*, idest, sic ut videatur penitùs excisa & separata à venditore ipseque venditor ab illius possessione omninò ac in perpetuum exclusus. 70. habent. *In Confirmationem*, sive sic, ut venditio sit omninò rata & firma, ita ut non possit rescindi. Alii legunt; *In Prophanationem*, idest, ne vendatur Prophanis, qui ea uterentur ad impietatem, in cultum scilicet suorum Idolorum. Aut, *in Prophanationem*, hoc est, sicut inter Prophanos & Gentiles fieri solebat, qui terras suas absolutè & in perpetuum vendebant. Quæcumque lectio adferatur, ea quam ex Sancto Hieronymo habemus optima est, & sententiæ per eam significatæ ratio sequitur.

[ *Quia mea est, & vos Advenæ & Coloni mei estis.* ] Terram promissionis quam inhabitaturi erant Israelitæ Deus dicit esse suam, non solùm eo generali & absoluto Dominio quod habet in omnem creaturam, de quo dicitur Psalm. 23. *Domini est terra, & plenitudo ejus*, Et Esther 13. *Dominus omnium es;* sed etiam quia omne illius terræ dominium, jusque illam alienandi sibi reservavit, nec in Israelitas quibus eam dabat, transferre voluit, dans nimirùm illis ejus usumfructum, at non absolutam proprietatem & dominium. Quæ causa est, cur eos vocet *Advenas*, & *suos colonos*, quibus nimirùm quasi elocavit suam terram, exigens ab eis annuatim primitias & decimas, ac de cætero usumfructum ipsis relinquens. Per *Terræ* nomen rectè intelligitur quælibet res, seu cujuslibet rei immobilis possessio, etsi esset in aquis: Nominatur tamen *terra*, quia possessiones ut plurimùm in illa sunt.

[ ℣. 24. *Unde cuncta Regio possessionis vestræ* ] Idest cuncta possessio vestræ Regionis sub *Redemptionis conditione vendetur*. Hoc est, ea conditione, ut quovis tempore (salva exceptione domorum de qua versu 29.) Possit redimi, ab eo scilicet qui vendidit, vel ab ejus propinquo. Non oportebat hanc conditionem exprimere in contractu, quia satis erat quòd per legem esset imposita. Et huic redemptionis privilegio nemo poterat renunciare, quia non erat concessum in favorem particularis personæ contrahentis, sed ne perirent tribus Israel: quomodo etiam nunc Clericus renunciare non potest privilegio Clericali. Non agitur de redemptione quæ fieret in Jubilæo: Nam tunc non erat redemptio; cùm nullum pretium daretur, sed erat venditionis terminus in quo ipsa dissolvebatur: Verùm, de tempore Jubilæum antecedente sermo est, intra quod fieri poterat possessionis venditæ redemptio.

*Quæri potest*, Utrùm nulla rei immobilis venditio fieri posset qua dominium transferretur absolutè & in perpetuum: Quamvis enim *negativa Responsio* satis clarè hìc significetur; in contrarium tamen facit quòd David 2. Reg. ult. & 1. Paralipom. 21. emit Aream pro ædificando in ea Templo, sicque in perpetuum. Jeremias etiam cap. 32. emit à Patruele suo agrum, & instrumenta emptionis curavit poni in vase fictili, ut permanere possent diebus multis: Matth. 27. de pecunia qua Christus venditus fuerat, emerunt agrum figuli in sepulturam peregrinorum, atque adeò in perpetuum. Ibidem, ut & apud Marcum & Lucam habetur quòd Joseph ab Arimathæa possideret hortum, & in eo monumentum in petra excisum sicque in perpetuum; nec aliter quàm jure emptionis, cùm ipse non esset de tribu Juda vel Beniamin ad quos pertinebat Jerosolyma, juxta quam erat iste hortus, sed de Ephraim. Deinde, si nulla talium rerum venditio potuisset esse perpetua, sequeretur ne Reges quidem potuisse comparare loca propria ad delicias & voluptatem, cùm tamen ex 4. Reg. 21. & 25. constet propè Hierosolymam fuisse hortos Regios, quos utique firmo dominio possidebant.

*His tamen non obstantibus*, Responsio negativa quæ in Textu nostro habetur tenenda est, loquendo videlicet de agris similibusque possessionibus, quæ dum excoluntur fructum adferre solent. Et *ad primum*, dici potest eam venditionem factam esse non ab Israelita, sed à Jebusæo, & quidem ex voluntate Dei qui est super legem. Ad 2. *Respondeo*, ex pretio quod fuit perexiguum intelligi posse quòd ea venditio non transferret dominium in perpetuum; & idcircò si patruelis ille, vel ejus posteri, rediissent è captivitate, Jeremias debuisset eis agrum illum restituere, siquidem adhuc fuisset superstes. Studiosè autem curavit Propheta asservari instrumenta emptionis; partim quia Deus ita voluit in rei futuræ Symbolum, ne Judæi desperarent reditum ex captivitate; partim quia toto tempore captivitatis, quod futurum erat diuturnum, istius agri Dominium utile manere debebat Jeremiæ. Ad 3. *Respondeo*, agrum illum non fuisse *frugiferum*, de *frugiferis* autem procedit Lex vetans absolutam alienationem. Deinde, Ager ille erat in loco suburbano, & verisimi-

liter

liter appendix alicujus domus contiguæ: Domus autem suburbanæ, & consequenter Areæ, horti, & similia domibus illis annexa eodem loco erant cum urbanis, eodemque jure vendi poterant in perpetuum, casu quo non redimerentur intra annum. Ex quibus patet, & Josephum ab Arimathæa, & Reges potuisse habere hortos in loco suburbano in suam suorumque sepulturam: imò credibile est omnes passim illius habuisse; cùm corpora mortuorum apud Judæos non sepelirentur intra urbem, quemadmodum ex supradictis cap. 10. v. 4. notum relinquimus. Quod opponere posset quispiam de Achab qui vineam Naboth commutatione vel pretio possidere voluit, nullius est momenti, cùm Rex impius non attenderet quid licitum, sed quid sibi commodum esset. Quod etiam ex Act. 4. posset in oppositum adferre, ubi sic legitur; *Quotquot possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Ubi etiam de Barnaba dicitur, quòd *cùm haberet agrum, vendidit eum;* dilui potest dicendo hæc ad novum Testamentum pertinere post abolitam legem veterem.

[ ℣. 25. *Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam* ] *Fratrem* hìc sumi pro illo qui genere Judæus esset, & contextus & Lex jubilæi requirit. Diminutivo *possessiunculam* usus est Interpres, forte ob attenuationem Fratris coacti vendere. Alioquin editiones reliquæ non habent diminutivum.

[ *Et voluerit propinquus ejus, potest redimere quod ille vendiderat.* ] Si venditor qui præ omnibus habebat jus redimendi, vel nollet, vel non posset redimere, quilibet alius propinquorum poterat redimere, ordine tamen servato inter propinquiores, & salvo jure, ut in anno Jubilæi rediret possessio ad venditorem.

[ ℣. 26. *Sin autem non habuerit proximum,* ] Subintellige, habuerit quidem, sed qui non vellet aut non posset redimere. Hujus rei exemplum habemus Ruth 4. ubi cùm pars agri Elimelech esset vendenda, Booz obtulit eam propinquiori emendam, paratus si ipse nollet, eam emere, quia propinquitate secundus erat.

[ *Et ipse* ] ( Venditor ) *pretium ad redimendum potuerit invenire:*

[ ℣. 27. *Computabuntur fructus ex eo tempore quo vendidit:* ] In favorem primi venditoris hoc cedit, ut fructus ab emptore percepti ex eo tempore quo emerat, computarentur in sortem, deductis videlicet expensis & laboribus, & pensata majoris vel minoris temporis quantitate.

[ *Et quod reliquum est, reddet emptori, sicque recipiet possessionem suam.* ] Is nimirum qui primus vendiderat. Ad hoc quippe cogi poterat emptor, servatis à venditore dictis conditionibus, quoniam Lex hoc jus tribuebat venditori, ut dato pretio possessionem suam repetere posset.

[ ℣. 28. *Quòd si non invenerit manus ejus ut reddat pretium,* ] Si venditor non habuerit commoditatem reddendi pretium, neque ullus propinquorum ejus illud emptori reddiderit.

[ *Habebit emptor quod emerat, usque ad annum Jubilæum.* ] Et non ultra.

[ *In ipso enim omnis venditio redibit ad Dominum, & ad possessorem pristinum,* ] Seu primum, qui scilicet primus vendiderat.

[ ℣. 29. *Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus.* ]

[ ℣. 30. *Si non redemerit, & anni circulus fuerit evolutus,* ] Sive, si intra annum non redemerit.

[ *Emptor possidebit eam, & posteri ejus in perpetuum, & redimi non poterit, etiam in Jubilæo.* ] Domus non sunt fructiferæ sicut agri, similesque possessiones, & ideo quæ non in agris, sed intra muros urbis sitæ erant non eadem conditione vendebantur qua agri. *Ratio autem* cur Deus statuerit domos intra urbis muros sitas ( modò tamen non essent domus Levitarum ) posse vendi in perpetuum, *una est* quam adducit Beatus Thomas 1. 2. q. 105. art. 5. ad 3. quia non erant sorte distinctæ, & quarum proinde venditione, etiam absoluta, non erat periculum confusionis sortium aut Tribuum. *Aliæ rationes* reddi possunt; tum ut hac ratione urbes redderentur populosæ; hoc enim allicit emptores & incolas urbis, si in ea domum stabilem & firmam comparare possint; tum ne qui domos urbanas haberent, non facilè eas venderent, utpotè scientes quòd post annum eas numquam recuperarent.

[ ℣. 31. *Sin autem in villa fuerit domus quæ muros non habet, agrorum jure vendetur.* ] Ita ut quemadmodum agri si venditi fuerint redimi possunt tum à venditore, tum ab ejus propinquis, sic & talis domus possit redimi. Rationem dat ibidem S. Doctor, quia tales domus non construuntur nisi ad cultum, & ad custodiam possessionum. Adde, quòd censentur quædam partes agrorum & possessionum.

[ *Si ante redempta non fuerit, in Jubilæo revertetur ad Dominum.* ] Ad eum scilicet qui vendiderat.

[ ℣. 32. *Ædes Levitarum, quæ in urbibus sunt, semper possunt redimi:* ] Non solùm scilicet anno primo quo venditæ fuerint, sicut de aliorum domibus dictum est v. 29. sed quovis tempore. Per *Levitas* significantur quotquot ad Tribum Leviticam pertinebant, tam inferiores ministri, quibus Levitarum nomen attribui solet, quàm Sacerdotes. Sermo autem est de ædibus Levitarum non quibuscumque, etiam intra urbes sitis, sed de illis duntaxat quæ erant in urbibus ad Levitas pertinentibus, & quæ vocari solebant urbes Levitarum, quales Num. 35. dicuntur fuisse quadraginta octo. Probari hoc potest ex Hebræo quod sic sonat: *Et civitatum Levitarum domorum urbium possessionis eorum redemptio sæculi* ( idest, perpetua ) *erit Levitis.* q. d. Levitæ semper poterunt redimere civitates & domos civitatum suæ possessionis. Ex quo benè infert Oleaster, Levitas non solùm domos urbium suarum, sed ipsas quoque urbes vendere potuisse, ac deinde redimere. Si quas verò domos haberent Levitæ in aliis urbibus, ubi aliis permixti habitare poterant, illæ domus non gaudebant isto privilegio redemptionis, sed legi communi, de qua versu 29. subjiciebantur. Quæ sit ratio privilegii, mox dicetur.

[ ℣. 33. *Si redempta non fuerint, in Jubilæo revertentur ad Dominos,* ] Ad eos videlicet Levitas qui eas vendiderant.

[ *Quia domus urbium Levitarum pro possessionibus sunt inter filios Israel.* ] Quoniam cùm in distributione terræ promissionis Levitæ non sint accepturi ullam possessionem agrorum, fundorum, & similium ad colendum, fructumque inde colligendum, domus quas in urbibus sibi assignandis habebunt, erunt illis loco possessionum; æquumque proptereà est, ut jure & privilegio cæterarum possessionum fruantur; ut quemadmodum possessiones Laicorum redimi possunt usque ad Jubilæum; &, si redemptæ non fuerint, in Jubilæo revertuntur ad eos qui vendiderunt, ita sit de domibus Levitarum.

[ ℣. 34. *Suburbana autem eorum non veneant, quia possessio sempiterna est.* ] Cum urbibus quæ Levitis assignatæ fuerunt, dati sunt eis mille passus in circuitu urbium ad alenda pecora, & hæc vocabantur *suburbana*. De quibus hìc statuit Deus ut non vendantur, quia sunt perpetua possessio Levitarum, eis necessaria ad alenda pecora, cùm alia non habeant, nimisque grave foret, si omni alendorum pecorum commoditate carerent.

[ ℣. 35. *Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu,* ] Occasione sumpta ex benignitate in alios tempore Jubilæi exercenda, inseritur aliud præceptum pro divitibus erga pauperes ejusdem gentis, scilicet Judaicæ, quod tamen & ad alios extendi potest. Sensus est. Si quis Israelitici generis inopia pressus fuerit, & *infirmus manu*, idest, potentia seipsum juvandi destitutus.

[ *Et susceperis eum quasi advenam & peregrinum, & vixerit tecum,* ] Si susceperis eum eo modo juvandum quo etiam proselyti & advenæ sunt juvandi, & mutuum, aut alia media vivendi à te acceperit.

[ ℣. 36. *Ne accipias usuras ab eo, nec amplius quàm dedisti.* ] Posterius continet explicationem prioris, & declarat quid sit usura; accipere scilicet aliquid supra id quod mutuò datum est, de qua luculentè diximus 2. 2. q. 78.

[ *Time Deum tuum,* ] Quia divites non facilè timent alios homines, præsertim pauperes, ideò monentur ut Deum timeant, & ex ejus timore caveant fratrem pauperem gravare.

[ *Ut*

[ *Ut vivere poſſit frater tuus apud te.* ] Ubi, *vivere*, non eſt accipiendum ſimpliciter pro *vitam ducere*, ſed pro *vivere vita aen incommoda*, & à moleſtiis oneribuſque libera.

[ ℣. 37. *Et frugum ſuperabendantiam non exiges.* ] q. d. Non exiges ab eo plures fruges quàm ei mutuaveris.

[ ℣. 39. *Si paupertate compelſus vendiderit ſe tibi frater tuus,* ] Si quis gente & origine Hebræus ſeipſum ibi vendiderit paupertate compulſus. Exprimitur cauſa magis communis magiſque ordinatia ob quam ſe ſolerent vendere, Lex tamen intelligi debet quamcumque ob cauſam ſe quis vendidiſſet.

[ *Non eum opprimes ſervitute famulorum,* ] In Hebr. *Non ſervire facies in eo ſervitutem ſervi.* Aut, *non facies eum famulari famulate ſervili.* ] Quamvis *fameli* vox ſit mitior quàm *ſervi*, eſt tamen ei ſynonyma; & ſenſus hic eſt de famulis & ſervis juxta receptam conſuetudinem Gentilium qui *mancipia ſervos* vocabant, jubeturque Hebræis, ne Hebræos ſibi venditos ita durè tractent, ſicut apud Gentiles tractari ſolent eorum ſervi ſeu mancipia.

[ ℣. 40. *Sed quaſi Mercenarius & colonus erit:* ] Non ſumitur hic *colonus* ſtrictè, pro eo qui locat operas ſuas ad colendos agros; ſed generaliter pro advena & peregrino, ut proinde cenſeatur hic mandari, ut Hebræus qui ſe vendidiſſet, tractaretur more mercede conducti & advenæ, ſeu peregrini, ideſt, non rigidè & acerbè, ſed leniter & humanè.

[ *Uſque ad annum Jubilæum operabitur apud te,* ] Si nimirum anno ſeptimo, ſicut ei liberum erat, egredi noluerit. Conferantur dicta ad cap. 21. Exodi.

[ ℣. 41. *Et poſteà egredietur cum liberis ſuis,* ] Imò & cum uxore ut ibidem diximus. Et hoc fuit privilegium Jubilæi: Si enim ſeptimo anno egrederetur, & uxorem ſervam, & ſuſceptos ex ea liberos relinquebat apud Dominum.

[ *Et revertetur ad cognationem & ad poſſeſſionem Patrum ſuorum.* ] Quæ reverſio planè oſtendit de ſolis ſervis Hebræis ſermonem eſſe. Nam apud Hebræos exteri, etiam proſelyti, non habebant poſſeſſionem immobilem de qua hic agitur, neque cura erat de cognatione aut familia, niſi eorum qui eſſent de aliqua tribu Iſrael. Poſſeſſio & cognatio non poterat penitùs amitti, quia tamen is qui ſerviebat, ſuam poſſeſſionem non adminiſtrabat, neque apud ſuos manebat, redire cenſebatur & veluti eam recuperare, quando deſinebat eſſe ſervus ad eum modum quo ſupra verſu 10. dicebatur quòd in Jubilæo revertebatur homo ad poſſeſſionem ſuam, & ad familiam priſtinam.

[ ℣. 42. *Mei enim ſervi ſunt, & ego eduxi eos de terra Ægypti.* ] Iſraelitas dicit Deus eſſe ſervos ſuos, non ſolùm jure creationis, quomodo omnes omninò ſervi ejus ſunt; ſed peculiari jure redemptionis, quia ipſos de ſervitute Ægyptiaca redemit, & in eos peculiare jus dominii retinuit.

[ *Non veneant conditione ſervorum.* ] Abſolutè videlicet, ac in perpetuum, ſicut mancipia ſolent vendi apud Gentiles.

[ ℣. 43. *Ne affligas eum per potentiam,* ] Sive duriora imponendo, ſive ſervitutem ultra tempus producendo:

[ *Sed metuito Deum tuum.* ] Qui injuriam in ſervos ſuos factam vindicare poteſt.

[ ℣. 44. *Servus & ancilla ſint vobis de nationibus quæ in circuitu veſtro ſunt.* ] Ne videretur Judæis tolli facultas habendi ſervos & ancillas ſicut habent aliæ nationes, qui nimirùm perpetui eſſe poſſent, & quibus uti liceret ad opera duriora & viliora: fit nunc eis poteſtas habendi tales ſervos & ancillas, ſed ita, ut non ſint de gente Hebræorum. q. d. Si vultis habere ſervos & ancillas qui ſcilicet ſint abſolutè ſervi & ſervæ, ſeu mancipia, accipite & emite eos ex Gentilibus qui circum circa terram veſtram habitant. Non ſignificatur per iſtam clauſulam, *quæ in circuitu veſtro ſunt*, quòd ſolùm poſſent habere ſervos & ancillas ex gentibus vicinis: Certum enim eſt quòd etiam ex remotiſſimis habere poſſent, ſed ea additur, quoniam magis promptum magiſque obvium erat accipere de propinquioribus quàm de remotioribus; & permittendo accipere de vicinis, eadem, ſi non etiam majori, ratione cenſeri debet permiſſum de remotis longèque diſtantibus. Quamquàm & nationes in circuitu intelligi poſſint non vicinæ tantùm, ſed ex omni plaga mundi quàm longè latèque extenditur ſicut cum Pſalm. 96. dicitur de Chriſto quòd *inflammabit in circuitu inimicos ejus.*

[ ℣. 45. *Et de advenis qui peregrinantur apud vos,* ] Hoc eſt, de proſelytis qui ex gentilitate ad Judaiſmum converſi apud vos habitant:

[ *Vel qui ex his nati fuerint in terra veſtra, hos habebitis famulos:* Tum Gentiles ad Religionem Judaicam converſos, tum filios converſorum poteritis habere famulos, abſolutè nimirum ac ſimpliciter: Non enim volebat Deus proſelytos vel proſelytorum filios in hiſce privilegiis Jubilæi æquari illis qui genere & origine erant Judæi.

[ ℣. 46. *Et hæreditario jure tranſmittetis ad poſteros,* ] q. d. Non ſolùm vos poteſtis poſſidere ſervos de Gentilitate converſos & filios eorum; ſed inſuper liberum vobis eſt illos jure hæreditario tranſmittere ad poſteros ſeu ad veſtros hæredes, filios, nepotes, & alios, faciendo quòd illi vobis ſuccedant in illa poſſeſſione. Poterant quidem etiam ſervos Hebræos tranſmittere ad ſuos poſteros; at ſolùm intra tempus ſeptennii aut Jubilæi, alios autem pro tota eorum vita.

[ *Ac poſſidebitis in æternum.* ] Hoc eſt, quamdiu ipſi vixerint. In hoc quippe diſtinguitur *ſervus proſelytus à ſervo Hebræo*, quòd ſervus proſelytus maneret ſervus tota ſua vita; ſervus autem Hebræus ſolùm uſque ad Jubilæum.

[ *Fratres autem veſtros filios Iſrael ne opprimatis per potentiam.* ] Faciendo eos manere vobis ſervos ultra tempus debitum.

[ ℣. 47. *Si invaluerit apud vos manus advenæ atque peregrini,* ] Si advena & peregrinus ſeu proſelytus apud vos factus fuerit dives & potens.

[ *Et attenuatus frater tuus* ] Et ad inopiam redactus genere & origine Hebræus.

[ *Vendiderit ſe ei, aut cuiquam de ſtirpe ejus:* ] Nimirùm proſelyti. Idemque judicium eſt, ſi venditus uni proſelyto, per eum deinde alteri etiam proſelyto venderetur.

[ ℣. 48. *Poſt venditionem poteſt redimi. Qui voluerit ex fratribus ſuis, redimet eum,* ] Juxta Dionyſ. Carthuſ. & Abulenſem *Fratrum* nomen medio quodam modo hic ſumitur, nec *ampliſſimè*, pro quolibet Hebræo, ne emptores nimiùm gravarentur, ſi debuiſſent admittere redemptionem à quovis Hebræo faciendam; nec *ſtrictiſſimè*, pro natis ex eodem proximo parente; cùm ex ſequentibus conſtet redemptionem fieri potuiſſe per alios: ſed pro cognatis & affinibus in quocumque gradu attinentiæ, quorum aliqui hic exprimuntur.

[ ℣. 49. *Et Patruus,* ] Hoc eſt, Frater Patris, ut eſt apud 70.

[ *Et Patruelis,* ] Seu filius Patrui: Dicuntur enim patrueles, qui ſunt filii duorum fratrum. Quamvis autem hi ſint cognati ex parte Patris, intelligendum tamen eſt, jus redimendi etiam pertinuiſſe ad cognatos ex parte Matris.

[ *Et conſanguineus, & affinis.* ] Ponitur regula generalis quòd omnes conſanguinei & affines haberent jus redimendi cognatos ſuos de manu proſelytorum, etiam invito domino. Cæteri Judæi eoſdem redimere poterant, ſi dominus conſentiebat, non tamen eo invito.

[ *Sin autem & ipſe potuerit, redimet ſe.* ] Si non fuerit redemptus à cognatis, & ipſe pecuniam habere potuerit, ſive ex bonis ſuis hæreditariis, ſive aliundè, jus habet ſe ipſum redimendi.

[ ℣. 50. *Supputatis dumtaxat annis à tempore venditionis ſuæ uſque ad annum Jubilæum: & pecunia, qua venditus fuerat, juxta annorum numerum, & rationem mercenarii ſupputata.* ] q. d. Sicut mercenario ſupputatur & ſolvitur merces pro ratione temporis quo operatùs eſt; ita ſervo Hebræo quando vult ſe redimere ſupputetur merces pro rata annorum quibus ſervivit; & conſiderando quot anni ſuperſint uſque ad Jubilæum; ea detrahatur de pretio quo fuit venditus. Ut, exempli cauſa, ſi Judæus ſe in ſervitutem vendiderit quadraginta ſiclis, quando uſque ad Jubilæum ſupererant anni quadraginta, & decem annis ſervierit, tuncque ſe redi-

redimere voluerit; pro mercede computentur ei decem sicli pro servitute decem annorum illique detrahantur de pretio quo fuit venditus; ac per consequens ad se redimendum solùm solvat hero suo 39. siclos: Si autem servierit annis viginti, tantùm solvat viginti siclos, & ita proportionaliter de aliis.

[ ℣. 53. *Non affliget eum violenter in conspectu tuo*. ] Ne patiaris quòd te vidente vel conscio; Hebræus proselyto venditus ab eo indignè tractetur, sed, si potes, violentam ejus afflictionem indignamque ejus tractationem impedi, vel eum redimendo, vel aliter.

[ ℣. 54. *Quòd si per hæc redimi non potuerit*, ] Si neque propriam neque per aliorum pecuniam redimi potuerit:

[ *Anno Jubilæo egredietur cum liberis suis*. ] Necnon & cum uxore, si ipsa erat Judæa. Si autem esset serva quam Dominus de ancillis proselytorum dedisset servo Hebræo, tam ipsa quàm filii ex ea nati manebant servi apud Dominum, atque (ut dici solet) partus sequebatur ventrem.

[ ℣. 55. *Mei enim sunt servi*. ] Confer dicta ad vers. 42.

*Allegoricè; Jubilæus* est tempus Christi & gratiæ: ipse enim *venit prædicare captivis remissionem & annum Domini acceptum*, Luc. 4. Unde Apostolus 2. ad Cor. 4. *Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis*. Specialiter tamen apud Christianos *Clemens VI.* sanxit Jubilæum celebrari anno quinquagesimo, cùm antè ex *Bonifacii VIII.* decreto, celebraretur anno centesimo. Et Paulus deinde II. reduxit eum ad annum vigesimum quintum, ut est in ejus Bulla 7. Tom. 1. Bullarii, in quo plenaria Indulgentia conceditur.

## CAPUT XXVI.

*Dei præcepta servantibus bona promittuntur, non servantibus verò plurima mala.*

[ ℣. 1. NOn *facietis vobis Idolum & sculptile*, ] Quidam putant ea proximè antedictis de servitute Hebræorum apud advenas, sumptam esse occasionem aliqua nunc repetendi de prohibenda Idololatria; quia poterat esse periculum ne advenæ pristinis suis erroribus Hebræos sibi servientes inficerent. *Idolum*, est simulachrum ejus qui habetur Deus, & non est Deus, sed est merum figmentum, nihil habens numinis. Unde Apostolus 1. ad Cor. 8. *Scimus quia nihil est Idolum in mundo*: Quamvis enim Idolum, *si materiam spectes*, sit aurum, argentum, lignum, vel quid simile; *formaliter* tamen, & quatenus Idolum, nihil est ejus rei ad quam significandam assumitur; quia nihil est divinum. Et quamvis olim fuerint Jupiter, & alii homines quos stulta Gentilitas in Deos retulit; adhuc tamen verum est quòd Idolum nihil est in mundo, quoniam ipsi severà nec dii sunt, nec fuerunt unquàm; atque ita res per Idolum significata ut Deus, non est nec umquàm fuit in rerum natura. Prohibetur autem tum hic, tum Exodi 20. fieri Idolum *ut adoretur*; imo & *simpliciter* fieri Idolum *formaliter*, hoc est, ad significandum aliquid esse Deum, aut Dei similitudinem quod nec est Deus, nec vera Dei similitudo, quemadmodùm ostendimus ibi cap. 20. & 2. 2. q. 122. art. 2. *Sculptile* sumitur aut pro Idolo sculpto, aut pro Idoli similitudine sculpta.

[ *Nec titulos erigetis*. ] Pro *Titulos*, alii ex Heb. reddunt *Statuam*; alii, *Columnam*. Neque illicitum, neque prohibitum fuisse, vel statuas, vel columnas, vel titulos erigere in divinorum beneficiorum, aut etiam in alicujus alterius rei bonæ memoriam, constat ex Genes. 28. ubi Jacob legitur erexisse lapidem in titulum. Ex cap. 35. ubi erexit titulum super sepulchrum Rachelis. Ex cap. 24. Exod. Ubi Moyses duodecim titulos posuit per duodecim tribus Israel; cui simile quidpiam fecit Josue cap. 4. libri sui. Ac rursum ex 4. Reg. 23. Ubi de sepulchro hominis Dei: & ex 1. Machab. 14. ubi de titulis in monte Sion. Quod ergo hic prohibetur, est ne statuæ in falsorum deorum honorem erigerentur, vel columnis imponerentur, aut ne construerentur altaria vel tituli in eorum memoriam vel cultum.

[ *Nec insignem lapidem ponetis in terra vestra*, ] Alii reddunt, *nec lapidem speculationis*, in quem scilicet homines speculentur, & intendant. Alii, *nec lapidem picturæ*, seu pictum vel figuratum. Alii, *nec lapidem scopum*, hoc est, eminentem, quem instar scopi intuearis. Id enim quod pro scopo statuitur, in quod colliment sagittarii, debet eminere. Quoniam verò ista omnia per lapidem insignem significari possunt, nulla versio melior est quàm nostra vulgata. Ne quis porrò existimet omnem omninò lapidem insignem, omnemve lapidem pictum prohiberi, sequitur in textu;

[ *Ut adoretis eum*. ] Per quod datur intelligi esse prohibitum talem aliquem lapidem ponere ad cultum divinum ei deferendum, aut Idolo per eum repræsentato. Ex quibus, ut & ex illis quæ Exodi 20. commemorati sumus, liquet nihil hic haberi contra cultum sacrarum imaginum, cùm fideles non habeant illas pro diis, neque ad cultum divinum.

[ ℣. 2. *Custodite Sabbata mea*, ] Hoc est, omnia festa quæ vobis præcepi, & in quibus oportet sabbatizare, seu quiescere:

[ *Et pavete ad Sanctuarium meum*. ] Tabernaculum & Templum meum habete in Reverentia: Confer quæ diximus cap. 19. ad v. 30.

[ ℣. 3. *Si in præceptis meis ambulaveritis*, ] Ea observando.

[ *Et mandata mea custodieritis, & feceritis ea*. ] *Præcepta*, & *mandata* sunt eadem, sicut etiam idem est, illa *servare*, *custodire*, & *facere* distinctè tamen ponuntur ad majorem emphasim: Et sermo est de omnibus Dei præceptis tam cæremonialibus, & judicialibus, quàm moralibus. Quoniam si Judæi tantùm aliqua eorum servarent, Deus non daret eis bona quæ hic promittit.

[ *Dabo vobis pluvias temporibus suis*, ] Id est; opportunis, prout videlicet fœcundationi terræ, & rerum frugiferarum fructificationi competit. Pro magno beneficio promittit Deus daturum se pluviam opportunis temporibus: Quoniam etsi pluvia naturaliter decidat, sicut tamen omnium aliarum rerum etiam naturalium Deus est Author & moderator; ita & pluviæ; facitque interdum, ut dum juxta naturales causas futura esset nimia siccitas, adeòque sterilitas, pluviæ terram fœcundent: Interdum verò, ut cùm juxta easdem causas casuræ essent abundantes & utiles pluviæ, ac per consequens futura fœcunditas, illæ impediantur & non decidant, sequaturque sterilitas. Facit autem vel ut benignus ac beneficus Pater; vel ut iratus & vindex: Idcircò Ecclesia Deum precatur in Litaniis, *ut fructus terræ dare & conservare dignetur*: Et in una Collecta Missæ petimus pluviam nobis tribui congruentem.

*Quæris Abulensis*, cùm terræ nascentia non solùm oriantur ex pluvia, sed etiam ex calore, quare Deus non promittit calorem Solis, quemadmodùm promittit pluviam? *Summa Responsionis est*, quia non oportet promitti ea quæ ferè sunt immutabilia, & quasi semper eodem modo eveniunt; cùm autem Sol perpetuò eumdem cursum teneat, & singulis annis æqualiter elevetur & descendat, semper determinatis temporibus redit ejus calor, etsi quandoque major, quandoque minor, secundùm diversas conjunctiones seu aspectus planetarum & alia quæ subinde intercurrunt: At in pluviis longè major est inconstantia, cùm aliquando multùm abundent, interdùm nimis deficiant; & subinde veniant temporibus debitis, aliàs verò indebitis & importunis. Ideoque major fuit ratio promittendi pluvias opportunis temporibus.

[ ℣. 4. *Et terra gignet germen suum*, ] Proferet fruges quas apta est proferre, sive, ut ex Psal. 66. habetur fructum suum.

[ *Et pomis arbores replebuntur*. ] Poma generaliter hic usurpantur, pro quibuslibet fructibus arborum aptis ad esum, sive sint molles, sive duri, cujusmodi sunt mala, pyra, ficus, nuces &c. *Observandum*, quòd

quòd præcepta divina servantibus promissa fuerint in veteri Testamento bona temporalia & terrena, quæ tamen erant typus bonorum spiritualium in novo Testamento dandorum. At in novo Testamento principaliter & per se promittuntur spiritualia; temporalia, solùm ut conferunt ad spiritualia. Profuerit legere quæ scripsimus 1. 2. q. 99. art. 6.

[ ℣. 5. *Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem:* ] Tanta vobis erit frumenti & vini abundantia, quòd non poteritis absolvere trituram frumenti suo tempore, sed ea durabit usque ad principium vindemiæ: Et vice versa, vites tot producent racemos, quòd non poteritis absolvere vindemiam, antequam advenerit tempus seminandi.

[ *Et comedetis panem vestrum in saturitate,* ] Habebitis abundantiam victualium, & poteritis illis sufficienter & copiosè uti: *Panis* enim nomine, totus victus qui ex cibo & potu constat, significatur: Et *saturitas* pro *copia* & sufficientia hìc ponitur, sicut sup. cap. 25. vers. 19. non verò ut sonat in vitium. Ad panem addendo *vestrum*, denotatur victus cuique proprius & conveniens; quemadmodum in Oratione Dominica cùm petimus *Panem nostrum quotidianum*.

[ *Et absque pavore habitabitis in terra vestra.* ] Quieti, & ab hostibus securi; conformiter ei quod Job 11. dicitur, *Requiesces, & non erit qui te exterreat,* ] Quodque hìc statim sequitur.

[ ℣. 6. *Auferam malas bestias:* ] Quæ veneno nocere, vel feritate terras depopulari solent.

[ *Et gladius non transibit terminos vestros.* ] De gladio hostili sermo est, & significatur quòd non sint per bella, & per hostium arma interficiendi intra suos terminos, sive in terra sua.

[ ℣. 7. *Persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis.* ] Non valentes vestræ fortitudini resistere.

[ ℣. 8. *Persequentur quinque de vestris centum alienos, & centum de vobis decem millia:* ] Non promittitur simplex & nuda persecutio, sed victoriæ conjuncta. Sumendo enim numerum certum pro incerto, sensus est, quòd numero licèt paucissimi devicturi sint Adversarios tametsi numero longè majores. Ita *Gedeon* cum trecentis viris debellavit centum viginti millia bellatorum Judic. 7. & 8: *Asa* 2. Paralip. 14. Decies centena millia, & currus trecentos *Zara* Æthiopis delevit cum exercitu longè impari: Similiterque *Judas Machabæus* plurimos cum paucis interfecit, sciens Deo esse facilè concludi multos in manu paucorum, & non in multitudine Exercitus esse victoriam belli, sed de Cœlo fortitudinem esse.

[ ℣. 9. *Respiciam vos,* ] Vultu benigno ad vobis benefaciendum, vosque multiplicandos; sequitur enim.

[ *Et crescere faciam: Multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum.* ] Firmum & inconcussum servabo pactum, quòd ero vester Deus, & vos eritis meus populus; quòdque bonorum multitudinem & varietatem vobis dabo.

[ ℣. 10. *Comedetis vetustissima veterum,* ] Interpres potuit reddere *vetera veterum*, quia superlativis caret lingua Hebræa: Sed perinde est, *vetera* quippe *veterum*, phrasi satis trita, idem valent quòd *vetustissima*; sicut *Canticum Canticorum*, idem est quod *Canticum excellentissimum*; & *Cœlum cœli*, idem quòd *Cœlum supremum*; *Sanctus Sanctorum*, idem quòd *Sanctissimus*, *vanitas vanitatum*, idem quòd *summa vanitas*; similiterque *vetustissima veterum*, idem sunt quòd *simpliciter vetustissima*.

[ *Et vetera novis supervenientibus projicietis.* ] Hebraicè, *Facietis egredi*, hoc est, efferetis seu educetis, nimirùm ex horreo, vel loco in quo erant, ut nova ibi recondatis. *Projectio* enim de qua Textus noster, non significat absolutam jacturam, sed eductionem & extractionem. Quamquàm & significari possit, quòd novis advenientibus, vetera parvi, & quasi nihili fient, loquendo de frugibus: *Quod addo*, propter differentiam *vini* de quo Christus Luc. 5. dixit, *nemo bibens vetus, statim vult novum; dicit enim, vetus melius est*. In Hebr. pro *novis supervenientibus*, habetur, *à facie novi:* Idest, propter nova. Frequenter enim aliquid dicitur à facie alterius fieri, quod fit propter alterum, ut 1. Reg. 8. *Clamabitis in die illa à facie Regis vestri*. Psalm. 37. *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ*. Oseæ 10. *Sic fecit vobis Bethel à facie malitiæ nequitiarum vestrarum*.

[ ℣. 11. *Ponam Tabernaculum meum in medio vestri,* ] Seu, inter vos: Q. d. Semper vobis adero & favebo, & inter vos habitabo.

[ *Et non abjiciet vos anima mea.* Non vos abominabor, neque ut quidpiam pollutum abjiciam, vel evomam.

[ ℣. 12. *Ambulabo inter vos,* ] Non locum mutando, sed vobis assistendo, necessaria suppeditando & protegendo; instar illius qui huc illucque discurrens providet omnibus quorum habet curam, omnes protegit & adjuvat.

[ *Et ero Deus vester, vosque eritis populus meus.* ] Peculiarem vestri curam habebo, specialiusque vobis quàm aliis gentibus benefaciam; & vos specialiter me coletis tamquam Deum vestrum, ita ut nullum alium Deum recipiatis.

[ ℣. 13. *Confregi catenas cervicum vestrarum,* ] In Hebr. *Confregi vectes jugi vestri*.

[ *Ut incederetis erecti.* ] Figuratè significatur gravitas servitutis Ægyptiacæ, sumpta metaphora, vel à catenis ferreis collo impositis quæ hominem deprimunt, nec sinunt cervicem sursum erigere; vel à jugo boum, quo eorum capita & cervices deprimuntur; ac deinde, à tam dura servitute liberatio.

[ ℣. 14. *Quòd si non audieritis me,* ] Si nolueritis mihi obedire. Sicut leges Dei servantibus multas benedictiones ipse hactenùs promisit, ita deinceps non servantibus varias intentat maledictiones.

[ ℣. 15. *Si spreveritis leges meas, & judicia mea contempseritis,* ] Non est sermo de contemptu formali & expresso, sed de Interpretativo, qualis reperitur in omni voluntaria transgressione præceptorum, perinde ac si diceretur: Si leges meas sive judiciales, sive alias non servaveritis.

[ ℣. 16. *Ego quoque hæc faciam vobis; visitabo vos velociter* ] Citò vos puniam: Quamvis enim *visitatio* interdum accipiatur in bonum, ut Lucæ 1. *Visitavit nos oriens ex alto*; hìc tamen sumitur pro visitatione ad pœnam inferendam; sicut etiam Psalm. 88. *Visitabo in virga iniquitates eorum*. Quod hìc dicitur, *velociter*, conforme est ei quod Deuter. 7. legitur, Deus reddere odientibus se, *statim*; ita ut disperdat eos, & ultrà non differat, protinùs eis restituens quod merentur.

[ *In egestate & ardore,* ] Per *egestatem*, & rerum externarum indigentiam & consilii inopiam quidam intelligunt: Per *ardorem*, febrim calidam & ardentem.

[ *Qui conficiat oculos vestros, & consumat animas,* ] Hoc est, vitas [ *vestras.* ]

[ ℣. 17. *Ponam faciem meam contra vos,* ] Indignabundum & graviter iratum me vobis exhibebo. Confer quæ diximus ad Cap. 20. versum 3.

[ *Et corruetis coram hostibus vestris,* ] Auxilio divino destituti.

[ *Fugietis, nemine persequente.* ] Talem vobis incutiam terrorem, ut etiam nemine vos persequente fugiatis: Quod latiùs describitur Deuteron. 28. à versu 65.

[ ℣. 18. *Addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra,* ] Multò graviùs vos puniam quàm anteà, & hoc propter peccata vestra, tum inemendata & continuata, tum iteratò commissa; nam hæc majorem Dei iram provocant. De vocabulo *septuplum*, vide dicta ad cap. 4. Genesis.

[ ℣. 19. *Et conteram superbiam duritiæ vestræ.* ] Idest, superbam vestram duritiem.

[ *Daboque vobis cœlum desuper sicut ferrum, & terram æneam.* ] Similia leguntur Deuteron. 28. Est autem insignis tum hyperbole, tum metaphora, ad summam sterilitatem ex defectu pluviæ & humoris significandam. *Cœlum sicut ferrum est*, quod nullam dat pluviam, ferrum enim est siccissimum, & omnis humoris expers. *Terra* dicitur *ænea*, quæ succi & humoris inopia, nihil ex se producit. Legatur 3. Reg. cap. 17. & Aggæi cap. 1. & quæ scribit S. Ambrosius Epist. 52. ad Romulum.

[ ℣. 21. *Si ambulaveritis ex adverso mihi.* ] Si opposueritis vos mihi, volueritisque esse mihi rebelles & inobedientes.

[ ℣. 22.

[ ℣. 22. *Desertaque fiant via vestra.* ] Ut vix ulli per eas transire audeant, vel metu ferarum, vel præ hominum paucitate.

[ ℣. 23. *Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam,* ] Si nec pœnis illis castigati, emendati fueritis,

[ *Sed ambulaveritis ex adverso mihi:* ]

[ ℣. 24. *Ego quoque contra vos adversus incedam,* ] Faciam ea quæ vestræ voluntati sunt contraria; plagas nimirùm & afflictiones vobis mittendo quas non vultis. Sententiam hanc B. Hieronymus in cap. 3. Malach. sic ex versione 70. refert 1. *Si ambulaveritis ad me perversi; & ego ambulabo contra vos furore perverso.* Qualem etiam lectionem recitat super cap. 7. Ecclesiastæ, Eaque omninò convenit cum illo Psalm. 17. *Cum perverso perverteris*; Idest, eris durus & rigidus pœnarum exactor, sive, ut Scholastico more loquamur, *Cum malis malitia culpæ, malus eris malitia pœna*, condignam videlicet pœnam eis inferendo. Unde pro eo quod in Textu nostro hic est, *adversus*, apud 70. *furore obliquo*, alii legunt, *durè & pertinaciter*, ut videre est in Scholiis 70. Interpretum Romæ impressis.

[ *Et percutiam vos septies propter peccata vestra.* ] *Septies*, idest, magna & multiplici plaga: Septenarius enim est perfectionis & multitudinis Symbolum.

[ ℣. 25. *Inducamque super vos gladium ultorem fœderis mei.* ] Per vos violati. *Gladius* pro *Bello* sumitur, quemadmodum 1. Machab. 9. *Cessavit gladius*, idest Bellum, *ex Israel*; nam sub gladio omne genus armorum comprehenditur. Et sensus est, homines armatos mittam qui ulciscantur fœdus meum à vobis violatum: Sive, qui de vobis sumant vindictam, eò quòd fœdus inter me & vos initum transgressi estis: Fœdus autem illud ea parte eorum continebat, quòd legem ipsis à Deo datam observarent, ejusque præceptis omnibus obedirent, Exod. 19. & 24.

[ ℣. 26. *Postquàm confregero baculum panis vestri:* ] Postquàm vobis abstulero omne subsidium victus. Similia loca sunt Ezechiel. 4. & 5. ubi Deus dicit, *Conteram in vobis baculum panis*; & Psalm. 104. *Omne firmamentum panis contrivit.* Quemadmodum *baculus* tum senibus, tum viatoribus est sustentaculum; ita vita nostra nititur ac sustentatur victu, ac potissimum *pane*; ideoque *panis* rectè dicitur *baculus*, & *confringere baculum panis*, est magnam famem inducere.

[ *Ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes,* ] In hoc significatur maxima panum penuria. Si enim decem mulieres possint sibi suisque familiis panes *simul in uno clibano* coquere, oportet non esse multos pro singulis; cùm non agatur de clibano extraordinariè magno, sed de eo qui communiter pro una familia sufficere solet. Quòd exprimuntur *decem mulieres*, non est accipiendum præcisè pro illo numero, sed definitus numerus pro indefinito ponitur, eoque magno, sicut Num. 14. *Tentaverunt me jam per decem vices:* Job 19. *Ex decies confunditis me.* Et Apoc. 2. *Habebitis tribulationem diebus decem.*

[ *Et reddant eos ad pondus:* ] Hoc est, & Domesticis certo pondere vel mensura eos distribuant; ita ut non possint quantum volunt, vel quantum fames exigit de illis comedere. Unde sequitur.

[ *Et comedetis, & non saturabimini.* ] De fame potiùs quàm de siti agitur; quoniam licèt sitis sit toleratu difficilior, rariùs tamen occurrit potus inopia quàm cibi, cùm aqua frequentiùs adsit.

[ ℣. 28. *Et corripiam vos septem plagis* ] Idest novis, & multiplicibus.

[ ℣. 29. *Ita ut comedatis carnes filiorum vestrorum & filiarum vestrarum.* ] In obsidione Samariæ hoc contigisse patet ea 4. Reg. 6. Quod & in obsidione Jerusalem acciderit, deplorat Jeremias Thren. 4. his verbis: *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos, facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei.* Et Baruch 2. dicit Deum adduxisse mala magna, *secundùm quæ scripta sunt in lege Moysi, ut manducaret homo carnes filii sui, & carnes filiæ suæ.* In obsidione quoque per Titum facta, idem contigisse narrat Josephus Lib. 7. de Bello Judaico cap. 8.

[ ℣. 30. *Destruam excelsa vestra,* ] *Excelsa* vocantur Templa Idolorum quæ in locis excelsis ædificarunt Judæi, ritu Gentilium. Fuerunt apud Judæos & alia *Excelsa*, in quibus Deo vero sacra fiebant: Sed & hæc Deo displicuerunt, utpotè contra ejus legem facta, & quia redolebant ritum Gentilium. De his haud infrequens mentio in Libris Regum.

[ *Et simulachra confringam.* ] Ex Hebr. alii reddunt *Solaria*: vel, *simulachra Solis*: Sed vocabulum Hebræum pro quolibet simulachro seu idolo sumitur; ideò enim sequitur.

[ *Cadetis inter ruinas Idolorum vestrorum,* ] Per quod significatur quòd unà cum Idolis, Idolorumque Templis, ad quæ velut pro auxilio confugerent, casuri essent & morituri.

[ *Et abominabitur vos anima mea,* ] Exosos vos habebo, & velut fœtidum quid abjiciam, nec curabo vobis auxilium ferre.

[ ℣. 31. *Deserta faciam sanctuaria vestra,* ] Hoc est, Sanctuarium sive Templum, in quo, post quàm fuit ædificatum, Judæi consueverunt Sacrificia Deo offerre. Quod cùm sub Jeremia accidisset, prout 4. Reg. 25. & 2. Paralip. ult. refertur, ipse sic Thren. 1. deplorat: *Viæ Sion lugent, eò quod non sint qui veniant ad solemnitatem. Omnes portæ ejus destructæ: Sacerdotes ejus gementes.*

[ *Nec recipiam ultrà odorem suavissimum.* ] Non placebit mihi ultra immolatio sacrificiorum, & incensio vestri Thymiamatis mihi aliquando suavissimi & gratissimi.

[ ℣. 32. *Disperdamque terram vestram,* ] *Disperdam*, idest, faciam desertam, & in solitudinem redigam. Terra secundùm se mansit: Sed quoniam dum deserta & habitatoribus destituta est, quasi nihili habetur; ipsa *disperdi* dicitur, quando incolis vacuatur, & in solitudinem redigitur.

[ *Et stupebunt super ea inimici vestri, cùm habitatores illius fuerint.* ] Q. d. Hostes qui terram vestram deleverint, eamque inhabitatam venerint cum stupore admirabuntur severitatem divinæ punitionis. *Omnis qui præterierit per eam obstupescet, & movebit caput suum*, ait Jeremias cap. 18. quod impletum fuisse, sic ipse refert Thren. 2. *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: Sibilaverunt & moverunt caput suum super filiam Jerusalem, Haccinè est Urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ &c.*

[ ℣. 33. *Et evaginabo post vos gladium,* ] Vos in exilium euntes; ac etiam in exteris nationibus commorantes hostili gladio percutiam.

[ ℣. 34. *Tunc placebunt terræ Sabbata sua cunctis diebus solitudinis suæ:* ] Terra, cùm sit inanimis, non est complacentiæ capax; sed ea per prosopopejam illi attribuitur, & significatur, quòd cùm Judæi fuerint de terra promissionis expulsi, illa terra fruetur quiete, & in ea quiete sibi complacebit; quoniam ab omnibus agriculturæ laboribus quiescet, toto eo tempore quo erit deserta, & in solitudinem redacta: Id quod anteà non fuerat illi concessum; Judæis quippe eam inhabitantibus non permittebatur quiescere, neque in anno sabbatico, neque in anno Jubilæi juxta legis præscriptum, sed ipsi eam arabant, serebant, & metebant nulla legis ratione habita. Unde sequitur.

[ ℣. 35. *Eò quòd non requieverit in Sabbatis vestris, quando habitabatis in ea.* ] Per quod datur intelligi quòd istarum legum neglectus fuerit etiam causa calamitatis ejus quæ hic pronunciatur.

[ ℣. 36. *Et qui de vobis remanserint,* ] Qui plagis prædictis non interierint, non idcircò putent se immunes, & ab aliis pœnis futuros liberos: quia

[ *Dabo pavorem in cordibus eorum in regionibus hostium,* ]. Non est à Deo alienum indere vel immittere pavorem vehementemvè timorem; quia ille non est peccatum, sed peccati comes & pœna. *Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis: Semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia*, seu per conscientiam. Nam *Conscientia* est sexti casus; *perturbata* autem est primi, & refertur ad nequitiam quæ per conscientiam perturbata, semper præsumit & præsagit gravia & molesta. Sap. 17.

[ *Terrebit eos sonitus folii volantis, & ita fugient quasi gladium:* ] Q. d. In tanta erunt pusillanimitate, & formidine; ut ex re levissima concutiantur, & ita fugient *à sonitu folii volantis*, ac si esset gladius inimicorum eos persequens.

[ ℣. 38. *Et*

[ ℣.38. *Et hostilis vos terra consumet.* ] Per consumptionem quæ hic prædicitur quidam innui putant, Decem Tribus sic in terram hostilem abducendas, ut ibi essent interituræ, & numquàm reversuræ in terram promissionis. Quod tamen non ita est intelligendum, quasi nulli omninò ex illis redierint; sed partim quia non adeò multi ex tribubus illis redierunt, ut ipsæ dici possint rediisse: Partim quia illi qui redierunt, nonnisi Tribui Juda (sub qua comprehenditur Beniamin & Levitica) permixti & adjuncti reversi sunt.

[ ℣.39. *Quòd si & de iis aliqui remanserint,* ] Qui captivitatis initio consumpti non fuerint, nec ita territi, ut ex re quavis, etiam levissima, fugerint.

[ *Tabescent in iniquitatibus suis,* ] Desiccabuntur, & quasi putrescent paulatimque deficient, præ animi mœstitia in corpus redundante, memores quòd in terra inimicorum suorum sunt, & exulent à propria propter peccata Patrum suorum & sua. Quomodò filii justè puniri possint propter peccata parentum, explicavimus Exod. 20. & 1. 2. q. 87. art. 8. Concl. 8.

[ ℣.40. *Donec confiteantur iniquitates suas, & majorum suorum,* ] recognoscentes se talia justè pati in pœnam peccatorum suorum, ac etiam peccatorum parentum, quæ ipsi quodammodò fecerunt sua, illos imitando.

[ *Et ambulaverunt ex adverso mihi.* ] Voluntati meæ rebelles & inobedientes fuerunt faciendo quæ prohibueram, & omittendo quæ mandaveram.

[ ℣.41. *Ambulabo igitur & ego contra eos,* ] Faciam & ego quod ipsi nolunt: Plagas mittam in eos quas non cupiunt. Unde sequitur.

[ *Et inducam illos in terram hostilem,* ] Faciam illos captivari ab hostibus, & in terram eorum abduci.

[ *Donec erubescat incircumcisa mens eorum:* ] In Hebr. *Vel tunc humiliabit se.* Saltem tunc deprimetur *cor eorum incircumcisum,* idest, improbum, vanis, superfluis, & perversis cogitationibus plenum. Nam in circumcisione Judæi fiebant Sancti & mundi, habentes verò præputium, & incircumcisi, habebantur immundi, profani, & valde contemptibiles, sicut patet ex 1. Reg. 14. ubi Jonathas per improperium loquens de Philistæis dicit; *Transeamus ad Stationem incircumcisorum horum.* Et cap. 17. cùm David vellet improperare Goliath Geteo, *Erit,* (ait) *& Philistæus hic incircumcisus, quasi unus ex eis.* Unde nomen præputii & incircumcisi per metaphoram ad alia transfertur, & significat immundum, impolitum, ineptum & intractabile. Sic Moyses Exod. 6. dicit se incircumcisum labiis, idest, inelegantem in loquendo: Et Act. 7. Rebellium aures vocantur incircumcisæ, idest, ad audiendum duræ & ineptæ, quia scilicet ipsi eas obturant ne audiant.

[ *Tunc orabunt pro impietatibus suis.* ] In Hebr. prout nunc habetur, sonat; *Tunc volent iniquitatem suam.* Apud 70. *Peccata sua placita habebunt.* Sumitur autem tum *iniquitas,* tum *peccata,* pro pœna peccatis debita, quemadmodum & quibusdam aliis locis; sensusque est. Pœnas quas pro peccatis suis patientur æquo animo ferent, & in illis sibi complacebunt agnoscentes se à Deo justè puniri. Dicent nimirùm Deo; *Justus es in omnibus quæ fecisti nobis: Judicia vera fecisti juxta omnia quæ induxisti super nos, & super civitatem sanctam Patrum nostrorum Jerusalem &c.* Daniel. 3. Hæc autem est tacita oratio ad placandum Deum, obtinendumque ab eo remissionem peccatorum, & relaxationem à pœnis.

[ ℣.42. *Et recordabor fœderis mei,* ] Deus in quem nulla cadere potest oblivio *recordari* dicitur, quando reipsa quidpiam præstat, quod anteà non præstabat.

[ *Quod pepigi cum Jacob, & Isaac, & Abraham.* ] Cum Jacob. Genes. 28. Cum Isaac. Genes. 26. Cum Abraham Genes. 12. 15. 17. 22. *Cur* hic præter morem aliàs usitatum primo loco recenseatur Jacob, & ultimo Abraham, diversæ rationes adferuntur: Sed hæc sicut simplicior, ita verior videtur, ut gradatim ascenderetur ab ultimo ad primum, sicut Apostolus 1. ad Cor. 1. à minoribus ad Majores ascendit, reprehendens eos qui dicebant, *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Christi.* Quamvis enim Paulus non fuerit inter omnes illos minimus, ipse tamen modestiæ causa, velut minimum, primo, idest, infimo loco se posuit, & Christum supremo, & huic proximum, Petrum.

[ *Terra quoque memor ero:* ] Cùm enim diu suis incolis quibus illam promisi vacua fuerit, reducam ipsos ad eam, faciamque ut per eos inhabitetur & colatur: Id quod & ad ornamentum & ad fertilitatem terræ conducit. Quamquàm enim Terræ bonum sit aliquando quiescere, tamen nimis diuturna quies & solitudo eam sua pulchritudine & ubertate spoliat, ac modo quodam fœdat, & contemptibilem reddit.

[ ℣.43. *Complacebit sibi in Sabbatis suis,* ] Quiete sua fruetur, & in hoc gaudebit. Confer dicta ad vers. 34.

[ ℣.44. *Et tamen etiam cùm essent in terra hostili, non penitus abjeci eos, neque sic despexi ut consumerentur,* ] *Præterita* pro *futuris* ponuntur, juxta morem Propheticum, & perinde est, ac si diceretur: Cùm erunt in terra hostili, non penitus eos abjiciam, neque sic derelinquam, ut ad unum omnes intereant, sed semper supererunt reliquiæ, ex quibus alii nascantur.

[ *Et irritum facerem pactum meum cum eis.* ] Loquitur de pacto quod cum Israelitis inivit Deus in monte Sinai Exod. 19. Ante quod aliud præcesserat cum Patribus eorum, de quo versu 42. Quamvis autem non propriè & simpliciter dici possit irritare pactum is qui propter defectum conditionis ab altero propositæ, & promissæ non præstat id quod ipse promiserat, ideòque videatur Deus non facturus irritum pactum suum cum Judæis, si eos à lege & cultu suo recedentes abjecisset & dereliquisset, quia pactum illud erat conditionale, *si ipsi Deum non abjicerent.* Si tamen Deus illos penitus abjecisset, omninoque dereliquisset durante Judaismo & statu Legis Mosaicæ, meritò reputatus fuisset irritare pactum suum: Quoniam, ut observat Abulensis, quamquàm pactum Dei esset conditionale, intelligebatur tamen quòd ipse numquàm eos totaliter derelinqueret, nisi cùm ipsi se totaliter à Deo diverterent, quomodò demùm post mortem Christi se totaliter à Deo diverterunt; quando & Lex Mosaica desiit, & Judaismus est abolitus, Judæorumque Respublica eversa.

[ ℣.45. *Et recordabor fœderis mei pristini,* ] Ejus scilicet quod pepigi quando Israelitas eduxi de Ægypto, quemadmodum verba subsequentia clarè indicant. *Nec refert* quòd fœdus illud non esset antiquum, id quod importat vocabulum *pristini: Licèt enim* esset recens quando Leges hæ ferebantur, utpotè anno præcedente sancitum in Sina; futurum nihilominùs erat antiquum illo tempore pro quo hæc dicuntur, sive quando Deus recordaretur ejus. *Pristinum* ergo vocatur, non respectu temporis quo Deus ista loquebatur, sed referendo ad tempus quo Deus recordaretur istius fœderis.

[ *Quando eduxi eos de terra Ægypti in conspectu Gentium,* ] Illa eductio facta est *in conspectu Gentium: Partim* quia filii Israel profecti sunt de Ramesse videntibus cunctis Ægyptiis, & sepelientibus primogenitos, Num. 33. *partim,* quia illam statim resciverunt variæ Gentes: *Dolores enim obtinuerunt habitatores Philisthiim, conturbati sunt Principes Edom, & Robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan,* Exod. 15. Hoc autem rectè dicitur fieri in conspectu aliorum, quod statim ad eorum notitiam pervenit.

[ *Ut essem Deus eorum.* ] Ideò ipsos eduxi de Ægypto, ut qui omnium Deus sum, specialiter essem Deus Israelitarum, tum peculiariter eis beneficia præstando, tum habendo illos cultui meo deditos & obstrictos.

[ *Hæc sunt Judicia atque præcepta, & Leges,* ] Istud relativum *hæc* referri potest ad omnes Leges; tam in Levitico quàm in Exodo datas, ut hic sit omnium illarum Epilogus. Et quamvis ista tria, *Judicia, præcepta,* & *Leges,* quandoque sint synonyma; nihil tamen vetat ita distingui, ut per *Judicia,* designentur *præcepta Judicialia;* per *præcepta, Cæremonialia;* per *Leges, naturalia,* seu *moralia.*

[ *Quas dedit Dominus inter se & filios Israel in monte Sinai* ] Non est hoc ita accipiendum, quasi omnia illa præcepta fuerint in cacumine montis Sinai data, sicut fuerunt datæ tabulæ Decalogi, & præcepta de construendo

struendo

struendo Tabernaculo, sed quoniam reliqua fuerunt data *in monte*, hoc est, *apud montem*, seu, ad radices montis ubi erat Tabernaculum, quemadmodum sub finem capitis 27. explicant Abulensis & Lorinus.

[ *Per manum Moysi*. ] Hoc est per Moysen. Hactenus litteralem benedictionis promissæ, & maledictionis comminatæ sensum exposuimus. *Contra quem* argumentari quispiam posset, multos in veteri Testamento fuisse justos, imò & perfectos, qui benedictiones illas non sunt consecuti, sed adversitates gravissimas pertulerunt: Sicut Tobias, Jeremias, Baruch, & illi de quibus dicitur Psalm. 33. Multæ tribulationes justorum; & Sap. 3. *Tamquam aurum in fornace probavit illos*; Et ad Hebr. 11. *Alii ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt &c.* propter quæ Glossa dicit, ea quæ his benedictionibus continentur, non posse stare, *Sed oppositum absque dubio tenendum est*, ac dicendum, tum benedictiones, tum maledictiones isto capite expressas, non esse intelligendas de singulis suppositis Israelitarum, sed de Communitate, & secundùm cursum communem. Nam sicut in libris Judicum, Regum, Paralipomenon & Machabæorum describitur, communiter contigit, quòd quando populus ille generaliter, seu pro majori parte fideliter Deo serviebat, benedictiones illas percipiebat; quando autem à Deo recedebat, experiebatur adversitates in maledictionibus contentas. Videri potest Dionys. Carthus. art. 49. sup. hoc cap. & quæ diximus 1. 2. q. 99. in fin. conformiter iis quæ B. Thomas ibi scripsit art. 6. ad 3. his verbis: *Sicut patet Historias veteris Testamenti revolventi, communis status populi semper sub lege in prosperitate fuit, quamdiu legem observabant; & statim declinantes à præceptis legis divinæ, in multas adversitates incidebant.*

*Pro sensu Spirituali*, Observandum est, *pluviam* quam obedientibus sibi promittit Deus, esse verbi divini sermonem, rorem spiritualis consolationis, gratiæ infusionem, & Spiritus Sancti influxum. Per *abundantiam bonorum temporalium* quæ bonis promittitur significatur spiritualium bonorum copia. Per *pacem* quam promittit Deus dare in finibus eorum, pax interior quam in justis generat bona conscientia, *& pax Christi quæ exuperat omnem sensum*, ad Philipp. 4. Per illud, *habitabo inter vos &c.* designatur futurum illud Baruch 3. *Post hæc, in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. Et per victoriam de hostibus corporalibus*, significatur victoria de inimicis spiritualibus, diabolo, mundo, & carne, quam per Dei gratiam consequuntur qui sunt ei fideles & obedientes, è Contrario autem, *per egestatem & siccitatem* comminatam iis qui legem non servarent, designatur gratiæ & virtutum subtractio & inopia; famesque illa quam Deus Amos 8. prædicit, *Mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. Grata non habebit coram sacrificia, laudes, & orationes*; quia, *qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis*. Proverb. 28. *Et non est speciosa laus in ore peccatoris*. Eccli. 15. Peccatori quoque *dixit Deus; quare tu enarras justitias meas?* Psalm. 49. *Pavorem das in cordibus eorum*, quia facit ut Conscientia eos remordeat, nec sinat ipsos esse quietos.

## CAPUT XXVII.

*Variorum generum vota, & illorum ac decimarum persolutio.*

[ ℣. 2. *Homo qui votum fecerit, & spoponderit Deo animam suam*, ] Synonyma sunt *vovere* & *spondere Deo*: utrumque enim significat promissionem soli Deo factam *anima* variè usurpatur in sacris litteris: At hìc pro ipso homine ponitur; & sensus est: Qui seipsum Deo vovit, eique promisit se tota vita mancipare ejus cultui ad ei serviendum in Tabernaculo. Et per *hominem* intelligitur quivis homo cujuscumque sexus. Quoniam porrò munia Sacerdotum & Levitarum nemo poterat exercere, nisi qui esset de tribu Levi idque Sacerdos aut Levita; consequens est quòd nec ad ea se per votum obligare posset alius; quia nemo potest vovere, ac vovendo se obligare ad ea quæ sunt sibi impossibilia. *Nec refert*, quòd in nova lege, is qui neque Sacerdos, neque Levita est, possit vovere istorum ordinum officia; quia ipse potest ordines illos suscipere, ac tum officiis illorum fungi; cùm ordines non sint alicui familiæ vel tribui addicti, sicut in veteri Testamento Deus eos addixerat tribui Leviticæ. Si quis autem Sacerdos aut Levita voto se obligasset ad perpetuum & quotidianum ministerium, quisque sibi proprium, non erat locus redemptioni, sed debebat, quantùm in se erat, votum servare; nam redemptio de qua mox sequitur, ad alios & ad alia vota pertinet: Sermo quippè est de Laicis qui seipsos voverent ac offerre vellent ad serviendum in Tabernaculo seu Templo secundùm quod Laicis competere poterat. Cujus propterea voti ratione viri tenebantur, juxta præscriptum Sacerdotis aut Levitarum, cineres efferre, aquas & ligna ad usum Sanctuarii portare seu vehere, atrium verrere, sarta tecta curare, aliaque ejusmodi. Fœminæ verò quæ sexui suo convenium præstare debebant, ut nere, telas texere, Sacerdotum & Levitarum vestes reparare, purgare, lavare. Sed Deus voluit, ut qui vota illa emiserant, possent se redimere; *partim* ne nimia in Tabernaculo vel Templo servientium turba excresceret, *partim* nolens suos Hebræos sic alicui perpetuæ servituti esse obnoxios, ut ab ea se liberare non possent. Procedunt autem hæc de voto quo quis simpliciter & indefinitè vovisset se Deo serviturum in Templo vel in Tabernaculo: Nam de voto quo quidpiam, sive homo, sive aliud esset specialiter & determinatè consecratum Deo in perpetuum, ad versum 28. dicendum erit, quòd non esset redimibile.

[ *Sub æstimatione dabit pretium*. ] Si se redimere voluerit ut non maneat obligatus ad ea ad quæ ratione voti tenetur, dabit pretium juxta æstimationem & taxam quæ statim hìc sequitur. Si autem noluerit se redimere, sed malit præstare ea ad quæ per votum se obligavit, nullum debet dare pretium; quoniam ista redemptio est libera: quemadmodum tradit Baronius tom. 1. Annalium in apparatu, probatque exemplo Samuelis 1. Reg. 1. qui à teneris annis ministravit in Tabernaculo, nullo à parentibus persoluto redemptionis pretio.

[ ℣. 3. *Si fuerit masculus, à vigesimo anno usque ad sexagesimum annum dabit quinquaginta siclos argenti* ] q. d. Quicumque masculus se Deo voverit, si fuerit annorum viginti vel plurium, modò non excedat sexagesimum, pro sui voti redemptione dabit quinquaginta siclos argenti, qui juxta modum nostrum computandi faciunt quinquaginta florenos.

[ *Ad mensuram Sanctuarii*: ] Hoc est, qui sint justissimi ponderis juxta siclum scilicet illum qui servabatur in Sanctuario velut mensura aliorum, ut ad cap. 30. Exod. fuit expositum.

[ ℣. 4. *Si mulier, triginta*. ] Majus pretium imponitur viris quàm fœminis, quia sexus virilis præstantior est, plurisque æstimatur quàm fœmineus, tum in se, tum quoad operas & labores.

[ ℣. 5. *A quinto autem anno usque ad vigesimum, masculus dabit viginti siclos: fœmina decem*. ] Si nimirùm parentes eorum ipsos Deo voverint, ac posteà redimere voluerint: Nam pueri & puellæ quinquennes ordinariè, non habent eam discretionem quæ ad obligationem voti requiritur.

[ ℣. 6. *Ab uno mense usque ad annum quintum, pro masculo dabuntur quinque sicli: pro fœmina, tres*. ] Si videlicet parentes eos, vel pro eis voverint. Hinc patet vota rectè pro infantibus fieri, sponsionesque susceptorum pro Baptizandis infantibus fundamentum habere in sacra Scriptura. Quod autem dicitur *ab uno mense*, non sic intelligitur, quasi expectandum fuerit complementum mensis ut possent voveri, certum enim est quòd voveri poterant statim atque nati essent, imò & antequàm concepti, sicut fecit Anna Mater Samuelis 1. Reg. 1. Sed *ab uno mense*, idem est quòd ab ea hora qua nati sunt usque ad completionem mensis: Sicut præcipiebantur offerri *agnus anniculus*, non qui annum explevisset, sed qui à die septimo annum agebat.

[ ℣. 7. *Sexagenarius & ultrà masculus dabit quindecim siclos: fœmina decem*. ] Licet honoranda magis

sit sene-

sit senectus, & in majori pretio habenda, minus tamen pretium exigitur pro hac ætate, quàm pro ætate ab anno vigesimo usque ad sexagesimum; quia ratione utilitatis & commodi externi, sive quantùm ad ministeria corporalia, quorum ratio habetur in æstimatione voventis se Deo, minùs æstimatur ætas senilis.

[ ℣. 8. *Si pauper fuerit, & æstimationem reddere non valebit*,] Sive & pretium redemptionis lege æstimatum & taxatum solvere non possit.

[ *Stabit coram Sacerdote*: ] Illo videlicet cujus erant vices ministrare in Sanctuario. Non enim fuit necesse Summi Pontificis authoritatem hic interponi, sed sufficiebat minor Sacerdos. Et quoniam non conveniebat ut qui extra ministerium erat, huic rei se immisceret, ne confusio oriretur, ad eum pertinuisse dicendum est, qui secundùm ordinem vicis suæ ministrabat.

[ ℣. 9. *Animal autem quod immolari potest Domino, si quis voverit, sanctum erit*, ] Aliæ quoque res quæ offerebantur Deo, Sanctæ erant, ut decimæ, de quibus infra hoc ipso cap. & Thesauri 1. Paralip. 26. quamvis commutari possent, & aliter distrahi. Plus ergo, hic importat *Sanctum*, ubi agitur de animali immolatitio, quod votivè oblatum mutari non poterat; ac proinde *sanctum erit*, idem hic esse videtur, ac *immobiliter* & immutabiliter erit Deo consecratum. Ex quo sequitur, quòd si quis ejusmodi animal vovisset ad immolandum, illud ipsum immolari debebat; Si vovisset illud non determinatè ad immolandum, sed indefinitè; Sacerdoti daudum erat tamquàm quiddam sacrum, seu Deo consecratum; juxta Scripturam quæ Num. 18. dici Aaroni. *Omne quod ex voto reddiderint filii Israel, tuum erit*: Ipse tamen Sacerdos non tenebatur illud immolare, sed sibi reservare poterat, vel alteri donare, aut etiam vendere, sicut decimas & primitias.

[ ℣. 10. *Et mutari non poterit, id est, nec melius malo, nec pejus bono*. ] *Malum* non intelligitur illud quod omnioò tale esset ac immundum, quia tale offerri non poterat; sed quod esset minùs bonum, minorisque pretii, habens tamen conditiones requisitas ad immolationem. Sensus ergo est, quòd si quis vovisset Deo animal immolatitium, non poterat illud permutare, *neque* dando unum melius pro minoùs bono; *neque* dando pejus pro meliore. *Cur* non permitteretur permutari dando pejus, seu minoùs bonum pro meliore, ratio satis apparet, quia hoc & minorem pietatem argueret, & nimiam avaritiam. *Sed cur* prohiberetur dare melius pro minùs bono, ratio non ita est evidens. *Dici potest* rationem fuisse ad amputandas occasiones fraudum; sub prætextu siquidem melioris, Judæi, cùm valdè essent avari frequenter substituissent pejus. *Adde*, quòd animal Deo votum ad immolandum, per istud votum erat *immobiliter* Deo consecratum, ideoque non poterat applicari ad alium usum.

[ *Quod si mutaverit: & ipsum quod mutatum est, & illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino*. ] Quia *prius* eo ipso transiit in jus Dei, quo fuit per votum Deo obligatum; neque is qui vovit potuit illud jus auferre Deo, & propterea manebat consecratum: Et similiter *posterius* quod is qui vovit loco prioris dedit; quia per talem dationem transibat quoque in jus Dei, & ita manebat etiam consecratum, nec poterat à vovente in alium usum converti.

[ ℣. 11. *Animal immundum, quod immolari Domino non potest, si quis voverit*, ] *Animal immundum* hic intelligitur *generaliter*, sive esset immundum per accidens, propter aliquam scilicet corporis maculam vel defectum, de quibus supra cap 22. sive secundùm speciem, ut sunt Equus, Camelus, Asinus; non solùm enim textus dicit, *Animal immundum*, sed addit, *quod immolari non potest*; hoc autem commune est omnibus jam dictis animalibus immundis. *Accedit*, quòd hic agitur de animali immundo quod cedit in utilitatem Sacerdotum; & hoc quoque convenit omni animali immundo.

[ *Adducetur ante Sacerdotem*. ] Illum scilicet qui vice sua tunc fungitur officio Sacerdotali.

[ ℣. 12. *Qui dijudicans utrùm bonum an malum sit*; ] Sit ne magni an exigui valoris.

[ *Statuet pretium*. ] Ipsemet Sacerdos, & hoc antequàm sciat utrùm is qui animal istud vovit cupiat illud redimere, ne daretur Sacerdotibus occasio imminuendi justum pretium, si anteà scivissent voluntatem voventis; frequenter enim alioquin erubuissent exactam facere æstimationem, ut voventi gratiosè venderent.

[ ℣. 13. *Quod si dare voluerit is qui offert, addet supra æstimationem quintam partem*. ] Quicumque alius volebat animal istud emere, non plus dare debebat quàm pretium à Sacerdote statutum: sed si is qui illud voverat redimere seu emere vellet, ultra pretium taxatum, quintam ejus pretii partem debebat superaddere: Veluti, si equus aut camelus æstimabatur quinquaginta siclis, debebat dare sexaginta, & hoc ideò, tum ut per istud auctarium compensaretur onus Sacerdotis, quo tenebatur ei qui voverat istud animal revendere, si ipse volebat emere; tum ne aliqui nimis proclives forent, qui voverant, ad redimendum quod semel Deo votum erat. Sive autem animal immundum relinqueretur irredemptum, sive redimeretur, tam ipsum quàm ipsius pretium erat Sacerdotis, ut in suum commodum eo uteretur sicut vellet, juxta Scripturam suprà ex Num. 18. allatam. *Observant* quidam ex Abulensi quæst. 50. & 51. sup. hoc cap. quòd si res aliæ mobiles præter animalia voverentur, vota illa pariter erant interpretanda, quamvis Legislator nihil de ipsis exprimat, exemplis allatis contentus. Itaque si res quam voverat quispiam determinatè pro Sanctuario, poterat ipsa secundùm se applicari ad usus Sanctuarii; ut victimæ, jumenta, æs, ferrum, argentum, aurum, non poterant commutari vel redimi, sed cedebant Thesauro vel ministerio Sanctuarii: Si autem res non erat ipsa secundùm se idonea usibus Sanctuarii, ut arma, libri, vestes, & alia hujusmodi, poterant à vovente redimi, addita super pretium æstimatum, quinta ejus parte: Et si ipse nollet redimere, ea vendebantur aliis communi pretio, quod posteà cedebat Sanctuario. *Verùm*, si prædictæ res mobiles voverentur non determinatè pro Sanctuario, sed generaliter & indefinitè, similiter poterant redimi cum auctario quintæ partis pretii taxati; & si non redimebantur, tam ipsæ quàm ipsarum, si vendebantur, pretium cedebant in utilitatem Sacerdotis.

[ ℣. 14. *Homo si voverit domum suam, & sanctificaverit Domino*, ] Per votum, Domus *sanctificabatur*, id est consecrabatur, & dicabatur Deo, transibatque ad personas divino cultui deputatas, nimirùm ad Sacerdotes, nec alia hic quærenda est sanctificatio.

[ *Considerabit eam Sacerdos, utrùm bona, an mala sit*, ] Sitnè magni aut parvi pretii.

[ *Et juxta pretium, quod ab eo fuerit constitutum, venum dabitur*. ] Aut ei qui vovit, aut cuivis alteri. Oportebat ejusmodi domos vendi, quoniam Sacerdotes & Levitæ non poterant eas sibi retinere, cùm per legem Num. 18. Deuteron. 10. & 18. prohiberentur bona immobilia, præter civitates eis assignatas cum earum suburbiis, possidere in terra promissionis; sed contenti esse debebant decimis, oblationibus, aliisque bonorum mobilium juribus, ad hoc ut sortes permanerent integræ in singulis tribubus. *Neque* his contrarium est quod art. 4. legimus, Barnabam, qui Levita erat, habuisse agrum; vel enim iste ager fuit in Cypro, longè extra Palæstinam, Levitis autem non erat prohibitum habere possessiones, rerum etiam immobilium, extra terram promissionis; vel si fuit in terra promissionis, erat in suburbanis alicujus civitatis terræ promissæ.

[ ℣. 15. *Sin autem ille qui voverat voluerit redimere eam, dabit quintam partem æstimationis supra, & habebit domum*, ] Is qui domum voverat præferri debebat omnibus emptoribus, ita tamen, ut supra pretium à Sacerdote æstimatum, quintam pretii partem adderet. Quo additionis onere non obstante, adhuc gaudebant illi qui domum voverant, posse illam redimere; quia si non redimerent, ipsa in perpetuum manebat alienata, ita ut ne quidem in Jubilæo ad eos rediret, sed maneret Sacerdotibus, secundùm ea quæ de agris dicuntur infrà versu 21. ad quos Sacerdotes tunc velut ad primos Dominos redibat, non quidem quoad dominium absolutum (non enim tales domus pos-

sidere & retinere poterant) sed quoad Dominium quasi directum & astrieum oneri vendendi: Domos quippè sic in Jubilæo redeuntes ad Sacerdotes, ipsi aliis vendere debebaot, quarum pretium, in ipsorum utilitatem cedebat.

[℣. 16. *Quòd si agrum possessionis suæ*] Hoc est, à suis majoribus possessum, & jure hæreditario ad eum devolutum, quem proinde velut hæreditatem possidet.

[*Voverit, & consecraverit Domino: juxta mensuram sementis æstimabitur pretium.*] Ita ut quò plus minùsve seminis ager caperet, majus aut minus pretium statueretur. Nam quò major est ager, plus capit, sicque crescit in pretio.

[*Si triginta modiis hordei seritur terra, quinquaginta siclis venumdetur argenti.*] Affertur exemplum de pretii æstimatiooe, ut ex eo proportionaliter judicetur de reliquis: Ita ut si ager sereretur quindecim modiis, veodi deberet viginti quinque siclis; quod est duplum, excepta tertia parte. Exprimitur *de hordeo*, quia hoc magis coovenit pauperibus, etsi de semente tritici, vel alterius rei, pariter esset æstimandum. Pretium porrò illud sive quinquaginta; sive viginti quinque siclorum, aut quodlibet aliud, multis verisimile videtur solvendum fuisse in annos singulos: quia alioquin nimis magna inæqualitas pretii fuisset, si pro agro qui sereretur triginta modiis solùm semel solvereotur quinquaginta sicli; cùm fieri posset quòd emptor talem agrum possideret, triginta, quadraginta & ampliùs annis, secuodùm quod emptio fieret diù ante annum Jubilæi proximè venturi. Quapropter, illud *quinquaginta siclis venumdetur*, sic explicant; *vendatur quinquaginta siclis* annuè solvendis.

[℣. 17. *Si statim ab anno incipientis Jubilæi voverit agrum, quanto valere potest, tanto æstimabitur.*] Juxta legem scilicet superiùs datam: ita ut pro agro qui serebatur triginta modiis penderentur annuè quinquaginta sicli, si votum de tali agro factum esset initio anni Jubilæi: Si autem esset factum elapsis à præterito Jubilæo annis 10. 20. 30. Sacerdotis erat pro rata temporis seu annorum, statuere pretium magnum vel parvum, infra siclos quinquaginta. Ideò enim sequitur:

[℣. 18. *Sin autem post aliquantum temporis:*] Lapsi videlicet à Jubilæo, agrum voverit quispiam:

[*Supputabit Sacerdos pecuniam juxta annorum, qui reliqui sunt, numerum usque ad Jubilæum,*] Non aliter siquidem vendebantur agri, quàm usque ad Jubilæum in quo proinde dissolvebatur venditio, & agri ad pristinos Dominos redibant.

[*Et detrahetur ex pretio.*] Juxta diminutionem temporis quod restat usque ad Jubilæum.

[℣. 19. *Quod si voluerit redimere agrum ille qui voverat, addet quintam partem æstimatæ pecuniæ,*] Ultra pretium à Sacerdote constitutum, addet quintam ejus pretii partem. Quoniam si vovens redimebat agrum suum, recuperabat perpetuum ejus dominium, quale anteà habuerat, neque redibat ad Sacerdotes in Jubilæo: Si autem alius qui non voverat eum emeret, limitatum dumtaxat, scilicet usque ab Jubilæum, ejus dominium accipiebat: Ideircò *prior* ultrà pretium æstimatum solvere debebat quintam partem ejusdem, ut fieret quædam compensatio Sacerdotibus, qui Dominium transferebant in perpetuum: At *posterior*, simplex tantùm pretium solvere debebat.

[*Et possidebit eum.*] Sicut anteà, velut suum & abique ullo onere dimittendi.

[℣. 20. *Sin autem noluerit redimere,*] sive prout alii legunt, *si non redemerit agrum.*

[*Sed alteri cuilibet fuerit venumdatus,*] Hoc est, sed cuivis alteri qui esset capax talis contractus, quales erant soli Hebræi, inter quos præferri debebant propinquiores, venditus fuerit:

[*Ultra eum qui voverat redimere non poterit.*] In Hebr. *non redimetur ultrà*. Apud 70. *non ultra redimet eum*. Sensus est, quòd is qui agrum voverit, & & (quemadmodum ei licebat) non redemerit, sed cuivis alteri fuerit venditus, non poterit amplius eum redimere.

[℣. 21. *Quia cùm Jubilæi venerit dies, sanctificatus erit Domino,*] Ager ille tamquàm Sanctus & Deo consecratus manebit ipsi Deo, & cedet Sacerdotibus locum Dei tenentibus: hoc enim est quod sequitur.

[*Et possessio consecrata ad jus pertinet Sacerdotum:*] Ita tamen, ut agrum illum ipsi non possideant, sed singulis Jubilæis in suam utilitatem vendant alicui ex illa tribu ex qua oriundus erat is cujus fuerat ager, & qui eum Deo obtulerat. Hujus rei ratio erat, ne possessionem tribuum confunderentur & minuerentur, neve Sacerdotes magno tandem numero agros possiderent contra legem quæ Num. 18. eis dicit, *In terra eorum nihil possidebitis*. Pro *possessio consecrata*, alii ex Hebr. vertunt, *Ager anathematis*, vel *Ager Cherem*: *Cherem* autem significat quodvis anathema, sive per votum, sive aliter, ita consecratum Deo, ut totum & in perpetuum Dei esse debeat. Quoniam verò *Cherem* ex radice sua significat *occisionem* vel *succisionem*, *Ager Cherem*, idem est quod Ager occisionis vel succisionis: Et significatur, quòd sicut res occisa vel succisa non redit ad vitam, ita ager ille non reverteretur ad pristinum suum Dominum qui per votum obtulerat eum Deo, sed esset ei quasi mortuus, semperque rediret ad Deum, seu ad Sacerdotes Dei ministros pro ipsorum utilitate. *Observandum hic* sermonem esse de agro per simplex votum Deo promisso: Nam de illo qui anathematis voto esset Deo consecratus, infra versu 28. habetur, quòd non posset vendi nec redimi.

[℣. 22. *Si ager emptus est; & non de possessione majorum sanctificatus fuerit Domino,*] Si ager quem aliquis Deo vovit, non possidetur ab ipso, jure hæreditario, sed titulo emptionis.

[℣. 23. *Supputabit Sacerdos juxta annorum numerum usque ad Jubilæum, pretium: & dabit ille qui voverat eum, Domino.*] Sacerdos supputabit quantum temporis supersit usque ad Jubilæum, & quantùm pretii quo ager fuit emptus isti tempori respondeat: Pretium autem sic à Sacerdote taxatum, *dabit Domino*; hoc est, Sacerdotibus Dei ministris, is qui talem agrum voverat, pretium inquam nudum, sine ulla additione quintæ partis; quam partem quintam solvere debebat is qui agrum paternum jure hæreditario ad ipsum devolutum, Deo voverat, & redimebat. Diversitatis ratio est, quòd redimens agrum paternum, recuperabat absolutum seu perpetuum ejus dominium: redimens verò agrum non paternum, sed emptum, solùm poterat illum possidere usque ad Jobilæum; sequitur enim:

[℣. 24. *In Jubilæo autem revertetur*] Ager scilicet ille emptus, ac post emptionem Deo votus.

[*Ad priorem Dominum, qui vendiderat eum & habuerat in sorte possessionis suæ.*] Quod intelligendum est, sive ager iste fuisset ab eo qui voverat redemptus, sive non. Et quæ de agro empto statuuntor, eadem ratione accipienda videntur de agro quem Hebræus ab Hebræo dono accepisset, & post donationem Deo vovisset, Ager enim dono acceptus redire debebat ad donatorem; seu ad ejus hæredes, in Jubilæo, quoniam sicut venditio agri non poterat apud Hebræos fieri in perpetuum, ita nec ejus donatio. Quòd si inter plures facta esset seu venditio, seu donatio agri, oportebat ipsum in Jubilæo reddi, non ei qui immediatè vendidisset aut donasset, sed primò ad cujus hæreditatem spectabat.

[℣. 25. *Omnis æstimatio siclo Sanctuarii ponderabitur. Siclus viginti obolos habet.*] Quoniam in præcedentibus facta fuit aliquoties mentio sicli, hic declaratur quis valor sicli esset, nempè viginti obolorum. Et ne contingeret error, pondus ejus expondere sicli qui asservabatur in Sanctuario sumendum esse statuitur. Ille enim est siclus qui vocatur *Siclus Sanctuarii*; nec necesse est siclum distinguere, quòd alius esset sacer, alius communis, quemadmodùm diximus ad cap. 30. Exodi.

Per *Siclum Sanctuarii* intelligere licet gratiam & Charitatem ex cujus quantitate omnia bona opera sunt æstimanda. *Siclus denarium in suis obolis geminat*, quia duo sunt præcepta Charitatis, Dei videlicet & proximi. Possumus quoque per *hunc siclum* accipere Verbum Dei, ex quo, seu ex cujus conformitate omnis scientiarum & Dogmatum definitio æstimanda est.

[℣. 26. *Primogenita, quæ ad Dominum pertinent*,

nemo

*nemo sanctificare poterit & vovere: Sive bos, sive ovis fuerit, Domini sunt.* ] Sub nomine *ovis*, *hædus* comprehenditur; quoniam vox Hebræa utramque speciem tam caprinam quàm ovinam complectitur. *Ex hoc loco* quidam opinati fuerunt non posse voveri ea quæ sunt præcepti, sicut Israelitæ non poterant vovere primogenita, ex eo quòd juxta legem præceptum esset illa offerre Deo. *Et confirmant*, quia votum est spontanea oblatio; non videtur autem spontaneum quod est debitum. *Verùm*, quòd ea quæ sunt præcepti, sint legitima materia voti, quòdque si quis illa voveat, votum ejus sit verum ac propriè dictum, *verior & Communior est sententia*, ut ostendimus a. 2. q. 88. art. 2. Concl. 2. Nihil enim vetat quempiam duplici vinculo obligatum esse ad aliquid, v. g. ad non fornicandum, ad non se inebriandum *&c. tum* ex vi præcepti juris naturalis; *tum* ratione virtutis Religionis quæ jubet ea quæ vota sunt esse servanda. Unde, si Religiosus fornicaretur, non solùm peccaret contra præceptum, *non mœchaberis*, sed etiam contra *votum Castitatis* quod habet. *Quòd autem* Hebræi non possent vovere primogenita, non erat ex eo quòd juxta legem tenerentur ea offerre Deo; sed quia *votum reale* debet fieri de re quæ *est voventis*: Primogenita autem non erant hominum qui ea vovere voluissent, sed Dei, idque non generali solùm dominio, secundùm quod *Domini est terra & plenitudo ejus*, sed etiam particulari, quòd propter conservata Hebræorum primogenita, dum occiderentur omnia Ægyptiorum primogenita, Deus sibi retinuit, Exod. 13. Ita ut primogenita, hoc ipso quo erant primogenita, pertinerant peculiariter ad Deum, essetque hominibus adempta potestas, quam alioquin in ea habere potuissent. *Quare*, cùm hic pro ratione cur primogenita non possent voveri, dicitur, [ *Domini sunt*, ] id non ita est accipiendum, quasi solùm ideò sint Domini, quia debent Deo offerri, sed etiam quia Deus eripuit ea ex potestate hominum, sibique soli jus & dominium eorum reservavit. *Ad Confirm. Resp.* Votum esse oblationem spontaneam, quantùm ad actum voventis, vovere enim cuique liberum ac spontaneum est, non præceptum: At, quantùm ad voti objectum, seu rem votam, ea non semper est prorsùs spontanea, sed interdùm necessitate præcepti necessaria.

*Si dicas*, Annam Samuelis matrem vovisse illum Dei, antequàm eum concepisset, quamvis futurus esset primogenitus 1. Reg. 1. Non ergo vetitum fuit Judæis vovere sua primogenita.

*Respondeo* Negando Consequentiam. *Primò*, quoniam in præsenti versu solùm agitur de voto animalium immolatitiorum, quale non erat Samuel, nec quisquam alius homo. *Secundò*, quia primogenita hominum erant Dei, quousque essent juxta Legis præscriptum redempta; ac per consequens eò usque voveri non poterant. Postquàm verò essent redempta, sicque redierant ad jus parentum, ab eis voveri poterant: Mater autem Samuelis intelligi potest vovisse illum pro eo tempore quo esset redemptus ac in parentum jure constitutus: Possum enim promittere ac vovere ea quæ non sunt mea, pro tempore illo quo erunt mea. *Objici* quidem potest, quòd Levitarum primogeniti non essent redimendi, eò quòd manerent sacro ministerio deputati, sicut diximus ad Cap. 13. Exod. Samuel autem fuit Levita: Sed ulterius *Respondetur* Annam rectè vovisse Samuelem quia ipse *neque* ut primogenitus erat Dei excluso jure parentum quantùm ad ea pro quibus eum vovebat; *atque* ut Levita tenebatur ad omnia ministeria ad quæ votum matris se extendebat. Vovit enim illum Mater quantùm ad perpetuum Templi seu Tabernaculi ministerium, ad quod Levitæ, quamvis essent primogeniti, non tenebantur, sed tantùm sua vice, certoque tempore. Imò Levitæ ad Tabernaculi ministeria non obligabantur ante annum trigesimum Num. 4. Samuel autem à Matre votus fuit, ut à teneris annis ibi serviret. *Neque est* quòd quispiam opponat ex 1. Lib. Regum constare Samuelem non tota sua vita ministrasse in Tabernaculo: *Ibi enim* ministravit, quousque vocatus est à Deo, ut esset Judex populi. Cùm autem ad hoc vocatus fuit, interpretatus fuit voluntatem Dei esse ne perpetuò deberet manere in Tabernaculo, ibique servire.

[ ℣. 27. *Quòd si immundum est animal, redimet qui obtulit, juxta æstimationem tuam, & addet quintam partem pretii.* ] Multi libri habent, *æstimationem suam*, sed conformiter Hebræo Correctores restituerunt *tuam*, quod & subsequens membrum requirit ubi dicitur; *quantumcumque à te fuerit æstimatum*. Quidam volunt Sermonem hic fieri de animali quod sive *secundùm speciem*, sive *ex accidenti* sit immundum. *Prioris generis* sunt Equus, Mulus, Camelus; *Posterioris*, Bos, Ovis, Capra cum illis maculis de quibus supra cap. 22. Sed his *opponi potest* quòd animalia *secundùm speciem* immunda, neque offerebantur, neque redimebantur, saltem pretio; cùm de solo primogenito Asini jussum fuerit ut redimeretur, & quidem ove, alioqui interficeretur, Exod. 13. Hic autem agitur de animali immundo quod aliquis offerret, quodque pretio redimeretur. *Quapropter* Abulensi & quibusdam aliis subscribimus, tantùm hic agi de animali *per accidens immundo*, quod redimendum erat pretio, juxta Sacerdotis æstimationem taxato; & hujus pretii quintam partem addere debebat offerens, si ipsemet volebat animal redimere.

[ *Si redimere noluerit*, ] Sive, si non redemerit.

[ *Vendetur alteri, quantocumque à te fuerit æstimatum.* ] Unde patet æstimationem fuisse Sacerdoti commissam, & non relictam arbitrio ejus qui obtulerat, quemadmodum indicat lectio eorum qui suprà habebant, *juxta æstimationem suam*.

[ ℣. 28. *Omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit.* ] *Quod consecratur*, non intelligitur hic id quod simpliciter & nudè vovebatur Deo, & per tale votum ei consecrabatur; constat enim ex supradictis, multa quæ Deo vovebantur, potuisse redimi; sed intelligitur id quod absolutè seu in perpetuum consecrabatur Deo; ita ut prorsùs alienaretur à vovente, totumque Deo, vel Ministris ejus semper maneret. In Hebr. habetur, *Cherem*, quod græcè dicitur *Anathema*, & significat *succisionem*, seu *quasi destructionem*: Ut proinde animal immolatitium quod ita consecrabatur ut fieret *Cherem*, seu *Anathema*, immolari deberet ac interfici, nequaquàm verò posset redimi aut commutari: Ager autem, semper maneret juris Sacerdotum, adeò ut non posset alienari; sed quamvis Sacerdotes eum venderent, semper in Jubilæo ad eos rediret. Homo verò, semper maneret servitio Sanctuarii deputatus; Laicus quidem, tali quod per Laicos fieri poterat; at Sacerdos & Levita, ei quod muneri suo congruebat. Interdum etiam homines ita ex Dei voluntate fiebant *Cherem*, ut omnes ad internecionem deleti deberent; sicut Numeror. 21. & 33. Jos. 6. 1. Reg. 15.

[ *Quidquid semel fuerit consecratum*, ] Absolutè scilicet ac perfectè.

[ *Sanctum Sanctorum erit Domino.* ] Erit maximè Sanctum, ac perpetuò & irrevocabiliter Deo dicatum:

[ ℣. 29. *Et omnis consecratio quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur.* ] Pro, *omnis consecratio*, Hebr. est, *omne Cherem*: Et sensus est; Omne quod perfectè & absolutè consecratum est, per votum scilicet *Cherem*, seu *Anathematis*, non poterit redimi, sed debet destrui ac mori; pro modo nimirùm cujusque rei quæ sic erat Anathematizata & Deo consecrata: *Aut morte propriè dicta*, si erat quidpiam quod occidi posset ac liceret; *aut morte civili*, per applicationem perpetuam ad cultum divinum: Sicut *Religiosi nostri* dicuntur *civiliter mortui*; quia omni negotio Civili, & hæreditate ac dominio rerum temporalium se abdicarunt, perinde ac si essent mortui: Agri quoque ac fundi dicuntur *mortificari*, seu *amortizari*, quando à jurisdictione sæculari eximuntur, in perpetuum applicati ad Ecclesias, vel monasteria.

[ ℣. 30. *Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur.* ] In Hebr. est *Omnis decima terræ, de semine terræ*. Q. d. Omnes decimæ rerum quæ de terra oriuntur, sive de frugibus, sive de arborum fructibus *Domini sunt*, jure videlicet *speciali*; quia illas sibi seu ministris suis reservat: *Et illi sanctificantur*, hoc est, sanctificari & offerri debent pro sustentatione Ministrorum ejus. Sub hac universalitate comprehenduntur omnes

decimæ rerum quæ in prædiis, seu agris nascuntur, & quæ in quibuscumque arboribus. *An vero* etiam contineantur decimæ de oleribus, leguminibus & herbis quæ in hortis haberi solent, easque idcircò Judæi solvere debuerint, *ambigitur*, Quia Christus Matth. 23. & Luc. 11. reprehendens Pharisæos, quòd cùm solverent decimas de *menta*, *anetho*, *& olere*, prætermitterent ea quæ graviora sunt legis, *judicium & misericordiam*, subjicit: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere*. Pars affirmativa *probabilis est*; Obvius enim verborum illorum sensus esse videtur, quòd Pharisæi debuerint & ea quæ sunt graviora legis facere, & non omittere alia de quibus præcedit. Hinc S. Hilarius Conc. 24. in Matth. *Decimatio illa oleris, quæ in præformationem futurorum erat utilis, non debebat omitti.* Similiter Hesselius in Matth. Illis assentitur qui putant omnium absolutè rerum decimationem esse præscriptam, etiam vilium herbarum. Verumtamen, quia verborum illorum, *Hæc oportuit facere, & illa non omittere*, alius sensus reddi potest; nimirùm iste: *Hæc debuistis facere, & illa potuistis non omittere*, nam & aliàs Scriptura in posteriori membro diversum aliquid subaudit, velut 1. ad Tim. 4. *Prohibentium nubere, abstinere à cibis*: Idcircò *probabile quoque est* id quod B. Thomas 2. 2. q. 87. art. 2. ad 3. tradit, Legem veterem non determinasse, ut de hujusmodi minutis rebus decimæ darentur, sed reliquisse hoc arbitrio dare volentium, quia minima quasi nihil computantur. Pharisæi autem cùm perfectam Legis justitiam sibi ascriberent, etiam de his minutis decimas solvebant. Eadem est sententia Jansenii & Estii. Juxta quam, *decima terræ & de semine terræ*, convenienter intelligi possunt decimæ rerum quarum semina in agros jaciuntur, seu agris commendantur, ut non comprehendantur semina herbarum hortensium. *Utrùm verò* in novo Testamento Christiani decimas solvere debeant, & quo jure, & de quibus rebus, diximus 2. 2. q. 87.

[ ℣. 31. *Si quis autem voluerit redimere decimas suas, addet quintam partem earum.* ] Non agitur de jure decimas percipiendi, quod solis Sacerdotibus ac Levitis Deus competere voluit, nec facultatem dedit transferendi illud in Laicos, sed Sermo est de ipsis decimis earumve fructibus quorum redemptio non poterat fieri pro tota vita, imò nec pro longo tempore: Ita ut aliquis daret certam summam pecuniæ pro decimis quas solvere debuisset per annos decem, aut viginti, vel per totam vitam: Sed oportebat redemptionem singulis annis fieri, idque postquàm fructus collecti essent, & cognita qualitas eorum, ut sic constaret de pretio, & de quinta ejus parte suprà illud adjicienda.

[ ℣. 32. *Omnium decimarum Bovis, & Ovis, & Capræ*, ] Sicut priùs frugum & fructuum decimas exegit Deus, ita nunc exigit decimas animalium, & quidem trium dumtaxat specierum, Bovis, scilicet, Ovis & Capræ, quia hæc sola erant munda ad sacrificium: Ita tamen ut sub capra hœdi comprehendantur, & sub aliis Vituli, Agni, Arietes, omniaque immolationi destinata secundùm suam speciem. *Quidam existimant* Judæos de aliis quoque animalibus sive mundis ad esum, sive immundis, decimas solvere debuisse, quod *aliis non videtur*, quandoquidem lex nihil de iis præscribat. Unde Cajetanus: *Mitior*, inquit, *erat Lex decimarum, quàm Lex primogenitorum. Nam Lex primogenitorum exigebat primogenita etiam animalium immundorum, puta Asini, Lex vero decimarum, non exigebat decimam ex animalibus immundis, licèt gregariis, ut Asini, Equi, Cameli, nec etiam ex Anseribus, Gallinis, Columbis, Turturibus &c.* Apud 70. nulla *Capræ* facta mentione, sic legitur: *Omnis decima boum & ovium*: sed sub ovibus capras intellexerunt, secundùm ea quæ cap. 1. diximus ad versum 3. ... Hebr. quoque pro *ovibus*, & *capris*, unica est vox *...son*, sed quæ utrisque istis animalibus significandis ...venit.

[ ℣. ... *Quæ sub Pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino.* ] Dei Ministris ...er. Indicatur modus quo fieret animalium decima... nimirùm, ut Pastor ad ostium ovilis aut caulæ ...istens, virga, seu baculo suo cohiberet, boves, ..., & capras, ne simul ingrederentur, vel egrede...ur, sed singulatim unum post alterum: Et decimum quod tunc veniebat seu transibat, sive bonum & pingue, sive minus bonum, sumebatur ac cedebat Domino in decimam. Ex his intelligi potest hìc ut & alibi in Scriptura Decimas sumi pro *quota*, pro parte scilicet decima. Neque tamen de omnibus omninò bobus, ovibus, & capris, dandæ erant decimæ, alioquin eadem animalia sæpius fuissent decimata, annis videlicet singulis; sed de illis quæ unoquoque anno nascebantur. Instituit autem Deus prædictam rationem decimandi, ne vel fraudes irreperent, vel contentiones inter Dominos animalium & Levitas orirentur, si horum aut illorum electioni relinqueretur.

[ ℣. 33. *Non eligetur nec bonum nec malum, nec altero commutabitur.* ] Sic tollebatur causa Discordiæ & querimoniæ, quæ facilè fuisset exorta si Dominis animalium relinqueretur libertas sibi meliora & pinguiora pecora reservandi, & Levitis dandi macilenta.

[ *Si quis mutaverit: & quod mutatum est, & pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino*, ] Utrumque manebit velut Deo sacrum pro ejus ministris. *Nec referebat* essentnè immaculata, aptaque Sacrificiis, quia non offerebantur in eum usum, sed pro alimentis Levitarum & Sacerdotum, unde nec permittebantur redimi. Non oportebat quidem quòd ista animalia immolarentur Deo, sed hoc ipso quo transibant decimo loco, consecrabantur Deo, & ipse jus quoddam peculiare in illa accipiebat pro Levitis: Idemque judicium est de illis animalibus in quæ ista mutarentur. Confer quæ diximus ad versum 10.

*Ad Mores quod attinet, illa vota legalia* erant figuræ *votorum quæ nunc in novo Testamento fiunt*, dum aliqui voto se obstringunt ad Continentiam, vel abstinentiam, vel ad aliarum virtutum actus: *Alii* promittunt se Religionem Monasticam ingressuros: *Alii* eam profitentur, seque obligant ad tria vota substantialia, vel etiam ad quædam alia supererogationis opera. Et quemadmodum ex votis legalibus, quædam *redimi poterant*, quædam *non poterant*; ita ex votis Legis Evangelicæ quædam sunt *dispensabilia*, quædam probabiliter reputantur *indispensabilia*, de quibus 2. 2. q. 88. art. 11. & 12. Homo qui vovit Deo *animam suam*, intelligi potest is qui ad supererogationis seu consiliorum opera se astrinxit. Et hic *sub æstimatione debet dare pretium*, hoc est, debet sic votum suum implere, ut quantò majora promisit, tantò virtuosiùs vivat. *Per siclos quinquaginta solvendos à masculo viginti annorum*, significari possunt exercitationes virtutum, cum *abundantia gratiæ Spiritus Sancti* qui datus est *quinquagesimo die*; necnon cum speciali tranquillitate & animi jucunditate qualem figurabat *quinquagesimus annus Jubilæi*. Per *siclos triginta*, *trigesimus* intelligi potest fructus continentiæ Conjugalis, vel decem præceptorum observatio, in fide, spe, & Charitate Sanctissimæ Trinitatis. *Sexagenarius Masculus dabat quindecim siclos, mulier decem*, quia ille debet Decalogum implere cum custodia quinque sensuum ad vacandum contemplationi, ista verò non est ordinariè tam apta ad contemplationem, debet tamen implere decalogum. *Quòd pauper non compelleretur similiter dare*, innuit ab imperfectis & rudibus non tantum esse exigendum, quantum ab exercitatis & perfectis, sed juxta parvam eorum capacitatem. *Quòd animal aptum immolationi Deo votum, mutari non poterat*, significat eum qui Deo actus virtutum vovit, debere illos per seipsum implere, nec in his quæ sibi possibilia sunt posse alium substituere, & si substituat, manere nihilominùs obligatum ad personaliter operandum. Hoc est, ait Dionys. Carthus. contra eos qui horas Canonicas, quas legere obligantur, faciunt legi per alios, putantes se excusari; cùm & quotidiè tot horas infructuosè, imò & vitiosè expendant. Est & contra eos qui cùm possint per se, ferè omnia per Vicarios faciunt. Viderint an & per Vicarios in Cœlum ire velint, & non ipsimet. Per *animal immundum Deo promissum*, designatur opus illicitum ad quod aliquis sub specie boni se obligavit: Qui se ipsum *exponere debet* sui *Sacerdotis* seu Confessarii *discretioni*, & juxta ipsius judicium *tale opus redimere*, agendo pœnitentiam. *Homo qui vovit Domum suam Domino*, est is qui familiam & Sobolem suam destinavit ad honorem Dei gubernare, & divino

cultui

cultui applicare: Quam ejus Superior *conſiderare debet*, bona nè an mala ſit, & ſecundùm vires ac capacitatem cujuſque æſtimare & injungere quæ conveniunt. *Redimet domum* ille qui vovit, ſi per bonam doctrinam & vitæ formulam ſuos à malo liberat: Et *quintam partem adjicit*, quando ſermonibus vel exhortationibus Sacerdotis ſuperaddit ſuas. *Ager poſſeſſionis propriæ*, eſt proprium Cor ſemine verbi cœleſtis ſeminatum gratiarumque donis ornatum, & meritis fœcundatum, *quod vovet quis Deo*, dum de omnibus his bonis firmiter ſtatuit ſoli Altiſſimo grates & debitam ſervitutem rependere, ex quo *tantò majora ac plura exiguntur à Judice*, quantò plus fuerit eruditus, & copioſiùs donis cœleſtibus adimpletus. *Primogenita pecorum*, intelligi poſſunt illi ex filiis, ſervis, & Diſcipulis, per pecora figuratis, qui cæteris obedientiæ & pietatis ducatum præbent. Quales *non eſſe ſanctificandos* quidam interpretantur, non quòd non ſint digni ſanctificatione, ſed quia jam ſancti ſunt, ideòque non conſtituendi ſancti ex non ſanctis; ot *nec Deo vovendi*, quaſi non eſſent anteà peculiariter Dei. *Jubentur ſolvi decimæ pecorum, quæ ſub Paſtoris virga tranſeunt*, quia Deo non placent *decimæ pecorum*, ſeu hominum, *niſi tranſeant ſub virga Paſtoris*, hoc eſt, niſi Chriſto ſubjiciantur, eique obediant.

[ ℣. 34. *Hæc ſunt præcepta*, ] Generale nomen ponitur, ſub quo comprehenduntur moralia, judicialia, & Cæremonialia.

[ *Quæ mandavit Dominus Moyſi ad filios Iſrael* ] Non pauca hujus Libri præcepta peculiariter concernunt Sacerdotes & Levitas: Nominantur tamen *filii Iſrael*, *tum quia* & ipſi erant de Filiis Iſrael, plurimaque ſpectant ad filios Iſrael in Communi: *Tum quia* eſt recapitulatio omnium præceptorum tam in Exodo quàm in Levitico datorum; Illa autem generaliter ad filios Iſrael data ſunt, ſub quibus tamen etiam *Proſelyti*, intelliguntur, eò quòd & ipſi ad Legem Moſaicam tenerentur, ut initio Capitis 17. diximus.

[ *In monte Sinai.* ] *Non in ipſo montis Cacumine* in quo data fuit Lex Decalogi; ſed *apud montem*, ac in Tabernaculo *in radice montis*, ubi ipſum erat, & circa illud Caſtra populi.

*Sicut autem* poſt varias exinde manſiones, Hebræos tamdem *in Terram Promiſſionis perduxit Deus*; Ita nos poſt varia Peregrinationis noſtræ diſcrimina dignetur in terra viventium collocare JESUS CHRISTUS qui eſt Deus benedictus in ſæcula. 10. Februarii 1646.

# FRANCISCI SYLVII IN LIBRUM NUMERI COMMENTARIUS.

## *OPUSCULUM UNDECIMUM.*

## PRÆFATIO.

*De hujus Libri, Nomine, Authore, & Authoritate.*

JUxta morem Hebræis familiarem qui Libros frequenter nominant ab eorum exordio, hic Liber Hebraicè vocatur *Vajedabber*, q. d. *Et Locutus est*, Græci ἀριθμοὶ, illum vocant, & Latini eos secuti, *Numeri* seu *Librum Numeri*, tam in Sacris Bibliis, & in Concilio Tridentino sess. 4. quàm in Officio Ecclesiastico, ubi 14. Septembris Lect. 1. sic incipit: *De Libro Numeri*. Ambiguum autem est, utrùm in istis verbis *Liber Numeri*, posterior dictio sumatur singulariter, & in obliquo, ut scilicet sit secundi casus: An pluraliter & in recto, seu in primo casu. Et quamvis in idem redeat, magis placet posterius, ut *Liber Numeri* perinde sit ac *Liber cui nomen est Numeri*. Nam & S. Hieronymum sic accepisse constat, non solùm ex ejus Prologo Galeato, sed etiam ex Epist. ad Paulinum quæ solet præponi sacris Bibliis, ubi recensens Libros Moysi, *Quartus* inquit, VAJEDABBER, *quem* NUMAROS *vocamus*. Cujus appellationis ratio est, tum quòd in principio virorum robustorum, seu Bellatorum numerationem continet jussu Dei factam; tum quòd aliæ diversæ numerationes ibi reperiantur: Veluti eorum qui castrametarentur ad Orientem, qui ad Meridiem, qui ad Occidentem, qui ad Aquilonem. Cap. 2. Levitarum & Primogenitorum, Cap. 3. Oblationum quas fecerunt Principes duodecim Tribuum in Tabernaculi & Altaris dedicationem cap. 7. Ordinis eorum qui Castra moverunt quando fuit proficiscendum cap. 10. Exploratorum quos misit Moyses ad considerandam Terram promissionis, cap. 13. Illorum qui bello apti essent ingressuri terram promissionis cap. 26. Mansionum quadraginta duarum quas in deserto fecerunt filii Israel, cap. 33. B. Hieronymus in citata jam Epistola ad Paulinum sic habet: *Numeri, nonnè totius Arithmetica, & Prophetia Balaam, & quadraginta duarum per Eremum Mansionum mysteria continent?* Cujus prima verba non ita sunt intelligenda, quasi in isto Libro sit aliqua ars numerandi, vel cognoscendi proprietates numerorum (quod ad Arithmeticam pertinet) sed quia in illo variæ numerationes continentur. Quamvis ergo iste Liber & Historias & præcepta diversa contineat, quod reliquis Pentateuchi Libris commune est, vocatur tamen *Numeri*, aut *Liber Numerorum*, ob frequentes numerationes quas continet. Describuntur autem in illo ea quæ gesta sunt à prima die mensis secundi anni secundi egressionis de Ægypto, usque ad mortem Moysi exclusivè, hoc est, usque ad initium mensis undecimi anni quadragesimi peregrinationis Israelitarum in deserto. Nam ab illo mense undecimo incipit Liber Deuteronomii. Patent hæc in hujus libri initio cum cap. 1. vers. 3. Deuteron. collato. Fuisse autem Moysen qui hunc Librum scripsit, constans est veterum Patrum traditio, Innocentii I. Epistola 3. ad Exuperium cap. 7. Augustini Lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 8. & aliorum, quos secuti sunt Concilia Florentinum & Tridentinum quando sacrorum Librorum Canonem ediderunt. Atque ex his, ut ex Gelasio I. cum Concilio 70. Episcoporum, itemque ex Concilio 3. Carthaginensi cap. 47. liquidum est Librum Numeri pariter esse sacrum, Divinæque auctoritatis, sicut reliquos quos Ecclesia recipit: Quandoquidem in eumdem Canonem jam olim sit receptus. Unde nemini mirum videri potest quòd exemplum de serpente æneo per Moysen erecto cap. 21. hujus Libri Christus adferat Joan. 3.

## CAPUT I.

*Numeratis duodecim Tribuum bellicis viris, Filii Levi ad deferendum Tabernaculum instituuntur.*

[℣. 1. L*Ocutusque est Dominus ad Moysen in Deserto Sinai*] Pro *Dominus*, in Hebr. est nomen Dei Tetragrammaton *Jehova*, de quo plura diximus ad cap. 3. Exod. Neque ideò existimandum est, quòd Deus per se, & immediatè locutus fuerit Moysi ea quæ sequuntur, sed tam ea, quàm quæ præcedunt sive in Levitico, sive in Exodo locutus illi fuit per ministerium Angeli, secundùm ea quæ ex Actor. 7. & ad Galat. 3. attulimus Exod. 20. *Sensus* igitur *est* quòd *Dominus*, hoc est, *Angelus Domini*, Dei personam gerens ac repræsentans locutus est ad Moysen.

*Si quærat*, Quare ergo non est scriptum, *Locutus est Angelus ad Moysen*, sed *Locutus est Dominus ad Moysen*? Respondeo quòd duas ob causas. *Prior est:* Quoniam Scriptura loquitur secundùm communem opinionem populi, populus autem existimabat Deum esse qui loquebatur Moysi, & ab ea opinione populus non erat avertendus, ne cum ad Idololatriam esset valde proclivis, divinos honores Angelo, velut summo Legislatori, deferret, si scivisset esse Angelum qui Moysi loquebatur. *Posterior est* apud Augustinum Lib. 3. de Trinit. cap. 11. quia, *Cùm verba Judicis Præco pronunciat, non scribitur in Gestis*, [*Ille præco dixit*,] *sed*, [*ille Judex*.] Scribit autem Moyses de seipso, tamquam de tertia persona, ad vitandam arrogantiam. Et locus generalis in quo ista fuerunt Moysi dicta designatur dicendo, *in Deserto Sinai*. Omnia quippe hæc ab initio hujus capitis usque ad vers. 11. cap. 10. contigerunt in Mansione duodecima quæ fuit in Sina. Nec tamen in vertice Montis Sinai hæc locutus fuit Deus, sed propè Montem, circa radicem ipsius, ubi erant Castra Israelitarum circumcirca Tabernaculum collocata.

[*In Tabernaculo fœderis*,] Particularis locus in quo Deus ista locutus est exprimitur, scilicet Tabernaculum fœderis, sic dictum, quòd in illo esset Arca cum Tabulis Legis quæ continebant fœdus Dei cum Israelitico populo initum. Interdum Deus loquebatur Moysi ad ostium Tabernaculi, sicut patet ex cap. 29. Exodi: At hìc locutus est in ipso Tabernaculo,

seu

ſeu in Sancto Sanctorum, ſcilicet ex propitiatorio, conformiter iis quæ leguntur infra cap. 7. ita ut vox Dei procederet ex Propitiatorio, ſive ab eo qui concipiebatur velut ſedens ſuper alas Cherubim tegentes propitiatorium. Confer quæ diximus Exod. 25.

[ *Prima die menſis ſecundi, anno altero egreſſionis eorum ex Ægypto,* ] Pronomen *eorum* refert filios Iſrael expreſsè nominatos in fine libri præcedentis, ex quo non improbabiliter colligi poteſt hujus libri connexio cum illo. Quam connexionem ut intelligamus, repetendum eſt ex dictis Exod. 1. totum Pentateuchum olim unum librum fuiſſe, qui poſteà vel per Eſdram, vel per Interpretes 70. diviſus fuit in quinque. Per *annum alterum*, intelligitur *annus ſecundus*, ſicut habetur in Hebræo & apud 70.

[ ℣. 2. *Tollite ſummam univerſæ Congregationis filiorum Iſrael* ] Accipite numerum omnium Iſraelitarum. In Hebræo eſt, *Tollite caput:* Apud 70. *Sumite principium:* Eodem ſenſu. Q. d. Numerate capita Hebræorum, & inite ſummam eorum. Nam ἀρχὴ, pro quo Editio 70. latinè reddita habet, *Principium*, etiam ſignificat *ſummam*, ſicut apud Hebræos eodem nomine ſignificatur *Caput & Summa*, ut eſt in Scholio Editionis Romanæ 70. Interpretum. Pluraliter dicitur, *Tollite ſummam*, quia Deus volebat præſentem Numerationem fieri per Moyſen & Aaron, & duodecim Principes Iſrael; quemadmodum patet ex verſibus 3. 4. & 44. Cùm hic jubeantur numerari filii Iſrael, exiſtimandum eſt, nullos proſelytos, Ægyptios, aut de aliis nationibus oriundos fuiſſe numeratos; ſed ſolos Iſraelitas, eoſque (exceptis Levitis) omnes maſculini ſexus à viginti annis & ſupra. Qui verò numerati fuerunt, ſinguli dimidium ſicli perſolverunt, quia ſic Deus juſſerat Exod. 30. Quantum temporis in hoc cenſu, ſeu in hac populi numeratione fuerit impenſum, non conſtat: Quoniam tamen hic notatur dies primus menſis ſecundi, & cap. 10. habetur quòd moverunt Caſtra, profectique ſunt de Deſerto Sinai, ejuſdem menſis ſecundi die vigeſima, conſequens eſt octodecim, vel novemdecim dies impendi potuiſſe. Præter hunc populi Iſraelitici cenſum, ſeu numerationem, alii duo facti fuerunt, priuſquàm pervenirent in terram promiſſionis: Ut proindè populus Iſrael ter numeratus fuerit in deſerto; ſemel, Exod. 38. ſecundò, hic; tertiò, in Campeſtribus Moab infra cap. 26. Diverſas enim fuiſſe iſtas numerationes, certum eſt; nam quæ refertur cap. 38. Exod. facta fuit in deſerto quidem Sinai, ſed ante fabricationem Tabernaculi, pro contributione ad illam; Ideò enim ibi dicitur: *Oblatum eſt autem ab his qui tranſierunt ad numerum, à viginti annis & ſupra:* Quæ autem in præſenti capite refertur, facta eſt poſt Tabernaculum conſtructum, ſcilicet anni ſecundi menſe ſecundo, ut hic dicitur, cùm Tabernaculum jam ante eſſet conſtructum; nimirùm iſtius anni ſecundi menſe primo, prima die menſis, Exodi 40.

*Si dicas*, eumdem hic eſſe numerum populi qui fuit in numeratione relata. Exodi 38. *Reſpondeo*, hoc eſſe, quia nullus intereà perierat; parvo ſiquidem intervallo temporis, una numeratio poſt alteram facta eſt. *Opinantur quidam* periiſſe intereà viginti tria millia ob adoratum vitulum, de quibus Exod. 32. & alios totidem in eorum locum ſubintraſſe, qui parvo illo temporis intervallo annum vigeſimum expleverant. Sed *aliis videtur probabilius* adorationem vituli contigiſſe priùs quàm illa populi numeratio fieret; facta enim fuit immediatè ante fabricationem Tabernaculi; adoratio autem vituli contigit dum Moyſes adhuc eſſet in monte pro primis tabulis. *Nec refert* quòd à priore numeratione aliqui annum vigeſimum expleviſſent, *veriſimile enim eſt* quòd hoc novorum additamentum non fieret mox ut ſinguli eum annum expleviſſent, ſed certum anni tempus deputatum fuiſſe in quo omnes qui ætatem illam recenter expleverant, adderentur aliis; & hoc tempus necdum advenerat, quando poſt primam numerationem facta fuit ſecunda.

*Tertia* populi numeratio à jam dictis duabus diverſa eſt, facta enim fuit non in deſerto Sinai, ſed in campeſtribus Moab; nec primo vel ſecundo anno egreſſionis de Ægypto, ſed quadrageſimo, cùm jam jam ingreſſuri erant terram promiſſionis, ut ex cap. 26. patet. Deinde, illæ duæ præceſſerant murmur populi, de quo inferiùs cap. 13. Et condemnationem populi ad mortem de qua cap. 14. hæc autem ſubſecuta eſt, poſtquam ſcilicet noxiorum ſanguis effuſus eſt, ut cap. 26. dicitur, & Eleazaro Pontificatum gerente poſt mortem Aaronis.

*Si quæras*, quæ iſtarum numerationum populi cauſa fuerit? *Reſpondeo* quòd *prima* cauſa fuit, ut per capita penderentur ea quæ ad ſumptus Tabernaculi conſtruendi erant neceſſaria. *Secunda*, ut ex omnibus ſeligerentur apti ad bella quæ illis imminebant; & ut caſtra Hebræorum brevi movenda ex Sina ordinatiùs diſponi poſſent, illorum numero diſtinctiùs cognito. Nam in prima numeratione, ſolùm habetur totalis ſumma collecta, ſcilicet ſexcenta tria millia armatorum, quingenti & quinquaginta; & non dicitur quem numerum haberet quælibet tribus; in ſecunda autem exprimitur quantum numerum haberent ſingulæ tribus: & hunc numerum oportebat diſtinctè conſtare, ut ordinata & apta fieret omnium tribuum in caſtris diſtributio circa Tabernaculum recens erectum. *Tertia* cauſa fuit, ad diſtribuendam terram promiſſionis quam in proximo erant ingreſſuri.

*In novo autem Teſtamento* non invenitur præceptum *de numerando populo* Chriſtiano, qui ubique terrarum multiplicatus eſt ſupra numerum: quamvis ut agnoſceretur quòd ex paucis in immenſum excreverint Chriſtiani, paucitas eorum in exordio Eccleſiæ deſcribitur per duodecim Apoſtolos & 72. diſcipulos.

[ *Per cognationes & domos ſuas,* ] Ideſt, per tribus & familias: *Cognatio* quippè hic vocatur, *tribus*, quia omnes qui erant de eadem tribu ſpecialiter erant cognati inter ſe, & ſic erant duodecim cognationes Iſrael. Per *Domos* intelliguntur familiæ, quæ ſunt ſpeciales quidam progenitorum ordines ab eodem trunco deſcendentes: Unde quia Levi tres filios habuit, Caath, Gerſon, & Merari, tres erant Levitarum familiæ, ſcilicet Caathitarum, Gerſonitarum, & Meraritarum. Et quia Dan non habuit niſi unum filium, unica fuit in tribu Dan familia, cap. 26. verſib. 42. & 57.

[ *Et nomina ſingulorum, quidquid ſexus eſt maſculini.* ] Significatur quòd oportebat numerare non ſolùm quot perſonæ maſculini ſexus eſſent in quaque tribu, & in quaque familia, ſed etiam quænam eſſent ſingulorum nomina. Non jubentur numerari perſonæ ſexus fœminei, tum quòd illæ non ſint ad bellum idoneæ, tum quòd non erant acceptura locum vel ordinem ſpecialem in collocatione Caſtrorum.

[ ℣. 3. *A vigeſimo anno & ſupra,* ] Quoniam ante annum vigeſimum non ſolent homines ad bella eſſe idonei, & ab eo anno incipiunt apti eſſe ad pugnandum, ideò ab anno vigeſimo numerari jubentur. *Aliam* inſuper cauſam addit Abulenſis; quia omnes iſti qui numerabantur, accipiebant nomen in populo, ita ut quilibet diceretur unus vir, vel unum caput, & tamen Deus Exod. 30. ſtatuerat non tranſire aliquem ad nomen vel numerum, niſi ab anno vigeſimo, ſcilicet expleto. Unde quamvis ad aliquid aliud numerandus eſſet populus Iſrael, quàm ad bellum; non numerarentur minores annis viginti. Quoniam porrò Scriptura non definit terminum ætatis ſupra annum vigeſimum, ſed indefinitè dicit, *& ſupra*; hinc opinionum varietas nata: Et quidam hoc ad annum quinquageſimum extendunt, alii ad ſexageſimum, alii aliter. Verùm, ſi Legiſlator voluiſſet præſcribere terminum ex parte ætatis maximæ: ſicut præſcripſit ex parte ætatis minimæ, quare id non indicaſſet, quemadmodum indicavit inferius de Levitis, aliquoties repetens, *à triginta annis & ſupra, uſque ad quinquageſimum annum*? Probabile eſt quod ſentit Abulenſis q. 14. quem Marzilla & Lorinus ſequuntur, numeratos fuiſſe ab anno vigeſimo & ſupra ſine termino, quia non ſolùm cenſebantur ob bella futura; ſed etiam ad ordinem politicum benè diſponendum, & ut apta fieri poſſet in caſtris circùm arcam metatio aſſignatis locis, in quibus comprehendi oportebat tum ſexagenarios, tum alios majoris ætatis. *Neque refert*, eos qui numerati ſunt vocari bellatores & viros fortiſſimos; quia omnes erant tales quatenùs non impediebantur ex

parvitate ætatis, etsi alia ex causa possent esse impediti. Conferri possunt quæ diximus ad caput 30. Exodi.

*Mysticè*, per *desertum Sina* intelligitur *Mundus*, qui plenus est spinis ac rubis per *Sina* significatis. Quoniam in hoc mundo multæ sunt spinæ voluptatum quæ suffocant semen verbi Dei. Et quemadmodum distinctus Israelitarum numerus non est in Ægypto initus, nec statim ab egresso, sed post legem datam, oblataque sacrificia: ita debemus suscipere legem Dei, & spiritus sancti; ac conari illam servare, & spirituales hostias offerre, si velimus ad divinum numerum pertinere.

[ *Omnium virorum fortium ex Israel*, ] Hinc colligunt quidam omnes Israelitas in deserto magna Dei providentia fuisse fortes, & nullum debilem, juxta illud Psalm. 104. *Non erat in tribubus eorum infirmus.*

[ *Et numerabitis eos per turmas suas, tu & Aaron.*] *Turma* sumitur generaliter pro *Congregatione*, & significatur quòd non oporteret omnes simul numerare, sed quòd essent dividendi in certas congregationes, & omnes unius congregationis numerandi, & ita consequenter. Quoniam Moyses & Aaron erant principales Numeratores, ideò additur; *Tu & Aaron;* De minùs autem principalibus, sequitur;

[ ℣. 4. *Eruntque vobiscum Principes tribuum ac domorum in cognationibus suis*, ] Moyses & Aaron non poterant soli tantum numerum recensere, nec singulos nominatim ac distinctè cognoscere; Ideò adjutores eis dantur Principes tribuum, & domorum, seu familiarum. In qualibet tribu erat unus Princeps summus, sive is esset primogenitus, ut multis placet, sive illum ipsa tribus ob merita & res præclarè gestas elegisset, ut alii sentiunt. Præter hos, erant alii Principes domorum & familiarum intra eamdem tribum. Quia verò illi qui erant Principes tribuum, erant quoque Principes domorum & familiarum, atque adeò & cognationum; idcircò quamvis præter tribus, nominentur domus & cognationes, non tamen Principes domorum & cognationum hic intelliguntur distincti à Principibus tribuum, sed iidem quorum unusquisque erat Princeps suæ tribus, ac etiam præerat (licèt non immediatè) domibus, & cognationibus in illa tribu contentis, sicut patet ex subjuncta horum Principum enumeratione, in qua pro singulis tribubus singuli tantùm Principes numerantur. *Modus porrò* quo Moyses & Aaron istam numerationem fecerunt cum Principibus, hic post Abulensem fuisse videtur; quòd Moyses & Aaron advocaverint sigillatim nunc unum unius tribus principem cum quo recenserent omnes illius tribus, & posteà alium, & sic consequenter: Nec simul omnes Principes cum Moyse & Aaron numerarunt, sed singuli suarum tribuum singulos homines. Quibus conformiter explicari potest illud, *in cognationibus*, seu tribubus *suis*, quòd scilicet quilibet istorum Principum in sua tribu adjuvaret Moysen & Aaron ad numerandum homines suæ tribus. *An verò* Moyses & Aaron de facto numeraverint cum Principibus, etsi quidam videantur dubitare, & scripturam aliter explicare, Abulensis meritò affirmat, eò quòd Scriptura satis dilucidè hoc significet dicendo, *numerabitis eos per Turmas suas, Tu & Aaron*. Et infra; *Hi sunt quos numeraverunt Moyses & Aaron, & duodecim Principes Israel.*

[ ℣. 5. *Quorum ista sunt nomina:* ] Hic ponuntur nomina Principum qui numeraverunt cum Moyse & Aaron, & solùm ponuntur nomina majorum Principum qui erant Principes tribuum; De distinctis autem Principibus domorum & cognationum nulli nominantur, quia nulli eorum vocati fuerunt ad numerandum cum Moyse & Aaron, sed soli Principes tribuum, ut supra dictum est.

[ ℣. 10. *Filiorum autem Joseph, de Ephraim &c.*] Jacob Genes. 48. sibi adoptavit duos filios Joseph Ephraim & Manassen, qui duas distinctas tribus loco unius tribus Joseph constituerunt, ita ut semper sint duodecim tribus Israel, quamvis omittatur tribus Levi. Et hinc est quòd hic recensentur duo Principes tribuum, unus de Ephraim, alter de Manasse, Priùs quidem de Ephraim, etiamsi non fuerit major natu, quia Jacob illum præposuit Manasse.

[ ℣. 16. *Hi nobilissimi Principes multitudinis*. ] Vox Hebræa pro qua noster interpres dixit, *nobilissimos*, significare potest *vocatos*, vel *invitatos*, non est tamen differentia quoad sensum; Quia principes nobilissimi, seu Proceres, & tribuum Principes rectè dicuntur *vocati*; tum, quòd tempore consilii per nomina vocarentur, infra cap. 16. vers. 2. tum quòd essent *nominati*, hoc est famosi & illustres. Per quos *Allegoricè* significari possunt duodecim Apostoli, & alii viri Apostolici, qui & famosi sunt ac illustres, & nominatim ad concilia vocantur.

[ *Per tribus & cognationes suas, & capita exercitus Israel:*] q.d. Hi principes erant Principes suarum tribuum & cognationum, ac etiam capitum, seu primorum, vel primatuum exercitus Israel.

[ ℣. 17. *Quos tulerunt* ] Quorum nomina conscripserunt, & in libros retulerunt.

[ *Moyses & Aaron cum omni vulgi multitudine:* ] Sive cum toto populo tribuum Israel, quem etiam conscripserant, ac in libros census retulerunt.

[ ℣. 18. *Et congregaverunt primo die mensis secundi*, ] Anni videlicet ab exitu de Ægypto secundi, ut ex verso 1. patet. Quamvis autem tunc cœpta fuerit numeratio, non tamen potuit tunc perfici, cùm plurium dierum esset negotium. *Verisimile est* præconis voce convocatos fuisse, non ut omnes simul & confusè convenirent ad Moysen & Aaron, sed ut quique ad suas tribus, cognationes, familias & domos se reciperent. Posteà verò Moyses & Aaron cum adjuncto sibi Principe unius tribus, numerarunt omnes familias istius tribus; deinde omnes domos seu particulares familias cujusque communis familiæ, sive cognationis, ac denique capita & personas cujusque domus. Sic autem numerata una tribus, pariter perrexerunt sigillatim reliquas numerare.

[ ℣. 38. *De filiis Dan &c.* ] Quomodò de filiis Dan, cùm ex Genes. 56. constet Dan habuisse unicum filium qui illic vocatur Husim, & hujus Libri cap. 26. Suham. ? *Respondeo* vel numerum pluralem pro singulari esse positum: vel per filios intelligi eos qui etiam mediatè, seu mediante unico filio nati fuerunt ex Dan; nepotes nimirùm ipsius. Et hoc modo inveniri potuerunt familiæ & domus cognationum per quas recenseretur tribus Dan.

[ ℣. 47. *Levitæ autem in tribu familiarum suarum non sunt numerata* ] Cur Levitæ non fuerint cum aliis tribubus numerati, *una ratio est*, quia constituti erant ad serviendum Tabernaculo, & faciendum ea quæ ad cultum divinum pertinet; ideoque non erant numerandi cum iis, quorum officium erat ingruente bello ad pugnam procedere, & pugnare. Etsi porrò Levitæ non tenerentur in bello pugnare, non tamen erat eis illicitum bellis interesse, & manu, etiam propria pugnare, cùm tempore Machabæorum legamus Sacerdotes pugnasse in prælio, ipseque Judas Machabæus, Jonathas, & Simon fratres ejus, & summi Sacerdotes essent, & Belli duces: Idque propterea, quia Sacerdotes veteris Legis cruenta sacrificia tractabant. Sacerdotibus autem novæ Legis illicitum est bellare & pugnare; quia cùm deputati sint sacrificio incruento, maximè alienos eos esse convenit à cruore fundendo, & imitari debent mansuetudinem Christi. Conferantur quæ diximus 2. 2. quæst. 40. art. 2. *Secunda ratio est*, quòd Levitæ in Castrorum metatione, ad quam serviebat præsens numeratio, ut ex seq. cap. liquet, non collocarentur cum aliis tribubus, eò quòd circa ipsum Tabernaculum ejus ministeriis deputati versarentur, inf. vers. 50. Ideoque oportebat eos à reliquis duodecim tribubus esse secretos, velut partem Domini. *Tertia*, *eaque mysti-*

*ca*

*ta est*, ad innuendum quòd vita Clericorum, Diaconorum, præsertim & Sacerdotum, debet à sæcularium vita esse prorsus diversa, utpotè sanctior & excellentior.

[ ℣. 49. *Tribum Levi noli numerare*, ] Non vetat simpliciter numerare tribum Levi, sed vetat numerare illam cum aliis tribubus, unde cap.3. jubet Moysi, ut eam seorsim numeret.

[ *Neque pones summam eorum cum filiis Israel:* ] Ita nimirùm ut ex illis & aliis simul collatis constituatur una summa totalis Israelitarum.

[ ℣. 50. *Sed constitue eos super Tabernaculum testimonii & cuncta vasa ejus*, ] Redditur ratio cur tribus Levi non esset cum aliis tribubus numeranda, quia Tabernaculi cura ipsis incumbebat. Quidam volunt sermonem hic esse de solis ministris minoribus, qui absoluto & simpliciore vocabulo Levitarum appellabantur. Sed vero similius est de utrisque agi, & de majoribus ministris, id est Sacerdotibus, & de minoribus, seu Levitis: Utrosque enim comprehendit tribus Levi; de ipsa autem tribu dicitur, *Tribum Levi noli numerare, sed constitui eos*, eos scilicet qui de tribu illa sunt. Quapropter etiam de Sacerdotibus intelligendum est quòd constitui sunt super Tabernaculum, hoc est, quòd fuerit eis demandata cura Tabernaculi, ac eorum quæ in Tabernaculo gerenda erant: Nam sacrificia offerre, incensum adolere, panes propositionis in mensa singulis Sabbatis ponere, & lucernas accendere, propria erant Sacerdotum officia, eaque in Tabernaculo facienda; sicut inferiorum ministrorum, seu Levitarum, officia erant, portare ea quæ ad Tabernaculum pertinebant. Unde, quod sequitur.

[ *Ipsi portabunt Tabernaculum, & omnia utensilia ejus*, ] non est referendum ad omnes qui de tribu Levi erant, sed verificatur de ipsa tribu, ratione ministrorum inferiorum.

[ *Ac per gyrum Tabernaculi metabuntur*, ] Omnes videlicet qui de tribu Levi sunt. Ipsi enim propiores Tabernaculo esse debebant velut custodes ac ministri ejus, Laicia seu aliarum tribuum hominibus remotiùs locatis, juxta ordinem à Moyse præscriptum cap. 2. Moyses quidem & Aaron fuerunt ad ostium Tabernaculi, puta in parte Orientali, Inf. cap. 3. vers. 38. Gersonitæ in Occidentali, Meraritæ in Aquilonari, Caathitæ in Meridionali. Et hoc ad Tabernaculi reverentiam securitatemque pertinebat, ne Laici vellent habitare propiùs Tabernaculum. Hac ratione Castra Levitarum erant in quatuor partes distincta, sicut aliarum tribuum Castra erant sub quatuor vexillis. *Significatum est per hoc* quòd Sacerdotes novi Testamenti essent constituendi super Ecclesiam, eique præficiendi; & habituri curam vasorum Deo electorum, id est fidelium; & mores eorum portaturi.

[ ℣. 51. *Cùm proficiscendum fuerit, deponent Levitæ Tabernaculum*. ] Hoc erat unum ex officiis Levitarum, prout distinguuntur à Sacerdotibus, deponere, seu dissolvere Tabernaculum in deserto, cùm erat abeundum, illudque portare, & ipsum erigere, seu construere, quando erat manendum. Unde autem scirent quando esset eundum, quando manendum, explicatum est Exod. 13. in Resp. ad 5. videtque potest ejusd. Exod. cap. 40.

[ *Cùm castrametandum*, ] Cùm Castra erunt locanda & figenda, *Erigent*.

[ *Quisquis externorum accesserit, occidetur:* ] Vel à judice, vel à Deo vindictam sumente. *Externos* hic vocat non solùm qui essent alterius gentis, sed etiam omnes eos qui non erant de tribu Levi. Reliquis Israelitis licebat accedere ad ostium Tabernaculi, orandi, vel sacrificii offerendi causa, sed non ad faciendum ea quæ peculiariter Levitis mandata erant: Ideoque non poterant unà cum Levitis figere tentoria juxta atrium Tabernaculi, neque Tabernaculum deponere, vel erigere, vel portare, sed sub pœna mortis hæc omnia erant illis prohibita.

[ ℣. 52. *Metabuntur autem Castra filii Israel*, ] Qui non sunt de tribu Levi; nam Israelitæ hic à Levitis distinguuntur.

[ *Unusquisque per turmas & cuneos, atque exercitum suum*. ] *Etsi Turma* propriè significet multitudinem triginta virorum; quasi diceretur *Terna*, vel *Ter-dena*; tamen hic accipitur pro magna multitudine, videlicet pro multitudine tribus, & significatur quòd Israelitæ figerent Tabernacula singuli in tribu sua. *Cuneus* est instrumentum quo finduntur ligna, cujus prima pars acutior est, ut rimulam facilè intret; sequens autem, latior & amplior. *Per translationem* sumitur pro peditum multitudine in cunei formam redacta, quæ in prima acie angustior, deinde latior procedit. Hic accipitur pro multitudine minore quàm sit turma, veluti pro multitudine unius familiæ, vel domus: Et *sensus est*, quòd quilibet Israelita castametari deberet, non solùm in sua turma, seu tribu, sed etiam in suo cuneo, id est, in sua familia vel domo; quia qui erant de una familia, non poterant accipere locum ad castrametandum inter eos qui erant de alia familia; quamvis essent de eadem tribu. Dicuntur autem singuli *castrametari per exercitum suum*, quia quælibet istarum turmarum seu tribuum erat quidam exercitus, eò quòd disposita esset in modum exercitus, sub uno nimirùm duce; imò & sub uno vexillo; nam in Hebræo pro *per turmas & cuneos*, alii legunt, *super*, vel *juxta vexillum suum*, qua de re cap. seq.

[ ℣. 53. *Porrò Levitæ per gyrum Tabernaculi figent tentoria*, ] Propè scilicet atrium Tabernaculi, & deinceps in circuitu, ita ut nulli essent medii inter ipsos & Tabernaculum.

[ *Ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israel*. ] Ne contingat aliquos non Levitas propiùs quàm par est accedere ad Tabernaculum, vel tentoria figendo, vel munia Levitarum obire volendo, sicque oriatur Dei indignatio contra filios Israel: Et quidem contra totam eorum multitudinem, si fortè tota multitudo consentiret aliquorum irreverentiæ: vel contra aliquos duntaxat, si solùm aliqui peccarent. Quamvis enim uno peccante, Deus interdum plures alios istius peccato non consentientes percutiat, sive alia eorum peccata occulta puniendo, sive alias ob causas; magis tamen ordinarium est, eum percutere qui peccavit, & qui peccati ejus est consors.

[ *Et excubabant in Custodiis Tabernaculi testimonii*. ] Vigilanter custodient Tabernaculum, & omnia quæ ad illud pertinent, ne qua ratione polluatur. Appellatur *Tabernaculum Testimonii*, seu *Legis*; quia continebat Testimonium, hoc est, tabulas divinæ Legis sive Decalogi. Confer quæ ad v. 1. diximus.

## CAPUT II.

*Qua tribus ad quamvis mundi plagam ordinentur, recensitis familiarum principibus.*

[ ℣. 1. LOcutusque est Dominus ad Moysen & Aaron. ] Quæ nunc præcipiuntur statim post illa quæ superiori capite habentur, dicta sunt, non tamen in eodem protsùs loco, quia non in Sancto sanctorum, neque ex propitiatorio, cùm Aaroni non liceret illuc intrare nisi semel in anno, idque in festo Expiationis, quod celebrandum erat mense septimo, decima die mensis, ut ex Levit. 16. liquet: Nunc autem erat mensis secundus quemadmodum habetur supra cap. 1. Sed hæc locutus est Deus, seu Angelus Deum repræsentans, vel ad ostium Tabernaculi, vel in columna nubis, præscribens rationem seu modum quo singulæ tribus, non comprehensa Levitica, deberent castrametari, & figere tentoria.

[ ℣. 2. *Singuli per turmas, signa atque vexilla, & domos cognationum suarum castrametabuntur filii Israel*. ] q. d. Unusquisque Pater-familias de filiis Israel figat suum tentorium in sua tribu, & in domo, seu familia suæ cognationis per signa atque vexilla: Ex Hebræo sic alii vertunt *Unusquisque supra*; vel juxta *vexillum suum cum signis domus Patrum suorum castrametabuntur filii Israel*. Ex quibus Interpretes benè intelligunt *signa & vexilla* poni ut diversa; & præter qua-

quatuor majora ac principaliora vexilla, sub quorum singulis erant tres tribus, fuisse alia, eaque minora signa singulorum tribuum: ac fortassis etiam singularum domorum, seu familiarum.

[ *Per gyrum Tabernaculi fœderis* . ] Hoc est, in circuitu Tabernaculi fœderis; ita ut Tabernaculum semper esset in medio Castrorum, ad designandum quòd Deus, cujus erat istud Tabernaculum, dignaretur esse in medio populi sui, atque ut tota plebs ostenderet se paratam esse usque ad sanguinem, pro legis, & Tabernaculi quod eam continebat, defensione. Istud Tabernaculum simul cum suo atrio erat quadrangulum, & ambiri debebat à Castris Israelitarum, ita ut Moyses & Aaron, aliique tum Sacerdotes tum Levitæ, sua tentoria haberent propinquius quàm Laici, idque ad quatuor orbis plagas, sicut ad versum 50. cap. 50. præcedentis diximus. Deinde, justo intervallo relicto, erant ad Orientem Castra seu tentoria tribuum Juda, Issachar, & Zabulon: Ad Meridiem, tentoria tribuum Ruben, Simeon, & Gad: Ad Occidentem, Castra tribuum Ephraim, Manasse, & Benjamin. Ad Aquilonem. Castra tribuum Dan, Aser, & Nephtalim. Ægyptios autem & alios Gentiles qui secuti fuerant Israelitas egredientes de Ægypto, verisimile est fuisse his permixtos: Nam & cum eis murmurare solebant, juxta illud 11. *vulgus quippe promiscuum quod ascenderat cum eis, flagravit desiderio &c.* Unusquisque verò tribuum ternarius habebat suum vexillum cum Inscriptione Stemmatis Patrum suorum. Quæ quidem qualis fuerit, valdè est ambiguum. *Satis probabile est* in vexillo Judæ figuratum fuisse *Leonem*, quoniam Jacob Genes. 49. dixit: *Catulus Leonis Juda*. In vexillo Ruben, *hominem*: quia ipse fuit primus homo de semine Jacob, seu Israel Genes. 49. In vexillo Dan, vel *serpentem* vel *Aquilam* serpenti inimicam; quia Jacob dicto cap. 49. ei dixerat; *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita*. In vexillo Ephraim qui erat de Joseph, *Bovem*, aut *vitulum*, Joseph Patriarcha per visionem boum prædixerat, & providerat fami Ægypti, Genes. 41. unde Deuteron. 33. Moyses sic posteà dixit de Joseph, *Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus*. Cæterùm, cur istæ quatuor tribus, Juda, Ruben, Dan, & Ephraim fuerint principales in quatuor ternariis, ita ut eis adjungerentur cæteræ, cuilibet nimirum illarum duæ; Dionys. Carthus. rationem reddit, quòd tribus Juda esset reliquis principalior, numerosior, & potentior, quòdque Jacob prophetasset Christum & Reges ex ea nascituros. Tribus Ruben, quia Ruben erat primogenitus, quamvis primogenitura fuerit privatus. Tribus Ephraim, quia Jacob prætulit eum Manasse. Tribus Dan, quoniam fortior & populosior fuit tribubus sibi adjunctis. Erat quoque Dan primogenitus Balæ. Circa hanc porrò Castrorum dispositionem, illud quoque venit observandum terniones tribuum per quatuor quidem partes Tabernaculi, etsi non propè illud, fixisse tentoria; sed tamen ita remotè ab invicem, ut maximam in medio plateam haberent; eratque ornatus Castrorum quasi forum rerum venalium, singulis in ordine constitutis; & Opifices artium mechanicarum erant in suis stationibus seu officinis. Quibus consideratis, haud difficile est intelligere Balaam infra cap. 24. meritò exclamasse, *quam pulchra Tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Israel?*

*Allegoricè*, per hæc Castra figurabatur Ecclesia militans, quæ Canticor. 6. vocatur, *terribilis, ut Castrorum acies ordinata*: Per *Moysen* ducem & Legislatorem, Christus Legifer noster, & Rex noster Isa. 33. Per *Aaronem*, Summus Christi *Vicarius B. Petrus*: Per *Principes* duodecim tribuum, cæteri *duodecim Apostoli*, Paulo connumerato. Per *quadripartitam duodecim tribuum divisionem*, vel *quatuor Evangelia*, vel *quatuor virtutes Cardinales*, vel *quatuor partes principales mundi* ad Christum conversæ intelliguntur, qui omnes ad Christum, & ejus Ecclesiam respexerunt. Per hoc quoque quòd *in qualibet parte quaternarii erant tres tribus*, significatur quòd *fides S. Trinitatis est ubique terrarum suscipienda*.

[ ℣. 5. *Castrametati sunt* ] Pro *Castrametabuntur*, sicut aliquoties infra: Non enim hic describitur quid sit factum, sed jubetur quomodò essent Castra metenda. Ex Hebræo alij vertunt, *Castrametantes*, & subaudiri potest, *erunt*.

[ ℣. 9. *Universi qui in Castris Juda annumerati sunt, fuerunt centum octoginta sex millia quadringenti*; ] Computatis videlicet viri bellatoribus de tribu Juda, & de duabus aliis tribubus ipsi adjunctis: Nam hæ tres tribus unam aciem constituebant, sicut alii ternarii tribuum, aliam.

[ *Et per turmas suas primi egredientur*. ] Quando movenda erunt Castra, & erit proficiscendum, hæc erit prima acies progredientium, ita ut primi gradiantur, qui de tribu Juda; deinde, qui de Issachar; posteà qui de Zabulon; Etsi verò quando figenda erant Castra & quiescendum, ea in quadro essent, non tamen sic erant in proficiscendo, sed extendebantur in longum; hoc enim requirebat itineris & profectionis commoditas, immò necessitas.

[ ℣. 17. *Levabitur autem Tabernaculum Testimonii* ] Seu fœderis, quod idem est:

[ *Per officia Levitarum*. ] Cùm erit proficiscendum, Tabernaculum deponetur ac dissolvetur per Levitas, juxta eorum Officia, quæ nimirum cap. 4. exprimuntur. Quo autem modo vel ordine progredi deberent Levitæ, distinctiùs dicitur cap. 10. ibique erit exponendum.

[ ℣. 33. *Levitæ autem non sunt numerati inter filios Israel*: ] Quia neque erant Castrametaturi cum illis, neque debebant ad bella procedere cum ipsis contra hostes pugnaturi, sed electi erant ut haberent curam Tabernaculi, Deoque servirent in sacris Officiis. *Observandum*; quòd quamvis Levitæ essent de numero filiorum Israel, quatenus orti erant ex Jacob qui vocatus fuit Israel, hic tamen apertè discernuntur *Levitæ* à *filiis Israel*, sicut in Ecclesia novi Testamenti distinguuntur *Clerici* seu *Ecclesiastici* à *Laicis*, quia sola tribus Levitica erat sacris muniis destinata.

## CAPUT III.

*Levitæ in Tabernaculi ministerium assumpti numerantur, cum suis Principibus ac ministeriis, & loco primogenitorum Israel suscipiuntur, reliqua primogenita numerum Levitarum excedentia pretio redimuntur.*

[ ℣. 2. HÆ *sunt generationes Aaron & Moysi, in die qua locutus est Dominus ad Moysen in monte Sinai* ] Nominatur hic Aaron ante Moysen, non solùm; imò nec præcipuè quia erat senior, sed propter Sacerdotii dignitatem, quam Aaron habebat ordinariam, atque adeò in ejus filios lege ordinaria transituram; cum Moyses esset quoque Sacerdos, sed extraordinarius, utpotè à Deo constitutus, non ut ordinariè fungeretur Sacerdotio neque ut ejus filii succederent in ipsius Sacerdotium, quomodò Aaron fuit Sacerdos, sed ut ex singulari Privilegio interdùm munus Sacerdotis obiret. Frequenter tamen Moyses ante Aaronem nominatur, quia Moyses erat simpliciter major, utpotè totius populi Dux & Legislator, & Deo familiarior. Ex eo quod dicitur, *in die qua locutus est Dominus &c.* non est existimandum quòd Aaron & Moyses in die seu in tempore illo genuerint, sed quòd eo tempore haberent generationes, id est, filios genitos; *generationes* enim pro *genitis* ponuntur, sicut *abstracta* sæpè usurpantur pro *concretis*: Ut *abominatio*, pro *re abominabili*. *Difficultas est*, cùm hic non recenseantur filii Moysi, quare dicitur, *Hæ sunt generationes Aaron & Moysi*? *Respondeo*, non omninò taceri filios Moysi, quia continentur sub Caathitis, & cum Levitis connumerati fuerunt ex familia Caathitarum, Unde 1. Paralip. 23. dicitur; *Moysi quoque hominis Dei filii annumerati sunt in Tribu Levi. Filii Moysi, Gerson, & Eliezer, &c.*

[ ℣. 3. *Hæc nomina filiorum Aaron Sacerdotum qui uncti*

*uncti ſunt & quorum repleta, &* ] hoc eſt [ *conſecrata* ] ſunt [ *manus.* ] De iſta conſecratione diximus Exod. 28. v. 41. & c. 29. v. 7.

[ ℣. 6. *Applica Tribum Levi*, ] In Hebr. ſonat, *Appropinquare fac Tribum Levi*, eam ſcilicet ab aliis ſeparando, & ad Aaronem accedere faciendo, ſequitur enim.

[ *Et fac ſtare in conſpectu Aaron Sacerdotis ut miniſtrent ei*, ] Eliguntur, & juſſu Dei ſeparantur omnes qui, præter Moyſen & Aaronem Summum Sacerdotem, Aaroniſque filios minores Sacerdotes, pertinebant ad Tribum Levi, ut Aaroni, cæteriſque Sacerdotibus miniſtrent circa Tabernaculum, ejuſque vaſa & cæremonias. Anteà applicati fuerunt Aaron & ejus filii, ut eſſent Sacerdotes Exodi 28. Nunc autem applicari jubentur reliqui omnes qui de Tribu Levi erant, ut ad Aaronis mandatum miniſtrarent in rebus Sanctuarii: Atque ita qui de illa Tribu huc uſque fuerant, ſicut alii; populares; per hanc ſeparationem & applicationem facti ſunt ſpecialiter pertinentes ad Dei miniſterium, tamquàm ſi ex Laicis facti eſſent Clerici. Quod dicitur, *ut miniſtrent ei*, ſcilicet Aaroni qui per Antonomaſiam hic appellatur Sacerdos, cùm eſſet Pontifex, atque adeò Summus Sacerdos, non ita eſt accipiendum, quaſi Levitæ, ſeu inferiores Miniſtri de quibus nunc agitur, miniſtrarent in Sanctuario ſacrificia offerendo, vel alia Sacerdotalia munia obeundo: Sed ſermo eſt de miniſteriis quæ propria erant miniſtris inferioribus; cujuſmodi erant, cuſtodire Tabernaculum, circa illud excubando; cùm Caſtra movenda eſſent, ipſum deponere; partes ejus per iter portare; quando ſiſtere oportebat, eas compoſitè figere. Etſi verò Levitæ minoribus quoque Sacerdotibus miniſtrare deberent; de Aarone tamen fit mentio, quia minores Sacerdotes magno Sacerdoti ſubdebantur, & ipſe omnibus imperabat.

[ *Et excubent*, ] Vigilanter die ac nocte intenti ſint, ac cuſtodiant.

[ ℣. 7. *Et obſervent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram Tabernaculo Teſtimonii*, ] Cultus ille eſt honor & labor non quem oportebat exhiberi multitudini, ſed qui exhibendus erat Deo pro multitudine; ſenſuſque eſt, Levitas moneri ut diligenter cuſtodiant & obſervent omnia quibus tota populi multitudo debet Deum colere, vaſa nimirùm & apparamenta quibus Sacerdotes Deum colentes pro ſalute multitudinis Deum colebant. Additur, *Coram Tabernaculo Teſtimonii*, quia circa illud caſtrametari eos oportebat; illicque ad iſta eſſe vigilanter intentos.

[ ℣. 8. *Et cuſtodiant vaſa Tabernaculi*, ] Iſta, inquit Abulenſis, eſt explicatio ſententiæ ſuperioris, ſcilicet quòd Levitæ cuſtodirent vaſa Tabernaculi; id eſt, omnia utenſilia ejus, tam magna quàm parva. Et hæc includebantur in iſta clauſula, *quidquid ad cultum pertinet multitudinis*: Hic autem ſuperadduntur ad explicationem.

[ *Servientes in miniſterio ejus*, ] Scilicet Tabernaculi, hoc eſt, ſervientes Aaroni quantùm ad ea quæ per ipſum, vel etiam per minores Sacerdotes gerenda erant in Tabernaculo, ſive in ejus Atrio, ſive etiam in Sancto; in quod etſi Levitis non licebat ingredi, poterant tamen ac debebant extra illud miniſtrare ea quibus Sacerdotes ibi opus habebant.

[ ℣. 9. *Dabiſque dono Levitas* ] Tamquàm donum liberale & gratuitum.

[ ℣. 10. *Aaron & filiis ejus, quibus traditi ſunt à filiis Iſrael.* ] Jubet Deus Moyſi offerre Levitas Aaroni, & filiis ejus, ut iis ad ſacrum miniſterium ſerviant; idque gratis & ſine pretio. Sacerdotes quippe non poterant ſoli ſufficere ad omnia Tabernaculi miniſteria, ideoque neceſſe fuit eos habere adjutores: Et hi fuerunt Levitæ, ſeu qui erant de Tribu Levi diſtincti à Sacerdotibus: Iſti namque ſunt qui hic dicuntur Aaroni & filiis ejus traditi à filiis Iſrael. Quod non ita eſt accipiendum, quaſi antea fuiſſent ab eis traditi; ſed propter certitudinem eventus *præteritum* ponitur pro *futuro*, dicunturque *traditi*, qui jamjam erant *tradendi*, Sub Aarone autem, quilibet Summus Sacerdos eſt intelligendus; & ſub filiis ejus, quicumque Sacerdotes minores, Levitas porrò illis tradidit Moyſes juſſu Dei, atque adeò ipſe Deus, quemadmodum infra cap. 8. habetur: Ac nihilominùs filii quoque Iſrael dicuntur eos tradidiſſe, quia traditioni conſenſerunt, eamque approbarunt.

*Ex cap. 13. Exod.* repetendum eſt, omnes primogenitos Iſraelitarum debuiſſe ſanctificari, & Deo offerri; ex cujus ſanctificationis & oblationis vi oportuiſſet ipſos tota vita in Dei ac templi obſequium manere: Sed Deus loco Primogenitorum aſſumpſit Levitas eoſque dedit Sacerdotibus ad ſerviendum illis in his quæ ad Tabernaculi ſeu Templi uſum ſpectabant. *Si quæras*, quare Deus aſſumpſerit Levitas præ aliis? *Reſpondeo*, quia noluit miniſterium ſacrum per omnes Tribus diffundi, ad vitandam occaſionem idololatriæ, ideoque unam Tribum illi miniſterio deputavit; & peculiariter Tribum Levi potiùs quàm aliam: *Partim* ob zelum quo Tribus illa vindicavit injuriam Deo factam in adoratione vituli, occidendo ejus adoratores, Exodi 32. Ubi videantur quæ ad verſum 29. diximus: *Partim*, quia Tribus Levi erat minor cæteris, ideoque facilè poterat ali à populo, ſicut conveniebat fieri, cùm pro illo laborarent, & alia ex parte ipſa ſufficiens erat ad miniſteria Tabernaculi obeunda. *Quæritur ſecundo*, Cur non ſimiliter in nova Lege certa aliqua tribus, vel natio applicata eſt ad divina miniſteria? *Reſp.* diverſas ob cauſas. *Prima eſt*, quia Sacerdotium veteris Legis erat carnale, quod proinde conveniebat carni & ſanguini addictum eſſe, & carnis propagatione tranſmitti ad ſucceſſores: Novæ autem Legis Sacerdotium eſt ſpirituale, & idcircò non decet illud per carnis propagationem tranſire ad alios. *Secunda*, quia veteris Legis Sacerdotes generabant filios, qui proinde domeſtica inſtitutione parari poterant ad ſacra miniſteria obeunda faciliùs quàm externi: Sacerdotibus autem novæ Legis non convenit uxores ducere, ſecundùm ea quæ diximus Supplem. quæſt. 53. art. 3. *Tertia*, eaque potiſſima eſt, quoniam Chriſti Eccleſia erat dilatanda per totum orbem terrarum; & propterea ejus Sacerdotium arctari non poterat ad certum populum vel nationem, ſed debebat diffundi per omnes populos & nationes, ut ubicumque haberi poſſent Sacerdotes & Sacrorum Miniſtri. Ita Eſtius.

*Quæritur Tertiò*. Cur Sacerdotium non fuit attributum, vel ſaltem communicatum etiam filiis & poſteritati Moyſi? *Reſp. Tum* quia Moyſes fuit Sacerdos extraordinariè à Deo conſtitutus; *tum* quia ipſe erat Dux populi, quod onus cùm ei ſatis grave eſſet, ut ex cap. 11. hujus Libri, & ex cap. 18. Exod. patet, non erat acceſſione Sacerdotii ordinarii onerandus: *Tum* denique, quia congruum erat, ut ſicut diſtincta ſunt officia Ducis & Sacerdotis, ſic & perſonæ eſſent diſtinctæ. *Quæritur Quartò*. Quare Dignitas Regalis non fuerit in illo populo addicta certæ Tribui ſicut Sacerdotalis? *Reſp.* quoniam illa Dignitas non fuit ab initio inſtituta, ſed poſtea demùm, occaſione murmuris & ambitionis introducta. Cum autem Regius Principatus multis mutationibus ſit obnoxius, tum propter bella & ſeditiones, tum propter varietatem animorum & ſententiarum in populo, noluit Deus eum in certa Tribu conſtituere, licèt unam Tribum præ cæteris elegiſſet, ſcilicet Tribum Juda, in qua Principatus ille vigeret & duraret, juxta Vaticinium Jacob Geneſ. 49. *Non auferetur ſceptrum de Juda.*

[ *Aaron autem & filios ejus conſtitues ſuper cultum Sacerdotii.* ] Hoc eſt, ut obeant functiones Sacerdotio proprias, ſeu ſolis Sacerdotibus convenientes, quæ erant quatuor, ſacrificare, incenſum adolere, ſingulis Sabbatis panes propoſitionis in menſa ponere, & lucernas accendere.

[ *Externus, qui ad miniſtrandum acceſſerit, morietur.* ] Explicationis cauſa Interpres adjecit, *ad miniſtrandum*, quod neque eſt in Hebr. neque apud 70. *Externus* intelligitur quilibet qui non eſſet Sacerdos, multò magis qui nec Levita, nec Hebræus: De Levitis, quod Sacerdotale Officium ſibi vindicare vellent, punitis, exemplum eſt in

Cho-

Chore & suis ; infra cap. 16. & de Laicis in Ozia 2. Paral. 26.

[ ℣. 12. *Ego tuli Levitas* ] Accipere decrevi, jamque sum accepturus.

[ *Pro omni primogenito, qui aperit vulvam* ] Qui ex Matre primò nascitur, ejus vulvam, cùm anteà esset clausa, reserando. Conferenda quæ ad cap. 13. Exod. commentati sumus de Primogenitis.

[ ℣. 13. *Meum est enim omne primogenitum : ex quo percussi Primogenitos in terra Ægypti :* ] Meum est, non solùm communi jure creationis; sed etiam particulari liberationis; quia percutiente Angelo omnia primogenita Ægyptiorum Exod. 12. vestra servavi, & à morte liberavi.

[ ℣. 15. *Numera filios Levi per domos Patrum suorum & familias* , ] Per *Domos Patrum*, intelligi videntur cognationes Caath, Gerson, & Merari, quæ in diversas familias propagatæ sunt, unde statim sequitur versu 22. *De Gerson fuere familiæ duæ:* Et versu 27. *Cognatio Caath &c. Hæ sunt familiæ Caathitarum*. Etsi portò ad solum Moysen legatur hic Deus dixisse, *Numera*, non est tamen excludendus Aaron, sed potiùs subintelligendus, vel comprehendendus : Versu namque 39. sic dicitur : *Omnes Levitæ quos numeraverunt Moyses & Aaron, juxta præceptum Domini per familias suas :* Imò verisimile est Principes quoque Tribuum adjuvisse Moysen, non quidem ob rationem cap. 1. vers. 5. datam, sed ob aliam; quia scilicet computandi erant Levitæ ut darentur pro Primogenitis Israelitarum, & ut quotquot essent ex eorum primogenitis supra numerum omnium Levitarum tenerentur solvere quinque siclos. Hoc autem non poterat commodè fieri, nisi ipsi Israelitæ seu eorum Principes viderent quot deessent de Levitis ad summam primogenitorum Israel, ut ita scirent quanta pecunia esset solvenda.

[ *Omnem masculum* ] *Fœmina*, quamvis esset primogenita, non habebatur ratio, sive propter sexus imperfectionem, sive quia sola primogenita mascula jussa fuerant redimi ; idque verisimiliter, ex eo quòd à cæde primogenitorum Deus peculiariter liberaverit masculos primogenitos Hebræorum, & non pariter fœminas eorum primogenitas, cùm eæ non essent in periculo interfectionis : Angelo nimirùm qui per domos in Ægypto transibat primogenita occidens, solùm interficiente masculos, & non fœminas.

[ *Ab uno mense & supra* . ] Usque ad quamcumque ætatem. *Quare ab uno mense*, cùm pueri non possint esse tunc apti ullis ministeriis ? *Respondeo*, duas ob causas. *Prior est*, quia primogeniti filiorum Israel circa illam ætatem redimi debebant, infra cap. 18. Levitæ autem commutabantur pro primogenitis. *Posterior*, ut hac ratione major numerus Levitarum haberetur, qui aliquo usque accederet ad numerum primogenitorum Israel. Cap. sequenti Levitæ jubentur numerari ab anno 30. & c. 8. ad anno 25. sed aliam ab causam, de qua ibi.

*Discere hinc licet*, decens esse ut ab ipsis quasi incunabulis initium habeat sancta institutio eorum qui divino ministerio sunt consecrandi, quemadmodùm & S. Thomas Aquinas quintum annum agens traditus fuit Benedictinis Monachis piè educandus.

[ ℣. 16. *Numeravit Moyses ut præceperat Dominus.* ] Moysi 70. addunt *Aaronem*, quem textus noster, ut & Hebræus v. 39. exprimit.

[ ℣. 17. *Et inventi sunt filii Levi per nomina sua , Gerson , & Caath , & Merari* . ] Hi filii Levi numerantur Genes. 46. inter eos qui cum Jacob in Ægyptum descenderunt. Et cùm ab eo ingressu lapsi fuerint ducenti & ampliùs anni usque ad egressum ; De Caath autem Exod. 6. dicatur quòd vixerit centum triginta tribus annis, consequens est, ipsum hoc secundo anno egressionis non vixisse ; similiterque dicendum de Gerson & Merari. Quapropter, quod hic dicitur, *inventi sunt*, non ita oportet intelligere, quasi nunc inventi sint in vita, sed quòd reperti sunt in numero & in censu. Nam *per nomina inveniri*, idem est quòd nominatim recenseri ac numerari. *Si dicas*, perperàm illos numerari si non viverent, *Negandum est*, Quia namque Deus jusserat numerari Levitas per domos & familias Patrum suorum ; & non poterant ita numerari, nisi nominarentur Gerson, Caath, & Merari, cùm ab his descendant familiæ Gersonitarum, Caathitarum, & Meraritarum, oportuit ipsos nominari.

[ ℣. 23. *Hi post Tabernaculum metabuntur* ] De Gersonitis sermo est, quibus ad Castra metandum assignatur locus post Tabernaculum ad Occidentem ; sicut infra Caathitis, ad Meridiem, & Meraritis ad Septentrionem, seu ad Aquilonem.

[ ℣. 25. *Et habebunt excubias in Tabernaculo fœderis* , ] Gersonitæ videlicet. *Habere excubias in Tabernaculo*, non est idem quod *manere intra illud*, nullus enim ibi manebat, nec Levitæ Sacerdotibus inferioribus ministrantes ingredi poterant in Tabernaculum quamdiù manebat erectum : Sed est, habere curam Tabernaculi; & rerum quæ ibi erant, & quæ statim hic nominantur; sive, habere illas custodiendas. *Si dicas*, alios quoque Levitas debuisse habere curam Tabernaculi custodiendi, *Resp.* ita esse, sed quoad diversas partes.

[ ℣. 26. *Ipsum Tabernaculum* ] subaudi , *custodient*,

[ *Et operimentum ejus* , ] Nomine *Tabernaculi* non intelliguntur Tabulæ, Bases, & alia ex quibus structura Tabernaculi constabat, ( nam hæc sub Meraritarum, non sub Gersonitarum custodia erant, infra vers. 36. ) sed velum ex decem Cortinis compositum quod proximè ipsas Tabernaculi Tabulas tegebat, & undequaque operiebat, de quo Exodi 26. versu 1. & aliquot seqq. Per *operimentum* autem intelligitur triplex velum, unum ex sagis cilicinis, secundum, ex pellibus arietum rubricatis ; tertium, ex pellibus Janthinis, de quibus eod. cap. 27. vers. 7. 8. 9. quod ponebatur super velum jam priùs dictum, sicque operiebat illud.

[ *Tentorium quod trahitur ante fores tecti fœderis* , ] Tentorium hoc erat velum quod aliqui vocant *exterius*, ut isto cap. 26. vers. 36. diximus : Et pendebat ante illam partem Tabernaculi quæ dicitur *Sancta* ; eamque dividebat ab *Atrio :* Sermo enim est de illo velo quod extendebatur in introitu Tabernaculi, in parte nimirùm Orientali, per quam ingressus erat in Tabernaculum ; quod Tabernaculum hic vocatur *Tectum*, quia undique erat tectum, seu velatum.

[ *Tentoriumque* , ] Seu velum.

[ *Quod appenditur in introitu atrii Tabernaculi* ; ] Hic agitur non de velo Tabernaculi, de quo jam dictum est, sed de velo Atrii, cujus descriptio est Exod. 27. v. 16.

[ *Et quidquid ad ritum Altaris pertinet* , ] Sermo est de Altari holocaustorum, quod communiter intelligi solet nomine *Altaris*. Quoniam verò vasa Sanctuarii non erant Gersonitarum, de quibus nunc agitur, curæ commissa, sed Caathitarum infrà vers. 31. non est existimandum de omnibus omnino quæ ad Altaris ritum pertinent hic agi, sed juxta subjectam materiam, ad illud, *quidquid*, subaudiendum est, *cortinarum & velorum* quæ deserviebant Altari holocaustorum ambiendo, vel tegendo.

[ *Funes Tabernaculi* ] Quibus cortinæ & vela nectebantur, & firmabantur.

[ *Et omnia utensilia ejus* . ] Clavos nimirùm, & paxillos quibus alligari & firmari possunt funes.

[ ℣. 27. *Cognatio Caath habebit populos* ] Hoc est, *familias* ; statim enim sequitur. [ *Hæ sunt Familiæ Caathitarum*. ]

[ ℣. 28. *Habebunt excubias Sanctuarii* , ] Caathitæ habebunt curam & custodiam eorum quæ sunt, & quorum usus est in Sanctuario.

[ ℣. 31. *Et custodient Arcam , Mensamque , & Candelabrum* , ] Quando videlicet ista fuerint illi à Sacerdotibus tradita ad portandum, & quando erigendum erit Tabernaculum : Nam aliàs, quando Taberna-

naculum erat fixum, ipſi Sacerdotes ea cuſtodiebant, non permittentes quòd ullus alius intraret in Sanctuarium.

[ *Altaria* ] tum *Thymiamatis* quod collocabatur intra Sanctum, *Holocauſti*, quod ſitum erat in Atrio.

[ *Et vaſa Sanctuarii, in quibus miniſtratur*, ] Nimirùm per Sacerdotes; nam ad Sacerdotes pertinebat vaſis Sacris, ut ſunt Acetabula, Phialæ, Thuribula & alia plura, uti in miniſterio: Ad Caathitas autem ea cuſtodire & portare.

[ *Et velum*, ] Illud ſcilicet quod expandebatur ante *Sancta Sanctorum*, dividebatque locum illum ab alio qui dicebatur *Sanctum*, Et hoc velo tegebat quo Arcam involvi oportebat, cùm portanda eſſet à Caathitis; aliorum namque velorum cuſtodia & deportatio non Caathitis, ſed Gerſonitis commiſſa erat, ut verſu 26. vidimus.

[ *Cunctamque hujuſcemodi ſupellectilem*. ] Quibus verbis comprehendi poteſt Labrum æneum cum baſi ſua: Vel ſi ſub vaſis contineri velimus, per hæc denotabuntur varia vela, ſeu Involucra, quibus res à Caathitis portandæ involvi debebant.

[ ℣. 32. *Princeps autem Principum Levitarum Eleazar filius Aaron Sacerdotis, erit ſuper Excubitores cuſtodia Sanctuarii:* ] Hoc eſt, ſuper omnes Levitas: Cunctis enim Levitis incumbebat cura & cuſtodia Sanctuarii, & omnibus quidem Sacris Miniſtris, etiam Sacerdotibus præerat ſumma dignitate Aaron ſummus Sacerdos & Pontifex; ſed Eleazar ſub eo præerat triplici ordini, ſeu claſſi miniſtrorum inferiorum, qui abſolutè intelliguntur nomine *Levitarum*, id eſt, Gerſonitarum, Caathitarum, & Meraritarum, ac etiam eorum Principibus; ita ut harum familiarum Principes rationem reddere tenerentur Eleazaro: Qui propterea vocatur *Princeps Principum Levitarum*; quia erat ſuper Principes jam dictarum familiarum, etiamſi non eſſet Summus Sacerdos, Aarone gubernante.

[ ℣. 36. *Erunt ſub cuſtodia eorum Tabula &c.* ] De Meraritis nunc ſermo eſt,

[ *Et omnia quæ ad cultum hujuſcemodi pertinent*. ] Q. d. Omnia quæ ad ſimilem miniſtrationem pertinent, ſive quæ ſerviunt Tabulis, vel columnis, vel baſibus diſponendis, erunt ſub cuſtodia Meraritarum.

[ ℣. 37. *Et paxilli cum funibus*. ] Funes quibus columnæ Tabernaculi diſtendebantur, & firmabantur, hic intelligendi ſunt. Nam hi ſub Meraritarum cuſtodia erant: Funes autem velorum & Cortinarum cuſtodiendi & portandi erant à Gerſonitis.

[ ℣. 38. *Caſtrametabuntur ante Tabernaculum fœderis, id eſt, ad Orientalem plagam, Moyſes & Aaron cum filiis ſuis*. ] Quamvis omnes iſti eſſet Caathitæ ratione generationis, utpotè nati de Amram; officio tamen diſtinguebantur à reliquis Caathitis. Aaron enim erat Summus Sacerdos Ordinarius, & Moyſes ex prærogativa Sacerdotii dignitate præditus: At filii Aaron erant Sacerdotes Inferiores; & hinc eſt, quòd horum omnium locus, ut caſtrametarentur, aſſignatus fuerit ad Orientem velut loco digniore: Filii autem Moyſi ex convenientia non debebant ab illo ſeparari, illo præſertim tempore, quo vix trium aut quatuor annorum erant: Poſteà verò ſeparati fuerunt à Sacerdotibus, & Levitis Caathitis annumerati; ut ex 1. Paralip. 23. habetur.

[ *Habentes cuſtodiam Sanctuarii in medio filiorum Iſrael*. ] Commune erat toti Tribui Leviticæ cuſtodire Sanctuarium, magis tamen peculiariter ſpectabat ad Sacerdotes, qui & Levitas ipſos impedire debebant ne intrarent in *Sancta*, & conſtituti erant juxta aditum *Atrii*, atque ita medio filiorum Iſrael qui longius caſtra locabant per circuitum.

[ ℣. 39. *Omnes Levitæ quos numeraverunt Moyſes & Aaron &c. fuerunt viginti duo millia*. ] Ineundo exactum numerum reperiuntur treceni ſupra viginti duo millia: Nam de Gerſonitis, fuerunt ſeptem millia, quingenti, verſu 22. De Caathitis, octo millia, ſexcenti, verſu 28. De Meraritis, ſex millia, ducenti, verſu 34. Ex quibus reſultat numerus viginti duorum millium, & trecentorum. *Quæritur ergo*, Quare omittantur treceni. Ex Lirano, Abulenſi, Oleaſtro, Cajetano, Eſtio, Lorino, & aliis, *Communis Reſponſio eſt*, Trecentos Levitas omitti, quia erant primogeniti, ideoque redimi debebant juxta Legem primogenitorum, & non aliarum Tribuum primogenitos redimere, neque pro illis commutari; cùm tamen præſens Levitarum numeratio non ad aliud ſerviret, quàm ad commutandum eos pro primogenitis aliarum Tribuum. In iſto autem numero viginti duorum millium comprehenſi ſunt Moyſes & Aaron; dicitur enim: *Omnes Levitæ*, neque ipſi erant primogeniti, cùm Maria ſoror eorum eſſet illis ſenior, quemadmodùm ex cap. 2. Exod. liquet.

[ ℣. 41. *Et pecora eorum*. ] Tolles, ſeu accipies, & ſeparabis pecora Levitarum pro univerſis primogenitis pecorum filiorum Iſrael, non ut immolentur, neque ut à Levitis auferantur, ſed ut Deo quaſi dedicentur ſimul cum Levitis, ſintque Dei, ſicut ipſi Levitæ ſunt Dei. Non jubet Deus numerari primogenita pecorum, ſicut juſſit ut numerarentur mares primogeniti aliarum tribuum, & omnes mares Levitarum: *Tum* quia difficulter diſcerni potuiſſent pecorum primogenita; *tum* quia ſic declarare voluit Deus ſe pluris facere homines quàm bruta; *tum* quia nimis imminuerentur facultates populi, ſi ſimul & ſemel nunc dare debuiſſent omnia primogenita ſuorum pecorum, quæ hactenùs non fuerant data. *Obſervant* hic nonnulli quòd hæ cæremoniæ commutationis & redemptionis ſive hominum, ſive pecorum, ſemel tantùm celebratæ ſunt in deſerto, ſicut & ſacrificia, ne ipſo uſu & facto diſcerentur; deinceps autem tempore peregrinationis non commodè impleri potuiſſe, & obligationem dilatam uſque ad ingreſſum in terram promiſſionis, conformiter iis quæ diximus Exod. 13. ad verſum 5.

[ ℣. 45. *Tolle Levitas*. ] Numeratos Levitas uſque ad viginti duo millia jubet Deus tolli, commutari, & dari pro primogenitis aliarum Tribuum, ac etiam omnia Levitarum pecora pro pecoribus primogenitis pertinentibus ad alias Tribus quæ alioquin erant Deo obligata.

[ *Eruntque Levitæ mei*. ] Cùm fuerint una cum pecoribus ſuis mihi applicati, erunt peculiari jure mei, meoque cultui obligati.

[ ℣. 46. *In pretio autem*. ] Poſtquàm juſſu Dei numerati ſunt Levitæ, ac etiam primogeniti cæterarum Tribuum, deprehenſum eſt quòd numerus horum primogenitorum excederet numerum Levitarum, uſque ad ducentos ſeptuaginta tres; ac proinde facta commutatione Levitarum pro primogenitis aliarum Tribuum, remanebant ducenti ſeptuaginta tres primogeniti pro quibus nulla erat facta commutatio: Deus autem mandat eos redimi pretio, & pro unoquoque eorum dari quinque ſiclos Aaroni & filiis ejus, utpotè Sacerdotibus. Nam ad Sacerdotes pertinebat pecunia redemptionis primogenitorum. Quod ergo dicitur *in pretio*, perinde eſt ac ſi diceretur. *In redemptionem*, vel, *pro pretio & commutatione*. Quoniam verò non erat ratio cur unus primogenitus potius ſolveret quinque ſiclos ad ſe redimendum quàm alius; veriſimile eſt adhibitam fuiſſe ſortem ut ſciretur quinam commutarentur cum Levitis, & qui ſe deberent redimere. Sicli porrò iſti debebant eſſe ad menſuram Sanctuarii verſu 47. ſeu, juxta pondus Sanctuarii verſu 50. hoc eſt, juſti valoris & ponderis, prorſuſque conſentanei illi menſuræ quæ aſſervabatur in Sanctuario tamquàm norma & regula omnium aliorum ſiclorum, ſecundùm ea quæ diximus Exod. 30. verſo 13. Allata porrò jam redimendi primogenitos ratio perſolutis quinque ſiclis manſit impoſterùm, ſicut patet ex ſeq. cap. 18. Et ideò *quæri poteſt*, cur non manſerit etiam idem modus commutandi poſteros Levitarum, eoſque ſubſtituendi pro primogenitis Iſraelitarum quemadmodùm hic fuit factum. *Reſp.* ratio-

nem

nem esse, quia Levitæ qui postmodùm nati sunt, jam erant Dei hoc ipso quo nascebantur ex Levitis; sicut fructus Arboris ad eumdem pertinet ad quem arbor; & sicut filii qui ex mancipiis nascuntur, sunt eorum Dominorum quorum sunt ipsa mancipia: Atque ita non erat opus quòd ex Levitis nati demùm fierent Dei per hoc quòd commutarentur, & substituerentur loco primogenitorum.

## C A P U T IV.

*Ritus & efficia Levitarum juxta cujusque familiam distribuuntur.*

[ ℣. 1. TOlle summam Filiorum Caath ] Pro *Summam*, in Heb. & 70. est, *Caput*, q. d. Accipe summam filiorum Caath capitatim eos numerando.

[ *De medio* ] hoc est, es numero [ *Levitarum* ] Alii explicant de inter Levitas.

[ *Per domos & familias suas*, ] Cognatio Caathitarum erat una magna familia, sub qua continebantur illæ quatuor familiæ quæ cap. 3. vers. 27. recensentur; quælibet autem familia dividebatur in diversas domos quæ erant minores Congregationes. Et hæc numeratio fieri debebat per istas familias & domos.

[ ℣. 3. *A trigesimo anne & supra*, ] Cap. 3. Levitæ jussi fuerunt numerari ab uno mense, quia illa numeratio fiebat ad redemptionem primogenitorum, hæc autem non indigebat magna differentia temporis, cùm tanti sint pretii quilibet de populo primogenitus, & Levitæ in quacumque ætate. Inferiùs cap. 8. Jubentur numerari ab anno vigesimo quinto, & hic ab anno 30. quoniam ob diversos fines fiebat numeratio. Cap. quidem 8. ut Levitæ sacro ministerio consecrarentur, docerenturque & addiscerent ministerium ad quod essent suo tempore adhibendi. Cap. autem præsenti, ut adhiberentur ad istud ministerium exercendum, & ut onera portarent juxta muneris sui qualitatem. Ad discendum verò, ut & ad consecrationem recipiendam sufficiebat ætas viginti quinque annorum. Sed ad actualiter exercendum munia Levitarum, oneraque portanda, requisivit Deus ætatem triginta annorum; quoniam ad ista opus est ætate firma & robusta quæ vix ante annum trigesimum habetur. Unde juxta veterem Ecclesiæ disciplinam nemo ad presbyteratus ordinem admittebatur nisi ætatis annum trigesimum attigisset, vel etiam explevisset, Can. *Si quis*, & Can. *Nemo Presbyter*, itemque Can. *Presbyter*, d. 98. Qua etiam ætate Christus prædicare cœpit Lucæ 3. & 4. sicut & ejus Præcursor; & dudum antea Exechiel, prophetare, ejus Prophetiæ cap. 1. Joseph quoque præfecturam Ægypti accepit, & David Regnum Juda, cùm essent triginta annorum Genes. 41. & 2. Reg. 5.

Quod si jam dictis *objicias*, Davidem 1. Paralip. 23. constituisse Levitis ætatem 20. annorum ad ministrandum in Templo; placet Estii *Responsio*, Davidem bis numerasse Levitas. *Primò*, ab annis triginta, eò quòd illa ætas præscripta erat in præsenti cap. 4. Num. Et de hac numeratione agitur isto cap. 23. vers. 3. Sed posteà cùm videret numerum priùs collectum non sufficere ad opera Templi, nec opus esse jam tanta ætate & robore ad ejus opera sicut olim opus fuerat, quando oportebat transferre Tabernaculum, Tabernaculique vasa de loco in locum; spiritu divino motus numerum Levitarum deinceps censuit à viginti annis: Unde ibidem versu 24. scribitur quòd Levitæ *faciebant opera ministerii domus Domini à viginti annis*, statimque velut pro ratione subditur, *dixit enim David: Requiem dedit Dominus Deus Israel populo suo, & habitationem Jerusalem usque in æternum. Nec erit Officii Levitarum ut ultra portent Tabernaculum, & omnia vasa ejus ad ministrandum. Juxta præcepta quoque David novissima supputabitur numerus filiorum Levi à viginti annis & supra.*

[ *Usque ad quinquagesimum annum*, ] Scilicet expletum, ut ex Numer. 8. liquet; quia ab isto anno vires corporis notabiliter deficere incipiunt: Ideò Deus voluit Levitas in illa ætate esse immunes ab oneribus comportandis, atque à laboriosis ministeriis. *Discere* hinc licet, quàm æquus sit Deus in laboribus imponendis, quòdque uterque Magistratus tam Ecclesiasticus quàm Sæcularis eum imitari debeat, ne subditis onera imponat graviora, & importabilia.

[ *Omnium qui ingrediuntur, ut stent & ministrent in Tabernaculo fœderis.* ] Jubentur Moyses & Aaron accipere summam Caathitarum omnium qui ingrediuntur, seu ingredi debent, *non in Tabernaculum*, sed *ut stent & ministrent in* Tabernaculo: Hoc est, ad standum in custodiam Tabernaculi; & ad ministrandum in rebus ad Tabernaculum pertinentibus. Qui in Textu nostro dicuntur *ingredi ut stent & ministrent*, in Hebræo dicuntur *ingredi ad exercitum seu militiam, ut faciant functionem, sive opus*. Per quod datur intelligi quòd statio & ministratio Ecclesiastica, est quædam militia, non quidem profana, sed sacra, qua Levitæ ordinatissima serie, instar militum excubabant, tum ad Tabernaculi custodiam, tum ad illud portandum, tum ad subserviendum Sacerdotibus, ut & sacrificia, & reliqua sacra ritè peragerentur. Hunc Hebraismum secutus Apostolus, Timotheum Episcopum hortatur, ut *militet bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam*: Ut proinde novi quoque Testamenti Clerici *Milites* dici possint, sed *Milites* Christi, quorum *Duces* sunt *Episcopi*. Imò generaliter omnis homo, *miles* quidam est, juxta illud Job 7. *Militia est vita hominis super terram.*

[ ℣. 4. *Hic est cultus filiorum Caath:* ] Sive, hoc est ministerium, hoc opus & officium quod præstare debent Caathitæ.

[ *Tabernaculum fœderis, & Sanctum Sanctorum* ℣. 5. *Ingredientur Aaron, & filii ejus, quando movenda sunt Castra*, ] Es Levitici 16. Et ex cap. 9. ad Hebr. constat soli Summo Pontifici licuisse in eam Tabernaculi partem, quæ dicebatur *Sancta Sanctorum*, ingredi, & quidem tantùm semel in anno. Sed hoc accipiendum est pro illo tempore, quo Tabernaculum habebat fixam sedem, ita ut in eo possent Sacrificia offerri, & legales cæremoniæ servari: Cùm autem erat in motu, debebatque de loco in locum transferri; tunc Sacerdotes minores, quales nunc erant filii Aaron, poterant ac debebant ingredi, non solùm in *Sancta*, sed etiam in *Sancta Sanctorum*, ad componendum & velandum ea quæ ibi erant; ut velata portarentur à Caathitis: imò & ipsos Caathitas, tametsi tantùm essent Levitæ, ingredi potuisse ad hoc ut res in Sancta sanctorum contentas, jamque velatas, acciperent, & humeris efferrent, ista præsentis cap. sequentia verba indicent: *Cumque involverint Aaron & filii ejus Sanctuarium, & omnia vasa ejus in commotione Castrorum, tunc intrabunt filii Caath, ut portent involuta*: Quemadmodùm Abulensis & Lorinus interpretantur, licèt alii aliter accipiant, volentes quòd Levitæ ne quidem isto casu intrarent in Sancta, sed solùm in sacrum atrium. Ut autem omnis irreverentiæ periculum, sive ex Caathitarum, sive ex minorum Sacerdotum ingressu abesset, Abulensis & alii observant quòd antequàm ingrederentur, Deus, seu Angelus subducebat nubem, in qua illic apparere, & oracula dare solebat, vel etiam corpus in humani speciem formatum, quod non pauci existimant ibi fuisse, & super alas Cherubim insedisse.

[ *Et deponent velum quod pendet ante fores*, ] Sive, quod est in introitu Sancti sanctorum, dividens locum illum ab alio qui vocabatur Sancta.

[ *Involventque eo Arcam Testimonii*, ] Non solam, sed una cum Cherubim & propitiatorio. Hæc enim tria simul tegenda & involvenda erant, primùm quidem isto velo, deinde velamine Janthinarum pellium, denique pallio toto Hyacinthino. Ubi notandum venit, hæc esse Synonyma; *velum, vela-*

*men*

*men*, & *pallium*, ſicut etiam *Janthinum*, & *Hyacinthinum* idem valere tradit B. Hieronymus in c.16. Ezech. & nos poſt eum Exod.25.

[ ℣.6. *Et inducent vectes*. ] Non in Arcam, neque in arcæ angulos, ſeu circulos; cùm dicto cap.25.Exod. præſcriptum eſſet ut *vectes ſemper eſſent in circulis, nec umquam extraherentur ab eis* : Sed in humeros eorum qui arcam portaturi erant. Ita Liranus, Dionyſ. Abulenſis, & alii. At Oleaſter, quem ſequitur Lorinus, arbitratur quòd licèt vectes non abſtraherentur abſolutè, abſtrahebantur tamen, cùm onera aptabantur, & operiebantur ut portarentur; neque auferebantur ut extra eſſent, ſed ad onera componenda, & ſtatim reponebantur in locis ſuis.

[ ℣.7. *Menſam quoque propoſitionis* ] De qua Exod. 25. etiam actum eſt de vaſis quæ hìc jubentur involvi cum menſa.

[ *Ad liba* ] Seu Libamina [ *Fundenda*: ] Quamvis ſubinde Thus & farina vocentur Libamina, propriè tamen ſola liquida, ut vinum & oleum, ſunt Libamina.

[ *Panes ſemper in ea erunt:* ] Sermo eſt de panibus propoſitionis, quos debuiſſe eſſe duodecim, & per ſingula Sabbatha mutari, habitum eſt Levit.24. *Sunt* qui exiſtimant hoc præceptum tantùm in terra promiſſionis fuiſſe ſervandum, ubi quietè victuri erant, & omnes cæremonias ſervaturi. *Sed* quia Moyſes hic loquitur de illis quæ facienda erant in deſerto, cùm Caſtra eſſent movenda; potiùs dicendum eſt cum Lirano, Dionyſio, Cajetano, & aliis, etiam per deſertum panes propoſitionis ſemper debuiſſe eſſe ſuper menſam, & quando erat proficiſcendum illos cum ea fuiſſe involutos, juxta id quod ſequitur;

[ ℣. 8. *Extendentque deſuper pallium coccineum*, ] Seu coloris rubri: nam *deſuper*, idem valet ac ſuper menſam, & ſuper ea quæ immediatè præcedunt, inter quæ ſunt panes. *Si Dicas*, Hebræos non habuiſſe in deſerto panes, ut ſingulis Sabbathis juxta Legem eos mutarent, alioquin non fuiſſet eis neceſſarium Manna.

*Reſp.* ipſos non habuiſſe panes, imò nec farinam quæ tantæ multitudini alendæ ſufficeret, ſubinde tamen aliquos panes habuiſſe liquet ex cap.29. Exod. & ex Levit. 8. ubi de Aaronis & filiorum ejus conſecratione agitur. Sive ergo ea Madianitis, ſive ex aliis populis vicinis, farinam ſacris panibus conficiendis neceſſariam comparare potuerunt, eamque ſecum deferre. Et quoniam non ſemper continuò progrediebantur, poterant in fine cujuſque ſeptimanæ panes novos parare & coquere, qui Sabbatho ſuper menſam ponerentur, & cum ea involverentur.

[ ℣.10. *Et inducent vectes*. ] Ad portandum Candelabrum cum ſuis utenſilibus. Exod. quidem 25. & 37. cùm de Candelabri fabricatione agitur, nulla eſt mentio vectium ad deportandum; ex hoc tamen loco patet fuiſſe adhibitos, quando portari debebat de loco ad locum. Cùm autem dicitur, *inducent vectes*, non eſt intelligendum quòd inducerentur in Candelabrum, ſed quòd Candelabro ſuper vectes poſito, ipſi ponerentur ſuper humeros portantium; unde alii hìc ex Hebræo vertunt, *dabunt*, ſeu *ponent ſuper perticam*, id eſt; ſuper vectes, 70. habent, *imponent illud ſuper geſtatoria*, quo nomine, vectes intelliguntur; neque eadem hìc eſt in Hebræo & Græco phraſis quæ ſuperiùs v.6. & 8.

[ ℣. 11. *Nec non & altare aureum involvent* ] Hoc eſt, altare Thymiamatis quod laminis aureis erat opertum, vocaturque idcircò aureum, de quo habemus Exod.30.

[ ℣.13. *Sed & altare mundabunt cinere*, ] De altari holocauſtorum ſermo eſt, quod priuſquam obtegeretur ad portandum, mundari debebat amotis cineribus, qui ex victimis ſuper illud in Sina combuſtis, & ex lignis ad fovendum ignem adhibitis, in eo erant. Pro *mundabunt cinere*, alii ex Hebr. vertunt, *removebunt cinerem*. Etſi verò victimæ ſolùm oblatæ fuerint in monte Sina, & non deinceps per deſertum; ſacer tamen ignis qui erat in altari holocauſtorum, ſemper (etiam in deſerto) fuit conſervatus, ſicut Levit.6. oſtendimus, non quidem per miraculum quemadmodùm Hebræi volunt, ſed aliqua naturali via.

[*Et involvent illud purpureo veſtimento*, ] Ad deſignandum quòd ignis ibi latebat.

[ ℣.15. *Cumque involverint Aaron & filii ejus Sanctuarium* ] Id eſt partes principales Sanctuarii, quæ ſcilicet principaliter quamdam ſanctitatem redolent, & ad ſanctificationem ſunt inſtitutæ, ut ſunt arca, altaria Thymiamatis, & holocauſtorum, menſa propoſitionis, Candelabrum, & Labrum æneum.

[ *Et omnia vaſa ejus* ] Partes nimirùm minùs principales, quæ ad præcedentes ordinantur, cujuſmodi ſunt, emunctoria, infuſoria & ea in quibus emuncta recipiuntur, quæ pertinent ad Candelabrum: Cyathi, Crateres, Phialæ, Mortariola, Thuribula; quæ ad menſam; Forcipes, ignium receptacula, Fuſcinulæ; quæ ad altare holocauſtorum, & ſic de aliis.

[ *In commotione Caſtrorum*, ] Sive, quando Caſtra ſunt movenda.

[ *Tum intrabunt filii Caath*, ] Vel in Sancta, aut etiam in Sancta ſanctorum; vel ſolùm in ſacrum atrium: juxta diverſas opiniones, de quibus ad verſ.5.

[ *Ut portent involuta*: ] Omnia jam ſuperiùs memorata:

[ *Et non tangent vaſa Sanctuarii*, ] Nuda videlicet, & non operta. *Quidam* addunt B. Thomam docere Levitas ne quidem involuta vaſa potuiſſe tangere, ſed tantùm vectes eis impoſitos: At B. Thomæ locum non exprimunt, neque memini quòd S. Doctor id uſpiam doceat. Et quoniam admodùm fuiſſet difficile quòd Levitæ totaliter abſtinerent à tactu vel operimentorum vel vaſorum opertorum, ſive dum in humeros imponerentur, ſive dum geſtarentur, ſive dum ex humeris deponerentur, cum Abulenſi, Dionyſio, Lorino, & aliis dicendum eſt quòd poterant ea tangere mediantibus operimentis, ac per conſequens quòd ſolùm prohiberentur tangere ea nuda.

[ *Ne moriantur*. ] q.d. Quòd ſi illa tetigerint nuda, morientur; Deo in pœnam talis tranſgreſſionis eos occidente.

*Myſticè*, Chriſtiani *Sancta ſanctorum portant involuta*, dum Sacramenta ſuſcipiunt: *Arcam* quidem *involutam gerunt*, cùm Chriſti humanitatem Verbo incomprehenſibiliter unitam accipiunt ſub ſpeciebus ſenſibilibus: *Menſam propoſitionis*, cùm Sacram Scripturam multiplici ſenſu refertam venerantur: *Candelabrum cum ſuis lucernis*, cùm vitam & exempla Apoſtolorum imitantur: *Altare tum incenſi, tum holocauſti*, quando incenſum orationis, & ſpirituales hoſtias Deo offerunt. *Obſervandum verò*, quantam pœnam mereantur apud Deum, qui Sacramenta præſertim Euchariſtiæ irreverenter & indignè tractant, quandoquidem Levitis ſub pœna mortis prohibitum erat vaſa ſanctuarii non involuta tangere.

[ *Iſta ſunt onera filiorum Caath in Tabernaculo fœderis*; hoc eſt de rebus ad Tabernaculum fœderis pertinentibus. *Quia* honoribus onera ſunt annexa, officia, etiam Eccleſiaſtica, rectè vocantur onera, ſicut & ipſæ dignitates onera ſunt. Unde Apoſtolus 1. ad Tim. 3. Epiſcopatum *opus* eſſe ſignificat.

[ ℣. 16. *Super quos erit Eleazar filius Aaron Sacerdotis*: ] Sacerdotis nomen hìc, ut & verſ. 28. de ſummo Sacerdote dicitur; erat enim etiam Eleazar Sacerdos, ſicut & Ithamar frater ejus, ſed neuter erat ſummus. *Cap. præced.* Caathitarum Princeps ponitur Elizaphan filius Oziel, quomodo igitur Eleazar filius Aaronis hìc dicitur fuiſſe ſuper Caathitas? *Reſpond.* quòd diverſa ratione. Eliſaphan enim erat illorum Princeps tamquàm caput familiæ, & ut ſuperior Laicus; Eleazar autem tamquàm ſuperior Eccleſiaſticus, & quoad juriſdictionem ſpiritualem Sanctuarii, quemadmodùm Ithamar alter Aaronis filius erat ſuper Gerſonitas, & Merarítas, licèt quoad laicalem juriſdictionem Gerſonitarum

Prin-

Princeps esset Eliasaph, & Meraritarum, Suriel. *Dices:* Eod. cap. præced. Eleasar vocatur Princeps Principum Levitarum, quare ergo: nunc dicitur esse super Caathitas? *Resp.* quia peculiaris & immediata cura Eleazari versabatur circa Caathitas, sicut fratris ejus Ithamar, circa Gersonitas, & Meraritas. Sed præter hoc, Eleazar quodam superioritatis jure præerat, Principibus Gersonitarum, & Meraritarum ut & aliis Principibus omnium Levitarum, ac etiam fratri suo Ithamar, licèt solis Caathitis immediatè imperaret.

[ *Ad cujus curam pertinet oleum ad concinnandas lucernas*, ] Duplex erat genus olei in Sanctuario, sive in Tabernaculo. *Unum* ad cremandum in lucernis Candelabri aurei, de quo Exod. 27. v. 20. *Aliud*, ad ungendum Sacerdotes in eorum consecratione, cujus compositio describitur Exod. 30. v. 23. & seqq. *De priori* nunc dicitur quòd Eleazar ejus curam habere deberet, ac providere ne deficeret: *De posteriori*, mos, ubi nominatur oleum unctionis, similiterque sub ejus cura ponitur, Præsenti ergo versu non significatur quòd ad solum Eleazar pertineret fundere oleum in lucernas Candelabri; cùm ista esset una de functionibus Sacerdotalibus ad omnes Sacerdotes pertinentibus, juxta id quod de lucerna statutum erat Exod. 27. *Collocabunt eam Aaron & filii ejus ut usque manè luceat coram Domino:* Sed sensus est, quòd providere de isto oleo, esset curæ Eleazari, quamdiù scilicet sub Patre suo Aarone ministrabat: Cùm enim factus fuit summus Sacerdos, desit eam curam habere, eo quòd ad minores Sacerdotes pertineret.

[ *Et compositionis incensum, & sacrificiam, quod semper offertar*, ] Hoc est, ad ejusdem Eleazar curam pertinebit providere de incenso illo, quod quia ex variis componebatur, juxta legem Exod. 30. vocatur *incensum compositionis*; ac etiam de sacrificio sive de materia sacrificii quod semper offertur. *Quidam* per hoc sacrificium intelligunt *Juge sacrificium* unius agni manè, & alterius agni vespere de quo Exod. 29. *Alii*, volunt sermonem fieri de sacrificio *Mincha*, quod semper offerendum erat ex simila cum jugi sacrificio; quia hìc in Hebr. pro *sacrificio*, habetur *Mincha*. Secundùm quos proinde nomine sacrificii quod semper offertur, intelligitur simila illa quæ asservabatur ad offerendum quotidiè cum jugi holocausto, non verò ipsi agni. *Nec refert*, quòd nulla fuerint oblata in deserto sacrificia post egressum de Sinai: *In primis* enim dicendum est, quòd in eo deserto manserint usque ad vigesimam diem mensis secundi. *Deinde*, ut Sacerdotum successores, quando in terra promissionis futuri erant, scirent qui, & ad quæ officia essent deputati, oportebat illa officia in diversas personas antea esse distincta. *Addunt alii*, non ob hoc vocari juge sacrificium, quòd reipsa in deserto quotidiè perageretur, sed quòd semper parati esse deberent, habereque similam paratam, si fortè Deus vellet eam sibi, etiam in deserto offerri.

[ *Et quidquid ad cultum Tabernaculi pertinet*, ] Curæ quoque & providentiæ Eleasari erit, quidquid pertinet ad ministrationem in Tabernaculo faciendum. Non quòd omnes ministrationes facere deberet, sed quòd ejus esset materiam omnem ministrationum præbere & custodire.

[ *Omniumque vasorum, quæ in Sanctuario sunt*. Curam videlicet habebit Eleasar: non ut ea ipse portet, sed ut provideat quæ necessaria sunt ad hoc quòd deservire possint suis ministeriis; veluti, ut in Labro æneo semper sit aqua pro lavandis manibus & pedibus Sacerdotum priusquàm ministrent, & alia hujusmodi.

[ ℣. 18. *Nolite perdere populum Caath de medio Levitarum:* ] Diligenter cavete, ne sinatis Caathitas sancta sibi commissa tangere nuda; vel videre, per quod reddantur obnoxii morti. Id quod de Caathitis potiùs dicitur, quàm de Gersonitis & Meraritis: quia hi non pariter isti periculo subjacebant, eo quòd horum onera non essent tam sancta, ut nefas esset illa, quamvis nuda vel cernere vel tangere, nec humeris portari deberent, sed plaustris vehi possent.

[ ℣. 19. *Sed hoc facite eis, ut vivant, & non moriantur*, ] De morte violenta sermo est, eaque judiciaria, quam vel Deus inferat, vel judex: q. d. ut non interficiantur.

[ *Si tetigerint Sancta sanctorum*. ] Hoc est, vasa Sancta; quæ quòd Sanctissima essent, & maximè veneranda, *Sancta sanctorum* vocantur; Non enim agitur de loco, sive de illa parte Tabernaculi quæ appellabatur Sancta sanctorum, sed de arca, propitiatorio, & Cherubim, quæ in loco illo erant.

[ *Aaron & filii ejus intrabunt*, ] In atrium videlicet Tabernaculi ad tegendum labrum æneum, & altare holocaustorum: deinde in Sancta, seu in primam partem Tabernaculi, ad tegendam mensam propositionis cum vasis suis, & Candelabrum aureum, & altare Thymiamatis; ac denique in Sancta sanctorum, ad tegendum Arcam cum propitiatorio & Cherubim.

[ *Ipsique disponent opera singulorum*, ] Caathitarum scilicet, ea velando & ligando, ut posteà portari possint à Caathitis.

[ *Et divident quid portare quis debeat*. ] Ut non sit inter eos contentio.

[ ℣. 20. *Alii nulla curiositate videant quæ sunt in Sanctuario priusquam involvantur*, ] q. d. Alii tam Caathitæ, quàm omnes reliqui Levitæ, & populares, non videant ea quæ sunt in Sancto sanctorum, priusquàm sint involuta.

[ *Alioquin morientur*. ] Si illa viderint non involuta, sed nuda sicut posteà contigit Betsamitis qui 1. Reg. 6. referuntur magno numero percussi, eo quòd vidissent arcam Domini, *Et si* verò hìc dicitur, *nulla curiositate videant*, non est tamen existimandum quòd si non ex curiositate, sed ex devotione viderent, mortem evaderent, cum in Hebr. & apud 70. nihil dicatur de curiositate, sitque valdè verisimile non omnes Betsamitas curiositate ductos vidisse Arcam, sed nonnullos ex devotione, quemadmodum accidere solet, quando ingens turba currit ad sacrum spectaculum; ac nihilominùs fuerunt à Deo percussi. *Imò* sunt qui arbitrantur eos etiam fore percutiendos, qui non data opera, sed casu viderent; quia non poterant videre nisi intrarent in Sancta sanctorum, non poterant autem illuc intrare, nisi voluntariè.

*Quæritur autem*, quomodò ministris Tabernaculi fuerit tam periculosum typica illa vasa oculis aspicere; cùm hodiè nec peccator arceatur à videndo Corporis Christi Sacramento, sed id planè omnibus aspiciendum ostendatur tum in Altari, tum maximè in Processionibus publicis? *Resp.* Rationem esse ob diversitatem legis, temporis, & populi. Illa enim erat Lex timoris; nostra est Lex amoris: Istud erat tempus umbrarum, & figurarum: hoc, est tempus gratiæ revelatæ: Populus ille durus erat ac rebellis, quem conveniebat talibus præceptis & terroribus contineri in vero Dei cultu, & in rerum sacrarum veneratione, ne alioquin in Idololatriam, in quam proclivis erat, dilaberetur; populus autem Christianus est populus Christi, qui tribuit illi abundantiam gratiæ & spiritus, cui proinde conveniunt præcepta mitiora, & quæ amorem excitent magis quàm terrorem.

[ ℣. 23. *Numera omnes* ] De Gersonitis nunc agitur, qui quidem superiori cap. fuerunt numerati, sed ad commutandum eos, sicut & alios Levitas, pro primogenitis filiorum Israel, nunc autem numerari jubentur, ad assignandum eis officia, quemadmodùm paulò ante assignata sunt Caathitis, & paulò post assignabuntur Meraritis: Unde ibi numerabantur ab uno mense, hìc ab annis triginta.

[ *Qui ingrediuntur & ministrant in Tabernaculo fœderis*. ] Ingredi in Tabernaculum solis licebat Sacerdotibus, sicut & in eo ministrare, ut cap. 3. v. 10. dictum est: Gersonitæ ergo dicuntur ingredi & ministrare in Tabernaculo fœderis, non quòd intra illud intrarent, sed quia ministrabant quantùm ad ea quæ erant Tabernaculi, illa nimirùm portando & custodiendo.

[ ℣. 25. *Ut portent cortinas Tabernaculi* ] Seu velum ex decem cortinis confectum.

[ *Et tectum fœderis* ] Per quod intelligitur velum ex undecim sagis cilicinis.

[ *Operimentum aliud*, ] Quod pellibus arietum rubricatis constabat.

[ *Et super omnia velamen Janthinum* ] Istud erat quartum tegumentum, quod erat super tria præcedentia, sicque super omnia.

[ ℣. 26. *Et velum in introitu quod est ante Tabernaculum*, ] Id est ante atrium Tabernaculi. Videantur quæ diximus c. 3. v. 26.

[ ℣. 31. *Portabunt tabulas Tabernaculi* ] Scilicet Meraritæ, de quibus conferenda sunt quæ dicto c. 3. v. 36. & 37. habentur.

[ ℣. 33. *Eruntque sub manu* ] Id est, sub cura, præfectura, & directione [ *Ithamar.* ]

[ ℣. 34. *Recensuerunt igitur Moyses & Aaron & principes Synagogæ*, ] Sive Principes multitudinis, hoc est, Principes duodecim tribuum Israel, de quibus cap. 1. [ *Filios Caath &c.* ]

[ ℣. 46. *Omnes qui recensiti sunt de Levitis*, ] Levitas intellige, non quotquot erant de tribu Levi, nec qui erant Sacerdotes ( sic enim comprehensi essent Moyses & Aaron, eorumque filii ) sed qui erant gradu inferiore quàm Sacerdotes, occupati circa ministerium Tabernaculi, quod per se versabatur in oneribus ejusdem portandis & custodiendi.

[ *Et quos recenseri fecit ad nomen Moyses, & Aaron, & Principes Israel*, ] Non significatur quòd Moyses curaverit eos recenseri per alios, & non ipsemet cum Aarone & principibus recensuerit, sed quòd sic recenseri fecit, ut ipse illos recenseret cum Aarone & principibus. Nam ex Hebr. potest, *recensuit*, sicut etiam habent 70.

[ ℣. 47. *Ingredientes ad ministerium Tabernaculi, & onera portanda*, ] Abulensis, Lorinus, & quidam alii docent *ministerium Tabernaculi* & *onera portanda* non esse aliquid diversum, quia præter portationem rerum Tabernaculi earumque custodiam, quæ sub oneribus portandis comprehenditur, Levitæ non habebant usque ad Davidem, speciale aliud officium ordinarium. Dico, *speciale*; quoniam etsi excubare deberent in circuitu Tabernaculi, secundùm ea quæ cap. 1. & 2. leguntur, hoc tamen non erat quiddam speciale, sed omnibus illis commune. Addidi, *ordinarium*, quia dum valdè multa erant sacrificia, ita ut numerus Sacerdotum non sufficeret Levitæ poterant eos adjuvare in excoriandis, concidendis, & cremandis victimis. Sicut extraordinariè factum narratur 2. Paral. 29. Dixi, *usque ad Davidem*, quia dum non amplius esset portanda Arca, requiemque dedisset Deus Israelitis, David constituit Levitas qui canerent seu psallerent, variisque instrumentis Deum laudarent 1. Paralip. 23. & 25. ac etiam qui præessent similæ & vino, & oleo, & Turi, & aromatibus. 1. Paralip. 9.

[ ℣. 48. *Fuerunt simul octo millia quingenti octoginta.* ] Computatis videlicet simul Caathitis, Gersonitis & Meraritis.

[ ℣. 49. *Juxta verbum Domini recensuit eos Moyses, unumquemque juxta officium & onera sua*, ] Ita ut non solùm assignaret Caathitis vasa, Gersonitis operimenta & cortinas, Meraritis tabulas & Columnas; sed talibus Caathitis, Arcam; aliis, altare incensi; nonnullis, altare holocausti; & sic de reliquis vasis. Similiter his Gersonitis, cortinas; illis, operimenta de sagis; aliis, alia vela: Meraritis quoque quibusdam, tabulas; aliis, columnas; cæteris, bases, vectes &c.

## CAPUT VI.

*Qui immundi extra Castra arcendi: satisfactio transgressionis per negligentiam: de primitiis ac oblationibus, & lege zelotypiæ.*

[ ℣. 1. Locutusque est Dominus ad Moysen, ] Verisimile est Deum hæc Moysi locutum esse non diu post numerationem supra positam: quia præceptum de ejiciendis immundis extra Castra, ordinat populum quantùm ad dispositionem castrorum; Castra autem brevi post numerationem illam erant disponenda, cùm de monte Sinai in quo erant tempore numerationis mora fuerint die vigesimo ejusdem mensis secundi in quo ipsa fuit facta. Ad solum porrò Moysen nunc loquitur Deus, quia præceptum quod dat, ad universum populum pertinet, & non peculiariter ad Levitas, quorum quia caput erat Aaron, ipse solet cum Moyse jungi quando traduntur præcepta Levitis propria.

[ ℣. 2. *Præcipe filiis Israel, ut ejiciant de Castris*, ] Sunt qui Castra tria distinguunt, Castra nimirum Deitatis, Levitarum, & populi; sed absque ulla necessitate: Nam per *Castra* intelligitur Cœtus totius populi; & qui ejiciebantur extra Castra, non solùm arcebantur vel Tabernaculo, vel Castris Levitarum; sed totis Castris populi. *Si quæras*, quomodò qui sic ejecti erant procederent, quando Castra movebantur? *Resp.* Quod non procedebant ad motum vexillorum suæ cognationis & tribus, quoniam nec sub illis manebant cùm Castra quiescerent, sed procedebant ad motum totius populi, postquàm scilicet omnes alii Castra movissent. *Si præterea quæras*. Quomodo cibum haberent qui erant extra Castra: *Resp.* Quòd colligerent manna sicut alii. Nam manna decidebat in circuitu castrorum Exod. 16.

[ *Omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusque est super mortuo*: ] In Hebr. & Græco *pollutus super mortuo* vocatur *immundus super anima*, sicut etiam ios. cap. 9. Interpres noster dicit *immundos super anima hominis*: Usurpaturque *anima* pro *cadavere*, & significantur illi qui legalem immunditiam contraxerunt ex contactu humani cadaveris. *Solùm* hæc tria immundorum genera jubet Deus ut Israelitæ de Castris ejiciant. *Primò leprosos*, quoniam Lepra & magnam habet immunditiam, & insuper est morbus contagiosus, ideoque periculosum est cum illis conversari. *Secundò Semini-fluos*, id est, eos quibus ob ægritudinem vel infirmitatem, semen per singula momenta defluit contra ipsorum voluntatem; quia tales multòm alios inficiebant, ut patet ex Levit. 15. *Tertiò*, eos qui immundi essent ex contactu humani Cadaveris. Nam & hi multùm immundi erant legaliter, & civiliter, sicque multos inquinabant, si cum eis versarentur, inferius cap. 19. Qui aliorum quoque viventium cadavera tangerent, legalem immunditiam incurrebant, sed differenter; quia res illa quæ tangebatur, vel erat homo, vel aliud animal. Si homo, quicumque tangeret eum sive per se mortuum, sive ab alio occisum, erat immundus septem diebus, & non solùm ipse, sed etiam qui ingrederetur tentorium hominis mortui, vel tangeret ejus sepulchrum; aut ossa ejus arida reperta in agro, eod. cap. 19. Si erat aliud animal, aut erat reptile, aut aliud. Si reptile, qui tangeret illud seu vivens; seu mortuum, immundus erat usque ad vesperam Levit. 11. Si aliud, aut erat licitum eo vesci, aut illicitum. Si illicitum, quandocumque tangebatur sive per se mortuum, sive occisum, causabat immunditiam: si licitum, ac per se moriebatur, vel erat captum à bestia, causabat immunditiam, Levit. 11. & 12. Si verò occidebatur, tangi poterat, sicut & comedi, non contrahendo immunditiam.

*Ex his*, intelligi potest, quòd qui per copulam carnalem, sive fornicariam, sive conjugalem polluebantur, aut aliam immunditiam contrahe-

bant diversam à tribus supradictis, non deberent ejici extra Castra, nequidem fœminæ quæ statis temporibus sanguinem fluunt: Quare enim alioqui non fuissent expressæ, sicut tria genera immundorum superiùs posita? *Difficultas* tamen esse potest de illo qui nocturno pollutus esset somnio. Nam is Deuteron. 23. jubetur egredi extra Castra. *Verùm*, *Resp.* istud præceptum non dirigi ad populum, vel ad primores populi, ut talem ejiciant, sed ad ipsum immundum, ut ipse Castris exeat. Quare autem non fuerit jussum populo ut eum ejicerent: Abulensis ait fuisse propter duo. *Primò*; quia non poterat ab aliis Israelitis cognosci quis fuisset pollutus somnio nocturno, sicut de aliis cognoscebant quis esset leprosus, & quis per ægritudinem flueret semine. *Secundò*, quia hujus immunditia erat brevis, scilicet usque ad occasum solis. Aliæ autem erant majoris temporis.

[ ℣. 3. *Tam masculum quàm fœminam ejicite de Castris*, [ Hinc patet Legem præallegatam fuisse communem, tam pro mulieribus quàm pro viris.

[ *Ne contaminent ea* ] Castra Israelitarum contaminassent & contemptibilia reddidissent leprosi, seminiflui, & polluti super mortuo, si mansissent in Castris; tum quia ex ipsorum consortio & contactu, plurimi legalem immunditiam contraxissent, tum quia loca quæ sordibus vel rebus sordidis abundant, vilia habentur, & contemptibilia.

[ *Cùm habitaverim vobiscum.* ] Hebræis & Græcis Codicibus consormiter rectè restitutum est *habitaverim*, pro *habitaverint*, quod aliqui habebant. Significat enim Deus se qui mundissimus est habitare cum populo Hebræorum, & inter illos ideoque Castra illorum debere esse munda.

[ 4. *Feceruntque ita filii Israel.* ]Extra Castra ejecerunt eos quos Deus ejici mandaverat. Ex quo, sicut etiam ex cap. 12. ubi Maria soror Moysi lepra percussa septem diebus separata fuit extra Castra, intelligimus præsentem legem fuisse in deserto observatam; in quo etsi multa præcepta cæremonialia non debuerint servari, quemadmodùm patet de circumcisione Jos. 5. & de sacrificiis Amos 5. Idemque dicendum est de festis quantùm ad sacrificia in illis præscripta, & de primitiis ac decimis offerendis Sacerdotibus, deque redemptione primogenitorum, secundùm ea quæ diximus cap. 3. vers. 41. quædam tamen servari debuerunt: velut de Sabbato, nam illud violans jussus est lapidari, inf. cap. 15. deque festis quantùm ad vacationem ab opere servili, dum ea in illis erat præcepta, & de discretione mundorum animalium ab immundis, & de illis quæ sciebant Deum velle ut servarentur in deserto.

*Allegoricè*, *Castra Dei* sunt Ecclesia Christi, de qua *ejici* oportet, *non omnes immundos*, sed *leprosos*, *semini-fluos*, & *immundos super contactu mortui*; id est hæreticos & eos qui per semen perversæ doctrinæ, aut per suam malam conversationem sunt aliis noxii.

[ ℣. 6. *Vir, sive mulier, cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere*, ] Ex sequentibus patet sermonem esse de peccatis injustitiæ, quia injungitur restitutio sortis, & quintæ partis additio: Sensus ergo est; cùm aliqui injustitiam proximo fecerint, in quale peccatum labi solent homines vel furando, vel fraudulenter aut violenter extorquendo, vel quocumque alio modo.

[ *Et per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini*, ]Nomine istius negligentiæ quidam interpretativus contemptus intelligitur, sicut cùm aliquis scit quidpiam esse prohibitum, ac nihilominùs voluntariè illud facit, illud præceptum negligens seu non curans. Ac proinde per negligentiam hic solùm excluditur formalis contemptus.

[ ℣. 7. *Confitebuntur peccatum suum*, ] Non à testibus convicti, sed spontè. De occultis enim peccatis sermo est, cùm pro manifestis aliter in judicio procederetur, sive quoad restitutionem, sive quoad damni reparationem, ut patet ex cap. 22. Exod. quàm hic statuatur. *Si petas*, cuinam deberent peccatum suum confiteri; *Quidam respondent* quòd vel ei qui læsus fuerat, vel Sacerdoti. *Sed* vix dubium esse potest quin Sacerdoti: Ex ejus quippe arbitrio deligendum fuisse arietem qui pro expiatione peccati offerretur, constat ex Levit. 6. ubi idem casus refertur. Et ex hujusmodi locis clarum est, in veteri Testamento, etsi non fuerit Confessio Sacramentalis, sicut in novo, cùm necdum esset instituta, fuisse tamen aliquam peccatorum confessionem divinitùs præceptam, eamque non tantùm generalem, sed etiam specialem; cùm sine notitia peccati specialis non posset Sacerdos facere æstimationem pro ariete deligendo, sicut Levit. 6. habetur.

[ *Et reddent ipsum caput*, ]Seu capitale, ipsam scilicet summam principalem:

[ *Quintamque partem desuper, ei in quem peccaverint.* ] Adeò ut si læserint ad quinque siclos, ei quem læserunt totidem siclos reddere deberent, ac insuper unum siclum qui est quinta pars. Conferantur dicto ad cap. 5. & 6. Levit.

[ ℣. 8. *Sin autem non fuerit qui recipiat*, ] Utpotè illo qui læsus fuit mortuo, nulloque ipsius hærede comparente.

[ *Dabunt Domino*, ] Tam capitale, quàm partem ejus quintam; [ *Et erit Sacerdotis*; ] cùm ipse sit Dei Vicarius.

[ *Excepto ariete, qui offertur pro expiatione*, ] Itaque sive restitutio fieret hominis læso, superaddita quinta parte; sive Deo, ejusve Sacerdoti, offerendus insuper erat aries in expiationem peccati. Et hic aries, seu ejus carnes, in usum quoque Sacerdotis cedebat: Nam hæc exceptio, *excepto ariete*, non est *negativè* accipienda, quasi sensus sit, quòd res restituenda erit Sacerdotis, & non aries; sed *affirmativè*, significatur enim quòd & res restituenda erit Sacerdotis, & etiam aries; sicut si diceremus: Restitues Domino commodatum, excepto damno quod inde passus est, hoc est, ac insuper damnum quod propterea fuit passus.

[ *Ut sit placabilis hostia.* ] Quia aries ad hoc offertur, ut ipse sit hostia ad placandum Deum pro peccatis iratum.

[ ℣. 9. *Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filii Israel, ad Sacerdotem pertinent*: ] Occasione casus specialis jam expositi, Deus legem generalem statuit de proventibus Sacerdotum. Quæ non debet sic accipi, quasi singuli Sacerdotes possent sibi retinere omnes primitias quæ ipsorum ministerio durante offerebantur ( ita enim hyeme, ac verè ministrantes nihil aut parùm de illis habuissent ) sed tantùm quòd cederent Sacerdotibus in communi, sic ut inter ipsos dividerentur: neque enim in receptione primitiarum erat aliqua specialis ministratio Sacerdotis, ut ad eum solum pertinerent, sicut erat in oblatione sacrificii cujus pars soli sacrificanti cedebat.

[ ℣. 10. *Et quidquid in Sanctuarium offertur à singulis, & traditur manibus Sacerdotis, ipsius erit.* ] In Sanctuarium offerri, non est offerri in usum Tabernaculi quod aliquando per *Sanctuarium* significatur, sed est offerri in usum sacrificiorum vel oblationum: hæc enim ( saltem quoad aliquam partem ) poterant Sacerdoti cedere, non illa. Et oblationes quidem integræ illis cedebant, de quibusdam autem sacrificiis pars aliqua. Quapropter si quid vel offerebatur, vel manibus Sacerdotis tradebatur, quod nec in Gazophilacium mittebatur nec significabatur dari in usus Tabernaculi vel Templi, erat Sacerdotis, non quidem unius, sed sic ut ab uno reciperetur, divideretur autem inter omnes. Quod verò aut in Gazophilacium mittebatur, aut in usum Tabernaculi dabatur, Tabernaculo seu Templo cedebat.

*Mysticè* per *Sacerdotem*, Christus intelligi potest, & per *primitias*, *resque oblatas*; initia bonorum operum, ipsaque bona opera, quæ tum per Angelos, sicut patet in operibus misericordiæ per Tobiam factis Tob. 12. tum per ipsos operantes offeruntur Deo. Hæc enim omnia quæ *veri Israelitæ*, seu filii Dei, ei offerunt, sunt Christi, quia ejus gratiæ & donationi tribui debent.

[ ℣. 12. *Vir cujus uxor erraverit*, ] Deinceps tra-

traditur Lex zelotypiæ qua Maritus zelans uxorem suam, eamque suspectam habens de adulterio, explorare volebat, utrùm illud commisisset, an non. Causa hujus Legis fuit, *tum* ne Hebræi zelo illo agitati in uxores sævirent, easque occiderent; *tum* ut uxores ejusmodi explorationis metu deterritæ averterentur ab adulterio. In Hebr. legitur cum geminatione, *vir, vir*, hoc est, quilibet vir. Et quamvis dicatur, *Cujus uxor erraverit*, non est necesse quòd de facto erraverit, cùm præscribatur modus inquirendi de veritate dubia, sed sensus est; cùm præsumit vel suspicatur quòd sua uxor erraverit.

[ *Maritumque contemnens* ]

[ ℣. 13. *Dormierit cum altero viro*, ] Potest fieri quòd cum aliqua muliere dormiat vir, & carnalem cum ea copulam non habeat, ut patet ex 3. Reg. 1. Ubi Abisag dicitur dormivisse cum Rege David, & quòd Rex non cognovit eam; sicut è contrario contingit quòd aliquis fornicetur cum aliqua, & tamen cum ea non dormiat, ut Deuteron. 22. satis datur intelligi, & res per se clara est. Sed hoc loco, quemadmodùm & frequenter alibi, ut Genes. 30. & 35. Exod. 22. Deuteron. 22. Mulierem cum viro dormire, significat carnalem copulam cum eo habere,

[ *Et hoc Maritus deprehendere non quiverit, sed latet Adulterium, & testibus argui non potest, quia non est inventa in stupro:* ] Hoc est, in Adulterio. Hebraicè non legitur plurale *testibus*, uti nec apud 70. sed singulare; *& testis non fuerit in*, seu contra *eam*: Rectè tamen Interpres pluraliter reddidit, quoniam juxta Legem Deuter. 19. duorum aut trium testimonium requiritur ad peccatorem convincendum; sicque non esse duos aut tres testes, est idem quòd non esse testem qui posset convincere adulteram.

[ ℣. 14. *Si spiritus zelotypiæ concitaverit virum* ] Spiritus zelotypiæ idem est quòd zelotypia, sicut spiritus prudentiæ, lenitatis & misericordiæ vocatur ipsa prudentia, lenitas & misericordia. Est autem zelotypia ægritudo quædam animi ex hoc quòd alter potitur, vel potiri existimatur eo quo ipse delectatur: Et zelotypus dicitur in amore suspiciosus, & quem id solicitum habet ne quis alius fruatur eo quod ipse amat; ferèque semper, tum zelotypia, tum zelotypus in malum accipitur. Deus autem metaphoricè dicitur zelotes, quia summo jure, serenissimoque judicio, nec gloriam suam alteri dari permittit, nec electum populum suum ab aliis amatoribus occupari. Sic & homines pro Dei gloria zelare dicuntur, quando ægrè ferunt eam violari, quomodò Elias Propheta 3. Reg. 19. dicit, *zelo zelatus sum pro Domino*.

[ ℣. 15. *Adducet eam ad Sacerdotem*, ] In Civitatem videlicet Sanctam Jerusalem, postquàm Templum esset extructum, alioqui in locum Tabernaculi. Nam inter varias cæremonias præscribitur Sacrificium: Hoc autem non licebat alibi offerre.

[ *Et offeret oblationem pro illa;* ] Non ut Deus misereatur ejus, sed ut circa eam demonstret veritatem, fueritne cum alio viro, an non.

[ *Decimam partem sati farinæ hordeaceæ:* ] Satum est mensura aridorum, quod Abulensis ait fuisse duplex: *Unum* parvum, de quo Genes. 18. *Tria sata similæ commisce*. *Alterum* majus, quod ejusdem esset quantitatis ac Ephi, ut proinde decima pars sati, esset decima pars Ephi, de qua Exod. 16. dicitur, quòd *Gomor decima pars est Ephi*: Et de isto sermonem nunc fieri. Quod hic jubetur offerri farina de hordeo, est contra communem legem aliorum sacrificiorum; nam in illis offerebatur simila, quæ est farina de tritico delicatissima: In hoc autem, farina de hordeo; quoniam alia sacrificia fiebant ob causam per se bonam & honestam, hoc autem, ob causam vilem. Deinde, hordeum magis est pabulum jumentorum quàm hominum, conveniens autem est ut pro illa quæ facta sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, ad alium virum explendæ libidinis causa declinavit, assumatur potiùs pabulum bestiarum quàm hominum.

[ *Non fundet super eam oleum, nec imponet thus:* ] Oleum est typus misericordiæ, & thus est Symbolum bonæ famæ. Cùm igitur in hoc sacrificio non quæreretur misericordia, sed potiùs vindicta; & cùm mulier propter quam fiebat sacrificium non esset bonæ famæ, sed malæ, rationabiliter super hanc oblationem nec oleum nec thus adhibebatur, conformiter ei quod Levit. 5. habetur de simila pro peccato offerenda. *Non mittet in eam oleum nec thus, quia pro peccato est*. Nec dissimiliter scribit B. Thom. 1. 2. quæst. 102. art. 3. ad 14. dicens. *Thus offerebatur Deo ad designandam devotionem mentis quæ est necessaria offerentibus, & etiam ad designandum odorem bonæ famæ; nam thus & pingue est, & odoriferum. Et quia sacrificium zelotypiæ non procedebat ex devotione, sed magis ex suspicione, ideò in eo non offerebatur thus.*

[ *Quia sacrificium zelotypiæ est, & oblatio investigans adulterium.* ] Redditur ratio, quare nec thus nec oleum adhiberetur, in prædicta oblatione; quia est sacrificium procedens ex zelotypia, & ex suspicione quam habet maritus de sua uxore, quòd alteri viro fuerit commixta, estque oblatio ad investigandum an commiserit adulterium.

[ ℣. 16. *Offeret igitur eam Sacerdos, & statuet coram Domino.* ] Unus è Sacerdotibus, ille nimirùm qui eo tempore fungitur officio, illam mulierem *offeret*, seu accedere curabit & *statuet*, hoc est, stare faciet, seu sistet coram Domino, ad ostium scilicet Atrii Tabernaculi, ubi Sacerdotes tractare solebant cum iis qui sacrificia vel alias oblationes adducebant, versa facie ad Tabernaculum in quo Deus peculiariter suam præsentiam exhibebat.

[ ℣. 17. *Assumetque aquam Sanctam* ] Sanctam videlicet usibus in Tabernaculo deputatam, qualis erat quæ in labro, seu in mari æneo continebatur. *Cæterùm*, si ejusmodi aqua censebatur Sancta, quantò magis ea quæ hodie servit usibus Ecclesiæ? Etsi enim res inanimatæ non habeant aliquam sanctitatem Physicam, habent tamen moralem ex hoc quòd destinantur vel serviunt sanctis usibus: Unde & terram sanctam legimus Exod. 3. & habitaculum Sanctum Exod. 15. & alibi, oleum sanctum, vestem sanctam, laminam sanctam, & alia hujusmodi quæ Sanctitati impetrandæ, provocandæ, conservandæ, exercendæ destinata erant. *Si dicas*, hanc aquam paulò post vocari amarissimam, *Resp.* eam rectè vocari & Sanctam, & amarissimam: Sanctam, quia ad sacros usus erat deputata; amarissimam, *tum* quia Sacerdos super eam dira & amara erat imprecatus mulieri de adulterio suspectæ; *tum* quia per ejus potum magnam amaritudinem patiebatur mulier adultera, ut ex versib. 21. & 22. patet.

[ *In vase fictili*, ] Seu testaceo, ad significandum vilitatem causæ ob quam ritus ille celebrabatur, & fragilitatem carnis quæ in carnali peccato conspicitur.

[ *Et pauxillum terræ de pavimento Tabernaculi* ] Seu atrii, in quo tam Sacerdos, quàm mulier erat, dum hæc agerentur.

[ *Mittet in eam.* ] Ideò in istam aquam mittebatur terra, seu pulvis, ut potus esset horridior, & ut designaretur vilitas adulteræ, cui respondet Scriptura Ecclesiastici 9. *Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur.*

[ ℣. 18. *Cumque steterit mulier in conspectu Domini,* ] Dicebatur mulier stare in conspectu Domini, quando stabat apud ostium Atrii Tabernaculi; quia Deus habitabat in Tabernaculo.

[ *Discooperiet caput ejus*, ] Sacerdos, videlicet, sicut in Hebræo clarum est, ubi sic legitur: *Et stare faciet Sacerdos mulierem coram Domino, & nudabit caput mulieris*. Quibus consentiunt 70. Hujus porrò denudationis *una* causa erat, ad significandum omnia esse Deo nuda & aperta, nec quidquam eorum quæ in occulto fiunt, ipsum latere, ac proinde nec hujus mulieris Adulterium, si illud commiserit: Sicque dabatur ei occasio culpam fatendi & pœnitendi, metu puni-

tionis divinæ. *Altera*, quoniam non decebat eam gestare insignia pudicitiæ, de cujus impudicitia judicium agebatur.

[ *Et ponet super manus illius sacrificium recordationis*, ] Istud sacrificium, seu istius sacrificii materia erat farina hordeacea quam vir obtulerat Sacerdoti pro sua uxore. Sacerdos autem pugillum ex ea sumpserat ad cremandum super Altare, & residuum posuerat in aliquo vasculo, quod vasculum sibi à Sacerdote traditum super manus teneret, dum ipse, maledictiones super aquas ab ea bibendas proferret. Vocatur hoc sacrificium *Recordationis*, quia offerebatur, ut Deus quasi recordaretur, seu vellet ostendere se recordari criminis adulterii, adulteram puniendo, si illud commiserat, vel innocentiæ, si non commiserat, eam felici partu donando,

[ *Et oblationem zelotypiæ :* ] Vocula *Et*, sumitur pro, *id est*; Synonyma enim sunt, *Oblatio zelotypiæ*, & *Sacrificium recordationis*, vel unum est explicatio alterius.

[ *Ipse autem tenebit aquas amarissimas*, ] Sacerdos manibus suis tenebit in vase fictili aquas amarissimas, dum mulier tenet oblationem prædictam. *Amarissimæ* vocantur, non à sapore quem haberent, sed ab effectu, vel eventu proveniente ex earum potatione, ut v. 17. dictum est.

[ *In quibus cum execratione maledicta congessit*. ] Quænam fuerit ista execratio, & quæ maledicta, non liquet. Quidam volunt fuisse illa quæ mox sequuntur, *Det te* Deus *in maledictionem*, Sed *verosimilius est* esse diversa, Maledictiones enim de quibus postea sequitur, necdum jam fuerant prolatæ; hic autem agitur de illis quæ jam pronunciatæ erant, cùm Textus dicat; *Maledicta congessit*. Deinde, Maledictiones sequentes propriè feruntur in mulierem, ut verba clarè indicant; quæ autem jam dicuntur esse cum execratione congestæ, latæ fuerunt in ipsas aquas. Nam in aquis maledicta sic congerere, propriè est maledictiones maledictionibus addendo aquas ipsas maledicere, ac eis malum imprecari: Quod jam esse factum ponitur. *Cæterum*, an & qua ratione liceat creaturam irrationalem, qualis est aqua, maledicere, cum B. Thom. diximus 2. 2. quæst. 76. artic. 2. Quapropter hæc execratio & maledicta videntur esse illa quæ exprimebantur verbis Sacerdotis isto vel simili modo loquentis & imprecantis: Aqua, sis in nomine Domini maledicta; & si hæc mulier est rea adulterii, ingrediaris uterum ejus, & disrumpas, & putrescere facias femur illius.

[ ℣. 19. *Adjurabitque eam*, *& dicet :* ] Postquàm Sacerdos aquam maledixerat, adjurabat mulierem, seu verbis execratoriis eam alloquebatur.

[ *Si non dormivit vir alienus tecum*, ] Incipit à mulieris innocentia; quia eam desiderare debet Prælatus, & non culpam,

[ *Et si non polluta es deserto Mariti thoro*, ] Hoc idem est cum verbis præcedentibus, & eorum explicatio.

[ *Non te nocebunt aquæ istæ amarissimæ*, ] Verbum *Noceo*, non tantùm tertium, sed quartum quoque casum olim rexisse patet ex Psal. 34. *Judica Domine nocentes me*. Lucæ 4. *Nihil illum nocuit*. Apoc. 11. Si quis voluerit eos nocere, & in Apocrypho Esdræ Lib. 4. cap. 11. *Humiliasti eos qui te non nocuerunt*. Et apud Plautum, *Jura te non nociturum hominem*.

[ ℣. 20. *Sin autem declinasti à viro tuo, atque polluta es, & concubuisti cum altero viro* :] Hæc omnia idem valent, sed ad majorem criminis deformitatem inculcandam diversis verbis repetitur.

[ ℣. 21. *His maledictionibus subjacebis* : ] Super te venient hæ maledictiones sequentes.

[ *Det te Dominus in maledictionem*, *exemplumque cunctorum in populo suo :* ] Faciat Deus quòd sis maledicta, tantaque mala tibi irroget, ut homines inter jurandum modo execratorio te assumant in exemplum cujusdam extremæ maledictionis, dicantque hæc aut similia: Si hæc ita se habeant, maledicat tibi Deus sicut maledixit illi mulieri adulteræ, & ea mala tibi infligat quæ illi inflixit. Nam apud 70. ita legitur: *Det te Dominus in maledictum & execramentum*. Alii vertunt: *Et in adjurationem*, id est, ait Abulensis, Jurando dicatur; Faciat tibi Dominus sicut fecit tali mulieri. Ita ut per adjurationem intelligatur juratio execratoria.

[ *Putrescere faciat femur tuum*, ] Genes. 46. diximus Hebræos ponere femur pro partibus quæ sunt inter femora, sive pro principio generationis.

[ *Et tumens uterus tuus disrumpatur*. ] Neque iste tumor, neque femoris putrefactio ex aliqua vi aquis insita proveniebat, sed tantùm à Deo ad cæremoniæ illius adhibitionem, unde B. Th. 1. 2. q. 102. art. 2. ad 3. *Miraculosè mulieris adulteræ computrescebat femur bibitis aquis, in quibus Sacerdos maledicta congesserat*.

[ ℣. 22. *Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum*, ] Ad tibi nocendum, juxta jam dicta, atque & sequitur.

[ *Et utero tumescente putrescat femur*, ]

[ *Et respondebit Mulier*, *Amen*, *Amen*. ] Tenebatur sic respondere mulier ad prædictas maledictiones, velut eas approbans & confirmans, aut etiam optans, vel optare se significans, ut sibi obtingerent, si esset adulterii rea, præ se autem ferens quòd non esset rea.

[ ℣. 23. *Scribetque Sacerdos in Libello ista maledicta*,] Per Libellum Chartula vel membrana intelligitur, & per maledicta, illæ maledictiones quæ super fœminam sunt prolatæ, non eæ quæ super aquas. Josephus ait in ea membrana inscriptum fuisse nomen Dei *Tetragrammaton*, estque id verisimile; modò non intelligatur scriptum fuisse solum, sed cum prædictis maledictionibus.

[ *Et delebit ea aquis amarissimis*, ] Chartulam, seu membranam, in qua recenter scripta sunt ista maledicta, lavando istis aquis.

[ ℣. 24. *Et dabit ei bibere*. *Quas cùm exhauserit*; ] Id est, cum parata erit haurire, seu bibere; nam mulier aquas illas non bibebat priusquàm Sacerdos offerret sacrificium zelotypiæ, sed demùm postquàm illud obtulerat: Sequitur enim, *& sic*, post oblatum scilicet sacrificium, *potum det mulieri aquas amarissimas*, sive, ut 70. & alii ex Hebræo vertunt; *Et posteà dabit mulieri potum de aqua*.

[ ℣. 25. *Tollet Sacerdos de manu ejus sacrificium zelotypiæ*, ] Farinam videlicet hordeaceam, de qua versu 18. quæ in sacrificium erat offerenda.

[ *Et elevabit illud coram Domino*, ] Istam farinam Sacerdos elevabit coram Altari holocaustorum, vel coram ostio Tabernaculi, ubi Deus erat specialiter. De hac elevationis cæremonia, vide quæ diximus Exod. 29. v. 24.

[ *Imponetque illud super Altare :* ] Sacrificium hoc de farina hordeacea ponebatur super Altare holocaustorum, seu super ejus parietem; & tamen non cremabatur totum, sed solùm pugillus de ea: Numquàm enim totum sacrificium de simila cremabatur, sed pauxillum tantùm de eo, reliquum autem cedebat Sacerdotibus. Ponebatur tamen totum super Altare, ut residuum aliquo modo esset sanctificatum.

[ *Ita dumtaxat ut priùs* ] Antequàm ista omnia fiant.

[ ℣. 26. *Pugillum sacrificii tollat de eo quod offertur*, *&* ] priusquàm det mulieri aquas potandas, illum farinæ pugillum [ *incendat super Altare*, ] sicque fiat sacrificium, ac tunc demùm det mulieri aquas amarissimas potandas.

[ ℣. 27. *Quas cùm biberit*, *si polluta est*, *&c. Pertransibunt eam aquæ maledictionis*, ] In eam ingredientur ad nocendum, suamque vim moralem in illam exerent; & hoc non demum post decem menses, ut aliquibus visum est, sed statim; alioqui non fuisset evidens quòd effectus à Deo peculiariter proveniret, & non potiùs ex aliqua alia causa; nec satisfactum fuisset marito zeloty-

po,

po, qui non desiisset intereà uxorem suam molestare.

[ ℣. 28. *Quòd si polluta non fuerit,* ] Si non fuerit rea adulterii.

[ *Erit innoxia,* ] Nihil nocumenti patietur. Aquæ quas bibit eam non lædent.

[ *Et faciet liberos.* ] In Hebr. *Seminabitur semine*; fœcundo videlicet, sicque idem est, quòd, *faciet libros*. 70. habent: *Seminabit semen*, & accipiendo *semen* pro *prole*, perinde quoque est, ac *generabit proles*. Videtur Deus tali mulieri, etsi fortè anteà sterili promisisse fœcunditatem in recompensationem ignominiæ & injuriæ quam passa est. Quod autem aliqui Hebræorum tradiderunt ei promissum quòd conciperet sine semine, ridiculum est, & ad Judaica figmenta pertinens, cùm sic concipere, miraculum sit soli Deiparæ Virgini proprium, de qua Isa. 7. tamquàm signum admirabile promissum fuerat, *ecce Virgo concipiet, & pariet filium*.

[ ℣. 31. *Maritus absque culpa erit,* ] Si mulier adulterii rea juxta maledictiones supradictas passa fuerit, maritus erit absque culpa injustæ accusationis, quia jure suo usus est. *An esset absque omni alia culpa*, Textus non dicit, nec verum est, si ad accusandum procedebat vel ex suspicione temeraria, vel ex malo affectu; *Imo*, valdè dubium est, utrùm ista lege zelotypiæ uti licuerit Judæis; an verò tantùm fuerit permissa ad duritiem cordis eorum, eo modo quo Lex Repudii fuit permissa. Non desunt quidam qui arbitrentur licuisse, Beatus tamen Thomas magis in oppositum propendet. Supplem. enim quæst. 67. artic. 3. docet similiter fuisse permissum sacrificium zelotypiæ, sicut permissum erat fœnerari alienis, & dare libellum repudii: De quibus quòd censeat non fuisse Judæis licita, sed permissa dumtaxat, ex iis quæ cum illo diximus, tum isto artic. 3. tum 2. 2. quæst. 78. artic. 1. notum relinquimus. Eademque est sententia Estii super hunc locum, ubi etiam ait ex miraculo per quod Deus cooperabatur huic legi, non sequi fuisse licitum: Quia Deus miraculo non approbabat factum viri, sed veritati perhibebat testimonium, quòd videlicet mulier, vel innocens esset, vel culpæ obnoxia. At, neque hinc patrocinium facti sui possunt sumere qui utuntur judicio ferri candentis, aut aquæ ferventis, de quo post S. Thom. diximus 2. 2. quæst. 95. artic. 8. ad 3. Illud enim fuit à Deo institutum, & ex ejus institutione valebat: Hæc autem cùm neque divina institutione nitantur, neque natura sua valeant, tum ad superstitiones, tum ad Dei tentationem releganda sunt. Ad tentationem quippè Dei pertinet velle per miraculum probare quæ occulta sunt, nisi quia divino impulsu id faciat, sicut fecisse leguntur S. Brictius & S. Chunegundis. *Si quæras*, quare non fuerit etiam institutum; ut mulieres simili modo possent suos maritos de adulterio suspectos impetere, & probare: *Resp. partim*, quia vir est caput mulieris; *partim* quia non ita erat periculum quòd fœminæ malè tractarent, vel etiam occiderent suos viros ob suspicionem adulterii, sicut contra. *Si præterea quæras*, an Sponsus suspectam habens de fornicatione Sponsam quam necdum duxerat uxorem, posset ista lege zelotypiæ uti contra illam: *Negativè* respondendum est; *tum* quia Lex ista pro solis Conjugatis data fuit, *tum* quia Sponsus aliud habebat remedium: Vel non accipere illam uxorem; vel si acciperet, uti medio quod habetur Deuteron. 22. juxta quod aut per signa virginitatis probabatur suspicionem fuisse falsam, aut alioquin ipsa lapidabatur.

## CAPUT VI.

*Nazaræorum consecratio & oblatio; quibusque verbis Sacerdotes populo benedicerent.*

[ ℣. 2. VIr, *sive Mulier, cùm fecerint votum* ] De voto Nazaræorum esse sermonem ex versib. 18. & 21. evidens est, qui ab Hebræa voce *Nazir*, quæ *separatum* significat, sic dicti sunt. Nazaræi enim velut præ aliis religiosi, & Sancti, Deoque consecrati, ut liberiùs rerum divinarum meditationi vacarent, à communi hominum consortio separabantur tempore suæ consecrationis. Circa quod *notandum* Nazaræos fuisse in duplici genere. Nam aliqui erant Nazaræi *perpetui*, ad totum scilicet tempus vitæ suæ, sicut legitur de Samsone Judic. 13. De Samuele 1. Reg. 1. De S. Joan. Baptista Luc. 1. de S. Jacobo minore, in ejus vita. Alii *temporales*, ad certum videlicet tempus quod non erat lege definitum, sed quisque pro sua devotione sibi præfigebat: Quo lapso, ad communem aliorum vivendi modum redibat. Et de his Lex præsens disponit, quemadmodùm liquet ex vers. 4. 13. & seqq. *Perpetui* fuerunt figura Religiosorum novæ Legis; *Temporales*, eorum qui votum faciunt ad aliquod determinatum tempus, vel abstinentiæ à carnibus aut vino, vel profectionis ad loca sancta, vel alicujus rei similis. *Quoniam verò* Christus *Dominus* Nazaræorum veteris Testamenti vitam non fuit amplexatus (nam & ad mortuos ingrediebatur, & à vino non abstinebat, atque ut cum B. Thom. diximus 3. p. q. 40. communem vitam agebat) Interpretes quidam concludunt ipsum non fuisse vocatum Nazaræum à voto vel ritu Nazaræorum quem servaret, sed à civitate Nazareth juxta illud Matth. 2. *Veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur*.

Cùm dicitur, *vir sive Mulier*, significatur votum Nazaræorum non fuisse proprium viris, sed mulieres quoque isto ritu potuisse initiari: Nec mirum, cùm ritus ille neque Ordinem, neque ministrationem aliquam quæ ad solos viros pertinent importet. Pro illo; *Cùm fecerint votum*, alii ex Hebr. reddunt, *cum mirificaverit se vovendo*, per quod indicari potest, quòd qui votum Nazaræorum emittebant, reddebant se miros, seu mirabiles: Reverà enim mirabile est, quòd aliquis vino & deliciis assuetus, votum abstinentiæ faciat, seque privet illis voluptatibus quibus alii non libenter carent.

[ *Ut sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare:* ] Sensus est, cum voverint se sanctificare, seu à communi aliorum conversatione se separare, & voluerint se peculiariter divino cultui dedicare per abstinentiam aliquorum delectabilium quibus alii liberè fruuntur. Sive, cùm fecerint votum Nazaræorum.

[ ℣. 3. *A vino, & omni quod inebriare potest, abstinebunt.* ] In Hebræo. *A vino, & Sechar*; seu ut est apud 70. *A vino & Sicera*. Siceræ autem nomine omnem potum inebriativum significari, ex B. Hieron. docuimus Levit. 10. Hujus præcepti ratio est, quòd Nazaræos oporteret specialiùs Deo vacare cavendo aliorum vitia, & contemplationi insistendo; Vinum autem & ebrietas ista impediunt. Nam *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: Quicumque his delectatur, non erit Sapiens*. Proverb. 20. Unde Ecclesiastæ 2. dicit Sapiens, *Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam*. Et Oseæ 4. *Vinum & ebrietas auferunt cor*.

[ *Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quidquid de uva exprimitur, non bibent:* ] Nazaræis prohibetur acetum ex vino, quia etsi non sit vinum, habet tamen aliquas qualitates vini, ratione quarum causare potest ebrietatem. Pro istis verbis, &

*sex alia qualibet potione*, in Hebr. est, *& acetum sicebar*, apud 70. *Et acetum ex sicera*: Unde apparet solum acetum eis prohiberi quod potest ebrietatem causare. Per illud, *& quidquid ex uva exprimitur*, intelligitur hoc quod ex uvis, vino jam expresso, adhuc exprimitur, aqua illis superinfusa. In Hebr. est, *Madefactionem uvarum*, id est, quod ex uvis madefactis & aqua dilutis, post expressum vinum exprimitur: Et hoc quidam vocant vinum secundarium. Alii Lotam, sic dictam, quasi lota acina, ait Calepinus.

[ *Uvas recentes siccasque non comedent*. ] Verendum erat ne Nazaræi dulcedine fructus capti inducerentur ad bibendum vinum, quamvis uvæ sive recentes, sive siccæ non habent vim inebriativam: Sicque tollitur occasio bibendi vinum. Qua etiam de causa ad præcidendam videlicet occasionem comedendi fermentatum septem diebus azymorum, Exod. 12. jussum fuit ut illis diebus non inveniretur fermentum in domibus Hebræorum. *Ex quibus* discere possunt Religiosi, quos Nazaræi adumbrarunt, quòd debent remoti esse non tantùm ab iis quæ peccato sunt conjuncta, sed ab omnibus quoque illis quæ affinitatem aliquam vel illecebram peccati habent.

[ ℣. 4. *Cunctis diebus quibus ex voto Domino consecrantur*: ] Nazaræi quæ jam dicta sunt observare debent *toto tempore suæ consecrationis quam habent ex voto*. Unde colligi potest hic agi de Nazaræis temporalibus, cùm non dicatur, *toto tempore vitæ suæ*.

[ *Quidquid ex vinea esse potest, ab uva passa usque ad acinum non comedent*. ] Q. d. Nihil omninò comedent quod sit ex vinea, nequidem cortices uvæ, nec acinum, simili Phrasi, qua Genes. 14. dicitur, *à filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ*: Id est, nihil omninò accipiam, ne filum quidem, nec corrigiam. Pro; *ab uva passa*: 70. habent, *à corticibus uvæ*; ac proinde quamvis vulgariter uvæ passæ intelliguntur uvæ exsiccatæ, præsenti tamen versu magis videntur significari uvarum cortices, qui remanent postquàm vinum est ex uvis expressum. Acinus in uva, est id quod communiter vocamus granum uvæ. Dic *in uva*: Nam & hederæ, & sambuci, & mali punici grana acinorum nomine non comprehenduntur.

[ ℣. 5. *Omni tempore separationis suæ* ] Qua Nazaræum à communi hominum conversatione oportet esse separatum, ad voti sui observantiam.

[ *Novacula non transibit per caput ejus*, ] Ad radendum vel tondendum crines Nazaræi; Quod enim de novacula exprimitur, pariter est de forficibus intelligendum; cùm Nazaræo, non solùm rasura, sed tonsura quoque esset prohibita; & propterea fortitudinem suam amiserit Samson Jud. 16. quia capilli ejus tonsi fuerunt. Præcepti ratio fuit, *tum* quòd completo Nazareatus tempore, crines Nazaræorum in Dei honorem cremandi essent, & ideò non erant antea resecandi, sed sinendi crescere: *Tum* ut hoc signo ostenderetur Nazaræum esse à cultu corporis separatum, sicut à deliciis corporalibus. Etsi verò expressa capitis mentione videri fortaisè possit tantùm prohiberi capillorum tonsionem, & non barbæ, communiter tamen sentiunt interpretes & hujus sive rasuram, sive tonsuram fuisse Nazaræis prohibitam, cùm non dubitent eam ad caput pertinere.

[*Usque ad completum diem quo Domino consecratur*. ] Sive, usque dum sit impletum quo Nazaræus debet ex voto manere consecratus Deo.

[ *Sanctus erit crescente cæsarie capitis ejus*. ] Sanctum esse, idem hic est ac esse Deo consecratum, & per votum peculiare ipsi dicatum. Sensus ergo est, quòd Nazaræus erit, & cognoscetur esse Deo consecratus, si permittat crescere capillos sui capitis, juxta legem præsenti loco præscriptam. Quod portò ad votum Nazaræorum spectat, observandum est illud sive quantùm ad ritus jam dictos, sive quantùm ad alios mox dicendos, non potuisse redimi pecunia, vel aliquo alio, sicut redimi poterant ea de quibus Levit. 17. sed oportuisse illud exactè servare & implere: Quia neque comprehendebatur sub illis votis quæ ibi declarantur esse redimibilia, per quæ scilicet Laici vovebant servire in Tabernaculo vel templo, juxta modum sibi convenientem; neque Sacer Textus alibi concedit Nazaræi votum habentibus, ut possint se redimere.

[ ℣. 6. *Omni tempore consecrationis suæ super mortuum non ingredietur*, ] Toto tempore quo durante suo voto fuerit Deo consecratus, non ibit ad funus alicujus mortui.

[ ℣. 7. *Nec super Patris quidem & Matris & Fratris Sororisque funere contaminabitur*, ] Contaminabatur aliquis super funere, si tangeret hominis cadaver, aut ossa ejus reperta in agro, vel si iret ad plangendum eum, aut introiret domum in qua jaceret aliquis mortuus, vel tangeret aliqua vasa illius. Et ab his omnibus abstinere debebat Nazaræus, quem quidem & ab aliis contaminationibus seu immunditiis abstinere oportebat, sed non sub periculo repetendi dies sui Nazaræatus, sicut debebat repetere, si fiebat immundus super mortuo. Quidam putant Nazaræum sic fuisse immundum si esset in domo in qua aliquis exhalaret animam: Sed hoc solùm habet veritatem, si Nazaræus in ea erat quando moriebatur: Si autem esset domo egressus antequàm ille expiraret, non fiebat immundus.

[ *Quia consecratio Dei sui super caput ejus est*. ] Quia ipse est Deo consecratus, & istius suæ consecrationis indicium apparet in capite, intonsa videlicer cæsaries.

[ ℣. 8. *Omnibus diebus separationis suæ sanctus erit Domino*. ] Toto illo tempore quo juxta suum votum debet esse separatus à communi aliorum victu & consortio, erit Deo consecratus, & curabit se ab omni immunditia mundum servare.

[ ℣. 9. *Sin autem mortuus fuerit subitò quispiam coram eo, polluetur caput consecrationis ejus*, ] Capillus capitis ejus ex quo apparebat ipsum esse Deo consecratum contaminabitur, ideoque non poterit Deo offerri, nec in ejus honorem cremari, sed oportebit ipsius Nazareatum de novo inchoari. Hujus ratio erat, quia Nazaræus ab omni contaminatione immunis esse debebat. Ex his autem non sequitur quòd Nazaræus non polluebatur, si quis moreretur coram eo, non subitò, sed illo spectante & considerante, cùm tunc major esset causa pollutionis; sed positus est casus, de quo poterat esse ratio dubitandi.

[ *Quod radet illicò in eadem die purgationis suæ*, ] Capillatura quam habet, non potest ipsi proficere ad continuandum votum, cùm sit polluta. Vocabatur autem *eadem dies purgationis*, quia jam tum incipiebat purgari ab immunditia contracta, statim ut fiebat rasio capillorum.

[ *Et rursum septima*. ] Quia capilli qui à die prima purgationis excrescebant, erant profani, ideoque non idonei qui Deo offerrentur, ac in ejus honorem cremarentur, die septima radi debebant. Quidam Hebraizantes volunt caput Nazaræi non fuisse radendum primo, sed tantùm septimo die, quoniam Hebræa sic habent: *Radet caput suum in die purificationis suæ, in die septima radet illud*. Sed noster interpres benè intellexit in Hebr. subaudiendam esse copulativam *Et*, quod explicuit dicens, *Et rursùm*; nec verisimile est Nazaræum mansisse in sua pollutione usque ad septimum diem, sed mox ut pollutionem incurrit, radi debuit, & ista dies vocabatur *dies purgationis*.

[ ℣. 10. *In octava autem die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ* ] Ista dies octava computabatur à die quo immunditiam incurrerat, & rasum fuerat ejus caput: Supponitur autem quòd tertio & septimo die fuerit aspersus aqua expiationis, sicut inferius cap. 19. præscribitur. Jubetur Nazaræus offerre ista volatilia, quia erant munda, & parvi valoris, unumque est symbolum castitatis: alterum, simplicitatis. Cur Deus voluerit offerri turtures, non pullos turturum, & pullos columbarum, non columbas, ratio est quam adfert B. Thom. 1. 2. q. 102. art. 3. ad 4. quia in turturibus meliores & sapidiores sunt turtures, quàm eorum pulli, in Columbis

verò

verò contra, pulli sunt meliores quàm columbæ, Deus autem volebat meliora sibi offerri in sacrificium.

[ *Sacerdoti* ] Ista volatilia Nazaræos debebat offerre seu exhibere Sacerdoti, illi nimirùm, cujus vices erant tunc sacris operari.

[ *In introitu fœderis testimonii* . ] Hoc est, in introitu Tabernaculi testimonii, prout 70. & quidam alii vertunt: Fœdus ergo metonymicè hic pro Tabernaculo ponitur; sive, ut contentum pro continente, sive ut res signata pro signo: Tabernaculum enim erat signum fœderis Dei cum Hebræis, illudque seu Tabulas illud exprimentes continebat.

[ ℣. 11. *Facietque Sacerdos* ] Id est, offeret, sacrificabit.

[ *Unum pro peccato, & alterum in holocaustum;* ] Eo nimirùm situ qui descriptus est Levit. 1. vers. 14. cum seqq. & Levit. 7. vers. 8. & 9. *At*, pro quo peccato? *Resp.* quòd non pro peccato propriè dicto, cùm aliquem in præsentia Nazaræi subitò mori, nullum sit per se loquendo peccatum Nazaræi; sed pro peccato impropriè dicto, pro legali scilicet immunditia, seu irregularitate quam Nazaræus incurrerat. Quæ immunditia idcircò vocari potest peccatum, quia sicut peccatum separat à Deo, ita immunditia legalis separat ab usu & contactu rerum sacrarum.

[ *Et deprecabitur pro eo.* ] Ut per istud sacrificium Nazaræus magis aptus redderetur ad inchoandum de novo ritum Nazaræorum qui per contractam immunditiam fuerat interruptus.

[ *Quia peccavit super mortuo;* ] Quia immunditiam contraxit ex mortuo, seu ex funere mortui cui præsens fuit. Potest etiam intelligi quòd peccavit materialiter, quia id fecit quod erat materia peccati, quodque fuisset peccatum, si adfuisset voluntarium: Erat enim Nazaræo prohibitum adesse homini morienti, solùmque excusabantur à peccato quòd non voluntariè adfuisset.

[ *Sanctificabitque caput in die illo* . ] Non est sensus quòd tunc fieret aliqua unctio vel consecratio in capite Nazaræi; numquàm enim ungebantur capita Nazaræorum: sed significatur quòd Sacerdos in die illo quo sacrificia jam dicta offerebat, faciebat ut caput Nazaræi esset Sanctum, seu Deo applicatum, ita ut ex eo tempore ipsius cæsaries censeretur esse sacra & idonea quæ in fine dierum voti sui offerretur Deo.

[ ℣. 12. *Et consecrabit Domino dies separationis illius*, ] Ista sunt explicatio præcedentium, quasi diceretur Sacerdos facturus esse quòd dies quibus Nazaræus deinceps erit à communi hominum victu & convictu separatus, ex illo tempore erunt sacri, Deoque consecrati, sive quòd ex tunc incipient dies voti & consecrationis ejus.

[ *Offerens agnum anniculum* ] Hoc est, agentem primum annum ætatis:

[ *Pro peccato* ] Hunc agnum à Nazaræo adductum offerebat Sacerdos pro peccato seu contaminatione quam ipse incurrerat ex mortuo in ejus præsentia: Vel ut Abulensis & alii quidam interpretantur, pro vero peccato Nazaræi, non determinatè pro aliquo, sed in generali.

[ *Ita tamen ut dies priores irriti fiant*, ] Sive, non veniant computandi intra dies ex voto servandos. Ac proinde, si quis stans in voto Nazaræorum per duos vel tres annos, ita ut tantùm superessent ei pauci dies ad explendum suum Nazaræatum; & in ejus præsentia aliquis moreretur, anni præcedentes nihil valerent pro expletione voti, sed ab initio repetendi erant; & non solùm dies præteriti usque ad diem quo mortuus est aliquis coram Nazaræo, irriti sunt, sed etiam septem dies, qui computantur ex tunc usque ad diem octavum in quo fiunt sacrificia pro Nazaræo: Nam in die illo octavo incipiebant computari dies.

[ *Quoniam polluta est sanctificatio ejus* . ] Propriè non polluitur sanctificatio, sed sanctificationis nomine intelligitur res sanctificata, & sensus est; caput Nazaræi quod erat sanctificatum, esse pollutum, ob mortem ejus qui in præsentia ipsius obiit. Rectè observat Abulensis quòd si Nazaræus multoties pollueretur ex mortuo; toties erat repetenda ejus purificatio, & toties irriti fiebant dies eam præcedentes. Unde contingere poterat quòd vovens unum annum Nazaræatus, non finiret intra viginti, si acciderent frequentes contaminationes, propter quas oporteret cæremonias ab exordio repeti. *Cæterùm*, an Nazaræatus similiter interrumperetur, & ab initio repetendus esset, si Nazaræus alias Nazaræatus sui cæremonias violaret, velut bibendo vinum aut siceram, comedendo uvas, radendo capillos, *quæri potest*; & *probabiliter* affirmat Cajetanus, sive ob similem rationem, sive ob majorem. Si enim in casu prorsus involuntario, qualis erat alicujus mors subita & inopinata præsente Nazaræo, talis fiebat interruptio; ut repetendæ essent cæremoniæ; eadem vel majori ratione, si voluntariè eas violaret. *Doceri* hinc potest bonam vitam esse continuandam, & per mortale peccatum mortificari bona opera præcedentia sicut diximus 3. p. quæst. 89. art. 4.

[ ℣. 13. *Ista est lex consecrationis* . ] Quam scilicet observare debent Nazaræi Domino consecrati, quando votum suum explent: sive, hæc agenda sunt Nazaræo completo sui Nazaræatus tempore. Non enim sensus est, eam legem quæ præcessit esse legem consecrationis: Nam anteà fuit actum de ritibus quos oportebat servare, cùm interruptum esset tempus Nazaræatus; nunc autem incipit agere de ritibus servandis, quando dies ex voto servandi, erant completi, juxta id quod sequitur:

[ *Cum dies, quos ex voto decreverat, complebuntur;* ] Unde patet non hic sermonem fieri de voto perpetuo, sed de temporali, quale fuit illud de quo Act. 18. & 21.

[ *Adducet eum ad ostium Tabernaculi fœderis*, ] Etsi variè hæc à variis explicentur, vix tamen dubium est quin sensus sit, quòd Sacerdos adducet seu sistet ac præsentabit Nazaræum. Nam & de Sacerdote præcedit, *faciet*, *sanctificabit*, *consecrabit*, & mox sequitur.

[ ℣. 14. *Et offeret* ] Haud dubiè Sacerdos, [ *Oblationem ejus*, ] Nimirùm Nazaræi, [ *Domino.* ] Ubi Sacerdos tria jubetur pro Nazaræo offerre sacrificia, agnum scilicet in holocaustum, ovem pro peccato, & arietem pro hostia pacifica.

[ ℣. 15. *Canistrum quoque panum azymorum qui conspersi sint oleo*, ] Seu commixti in sua pistratione, secundùm ea quæ diximus Exod. 29. ad v. 2.

[ *Et lagana absque fermento uncta* ] Seu lita [ *oleo*, ] de quibus videantur quæ ibidem diximus.

[ *Ac libamina singulorum* : ] Hæc erant quædam accessoria, nimirum simila, oleum, ac vinum, quæ cum hostiis pacificorum, & holocaustorum addi solebant; ut intelligi potest ex dictis Exodi 29. vers. 40. & ex Levit. 7. vers. 29. & ex Num. 15. vers. 4. cum aliquot seqq. non autem cum hostiis pro peccato.

[ ℣. 18. *Tunc radetur Nazaræus ante ostium Tabernaculi fœderis* . ] Cùm oblata erunt pro Nazaræo sacrificia holocausti, & pro peccato, hostiaque pacifica cremabitur, Nazaræus radetur. Non disertè dicitur à quo, sed omninò intelligendum videtur quòd à Sacerdote, *tum* ne si alius de vulgo raderet, cæsaries Deo consecrata nullius momenti haberetur; tum quia de Sacerdote sermo est in antecedentibus; *offeret*, *immolabit*, & in subsequentibus, *tolletque & ponet* . In Hebræo quidem legitur: *Radet Nazaræus*; sed rectè dicitur quispiam se radere, quia curat se ab alio radi, etiam juxta vulgarem loquendi modum. Fiebat hæc rasio ante ostium Tabernaculi, non longè scilicet ab altari holocaustorum quod erat in atrio.

[ *Cæsarie consecrationis suæ* : ] Seu cæsarie sua consecrata. Cæsaries vocatur tota capillatura capitis, genarum, & barbæ. Quæ dicitur consecrata, quia erat dicata Deo, ut sineretur crescere, donec in ejus honorem cremaretur. Etsi verò tondere comam in rotundum & radere barbam esset generaliter prohibitum Hebræis Levit. 19. & specialiter Sacerdotibus tam caput quàm barbam radere Levit. 21. quia

tamen ista non prohibebantur tamquàm per se mala ; ob causas aliquas speciales non solùm licebat , sed , lege sic jubente, oportebat radere omnes pilos, sicut patet Levit. 14. de Leprosis mundandis , quoniam lepra etiam pilis adhærebat ; & suprà hoc ipso cap. de Nazaræo ob mortem hominis contaminatu . Causa porrò ob quam Nazaræus hic jubetur radi ; est quia jam expleverat tempus sui Nazaræatus , eratque propterea rediturus ad communem aliorum conversationem . Ne ergo Cæsaries ejus quæ Deo consecrata erat , ad sæculares usus rediret , Deus jussit eam radi ;

[ *Tolletque capillos ejus*, ] Sacerdos radens Nazaræum accipiet omnes ejus capillos, ita ut nihil de iis perdatur, quia debebant omnes cremari in honorem Dei, cùm essent sacri.

[ *Et ponet super ignem , qui est suppositus sacrificio pacificorum .* ] Quis esset ille ignis , utrùm sacer qui ardebat in altari holocaustorum , an profanus & communis in quo elixabantur partes hostiarum quæ cedebant in usum Sacerdotum , *dubium est* . *Probabilius* loquuntur qui cum Abulense intelligunt ignem sacrum , sive ut B. Gregorius mox citandus vocat, ignem sacrificii , *partim* quia alioquin capilli Nazaræorum non viderentur pertinere ad aliquam consecrationem , si profano igne cremarentur ; *partim* quia Textus noster, Hebræis & Græcis consentientibus , clarè dicit quòd iste ignis esset suppositus sacrificio pacificorum, ignis autem profanus non supponebatur sacrificio pacificorum , sed solùm ignis sacer : De hostia namque pacificorum, adipem , duos renes , & reticulum jecoris cum renunculis Sacerdotes adolebant super altare holocaustorum , sicut Levit. 3. jubetur , & non alibi . *Neque refert* , hunc ignem designari per hoc quòd suppositus esset sacrificio pacificorum , cùm potiùs designari debuisset per sacrificium holocausti , quod & altari nomen dabat ; & erat inter omnia sacrificia potissimum , si sermo esset de igne sacro qui ardebat in altari holocaustorum : Peculiaris enim fuit ratio faciendi mentionem sacrificii pacificorum ; hæc nimirùm , quòd antequàm raderentur capilli Nazaræi , oblatæ erant hostiæ pro peccato , & holocausti ; quæ quamvis nondùm essent penitùs consumptæ , ultimo tamen loco offerebatur hostia pacifica , & dum ex ea cremarentur partes Deo adolendæ , fiebat rasio capillorum, ipsique mox ponebantur super eumdem ignem.

*Moraliter* ; ita S. Gregorius . Lib. 2. Moral. cap. 39. *Quid est quòd devotione completa , caput Nazaræus radere , capillosque in igne sacrificii ponere jubetur , nisi quòd tunc ad perfectionis summam pertingimus , cum sic exteriora vitia vincimus , ut etiam cogitationes superfluas à mente resecemus . Quas nimirùm sacrificii igne concremare est flamma eas divini amoris incendere , ut totum cor in Dei amore ardeat ; & cogitationes superfluas concremans , quasi Nazaræi capillos devotionis perfectione consumat.*

[ ℣. 19. *Et armum coctum arietis* , ] Sacerdos accipiet quoque arietis immolati armum , postquàm coctus fuerit , eumque , ut Levit. 7. habetur , dextrum . Coctum intellige in aqua , seu elixatum . Ubi observandum est quòd hostia pacifica , quantùm ad partes Deo adolendas , cremabatur in altari , sed quantùm ad reliquas , coquebatur extra altare .

[ *Tortamque absque fermento unam de Canistro* , ] Tortam unam intellige unum ex panibus quos continebat canistrum de quibus versu 15. Unde 70. hic vertunt , *panem unum azymum*.

[ *Et laganum azymum unum* , ] Quod laganum esset quoddam genus placentæ diximus Exod. 39. v. 3.

[ *Et tradet in manus Nazaræi , postquàm rasum fuerit caput ejus* . ] Ista omnia , armum , tortam & laganum , Sacerdos ponebat super manus Nazaræi , ut ipse illa offerret , quæ tamen oblatio non erat sacrificium.

[ ℣. 20. *Susceptaque rursum ab eo elevabit in conspectu Domini :* ] Sacerdos ex quæ priùs à Nazaræo acceperat , eique posteà in manus posuerat , iterùm ab illo suscipiet , & suscepta elevabit in conspectu Domini , hoc est , versus altare holocaustorum . Quæ elevatio fiebat in omnes partes positionis antè & retrò , sursum & deorsum , ad dextrum & ad sinistrum , ut significaretur quòd Deus , cui ista elevabantur , Dominus sit omnium quæ sub istis positionibus continentur . Confer quæ diximus Exod. 29.

[ *Et sanctificata Sacerdotis erunt* , ] Omnia quæ Sacerdos elevaverit , & elevando Deo obtulerit , sicque consecraverit , cedent in ejus usum & esum .

[ *Sicut pectusculum , quod separari jussum est* , ] Scilicet Levit. 7.

[ *Et femur* . ] Sive, ita etiam femur , hoc est , tam unum quàm alterum pertinebit ad Sacerdotem . Per femur intelligitur *armus*, sicut alii ex Hebræo vertunt , unde 70. dicunt *brachium*.

[ *Post hæc potest bibere Nazaræus vinum* . ] His expletis , ille qui anteà fuit Nazaræus , potest bibere vinum , comedere uvas , & cætera facere quæ aliis licebant : In hoc enim quod dicitur de vino intelliguntur omnia alia ; cùm omnia sub ejusdem voti obligatione essent ; Dicitur tamen de vino , quia ejus abstinentia erat notabilior , & circa rem quæ passim quotidiè solebat ab aliis usurpari magis quàm cætera.

[ ℣. 21. *Ista est lex Nazaræi* , ] Ista quæ jam posita est , lex est quam observare debet Nazaræus, tum pro voti sui adimpletione , tum post tempus voti expletum.

[ *Cùm voverit oblationem suam Domino tempore consecrationis suæ* , ] Cùm voverit Nazaræatum , seu se futurum Nazaræum ; ac per consequens cum voverit oblationem præscriptam Nazaræis ut eam offerant . Quod oblationis votum faciebat tempore consecrationis suæ , hoc est , illo die quo se consecrabat Deo , & incipiebat esse Nazaræus : quamvis enim tunc nihil fortè exprimeret de oblationibus , in ejus tamen voto intelligebatur . Nam qui statum aliquem vovet , simul vovet ea quæ ad illum essentialiter requiruntur ; sicut is qui vovet regulam S. Francisci , vovet servare paupertatem , etsi de paupertate nihil diceret . Ad statum autem Nazaræatus essentialiter requirebantur oblationes quas Deus offerri præcepit .

[ *Exceptis his quæ invenerit manus ejus* . ] q. d. Offeret omnia præscripta præter ea quæ voluerit spontè offerre juxta suam commoditatem & devotionem . *Ex quo* elici potest præter vota Religionis essentialia posse quædam alia fieri & servari.

[ *Juxta quod mente devoverat , ita faciet ad perfectionem sanctificationis suæ* . ] Juxta id quod Nazaræus ex peculiari mentis destinatione ac voluntate vovit , sic debet facere ad suæ sanctificationis perfectionem , sive ad explendam ac finiendam suam sanctificationem , atque ut sua sanctificatio qua fuit consecratus in Nazaræum perfectè adimpleatur . Non enim perfectè implebatur , nisi oblatis omnibus quæ lex præscribebat, & etiam quæ prætereà spontè voverat.

℣. 23. *Sic benedicetis filiis Israel* . ] Perfecto planèque finito ritu Nazaræatus , æquum erat Nazaræum dimitti cum Sacerdotali benedictione illius qui celebraverat cæremonias . Idcircò Deus certam benedictionis formam præscripsit , qua & tunc , & quoties Sacerdos esset aliquem benedicturus uteretur .

[ ℣. 24. *Benedicat tibi Dominus , & custodiat te* . ] Jubetur Sacerdos benedicere populo seu etiam alicui particulari de illo ; & tamen non jubetur dicere , *ego tibi benedico* ; sed , *benedicat tibi Dominus* . q. d. Conferat tibi Dominus copiam omnium bonorum tum corporalium , tum spiritualium . *Ex quo patet* , ait Estius, *aliter* benedicere Sacerdotem , *aliter* Deum Sacerdos benedicit ministerio , Deus potestate . Sacerdos benedicit benè precando , Deus benefaciendo . Nam Dei benedicere , est benefacere . *Si quæras* , quid igitur inter benedicere Sacerdotis vel etiam Episcopi , & cujuslibet alterius, cùm etiam Laicus possit alteri benè precari . *Resp.* posse esse quòd nihil intersit quoad affectum benè precantis ,

sed

sed quoad effectum, seu fructum bonæ precationis multùm interest. Deus enim benedictione Sacerdotum tamquàm ministrorum suorum, promisit suæ divinæ benedictionis suffragium, ut mox videbitur, non similiter benedictionibus aliorum.

[ ℣. 25. *Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui.* ] Deus se tibi benignum, hilarem, & propitium exhibeat, suamque misericordiam erga te exerceat peccata remittendo, & omnem aliam miseriam auferendo.

[ ℣. 26. *Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* ] q. d. Clementer te aspiciat, ac misericorditer consoletur, & det tibi pacem tam temporalem, quàm spiritualem. *Metaphoricè* tribuitur Deo faciei seu vultus conversio, ad significandum ejus benignitatem, propitiationem, & opem; sicut & aversio, ad denotandum ejus derelictionem. *Observandum autem*, quòd nomen vultus, ut & faciei secundùm se sit mediæ significationis indifferens ad bonum & malum, ita ut pro ratione loci & circumstantiarum, nunc sic, nunc aliter accipiatur, nam hoc loco in bonum sumi, indicat quod sequitur, *& det tibi pacem*, quemadmodum & Psalm. 20. *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo*, verbum *lætificabis:* In malum verò sumi Psalm. 33. cùm dicitur, *Vultus autem Domini super facientes mala*, probat subsequens clausula, *ut perdat de terra memoriam eorum*.

[ ℣. 27. *Invocabuntque nomen meum super filios Israel*, ] Hoc est, benedicent filiis Israel, invocato nomine meo, seu meipso.

[ *Et ego benedicam eis.* ] Faciam, & reipsa præstabo bona illa quæ benedicendo fuerint precati. *Si autem* Deus hoc promisit benedictionibus Sacerdotum veteris Testamenti, quantò magis censendus est promisisse benedictionibus Sacerdotum novi Testamenti, quorum illi erant figuræ?

## CAPUT VII.

*Oblationes Principum duodecim tribuum in dedicationem Tabernaculi, & altaris: loquitur Dominus Moysi de propitiatorio.*

[ ℣. 1. F*Actum est autem in die qua complevit Moyses Tabernaculum, & erexit illud:* ] Non oportet intelligere quòd Moyses per se complevit & erexit, sed per Beseleel & socios. Diem quæ hic designatur, fuisse primam diem mensis primi, anni secundi egressionis de Ægypto, liquet ex cap. ult. Exod. Ubi dicitur quòd *mense primo anni secundi, primo die mensis collocatum est Tabernaculum, erexitque Moyses illud;* Unde consequens est non servari ordinem rei gestæ, cùm recensio populi quæ hujus libri cap. 1. refertur, facta fuerit ejusdem anni secundi mense secundo, die primo, & oblatio Principum quæ statim hic sequitur, illam populi recensionem antecesserit, contigit enim mense primo; prima die mensis. *Si dicas*, illa prima die mensis primi neque Aaronis, neque filiorum ejus consecratio erat perfecta, ergo nulli erant Sacerdotes qui victimas Principum offerre possent; ideoque dicendum est illas oblationes non tunc esse factas, sed demùm posteà. *Neque* satis est dicere, Moysen fuisse Sacerdotem per quem offerri possent illæ victimæ; cùm enim esset solus, non poterat illis offerendis esse sufficiens. *Resp.* Neg. Cons. quia Moyses erat Sacerdos; & cùm non plures essent quàm viginti & una victima per diem offerenda, non adeò fuit Moysi difficile illas offerre, si consideremus quòd solus quidem ipse eas mactaret, seu jugularet, ab Aaron tamen & filiis ejus adjuvaretur in eis ligandis & tenendis, qui deinde eas excoriabant, concidebant, lavabant, & altari imponebant, sicut Levitas potuisse facere ex 2. Paralip. 29. habetur. Postquam verò perfecta fuit Sacerdotum consecratio, hoc est, die octava & deinceps, Aaron cum filiis suis victimas Principum obtulit. Nam Principes cœperunt quidem suas oblationes facere primo die mensis, sed demùm absolverunt die duodecimo, ut ex versu 78. patet.

[ *Unxitque & sanctificavit cum omnibus vasis suis*, ] Moyses unxit Tabernaculum oleo unctionis quod Exod. 30. vocatur unguentum: & ea unctione sanctificabatur Tabernaculum & vasa, quoniam sic applicabantur Deo & ad ejus cultum, ut non essent ampliùs res profanæ vel indifferentes, sed sacræ, & non ad alios usus applicabiles, quàm ad sacros. Per vasa Tabernaculi intelliguntur instrumenta quæ Tabernaculo deserviebant, Arca videlicet cum Cherubim & propitiatorio, altare Thymiamatis, mensa propositionis, & Candelabrum, nam hæc omnia erant in Tabernaculo prout distinguitur ab atrio. In atrio autem, atque adeò extra Tabernaculum sic acceptum, erat altare holocaustorum, de quo sequitur.

[ *Altare similiter, & omnia vasa ejus.* ] Seu instrumenta [ *ejus* ] ut sunt Lebetes, fuscinulæ, phialæ, ignium receptacula, labrum æneum *&c.*

[ ℣. 2. *Obtulerunt Principes Israel, & capita familiarum, qui erant per singulas tribus, præfectique eorum qui numerati fuerant.* ] Non est sermo de numeratione quæ hujus Libri cap. 1. refertur, cùm ea facta demùm fuerit mense secundo anni secundi, oblationes autem de quibus nunc agitur factæ sint mense primo anni secundi; sed de illa cujus mentio est Exod. 38. Principes qui hic designantur, sunt duodecim Principes duodecim tribuum Israel, & iidem sunt cum illis qui vocantur capita familiarum; unde non dicuntur capita familiarum quæ erant per singulas familias, sed quæ erant per singulas tribus, quia in qualibet tribu erat unus Princeps, sive unum caput. Et qui mox vocantur *Præfecti eorum qui numerati fuerant*, non differunt quoque à Principibus sed iidem sunt, quia soli duodecim Principes hic recensentur, nec plurium oblationes quàm illorum duodecim. Sensus igitur est, quòd duodecim Principes, sive capita familiarum, iidemque præfecti obtulerunt.

[ ℣. 3. *Munera coram Domino*, ] Hoc est ad ostium atrii Tabernaculi. Munera autem sunt illa quæ statim sequuntur.

[ *Sex plaustra tecta* ] Plaustra ad subvehendum per desertum eas res Tabernaculi, quæ minùs sacræ erant. Ideo tecta, idest, quibusdam velamentis operta: *Partim* ne viderentur ea quæ in plaustris essent, *partim* ne paterent injuriæ aeris, pluviæ, grandini, nivi *&c.*

[ *Cum duodecim bobus.* ] Ut quodque plaustrum à duobus bobus traheretur. Offeruntur boves, quoniam inter jumenta domestica aptiores sunt oneribus portandis seu vehendis quàm equi, quia robustiores, licèt tardiores: Deinde, rarior erat Hebræis peregrinantibus usus & copia equorum quàm boum.

[ *Unum plaustrum obtulere duo Duces, & unum bovem singuli*, ] Duces iidem sunt qui aliàs vocari solent Principes tribuum.

*Quia* invidi, & inanis gloriæ appetitores libenter dant in publico plus quàm cæteri, ut videantur excellentiores, ne qua inter duodecim Principes oriretur discordia, si qui eorum plus offerrent, alii minùs, inter se convenerunt tam pro præsenti oblatione, quàm pro subsequentibus ut pariter offerrent. Obtulerunt ergo singuli unum bovem, & bini unum plaustrum, sicque fuerunt boves duodecim, & sex plaustra. Quòd non plura plaustra obtulerint, non esse illorum avaritiæ ascribendum, colligi potest ex liberalitate quam ostenderunt in largitione donorum quam mox sigillatim fecerunt; nam ea plurimorum plaustrorum valorem longè excedunt.

[ *Obtuleruntque ea in conspectu Tabernaculi.* ] Ista plaustra cum bobus præsentaverunt ante Tabernaculum, non quidem intra atrium in quod introducebantur animalia immolatitia, ut ibi cremarentur, sed juxta ostium atrii: Decentius enim & convenientius erat quòd ibi essent plaustra & boves, quàm in atrio.

[ ℣. 4. *Ait autem Dominus ad Moysen:* ] Cùm Moyses videret ista offerri à Principibus, non ad immolandum, sed ad aliquem alium usum, neque fuisset Author, imò ( ut verisimile est ) neque conscius consilii Principum, hæsitasse videtur an ea reciperet, super quo proinde, vel Deum consuluit, vel Deus præveniendo ejus interrogationem, ipsi dixit:

[ ℣. 5. *Suscipe ab eis ut serviant in ministerio Tabernaculi*, ] Plaustra cum bobus non sic serviebant, ut haberent aliquam ministrationem in Tabernaculo,

sed

ſed ſicut veherent ea ex quibus conſtabat Tabernaculum.

[ *Et trades ea Levitis juxta ordinem miniſterii ſui,* ] Sive, ſecundùm quod convenit eorum miniſterio: Non enim omnibus Levitis neceſſaria erant plauſtre; & quibus erant neceſſaria quibuſdam ſufficiebant pauciora. Sermo autem eſt de Levitis prout diſtinguuntur à Sacerdotibus, Cauſa porrò cur Moyſes hoc à Principibus reciperet, Levitiſque traderet, & non potiùs Aaron, fuit quòd hoc tempore nondum fuerat expleta conſecratio Aaronis, quòdque propterea Moyſes Sacerdotio fungebatur, & nondum Aaron.

[ ℣. 7. *Duo plauſtra & quatuor boves dedit filiis Gerſon, juxta id quod habebant neceſſarium.* ] Hoc eſt, juxta porportionem neceſſitatis quam habebent.

[ ℣. 8. *Quatuor alia plauſtra & octo boves dedit filiis Merari, ſecundum officia & cultum* ] Seu miniſterium [ *ſuum* ] Ideſt ſecundùm exigentiam officii & miniſterii quod eis incumbebat: quoniam enim oneta Meraritarum erant longè plura & majoris ponderis quàm Gerſonitarum; idaò data ſunt eis plauſtra in duplo plura quàm Gerſonitis. Non ergo hoc vel præcedenti ſententia ſignificatur quòd vel Gerſonitis vel Metaritis tot plauſtra dederit Moyſes quot eis erant neceſſaria, ſed ſolùm quòd ſecundùm proportionem neceſſitatis: Non enim eſt veriſimile quòd iſta planſtra ſufficerent, vel pro Gerſonitis, quorum onare erant leviora, vel pro Mereritis, quorum graviora. Nam tot genera velorum & diverſorum operimentorum quæ erant in Tabernaculo & in circuitu atrii, non videntur potuiſſe duobus plauſtris vehi; & ut potuiſſent, ea ſaltem quæ ad Meraritas pertinebant, nequaquam poterant portari quatuor plauſtris, conſiderando multitudinem & quantitatem columnarum, tabularum, baſium, & copias æris, argenti & lignorum, de quibus Exod. 26. 27. & 38. Opottuit ergo aliunde comparari alie plauſtra quàm ſex, & plures boves quàm duodecim, idque eò magis quòd ſtatim poſt ex donatione Principum acceſſerint vaſa argentea appendentia duo millia ſiclorum & quadringentos, aurea verò, centum viginti ſiclos, ut ex ſeqq. patet. Sumptus verò ad plauſtrorum & boum comparationem neceſſarii, haberi potuerunt ex proventu Sanctuarii. Nec mirari oportet quòd Principes non tot plauſtra obtulerint quot neceſſarie erant, nam de numero neceſſeriorum non inquiſierunt, ſed in ſubſidium ea obtulerunt quæ devotio illis ſuggeſſit.

[ ℣. 9. *Filiis autem Caath non dedit plauſtra & boves: Quia in Sanctuario ſerviunt, & onera propriis portant humeris.* ] Per Sanctuarium, & Sanctum, & Sanctum ſanctorum intelligitur in quo tamen Caathitæ non ſerviebant eliquam functionem Sacerdotalem faciendo, ſed ea quæ ibi erant à Sacerdotibus ſuſcipiendo, & ſuis humeris portando. Illud ergo, *& onera propriis portant*, ſeu portare debent *humeris*, eſt quædam vel reſtrictio, vel declaratio ſervitii quod præſtant Caathitæ, obquod non conveniebat eis dari plauſtra & boves. Quæ enim ad illorum curam ſpectabant, ſanctiora erant, quàm ut brutorum animalium vehiculis portarentur, & ideò ad majorem reverentiam juſſa ſunt horum Levitarum humeris ferri. Hinc intelligi poteſt quare 2. Reg. 6. Oza fuerit percuſſus, quia nimirùm cùm dabuiſſet Arcam ſuis & Fratrum Caathitarum humeris portare, contra legem, impoſuit eam plauſtro: Cujus peccatum Deus prodidit, quando bobus calcitrantibus aa caſure videbatur. *Opponunt* quidem aliqui eadem ratione ſimiliter fuiſſe percutiendum Abio fratrem ipſius. *Sed Reſp.* ex duobus, imò & ex pluribus peccantibus Deum ſubinde percutere unum & non alium, ob rationes ſibi notas: Deinde, Oza iſti peccato ſuo adjunxit temeritatem, qua, cùm non eſſet magnum periculom caſus ( bos quippè laſciviens paululùm declinaverat Arcem ut habetur 1. Paralip. 13.) ſine neceſſitate, & ſine reverentia tetendit manum ut ſuſtentaret eam.

[ ℣. 10. *Igitur obtulerunt Duces in dedicationem Altaris,* ] Non ponitur hic *igitur*, ut notans conſequentiam, ſed ut principium ſermonis ſicut 1. Paralip. ult. *Igitur David filius Iſai regnavit ſuper univerſum Iſrael,* & 2. Peralip. 1. *Conſortatus eſt ergo Salomon:* Quo modo interdum etiam uſurpatur vocula *Itaque*, ut Judith 1. & apud profanos Authores in Iſagoge Porphirii cap. 1. de genere. Per Duces ſignificantur duodecim Principes Tribuum Iſrael. Et cùm huc uſque dictum fuerit quid omnes ſimul prima die conſecrationis ſeu ſanctificationis Tabernaculi obtulerint, nunc ponuntur oblationes quas ſinguli ſigillatim fecerunt. *Obtulerunt ergo*, idem eſt, *offerre cœperunt*, eut offerre ſimul eodem die voluerunt, quod & feciſſent, niſi Deus ſingulis eorum ſingulos dies aſſignaſſet. Quod dicitur, *in dedicationem Altaris*, ſignificat oblationes de quibus ſequitur factas eſſe gratia dedicationis Altaris; ejus enim tempus ſic deſignatur.

[ *Die qua unctum eſt,* ] Unctio & dedicatio idem ſunt: Nam dedicare eſt aliquid ſpecialiter applicare ad cultum Dei, & hoc ficbet per unctionem. Intelligitur autem de unctione quæ facte eſt illo ipſo die quo erectum eſt Tabernaculum; etſi enim Altaris dedicatio per ſeptem dies duraverit, ſicut & Sacerdotum conſecratio, quemadmodum Exod. 29. verſibus 35. & 37. mandatum erat; primo tamen die quo erectum eſt, fuit unctum, & ſic dedicatum, & illo ipſo die cœperunt oblationes Principum fieri.

[ *Ante Altare.* ] Holocauſtorum ſcilicet, quod per Altaris nomen abſolutum communitar intelligi ſolet. Erat quidem & aliud Altare, nimirùm Thymiamatis, ſed illud erat intra *Sancta*, nec ullum animal in eo cremabatur. Dicitur autem quòd Principes ſuam oblationem præſentaverint ante Altare, ad diſtinctionem primæ oblationis qua obtulerunt boves & plauſtra non ente Altare, quia non intra Atrium, ſed juxta oſtium Atrii.

[ ℣. 11. *Dixitque Dominus ad Moyſen: Singuli Duces per ſingulos dies offerunt munera* ] Cùm duodecim Principes Tribuum præter Plauſtra cum bobus oblata vellent eodem die elias oblationes facere, Deus ſive conſultus à Moyſe, ſive non conſultus ( incertum enim eſt ) ei ſignificavit quid ſuper hoc fieri vellet; & ad majorem Dedicationis ſolemnitatem, juſſit ut non ſimul & eodem die, ſed ſinguli per dies ſingulos offerrent, primus ſcilicet primo die, ſecundus ſecundo, & ſic deinceps. Unde non apparet iſtas oblationes fuiſſe à Deo præceptas, etſi quidam ita velint, ſed quòd Principes ſponte convenerint ad eas faciendas, Deus autem mandavit ut diſtinctis diebus continuis eas facerent.

[ ℣. 12. *Primo die obtulit oblationem ſuam Nahaſſon filius Aminadab de Tribu Juda:* ] Dies illa erat primus per comparationem ad duodecim dies impendendos in oblationibus Principum, eratque etiam primus primi menſis anni ſecundi, idem nimirùm quo Tabernaculum fuit erectum, & facta unctio Tabernaculi, Altaris, vaſorum, & cœpta conſecratio Sacerdotum, oblataque plauſtra cum bobus. Primus obtulit Nahaſſon tamquàm Princeps nobilioris Tribus, ex qua videlicet Chriſtus & Reges erant orituri: Servaturque in his oblationibus idem ordo qui cap. 2. ſervatus eſt in metatione Caſtrorum.

[ ℣. 13. *Fueruntque in ea, acetabulum argenteum pondo centum triginta ſiclorum*, Acetabulum fuiſſe ſcutellam vel Paropſidem, vas ſcilicet latum & concavum ad excipiendum ſimilam, diximus Exod. 25. verſ. 29. De ſiclo diximus Exod. 30. Ex quibus intelligi poteſt ſiclum fuiſſe monetam valentem viginti noſtris ſtuferis, fuiſſe inſuper etiam pondus vel manſurem ponderantem quatuor regales argenteos.

[ *Phiala argentea* ] Per Phialam ſignificatur vas concavum ad vinum alioſvè liquores continendos & fundendos. Hinc Amos 6. *Bibentes vinum in Phialis:* Et Zach. 9. *Replebuntur ut Phiala*. Serviebant etiam in Tabernaculo Phialæ ad excipiendum ſanguinem animalium immolatorum, eumque deinde fundendum.

[ *Habens 70. ſiclos, juxta pondus Sanctuarii,* ] Iſtud de pondere Sanctuarii non eſt appoſitum in membro præcadenti, non eſt tamen dubium quin ſit intelligendum; cùm illorum, ut & horum ſiclorum eadem ſit ratio, omneſque fuerint juſtiſſimi ponderis, id quod Phraſim illam ſignificare diximus Exod. 30.

[ *Utrumque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium:* ] Tam acetabulum quàm Phiala erant plena flore farinæ triticeæ delicatiſſimæ, hoc enim eſt ſimila,

& ista farina erat conspersa oleo, sicut aliàs farina, quando subigitur, conspergitur aqua. Pro, *in sacrificium*, alii ex Hebr. vertunt *in Mincha*, de quo videri possunt quæ Levit. 2. diximus. Significatur ergo quòd illa simila esset in sacrificium, hoc est, ut ipsa esset sacrificium. Quamquàm intelligi etiam possit similam fuisse in sacrificium de animalibus, quia jussum erat quòd cum holocausto & hostia pacifica offerrentur libamina, de quibus præcipuum erat simila.

[ ℣. 14. *Mortariolam ex decem siclis aureis, plenum incenso:* ] Mortariola putantur fuisse parva vasa in quibus thura & alia dura aromata comminuuntur. Siclus aureus erat ejusdem ponderis cum argenteo, sed non ejusdem valoris: Unus enim aureus erat par duodecim argenteis, idest, duodecim florenis.

[ ℣. 15. *Bovem de Armento*, ] Subaudi, obtulit Nahasson. Notandum ergo quòd Princeps Nahasson tria vasa obtulit, ac insuper victimas viginti & unam; easque omnis generis, & in omne genus sacrificiorum, scilicet, bovem, arietem, & Agnum in holocaustum; hircum pro peccato; pro hostiis pacificis, boves duos, arietes quinque, hircos quinque, & Agnos quinque. Quod sequentibus undecim diebus reliqui undecim Principes paria obtulerint, ex præsentis cap. deductione constat. *Quæritur* autem, quare nihil obtulerint de volucribus, cùm de illis posset fieri holocaustum sicut de pecoribus, ut habetur Levit. 1. *Resp.* quia sacrificium de volucribus fuit institutum propter eos qui tenuis erant fortunæ, quemadmodum patet ex Levit. 5. 22. & 14. Principes autem Tribuum erant omnes opulenti. *Quæritur* prætereà, pro quo peccato fuerit oblatus hircus Principum. *Resp.* quòd non pro aliquo particulari peccato, sed pro peccato in generali.

[ ℣. 54. *Die octavo Princeps filiorum Manasse*, ] Iste dies octavus immediatè succedebat septem diebus consecrationis Sacerdotum quæ pridiè erat finita. Et proptereà cùm Moyses huc usque sacrificia obtulisset, ob defectum aliorum Sacerdotum, jam cessavit offerre; Aaron autem cum filiis suis quia Sacerdotes nunc erant, hoc ipso octavo die cœperunt illa offerre: Et populus ad solemnitatem novæ ministrationis Sacerdotalis, jubente Deo, obtulit ea quæ habentur Levit. 9. tactæque sunt omnes cæremoniæ ibi descriptæ. Ideoque observat Abulensis hunc diem fuisse solemniorem præcedentibus & subsequentibus diebus. Nam in illis solùm fuit solemnitas oblationis Principum: In hoc autem octavo die fuit solemnitas unius Principis similis aliis, & præter hoc, fuit solemnitas oblationis populi ad gaudium novæ ministrationis novorum Sacerdotum; & insuper eodem die venit ignis de cœlo ad cremandum sacrificia, ut isto cap. 9. Levit. habetur; sub cujus deinde vesperam contigit mors Nadab & Abiu cap. 10. ejusd. Levit.

[ ℣. 78. *Die duodecimo Princeps filiorum Nephtali*, ] In his duodecim Principum oblationibus, Ephraim & Manasse filii Joseph computantur pro singulis tribubus, ut jusserat Jacob morti proximus Genes. 48. Neque quidquam obtulisse refertur Tribus Levitica, quia scilicet cùm illa tribus esset destinata & consecrata ministerio Tabernaculi, & sacrificiis offerendis, non debebat dare quæ offerrentur, sed magis ab aliis accipere offerenda. Quis enim, ut ait Apostolus 1. ad Corinth. 9. *militat suis stipendiis unquam?*

[ ℣. 84. *Hæc in dedicatione Altaris oblata sunt à Principibus Israel, in die qua consecratum est.* ] Dies pro tempore haud infrequenter ponitur, ut proinde hic *in die*, idem valeat quod *eo tempore quo consecratum est*, etsi non illo ipso die quo facta est consecratio omnia sint oblata. Vel *in die oblata sunt*, idest, *offerri cœperunt*.

*Allegoricè*, Per *Tabernaculum* quod Moyses dicitur complevisse, erexisse, unxisse, & sanctificasse, intelligitur *Ecclesia* quam *Christus complevit & erexit*, quando illam sanguine suo redemit, Sacramentis munivit, ubique fundari jussit, ac in spem æternæ Beatitudinis erexit. *Unxit* autem eam *oleo* lætitiæ, & *sanctificavit* gratia Spiritus Sancti *cum omnibus vasis suis*, idest cum Electis qui ad diversa ministeria intra Ecclesiam ordinati sunt. Per *Altare*, *Christi humanitas* significari potest, in qua *munera* Deo grata *obtulit*. In eo quòd *unum plaustrum duo Principes obtulerunt*, & *singuli numero duodecim bovem unum*, adumbratur unitas fidei quæ debet esse conjuncta geminæ charitati, Dei nimirùm & proximi, quodque oportet omnes & singulos sequi doctrinam duodecim Apostolorum. *Gersonitæ & Meraritæ graviora onera portantes* quibus proptereà dantur *boves & plaustra*, sunt figuræ Judæorum; *Caathitæ*, Christianorum, qui *ferunt sacratiora & propiùs* accedunt ad Christum quàm Judæi. Quòd *Principes, posteà suas alias oblationes fecerunt, & singuli easdem, licèt diebus diversis*, indicabat quòd Doctores & Prædicatores Novi Testamenti eadem fidei dogmata docturi essent, sed pro loci & temporis opportunitate secundùm quod placuerit ei qui loca & tempora, sicut & reliqua omnia habet in sua potestate.

[ ℣. 89. *Cumque ingrederetur Moyses Tabernaculum fœderis, ut consuleret Oraculum*, ] Accipitur hìc Tabernaculum strictè pro ea Tabernaculi parte quæ dicitur Sancta Sanctorum, in quam Moysi, utpotè Legislatori, & assiduo ad populum Legato licebat semper in dubiis intrare; Summo autem Pontifici, semel in anno Levit. 16. & ad Hebr. 9. in festo nimirùm Expiationis, & nulli prætereà. *Ut consuleret oraculum*, idest, ut à Deo peteret responsum. Deus enim sive Angelus personam Dei gerens in humana specie sedebat in Sancto Sanctorum super alas Cherubim, oraculo seu propitiatorio, quod erat tabula, Arcam operiens, velut scabello pedum innixus, & inde Moysi dubia sua proponenti dabat responsum voce sensibili per Angelum formata, unde sequitur.

[ *Audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio:* ] Quod non de intelligibili ut quidam voluerunt, sed de sensibili voce accipiendum esse, locutionis circumstantiæ indicant; dicitur enim quòd Moyses audiebat vocem, non cujuscumque, sed loquentis de propitiatorio, & quòd propitiatorium illud erat super Arcam inter duos Cherubim. Quamvis autem frequentius & velut ordinarium esset, postquàm Tabernaculum fuit erectum, quòd Deus loqueretur Moysi de Propitiatorio ut ex cap. 25. Exod. & ex præsenti loco intelligi potest; benè tamen monet Abulensis quòd interdum etiam aliunde loquebatur, & specialiter ex Atrio Tabernaculi juxta Altare holocaustorum Exod. 29.

*Hinc* Pastores & Prælati exemplum sumere debent ut si suos subditos rectè velint gubernare, frequenter ad Deum recurrant per orationem & contemplationem, ab eoque petant doceri & illuminari in omnibus suis dubiis.

## CAPUT VIII.

*Candelabri & lucernarum situs ac forma: Ætasque & consecratio Levitarum.*

[ ℣. 2. LOquere Aaroni, & dices ad eum: ] Licèt solus Aaron exprimatur, Officium tamen compositionis lucernarum, de quo nunc sermo est, facere poterat non solùm per se, sed etiam per suos filios qui erant Sacerdotes. Istud enim officium erat commune Summo ac etiam minoribus Sacerdotibus, ut ex cap. 27. Exod. patet.

[ *Cùm posueris septem lucernas, Candelabrum in Australi parte erigatur.* ] Per recapitulationem hæc poni videntur. Nam Candelabrum fuit erectum simul cum Tabernaculo prima die mensis primi anno secundo, ut habetur Exod. ult. quæ autem initio hujus libri referuntur, contigerunt initio mensis secundi ejusdem anni. Levitarum quoque consecratio quæ hìc sequitur, videtur antecessisse quorumdam Principum oblationes quas per duodecim dies fecerunt; sicut etiam assignationes Levitarum ad diversa munia quas Moyses fecit Gersonitis, Meraritis, & Caathitis, utpotè jam anteà deputatis ad Sacra Tabernaculi ministeria. Pro *posueris*, 70. habent *imposueris*, & vocem Hebræam quidam interpretantur *accendere*, alii negant eam hoc significare. Sensus autem est: Cùm septem Lucernas Candelabri aurei impones, seu collocabis, & concinnabis. Ex quo non improbabiliter aliqui colligunt eas lucernas sive lampades, non fuisse ductiles neque continuas Candelabro, sed potuisse imponi & amoveri ad eas purgandas. Unde etiam posteà dicitur, quòd Aaron impo-

imposuit eas super Candelabrum. Observat Franciscus Lucas ista verba, *Candelabrum in australi parte erigatur*, ut & hæc sequentia, *Hoc igitur præcipe, ut Lucernæ contra Boream è regione aspiciant ad mensam panum propositionis*, omitti ab Hebræis & Græcis Codicibus, quin etiam à quibusdam latinis manuscriptis; & videri posse addita fuisse explicationis causa ex Exod. 40. vers. 22.

[ *Contra eam partem, quam Candelabrum respicit, lucere debebunt.* ] Sic disponendum erat Candelabrum ejusque septem Lucernæ, ut ipsum in parte Meridionali esset collocatum, & Lucernæ lumen suum emitterent in partem oppositam, hoc est, in borealem, in qua erat Mensa propositionis.

[ ℣. 3. *Fecitque Aaron, & imposuit lucernas super candelabrum, ut præceperat Dominus Moysi.* ] Aaron octavo die lucernas imposuit super Candelabrum, easque accendit, cum perfecta jam esset ejus ac etiam filiorum consecratio, nam septem præcedentibus diebus Moyses illas imposuerat & accenderat, sicut & sacrificia obtulerat. Juxta ordinem historiæ, hoc potuisset poni cap. 9. Levit. Ubi Aaron Sacerdotii sui primitias celebrasse legitur, quarum pars una erat lucernarum impositio & accensio: Sed quia ibi de sacrificiis agitur rejecta huc sunt quæ ad lucernas pertinent, post narratam oblationem Principum quæ ferè simul contigit. *Benè observat Lorinus* non ita dici lucernas impositas super Candelabrum, sicut Exod. 37. Cherubim dicuntur positi ex utraque parte Propitiatorii, qui tamen de ipso auro Propitiatorii erant educti, nec ab illo poterant amoveri: Quia de Aarone affirmatur quòd Lucernas imposuit; illo autem modo, non Aaron, sed opifex Beseleel dicendus foret eas imposuisse, sicut ipse posuit Cherubinos.

[ ℣. 4. *Hæc autem erat factura Candelabri, Ex auro ductili*, ] Hoc est per malleationem extenso. Conferatur caput 25. & 37. Exod. ubi Candelabri structura latiùs describitur.

[ ℣. 6. *Tolle Levitas de medio filiorum Israel*, ] Agitur deinceps de Consecratione Levitarum, quæ quando facta fuerit, incertum est; quia non servatur ordo rerum gestarum. *Satis probabile* est quòd tunc quando Levitæ fuerunt electi & loco primogenitorum Israel oblati ut cap. 3. narratur, quia tunc à Moyse sunt Deo Deique cultui applicati: Sed quando id fuerit, pariter est incertum. *Non improbabiliter*, dici potest quòd aliquo istorum dierum quo fiebat consecratio Sacerdotum, quia Sacerdotes statim ut fuerunt consecrati opus habuerunt Ministris, & horum ministrorum consecratio, sicut etiam sacrificiorum pro eorum consecratione oblatio significari videtur esse facta per Moysen; Moyses autem non ampliùs sacrificavit postquam complevit Aaronis & filiorum ejus consecrationem. Secundùm quæ dinumeratio populi quæ cap. 1. refertur, posterior fuit segregatione Levitarum à reliquo populo, ut & eorum oblatione & consecratione. Cùm hic dicitur *Tolle* seu accipe *Levitas*, Levitæ sumuntur non tantùm ut distincti à reliquis filiis Israel, sed etiam ut ab Aarone & filiis ejus: Et quod sequitur, *ex medio filiorum Israel*, idem valet quòd de omni numero eorum: neque significatur quòd Levitæ obtinerent locum medium inter filios Israel. Ita quoque Phrasis illa sumitur Genes. 18. ubi Deus loquitur, *si invenero Sodomis 50. justos in medio civitatis*, id est, in ipsa Civitate, seu ex tota multitudine habitatorum.

[ *Et purificabis eos* ] Non erat hæc purificatio vel à peccato, vel ab immunditia legali, cùm non sit verisimile omnes Levitas, qui magno numero erant, idem peccatum, aut eamdem immunditiam incurrisse, & tamen idem ritus Purificationis injungatur, sed erat mundatio qua puriores magisque idonei redderentur ut ad Deum & ad Dei servitium applicarentur.

[ ℣. 7. *Juxta hunc ritum:* ] Qui scilicet statim describitur, & in quo continebantur ista quatuor, aspersio aquæ, rasio pilorum, vestimentorum lotio, & oblatio sacrificiorum. Cùm autem dicitur Moysi, *Purificabis eos juxta hunc ritum*, non significatur quòd Moyses deberet per se omnes illos ritus facere, cùm neque pilos eorum ipse raserit, neque vestimenta laverit, sed quòd deberet per se ritum illum facere qui propriè pertinebat ad purificationem, scilicet aqua lustrationis aspergere, reliquos autem curare fieri; nisi quòd probabile sit sacrificia quoque per ipsum fuisse oblata.

[ *Aspergantur aqua lustrationis*, ] Quæ etiam aqua expiationis vocatur, de qua inferiùs cap. 19. cui admixti erant cineres vaccæ rufæ combustæ. Quæ quidem aqua jam instituta esse debuit, licèt ejus institutio demùm narretur isto cap. 19. Aspersi autem fuerunt Levitæ hac aqua, vel per Aaronem, si completa erat ejus consecratio, vel secundùm superiùs dicta per Moysen Sacerdotis munere adhuc fungentem.

[ *Et radant omnes pilos carnis suæ*, ] Cujus rei duplex ratio assignatur. *Una*, ut Levitæ Domino consecrandi hoc pacto mundiores essent corpore. *Alia*, quoniam Levitæ offerebantur pro primogenitis aliarum tribuum quæ potissimùm pollutæ fuerant in adoratione vituli; Idololatria verò est quædam Lepra spiritualis, & leprosis quando mundandi erant, lex præceperat radi omnes pilos corporis; idcircò Levitæ nomine eorum pro quibus offerebantur, tamquàm à lepra mundandi, ad hunc modum radi debebant. *Utrùm* verò Levitæ raderent singuli seipsos, quod non commodè fieri potuisse; An alii alios: An aliqui de popularibus ipsos, dubitatur. Credibile est quòd & quidam Levitæ, & quidam de populo id præstiterint.

[ *Cumque laverint vestimenta sua*, ] Sive per se, sive per alios, parùm refert: An etiam corpus suum lavare debuerint, non liquet. Quando id est necessarium, scriptura solet distinctè exprimere. Ut Levit. 14. de Leproso. *Cumque laverit homo vestimenta sua, radet omnes pilos corporis, & lavabitur aqua*. & mox, *Lotis rursùm vestibus & corpore*. Cap. 15. de alio immundo dicitur: *Lavabit vestimenta sua, & lotus aqua immundus erit usque ad vesperam*. Et posteà: *Lotis vestibus & toto corpore:* Hic autem nihil de corporis lotione exprimitur. Neque quod sequitur.

[ *Et mundati fuerint*, ] Indicat ullam corporis lotionem à lotione vestimentorum diversam, sed tantùm quòd, lotis vestimentis, & peractis iis quæ dicta sunt, censebuntur mundi, & consummata erit purificatio, ita ut solùm restet sacrificiorum oblatio de qua sequitur in textu.

*Moraliter*, doceri hinc possunt qui *ad sacros Ordines volunt accedere*, quòd oportet eos esse *aspersos aqua* tum baptismi, tum pœnitentiæ per lachrymarum effusionem. *Abrasio pilorum* significat præcisionem superfluarum & illicitarum cogitationum, imò & omnium impuritatum. *Lotio vestimentorum*, emendationem operum, atque puram coram Deo & hominibus irreprehensibilemque conversationem.

[ ℣. 8. *Tollent bovem de Armentis*, ] Hunc ut & sequentem bovem debebant Levitæ accipere, & Moysi exhibere, ut ipse illos faceret, seu sacrificaret pro illorum consecratione, ideoque expensis ipsorum. Et quamvis non exprimatur hic quo genere sacrificii hic bos immolari deberet, satis tamen certum est, quòd immolandus esset in holocaustum, quoniam de altero dicitur quòd esset pro peccato, & de duobus statim in textu sequitur; *unum facies pro peccato, & alterum in holocaustum*.

[ *Et libamentum ejus* ] Hoc est, tali hostiæ addi consuetum.

[ *Similam oleo conspersam:* ] Licèt sola simila nominetur, intelligendum est quòd etiam exhiberent vinum, thus, & salem, quia præter similam oleo conspersam, ista etiam offerenda erant cum victima holocausti, quemadmodùm & cum hostia pacifica.

[ *Bovem autem alterum de armento tu accipies pro peccato:* ] Accipies à Levitis, ut eum offeras pro peccato. Non est necesse hoc accipere de aliquo Levitarum pec-

peccato speciali, sed intelligi potest vel pro peccato in genere, sive pro quocumque peccato, quia homines semper habent in hac vita aliquod peccatum: Vel sensus est, bovem istum esse offerendum sicut offerri debent hostiæ pro peccato. Quod autem dicitur, *de Armento*; ideò est, quia *armentum* significat congregationem magnorum pecorum, cujusmodi sunt boves; sicut *grex* significat congregationem minorum pecorum, ut ovium, & caprarum. Unde boves non nisi de armento accipiuntur, nisi sint solitarii, ac per consequens illa clausula additur explicationis gratia.

[ ℣. 9. *Et applicabis Levitas coram Tabernaculo fœderis*, ] Sistes Levitas & præsentabis eos in atrio ante fores Tabernaculi, ubi posteà solitum fuit adferre ac præsentare victimas Deo immolandas, ut Sacerdotes illas reciperent, Deoque offerrent.

[ *Convocata omni multitudine filiorum Israel.* ] Illa præsentatio Levitarum debebat fieri coram tota multitudine aliorum Israelitarum, quia Levitæ offerebantur pro primogenitis reliquarum Tribuum. Sicut ergo omnes oblaturi fuissent suos primogenitos, ita nunc offerre debebant Levitas loco ipsorum. Neque tamen oportuit omnes omninò Israelitas advenisse, sed satis est totam multitudinem fuisse convocatam, & congregatos fuisse Principes qui populum repræsentabant, cum quibus plurimos de populo venisse, non est dubium.

[ ℣. 10. *Cumque Levitæ fuerint coram Domino*, ] Ad ostium scilicet Tabernaculi seu Atrii.

[ *Ponent filii Israel manus suas super eos.* ] Ut ita testarentur quòd à se, & ( quantùm in ipsis erat ) à suo Dominio abdicarent Levitas, eosque tamquam munus, & instar sacrificii Deo offerrent. Non fiebat ergo ista manuum impositio, ut Israelitæ significarent se peccata sua seu eorum pœnas imprecari Levitis, sicut in hostiis pro peccato fieri diximus Exod. 29. vers. 10. sed ad renuntiandum proprietati. Ad verificandum autem quod hîc dicitur, non est necesse quòd quilibet de filiis Israel poneret manum super Levitas, sed sufficit quòd Principes populi. *Tria hic quæri possunt. Primum*, quomodò filii Israel, idest, undecim Tribus poterant donare Levitas, hoc est, Tribum duodecimam, cùm non essent horum Domini nec possessores, sed tam libera esset Tribus Levi, quàm cæteræ. *Secundum*, quomodo potuerunt quidpiam donare Deo, qui omnium rerum Dominus est à principio: Per donationem autem acquiratur dominium rei donatæ. *Tertium*, ex eo quòd ad Levitarum consecrationem legatur convocata fuisse omnia multitudo filiorum Israel, quare non sequitur id quod ex hæreticis nostris quidam dogmatizant, Sacerdotum, aliorumque Ministrorum Ecclesiæ electionem esse penes populum? *Ad primum Resp.* filios Israel non hîc considerari ut undecim Tribus diversas à duodecima, sed ut unum populum cum illa, & ut unum integrum corpus omnibus suis membris constans. Sicut autem vel corpus vel populus potest à se partem aliquam abdicare, ita populus Israeliticus unum ex suis membris, sive unam partem sui corporis, Tribum scilicet Leviticam à se abdicavit, & Deo obtulit. *Confirm.* Iste populus poterat offerre Deo omnes suos primogenitos, tametsi essent à reliquis distincti & æquè liberi ac cæteri: Eodem ergo jure potuit dare Levitas loco primogenitorum; membra enim subsunt dispositioni corporis, vel eorum in quibus totius corporis potestas residet.

*Ad 2. Resp.* Levitas non esse donatos Deo donatione propriè dicta, cùm non minùs eorum, quàm omnium aliarum rerum fuerit à principio verus & absolutus Dominus, ideoque nihil possit ab ulla creatura ipsi propriè donari. Sed donati dicuntur Deo, *partim* quia fuerunt ei oblati, eamque oblationem gratam ipse habuit; *partim* quia factum est circa illos id quod à Donantibus fieri solet. Qui enim alteri quidpiam donat, usum & proprietatem ejus rei à se abdicat, eamque rem totam servire vult usui ejus cui donat. Ita filii Israel Levitas à Communibus & profanis usibus, atque oneribus totius populi liberantes, tamquam eorum usum & proprietatem à se abdicantes, voluerunt totos esse abdicatos usui Dei, hoc est sacris ministeriis. *Ad 3. Resp.* rationem esse, quia populus non elegit Levitas ut consecrarentur, sed tantùm fuit convocatus ut quoniam Levitæ offerebantur Deo tamquam munus & sacrificium à tota multitudine, ipsa multitudo significaret se illos offerre. Conferri possunt quæ diximus ad Supplem. q. 35. art. 4.

[ ℣. 11. *Et offeret Aaron Levitas*, ] Abulensis scribit quòd ista oblatio fuit quædam elevatio; estque id conforme verbo Hebræo, pro quo Vatablus & quidam alii reddunt *Elevare faciet*, Oleaster, *Ventilabit*, addens quòd ista ventilatio erat elevatio qua sursum elevabantur ad præsentandum illos, munus Domino. Alii autem volunt eos in omnes mundi plagas fuisse elevatos seu agitatos, ut intelligerent se totius universi Domino servire. Et hanc elevationem indicavit noster interpres infra versu 21. ubi etsi in Hebræo eadem sit vox quæ hîc, tamen pro verbo *obtulit*, posuit *elevavit*. Non sunt autem hæc sic intelligenda quasi Aaron singulos Levitas elevaverit, hoc enim fuisset nimiæ difficultatis & moræ longioris, sed quòd quosdam eorum elevaverit, & elevando præsentaverit Deo, utporè primarios; & in illis cæteros qui fortè dum alii elevabantur, simul cum illis à terra exiliebant jussu Aaronis. Ex his porrò verbis Offeret Aaron Levitas, non sequitur completam tunc fuisse consecrationem Aaronis: Nam Aaron jam inchoatè Pontifex per inchoatam consecrationem potuit Levitas offerre tamquam suos & filiorum Sacerdotum ministros futuros. *Non sequitur etiam* id quod aliqui hinc colligunt, totam Levitarum consecrationem factam esse ab Aarone, & non à Moyse, interpretantes ea quæ Moysi dicuntur *ut faciat*, per hoc quòd *jubeat fieri:* Non enim omnia sic possunt exponi; veluti quod ei dicitur, *Bovem autem alterum de Armento tu accipies, applicabis Levitas, unum bovem facies*, seu immolabis, *statues Levitas in conspectu Aaron, & consecrabis.* Sed *neque sequitur* quod alii volunt, non omnes Levitas idoneos potuisse nunc consecrari, quibus scilicet nec ætas deerat, nec corporis macula vel defectus obstabat, nec pollutio vel contaminatio supervenerat: Quare enim aspersio, rasio, vestium lotio, non potuisset perfici ab omnibus quos nimis imbecillis & parva ætas non impediebat? Hæ autem cæremoniæ velut initiosecæ ministraturis magis videbantur necessariæ. De aliis verò magis externis satis fuerit quòd observarentur circa aliquos pro omnibus, cujusmodi sunt ingressus in atrium, & elevatio, sicut Lorinus & Marius indicant. Qui autem non fuerunt hoc tempore consecrati, sive quia nimiùm parvuli, sive quia nondum nati, sive quia immundi, debuerunt posteà consecrari, priusquàm adhiberentur ad officia Levitarum.

[ *Munus in conspectu Domini à filiis Israel*, ] Q. d. Aaron offeret Levitas, ut ipsi sint munus coram Deo oblatum à filiis Israel.

[ *Ut serviant in ministerio ejus.* ] Ut Domino ministrent, non quidem ingrediendo Tabernaculum propriè dictum, sed illud, cùm opus fuerit, erigendo, deponendo, portando, & custodiendo.

[ ℣. 12. *Levitæ quoque ponent manus suas super capita boum*, ] Levitæ erant tum oblati, tum offerentes: Oblati à populo offerentes duos boves. Et quemadmodum populus offerens Levitas ponebat manus super illos; ita Levitæ offerendo boves super eos ponebant manus ad renunciandum proprietati eorum, &, quoad in illis erat, transferendum illam in Deum. Non videntur tamen Levitæ omnes posuisse manus suas, cùm essent adeò multi, sed aliqui nomine omnium, quos vel Moyses, vel Aaron, vel uterque designabat, aut Levitæ inter se.

[ *E quibus unum facies* ] idest, immolabis [ *pro peccato*, ] faciendo cæremonias quas Lex jubet fieri in sacrificiis pro peccato. Quidam ex Hebræo pro *facies;* legunt *faciet*, & referunt ad Aaronem; sed perspicuè 70. habent *facies*, & Textus Hebræus *fac*, quod utrumque ad Moysen pertinet, & quem diximus functum hic fuisse officio Sacerdotali.

[ *Et alterum in holocaustum Domini*, ] Sive, ut 70. *Domino*. Omne sacrificium est Domini & Domino, quia ad honorem Dei cui soli sacrificatur, præsertim tamen holocausti sacrificium, quia totum incenditur in honorem Dei, & victimæ nullus fit particeps, nec Sacerdos, nec is qui per eum offert, sicut in aliis sacrificiis.

[Ut

[ *Ut depreceris pro eis.* ] *Sacrificium pro peccato* ex sua institutione per se erat ad expiandum. *Pacificorum*, ad beneficium aliquod impetrandum, vel ad gratias agendum pro accepto: *Holocaustum*, purè in honorem Dei; in quo tamen etiam fiebat aliqua deprecatio, & expiatio pro illo qui victimam offerebat, quia hoc est commune omni sacrificio, ut in eo Sacerdos oret pro offerente.

[ ℣. 13. *Statuesque Levitas in conspectu Aaron & filiorum ejus, & consecrabis oblatos Domino*, ] Pro *Consecrabis*, alii ex Hebr. vertunt, *Agitabis eos*. Alii, *Elevare facies*. Sensus est, quòd Moyses Levitas præsentare deberet coram Aarone & filiis ejus, quasi eos tradens potestati illorum ad sacra ministeria; quòdque deberet Levitas Domino offerre & consecrare, non aliqua unctione sacri olei, sicut fiebat in Sacerdotibus, sed ipsos agitando, seu ad quatuor mundi plagas modicè elevando, sicut etiam fecit Aaron: Talis enim elevatio, erat quidam ritus consecrationis Leviticæ.

[ ℣. 14. *Ac separabis de medio filiorum Israel*, ] Non quidem quantum ad habitationem & locum vel conversationem, sed quoad statum & officium: Ut non ampliùs censeantur inter filios Israel tamquam privati cives, sicut anteà censi fuerant, sed tamquam personæ sacræ & publicæ: Neque subjecti sint oneribus civilibus, sed ministerio Tabernaculi.

[ *Ut sint mei.* ] Ut particulari jure sint mei, mihique serviant in meis, hoc est, in sacris ministeriis in quibus alii præter ipsos servire non possunt.

[ ℣. 15. *Et posteà ingredientur Tabernaculum fœderis, ut serviant mihi.* ] Postquàm hæc omnia Levitis facta fuerint, licebit eis ingredi Tabernaculum, hoc est, illud atrium Tabernaculi quod vocatur, vel atrium Sacerdotum, vel atrium sanctum, ubi circa Altare holocaustorum, & præparationes victimarum ministrare debebant Sacerdotibus. Atque ita Tabernaculum hîc generaliter accipitur. In Tabernaculum autem strictè acceptum quod complectebatur *Sancta* & *Sancta Sanctorum* Levitæ non poterant ingredi.

[ *Ut serviant mihi*, ] Quantum ad ministeria quæ non sunt Sacerdotibus propria: Sed Levitis conveniunt.

[ *Sicque purificabis & consecrabis eos* ] Ritu nimirùm & cæremoniis supra habitis.

[ *In oblationem Domini:* ] Ut sint munus & oblatio quædam Deo facta.

[ *Quoniam dono donati sunt mihi à filiis Israel.* ] Juxta modum vers. 10. explicatum.

[ ℣. 16. *Pro primogenitis quæ aperiunt omnem vulvam in Israel, accepi eos.* ] Cùm Primogeniti Israelitarum tenerentur in rebus sacris mihi servire, eò quòd ipsorum primogenita servavi quando Ægyptiorum primogenita omnia interficiebantur, loco primogenitorum accepi Tribum Levi, quam mihi obtulerunt Israelitæ, ut illa tota mihi serviat in sacris ministeriis.

[ ℣. 17. *Mea sunt enim omnia primogenita filiorum Israel*, ] Non solùm jure communi creationis & gubernationis, sed etiam speciali jure redemptionis à cæde primogenitorum.

[ *Ex die quo percussi omne primogenitum in terra Ægypti*, ] Omnes autem vestros primogenitos servavi ac liberavi à percussore.

[ *Sanctificavi eos mihi:* ] Primogenitos vestros cultui meo sacroque ministerio specialiter addixi, ut mihi ministrare deberent, vel alios ministros darent Israelitæ loco ipsorum.

[ ℣. 18. *Et tuli Levitas pro cunctis Primogenitis filiorum Israel:* ] Levitas accepi loco omnium primogenitorum Israelitarum. Facilius & commodius fuit populo quòd soli Levitæ assumerentur ad sacra ministeria, quàm quòd omnes omnium Tribuum primogeniti; quia alioqui numerus ministrorum excrevisset in immensum; assumptis autem solis Levitis, & posito quòd alii Primogeniti Israelitarum redimerentur pretio, neque applicarentur ad divinum ministerium, non cresceret numerus ad tantam multitudinem, nec tam difficile esset eis providere de necessariis.

[ ℣. 19. *Tradiditque eos dono Aaron, & filiis ejus* ] Aaron quoque & filii ejus, necnon Moyses, cùm ad Tribum Levi pertinerent, accepti fuerant pro primogenitis filiorum Israel, quos proinde non dedit Deus Aaroni & filiis ejus, sed dedit eis omnes alios Levitas qui futuri erant sub eorum imperio velut inferiores Ministri. Quod ait se *dono tradidisse*, indicare potest donationem ratam & firmam.

[ *De medio populi*, ] Seu de populo, segregando scilicet ac distinguendo à cæteris popularibus quoad sacras ministrationes.

[ *Ut serviant mihi pro Israel* ] Hoc est, in communem Israelitarum utilitatem, ac etiam loco ipsorum, faciendo nimirùm ea quæ Israelitæ (per suos saltem primogenitos) alioquin deberent facere.

[ *In Tabernaculo fœderis*, ] Ipsum ejusque vasa custodiendo ac portando, & in sancto Atrio Sacerdotibus ministrando.

[ *Et orent pro eis, ne sit in populo plaga, si ausi fuerint accedere ad Sanctuarium.* ] Q. d. Orent pro populo Israelitarum, ut Deus non permittat quòd aliquis eorum in eam præsumptionem cadat, ut velit ministeria Levitarum aut Sacerdotum propria exercere, vel ad loca iis destinata intrare, quia si hoc facere tentaverint, plaga mortalitatis populo superveniet. Neque injustum videri debet, si uno alterove peccante Deus aliquando in universum populum plagam immittat, *partim* quia omnes homines sunt morti obnoxii, eamque mortem, quoniam ubi & quomodo vult, justè potest ab unoquoque Deus exigere: *Partim* quia semper sunt peccata in populo quæ merentur puniri, & quæ interdum puniuntur etsi homines id non advertant.

[ ℣. 20. *Feceruntque Moyses & Aaron & omnis multitudo filiorum Israel super Levitis quæ præceperat Dominus Moysi:* ] Ponitur executio præcedentium, significaturque quòd & Moyses & Aaron & ipsa multitudo Israelitarum fecerunt circa Levitas quisque quod sibi erat imperatum.

[ ℣. 21. *Purificatique sunt*, ] Scilicet Levitæ, ut Hebræa & Græca exprimunt.

[ *Et laverunt vestimenta sua.* ] Purificati esse intelligi possunt, quatenus aspersi fuerunt aqua lustrationis, & pilis carnis suæ rasi. Quod additur de vestimentorum lotione, quæ etiam ad purificationem pertinebat, ea intelligi debet esse facta aquis communibus; non autem aquis lustrationis: Nam hæ ad hominum immundorum aspersionem serviebant, non ad vestium lotionem.

[ *Elevavitque eos Aaron in conspectu Domini*, ] Aliquos eorum pro omnibus elevavit, secundùm ea quæ ad vers. 11. diximus: Aut omnes qui idonei erant, elevare fecit, sicut Hebræa verti possunt, quia ut se elevarent jussit.

[ *Et oravit pro eis*, ] Ut completa circa ipsos purificatio & consecratio esset Deo accepta, nihilque deesset quo minùs ad sua sacra ministeria admitterentur. Unde sequitur.

[ ℣. 22. *Ut Purificati ingrederentur ad officia sua in Tabernaculum fœderis* ] Hoc est, ut Deus acceptaret illos tamquam idoneos & sufficienter purificatos ad exercenda sua officia. Ad quæ officia exercenda ingrediebantur Levitæ in Tabernaculum fœderis, *latè* illud accipiendo, idest, in atrium, in quo Sacerdotes victimas immolabant, & ipsi Sacerdotibus ministrabant.

[ ℣. 24. *Hæc est Lex Levitarum:* ] Hoc quod sequitur est constitutio spectans ad Levitas.

[ *A viginti quinque annis & supra, ingredientur ut ministrent in Tabernaculo fœderis.* ] Cap. 4. dictum fuit quòd ab anno trigesimo. Sed dicendum est quòd anno vigesimo quinto consecrabantur, & usque ad annum trigesimum quasi Novitii ministrare docebantur, ac etiam ministrabant, assistendo ministeriis, & subserviendo Levitis senioribus: Ab anno autem trigesimo, ipsi propriè ministrabant, vasa Tabernaculi portando, & jam non subserviendo Levitis aliis, sed Sacerdotibus; usque dum ex causa superiùs cap. 4. allata, David statuit ut Levitæ ab ætatis anno vigesimo ministrarent.

[ ℣. 25. *Cumque quinquagesimum annum ætatis impleverint, servire cessabunt:* ] Quantùm ad portationem onerum, & erectionem ac dissolutionem Tabernaculi; ista enim onera erant gravia, & ad ea non suffecissent quinquagenarii. *Ita*, conveniret eos qui in

Ecclesia

Ecclesia diu benè servierunt, à laboribus inferioribus eximi, & ad majora promoveri, in quibus non tantus labor corporalis est necessarius.

[ ℣. 26. *Eruntque Ministri fratrum suorum in Tabernaculo fœderis*, ] Fratrum nomine quidam Sacerdotes accipiunt: Sed verosimilius est sermonem esse de Levitis aliis, ita tamen, quòd Levitæ quinquagenarii non intelligantur esse ministri aliorum tamquam eis subjecti. Cùm enim liberati essent ab onere ministrandi propter ætatem, non est verisimile quòd fierent ministri aliorum, incidentes in aliam, eamque majorem servitutem, qua veterani subjici & obedire deberent Junioribus. Sed intelligi debent esse ministri aliorum Levitarum, quantùm ad hoc quod sequitur tamquam restrictio.

[ *Ut custodiant quæ sibi fuerint commendata*, ] Vasa nimirùm pertinentia ad Tabernaculum fœderis. Quæ alii Levitæ ipsis commendabant custodienda, non ex imperio vel auctoritate, sed tum ex voluntate Deimunus istud per Moysen deputantis pro senioribus, tum ex tantùo partium consensu juniores hoc deferebant senioribus, velut rem magis honorificam.

[ *Opera autem ipsa non faciant*. ] Opera laboriosa quæ consistunt in portando partes & vasa Tabernaculi, ac in illo erigendo, vel deponendo, non faciant, idest, non teneantur facere. Neque enim Levitæ quinquagenarii prohibebantur ea onera ferre, sed tantùm eximebantur ab onere illa ferendi; quemadmodum & illi qui erant infra annum trigesimum non tenebantur ejusmodi onera portare, poterant tamen si vellent. *Quo pacto*, Lex jejunii Ecclesiastici secundùm communem Doctorum sententiam non obligat ante annum ætatis vigesimum primum; & secundùm quosdam non obligat post sexagesimum; quamvis & ante illum, & post istum, jejunare liceat iis qui volunt & possunt.

[ *Sic dispones Levitis in custodiis suis*. ] Ita ordinabis & constitues quid Levitæ præstare debeant in suis officiis, & qua ætate, quove ordine, vel modo. *Custodiæ* enim generaliter accipiuntur pro omni officio, & non tantùm pro officio senibus Levitis proprio.

## CAPUT IX.

*Quo tempore debeant mundi Phase celebrare, & quo immundi: autes Tabernaculum operiens ducit exercitum.*

[ ℣. 1. Locutus est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, anno secundo postquam egressi sunt de terra Ægypti, mense primo, ] Ea bis intelligi facilè potest id quod supra quoque monuimus, non servari ordinem rerum gestarum. Nam quæ hujus Libri initio referuntur, contigerunt mense secundo, & quæ hic, mense primo ejusdem anni secundi. Quoto autem die mensis primi locutus sit Deus ea quæ mox sequuntur, non constat; certum tamen est quòd ante decimum quartum.

[ ℣. 2. *Faciant filii Israel phase in tempore suo*, ] Pascha celebrent tempore per Legem statuto, nempe.

[ ℣. 3. *Quarta decima die mensis hujus ad vesperam*, ] 70. *Primum mensem* exprimunt. Textus Hebræus habet, *mense isto*, in quo scilicet Deus hæc loquebatur, hoc est, mense primo. Pro, *ad vesperam*, idem textus Hebræus dicit, *inter duas vesperas*, quarum scilicet una computabatur ab eo tempore quo sol est propè occasum; altera ab occasu usque ad finem lucis. Videantur quæ diximus Exod. 12. v. 6. Fuit hoc secundum Pascha Hebræorum: quod ita celebrarent, ut pueris post egressum de Ægypto natis nihil de eo gustandum dare liceret, quia nun erant circumcisi. Deinceps autem non amplius celebraverunt Pascha, usque dum ingressi fuerunt terram promissionis, quia in Deserto incerti erant quando deberent movere castra & proficisci. Quam ob causam, nec circumcisionem nec alia cæremonialia ibi observarunt, excepto Sabbato, & iis quæ Deus nominatim servari voluit. Unde nec Pentecosten, nec reliqua festa celebraverunt in deserto; hoc etiam addito, quòd ex deserto Sinai recesserunt priusquàm illorum festorum tempus adveniret; ex illo enim recesserunt die vigesima mensis secundi, & festum Pentecostes demùm occurrebat celebrandum mense tertio. Postquàm verò inde exierunt, æquè incerti fuerunt de tempore profectionis.

[ *Juxta omnes cæremonias & justificationes ejus*. ] Idem intelligi potest per *cæremonias* & *justificationes*, q. d. juxta omnes ritus lege præscriptos. Lyranus tamen & alii quidam distinguunt, & per *cæremonias* intelligunt conditiones ex parte Agni Paschalis requisitas; ut, quòd esset anniculus, immaculatus, assus igne: Per *justificationes* verò, conditiones ex parte modi comedendi, vel ex parte comedentium; ut quòd comederent festinantes, habentes baculos in manibus, lumbos accincti, pedibus calceati; quòd in una domo, quòd non comminuerent ossa agni, & nihil reservarent in crastinum, quòd comederent sine fermentato, & cum lactucis agrestibus, & sic de omnibus cæremoniis quæ habentur Exod. 12. Vocantur autem ejusmodi ritus *justificationes*, & secundùm Textum Hebr. *Judicia*, *partim*, quia sine illis, cùm caderent sub præceptum, justè, hoc est, rectè ac legitimè comedi agnus non poterat; *partim*, quia in illorum observatione consistit humanarum actionum justitia; *partim*, quia non solùm ponuntur cum judicio, sed etiam quia debent cum judicio servari, & quia secundùm eos debet homo se, actusque suos judicare, an facti sint convenienter legi Dei & rectæ rationi.

[ ℣. 4. *Præcepitque Moyses filiis Israel ut facerent Phase*. ] Supra positum fuit, præceptum à Deo datum Moysi, nunc Moyses præcipit filiis Israel, per quos cuncti Israelitæ intelliguntur non exclusis Sacerdotibus aut Levitis, sicut anteà vidimus aliquoties exclusos; quia omnes omninò debebant facere seu immolare Phase, Patresfamilias fungente Sacerdotis officio, secundùm ea quæ diximus a. 2. q. 85.

[ ℣. 5. *Qui fecerunt tempore suo*: ] Seu tempore juxta legem præscripto.

[ *In monte Sinai*. ] Hoc est, in deserto Sinai juxta montem: Textus enim Hebr. quemadmodum & 70. habet, *in deserto Sinai*.

[ *Juxta omnia quæ mandaverat Dominus Moysi, fecerunt filii Israel*. ] *Difficultas est*: Deus enim præceperat ut facerent Phase servando omnes ritus lege præscriptos; inter eos autem unus erat, ut panes azymos ederent, quos non videntur habuisse in deserto, ubi ob defectum panum habebant manna. *Quidam opinantur* quòd hunc ritum non servaverunt, dicuntque ipsos servasse omnes illos ritus qui poterant in deserto servari. Aliis tamen *probabilius* videtur quòd & hunc servaverint. Quamvis enim illic existentes non possent habere farinam in ea quantitate quæ tot hominum millibus alendis sufficeret, ideoque Deus daret eis manna; ex Scriptura tamen constat, quod & panes azymos, & farinam diversis occasionibus ibi habuerint. Aaron enim & filii ejus consecrati fuerunt Sacerdotes in deserto Sinai hoc eodem mense primo, & consecratio eorum duravit per septem dies; in illis autem diebus offerebantur panes & simila, ut habetur Exod. 29. & Levit. 8. Capite etiam 9. & 10. Levit. habuerunt panes & similam: Præsentis quoque Libri cap. 7. duodecim Principes sigillatim per dies singulos obtulerunt acetabulum & phialam, utrumque plenum simila supra cap. 7. Sed & super mensam positos fuisse in deserto panes propositionis cap. 4. diximus. Quapropter cum ad Pascha celebrandum sufficeret unicuique familiæ parvulus panis azymus (neque enim oportebat quòd totum agnum comederent cum panibus azymis, sed accipere poterant manna; posteriorum sententiæ putamus subscribendum. Quia verò festum azymorum per septem dies continuabatur, fuissetque propterea opus maxima quantitate azymorum, si totis illis diebus omnes debuissent azymis vesci, satis probabile est, istud festum non fuisse cum Paschate celebratum.

[ ℣. 6. *Ecce autem quidam immundi* ] Benè observat Lorinus quòd quamvis in Ægypto cùm Israelitæ egrederentur, omnes videantur celebrasse Pascha sine delectu mundorum & immundorum, quia iste delectus nondum erat lege constitutus, ut nec erectum Sanctuarium, nec institutæ leges de sacrificiis, oportebat autem agnum ab omnibus comedi, omniumque postes ejus sanguine liniri; nunc tamen, hoc est, anno secundo

cundo egressionis de Ægypto, quoniam præcepta erant de mundis & immundis data, & statutum ne sacrificia (inter quæ erat immolatio Agni Paschalis) gustarentur ab immundis, Levit. 22. justam causam habuerunt qui se immundos esse noverant, conquerendi quòd privarentur fructu servantibus legem promisso, & inquirendi quid eis opus facto. Pro his verbis, *Ecce autem quidam*, in Hebr. est, *& fuit*. q. d. Accidit hoc quod sequitur.

[ *Quidam immundi super anima hominis*, ] Lex Agni Paschalis non tantùm viros, sed etiam fœminas afficiebat; & hæ non minùs erant obnoxiæ immunditiis legalibus quàm viri: *Utrùm tamen* ea immunditia de qua movetur quæstio utrique sexui contigerit, incertum est. Juxta phrasim Hebraicam *anima* solet poni pro *homine*: & non tantùm pro homine vivo, sed etiam pro mortuo; propterea quòd ipsa fuerit corporis humani forma, atque iterùm futura per Resurrectionem certò creditur. Immundi ergo super anima vocantur illi qui erant immundi super mortuo, idest, qui legalem immunditiam contraxerant, ex eo quòd corpus mortuum tetigissent, vel funeri interfuissent. Ex hoc loco benè concludit Estius immunditiam legalem non semper cum aliqua culpa fuisse conjunctam; qui enim super mortuo immundi erant, plerumque id contraxerant ex officio humanitatis quod præstiterant in mortuo curando, vel sepeliendo. Ita Tobias quoties mortuum sepeliebat, fiebat immundus legaliter, non tantùm sine peccato, verùm etiam magno cum merito, de quo Tob. 12. Angelus ad eum dicit. *Quando sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino*. Simile quid est in nova lege de iis qui ex opere justitiæ contrahunt irregularitatem.

[ *Qui non poterant facere Phase in die illo*, ] Nec immolando videlicet nec edendo: quoniam ad utrumque requirebatur legalis munditia.

[ *Accedentes ad Moysen & Aaron*, ] Ad Moysen ut ad Legislatorem, & totius populi Principem, eumque talem qui in dubiis solebat poscere divina responsa: Ad Aaron autem, ut ad Summum Pontificem ordinarium. Quoniam verò superiùs cap. 5. inter eos qui ejiciendi erant extra castra recensentur polluti super mortuo, propterea existimandum est Moysen & Aaron fuisse Castris egressos, & ad illos extra Castra existentes venisse immundos qui hic memorantur.

[ ℣. 7. *Quare fraudamur* ] Vox Hebræa sonat, *minuimur*, quam aliqui etiam vertunt, *prohibemur*. Quia enim is qui prohibetur, imminuitur potestate, videturque inferior fieri his qui habent libertatem faciendi, etiam significat prohibere & fraudare. Nec *fraudare* in hoc loco denotat veram & propriè dictam fraudem, quasi conquerantur sibi fieri injuriam, seque privari jure debito, sed significat simpliciter privati & prohiberi aliqua re: quasi dicerent; quare prohibemur celebrare Pascha, quare privamur isto bono?

[ *Ut non valeamus* ] Ut non possimus, ut nobis non liceat.

[ *Oblationem offerre Domino* ] Agnum Paschalem vocant oblationem, quia offerebatur in sacrificium.

[ *In tempore suo* ] Luna scilicet decima quarta primi mensis, quod erat tempus in lege constitutum.

[ *Inter filios Israel*, ] Sicut faciunt alii Israelitæ.

[ ℣. 8. *Quibus respondit Moyses:* ] Solus Moyses respondet, licèt Aaron cum ipso fuerit interrogatus, quia ad illum tamquam ad Legislatorem pertinebat respondere de Legis intelligentia, solusque quamdiu vixit Deum solebat consulere.

[ *State, ut consulam quid præcipiat Dominus de vobis.* ] Commendant omnes Moysi modestiam & prudentiam, quòd noluerit Domino inconsulto respondere: *Ubi* Prælati & Superiores exemplum habent non præcipitandi responsa in rebus dubiis, sed priùs commendandi illas Deo per orationem.

[ ℣. 9. *Locutusque est Dominus ad Moysen*, ] Soli Moysi hic loquitur Dominus, quia solus eum consuluerat. Alioquin utrique simul, Moysi videlicet & Aaroni aliquando locutum esse Dominum constat ex cap. 12. Exodi, ubi primum de Paschate præceptum fuit datum: Ex Levitici 11. ubi de animalibus mundis & immundis leges feruntur: Ex Levit. 13. ubi de plaga lepræ: Ex Levit. 15. ubi de seminifluis: Ex Num. 2. ubi de Castrorum metatione, & aliunde.

[ ℣. 10. *Loquere filiis Israel:* Occasione quæstionis solùm à quibusdam immundis propositæ, Deus fert legem in commune pro cunctis Israelitis.

[ *Homo* ] Quilibet nimirùm, ut indicat repetitum nomen in Hebræis & Græcis Codicibus; & in Græcis quidem uterque sexus comprehenditur; in Hebræis autem sub masculino fœmininus intelligitur.

[ *Qui fuerit immundus super anima*, ] Hoc est, super mortuo, sicut ad versum 6. fuit explicatum.

[ *Sive in via procul in Gente vestra, faciat Phase Domino*. ℣. 11. *In mense secundo*, ] Istud *in gente vestra*, non est construendum cum proximè præcedentibus, *in via procul*, quasi tantùm sermo sit de homine qui esset procul in via, intra tamen limites terræ promissionis; non enim terra illa fuit tam spatiosa, ut quis diceretur esse in via procul qui intra eam erat, ut ex dictis ad caput 3. Exodi patet, præsertim cùm Lex juberet Exod. 23. & Deuter. 16. omne masculinum Judæorum convenire ter in anno ad templum quod postea extructum fuit Jerosolymis: Sed construi debet cum voce *Homo*, hoc sensu: Quilibet homo de Gente vestra qui fuerit immundus, vel qui suscepta profectione procul fuerit à loco in quo Agnus Paschalis immolari debet, ita ut non potuerit celebrare Pascha mense primo; celebret illud mense secundo.

[ *Quarta decima die mensis ad vesperam:* ] Debebant autem isto mense celebrare Pascha observando eosdem ritus quos servari oportebat mense primo, & quos explicuimus ad caput 12. Exod. ac posteà celebrare festum Pentecostes, non die quinquagesimo à Paschate per ipsos celebrato, sed à Paschate per populum facto die decima quarta primi mensis, seu veriùs à secundo die azymorum, ut ex Levit. 23. patet. Publicæ enim solemnitates eodem die celebrandæ erant ab omnibus, & non ordinabantur juxta uniuscujusque commoditatem, sed celebrari debebant diebus lege præscriptis.

Circa hæc, *quæritur primò*, quid dicendum de aliis qui immundi essent alia ex causa quàm ex contactu mortui, cujusmodi erant seminiflui, ad menstruatam accedentes, & plures alii: De illis etiam qui etsi non essent in itinere impediebantur tamen facere Pascha mense primo propter morbum quo laborabant, vel ob aliam legitimam causam. *Resp.* Omnes illos debuisse facere Pascha Luna decimaquarta secundi mensis, si tunc essent mundi, & cessaret impedimentum, quia etsi unum genus legalis immunditiæ exprimatur, par tamen erat ratio omnium; sicut etiam eadem est ratio aliorum impedimentorum, quæ longioris profectionis.

*Quæritur secundò*. An tertio vel quarto mense Pascha celebrare potuerint qui tam secundo quàm primo mense fuerant immundi, vel longè remoti à Jerusalem. *Resp.* Non potuisse; quia Deus solùm indulserat dilationem Paschalis in mensem secundum, nec invenitur exemplum quod Hebræi aliquando aliter practicaverint. Deinde, aliàs contigisset confusio festorum, dum Pascha, vel cum Pentecoste, vel post Pentecosten fuisset celebratum. His non obstat Augustinum adferri velut contra sententem: Reverà enim non sentit contrarium, sed sub disjunctione ita loquitur q. 15. sup. Numeros. *Arbitror id quod dictum est de secundo mense, tamquam regulariter fuisse retinendum, ut tertio mense observarent; aut certe Pascha non egisse tali necessitate, ad culpam non pertineret*. Et hæc posterior pars disjunctivæ vera est ac tenenda, non peccasse videlicet illum qui tertio mense Pascha non celebraret, quamvis non potuisset anteà celebrare. *Huic* aliquo modo simile est quòd qui non communicaverunt in Paschate, sive propter peregrinationem in regiones longinquas, sive propter aliam causam bonam vel malam, tenentur quàm primùm potuerint, communicare, & suum Pascha facere juxta ea quæ diximus 3. p. q. 80. art. 11. quæst. 5. In hoc tamen Lex nostra legem Paschalem Judaicam superat, quòd hæc eum qui mense primo fuerat impeditus solùm obligabat pro decima-quarta luna mensis secundi, & non ante illud tempus, neque post. Nostra autem obligat pro quacumque temporis opportunitate, sive illa statim post

Paschale

Paſchale tempus occurrat, ſive diu poſt: quia ejus obligatio non extinguitur, quoad uſque fuerit ei ſatisfactum.

[ ℣. 13. *Si quis autem & mundus eſt*, ] Nullam ſcilicet habens legalem immunditiam, nec eam quæ ex contactu mortui contrahebatur; nec ullam aliam.

[ *Et in itinere non fuit*, ] Subſudi, nec aliud legitimum habuit impedimentum.

[ *Et tamen non fecit Phaſe, exterminabitur anima illa de populis ſuis*, ] Iſte homo interficietur, vel à Deo ultore, vel ex mandato Judicis. *Petes*, quid ſi ideò abſtineret à celebrando Phaſe, quia feciſſet votum abſtinendi à carnibus per totum annum? *Reſp.* Quòd propter ejuſmodi votum non eſſet excuſandus, ſed eo non obſtante teneretur veſci carnibus Agni, alioquin puniendus ut tranſgreſſor præcepti divini, quia hoc prævalere debet voto propriæ voluntatis. Imò, ſi vovendo ſpeciatim intendiſſet vel expreſſiſſet non comedere carnes in Paſchate, & vovendo peccaſſet, & ejus votum fuiſſet irritum, utpote de re mala, ſcilicet de non ſervando legem à Deo poſitam.

[ *Quia ſacrificium Domino non obtulit tempore ſuo:* ] Oportebat enim iſta duo ſervari, quòd & Agnus offerretur, & tempore per legem præſcripto, luna videlicet decima quarta primi menſis, aut ſi non potuiſſet tunc offerri, eadem luna menſis ſecundi.

[ *Peccatum ſuum ipſe portabit.* ] Ideſt, peccati ſui pœnam.

[ ℣. 14. *Peregrinus quoque & advena ſi fuerint apud vos, facient Phaſe Domino* ] Modò ſcilicet priùs fuerint circumciſi, juxta legem Exod. 12. v. 48. datam. Soli namque Judæi, & qui per circumciſionem Judaiſmo erant initiati poterant ac debebant celebrare Paſcha.

[ ℣. 15. *Igitur die qua erectum eſt Tabernaculum, operuit illud nubes.* ] Vocula *igitur*, non eſt hic illativa, ſed potiùs ſervit ad continuandum hunc ſermonem cum præcedente. In Hebr. & 70. pro *igitur*, habetur *Et*. Dies autem illa qua erectum fuit Tabernaculum fuit prima dies menſis primi anni ſecundi egreſſionis de Ægypto, ut conſtat ex cap. 40. Exod. ubi explicatum eſt quomodò nubes operuit Tabernaculum recens erectum.

[ *A veſpere autem ſuper Tentorium* ] (per quod Tabernaculum intelligitur.)

[ *Erat quaſi ſpecies ignis uſque manè.* ] Senſus eſt, quòd cùm ſol occumberet, nubes, ſeu columna nubis habebat ſpeciem ignis qui Caſtra omnia illuminabat uſque ad tempus matutinum. Quidam exiſtimarunt duas fuiſſe columnas, unam nubis per diem, aliam in ſpecie ignis per noctem, ſed verius eſt unam eamdemque fuiſſe, quæ per diem apparebat ut nubes inſtar columnæ erecta, & per noctem inſtar ignis ſplendentis.

[ ℣. 16. *Sic fiebat jugiter:* ] Quotidiè fiebat illa mutatio nubis, quamdiù peregrinati fuerunt in deſerto. De qua nube, ſeu columna nubis & ignis, videri poſſunt quæ diximus Exod. 13. 14. & ſub finem 40.

[ ℣. 17. *Cumque ablata fuiſſet nubes quæ Tabernaculum protegebat*, ] Cùm nubes, ſeu columna nubis quæ operiebat Tabernaculum, Angelo eam movente, fuiſſet amota ne ſtaa perſiſteret, ſed moveretur, elata ſcilicet in aerem & pergens ad initium Caſtrorum ubi erant tentoria tribus Judæ.

[ *Tunc proficiſcebantur filii Iſrael:* ] Per turmas ſcilicet ſuas, ut additur Exod. ult. *Notat* Abulenſis q. 43. quòd cùm erat proficiſcendum, nubes elevabatur de Tabernaculo, ſedebatque ſuper vexillum tribus Judæ: Et tunc Sacerdotes clangebant duabus tubis argenteis (de quibus cap. ſeq.) prolixè atque conciſè. Quo ſono audito, parabant ſe omnes qui erant in Caſtris ad recedendum deponentes ſua tentoria & componentes ſarcinulas; ita ut ad primum deinde clangorem procederent qui erant ſub vexillo Judæ, & aliæ duæ tribus cum ipſo; in ſecundo, qui ſub vexillo Ruben; in tertio qui ſub vexillo Ephraim; in ultimo, qui ſub Dan.

[ *Et in loco ubi ſtetiſſet nubes, ibi caſtrametabantur.* ] Ita ſcilicet ut Tabernaculum erigerent ſub illo loco, ubi nubes ſtabat; in circuitu autem ejus Levitæ figebant ſua tentoria: Deinde, totus populus juxta ordinem cap. 2. datum. Certum eſt quòd nubes quotidiè ſtabat, immotaque manebat, quando homines & beſtias oportebat cibum ſumere, & ſomnum capere, cùm non poſſent continuò proficiſci ſine cibo & ſomno; & tamen non quotidiè caſtra metabantur: ſed quod hic dicitur, accipi debet de ſtatione qua nubes extra illas cauſas ſtabat, veluti ſi elapſo tempore ad refectionem vel ad ſomnum neceſſariò perſiſtebat ſtans ſeu quieſcens: ſignum enim erat quòd tunc caſtra eſſent metanda, figendaque tentoria, & ibi manendum. Et hujuſmodi manſiones populi Iſraelitici fuerunt quadraginta duæ, quæ infra cap. 33. recenſentur, & de quibus agit B. Hieron. Epiſtola 127.

[ ℣. 18. *Ad imperium Domini proficiſcebantur, & ad imperium illius figebant Tabernaculum.* ] Non ita ſunt hæc intelligenda, quaſi tum ad proficiſcendum, tum ad figendum Tabernaculum ſemper interveniret expreſſum Dei mandatum ad ipſos Iſraelitas; ſed dicebantur iſta facere *ad imperium Domini*, quia faciebant ad motum & quietem columnæ nubis & ignis; cujus motus erat ſignum quòd Deus volebat ut proficiſcerentur: quies verò erat ſignum Deum velle quòd quieſcerent, Tabernaculumque & tentoria ſua figerent quemadmodum Moyſes à Deo inſtructus ipſos docuerat. Paulò aliter aliqui explicant quòd iſta facerent *ad imperium Domini*, quia Angelus prædictam columnam, ad cujus motum & quietem iſta agebant, non movebat nec quieſcere faciebat, niſi cognita Dei voluntate quæ ipſi erat imperium. *Obſervandum*, quòd cùm columna illa movebatur & præibat Caſtra, Sacerdotes aut Levitæ Arcam Domini elevabant & portabant, Moyſes autem ita Deum invocabat. *Surge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua.* Cùm autem eadem columna rurſùm quieſcebat, Sacerdotes aut Levitæ Arcam deponebant, & Moyſes Dominum velut Arcæ inſidentem invitabat dicens: *Revertere Domine ad multitudinem Exercitus Iſrael:* Infra cap. 10.

[ *Cunctis diebus quibus ſtabat nubes ſuper Tabernaculum, manebant in eodem loco:* ] Antequam fabricatum eſſet magnum Tabernaculum, cujus exemplar fuit Moyſi in monte monſtratum, quodque Exod. ult. narratur eſſe erectum menſe primo, prima die menſis anni ſecundi; erat parvum aliquod Tabernaculum orationis & devotionis cauſa juſſu Moyſis factum, de quo Exod. 33. & ſuper illud nubes, ſeu columna nubis ſtabat, ſicut poſteà ſuper magnum Tabernaculum ſtare ſolita fuit, quamdiù erat quieſcendum. Deſcendebat quidem aliquando iſta columna è loco ſublimi ad oſtium Tabernaculi, ibique Deus loquebatur, aut cum Moyſe, ſicut patet Exod. 29. aut cum Aarone & Maria inferiùs cap. 12. Sed quia non deſerebat Tabernaculum ideò non erat ſignum quòd Iſraelitæ deberent Caſtra movere.

[ ℣. 19. *Et ſi eveniſſet ut multo tempore maneret ſuper illud*, ] Quemadmodum manſit in Sinai uſque ad vigeſimum diem menſis ſecundi anni ſecundi, cùm illuc appuliſſent primi anni menſe tertio, die menſis tertia, Exod. 19.

[ *Erant filii Iſrael in excubiis Domini*, ] Iſraelitæ manebant vigilantes & excubantes quando columna juſſu Dei moveretur, & deberent recedere. Non ergo *eſſe in excubiis Domini*, idem hic eſt, quòd *excubare* cuſtodiendo Sanctuarium, & ea quæ ſunt Sanctuarii, ſicut Levitæ leguntur cap. 3. habuiſſe excubias; ſed eſt, in eodem loco ſiſtere ac manere, uſque dum Dominus juberet recedere, & ad juſſionem illam attendere. Cujus explicatio quædam eſt id quod ſequitur.

[ *Et non proficiſcebantur.* ]

[ ℣. 20. *Quot diebus fuiſſet nubes ſuper Tabernaculum.* ] In Hebr. *Cùm nubes eſſet diebus numeri*, quod Oleaſter interpretatur dies paucos, ſicut quod Geneſ. 34. Hebraicè legitur, *ego viri numeri*, latinè redditum eſt, nos pauci ſumus. Qui pauci dies videntur opponi ei quod v. 19. dicitur de multo tempore. Alii per *dies numeri*, intelligunt dies plures. Sunt qui vim in eo non faciunt, dicentes vocem iſtam *numeri*, eleganter omiſſam eſſe à S. Hieronymo, quia non eſt neceſſaria, ſed ſolùm ea more linguæ Hebraicæ poſita: Et fortaſſe non definiendo numerum dierum voluiſſe ſignificare etiam paucos dies, ut ſenſus ſit ſignum

nubis ad quiescendum vel proficiscendum, attendi debuisse, sive ipsa multis diebus, sive paucis super Tabernaculum staret; aut citò recederet.

[ ℣. 21. *Et, si post diem & noctem recessisset, dissipabant tentoria.* ] Si nubes seu columna nubis solùm mansisset super Tabernaculum per unum integrum diem naturalem constantem viginti quatuor horis, cujus duæ partes sunt dies & nox, & statim post hoc recessisset, dissolvebant & deponebant tentoria, omniaque sua convasabant, & sic proficiscebantur.

[ ℣. 23. *Per verbum Domini figebant tentoria,* ] Istud verbum non aliud est quàm Imperium, vel eo modo explicatum quem diximus v. 18. vel quod Deus dederat Moysi ab initio. Ut quando moveretur columna nubis à Tabernaculo, moverent castra; quando sisteret, ea figerent.

*Allegoricè. Columna nubis & ignis* est Christus secund. ea quæ diximus ad cap. 13. Exod. sub finem. Potest tamen etiam intelligi *Spiritus Sanctus*, qui ut nubes protegit nos, ut ignis accendit; estque nobis *Dux via ad terram promissionis*, ad Patriam nempè cœlestem. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, ajebat David Psalm. 142.

*Moraliter. Columna* sunt fortes & illustres Sancti, quorum ducatum & exempla sequi nos oportet. Unde Christus Apoc. 3. *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei.* Ad quæ verba S. Gregor. Lib. 17. Moral. cap. 14. scribit: *Quisquis in Dei opere recta intentione firmatur, columna in structura fabrica spiritualis erigitur, ut in hoc templo, quod est Ecclesia, positus, & utilitati sit & decori.* Per *Tabernaculum* autem *Allegoricè* intelligitur Ecclesia; & *moraliter*, omnis anima justi.

## CAPUT X.

*Usus tubarum: quo ordine mota sint castra de deserto Sinai: Orat Moyses cognatum Hebab ut cum ipsis proficiscatur: Et verba quæ loquebatur Moyses cum elevaretur vel deponeretur arca.*

[ ℣. 1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, ] Quo tempore sequentia locutus sit Dominus, incertum est; quia non servatur ordo rei gestæ; *Quibusdam probabile videtur* quòd Tubæ de quibus nunc agitur, factæ fuerint primo anno egressionis de Ægypto, quando alia Tabernaculi utensilia fuerunt fabricata. His enim tubis clangere, ad Sacerdotes pertinebat; ea verò quæ ad officium Sacerdotum spectabant, tunc facta fuerunt: Unde fit consequens istud præceptum eodem anno fuisse datum, & quidem ante constructionem Tabernaculi.

[ ℣. 2. *Fac tibi duas Tubas argenteas ductiles,* ] Cùm dicitur *Fac tibi*, non significatur quòd Moyses in usum suum facere deberet eas tubas, sed est modus loquendi, quo non plus significatur, quàm ut Moyses curet per opifices fieri duas tubas. Dicitur *Duas*, non quòd vetet plures fieri; nam Jos. 6. legimus septem tubas, sed quoniam duæ nunc sufficiebant, ne sumptu non necessario gravarentur Israelitæ, non plures quàm duas fieri jussit. Additur *Argenteas*, quia quæ sunt de argento magis sunt decoræ, magisque propterea ad reverentiam cultus divini pertinent, & sunt etiam magis sonoræ, quàm quæ de inferiori metallo fiunt. Jubentur esse *ductiles*, idest, quæ fiant ducendo, seu extendendo materiam in formam tubarum, & non per fusionem. Hæ sunt tubæ quæ 1. Machab. 16. vocantur sacræ, eo quòd ad sacros usus adhiberentur, serviebant enim hæ tubæ ad vocandam populi multitudinem; ad vocandos ejus Primores; ad movendum Castra; ad progrediendum in bellum; ad vocandum ad festa; & ad sacras Epulas: Quæ omnia erant vel ad serviendum Deo, vel ad voluntatem Dei intelligendam, & eatenus sacra.

*Allegoricè*. Per *duas tubas* quidam intelligunt duos Christi Adventus, in quorum primo insonuit; *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cœlorum.* Matth. 4. In secundo insonabit; *Venite Benedicti, discedite à me Maledicti*. Matth. 25.

*Moraliter. Tuba* sunt Prædicatores, quibus Isa. 58. dicitur: *Quasi tuba exalta vocem tuam*; & Oseæ 8. *In gutture tuo sit Tuba*. Sunt *duæ*; quia prædicare debent duo præcepta charitatis. Debent esse *argentea*, quia oportet illos habere puritatem vitæ & doctrinæ: Et *ductiles*, quia tribulationum hujus mundi pressuris, malleationibus, & tunsionibus eos expoliri convenit.

[ *Quibus convocare possis multitudinem quando movenda sunt castra,* ] In Hebr. & 70. interponitur copulativa, *& quando movenda sunt castra*, ita ut designentur duo officia tubarum, *unum* ad convocandum populum, quando Moyses vellet ei quidpiam significare: *Alterum* ad movenda Castra. Et quidam putant B. Hieronymum eamdem copulativam in Textu nostro posuisse, sed quæ scriptorum vitio exciderit. B. Ambrosius videtur eam legisse. Ita enim Lib. de fide Resurrectionis scribit: *Argenteas facies eas, & erunt tibi ad evocandam Synagogam, & promovenda Castra.* Alii volunt quòd si copulativa non exprimatur, illa duo membra sint ab invicem commate separanda, eaque subaudiatur. *At dices*; quid opus tubis quando movenda erant Castra, cùm Israelitæ scirent ea esse movenda quando nubes recedebat à Tabernaculo? *Resp.* sonum Tubæ servisse ad monendum, & movendum ad discessum, eos qui ad alia occupati non advertebant motum columnæ nubis, sicque non tam citò parati esse potuissent.

[ ℣. 3. *Cumque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium Tabernaculi fœderis.* ] Non ipse Moyses per se tubis increpabat, sed per Sacerdotes, seu Sacerdotes ipsius jussu. Et quod dicitur, *Congregabitur ad te omnis turba ad ostium Tabernaculi*; non ita est accipiendum, quasi tota populi multitudo deberet capi intra ostium vel atrium Tabernaculi; sed quòd intra illud essent qui capi poterant; alii verò essent circumfusi in gyro Tabernaculi. Quoniam verò ponitur discrimen clangoris quando congregandus esset populus, & quando Principes populi, nec illud est adeò clarum; ex præsenti textu videtur dicendum, quòd si duabus tubis increpabant seu insonabant, & quidem iterato clangore, signum erat quòd populus convocabatur: Si autem & semel, & una solùm tuba insonabant, non populus vocabatur, sed populi Principes. Nam quod sequitur.

[ ℣. 4. *Si semel clangueris, venient ad te Principes & Capita multitudinis Israel.* ] Rectè sic potest accipi. Si una tantùm vice, seu uno impulsu, & absque interruptione, unaque tuba clangueris: Quia in Hebr. pro *si semel*, habetur *si in una*, & subaudiri potest *vice*, quomodò noster Interpres accepit; vel *tuba*, sicut alii: Et nihil vetat utrumque intelligere.

[ ℣. 5. *Si autem prolixior atque concisus clangor increpuerit, movebunt Castra* ] Differt hìc clangendi modus à primo, quòd primus clangor erat brevis, planus, æquabilis, non partim elevatus, partim depressus; hic autem tertius clangor erat prolixior, & concisus, idest, fractus, & quasi divisus in partes, nunc elevatus, nunc depressus, quem Scriptura vocat posteà *ululatum*. Neque tamen concedendum est hunc clangorem ita prolixum fuisse, ut tamdiu duraret quousque movissent castra omnes qui eo signo admonebantur illa movere; sed satis erat quòd cùm deprehendissent nubem moveri, signum daretur, tubis, ut jam dictum est, insonantibus; tuncque inciperent moveri illi ad quos pertinebat ut primi moverentur; etiamsi clangor non perseveraret toto tempore quo se ad movendum comparabant, & movere incipiebant: Sed qui sub secundo vexillo erant, non se movebant, nisi audito alio signo ipsos admonente.

[ *Movebunt Castra primi qui sunt ad orientalem plagam.* ] *Primi* neque est in Hebr. neque apud 70. sed putatur ab interprete additum explicationis gratia, cùm alioquin in re ipsa contineatur. Sensus enim est, quòd ad primum sonitum & clangorem tubarum prolixiorem & concisum, castra movere debebant qui castrametati erant, suaque tentoria fixerant ad Orientem; unde consequens est, quòd primi movere deberent. Et hi erant Tribus Juda cum duabus sibi adjunctis Issachar & Zabulon, ut ex cap. 2. patet.

[ ℣. 6. *In secundo autem sonitu & pari ululatu tuba, levabunt tentoria qui habitant ad Meridiem.* ] Interpres singulari *tuba* usus est pro plurali, cùm duæ tubæ simul adhiberentur, quando movenda erant Castra; & tuni-

rum

tum paremque ululatum posuit, prolixiorem atque concisum clangorem priùs expressum, significare volens: Ut sensus sit, quòd cùm daretur tubarum sonitus secundus similis primo, castra movere, & proficisci deberent illi qui tentoria sua habebant ad Meridiem, scilicet, Ruben, Simeon, & Gad.

[ *Et juxta hunc modum reliqui facient, ululantibus tubis in profectionem.* ] Similiter castra movebunt & proficiscentur, audito simili tubarum sonitu, & clangore, seu ululatu illi qui castra sua habent fixa ad Occidentem, nempè Ephraim, Manasses, & Beniamin: Ac postremò ad similem ululatum progredientur illi qui castrametati sunt ad Aquilonem, scilicet Dan, Aser, & Nephtalim. Cùm hic dicatur, *ululantibus tubis in profectionem*, manifestum est non unam tantùm tubam insonuisse, quando movenda erant castra & proficiscendum, sed ambas.

[ ℣. 7. *Quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit, & non concisè ululabunt.* ] Simplex clangor non excludit pluralitatem vel iterationem clangoris, sed inæqualitatem soni: Ut sensus sit quòd quando populus est congregandus, tubarum clangor debet esse planus, & non partim in altum elevatus, partim demissus, sed æqualis; unde additur, quòd tubæ non concisè ululabunt, idest, non dabunt sonum fractum, & velut in partes divisum.

[ ℣. 8. *Filii autem Aaron Sacerdotes clangent tubis:* ] Quandocumque videlicet, & ex quibuscumque caussis, sive supra in textu expressis, sive infra exprimendis, erit clangendum: Quoniam etsi vile officium videri possit sonare tuba: Quia tamen divinæ erant profectiones & congregationes, divinaque non solùm festa, sed etiam bella, ob quæ tubis clangendum erat (cùm nonnisi Dei jussu, vel nutu essent suscipienda) idcireò ad Sacerdotum officium voluit Deus clangorem illum pertinere. *An autem* alii, sive Levitæ, sive Laici, non potuissent aliis tubis clangere? *Resp.* probabiliter videri quòd potuerint, modò his sacris tubis non clangerent, nec ad eos usus ad quos hæ erant destinatæ; quia non invenitur esse prohibitum.

[ *Eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris.* ] Hæc lex seu constitutio semper manebit quamdiù stabit status vestræ Reipublicæ.

[ ℣. 9. *Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant adversùm vos, clangetis ululantibus tubis,* ] Idest, sono inæquali, & in partes diversas conciso. *Petes*, Quid si ad bellum irent, non exeuntes de terra sua, sed intra illam, dimicaturi tamen contra hostes populi. *Resp.* similiter clangendum fuisse; quamvis enim dicatur, *de terra vestra*; idem tamen intelligendum est, si bellum eis gerendum foret in terra propria contra suos hostes; quia eadem est ratio, & tam in Hebr. quàm apud 70. non habetur *de*, sed *in terra vestra*.

[ *Et erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum.* ] Q. d. Et Deus recordabitur vestri, ut vos eruat de manibus hostium. Deus propriè non recordatur, cùm omnia sint ei stabilia & præsentia, omniumque tam præteritorum quàm præsentium visio & intuitus ei sit: Sed recordari dicitur hominum, quando illos protegit & adjuvat, sicut solent ii qui dum suorum amicorum recordantur eos adjuvant.

[ ℣. 10. *Si quando habebitis epulum*, ] In Hebr. dicitur; *Et in die*, Apud 70. *Et in diebus lætitiæ vestræ:* Et sermo est de lætitia solemni & publica, sicut in Textu nostro intelligitur Epulum sacrum & solemne, quod instruebatur ex pacificarum hostiarum carnibus: Moris enim fuisse epulari post sacrificia, constat ex 1. Reg. 9. & 16. Idemque fieri solitum causa magnæ & publicæ lætitiæ patet ex cap. 8. Esther.

[ *Et dies festos*, ] *Quidam* hæc accipiunt de epulis & festis extraordinariis, eò quòd dicatur sub dubio, *si habueritis*, Nam de ordinariis, seu de festis quæ stata erant, utpotè à Deo instituta, non diceretur sub dubio, *si habueritis*, sed, *cum habueritis*. Verùm *Resp.* conditionalem illam nec esse in Hebræis græcisque Codicibus, nec semper involvere dubium; & in præsenti perinde valet, ac *quando habueritis*, unde post dies festos statim sequitur.

*Et Calendas*, ] Sive Neomenias, quæ non sub dubio, sed certò recurrebant post finem singulorum mensium. Per Calendas ergo, Neomeniæ, seu novæ lunationes intelligendæ sunt, earumque primus dies, qui etsi non esset festus quoad cessationem ab opere servili; erat tamen festus seu solemnis propter peculiaria sacrificia quæ jussa erant tunc offerri, sicut inferius cap. 28. patet. Unde Psalm. 80. *Buccinate in Neomenia tuba in insigni die solemnitatis vestræ.*

[ *Canetis tubis super holocaustis, & pacificis victimis*, ] Hoc est, quando offerentur holocausta & pacificæ victimæ. *Quare* non additur, *& super hostiis pro peccato? Resp.* Quia oblationes pro peccato fiebant cum mœstitia pœnitudinis, sonus autem tubarum qui edebatur dum offerebantur sacrificia, festivus erat ac lætus, pertinebatque ad populi recreationem, cùm ista essent sacrificia exultationis. Verum quidem est aliquando immolatam fuisse hostiam pro peccato ad solemnitatem, ut cap. 7. cùm facta est oblatio Principum in Dedicatione Sanctuarii, eoque tempore tubas insonuisse, at non insonuerunt propter hostiam pro peccato, sed quia præter illam offerebantur holocausta & pacifica.

[ *Ut sint vobis in recordationem Dei vestri.* ] Ut ea sacrificia cum tubarum clangore oblata sint causa vel occasio quòd Deus ad modum recordantis se erga vos habeat, illa grata habendo, vobisque propterea benefaciendo. Ex jam dictis clarum est Sacerdotes veteris Testamenti potuisse, imò debuisse interesse bello; quandoquidem ibi deberent clangere tubis Deo sic jubente. Aliis quoque ex causis potuisse interesse, veluti ad portandum vel comitandum Arcam fœderis patet ex 1. Reg. 4. de filiis Heli; & ad cohortandum populum ex Deuteron. 20. Imò & ad pugnandum, liquet ex Machabæis, quia non erat eis prohibitum.

[ ℣. 11. *Anno secundo, mense secundo, vigesima die mensis, elevata est nubes de Tabernaculo fœderis:* ] Hic annus secundus ab egressu Israelitarum de Ægypto computandus est, qui cùm in Sinai venerint anno primo, mense tertio, ejusdem mensis die verisimiliter tertia, consequens est quòd in illo deserto (ubi duodecima illorum mansio fuit) manserint unum ferè annum, demptis scilicet duodecim vel tredecim diebus, etsi quidam solùm decem dies excipiant, qui nimirùm volunt Israelitas primo die mensis tertii illuc advenisse. In hoc ergo deserto contigerunt omnia quæ à cap. 19. Exodi scripta sunt, usque ad hunc versum 11. Ac in primis ibi datæ sunt omnes leges, morales, judiciales, & cæremoniales. Deinde, ibidem fabricatum fuit Tabernaculum cum omnibus ad illud pertinentibus, & consecrati Sacerdotes ac Levitæ ordinataque Castra, sicque instituta & formata ibi est tam Respublica, quàm vetus Ecclesia Hebræorum. Et dum hæc fierent, nubes, seu columna nubis semper manebat super Tabernaculum; primò quidem super parvum, secundùm ea quæ dicebamus supra cap. 9. vers. 18. Deinde super magnum, postquam fuit constructum. Absolutis autem omnibus quæ in Deserto Sinai Deus fieri voluit, vigesima die mensis secundi anno secundo, illa columna nubis, Angelo eam movente, elevata est de Tabernaculo fœderis, cœpitque præire Castra quæ etiam tunc mota sunt. Unde sequitur in textu.

[ ℣. 12. *Profectique sunt filii Israel* ] Eadem scilicet illa die vigesima mensis secundi.

[ *Per turmas suas de deserto Sinai*, ] Versùs illam partem, ad quam ductu Angeli movebatur columna. Dicuntur autem profecti *per turmas suas*, quia non progrediebantur mixtim & confusè, sed ordinatè, singuli ad vexillum suæ tribus, & cum viris suæ familiæ, secundùm ea quæ pro metatione castrorum præscripta fuerunt cap. 2.

[ *Et recubuit nubes in solitudine Pharan:* ] Pro *recubuit*, alii reddunt *mansit*, 70. *stetit*. Ad mansionem autem & stationem nubis etiam ibi manserunt Israelitæ: Et tamen inter mansiones Hebræorum quæ inferiùs cap. 33. recensentur, nulla est mansio quæ vocetur Pharan, uti nec apud S. Hieron. in Epist. 127. ad Fabiolam, quæ est de mansionibus quadraginta duabus: Nam ipse mansionem decimam tertiam ponit in sepulchris concupiscentiæ sicut etiam Textus noster citato jam cap. 33. dicit quòd *de solitudine Sinai egressi venerunt ad sepulchra concupiscentiæ*. Sciendum igitur

quòd solitudo seu desertum Pharan fuit valdè ampla & vasta continens nimirùm à monte Sinai usque ad Cadesbarne, iter undecim dierum, ut scribit Adricomius qui omnia ista loca lustravit. In hac ergo solitudine multa sunt loca particularia, & inter cætera illa qui ab eventu vocatus est *sepulchra concupiscentiæ*. Unde consequens est quòd Israelitæ sic de Sinai ubi fuit duodecima eorum mansio, venerunt in solitudinem Pharan, ut mansionem decimam tertiam fecerint in illa ejus solitudinis parte quæ dicta est *sepulchra concupiscentiæ*.

[ ℣. 13. *Moveruntque Castra primi juxta imperium Domini in manu Moysi.* ] Hoc est, juxta imperium Domini quod ipse Israelitis intimavit per Moysen.

[ ℣. 14. *Filii Juda per turmas suas;* ] De illis enim qui in Castris Judæ annumerati sunt, c. 2. dictum fuit, *per turmas suas primi egredientur*, & sermo est non solùm de ipsa Tribu Juda, sed etiam de duabus ei adjunctis, scilicet Issachar, & Zabulon; nam hæ tres constituebant primam aciem Exercitus qui constabat ex quatuor ternionibus Tribuum.

[ ℣. 17. *Depositumque est Tabernaculum, quod portantes egressi sunt filii Gerson & Merari.* ] Dissolutum ac in partes suas resolutum est Tabernaculum quod priùs quando nubes quieverat super illud, manserat erectum; & hoc, id est, ejus partes & vasa seu utensilia portaverunt Gersonitæ & Meraritæ, secundum distributionem eis factam c. 4. v. 25. & seqq. portaverunt, inquam, non humeris suis, sed in plaustris quæ c. 7. leguntur eis assignata, & quæ vehebantur singula per duos boves. Ita autem portantes columnas, cortinas, & reliqua ad Tabernaculum spectantia, Gersonitæ & Meraritæ egressi sunt ac profecti proximè post primam aciem Exercitus, id est, post has Tribus Juda, Issachar, & Zabulon, quemadmodùm præsens Textus indicat, post Gersonitas verò & Meraritas secuta est secunda acies exercitus constans ex Tribu Ruben cum ei adjunctis Tribubus Simeon, & Gad. Sequitur enim.

[ ℣. 18. *Profectique sunt & filii Ruben, per turmas & ordinem suum: &c.* ] Per quod significatur quòd Tribus Ruben (idemque de cæteris est judicium) non movebatur tota simul in uno cuneo vel turma, sed divisa erat per turmas, cùm haberet diversas familias, & singulæ familiæ diversas domos seu cognationes; cuilibet autem domorum seu familiarum dabatur suus ordo procedendi, quem singulæ turmæ tenebant, ut quidam præcederent, & alii sequerentur. Totus autem ejusmodi processus per Moysen & Principes populi fuit ordinatus, quando ordinaverunt de Castrorum metatione cap. 1. simul enim constituerunt ordinem procedendi, cùm levatis Castris foret procedendum.

[ ℣. 21. *Profectique sunt & Caathitæ portantes Sanctuarium.* ] Non accipitur hic *Sanctuarium* sicut aliàs quandoque sumitur pro domo Sancta, sed pro rebus ad eam pertinentibus, nempe, mensa, Candelabro, Altari, & aliis quæ curæ Caathitarum erant commissa, supra c. 3. & 4.

[ *Tamdiu Tabernaculum portabatur,* ] *Tabernaculum*, id est, Tabulæ, cortinæ, & alia ex quibus constare debebat Tabernaculum, quando erat erectum.

[ *Donec venirent ad erectionis locum.* ] Hoc est ad locum in quo ex Columnæ nubis mansione seu requie, agnoscebant erigendum esse Tabernaculum, *Quidam* ita ex Hebr. vertunt: *Et stare fecerunt Tabernaculum donec venirent ipsi*, voluntque his verbis significatum quòd Gersonitæ & Meraritæ erigerent Tabernaculum usque dum Caathitæ venirent, & in illud inferrent ea quæ ab ipsis portabantur.

[ ℣. 22. *Moverunt Castra & filii Ephraim; &c.* ] Ex ordine qui hoc cap. describitur consequens est quòd viri Juda primi procederent cum duabus Tribubus ei adjunctis; & post hos sequerentur ex Levitis Gersonitæ & Meraritæ: Deinde, Ruben cum Simeon & Gad: Et posteà Caathitæ; post Caathitas verò, sex aliæ Tribus, scilicet Ephraim cum Manasse & Benjamin; & Dan cum Aser & Nephtali. Caathitæ ergo, præter paucos eorum qui omnia Castra præibant, portantes Arcam sub nube, ut versu 33. habetur, incedebant in medio castrorum habentes ante se sex tribus præcedentes, & post se alias sex subsequentes. Neque his oppositum est, quòd cap. 2. post recensitas sex tribus, dicitur levandum esse Tabernaculum, quia ibi quidem dicitur quid esset faciendum, at non præscribitur quo ordine; Ordo autem ille hic clarè exprimitur. Quoniam verò nihil statuitur de Mulieribus & parvulis, & gregibus, quos non dubium est castris motis & exercitu proficiscente fuisse profectos, Verisimile est singularum Tribuum greges cum mulieribus & parvulis loco tutiore processisse cum suis tribubus.

[ ℣. 29. *Dixitque Moyses Hobab filio Raguel, Madianitæ, cognato suo:* ] Hunc Hobab quidam volunt eumdem esse cum Jethro; Sed eis repugnat quòd Hobab hoc loco dicitur esse filius Raguelis, Jethro autem non fuit filius Raguelis, sed fuit ipse Raguel? Qui enim Exod. cap. 2. vocatur Raguel Sacerdos Madian, cujus filiam accepit Moyses uxorem, idem c. 3. vocatur Jethro Sacerdos Madian, Socer Moysi; neque ullum est fundamentum dicendi quòd Jethro fuerit trinomius. Deinde Jethro ad Moysen venit Exod. 18. & cum illo fuit aliquamdiu, sed posteà reversus est & abiit in terram suam; Hobab autem mansit cum Moyse, ut ex præsenti loco patet. *Verius* igitur est Hobab non esse Jethro, sed esse filium Jethro, quem ipse Jethro seu Raguel discedens videtur reliquisse apud Moysen cum Sephora ejus Sorore, tametsi Scriptura id ibi non expresserit. Nunc autem cupientem redire ad Patrem suum Moyses conatur adhuc retinere apud se. Neque obstat quòd 70. hic verterunt, *Socero suo*; Nam vox Hebræa *Cothen*, & socerum & cognatum, id est affinem significat.

[ *Veni nobiscum, ut benefaciamus tibi:* ] Hobab abire volentem Moyses promissis allicit ad manendum. Et quamvis non statim acquieverit, sed responderit.

[ ℣. 30. *Non vadam tecum, sed revertar in terram meam in qua natus sum.* ] Hoc est, in Madian; omninò tamen videtur quòd tandem acquievit, mansitque cum Moyse, imò & cum Israelitis intravit terram promissionis, vel ipse, vel saltem ipsius posteri; nam Cinæos, de quibus posteà in Sacris Litteris fit mentio, fuisse posteros Raguelis seu Jethro, ac per consequens hujus Hobab, patet ex Judic. 1. Ubi agitur de filiis Cinæi cognati Moysi, & ex Judic. 4. Ubi dicitur quòd *Haber Cinæus recesserat quondam à cæteris Cinæis fratribus suis filiis Hobab cognati Moysi.* Cinæos autem intrasse cum Israelitis terram Chanaan, tum ex eisdem, tum ex aliis locis colligere est. Judic. enim 1. Cinæi leguntur ascendisse de civitate palmarum (Ipsa est Jericho, Deuteron. 34. & 2. Paralip. 28.) cum filiis Juda in desertum sortis ejus, & habitasse cum eo: Et cap. 4. Haber Cinæus habitavit juxta Cades quæ erat in sorte Tribus Nephtali, Jos. 19. Primi quoque Reg. 15. Cinæi recesserunt ab Amalec, ne simul percuterentur: Et ab his Cinæis prognati videntur Rechabitæ plurimùm Jerem. 35. laudati, si conferatur finis cap. 2. lib. 1. Paralip. Unde consequens est Rechabitas non fuisse Hebræos genere, sed Madianitas. *Rechabitarum* deinde posteri fuerunt qui dicti sunt *Essæi*, vel *Esseni*, ab abstinentia & continentia per veteres commendati, qui omnes Religiosorum novæ legis quædam figura extiterunt.

[ ℣. 31. *Noli, inquit, nos relinquere: Tu enim nosti in quibus locis per Desertum castra ponere debeamus, & eris ductor noster.* ] Pro ultimis verbis, quidam vertunt: *Fuisti nobis pro oculis*, hucusque scilicet per desertum. Alii, *eris nobis in oculos*, hoc est, eris nobis dux; nam esse alicui *in oculos*, seu vice oculorum, est esse ipsius ductorem. *Quæritur hic*, quorsum Moyses ista petat, cùm haberet ducatum columnæ nubis per diem, & columnæ ignis per noctem. *Inprimis autem Responderi potest*, quòd subsidia divina non excludunt humana; ideoque Moyses potuit hominis illius opem requirere. *Deinde*, quamvis columna nubis præiret ostendens viam qua esset eundum, & indicans locum ubi quiescere & castrametari oporteret, quia tamen Castra Israelitarum per immensum spatium extendebantur, Columna autem soli Tabernaculo certum locum designabat, non poterant ex solius columnæ indicio nosse, quæ loci designati partes magis essent accommodatæ exercitui, quæ aquis tantæ hominum

&

& pecorum multitudini necessariis propinquiores, quæ lignis & pascuis abundarent, quæ ab hostibus magis tutæ, ut illuc irent, quæ minùs securæ, ut eas vitarent. Et propereà ad hæc, & ad alia hujusmodi, utile erat quòd humanum haberent consilium & auxilium. Quocirca, etsi Moyses non indigeret præsentia Hobab, uti nec alicujus alterius hominis ad viam commonstrandam, meritò tamen eam desiderare poterat ut quoad illos fines haberet in vastissimo deserto ductorem. *Quorumdam opinio est*, Moysen ideò apud se retinere voluisse Hobab affinem suum, ut illum à Gentilitate ad veri Dei cultum converteret; eamque rationem valde probabilem judicarem, si hoc tempore Hobab adhuc fuisset cultor Idolorum. Sed consideratis illis quæ de Jethro ipsius Patre diximus Exod. 2. & collatis cum ejusdem libri cap. 18. *Probabilius videtur* quòd Hobab si quandoque idola coluerat, jam tamen non ea, sed Deum verum coleret, tum à Moyse instructus intra illos 40. annos quibus in Madian habitavit cum ejus Patre, tum exemplo Patris qui veri Dei Sacerdos fuit. *Si quis dicat*, Moysen hoc spectasse, ut cognatum suum Hobab in his quæ fidei sunt magis erudiret, ac confirmaret, remotioremque faceret ab Idololatria, vel à relapsu in eam, *valde probabilia* loquetur.

[ ℣. 32. *Cumque nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi.* ] *Ex his* duo documenta possumus elicere. *Prius*, non respuenda, sed audienda & sequenda esse bona consilia, quamvis dentur ab inferioribus, sicut Moyses secutus fuit consilium Jethro Exod. 18. & hic paratus erat sequi consilium ejus filii. Quo modo & Naaman Syrus 4. Reg. 5. secutus fuit monitionem puellæ, ac deinde suorum servorum. *Posterius*, interdum utile esse procurare spiritualem aliorum salutem proposito ipsis commodo temporali, quemadmodum Moyses procurando bonum animæ cognati sui Hobab, proposuit ei temporalia bona quæ esset consecuturus.

[ ℣. 33. *Profecti sunt ergo de monte Domini* ] Idest, de monte Sinai.

[ *Viam trium dierum*, ] *Quidam* ita hæc interpretantur, quòd Israelitæ tribus diebus continuis profecti sunt, & nec nocte quidem quieverint, unde initio cap. seq. leguntur murmurasse propter laborem itineris. *At* neque Scripturæ verba interpretationem istam requirunt, ut & per se patet, & ex 15. Exod. potest intelligi; neque videtur ille esse sensus verborum: Non plus siquidem ea verba important, quàm quòd profecti de monte Sinai, tribus diebus progressi fuerint, antequàm ullo in loco Castra figerent, quamvis in illo trium dierum spatio subinde quiescerent, tum nocte ad somnum, tum die ad cibum capiendum; neque enim naturaliter fieri poterat, quòd non solùm viri, sed etiam mulieres & parvuli cum eorum gregibus progrederentur tribus continuis diebus sine ulla requie; nec ullum est fundamentum dicendi hoc fuisse factum miraculosè; imò eam profectionem non fuisse miraculosam, doceri potest ex eo quòd ortum est murmur populi quasi dolentium pro labore: Si enim profectio fuisset miraculosa, non fuisset causa murmurationis, quia non fuissent ex labore itineris fatigati. *Si dicas*, non fuisse quoque causam istius murmurationis, si non ambulaverint tribus diebus continuis, sed aliquoties per diem & noctem quieverint: *Resp.* ita quidem esse, occasionem tamen murmurandi acceperunt, sive ex eo quòd celeriùs solito progressi fuerint, sive quia nimis tardè venerint ad locum metationis castrorum; hactenus enim tantùm semel contigerat, quòd ambularent tribus diebus, cùm recessissent de mari rubro, nec invenissent aquas Exod. 15.

[ *Arcaque fœderis Domini præcedebat eos, per dies tres providens Castrorum locum.* ] Non est existimandum, quòd Arca trium dierum spatio præcederet Israelitas, etsi quidam ita intellexerint; nam hoc neque verba Scripturæ significant, neque ullam utilitatem attulisset. Non est etiam de aliqua alia Arca intelligendum, in qua reverenter servarentur tabulæ legis quas fregit Moyses Exod. 32. Nullam enim ejusmodi Arcam agnoscit Scriptura, uti nec Sanctorum Patrum Traditio; qui Arcam fœderis Domini semper eam intelligunt quam Moyses jussu Dei fabricari fecit, & in qua reposuit Tabulas integras continentes Decalogum qui erat Testimonium fœderis inter Deum & populum Hebræum initi. Significatur ergo quòd tribus illis diebus quibus Israelitæ proficiscebantur de Monte Sinai usque dum castrametarentur in loco qui ab eventu subsecuto vocatus fuit *Sepulchra concupiscentiæ*; Arca fœderis eos præcederet ad explorandum seu inquirendum, & providendum Castrorum locum, hoc est, locum commodum ad castrametandum. *Neque objiciendum est*, istud fuisse officium columnæ nubis quæ toto itinere dirigebat populum: *Sive* enim dicamus Arcam, *sive* nubis columnam fuisse ducem itineris, perinde est; quia columna incubabat Arcæ, nec Arca movebatur, nisi ad motum columnæ, & sub columna; qui enim Arcam ferebant, columnæ nubis ductum & motum sequebantur. Ordo igitur procedendi Castrorum Hebræorum hic erat. Primò omnium Arca, quam Caathitæ portabant, præibat; quam, ut verisimile est comitabantur Moyses & Aaron, cum Eleazar & Ithamar Sacerdotibus. Deinde, sequebantur Tribus Juda cum Issachar & Zabulon, posteà Gersonitæ, & Meraritæ & alii, prout ad versum 22. diximus. *Quæritur autem*, an sicut Arca fœderis nunc præcessit omnia Castra Hebræorum, ita deinceps ea præcesserit. Et quamvis res sit incerta, pars tamen affirmans videtur probabilior, tum ob eamdem rationem, tum propter ea quæ versibus 35. & 36. habentur.

[ ℣. 34. *Nubes quoque Domini super eos erat per diem cum incederent:* ] *Quidam* hoc intelligunt de columna nubis quæ viam monstrabat; & quæ licèt Castra præiret Arcæ fœderis incubans, dicatur tamen fuisse super Israelitas, quia juxta illos erat, imò & supra quosdam eorum extendebatur. *Alii* non minùs probabiliter intelligunt nubem à Columna nubis diversam quæ non protendebatur in altum instar columnæ, sed in longum latumque extendebatur obumbrans omnia Castra, & totum populum ab æstu & ardore protegens, secundùm ea quæ diximus Exod. 13. Et hæc non minùs quàm columna vocatur *nubes Domini*, partim quoniam ea quæ valde magna sunt dicuntur esse Dei, ut *Cedri Dei*, *Montes Dei*; partim quia dirigebatur à Deo, seu Angelo ut Dei ministro. Dicitur autem quòd *erat super eos per diem cùm incederent*, quamvis idem beneficium eis præstaret, quando quiescebant; quia exprimitur tempus profectionis, & de eo solo nunc agitur.

[ ℣. 35. *Cumque elevaretur Arca*, ] à Caathitis videlicet qui eam portaturi erant, seu eam portare incipiebant. Cùm enim columna nubis quæ in sublimi aere consistens quieverat super Tabernaculum in medio Castrorum, inde moveri inciperet, Aaron & filii ejus intrabant in Tabernaculum, & disponebant ac ligabant omnia quæ per Caathitas erant portanda: Interim verò Gersonitæ & Meraritæ deponebant ipsum Tabernaculum, & posteà assumentes singuli fereoda ea quæ ipsis erant assignata, procedebant versùs vexillum Tribus Juda; Caathitæ autem Arcam velatam suscipiebant, & portabant ad eam partem ubi erat columna nubis, ut cum ea & sub ea moverentur. Et cùm eam elevabant ad portandum.

[ *Dicebat Moyses: Surge Domine*, ] Arca præsentiam Dei significabat; eo quòd Deus ibi responsa dabat, ibique volebat invocari, unde 1. Reg. 4. Israelitæ dicebant; *Afferamus ad nos de Silo Arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostri ut salvet nos*. Et posteà cùm cognovissent Philisthiim quòd Arca Domini venisset in Castra, timuerunt dicentes; *Venit Deus in Castra*. Dicebatur ergo Deus surgere, quando Arca levabatur.

[ *Et dissipentur inimici tui*, ] q. d. Surge Domine & dissipa, disperge & contere hostes nostros, qui etiam sunt inimici tui, quia inimicos populi tibi servientis habes pro inimicis tuis, juxta illud Exod. 23. *Si audieris vocem ejus, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis.*

[ *Et fugiant qui oderunt te, à facie tua.* ] Dicuntur odisse Deum, quia oderant ejus populum. *Fugiant à facie tua*, idest ante te, ante Arcam quæ præsentiam tuam designat, & in qua te specialiter præsentem exhibes. *Abulensis observat* ex istis Moysi verbis

inolevisse in Ecclesia consuetudinem, ut in principiis horarum Canonicarum dicatur, *Deus in adjutorium meum intende*; in quo petimus ut Deus surgat ad adjuvandum nos, sicut Moyses in principio cujusque profectionis Castrorum petebat quòd Deus surgeret ad dissipandum hostes.

[ ℣. 36. *Cum autem deponeretur*, ] Quando Arca de humeris eam portantium deponebatur; quod erat quando videbant columnam nubis non ultrà progredi:

[ *Aiebat: revertere Domine ad multitudinem Exercitus Israel.* ] Alloquebatur Deum speciali modo in Arca præsentem, & petebat, ut sicut in progrediendo præcesserat Castra, ita nunc ad ea rediret; hoc est, ad medium eorum, locus enim Arcæ quando populus quiescebat, & fixa erant Castra, erat in medio Castrorum.

## CAPUT XI.

*Murmuris pœna plexi Judæi coturnicum carnes impetrant: turbatoque Moysi spiritu, Deus illius onus in septuaginta seniores partitur, qui omnes prophetant, punitūrque populus propter carnium concupiscentiam.*

[ ℣. 1. *Interea ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore, contra Dominum*, ] In Hebr. & 70. sic legitur; *Et erat populus murmurans.* Significatur autem quòd dum Israelitæ de monte Sinai proficiscerentur & tertio jam die iter facerent, populus quasi dolens & conquerens de labore itineris, murmurare cœpit quòd tam diu deberent progredi antequam possent Castra figere, & fixi manere in uno loco. Quod murmur erat contra Dominum, quia Dominus erat totius itineris dux, nec columna nubis eos præcedens movebatur nisi ad ipsius nutum. Iniquum autem fuisse hoc murmur, quidam ex eo probant quòd Israelitæ per desertum proficiscendo non fatigabantur, Deo se viribus & infirmitati eorum accommodante; In quam sententiam adduci potest illud Deuteron. 8. *Pes tuus non est subtritus, en quadragesimus annus est.* Sed contra facit, quòd constet eos seu aliquos eorum fuisse aliquando fatigatos: Dicitur enim Deuteron. 25. *Memento quæ fecerit tibi Amalec in via quando egrediebaris ex Ægypto, quomodò occurrerit tibi, & extremos agminis tui qui lassi residebant ceciderit, quando tu eras fame & labore confectus.* Quod autem ex cap. 8. allatum est, non de pedum lassitudine accipi debet, sed de calceorum attritione. Vera igitur ratio cur iniquum fuerit illorum murmur hæc est, quòd Dei tam mirabiliter ipsos ducentis voluntati acquiescere tenebantur; quòdque labor itineris, cùm per diem & noctem requievissent ad naturales necessitates, non tantus fuisset quantùm prætexebant. *His similes sunt*, qui cùm vitæ bonæ cursum alacriter cœperint, vel præteritis deliciis inescati, vel laboris tædio affecti audent contra suos Superiores murmurare.

[ *Quod cum audisset Dominus, iratus est.* ] Juxta morem humanum loquitur de Deo. Cùm enim homines audiunt injuriam sibi fieri, irascuntur, & eam vindicare seu punire volunt, faciuntque si possent. Et sic Deus in præsenti fecit graviter puniens murmuratores.

[ *Et accensus in eos ignis Domini* ] *Ignis Domini* vocatur ignis magnus & à Deo missus, sive de terra eruperit, sive de cœlo sit lapsus, sive subitò ibi enatus.

[ *Devoravit extremam Castrorum partem.* ] Hoc est, extinxit & occidit eos qui erant in extrema parte Castrorum, qui nimirùm tamquam fatigati ex itinere erant in posterioribus.

[ ℣. 2. *Cumque clamasset populus ad Moysen*, ] ejus videlicet tamquam peculiaris amici Dei suffragium implorando. Qui autem sic clamaverunt, partim fuerunt illi quos tametsi de murmure culpabiles ignis nondùm attigerat; partim alii qui ab ea culpa prorsùs immunes, reliquorum infortunium commiserabantur.

[ *Oravit Moyses ad Dominum, & absorptus est ignis.* ] De seipso hic loquitur Moyses in tertia persona, sicut & frequenter aliàs. *Hinc* intelligi potest justorum adhuc in præsenti vita degentium intercessionem & laudabilem & utilem esse, quantò autem magis (etsi id negent Novatores) Sanctorum cum Christo regnantium, quorum Charitas purior est, & auctoritas apud Deum major. Dicitur autem quòd ignis est *absorptus*, quoniam ad preces Moysi fuit extinctus, vel fortassis à terra absorptus.

[ ℣. 3. *Vocavitque nomen loci illius, incensio;* ] Quis vocavit, utrùm Moyses, an populus, an uterque non liquet. Non improbabile est verbum activum positum esse pro passivo, *Et vocatum est nomen loci illius incendium*, quomodo habent 70. Hoc autem factum est juxta morem Hebræis familiarem qui sæpè ab aliquo eventu nomina imponunt. *At dices*, inter mansiones quas Hebræi fecerunt in deserto, nulla est quæ vocetur *Incensio*, vel *Incendium*, & inferiùs cap. 33. ipsi de solitudine Sinai non dicuntur venisse in *Incensionem*, sed in *Sepulchra concupiscentiæ*: quomodo igitur jam dicta possunt subsistere? *Resp.* Duos esse modos hoc explicandi. *Prior est*, nullam esse mansionem quæ vocata fuerit *incensio*, vel *incendium*, quia murmur quod hic narratur, & pœna ignis quæ illud subsecuta est, juxta Cajetanum non contigit Castris in aliquo loco fixis, sed in via, dum die tertio proficiscerentur, & nondum appulissent ad locum ubi erant mansuri: ut proinde nomen *Incensio* sit nomen partis itineris eo triduo confecti, non autem nomen mansionis. *Neque* magni momenti est, quòd quidam opponunt, paulò ante scriptum esse quòd ignis devoravit extremam partem Castrorum, Castra autem non dici de Exercitu progrediente, sed tantùm de quiescente: Nam hoc absque fundamento dicitur; cùm *Castra* non minùs dici possint de acie quæ est in motu, quàm de illa quæ quiescit. Unde supra cap. 4. sermo est de commotione Castrorum versibus 5. & 15. ac rursùm cap. 9. v. 21. cap. 10. v. 2. 13. 22. Et dum Genesis 32. Patriarcha Jacob obviam fuerunt Angeli, quos cùm vidisset dixit, *Castra Dei sunt hæc*, quod non minùs verum est de illis quando movebantur, quàm dum quiescebant. *Posterior* explicandi modus est, quòd & murmur & pœna murmuris acciderit vel fixis Castris, vel dum ea figerentur, atque adeò in mansione decima tertia; ita ut idem locus sit, eademque mansio quæ priùs sortita est nomen *Incensionis*, eò quòd ibi contra populum incensus fuisset ignis Domini; & posteà nomen *Sepulchra Concupiscentiæ*; quia illic sepulti sunt qui cibos inordinatè concupierant. In hanc sententiam scribunt Abulensis, Lorinus, & alii, volentes populum eodem loco bis murmurasse, primò propter laborem itineris, & aliquantò post, propter cibum. Quoniam verò nomen *Sepulchra Concupiscentiæ*: fuit posteriùs indictum, & ob majorem verisimiliter plagam, ideò mansit isti loco.

[ ℣. 4. *Vulgus quippè promiscuum*, ] Per vulgus promiscuum hic quemadmodum & Exod. 12. intelligitur turba Ægyptiorum, vel etiam aliarum nationum omnis ætatis, conditionis & sexus, qui Hebræos de Ægypto exeuntes secuti fuerant. Propter voculam *quippe*, quæ solet esse causalis, & valere idem quòd *enim*, vel *quia*, sunt qui volunt his verbis significari causam præcedentium, quare scilicet Hebræi murmuraverint, & cur igne puniti sint consequenter dicentes idem esse murmur quod breviter v. 1. exprimitur, & posteà latiùs describitur. *Verùm* Lyrani, Abulensis, Marzillæ, & aliorum non paucorum expositio probabilior videtur, non hic reddi causam præcedentium, sed esse diversæ rei narrationem, fuisseque duas diversas murmurationes; *Prima* enim fuit ob laborem itineris, & punita est igne; *Secunda* ob concupiscentiam cibi, & punita est plaga magna nimis. Diversa quoque nomina loco sunt indita, primùm *Incendii*; posteà, *Sepulchrorum Concupiscentiæ*. Adde, tam in Hebr. quàm apud 70. nullam extare particulam quæ indicet præcedentis murmurationis causam adferri, sed tantùm habetur copula *Et*; quæ autem in textu nostro est, *quippè*, intelligi potest posita esse pro *verò*, vel, sicut habet versio Vatabli, pro *porrò*. Conferri possunt Marzilla, Lorinus, & Bonfrerius.

[ *Quod ascenderat cum eis*, ] Hebræis videlicet exeuntibus de Ægypto. Dicitur, *ascenderat*, quia Ægyptus inferiori loco est quàm terra ad quam ibant.

[ *Flagravit desiderio*, ] Ardenter desideravit. Quidam addunt, *carnium*; sed hoc neque est in Hebr. neque apud 70. neque in libris Latinis correctioribus, & propterea meritò fuit à Romanis Correctoribus omissum.

[ Se-

[ *Sedens & flens* , ] Per quod oſtenditur non ſubitum & tranſitorium fuiſſe deſiderium , ſed cum animo protsùs deliberato & obſtinato.

[ *Junctis ſibi pariter filiis Iſrael* , ] Hinc apparet iſtud murmur cœpiſſe ab Ægyptiis, aliarumque gentium colluvie ipſis permixta ; quibus deinde juncti ſunt Iſraelitæ, non tam ſermonis perſuaſione, quàm exemplo & fletu aliorum permoti.

[ *Et ait : Quis dabit nobis ad veſcendum carnes* ? ] *Quæri poteſt*, Quare tam ardenter deſideraverint carnes, cùm haberent diverſorum animalium multitudinem , quibus veſci poterant. *Reſp.* quòd variis ex cauſis. *Prima eſt*, quòd non omnes haberent pecora, vel pecorum abundantiam; cùm ſive inter Iſraelitas, ſive in vulgo promiſcuo , non deeſſent multi vel pauperes , vel communem , & non opulentam vitam agentes . *Secunda*, quòd quantacumque eſſet multitudo pecorum quæ habebant , non poterat tot hominum centenis millibus ſatiandis ſufficere, præſertim cùm aliqua reſervari deberent , tum ad habendam ſobolem in terra promiſſa , tum ad offerenda ſacrificia . *Tertia*, quòd cuperent carnes delicatiores quàm eorum pecorum quæ habebant.

[ ℣. 5. *Recordamur piſcium quos comedebamus in Ægypto gratis:* Hoc eſt , parvo admodùm pretio propter maximam eorum copiam, ex temperatiſſima & ſaluberrima aqua . Quamquàm *probabile* ſit iſtos ſive Ægyptios, ſive Hebræos eis junctos frequenter in Ægypto piſces comediſſe ſine ullo pretio; quia per diverſa Ægypti loca fluit Nilus hinc inde diviſus , piſcibuſque abundans, ſicque veriſimiliter piſcatio fuit quibuſdam in locis communis .

[ *In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones , porrique , & cepe , & alia.* ] *Cucumem* , vel *cucumerem* aliqui faciunt ſpeciem *Melonis* : Alii dicunt eſſe plantam prælongis ſarmentis humi repentibus ac ſeſe in modum vitis diffundentibus, fructu oblongo & flavo , maculis nonnullis diſtincto. Plinius Lib. 19. cap. 5. illum fructum ſcribit duræ eſſe digeſtionis , non tamen inſalubrem . Alii addunt frigidæ eſſe naturæ , vimque habere extinguendi ardorem, & ſolvendi alvum. Videatur Lorinus qui plures auctores adducit . *Pepones* putantur eſſe aliqua alia ſpecies *Melonis* , *Porri* , *cepe* & *alia* communius nota ſunt , & per ea intelligi poſſunt reliqua quæ in hortis plantantur vel ſeruntur . *Si quæras* , quare Deus , ſicut ad ſatiandum appetitum murmurantium dedit eis carnes , non ſimiliter dedit piſces, cucumeres, pepones , porros, cepas , & alia . *Reſp.* quia ſolùm dandum illis erat id ob cujus defectum murmurabant, quodque expetebant; ſolas autem carnes expetebant , & ob ſolum eorum defectum murmurabant . Nam quod dicunt de piſcibus, cucumeribus, & reliquis, non dicunt ea deſiderando , ſed tantùm oſtendendo meliorem eſſe terram Ægypti , in qua ejuſmodi abundabant, quàm deſertum, in quo nihil erat iſtorum ; meliuſque propterea fuiſſe manere in Ægypto , quàm in deſertum iſtud venire . Unde non dicunt ſicut de carnibus , *quis dabit nobis piſces , cucumeres, &c.* ſed, *recordamur piſcium , in mentem veniunt cucumeres , pepones , &c.* Dominus quoque inferius eis reſpondet ; Audivi vos dicere , *quis dabit nobis eſcas carnium ? Benè nobis erat in Ægypto.*

[ ℣.6. *Anima noſtra arida eſt* , ] Anima vel pro homine ponitur, vel pro ejus appetitu. q. d. Nos quaſi exareſcimus & appetitus noſter languet & nauſet , eo quòd nihil viride, nihil ſucculentum comedamus.

[ *Nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri, niſi Man.* ] In Ægypto ſuppetebant plures cibi, iique diverſi generis, quorum tam viſu, quàm guſtu delectari poteramus, & nutriri, faſtidiumque tollere : Nunc autem non alium cibum videmus quàm *Man*. *Ex his* intelligi poteſt , quàm ſit periculoſum habere in ſuo conſortio malos ; & quibus ſunt ſimiles qui ſpiritualia faſtidiunt præ voluptatibus carnalibus quibus fuerunt aſſueti . *Petes* : Cùm *Manna* Hebræis exhiberet omnis ſaporis ſuavitatem , & ad quod quiſque volebat converteretur , Sap. 16. quomodò potuit illis provenire præſens querela , & nauſea ? *Reſp.* Illam provenisse ex eorum malitia . Quorumdam ſiquidem opinio eſt hoc quòd Manna haberet ſuavitatem omnis ſaporis, ita ut ſaperet tamquàm caro , vel tamquàm piſcis , ſecundùm quod unuſquiſque deſiderabat , eſſe accipiendum de juſtis , ſeu de illis qui contra Dei legem non obmurmurabant ; cæteris autem qui tanto Dei beneficio ingrati murmurabant , non ſimiliter ſapuiſſe . Hinc Aug. Lib. 2. Retract. cap. 20. retractans id quod Epiſt. 118. ſcripſerat de Manna, quod unicuique ſecundùm propriam voluntatem in ore ſapiebat ; ait : *Quod tamen fidelibus potuit provenire , non illis adversùs Deum murmuratoribus , qui profectò alias eſcas non deſiderarent, ſi hoc eis ſaperet Manna quod vellent* . Cui quidem opinioni opponitur quòd *Manna* fuiſſe beneficium bonis maliſque commune , conſtet ex 1. ad Cor. 10. quòdque juxta illam opinionem diſcreti fuiſſent apud homines mali à bonis. Sed reſponderi poſſe videtur *Manna* reverà fuiſſe commune bonis & malis ; quoniam & Apoſtolus ait, omnes eamdem eſcam ſpiritualem manducaverunt , etſi non omnes eumdem ejus ſaporem ſemper perceperunt . Per quod ſi mali fuerint cogniti, & à bonis diſcreti , quid mirum? cùm ipſi proprio ſuo murmure ſe proderent, nec Auguſtinus loquatur de quibuſcumque malis , ſed de murmuratoribus adversùs Deum . Alii , quibus non placet dicta opinio, reſpondent querelam & nauſeam murmuratorum non proveniſſe ex nativa dulcedine Mannæ , nec ex tœdio ejuſdem ſemper cibi, utpote qui ad libitum eorum ſaporem variabat ; ſed quia odor , color , forma , tenuitas , & ſimiles aliæ qualitates eædem ſemper perſeverabant in Manna , quarum qualitatum jucunda varietas guſtum allicit, & homines recreat : Unde Gulones , & maximè pueri, pueriſvè in appetendo ſimiles , ſæpè non tam os & ventrem , quàm oculos & manus , & phantaſiam cibo ſaturare cupiunt. Conferri poſſunt Lorinus in lib. Sap. & alii ſuper hunc locum : *Sunt etiam* qui verba iſta Sap. 16. dicta de Manna , *deſerviens uniuſcujuſque voluntati ad quod quiſque volebat, convertebatur*, ſeu ut Græcè ſunt *tranſtemperabatur*, intelligunt per coctionem & conditutam; nam de Manna legitur Exod. 16. *Quæ coquenda ſunt coquite:* ubi Hebræa ſic habent, *quod coctuti eſtis coquite, & quod lixatari eſtis lixate* . Per quæ varia ipſius Mannæ coctio, vel aliorum ciborum cum ipſo ſignificatur , conformiter his quæ mox in præſenti cap. ſequuntur .

[ ℣. 7. *Erat autem Man quaſi ſemen Coriandri ;* ] Quoad videlicet figuram, & quantitatem . Sed quoad colorem , erat

[ *Coloris bdellii*, ] Album videlicet ſicut Exod. 16. exprimitur . Quò facit quòd 70. pro *bdellii* , hìc habent *Chriſtalli*. Vide quæ de bdellio diximus Geneſ. 2. Hebræa ſic præſenti loco ab aliis redduntur: *Oculus ejus ſicut oculus bdellii*, ſed *oculus* pro *colore* ponitur, *potentia* ſcilicet pro *objecto* : Frequens enim eſt Hebræis , habitum vel potentiam dicere , quando ipſius objectum intelligunt. Sic Deus dicitur *amor*, *ſpes*, & *timor* noſter, quia ipſe eſt amoris, ſpei, & timoris noſtri objectum ; ſive , quia ipſe eſt quem amamus, ſperamus, & timemus . Omnibus ergo conſideratis , videtur quòd *Man* erat ſicut parva grana ſaccari, ſed duriora.

[ ℣. 8. *Circuibatque populus*, ] Hoc eſt , diffundebatur & diſpergebatur populus circùm Caſtra . Quoniam enim *Man* non deſcendebat in Caſtra (eo quòd locus caſtrorum eſſet ſordidus , & non mundus) ſed per circuitum caſtrorum Exod. 16. Ideò populus debebat circùm Caſtra diſpergi, ut illud colligeret.

[ *Et colligens illud , frangebat mola ſive terebat in mortario, coquens in olla*, Etſi *Manna* poſſet incoctum comedi , atque ita ſubinde comederetur ; ſolebat tamen coqui poſtquàm fuiſſet fractum ſeu contritum & comminutum.

[ *Et faciens ex eo tortulas ſaporis quaſi panis oleati* . ] Tortulæ vocantur parvi panes vel placentulæ. *Panis oleatus* eſt in cujus Piſtratione oleum eſt admixtum : Ac proinde ſignificatur quòd panes ex Manna confecti haberent ſaporem ſimilem illi quem habet panis ex ſimila & oleo factus, id eſt , valde dulcem . A quo ſenſu non diſcrepat quod Exod. 16. dicitur de Manna: *Guſtus ejus quaſi ſimila cum melle* . Nam panis ex ſimila melli permixta confectus dulcem etiam ac ſuavem

habet saporem: Et utrumque tam olei quàm mellis similæ mixti saporem referebant panes facti de Manna. Atque hic erat sapor Mannæ communis & ordinarius, & velut connaturalis. Magno autem Dei miraculo fiebat, ut vel omnibus, vel saltem legi Dei obedientibus saperet juxta cujusque desiderium, aut simpliciter, aut facta coctione & conditura, secundùm ea quæ superiùs diximus.

[℣. 9. *Cumque descenderet nocte super Castra ros, descendebat pariter & Man.*] Non accipitur ros propriè pro vapore roruiento, sed pro concreto & congelato, seu pro pruina: Ad hoc enim descendebat; ut esset stramentum Mannæ, ne Manna inquinaretur sordibus terræ; Ad hoc autem nihil aut parum profuisset ros propriè dictus, cùm vix sit ab aqua distinctus. Quod dicitur, *super Castra*, idem valet ac juxta locum Castrorum, sive, ut in Exod. habetur, *per circuitum Castrorum*. Ex his intelligi potest Manna fuisse, quid diversum à rore, seu pruina, sicut diximus eod. cap. Exod. 16. Quoniam verò ros & pruina non gignuntur omni tempore, nec omni loco, sed pruina quidem frigidiore, ros autem magis temperato, atque ita in Regionibus calidioribus, quales sunt Arabia & Ægyptus, rarius inveniuntur: Quòd quotidiè per annos 40. ros sive pruina caderet in deserto pro Hebræis, non fuit sine miraculo.

[℣. 10. *Audivit ergo Moyses flentem populum*] In Hebr. & 70. pro *ergo*, habetur copulativa *Et*: neque habet vim illativam, sed solùm conjungit sermonem sequentem præcedenti; perinde ac si diceretur, *audivit autem*. Et quamvis murmur initium sumpserit ab Ægyptiis, similibusque Gentibus, hic tamen sermo est de populo Hebræo qui se illis junxerat ad murmurandum, videtur enim quòd Moyses audivit eum flentem.

[*Per familias, singulos per ostia Tentorii sui*] Soli autem Hebræi erant per familias distincti. Quod dicitur, *singulos* per ostia tentorii sui; de singulis eorum qui murmurabant accipiendum est, non de singulis totius populi: Illos autem singulos flentes audivit Moyses, non prorsùs distinctè, sed confusè, cùm ut bonus Princeps Castra obiret.

[*Iratusque est furor Domini valde.*] q. d. Deus valde est contra populum Israeliticum iratus. Non quòd in eo fuerit aliqua passio vel alteratio, cùm ejus non sit capax: Sed quia verbis & quibusdam signis declaravit apud Moysen se velle istud peccatum graviter punire, sicut & postea fecit. Priùs tamen petitioni populi murmurantis satisfacere voluit, ut gloriæ suæ in primis consuleret, ne videretur ideò populum carnes concupiscentem interemisse, quòd non posset eorum desiderio facere satis, & sic argueretur impotentiæ. Fecit ergo Deus utrumque, & dedit carnes concupitas, ut ostenderet potentiam suam, & punivit inordinatè concupiscentes, ut declararet suam justitiam.

[*Sed & Moysi intolerandares visa est.*] Quòd populus tam mirabiliter de servitute Ægyptiaca liberatus; tantisque beneficiis deinde affectus, ita murmuraret, clamaret, & fleret pro carnibus.

[℣. 11. *Et ait ad Dominum: Cur afflixisti servum tuum?*] Imponendo illi curam talis populi, sic murmurantis & querulantis.

[*Quare non invenio gratiam coram te?*] Invenire gratiam coram aliquo, est favorem ejus obtinere, ipsique esse gratum. Quasi ergo diceret Moyses: Quare favorem illum tuum non consequor, & quare non ita tibi sum acceptus, ut me eximas à cura & gubernatione hujus populi?

[*Et cur imposuisti pondus universi populi hujus super me?*] Pondus vocat curam & officium gubernandi populum. *Unde discimus* quòd in honore Principis & Magistratus pondus sit & onus. *Tantorumque quippe pondera unusquisque sustinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur*, ait S. Greg. Lib. 9. Moral. cap. 13. Ubi etiam notat quòd terræ *Princeps* non incongruè Greco eloquio Βασιλεὺς dicitur, λαὸς enim *populus* interpretatur; atque ita βάσις λαοῦ idem valet quòd *Basis populi*, *quia videlicet ipse super se populum sustinet qui motus illius potestatis pondere fixus regit. Qui enim Subditorum suorum onera tolerat, eo quasi superpositam columnam basis portat.*

[℣. 12. *Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem,*] Velut ejus Mater.

[*Vel genui eam,*] Tamquàm Pater ipsius. Ubi duo Generationis auctores indicantur Mater concipiens, & Pater generans: Ad quos spectat educatio liberorum & cura, & nihil eis desit in victu & amictu, atque ut benè instituantur in moribus.

[*Ut dicas mihi:*] In Hebr. & 70. *Quia dicis mihi.*

[*Porta eos in sinu tuo sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram, &c.*] Piè & paternè fer, suffer, & dirige eos in terram Patribus eorum promissam, sicut nutrix solet infantulum ferre, & dirigere. Ubi Deus ista dixerit Moysi, non exprimitur, dixisse tamen certum est, probabile verò quòd Exod. 19. quando erat in monte cum illo.

[℣. 13. *Unde mihi carnes ut dem tanta multitudini?*] Pater & Mater sive nutrix debet providere filiis de cibo: Etsi quidem essent pauci, conarer eis providere de carnibus quas petunt; sed cùm tanta sit eorum multitudo, unde possum eas pro omnibus illis habere? Hoc non est meæ, imò nec alterius humanæ potentiæ.

[*Flent contra me, dicentes: Da nobis carnes ut comedamus.*] Leguntur supradixisse, *quis dabit nobis ad vescendum carnes?* In quibus nihil videntur petiisse à Moyse: Quia tamen Moyses ita nunc loquitur, credibile est quòd primò quidem sic in generali dixerunt; sed postmodum crescente murmuratione, indignatione & malitia, ad ipsum Moysen verba direxerint dicentes; *Da nobis carnes*, non considerando utrùm hoc esset in ejus potestate, an non: Quomodò Rachel cernens quòd infœcunda esset, dixit marito suo: *Da mihi Liberos*, Genes. 30. Inordinatæ enim & effrœnes appetitiones impellunt ad flagitandum ea quæ naturaliter fieri nequeunt, passione ipsos obnubilante ne hoc advertant.

[℣. 14. *Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi.*] Solus non sufficio eos regere, quia est valdè molestus. Ubi *difficultas est*, quomodo Moyses potuerit conqueri se non posse solum sustinere pondus & gubernationem totius populi, cùm Exod. 18. legatur, ad consilium Jethro, constituisse Principes populi, tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos qui judicabant plebem omni tempore? *Una responsio est*, quòd Moyses erat solus quantùm ad causas spirituales, & quantùm ad causas civiles majores. Nam illis qui in Exod. fuerunt constituti minores tantummodò eæque civiles causæ erant commissæ: Moyses autem tamquàm universalis Princeps & Monarcha solus habebat commissam sibi curam respondendi de spiritualibus, easque explanandi, & judicandi de difficilioribus, etiamsi solùm forent civilia. Unde adjutores qui postmodum ei assignantur, & ad difficiliora & ad spiritualia committuntur; ideò namque donati fuerunt spiritu prophetico, id quod non fuisset opus, si ad civilem tantùm gubernationem & ad minores causas essent deputati; pro spiritualibus autem negotiis, vel necesse erat, vel plurimùm expediens quòd in his initiis eo spiritu donarentur. *Neque refert*, quòd præsens carnium postulatio non pertineret ad negotia spiritualia: Quamvis enim ita sit, tota tamen illa murmuratio procedebat ex infirmitate fidei, & ex minore confidentia in Deum, quæ concernunt res spirituales, ad quas edocendas usui esse poterant qui deinceps deputantur. *Alii respondent* Moysen suis verbis non excludere omne adjutorium hominum, nec velle dicere quòd sit omninò solus, sed loqui sicut solent illi qui idcircò conqueruntur quòd inferiora auxilia penè nulla ipsis videntur, præsertim quando incidunt in eum casum in quo nihil possunt per inferiores juvari; tunc enim onus illud in ipsos solos devolvitur: talis autem erat præsens constitutio & casus Moysi; nam ad carnes in deserto comparandas pro tota multitudine murmurantium, nulli poterant esse ipsi adjutorio.

[℣. 15. *Sin aliter tibi videtur,*] Si tibi non placet quòd liberer ab hoc onere gubernationis, velisque quòd solus illud sustineam.

[*Obsecro ut interficias me,*] Ut morte naturali me hinc auferas, vel tali plaga quæ & tibi placeat, & mihi ad culparum mearum expiationem prosit. Non peccavit Moyses in hac petitione, quia non petiit mori ex impa-

impatientia, vel ex aliqua alia passione inordinata, sed partim ex familiaritate & amicitia quam habebat cum Deo; partim ex zelo Dei, ne deinceps compelleretur videre & audire tot populi injurias contra Deum; partim etiam pertæsus molestiarum quas ferre cogebatur, sed cum perfecta submissione & resignatione in divinam voluntatem. Mortem autem sibi optare cum perfecta ejusmodi resignatione, nullum est peccatum. Huc facit quòd neque hic neque alibi in Scriptura reprehenditur Moyses ob hanc petitionem, sicut infra cap.20. & 27. & Deuteron. 32. reprehensus legitur propter id quod ad aquas contradictionis ei accidit. Imò hic loco reprehensionis consolationem accepit ut patet ex seqq.

[ *Et inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.* ] Et hunc favorem, hocque beneficium à te consequar, ne ampliùs tot molestiis murmurationibus, & sollicitudinibus crucier.

[16. *Et dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel*, ] Duplex fuerat querimonia. *Una* populi desiderantis carnes, *Altera* Moysi conquerentis de onere gubernationis, quòd non posset solus illud sustinere. Et Deus vult quidem utrique satisfacere; priùs tamen Moysi, quia ejus querimonia erat rationabilis, ideoque dat illi adjutores, & non tollit ab eo totum onus, Exod.24. jussi fuerunt septuaginta Senes ex Israel ascendere ad Dominum cum Moyse, non sunt tamen illi de quibus nunc agitur, ut isto cap.24. ostendimus, sed tum ex iis, tum ex aliis delecti nunc fuerunt à Moyse, & à Deo confirmati hi senes, ut lites populi, etiam illas quæ majoris essent momenti deciderent, difficultatesque tum de Religione, tum de variis circa Dei cultum exorituris definirent, etiam sine interventu Moysi, si ipse aliis occupatus non posset esse cum illis.

[ *Quos tu nosti quòd Senes populi sint ac Magistri:* ] Non vult quoslibet ætate provectos eligi, sed tales in quibus cum ætate concurrunt morum gravitas, prudentia, scientia, & experientia. Isti enim vocantur senes populi & Magistri, quoniam populus propter prudentiam, honestam morum conversationem & maturitatem, probatamque experientiam eos veneratur, & ab illis petit consilium. Abulensis q.39. pro eodem ait esse *Senes populi & ejus Magistros*. Quia tamen pro *Magistris* 70. habens *Scribas*, seu *Doctores*, & ex Hebræo alii reddunt *Præfectos*; verisimile est *Magistros* intelligi eos qui aliquo munere docendi & instruendi functi fuerant. *Quæri potest*. Quare horum electio committitur Moysi, & non ipsi populo, sicut Centurionum, & Tribunorum de quibus Exod.18. commissa fuit populo, ut patet Deuteron.1. *Respondet* Dionysius quòd Tribuni ac similes instituebantur ad præsidendum populo in decisione minorum causarum, idcircò à populo sunt electi: Hi autem Septuaginta assumpti sunt ut cooperarentur assarentque Moysi in executione universalis regiminis populi, ipsum populum per consilia, documenta, hortamentaque dirigendo: Idcircò à Moyse sunt electi. *Addi potest* cum Cajetano hanc electionem Moysi commissam, ut ipsi penderent à Moyse, & unitas capitis populi Israel in nullo detrimentum pateretur ex hac provisione. *Quæritur præterea*, quare Deus jussit ut assumerentur viri prudentes & experti, cùm non essent judicaturi secundùm humanam peritiam, sed secundùm spiritum Dei. Ideò enim mox ut electi fuerunt, datus est eis Spiritus Propheticus. *Una responsio est*, quòd isti septuaginta senes aliquando quidem judicaverunt ex spiritu Prophetico, non tamen semper, cùm Spiritus Propheticus non semper eis adesset, sicut patet de Moyse, qui quamvis esset maximus Propheta, interdum non habebat spiritum Propheticum ad respondendum de illis quæ rogabatur, sed debebat Deum consulere, ut supra cap.9. & infra cap.27. & 36. Juxta communem enim Doctrinam de qua cum B. Thom. diximus 2.2.q.171. art.2. Prophetia non est habitus in anima permanenter inhærens, sed inest per modum transeuntis. *Resp.2.* Quòd quemadmodum operatio causæ primæ non excludit operationem causæ secundæ, ita auxilium Dei supernaturale ad regendum & judicandum, cujusmodi est lumen Propheticum, non excludit auxilia naturalia, qualia sunt scientia, prudentia & experientia. *Deinde*, etsi illi septuaginta habuissent spiritum Propheticum semper in eis manentem, non fuisset tamen honestum, quòd qui priùs essent rudes, indocti, & inhonestæ conversationis assumerentur ad illum statum, quia populares videntes eos in statu Prælationis eùm priùs vidissent eosdem rudes & contemptibiles, scandalizarentur & vilipenderent. Quam ob causam, in veteri Lege à sacris ministeriis arcebantur qui maculas aut defectus habebant, de quibus Levit.21. Et, similiter in nova Lege qui alios habent, juxta Cap.*Cum de tua*, & Cap.*Expofuisti* Extra, *de corpore vitiatis*.

*Observant Interpretes*, quòd ad similitudinem horum septuaginta seniorum, deinceps in Republica Hebræorum institutum & continuatum fuerit magnum Collegium sive Concilium totidem personis constans, quod *Sanedrim* vocant; ad quod una cum Summo Pontifice pertinebat omnes magnas difficultates de Lege, de Religione, de Rege, de Propheta, de pace & Bello definire, & à quo non dabatur appellatio. Qui tamen non judicabant ex spiritu Prophetico; sicut illi quos Moyses à Deo jussus elegit; sed ex humana tantùm prudentia. Atque hoc est illud magnum Concilium in quo Christus Dominus Matth.26. & 27. fuit judicatus reus mortis.

[ *Et duces eos ad ostium Tabernaculi fœderis, facies que ibi stare tecum*, ] Non jubetur ducere illos intra Tabernaculum, quia non eis licebat illud ingredi, sed ad ostium Tabernaculi, sive ut Hebræa & Græca reddi etiam possunt, *ad*, vel *circa Tabernaculum*. Hujus *ratio una* fuit, ut locus congrueret spiritui Prophetiæ qui illic Senioribus electis erat communicandus. *Secunda*, ut majori cum Authoritate reciperentur in Judices, dum populus videret eos à Deo vocatos, & quòd non seipsos intrusissent.

[ ℣. 17. *Ut descendam & loquar tibi*: ] Descensurus erat Deus, seu Angelus in Dei persona loquens, eumque repræsentans, columnam nubis in qua erat, quamque movebat ac dirigebat, inclinando usque ad ostium vel introitum Tabernaculi, ut patet ex versu 25. & ibi locuturus Moysi. Erat autem iste descensus, ait Abulensis, ut vox melius audiretur, & ne sonaret de excelso; quia tunc audirent populares qui erant extra Sanctuarium. Potest quoque iste descensus sic intelligi, quòd Deus condescendit, seque accommodat intellectui humano: Sed hic intellectus est *mysticus*, prior autem, *litteralis*.

[ *Et auferam de Spiritu tuo, tradamque eis*; ] *De Spiritu tuo*, id est, de Spiritu qui in te est: Sermo autem est de Spiritu Prophetiæ, quatenùs ipsa complectitur donum, non solùm ad prædicendum futura, sed etiam ad aperiendum & explicandum occulta & obscura, resolvendumque dubia, sive juris & justitiæ, sive Religionis & Cæremoniarum ad eam pertinentium, nec non ad divinas laudes de repentè, & ex impulsu Dei extraordinario, canendas, secundùm ea quæ notavimus 2.2. dicta qu.171. Cùm dicitur *Auferam de spiritu tuo*, non significatur quòd Spiritus quem habebat Moyses esset dividendus, ut partem ejus haberet Moyses, & partem 70. viri; aut quòd Moyses minùs esset habiturus de Spiritu quàm ante haberet. Sed significatur quòd ex eodem Spiritu gratiæ, quo repletus Moyses populum Hebræum regebat, etiam illi septuaginta essent habituri adjutorium ad eumdem populum regendum. Etenim ut notat Estius conformiter aliis interpretibus, *deferre* non hic accipitur sicut quando dicitur Luc.19. *Auferte ab illo Mnam, & date illi qui decem Mnas habet*, sed positum est *auferre* pro *accipere*, vel *sumere*, hoc sensu: Accipiam de spiritu Moysi, & dabo septuaginta viris. Quomodò Dominus de Spiritu S. dicit Joan. 16. *De meo accipiet. Sed esto*, positum est *auferre* pro *accipere*, necdum tamen apparet quomodò Deus acceperit de Spiritu qui erat in Moyse. *Resp.* sermonem esse metaphoricum, eoque significari quòd Deus de illo spiritu acciperet vel sumeret, nimirùm ex donorum suorum Thesauro; quia producturus sit causaturus erat spiritum similem ei quem habebat Moyses, & eum daturus septuaginta viris eodem ferè modo legimus 4. Reg. 2. quòd *requievit spiritus Eliæ super Elisæum*, & Luc. 1. quòd Joannes Baptista præcederet Dominum *in spiritu & virtute Eliæ*: Quæ omnia non aliud volunt, quàm illos accepisse spi-

spiritum similem ei quem habuerat Elias, & quo patrarent similia his quæ Elias fecerat. Non pauci ex Cajetano addunt Deum prædictis verbis voluisse insinuare quòd illi septuaginta viri talem spiritum erant accepturi qualem participarent à spiritu Moysi, si spiritus ille esset sui diffusivus, & similis sui productivus, sicut lux candelæ diffundit lumen suum in diaphano; aut etiam sicut ex una candela multæ aliæ possunt accendi, nihil luminis ei detrahendo.

[*Ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris*:] Ut partem oneris gubernationis populi sustineant, judicando & definiendo causas majoris momenti, etiam illas quæ ad Religionem spectant; atque ita non solus feras pondus regiminis, sed habeas socios & adjutores, cum potestate causas, tametsi difficiliores, terminandi.

[℣. 18. *Populo quoque dices: Sanctificamini: Cras comedetis carnes*. *Sanctificamini*, id est, præparate vos. In quo autem consisteret ista præparatio, non liquet. Juxta Cajetanum, Oleastrum & quosdam alios videtur in eo fuisse posita quòd cessarent à murmuratione, vestimenta lavarent, & abstinerent ab uxoribus, rerumque immundarum contactu, ut sic redderentur idonei ad beneficium à Deo recipiendum. *Nec refert* quòd Exod. 16. ubi receperunt Manna & coturnices, nulla fuerit ab eis præparatio requisita: *Dici enim potest* illam nunc requiri, ne post acceptum beneficium statim fierent ingrati, & murmurarent, sicut ibi fecerant.

[*Ego enim audivi vos dicere: quis dabit nobis escas carnium? Benè nobis erat in Ægypto*.] *Prior* hujus sententiæ pars habetur supra vers. 4. *Posterior* non est in illis terminis expressa, continetur tamen in his quæ leguntur vers. 5. dixisse, nec dubium esse potest quin ita dixerint, quandoquidem hic asseratur.

[*Ut det vobis Dominus carnes, & comedatis*:] Vocula *ut* referenda est ad verbum *Sanctificamini*, quasi diceretur: Sanctificamini, inquam, ut Dominus det vobis carnes quas desideratis.

[℣. 19. *Non uno die, nec duobus &c.* ℣. 20. *Sed usque ad mensem dierum*,] Id est, mense integro, seu cunctis diebus unius mensis.

[*Donec exeat per nares vestras*,] Sicut contingit vomentibus qui cibos indigestos non tantùm per os, sed interdum etiam per nares ejiciunt.

[*Et vertatur in nauseam*.] 70. dicunt, *in choleram*. Oleaster & quidam alii ex Hebræo vertunt, *in dispersionem*. Et omnium sensus unus est: Per integrum mensem dabo vobis carnes in tanta abundantia, ut per os & nares eas evomatis, ac in tantam nauseam vobis vertantur; quòd præ nausea & abominatione illas huc illuc dispergatis.

[*Eo quod repuleritis Dominum*,] *Partim* repellendo seu contemnendo cibum quem mirabiliter vobis dedit, scilicet Manna; *partim* improbando beneficium liberationis de servitute Ægyptiaca: Qui enim repellit munera, præsertim tam singularia, ipsorum quoque munerum largitorem repellit.

[*Qui in medio vestri est*,] Qui est inter vos, paratus succurrere in necessitatibus.

[*Et fleveritis coram eo, dicentes: quare egressi sumus ex Ægypto?*] Dicebantur *flevisse coram Domino*, quia *publicè fleverant*, singuli nimirùm ad ostia tentorii sui; & quia Deus ubique præsens est, omniaque conspicit. Cùm autem dicerent, *quare egressi sumus ex Ægypto*, illos pœnitebat quòd essent egressi, Deumque repellebant qui eduxerat.

[℣. 21. *Et ait Moyses. Sexcenta millia peditum hujus populi sunt*.] *Pedites* intelliguntur Hebræi armati, seu ad arma idonei. Nam peditum ex Ægyptiis aliisque gentibus, itemque mulierum & puerorum & senum ex Hebræis numerus facilè ascendebat ad trigesies centena millia. *Quæri potest*, quomodò Moyses hic dicat, sexcenta millia peditum, cùm cap. 1. inventa fuerint sexcenta tria millia quingenti & quinquaginta, præter Levitas. *Nec respondere potest* eos qui fuerant supra sexcenta millia periisse incendio, de quo hujus capitis initio; quia quot ibi perierint prosùs est incertum. Abulensis, Dionysius, Lorinus *Respondent* hic poni sexcenta millia peditum, non quòd tot essent præcisè, sed quia Moyses non curavit determinare numerum taxatum, eo quòd nihil referebat ad propositum suum. Similis modus aliàs quoque servatur in Sacris Litteris, ut exprimatur major numerus, & reticeatur minor, sicut Genes. 15. ubi dicuntur anni quadringenti, & reticentur quinque: Quomodò etiam solemus dicere septuaginta interpretes, & 70. Christi Discipulos, quamvis essent septuaginta duo *Addi potest*, quòd minor numerus simpliciter positus non excludit majorem.

[*Et tu dicis: Dabo eis esum carnium mense integro?*]

[℣. 22. *Numquid ovium & boum multitudo cadetur, &c.*] Juxta B. Augustinum q. 19. in hunc Librum, & omninò juxta communiorem sententiam, nullius infidelitatis vel diffidentiæ, vel alterius peccati culpandus hìc est Moyses: Quia ejus verba non sunt dubitantis de potentia Dei, aut de adimpletione promissionis ejus, sed admirantis, nec satis valentis comprehendere modum quo ista fieri possent. *Nec refert* quòd inferiùs cap. 20. ferè similia dixit Moyses cum fratre suo Aarone reprehensi fuerint & puniti: *Deus enim* qui scrutator est cordis noverat alia intentione illic esse prolata, quàm hìc; ideoque reprehensionem ibi adhibuit & non hìc. *Qua ratione* etiam interrogatio B. Virginis ad Angelum Luc. 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*, nequaquam meruit reprehensionem, quamvis eam meruerint verba Zachariæ dicentis, *Unde hoc sciam, ego enim sum senex*, quia Deus sciebat quo diverso sensu quisque loqueretur. *Non refert etiam* quòd hæc verba Dei respondentis.

[℣. 23. *Numquid manus Domini invalida est?*] Videantur indicare incredulitatem: Non enim ita est. Verus quippe sensus hic reddi potest, De modo ne sis sollicitus: Mihi non desunt rationes id exequendi, sed non est necesse quòd illas tibi aperiam.

[*Jam nunc videbis utrùm meus sermo opere compleatur*.] 70. & quidam alii reddunt, *si super comprehendet*, vel, *si comprehendet te verbum meum*: Quæ versio etsi quibusdam non placeat, eumdem tamen sensum habere potest cum nostra; hunc scilicet: Si verbum meum, sive res quam promisi comprehendat te, hoc est, tibi contingat & eveniat.

[℣. 24. *Venit igitur Moyses*,] Vocula *igitur*, non habet hìc vim illativæ, sed est continuativa sermonis: Unde tam in Hebræo quàm apud 70. habetur copulativa *Et*: Pro *venit* autem ibidem habetur, *egressus est*, nimirùm de Tabernaculo in quo Dominus ad Moysen locutus fuerat, ut quidam exponunt.

[*Et narravit populo verba Domini*,] Tam quæ dixerat de adjutoribus ipsi dandis, quàm de carnibus.

[*Congregans 70. viros de senibus Israel*,] Alii ex Hebr. legunt, *Et congregavit*. Cùm dicitur *Septuaginta*, ponitur numerus planus & perfectus pro imperfecto: Ut enim ex sequentibus patet, solùm adfuerunt sexaginta octo. *Utrùm* Josue fuerit unus de 70. *quæri potest*. Sed *Responsio Negativa* verisimilior est, *tum* quòd necdum computaretur inter Senes populi, quamvis esset justæ ætatis, sed adhuc erat Minister Moysi, quemadmodùm hìc dicitur: *Tum* quòd si ipse fuisset unus de numero, non tam æmulatus esset pro Moyse, quàm pro seipso.

[℣. 25. *Descenditque Dominus per nubem*,] Id est, per columnam nubis; toto enim tempore quo Castra manebant fixa, illa columna erat super Tabernaculum: Et cùm Deus vellet loqui Moysi, ea columna inclinabatur ad ostium Tabernaculi, ibique cum ipso loquebatur.

[*Et locutus est ad eum*,] Scilicet Moysen. Quid locutus fuerit, non omninò constat, admodùm tamen probabile est ea locutum esse quæ ad officium illorum septuaginta spectabant.

[*Auferens de spiritu qui erat in Moyse, & dans 70. viris*.] Hoc est. Ex Thesauro donorum suorum sumens de spiritu qui erat in Moyse, sive, producens spiritum similem ei quem Moyses habebat, eumdem scilicet specie, & dans illum 70. viris, ut illo præditi possent populum regere, & eadem facere quæ Moyses eo donatus faciebat.

[*Cumque requievisset in eis spiritus, Prophetaverunt*,] *Prophetasse dicuntur*, quia de repentè quædam abscon-

abscondita enuntiare cœperunt, & laudes divinas miro, & prorsùs inusitato modo canere, quomodo & Saul prophetasse dicitur 1. Reg. 10. *Qua autem ratione* spiritus Propheticus, de quo agitur, in illis requieverit, cùm Prophetia non sit donum permanens, aut qualitas aliqua permanenter inhærens, *si quæratur*: *Dici potest*, quòd donans eis lumen propheticum, simul contulit habituale donum sapientiæ & prudentiæ ad regendum populum; eosque constituit in illo officio, ratione cujus daret eis lumen Prophetiæ quoties opus esset.

[ *Nec ultra cessaverunt*. ] Nimirùm Prophetare: Non quòd semper & continuò actualiter prophetaverint, sed quia semper manserunt Prophetæ in actu primo, non quidem ratione alicujus habitus Prophetici, sed quòd ratione deputationis divinæ ad hos prophetandi actus subinde rediret spiritus propheticus. 70. longè aliter hic legunt, scilicet; *& non ultra adjecerunt*, quemadmodùm etiam non pauci alii ex Hebræo reddunt: Quasi significetur quòd illo die prophetaverint, & minimè posteà. Quæ quidem expositio nequaquàm est admittenda, cùm non sit verisimile spiritum ad regimen populi, quod per annos plures erat duraturum, pro uno tantùm die illos accepisse. *Sunt qui dicant* verbum Hebræum esse æquivocum, & significare hæc duo, *cessare*, & *adjicere*, seu *addere*; nostrum autem interpretem secutum esse priorem significationem tamquàm præsenti loco convenientiorem. *Potest etiam* utraque versio verificari, dicendo quòd non cessaverint prophetare, quia spiritus propheticus eis aderat, quoties ad multitudinis bonum conferebat, & tamen *non addiderint Prophetare*, quia deinceps non prophetaverunt illo miro & inusitato modo, quo prima vice prophetaverant.

[ ℣. 26. *Remanserant autem in Castris duo viri, quorum unus vocabatur Eldad, & alter Medad*, ] De his scribit B. Hieron. Epist. 127. Mansione 13. quòd remanserint non imperii negligentes, sed humilitate submissi, dum se honore arbitrantur indignos. Eademque est sententia Glossæ, Lirani, Dionysii & communis aliorum, qui etiam observant quòd Deus eorum humilitatem gratam habuit, eisque sicut aliis donum Prophetiæ contulit, juxta id quod sequitur.

[ *Super quos requievit Spiritus*. ] Eo scilicet sensu, quem superiore versu dedimus. *Ex quo* possumus colligere eos qui humiliter indignos se reputant officiis & dignitatibus, non idcircò tales esse reputandos, sed potius assumendos esse, si habeant qualitates requisitas. Huic simile quiddam est, quòd Thomas Apostolus eumdem spiritum absens accepit, quem reliqui Apostoli acceperunt præsentes Joan. 20. juxta S. Cyrill. Alex. lib. 12. in Joan. cap. 56.

[ *Nam & ipsi descripti fuerant*, ] inter electos à Moyse.

[ ℣. 27. *Cumque prophetarent in Castris*, ] Subito & insolito modo in laudes Dei erumpentes, ac etiam abscondita quædam enuntiantes.

[ *Cucurrit puer, & nunciavit Moysi*, ] Quis fuerit ille puer, ignoratur; nec operæ pretium est quærere. In nullo tamen est culpandus, quia solùm retulit quid novi accidisset, meritòque potuit existimare Moysen ea de re monendum esse.

[ ℣. 28. *Statimque Josue filius Nun, Minister Moysi, & electus è pluribus*: ] Ex illis qui Moysi famulabantur selectus, maximèque intimus, & familiaris.

[ *Domine mi Moyses, prohibe eos*. ] *Quidam ajunt* Josue ista dixisse ex quadam invidia, veritum ne Moysi, quem multùm amabat, gloria & authoritas inde minueretur, quòd illi prophetarent in castris; *addunt tamen* culpam fuisse levem, cùm non pro se invideret, sed pro suo Magistro. *Cæterùm*, etsi à Sanctis viris non sit nec esse omnes leves culpas amovere, cùm ipsi non semper careant peccatis venialibus, nihil tamen urget ad culpandum Josue in hoc facto: Et ideò Cyrilli Alex. dicto cap. 56. Theodoreti super Numeros, & quorumdam aliorum sententiæ assentimur, qui negant Josue veram hic habuisse invidiam. Non enim istis duobus invidit bonum quod habebant, neque ipsos judicavit illo bono indignos, sed veritus est, *tum* ne authoritas Moysi minueretur, & vilesceret; unde damnum in regimine populi nasceretur: *Tum* ne aliqua seditio excitaretur. *Duo hic quæri possunt*. *Prius*, quomodò Josue dixerit Moysi de Prophetantibus, *prohibe eos*, cùm Prophetia non sit in potestate hominum. *Resp.* Etsi non sit in illorum potestate habere donum prophetiæ, aut accipere divinam revelationem quando voluerint, in eorum tamen potestate est, illa quæ ipsis revelata sunt tacere, vel enuntiare, secundùm quod fuerit opportunum, & rationi consentaneum, Apostolo 1. ad Cor. 14. scribente quòd *spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt*. *Posterius*, cur Josue petierit istos duos prohiberi prophetare, & non similiter reliquos. *Resp.* quia satis apparebat quòd reliqui prophetabant ex voluntate Moysi, & quodammodò dependenter ab illo, quia ipsos duxerat ad ostium Tabernaculi, & ibi Deo præsentaverat: Hi autem duo cùm illuc non venissent, sed mansissent in Castris, non videbantur prophetare ex voluntate Moysi, sed prorsùs independenter ab illo.

[ ℣. 29. *At ille: quid, inquit, æmularis pro me?* ] Non est necessarium æmulationem istam accipere pro vera invidia, sed per eam intelligi potest metus, ne ex illorum prophetatione qua videri possent pares Moysi, nec eam ullo modo debere Moysi acceptam, aliquid ejus authoritati decederet, unde plebi detrimentum sequeretur.

[ *Quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum?* ] Non interrogantis hæc sunt, sed optantis ut Spiritum Propheticum det Deus omni populo. *Et hoc exemplum* imitari debent Prælati, Doctores, & Concionatores, ut non suam, sed Dei gloriam quærant. *At quæres*, Quomodò hoc rectè optat Moyses, cùm Paulus 1. ad Cor. 12. illud. *Numquid omnes Prophetæ*, proferat velut absurdum, sic enim frustra esset donum Prophetiæ, quia non essent quibus prophetarent. *Resp.* Non idcircò defuturos quibus prophetarent, quia non omnes Prophetæ omnia prænoscunt, & sic ea quæ sibi essent revelata, & non aliis, possent prophetare aliis. *Resp. præterea cùm Estio*, Moysen non absolutè optasse ut omnes essent Prophetæ, sed tantùm voluisse, quòd suæ personæ dignitas non obstabat quò minùs omnes prophetarent: Q. d. quod ad meam personam attinet, facilè patior, atque etiam opto gratiam prophetiæ quæ in me est, omnibus esse communem, nec volo quemquam ab ea prohiberi mei causa.

[ ℣. 30. *Reversusque est Moyses, & Majores natu Israel in Castra*. ] Hi Majores natu, sive seniores, sunt illi Septuaginta qui cum Moyse fuerant ad ostium Tabernaculi, ex quo nunc redierunt in Castra, singuli nimirùm ad domestica & propria sua Tabernacula.

[ ℣. 31. *Ventus autem egrediens à Domino*, ] Recenter & subitò præter naturæ ordinem à Deo missus.

[ *Arreptans trans mare coturnices detulit*, ] In locum participii passivi, *arreptas*, quod est in aliis libris, Correctores substituerunt activum, *arreptans*. Hoc est, abripiens trans mare rubrum, apud quòd in desertis Arabiæ magna solet esse coturnicum abundantia, coturnices detulit.

[ *Et demisit in Castra* ] Ita legendum *demisit*, seu dejecit, non *dimisit*. Ubi *notandum* quòd ventus Angelorum ministerio Coturnices detulerit, ac in Hebræorum Castra dejecerit; non sic quidem, ut tot Angelorum opera fuerit adhibita, quot erant coturnices, etsi quidam ita voluerint, sed unus Angelus illas omnes adduxit quæ erant intra Sphæram suæ activitatis, etsi essent discontinuæ, & sic alii. Cùm enim homo simul movere possit plura, tametsi discontinua, multò magis Angelus. Pro *Coturnices*, græcè est *Ortygometram*, sicut etiam Sap. 16. & 19. latinè: De qua voce diximus Exod. 16. quòd significet Coturnicum ducem vel Matrem; ponitur autem pro coturnicum multitudine. Cæterùm, cur

He-

Hebræis carnes petentibus coturnices potiùs dederit quàm vel alias aves, vel pecora, rationem dedimus eod. cap. Exod. Ubi alia coturnicum missio describitur quæ contigit in mansione 8. cùm hæc acciderit in mansione 13.

[ *Itinere quantum uno die confici potest, ex omni parte Castrorum per circuitum,* ] Significatur quòd Coturnices in tam magna copia missæ sunt, ut undequaque circa Castra occuparent tantum spatium viæ, quantùm uno die potest confici. Unde Psalm. 77. dicitur quòd pluit super eos sicut pulverem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata.

[ *Volabantque in aere duobus cubitis altitudine super terram.* ] Non altiùs, ut facilè possent ab unoquoque capi.

[ V. 32. *Surgens ergo populus toto die illo, & nocte, ac die altero, congregavit* ] Tam justus quàm impius; beneficium enim erat generale, omnibusque commune; & quamvis occasione murmuris datum esset, non erat tamen peccatum illo uti: Sicut etiam manna ob murmur datum fuit Exod. 16. ac nihilominùs licuit omnibus de illo edere.

[ *Coturnicum,* ] Quidam addunt *multitudinem*, sed ea vox neque in Hebræis codicibus habetur, neque in Græcis; nec est necessaria, quia genitivus *Coturnicum* regitur à *Coros*, sequitur enim.

[ *Qui parum, decem coros:* ] Et sensus est, quòd Coturnicum aliqui plus collegerunt, alii minùs; & qui minimùm collegerunt, habuerunt earum decem coros. *Coros* autem, juxta S. Epiphanium Lib. de Mensuris, continet triginta modios, atque ita decem Cori, sunt modii trecenti; & modius apud Hebræos viginti duos sextarios complectitur, sextarius verò viginti uncias. Sed quoniam mensurarum quantitas pro locorum & temporum varietate valdè varia est, & fuit semper, non hic immorandum. *Si quæras*, quare non sit factum de Coturnicibus sicut de Manna, ut qui plus collegerant, non haberent plus quàm qui parùm; & qui parùm nihil minùs quàm qui multùm. *Resp.* Rationem hanc reddi ab Abulense quæst. 77. quòd cùm Hebræi essent voraces, majores & potentiores ipsorum conarentur accipere totum manna, nihil permittentes minoribus, si non fuisset illa æqualitas, indeque ortæ fuissent quotidianæ contentiones. In coturnicibus autem non erat ejusmodi periculum, quia non dabantur in cibum quotidianum, sed præter primam missionem: hac tantùm vice; pro una autem vice non erat periculum contentionis.

[ *Et siccaverunt eas per gyrum Castrorum:* ] In Hebræo, *Expandendo expanderunt*, scilicet siccandi causa, ut eas asservarent in futurum, ne putrescerent: Nam per mensem integrum eas comederunt. Dicitur per *gyrum Castrorum*, quoniam intra Castra non poterant convenienter siccari; cùm ad hoc opus esset maxima latitudine, sicut ipsæ erant in maximo numero.

[ V. 33. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum;* ] Ps. 77. dicitur, *Adhuc esca*, nimirùm carnium, [ *eorum erant in ore ipsorum.* ]

[ *Nec defecerat hujuscemodi cibus:* ] q. d. Semper comedebant de istis carnibus eo cibo continuè utentes; imò illæ carnes adhuc erant inter dentes eorum, nec deerat ipsarum copia; Deus enim pro mense integro dederat eis, & iste mensis necdum totus transierat, quando venit punitio.

[ *Et ecce furor Domini concitatus in populum,* ] Hoc est, Deus furore incensus, habens nimirùm se quoad affectum instar hominis admodùm ira succensi. Versu quidem 10. describitur valdè iratus fuisse in principio quando petiverunt carnes, sed tunc solùm declaravit quòd punire vellet murmuratores: at nunc actualiter cœpit punire, & gravem vindictam sumere; in fine videlicet mensis, quo integro carnes eis dare promiserat.

[ *Percussit eum plaga magna nimis;* ] Sive, valdè magna. Qualis fuerit, incertum est, certum tamen multos interiisse.

[ V. 34. *Vocatusque est ille locus, sepulchra concupiscentiæ:* ] Cujus ratio mox sequitur:

[ *Ibi enim sepelierunt populum qui desideraverat.* ] Non est addendum, *carnes*; cùm hoc neque sit in Hebræo, neque apud 70. multòque minùs legendum, *populum quem percussit Dominus quia desideraverat carnes.* Ex hoc autem quòd ibi sepultus esse dicitur populus *qui desideraverat* non verò populus *qui comederat*, promptum est intelligere eos qui beneficio occasione murmuris dato potiti comederant, sed non murmuraverant, à plaga fuisse immunes. *Per hoc, porrò* quòd Hebræi fastidientes panem cœlestem, id est manna, carnes desideraverant, & citò puniti sunt, docemur post cœlestem doctrinam & spiritualem vitam non desiderare carnales sæculi voluptates, ne alioquin graviter puniamur, & simus sepulchra dealbata, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia.

[ *Venerunt in Haseroth,* ] In partem Eremi sic vocatam.

[ *Et manserunt ibi.* ] Hæc fuit Mansio 14. in qua ut minimum octo diebus quieverunt: Aaron enim & Maria, illic contra Moysen murmuraverunt, & Maria percussa fuit lepra, mansitque leprosa septem diebus, & in illis Castra non fuerunt mota, ut patet ex fine cap. seq.

## CAPUT XII.

*Aaron & Maria in mitissimum Moysen murmurant, apud quos Deus Moysen laudat à familiaritate erga Dominum: Maria lepra percussa, & septem diebus à populo separata, sanitati restituitur.*

[ V. 2. LOcutusque est Maria & Aaron contra Moysen ] Cur Maria nominetur ante Aaronem *una ratio* esse potest, quòd non habetur hic ratio dignitatis, sed nativitatis; Maria autem erat senior Aarone septem vel octo annis. S. Isidorus Pelusiota Lib. 3. Epist. 152. *aliam causam* reddit, nimirùm quòd in peccando Maria fuerit prima, & Aaronem in id induxerit.

[ *Propter uxorem ejus Æthiopissam.* ] Nonnulli volunt Moysen duas habuisse uxores; unam filiam Raguelis seu Jethro, quæ vocabatur Sephora; aliam Æthiopissam quam *Tharbam* filiam Regis Æthiopum cognominant. Sed cùm asserendæ hujus secundæ uxoris nullum sit fundamentum, omninò dicendum est cum Sancto Augustino, & aliis Sephoram esse quæ hic vocatur æthiopissa, quia erat Madianitis: Madianitæ autem vocantur æthiopes. Duplex enim est æthiopia, *una Occidentalis* in Africa, multùm distans à Palæstina; *altera Orientalis* in Arabia quæ est Palæstinæ vicina, & habitata fuit à diversis populis, ac inter cæteros à Madianitis. Et de hac sermo est Habacuc 3. cùm dicitur. *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.* Nam Propheta utramque connectit Æthiopiam & Madian, tamquàm Regiones vel easdem vel connexas; Illic autem agi de Regionibus Arabiæ, indicant pelles seu Tabernacula de pellibus quæ Arabibus arti Pastoritiæ deditis, suasque sedes frequenter mutantibus erant familiaria. Similiter 2. Paralip. 14. cùm Asa Regem Æthiopum vicit & persecutus est, oportet illos Æthiopes fuisse vicinos Palæstinæ, seu Judææ, cujusmodi erant Madianitæ & Arabes, cum nullo modo sit verisimile Æthiopes Africanos plurimùm à Judæa remotos bellum Judæis intulisse. His consentit August. quæst. 20. super hunc Lib. *Quæritur autem*, quæ fuerit causa murmuris contra Moysen propter uxorem ejus Æthiopissam. Inter varias quæ adferri solent, ea videtur verisimilior quam Abulensis quæst. 8. probat, & non pauci alii post eum; quòd dum Aaron, Maria, & Sephora, ut erant propinqui & familiares, simul colloquerentur, accidit ut Sephora muliebriter extolleret seipsam supra Mariam propter dignitatem viri sui in

eo

eo conſiſtentem, quòd ipſe cum Deo loquebatur: ob quod indignata Maria, & cum ipſa Frares ejus Aaron, vel eam ſequens, vel etiam ab ea ioductus, contenderoot Moyſen non eſſe ipſis excellentiorem, dicentes quòd & cum eis loqueretur Deus ſicut cum Moyſe. Rationem hanc ſuadet, quòd Deus Mariam & Aaronem teprehendens, Moyſen præfert omnibus in ratione prophetandi, neque quidquam affert de abſtinentia ab uſu conjngii, quam nonoulli volunt fuiſſe cauſam murmurationis; uti nec de Æthiopiſſa in uxorem ducta, quod alii dicunt fuiſſe objectum.

[ ℣. 2. *Et dixerunt: Num per ſolum Moyſen locutus eſt Dominus? nonnè & nobis ſimiliter eſt locutus?* ] Verba ſunt Mariæ & Aaronis, non ſine nota ſuperbiæ, volentium ſe æquare Moyſi: ad quæ tameo Moyſes nihil reſpondit, ſed Deus, ſeu Angelus io perſona Dei pro ipſo.

[ *Quod cùm audiſſet Dominus.* ] Sequitur in pleriſque Libris, *iratus eſt*, quòd neque habetur in Hebr. neque apud 70. Ideoque Correctores meritò omiſerunt, cenſueruntque ſententiam eſſe perficiendam illis verbis quarti verſus, *ſtatim locutus eſt ad eum*, incluſis parentheſi verbis iotermediis, *erat enim Moyſes &c.*

[ ℣. 3. *Erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terra.* ] q. d. Quia Moyſes erat vir mitiſſimus omnium hominuin iſtius temporis, Mariæ & Aaroni cootra ipſum ioquentibus non reſpoodit. Hoc ioco utuntur qui librum iſtum nolunt à Moyſe ſcriptum fuiſſe, eò quòd non ſit veriſimile Moyſeo, utporè modeſtum & humilem, ſic in laudem ſuam ſcripſiſſe. Sed in promptu eſt *Reſponſio*, Moyſen iſta ſcripſiſſe nonſponte, ſeu motu proprio, verùm à Spiritu Sancto inſpiratum, motum & directum, ſicut David Pſalm. 131. de ſeipſo dicit; *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus*. Et quemadmodum S. Joannes ſe vocat Diſcipulum *quem diligebat JESUS*, Joan. 13. & 21. & ſua encomia receoſet Apoſtolus. 2. ad Cor. 11.

[ ℣. 4. *Statim locutus eſt ad eum, & ad Aaron & Mariam:* ] Servatur nunc ordo dignitatis, nominato Moyſe ante alios, & Aarone ante Mariam. Cùm autem ut primùm Deus murmurationem audivit, ſine mora vindicandum ſervum ſuum, qoi præ admodum magna ſua manſuetudine propriam injuriam diſſimulaturus erat, decreverit; obſervatione digna eſt ſingularis Dei cura in defeodendo ſine cunctatione mites ſeu manſuctos, & in non differenda correptione peccantium.

[ *Egredimini vos tantùm tres ad Tabernaculum fœderis.* ] Aaronis & Mariæ honori conſultum voluit Deus, ut neque Pontificem, neque prophetiſſam publicè reprehenderet, onde ipſi venirent in contemptum. Hinc Liranus colligit non imponi Sacerdotibus publicam pœnitentiam, conformiter ſcilicet Canoni *Confirmandum*, & Canoni *Illud* Diſt. 50. & Capitulo *Quæſitum*, tit. *de Pœnitentiis*. Jubentur aotem ire verſus Tabernaculum fœderis, eo oimitum tempore quo non erat illuc populi coocurſus; quia locus ille, utpotè ſacer, erat conveoiens ad ſermonem Dei excipiendum.

[ *Cumque fuiſſent egreſſi*, ] Sive, cùm Moyſes, Aaroo, & Maria, quemadmodum juſſi fuerunt, una perrexiſſent verſus Tabernaculum:

[ ℣. 5. *Deſcendit Dominus in columna nubis.* ] Ut vox non ſonaret de alto, ſicque audiretur à multis, ſed audiretur ſolùm ab illis ad quos dirigebatur.

[ *Et ſtetit in introitu Tabernaculi* ] Sive, ad oſtium Tabernaculi, ut 70. & alii vertunt ex Hebræo.

[ *Vocans Aaron & Mariam.* ] Priùs vocavit Moyſen cum illis, partim ne ipſi inſoleſcerent ſi ſoli vocarentur abſque Moyſe; partim ut poſt increpatiooem & pœnam inflictam, Moyſes ſtatim rogaretur ut deprecator. Nuoc tamen ſolùm duo vocantur, ut Moyſes nonnihil abeſſet ab eis, & non audiret ea quæ in ipſius laudem Deus erat dicturus.

[ *Qui cùm iſſent*, ] Aliquaotò propiùs accedentes, & à Moyſe recedentes.

[ ℣. 6. *Dixit ad eos: audite ſermones meos: Si quis fuerit inter vos Propheta Domini*, ] Superiorem Aaronis & Mariæ gloriatiooem dicentium, *nonnè & nobis ſimiliter eſt locutus*, reprimit Deus ex diverſitate quæ eſt inter Moyſen & ipſos aliosque Prophetas. Quòd aliis apparet in viſione, ſive imaginaria, ſive intellectuali, vel in raptu, imprimendo ſcilicet ipſis vigilantibus figuras ſeu ſpecies eorum quæ vult ab eis cognoſci, ſine ulla locutione: aut in ſomno illis quando dormiunt dando cognitionem rerum occultarum.

[ ℣. 7. *At non talis ſervus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt:* ] *In omni*, hoc eſt, *in tota*. *Domum ſuam* vocat Deus populum Hebræum, non ſolùm hic, ſed etiam Jerem. 12. *Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam*. Et Zach. 3. *Tu quoque judicabis domum meam*; idque ob ſpeciale dominium quod Deus in iſto populo exercebat, & propter particularem curam & providentiam quam de eo habebat, juxta illud Deuter. 7. *Te elegit Dominus Deus tuus; ut ſis ei populus peculiaris &c.*

[ ℣. 8. *Ore enim ad os loquor ei:* ] q. d. Moyſes non eſt ſicut reliqui Prophetæ; non enim ipſi appareo ſolùm in viſione, neque ipſi loquor tantùm in ſomnio, ſed valdè familiariter loquor cum eo, voce nimirùm audibili & intelligibili, ſicut amicus loqui ſolet cum amico, & præſens cum præſente; hoc enim eſt *ore ad os*, ac etiam, *facie ad faciem* loqui, ſecundùm ea quæ diximus ad caput 33. Exod. & 1. p. q. 12. art. 11.

[ *Et palam, & non per Ænigmata & figuras Dominum videt.* ] Et Dominum, id eſt Angelum Domini perſonam gerentem apertè videt, non verò per Ænigmata & figuras, id eſt, non per obſcuras figuras & ſimilitudines. Non negat Deum etiam quibuſdam aliis aliquando fuiſſe viſum in forma corporea, & collocutum; ut Abrahæ Geneſ. 17. & 18. Jacob Geneſ. 32. Gedeoni Judicum 6. Manue Judic. 13. ſed ab aliis ſolùm removet id quod Moyſi tribuit, ſcilicet, *ordinariè* ſic Deum videre, & cum eo familiariter colloqui. *Ex his* intelligi poteſt, nihil hic haberi ad efficaciter concludendum quòd Moyſes viderit divinam eſſentiam, qua de re plura diſſeruimus dicto art. 11.

[ *Quarè ergo:* ] Cùm Moyſes talis & tantus ſit, tamquè præ omnibus aliis Prophetis excellat.

[ *Quare ergo non timuiſtis detrahere ſervo meo Moyſi?* ] Vos, qui minores eſtis, ipſi adæquando, ejuſque famam minuendo.

[ ℣. 9. *Iratuſque contra eos, abiit:* ] Paratus pœnam inferre diſparuit, nullo expectato reſponſo inſtar hominis vehementer irati, quam poſt querelam verbis duris expoſitam, excandeſcentia non ſinit ullam reſponſionem auſcultare.

[ ℣. 10. *Nubes quoque receſſit quæ erat ſuper Tabernaculum:* ] Cùm Caſtra non fuerint jam mota, quæ tamen moveri debebant nube recedente de Tabernaculo, non ſignificatur quòd nubes de Tabernaculo receſſerit: Sed quòd quæ ſolebat eſſe ſuper Tabernaculum toto eo tempore quo Caſtra quieſcebant, & quæ paulò ante inde deſcenderat ad oſtium Tabernaculi, ut Angelus qui in illa erat, illamque regebat, ibi loqueretur Aaroni & Mariæ, nunc finita locutione, de oſtio illo receſſit, inde aſcendens ad locum priſtinum ſuper Tabernaculum.

[ *Et ecce* ] Statim ut nubes receſſit.

[ *Maria apparuit candens lepra quaſi nix.* ] Naturali colore carnis murato in candorem lucentem ex interna humorum corruptione, qui *Albor* vocari ſolet. *Ex iſta pœna* licet diſcere quàm diſpliceat Deo murmur & detractio contra Principes & Magiſtratus. *Generaliter* autem contra peccatum detractionis dicit David Pſalm. 100. *Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar*. Et Salomon Proverbior. 4. *Detrahentia labia ſint procul à te*. Et cap.

2. *Abo-*

2. *Abominatio hominum detractor*. Rursùs Ecclesiastæ 10. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minùs habet, qui occultè detrahit*. Et Apostolus ad Rom. 1. Detractores cum magnis peccatoribus numerat, quemadmodùm & 2. ad Cor. 12. Quoniam verò non sola Maria murmuravit contra Moysen, sed etiam Aaron, *Quæritur* qnare ipse non fuerit percussus lepra sicut Maria. *Resp.* diversas causas afferri. *Prima est*, quia peccatum Aaronis fuit minus quàm Mariæ; Nam hæc prima fuit & principalis in murmurando contra Moysen, quam deinde secutus est Aaron, & quidem verisimiliter ab ea inductus. *Secunda*, quia dedecebat Pontificem lepra fœdari, cùm in illo requireretur maxima munditia; in tantùm, quòd non permitteretur lugere mortuor, ne quidem Patrem & Matrem, Levit. 21. *Neque tamen* mansit omninò impunitus, cùm gravis ei pœna fuerit durè à Deo increpari, & ob peccatum, cujus ipse quoque erat reus, videre sororem fœda lepra percussam. *Deinde*, quamvis Aaron æquè peccasset ac Maria, fieri tamen poterat, salva justitia, quòd non eadem pœna infligeretur Aaroni; quia non semper infligenda est omnibus eadem pœna pro eodem peccato: Nam Episcopus & Presbyter pro eodem delicto minùs secundùm quantitatem puniuntur quam Diaconus, cùm Episcopus venator tribus mensibus, Presbyter duobus à communione suspenduntur, Diaconus autem ab omni officio, idque juxta Glossam cap. *Episcopum* de Cleric. Venat. quia major pœna secundùm quantitatem reputatur minor in eo qui est minoris conditionis, & minor pœna secundùm quantitatem reputatur major in eo qui est majoris status seu conditionis, Aaron autem, cum esset Summus Pontifex, erat maximæ dignitatis, non verò Maria.

[ *Cumque respexisset eam Aaron, & vidisset perfusam lepra*, ] Aberat Moyses, non tamen valdè longè: hinc est quòd lepram Mariæ non tam citò advertit, quàm Aaron. Non est autem dubium quin Aaron videns suam sororem sic lepra percussam, magno dolore pro ipsa fuerit actus, & non minori timore pro seipso perculsus, ne vel eamdem, vel aliam etiam majorem pœnam Deus ei infligeret.

[ ℣. 11. *Ait ad Moysen*: ] Sorori compatiens simulque sibi metuens, ex confidentia incredibilis mansuetudinis Fratris, quem uterque læserat, & cujus injuriam Deus tam severè vindicabat, ad eum recurrit, non ignarus ejus intercessionem plurimum valere apud Deum. Maria non est ausa Fratrem Moysen interpellare præ magnitudine doloris & pudoris tum de sua plaga, tum de culpa in illum commissa. Aaronem quoque ingens pavor & mens lugubris non sinebat preces ad Deum immediatè facere, nec pro sorore, quia ipse eadem culpa tenebatur, nec pro se, quoniam aliena potius intercessione indigebat.

[ *Obsecro, Domine mi*, ] Ita etiam 70. qui pro *obsecro*, habent *precor*, fateturque Oleaster omnes interpretes voculam Hebræam *bi* vertere per *quæso*; quia tamen addit propriam ejus significationem esse, *in me*, sicque verti posse, *in me Domine*; dicendum est non esse hunc sensum, in me sit culpa hujus sceleris; nam hoc non congruit sequentibus in quibus ipse agnoscit peccatum sibi & sorori esse commune: sed istum, in me Domine mi respicias, attende ad preces meas. Eximia hic est Aaronis submissio, qua licèt Moyse senior & Pontifex ordinarius, eum vocat Dominum suum, eumque obsecrat, & ut pro se ac sorore Deum oret, facile petit.

[ *Ne imponas nobis hoc peccatum quod stultè commisimus*, ] Ne peccati quod ego sororque commisimus vindictam pœnamvè à nobis exigas, nec sinas quòd Deus illam exigat: sed precibus tuis age, ut quam sumus commeriti condonet, quamque sorori jam inflixit amoveat, nec eamdem aut aliam mihi inferat. *Imponere* ergo *peccatum*, non sumitur hic pro affingere, vel falsò attribuere peccatum, etsi aliquando sic accipiatur, sed pro imputare ad pœnam. Dicit autem quòd *stultè* peccatum commiserunt, quia temerè, & sine ratione.

[ ℣. 12. *Ne fiat hæc quasi mortua*, ] Nam lepra serpens & sensim illam exedens, mortuæ similem eam faciebat. Insuper autem, quoniam lepra erat quædam mors civilis, eo quòd leprosi ejiciebantur è Castris, & privabantur communicatione aliorum contra humanam inclinationem, cùm homo sit animal sociale; si leprosa mansisset, esse velut mortua.

[ *Et ut abortivum quod projicitur de vulva Matris suæ*. ] Quia sicut fœtus abortivus ob immaturitatem est deformis, & membris imperfectus, ita Maria fiebat deformis & imperfecta, juxta id quod sequitur:

[ *Ecce jam medium carnis ejus devoratum est à lepra*. ] Quod Aaron allegat apud Moysen, ut eum permoveat ad citò orandum pro remedio. *Disputant quidam*, num lepra totum Corpus Mariæ infecerit, an solùm faciem. Et Abulensis quidem q. 53. censet eam non toto corpore fuisse lepra perfusam, sed tantùm in facie, & non in tota facie, sed quasi in medietate ejus. Nam cùm Aaron diceret medium carnis ejus devoratum esse à lepra, loquebatur solùm de eo quod videbat, in honesta autem fœmina non aliud apparebat nudum quàm ejus facies. Sed cùm ipse fateatur solere communiter dici quòd toto corpore fuerit leprosa, nihil urget à communi sententia recedere. Potuit enim ipsa fratri suo Aaroni significare quòd lepra in corpore serperet, manus ostendendo, & non indecorè etiam brachia nudando: qua ratione Aaron non fuerit locutus de sola facie Mariæ. Quod autem pro exemplo affert de lepra Oziæ. 2. Paralip. 26. eam fuisse in sola fronte, non liquet: Cùm enim textus dicit ortam esse lepram in fronte ejus, Hugo Cardinalis interpretatur esse Synecdochen, quia in toto corpore leprosus fuit, sed ibi maximè apparebat. Estque hæc interpretatio conformis sequentibus ubi vocatur plenus lepra.

[ ℣. 13. *Clamavitque Moyses ad Dominum, dicens: Deus, obsecro, sana eam*. ] Moyses, & fratris interpellatione permotus, & sororis gravitet afflictæ commiseratione ductus, nihil faciens injuriam ab eis acceptam, alta, flebili, & pathetica voce, ita ut ab Aarone & Maria facilè audiretur, clamavit ad Deum, obsecrans ut statim sanaret Mariam, priusquàm reliquum carnis ejus devoraretur. Non oravit antequàm interpellaretur ab Aarone, quia nesciebat Mariam esse percussam lepra; non enim erat apud illam, sicut Aaron, sed nonnihil ab eis distabat, ut ex versu 5. patet.

[ ℣. 14. *Cui respondit Dominus: si Pater ejus spuisset in faciem ejus, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi?* ] Spuere in faciem alicujus significat illum despici, & valdè vilem & abjectum haberi: Nam Deuteron. 25. ad ignominiam ejus qui fratris mortui uxorem, ut ex ea semen illi suscitaret, recusabat ducere, uxor relicta in faciem ejus spuere jubetur. Et ad Jobi contemptum pertinebat, quòd sui faciem ejus conspuere non verebantur, Job. 30. Sicut etiam maximi contemptus fuit, quòd Christus *Dominus* in faciem conspueretur, Isa. 50. & Matth. 26. Horum igitur verborum sensus est: Si Pater Mariæ graviter contra eam ira commotus, indignationem suam prodidisset, in faciem ejus spuendo, nonne debuisset præ pudore saltem diebus conspectum Patris vitare, quem ita graviter offendisset? Quantò magis pudefieri, & confundi nunc debet ob indignationem meam quà justè commotus non sputo, sed lepra faciem ejus perfudi, & eodem saltem temporis spatio more leprosorum, à Castris recedere, & à conspectu Patris sui, tum Dei habitantis in Castris, tum Moysi, qui ratione muneris quod sustinet, omnium Hebræorum Pater est, se subducere?

[ *Separetur septem diebus extra Castra*, ] Juxta legem de leprosis Levit. 13.

[ *Et postea revocabitur*. ] Quia tunc ipsa erit curata, & totaliter munda. Deus non acquiescit petitioni Moysi in toto, sed in parte. Petierat enim ut Deus statim sanaret Mariam, & non statim eam sanat, sed promittit se aliquantò post sanaturum, finitis

nitis nimitùm septem diebus: quia voluit aliquid vindicis justitiæ argumentum extare, interim verò Moysen esse securum de sanatione futura. *Si quæras*, quare Moyses eo responso accepto non continuavit orare ut Maria non expectatis illis diebus statim sanaretur: Varias adfert rationes Abulensis q. 70. Potissima est, quia Deus sufficienter ei declaravit quòd non vellet ipsam sanare statim, quandoquidem jussit ut separaretur septem diebus, etiam ratione ostendens ita esse faciendum. Contra cognitam verò Dei voluntatem orare, superfluum foret ac temerarium.

[ ℣. 15. *Exclusa est itaque Maria extra Castra septem diebus:* ] Executioni mandata fuit divina jussio, quam & æquo libentique animo Maria suscepit peccatum suum dolens, ac interim pœnitentiæ & orationi vocans.

[ *Et populus non est motus de loco illo, donec revocata est Maria.* ] In gratiam Moysi ac etiam Mariæ, Deus noluit moveri Castra, neque ut moverentur date signum per motum columnæ, priusquam dies constituti transiissent quibus oportebat Mariam esse extra Castra. Si qui essent alii leprosi qui juxta legem debebant diutius à Castris abesse, ipsi non erant expectandi, sed iter prosequi poterant retrò extra Castra, atque Manna ad victum colligere: Divinum enim fuit privilegium quòd Maria expectaretur, neque hoc à populo pendebat, cùm ad motum columnæ deberet Castra movere. Cæterùm, sicut in separatione Mariæ non oportuit servare ritus inquirendi de lepra qui Levit. 13. præscripti sunt; quia constabat ejus lepram esse veram; ita in ipsius revocatione non fuerunt observandæ cæremoniæ & expiationes ibidem cap. 14. leprosis præcepto; quoniam ipsa Dei miraculosa sanatio & revocatio Mariæ erat sufficiens ejus expiatio.

*Moraliter*, Ex Aaronis & sororis ejus *reprehensione* docemur patienter ferre, quando reprehendimur: & quemadmodum populus *expectavit* Mariam, neque illam contempsit, ita nos lapsis ac pœnitentibus docet compati, & dum possumus, auxiliari.

*Allegoricè*, Revocatio Mariæ significat Synagogam in fine mundi ad Christum vocandam & convertendam. Sicut autem Castra Hebræorum non fuerunt mota sine Maria sorore Moysi, sic Ecclesiæ Christi, Christianorumve Castra moveri & progredi non debent sine B. VIRGINE duce & auxiliatrice; cùm ipsa nominis Christi hostibus sit terribilis ut Castrorum acies ordinata, Cantic. 6. Neque huic comparationi obstare putandum est quòd soror Moysi peccaverit: quamvis enim non in eo gesserit typum B. VIRGINIS, potuit tamen in aliis esse typus ejus.

## C A P U T XIII.

*Missi exploratores ad considerandam terram promissionis, palmitem cum botro aliisque fructibus in fertilitatis signum referunt, qui tamen universi, præter Caleb & Josue, murmur in populo concitant.*

[ ℣. 1. P*Rofectusque est populus de Haseroth,* ] Ubi fuerat decima quarta mansio Hebræorum.

[ *Fixis tentoriis in deserto Pharan.* ] Pharan non est nomen alicujus mansionis, sed unius magni vastique deserti, in quo secundùm diversas ipsius partes, diversæ fuerunt mansiones, omnes nimirum quæ sequuntur usque ad vigesimam secundam, quas B. Hieron. Epist. 127. decem & octo fuisse dicit; ut proinde annos ferè 38. vagati fuerint Israelitæ in isto deserto Pharan; ex quo dum fuerunt egressi, venerunt anno ultimo, hoc est, quadragesimo, in desertum Sin, in cujus ea parte quæ dicitur Cades fuit Mansio trigesima tertia in qua mortua est Maria Soror Moysi, ut patet ex seqq. cap. 20. & 33. Locus autem Deserti Pharan in quo fixerunt tentoria dum profecti fuerunt de Haseroth, & ubi fuit Mansio 15. juxta B. Hieron. conformiter dicto cap. 33. vocabatur Rethma.

[ ℣. 2. *Ibique locutus est Dominus ad Moysen, dicens:* ℣. 3. *Mitte viros, qui considerent terram Chanaan,* ] Ista non dixit Deus, nisi postquàm Moyses à populo sollicitatus ut curaret explorari terram promissionis ipse Deum consuluit: Ut enim Deuteron. 1. narratur, cùm ventum esset in Cadesbarne ad montem Amorrhæi, & Moyses ostendisset Terram promissam, hortatusque esset ut populus ascenderet, eamque possideret, nec quidquam timeret; accesserunt ad Moysen, atque dixerunt; *Mittamus viros qui considerent terram &c.* cumque sermo placuisset Moysi misit singulos ex singulis tribubus. Placuit autem sermo Moysi, non statim atque fuit ei propositus, sed postquàm à Domino responsum accepit, qui hac in re accommodavit se ad imperfectionem infirmitatemque populi, sicut aliàs quando concessit carnes supra cap. 11. & diu post, quando petierunt Regem 1. Reg. 8. quibus in petitionibus non leviter peccarunt, quemadmodùm & in præsenti: Agebant enim confidentiam de divina promissione confirmata sæpius per ducatum columnæ, concessionem victus, & conservationem vestimentorum, ita ut nullatenùs ambigendum esset quin omnia Deus suppeditaret quæ ad ingressum & possessionem terræ promissæ forent necessaria. *Ex his sequitur*, quòd licèt populus peccaverit petendo mitti Exploratores, quia petiit ex diffidentia; Moyses tamen non peccavit illos mittendo, quia ex Dei mandato misit.

[ *Singulos de singulis Tribubus,* ] Sermo est de illis Tribubus quæ habituræ erant partem in divisione terræ atque ita Tribus Levi excipitur. Ideò autem jubentur de singulis Tribubus mitti, quia quæque Tribus fidem faciliùs habitura erat viro de sua Tribu.

[ *Ex Principibus.* ] Non intelliguntur primi Principes Tribuum qui cap. 1. fuerunt recensiti, cùm neque ipsorum, neque posteriorum eorum nomina conveniant, nec ullum sit fundamentum dicendi omnes fuisse binominos; sed qui primariæ erant authoritatis & dignitatis, industrii ad explorandum, & fide digni ad eis credendum. In hac autem missione nihil egit populus, sed solus Moyses, quemadmodum patere potest consideranti præsentis capitis versus 3.4.17.18.

[ ℣. 4. *Fecit Moyses quod Dominus imperaverat, deserto Pharan mittens Principes viros,* ] De qua parte deserti Pharan missi fuerint, hi Principes, non liquet. Certum quidem est quòd ex Cadesbarne, inferiùs namque cap. 32. sic loquitur Moyses: *Nonne ita egerunt Patres vestri, quando misi de Cadesbarne ad explorandam terram?* Et Deuteron. 1. *Cumque venissemus in Cadesbarne &c. misi ex vobis duodecim viros.* Et cap. 9. Misit vos de Cadesbarne. Josue autem 14. Caleb ita dicit: *Quadraginta annorum eram quando misit me Moyses Famulus Domini de Cadesbarne ut considerarem terram.* Sed quoniam inter Mansiones quadraginta duas, quæ inferiùs cap. 33. recensentur, ac insuper à S. Hieron. Epist. 127. nulla est quæ vocetur *Cadesbarne*, una autem est quæ vocatur *Cades*, nimirùm trigesima tertia, quidam volunt Exploratores fuisse missos ex Mansione 33. nimirùm ex *Cades*; idque confirmant ex præsenti capite, ubi qui missi fuerant, leguntur rediisse in *Cades*, in eum scilicet locum, ex quo fuerant missi, & in quo expectabantur à Moyse totoque populo. Unde consequenter dicunt *Cadesbarne* esse eamdem illam mansionem quæ per Apocopen dicitur *Cades*. Ad hujus difficultatis enodationem *dicendum est primo*. Non posse teneri, quòd ex mansione 33. missi fuerint Exploratores, & ad eam redierint; quia post eorum reditum fluxerunt 38. anni, intra quos mortui sunt omnes murmuratores qui terræ detraxerant, ut habetur Deuteron. 2. post trigesimam verò tertiam mansionem, non potuerunt fluxisse tot anni, cùm ipsa contigerit anno quadragesimo seu ultimo peregrinationis per desertum, in cujus anni principio mortua est Maria, mense nimirum quinto, & paulò post Aaron, inferiùs cap. 33. *Dicendum secundo.*

Non

partim ut faciliùs deferri posset; partim ut meliùs conservaretur. Quoniam verò Hebræa dicunt, *Botrum uvarum unum*, & 70. *Botrum uva unum*, supervacuum videtur inquirere, an plures botros detulerint, eo etiam attento quòd commendationi fertilitatis terræ magis serviret unum grandem portari à duobus quàm duos. *Si quæras*, Quomodò licuerit Exploratoribus talem Botrum abscindere. *Resp.* id eis licuisse, quia nihil alienum usurpaverunt, sed suum; Deus namque dederat ipsis Terram illam, & idcircò licitè poterant ejus fructibus uti. *Deinde*, Moyses jusserat ut afferrent de fructibus: Cùm autem scirent ipsum esse Prophetam, & quidem Deo familiarissimum, credebant quòd mandatum hoc à Deo acceperat, qui actionem eorum faceret licitam, sicut fecerat de auro, argento, & vestibus acceptis in Ægypto.

[ *Quem portaverunt in vecte duo viri* . ] In signum ubertatis & pinguedinis terræ. In reditu, nec longè à loco Deserti, unde abierant Exploratores, ista contigerunt, ut effugerent conspectum Chananæorum, qui non permisissent botrum sic à peregrinis efferri, & habuissent rem valdè suspectam.

[ *De malis quoque granatis, & de ficis loci illius tulerunt:* ] Quæ nimirùm magnæ etiam erant quantitatis proportionaliter ad botrum: Si enim non excessissent ficus & malo-granata terræ Ægypti, non possent inde fertilitatem Terræ Chanaan probare, & ideò non secùm tulissent:

[ ℣. 25. *Qui* locus videlicet *appellatus est Nehel Escol, id est, torrens botri*, ] Quæ postrema verba cum non habeantur in Hebræo, sunt interpretis nostri ad explicationem vocabuli Hebræi. Pro *torrente*, 70. dicunt *vallem*, nec immeritò, cum vox Hebræa utrumque significet, & vallem, & torrentem; unde quem hic *torrentem botri* vocat interpres cap. 32. v. 9. nominat *vallem botri*, sicut & Deuteron. 1. v. 24. Deinde, sive torrentem, sive vallem dicas, in idem redit, quia torrens non fluit nisi in vallibus.

[ ℣. 26. *Reversique Exploratores Terræ post quadraginta dies, omni regione circuita*, ] Tot dies impenderunt eundo & redeundo, locaque explorando; nec ullum est fundamentum quorumdam Hebræorum dicentium majus tempus fuisse requisitum, sed Deum illud breviasse.

[ ℣. 27. *Venerunt ad Moysen & Aaron* ] Qui nominatim recensentur, quia erant præcipui,

[ *Et ad omnem Cœtum filiorum Israel* ] Quia totus populus eos capectabat, ut de terra toti populo promissa relationem audirent.

[ *In desertum Pharan, quod est in Cades*. ] Propriè loquendo Desertum Pharan non erat in Cades, cùm Desertum illud esset valdè amplum & vastum, ut in quo fuerunt Mansiones octodecim, Cades autem una tantùm ejus pars fuerit, sed vel per hypallagen, seu inversionem, sensus est, quòd venerunt in Cades quæ est in deserto Pharan: sicut Exod. 12. *Calceamenta habebitis in pedibus*, pro pedes in calceamentis: Vel dicuntur venisse in Desertum Pharan, quod est in Cades, quæ etiam dicitur Cadesbarne. Ex quo intelligi potest, non esse hic sermonem de Cades, vel Cadesbarne Deserti Sin, de qua cap. 33. cùm exprimatur Cades Deserti Pharan: Et intelligitur eadem illa mansio ea qua missi fuerant.

[ ℣. 28. *Venimus in terram, ad quam misisti nos, quæ revera fluit lacte & melle*, ] Q. d. quæ est fertilissima, & ubertate, suavitateque fructuum abundat, sicut Deus eam promittens describere solet. Putantur ista non esse verba Caleb & Josue, sed aliorum decem qui terræ laudes præmiserunt, ut deinde, cum ab ejus ingressu deterrerent, propositis, exaggeratisque difficultatibus, facilè presuaderent, nec haberentur suspecti; quod est multorum detrahere cupientium ingenium. *Detractor*, ait hic Liranus, aliquando incipit à commendatione personæ cui vult detrahere, ut per talem commendationem inclinet corda audientium ad credendum quòd in dicendo mala de illa persona, non moveatur odio, sed amore veritatis, & sic sibi magis credatur.

[ ℣. 29. *Sed Cultores fortissimos habet, & urbes grandes; atque muratas*. ] Post laudes terræ quam exploraverant, statim subjiciunt ejus vituperationem, allegantes difficultatem eam obtinendi, quòd in illa sint viri fortissimi, quibus propterea difficillimum sit resistere, & quòd constet urbibus valdè magnis, iisque muratis, & ut Deut. 1. dicitur, *ad cœlum usque munitis*, hoc est, altissimis.

[ *Stirpem Enac vidimus ibi*. ] Posteros Gigantum, qui & ipsi staturæ sunt giganteæ. Sicut autem reliquos homines longè superant magnitudine, ita robure, & audacia, per quod significare volebant quòd non possent illos debellare.

[ ℣. 30. *Amalec habitat in Meridie*, ] Amalecitæ non erant de Chananæis, neque occupabant aliquam partem terræ Chanaan, sed nominantur, quia impedimento erant Hebræis volentibus eam intrare. Cùm enim ipsi Hebræos bello aggressi fuerint Exod. 17. in Mansione 11. quæ erat in Raphidim, ipso facto probaverunt se esse hostes illorum, à quibus proinde meritò deberent Hebræi metuere. Dicuntur ergo Amalecitæ habitare in Meridie, non in ipsa terra Chanaan, sed in finibus meridianis extra Chanaan positis, quas Regiones statim lustraverant Exploratores, cum irent in illam terram.

[ *Hethæus & Jebusæus & Amorrhæus in Montanis: Chananæus verò moratur juxta Mare & circa fluenta Jordanis*. ] Ista omnia in medium adferunt Exploratores, ut populum deterreant, eique declarent maximam difficultatem, & quasi impossibilitatem occupandi Terram promissam: In eam enim intrare debebant per latus Meridionale, vel Orientale, vel Septentrionale; nam per Occidentale ingredi prohibebat Mare magnum, de quo Jos. 1. præsertim cum naves non haberent ad navigandum; in latere autem Meridionali erant hostes durissimi, Amalecitæ; & in septentrionali Hethæi, Jebusæi, Amorrhæi; atque ut Jos. 11. patet Pheresæi; in Orientali autem Chananæi, qui omnes Israelitis transire cupientibus se opponerent. Nomine autem Chananæorum, etsi aliàs generali & communi omnibus habitantibus Regionem Chanaan, hic intelliguntur illi qui habitabant in parte Orientali terræ Chanaan, & juxta Jordanem.

[ ℣. 31. *Inter hæc Caleb compescens murmur populi, qui oriebatur contra Moysen, ait:* ] *Qui* pro *quod* ( ad murmur enim refertur ) positum est; quamvis etiam dici possit cum Calepino, murmur non tantùm neutri, sed masculini quoque fuisse generis; unde Joan. 7. multi Codices olim habebant: *Murmur multus erat in Turba de eo*.

[ *Ascendamus, & possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam*. ] Divino videlicet adjuti auxilio: Quòd enim Caleb ita intellexerit, & non in humanis viribus confiderit, constat tum ex ejus sanctitate in Sacris Litteris commendata, tum ex cap. seq. vers. 8. ubi unà cum Josue sic loquitur: *Si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam*; & ex versu 9. *Dominus nobiscum est, nolite timere*. Cæterùm, etsi solus Caleb hic nominetur, non est tamen existimandum quòd solus fuerit locutus, solusque conatus sit compescere murmur populi, nam hoc communiter ei ac Josue tribuitur cap. seq. *At verò Josue filius Nun & Caleb filius Jephone, qui & ipsi lustraverant terram, sciderunt vestimenta sua, & ad omnem multitudinem filiorum Israel locuti sunt &c.* Sicut etiam cap. 46. Eccli. *In diebus Moysi misericordiam fecit ipse* ( Josue ) *& Caleb filius Jephone, stare contra hostem, & prohibere gentem à peccatis, & perfringere murmur malitia*. Hujus quoque Libri cap. 32. ambo dicuntur in isto negotio implevisse voluntatem Dei, & passim ambobus promittitur ingressus in Terram promissionis, iisque solis è numero sexcentorum millium. *Neque refert* solum Caleb hoc cap. nominari, quoniam Scriptura non ubique omnia commemorat, sed interdum quod uno loco tacet, alio exprimit. Et quia nulla poterat esse dubitatio de Josue, quin ipse staret à parte Moysi ( commendatur enim tamquàm ejus Minister electus è pluribus cap. 11. ) ideò non fuit opus hic eum nominare. Quapropter nec solus Caleb murmuratoribus restitit, nec ipse præ Josue, sed ambo pariter, unde & ambos volebant lapidare cap. 14. vers. 10. *Si dicas*, promissam fuisse Calebo peculiarem in Terra promissionis portionem propter ipsius constantiam qua fuit contra murmuratores, sicut ex Jos. 14. & 15. patet, *Resp.* quòd ex isto promisso nihil colligi possit ad

extollendum Caleb supra Josue; partim quia Josue accepit à Deo Ducatum totius populi, Deuteron. 31. & Jos. 1. & 1. Machab. 2. partim quia Deo sic volente, delata fuit ei optio, quem vellet hæreditatis locum eligere, Jos. 19.

[℣. 32. *Alii verò, qui fuerant cum eo*, ] Qui cum Caleb exploraverant terram promissionis.

[ *Dicebant: Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est*. ] Dum Caleb animaret populum ad ineundam terræ promissæ possessionem, reliqui Exploratores ferè omnes, imò omnes, si Josue excipias, sicut necesse esse excipere constat ex supradictis, cùm ipse non murmuraverit, responderunt fieri non posse quòd terram illam occupent, ejusque populum debellent.

[℣. 33. *Detraxeruntque terræ, quam inspexerant, apud filios Israel*, ] Ad *detraxerunt* hoc postremum referendum est, non ad *inspexerant*: Detraxerunt autem terræ, quia illam vituperaverunt, ac de illa malè locuti sunt.

[ *Dicentes: Terra, quam lustravimus, devorat habitatores suos*: Quod quomodò intelligerent Exploratores, non liquet: Verisimile est, quòd significare voluerint in illa terra esse auram insalubrem, noxiam, & pestilentem; unde fieret, quòd ejus Incolæ non bonam & longam vitam ducerent, sed variis, frequentibusque morbis affligerentur, ac citò morerentur.

[ *Populus, quem aspeximus, procera statura est*. ] Sic loquuntur, quasi passim omnes, aut ferè omnes Chananæi essent staturæ giganteæ, cùm tamen solùm aliqui, iique pauci essent tales, commune autem vulgus non excederet in magnitudine Ægyptios, aliosque viros diversarum nationum. *Ita*, qui aliorum famam tollere vel denigrare volunt, virtutibus eorum tacitis, aut leviter commemoratis, eorum vitia, sive vera, sive falsa solent exaggerare. Pro *procera statura*, in Hebr. est, *viri mensurarum*, quasi diceretur, qui plures mensuras continent, suntque valdè magni.

[℣. 34. *Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo*; ] Hoc est gigantes enormis magnitudinis.

[ *Quibus comparati, quasi locustæ videbamur*. ] Hyperbolica locutio est, eaque nimia & mendax, ad deterrendum populum ab ingressu, terræ promissionis.

*Mysticè*, per *duodecim Exploratores*, significatur universitas Prædicatorum qui diriguntur ad considerandum qualis sit terra promissionis, seu nobis promissa in Cœlestibus. Et quemadmodùm plerique Exploratorum non fuerunt stabiles, sed *terræ quam lustraverant detraxerunt*, ita multi Prædicatores deficiunt, & tum prava sua vita, tum difficultate ad æternam fælicitatem perveniendi, plebem ab ea deterrent. *Adferunt* autem *de fructibus*, cùm de cœlestium gaudiorum plenitudine evangelizant. Potest etiam per *botrum in ligno delatum* intelligi Christus in Cruce pendens, qui natus est *de terra promissa*, id est, de *Virgine Maria*, quæ promissa fuit Isa. 7. & alibi.

## CAPUT XIV.

*Murmur populi frustrà sedare conantur Josue & Caleb: Iratum Dominum placat Moyses. Omnes morti in deserto addicuntur præter Caleb ac Josue; & pugnantes Israelitæ contra Domini voluntatem cæduntur ab hostibus.*

[℣. 1. IGitur vociferans] Pro *igitur*, Textus Hebræus, & 70. Interpretum habet copulativam *Et*, unde intelligitur quòd illativa *igitur*, non hic habeat vim illativæ, sed sit continuativa sermonis hujus cap. cum præcedente.

[ *Omnis Turba flevit nocte illa*. ] Quæ secuta est reditum & relationem Exploratorum.

[ ℣. 2. *Et murmurati sunt*] Seu murmuraverunt: Utrumque enim in eadem significatione dicitur, *murmuro*, & *murmuror*. Unde similiter legimus Exod. 16. *Murmurati estis contra Moysen & Aaron cuncti filii Israel*. Ex his verbis clarum est, quòd sive in hac universalitate, *cuncti filii Israel*, sive in illa, *omnis turba*, non comprehenduntur Moyses & Aaron, quandoquidem murmuratio esset contra ipsos: Et eadem ratione, non cumprehenduntur etiam Caleb & Josue, cùm populus murmurans vellet eos lapidare. Sed nec Levitæ comprehensi sunt, quia omnes murmuratores, qui viginti annorum erant, & supra, mortui sunt in deserto; Levitæ autem tametsi majores annis viginti, non sunt ibi mortui, imò nec sententia mortis contra murmuratores lata concernebat Levitas, lata enim fuit contra eos qui numerati fuerant ab annis viginti & supra, Levitæ autem non sic fuerunt numerati, ut ex cap. 1. hujus Libri patet. Quod ergo dicitur, *Omnis turba*, & *cuncti filii Israel*, non est prorsùs universaliter accipiendum, quasi nullus omninò fuerit de filiis Israel qui non fleverit, & non murmuraverit, sed ea universalitas commodè est intelligenda, pro maxima videlicet istius populi parte.

[ ℣. 3. *Utinam mortui essemus in Ægypto: & in hac vasta solitudine utinam pereamus*, ] Copulativa *Et*, pro disjunctiva *vel*, quam habent Hebræa, & Græca; ponitur. Non pauci libri habebant: *Et non in hac vasta solitudine*: Sed ea negatio, neque in Hebræis, neque in Græcis Codicibus reperitur, quam proinde Correctores meritò expunxerunt.

[ *Et non inducat nos Dominus in terram istam*, ] Quæ nobis promissa erat, & quam illi qui missi erant exploraverunt.

[ ℣. 4. *Dixeruntque alter ad alterum: Constituamus nobis ducem, & revertamur in Ægyptum*, ] Quàm stulta consilia suggerit animus passione turbatus. Deliberant redire in Ægyptum ignari viarum quas huc usque Columna nubis Angelico ministerio directa ostenderat, & sine commeatu quem Manna subministrabat, quas res non poterant à Deo ipsis irato sperare. Non considerabant etiam quomodò possent mare rubrum transire, gentibusque sive occurentibus resistere, & quòd si in Ægyptum venirent, pœnas insignes, velut mancipia fugitiva luerent.

[ ℣. 5. *Quo audito Moyses & Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Israel*. ] *Cur* ita ceciderint, inter varias rationes hæc videtur esse *potissima*, ut Deum orarent, ne subitò iram suam effunderet super iniquam illam multitudinem, eamque deleret, ob verba tam impia, *Nec refert* quòd si in hunc finem proni cecidissent, videri possit non fuisse dicendum, *coram omni multitudine*; quia horum verborum sensus non est, quòd ita ceciderint ad supplicandum multitudini, sed quòd in præsentia & conspectu totius multitudinis proni ceciderint Deum oraturi. *Si quis tamen* opinetur quòd ista sui humiliatione simul intenderint emollire populum murmure nimis efferatum, & impetrare silentium, nihil dicet improbabile.

[ ℣. 6. *At verò Josue filius Nun, & Caleb filius Jephone, qui & ipsi lustraverant terram*, ] Quæ verba posteriora adduntur, ad significandum quòd isti possent convenienter resistere murmurantibus, ostendendo falsa esse ea quæ alii exploratores dixerant, detrahentes terræ.

[ *Sciderunt vestimenta sua*, ] Familiaris fuit Judæis scissio vestimentorum in re lugubri, seu tristi, maximè autem audita in Deum blasphemia, aut re simili, quæ in gravem Dei contumeliam vel offensam vergeret ad detestationem impietatis, & ad indignationem declarandam. Moyses tamen & Aaron non sciderunt vestimenta sua quoniam occupati & plurimum intenti erant supplicibus ad Deum precibus pro avertenda populi disperditione fundendis.

[℣. 7. *Et ad omnem multitudinem filiorum Israel* ] Quæ convenerat, sicut patet ex præcedentibus hujus cap.

[ *Locuti sunt: Terra, quam circuivimus*, ] Hoc est, quam transeundo perambulavimus, & exploravimus, quemadmodum 70. & alii vertunt ex Hebræo.

[ *Valdè bona est*. ] In Hebr. geminando dicitur, *bona valde valde*, hoc est, *optima*, est enim Hebraismus quo solent significare superlativum. Non tantùm dicere volunt terram illam esse fœcundam, nam & hoc alii Exploratores dixerant: sed etiam volunt affirmare quòd non devoret suos habitatores, sicut ipsi detrahentes dixerat.

[℣. 8.

[ ℣.8. *Si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam,* ] Non ponunt hoc tamquàm sub dubio, ait Abulensis, quia tunc aliquo modo coinciderent cum incredulitate multitudinis, sed ad tollendam dubitationem quam alii videbantur de potentia Dei habere. Et volebant isti sic arguere. Si Deus fuerit nobis propitius, facilè potest nos inducere in terram istam; Sed manifestum est quòd Deus erit nobis propitius; cùm quotidiè nobis tanta bona impendat: ergo nos in eam inducet. *Observandum præterea*, voculam *si* interdum usurpari pro *quoniam*, vel *quandoquidem*, ut Joan. 7. *Si hæc facis*, hoc est, quandoquidem hæc facis, *manifesta teipsum mundo*. Atque ita sensus est; Si propitius fuerit Dominus, id est quoniam, vel quandoquidem Deus est nobis propitius. Unde posteà simpliciter & sine ambiguitate dicunt, *Deus nobiscum est*.

[ *Et tradet humum lacte & melle manantem.* ] Qualem Deus promisit, & qualem esse cæteri decem socii nostri, æquè ut nos affirmarunt.

[ ℣. 9. *Nolite rebelles esse contra Dominum:* ] Sicut erant volendo regredi in Ægyptum, & non procedere ultra ad intrandam terram promissam.

[ *Neque timeatis populum terræ hujus,* ] Quoniam reliqui exploratores vehementer perterruerant populum, propter fortitudinem incolarum terræ promissionis, inter cætera, dicentes; *Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est* è contrario Josue & Caleb non ignari quòd non est Domino difficile salvare, vel in multis, vel in paucis, quemadmodum posteà dixit Joanathas ad Armigerum suum 1. Reg. 14. & quòd facile est concludi multos in manu paucorum, quòdque *non in multitudine exercitus victoria belli, sed de Cælo fortitudo est*. 1. Machab. 3. metum illum excutere conantur. Cùm enim populus Hebræus multo experimento sciret se habere Deum adjutorem, non erat quòd hostes metueret.

[ *Quia sicut panem ita eos possumus devorare.* ] In Hebr. dicitur, *quia panis noster ipsi*. Apud 70. *Quoniam cibus nobis sunt*. Quæ noster interpres jam allatis verbis rectè explicuit. Quoniam enim panis facilè devoratur, ita sensus est, quòd nullo negotio, & sine labore possumus eos delere: sicque patuit hujus Lib. cap. 21. circa Sehon Regem Amorrhæorum, & Og Regem Basan; & Jos. 6. circa Jericho, & frequenter posteà. Ista ergo devoratio intelligitur futura per gladios quibus in sacris litteris sæpè attribuuntur ora (hinc illud tritum, *in ore gladii*) & actio devorandi, *Gladius meus devorabit carnes*. Deuter. 32. *Gladius devorabit vos*. Isa. 1.

[ *Recessit ab eis omne præsidium?* ] In Hebr. *Recessit umbra eorum desuper eis*.. Metaphora est, qua *umbra* ponitur pro *protectione, & præsidio*, eo quòd umbra nos à sole protegat in æstu. 70. dicunt, *abcessit tempus ab eis*, quod nimirum Deus dederat impiis Chananæis quo regnarent & florerent, juxta mentem B. Aug. præsidium ergo quod ab eis recessisse dicunt, intelligendum est divinum: Cùm enim iniquitates eorum necdum erant impletæ, eosque Deus adhuc fovebat, nec exterminare volebat, ab illis non planè recesserat. Sed nunc Deo volente illos exterminare, omnemque suam protectionem ab eis subtrahente, rectè dicitur omne præsidium ab eis recessisse, etiamsi viros fortes, & molis giganteæ, urbesque haberent benè munitas: Quoniam inane est omne robur, ubi deest Dei præsidium. Hanc interpretationem indicat sententia quæ sequitur, & quæ jam dictis verbis opponitur.

[ *Dominus nobiscum est, nolite metuere.* ] q. d. Deus protector noster est; illi autem non habent Deum protectorem, ideoque carent omni præsidio, ac per consequens, non est cur timeatis. *Potes*, quomodò verum sit quòd omne præsidium recessit à Chananæis, cùm hoc eod. cap. legatur Chananæus percussisse Israelitas, & persecutus eos usque Horma: Ac rursùm c. 21. Victor fuisse contra illos. *Resp.* cum Dionys. Carthus. sensum esse, quòd recessit ab illis omne præsidium, quia Hebræis ad eos introeuntibus statim privandi erant subsidio: Est enim consuetudo loquendi, ut de re certissimè futura, loquamur per modum præteriti; unde 70. transtulerunt, *abcessit ab eis tempus*, hoc est, finis prosperitatis eorum jam instat. Ita ille.

[ ℣.10. *Cùmque clamaret omnis multitudo,* ] Contra Josue & Caleb sic resistentes murmuri totius populi.

[ *Et lapidibus eos vellet opprimere,* ] Moyse & Aarone adhuc in terra pronis.

[ *Apparuit gloria Domini super tectum fœderis.* ] Nubes quæ Tabernaculo incumbebat, novo & insolito aliquo splendore effulsit, sicque populum ab iniquo proposito deterruit. Ille splendor vocatur *Gloria Domini*, quia erat indicium præsentiæ & magnitudinis Dei. Per tectum autem fœderis, intelligitur ipsum Tabernaculum. *Neque his obstat*, quòd in Hebr. dicitur gloria Domini visa esse *in Tabernaculo*, cùm enim 70. habeant *super Tabernaculum*, sicut textus noster *super tectum*; in Hebr. *in* positum est pro *super*. Et alioquin si splendor ille solùm apparuisset intra Tabernaculum, non quadraret id quod sequitur.

[ *Cunctis filiis Israel.* ] Nimirum apparuit gloria Domini: neque valuisset ad seditionem compescendam, quia non fuisset populo conspicuus.

[ ℣. 11. *Et dixit Dominus ad Moysen:* Paulò post apparitionem novi & insoliti luminis, Deus ad Moysen locutus est, idque verisimiliter ex columna nubis, sicut sæpè aliàs; aut ad ostium, vel in aliqua alia parte Tabernaculi, in quod se cum Aarone receperat, postquàm è terra surrexerant; non tamen in Sancto sanctorum, in quod patebat quidem ingressus Moysi quandocumque volebat consulere Dominum, at nunc non erat eum consulturus.

[ *Usquequò detrahet mihi populus iste?* ] Quamdiù malè loquetur de me, quamdiu me irritabit?

[ *Quousque non credent mihi,* ] Quantùm ad illa quæ illis præstare promisi.

[ *In omnibus signis quæ feci coram eis?* ] Cùm tot signa meæ omnipotentiæ & bonitatis illis exhibuerim.

[ ℣. 12. *Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam:* ] Septuaginta, *percutiam eos morte, & perdam eos*: Ubi *mors* pro *peste* sumi potest, genus pro specie: Nam & mors seu mortalitas usurpatur aliquando velut synonymum pesti. Non est autem hîc enuntiatio rei simpliciter eventuræ, sed est, tum comminatio, tum prædictio ejus quod per respectum ad causas secundas futurum erat, si Deus juxta illarum exigentiam agere voluisset. Talia namque erant istius populi peccata, ut & deleri, & penitùs consumi mereretur.

[ *Te autem faciam Principem super gentem magnam, & fortiorem quàm hæc est.* ] Non est quòd ex hujus populi deletione & consumptione metuas, quia his consumptis, præficiam te genti majori & fortiori. Neque in Hebr. neque apud 70. habetur *Principem*, ideò quibusdam visum est non hîc promitti Moysi quòd Deus faceret eum Principem alicujus alterius gentis, sed quòd per propagationem mirum in modum augeret ipsius genus & progeniem. Verùm etsi ea vox non extet illic quoad litteras, extat tamen quoad sensum. Cùm enim in Hebr. dicitur; *Faciam te in gentem magnam & fortiorem*, sensus optimè reddi potest, Præficiam te genti magnæ & fortiori, quod est facere Principem super talem gentem. Deinde, si ex Moyse propaganda fuisset gens illa, Moyses non potuisset ei præfici, cùm neque ipsa esset, neque nisi post valde longum tempus potuisset ex eo propagari & multiplicari: Non est autem opus inquirere, quænam esset Gens illa, cùm super nullam gentem aliam ab Hebræa Deus Moysen absolutè decrevisset constituere, sed sententia tota sit conditionata; posito nimirùm quòd Hebræos penitus consumeret; &, si decrevisset, facilè ipsi esset quam gentem vellet dare Moysi, etiam nobis incognitam.

[ ℣.13. *Et ait Moyses ad Dominum: ut audiant Ægyptii, de quorum medio eduxisti populum istum.* ] Moyses non honorem proprium, neque principatum quærens, sed zelo divini honoris ac boni communis accensus deprecatur Deum, ne velit totum populum Hebræum delere; quoniam si hoc feceris, Ægyptii id audient, & de Deo, deque ejus potentia malè loquentur. Vocula ergo, *ut*, non finem, sed eventum & consecutionem denotat, unde 70. ejus loco habent copulativam. *Et*.

[ ℣. 14. *Et habitatores terræ hujus,* ] Hebræi jam erant in solitudine quæ nullos habebat habitatores: sed

per habitatores terræ hujus intelliguntur populi ipsis vicini, seu qui erant in circuitu, Amalecitæ, Chananæi, Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi.

[ *Qui audierunt quòd tu Domine in populo isto sis* , ] Longè specialius quàm in aliis nationibus, utpotè populum hunc mirabiliter gubernans, nutriens, docens, responsa etiam voce sensibili & sonora dans, unde Deuteron. 4. *Non est alia natio tam grandis quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.*

[ *Et facie videaris ad faciem* ] Hoc est, familiariter cum illis agas & manifestum te exhibeas; partim ipsum populum interdum alloquendo, velut in monte Sina; partim ipsis hominibus evidenter apparendo per præclaros effectus operaque miraculosa; partim etiam eorum Capiti seu Duci sæpissimè familiariter apparendo & loquendo. Verisimile namque est omnia ejusmodi ad notitiam vicinarum gentium pervenisse, sicut in notitia Jericontinorum venit, quòd Dominus aquas maris rubri siccaverit ad introitum Hebræorum, & quæ fecerunt Regibus Amorrhæorum Seon, & Og. Ex isto igitur loquendi modo non sequitur claram Dei visionem alicui de populo Hebræo, ne Moysi quidem, concessam fuisse.

[ *Et nubes tua protegat illos, & in columna nubis præcedas eos per diem, & in columna ignis per noctem:* ] Sicut hic nubes protegens seorsùm nominatur à columna præeunte; ita probabile est, etsi quidam aliter sentiant, nubem quæ Hebræos ab æstu, & ardore solis protegebat fuisse diversam à columna nubis, quæ interdum etiam nubes appellatur: Nam hæc in altum protensa erat instar columnæ, & præcedebat Castra tamquàm Dux viæ, cùm erat proficiscendum; illa verò non præcedebat, sed omnia Castra longè lateque patentia, ad multa nimirum milliaria, obumbrabat, ac ab æstu protegebat quandocumque erant ardores Solis. Hujus ergo loci sensus est, quod vicinæ gentes audierunt nubem Dei, seu magnam, & à Deo mirabiliter factam protegere populum Hebræum, ac insuper Deum præcedere Hebræos in columna nubis per diem, & per noctem in columna ignis, ad monstrandam eis viam. Conferantur quæ diximus ad c. 13. Exod. v. 21.

[ ℣. 15. *Quòd occideris tantam multitudinem, quasi unum hominem* , ] Hoc est, omnea ad unum, & tam facilè quàm unus homo occiditur.

[ ℣. 16. *Non poterat introducere populum in terram, pro qua juraverat: idcirco eos in solitudine.* ] Ex isto facto, seu ex omnimoda populi Hebræi deletione, hoc sequentur; quòd Ægyptii, cæteræque nationes dicent: Deus ipsorum non poterat eos introducere in terram quam sub juramento promiserat illis date, ideò ipsos occidit in solitudine. Juramentum istud præstitum fuisse Abraham, Isaac, & Jacob, liquet ex cap. 33. Exod. v. 1. & aliunde.

[ ℣. 17. *Magnificetur ergo fortitudo Domini* ] Te non decet Domine blasphemari, & velut impotentem inhonorari, & irrideri, tua ergo fortitudo magnificetur, id est, evidenter magna appareat, introducendo populum Hebræum in terram eis promissam. Magnificari enim dicitur fortitudo Dei, non sic quasi ipsa fiat major, cùm sit infinita nec possit crescere; sed tum opera fortitudinis multiplicando, tum faciendo ut ea in plures populos divulgentur.

[ *Sicut jurasti dicens* : ] Litanus probabiliter scribit hoc non esse referendum ad verba immediatè sequentia, eo quòd illa non sint verba Domini, sed Moysi; unde & similia dixit Moyses Domino Exod. 34. sed referri ad juramentum factum Abrahæ Genes. 22. ubi dicitur, *per memetipsum juravi dicit Dominus*, & sequitur, *possidebit semen tuum &c.* Sicut ad similem peccati veniam impetrandam, hoc juramentum Patribus factum attulit Moyses Exod. 32. vers. 13. Itaque sensus est, sicut jurasti dicens, hoc est, sicut jurasti & dixisti, vel sicut dicendo, seu promittendo jurasti. Aliì tamen prædicta verba referri putant ad litteram proximè sequentem, ita ut hæc, *Dominus patiens &c.* Sint verba quæ Deus ipse, vel per Moysen ab eo inspiratum Exod. 34. vel alibi dixerit. *Nec refert*, quòd Deus non legatur alibi ea sub juramento protulisse; partim quia non oportet omnia esse scripta; partim quia istorum verborum, *sicut jurasti*, sensus esse potest, sicut testificatus es, sicut certò & firmiter affirmasti: sic enim *jurare*, aliquando sumitur pro constanter asseverare & promittere, ut Psalm. 118. *Juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ*. Unde in Hebr. pro *jurasti*, hic legitur, *locutus es*, quemadmodum & apud 70.

[ ℣. 18. *Dominus patiens & multæ misericordiæ* , ] Non citò puniens, sed longanimiter & misericorditer ferens peccatores:

[ *Auferens iniquitatem & scelera* , [ Qui peccata, etiamsi valdè magna remittis, quoad culpam, & quoad pœnam.

[ *Nullumque innoxium derelinquens* , ] Qui nullum censens in omnibus & per omnia esse prorsùs innocentem, sed omnes in aliquo noxios, & culpabilea esse deprehendis. Confer quæ ad cap. 34. Exod. diximus.

[ *Qui visitas peccata Patrum in filios in tertiam & quartam generationem* . ] Juxta sensum datum Exod. 20. *Si quæras*, quò spectet hæc sententia de visitatione, seu punitione peccatorum in tertiam & quartam generationem, cùm ubi agitur de misericordia obtinenda, non videatur justitia vel punitio in medium adferenda, sed ea sola quæ ad misericordiam pertinent *Resp.* cum Abulense quæst. 60. ista verba non esse posita ad aliquid suadendum, sed Moysen ea recitasse, quia voluit recitare integram formam priùs ab ipso, seu à Deo per ipsum pronuntiatam, Exod. 34. licèt non omnes ejus partes facerent ad suum propositum.

[ ℣. 19. *Dimitte, obsecro, peccatum populi hujus secundùm magnitudinem misericordiæ tuæ*, ] Murmurationem de qua initio præsentis cap. vocat *peccatum populi*, quia ferè omnes illud commiserunt, ex duodecim scilicet tribubus qui numerati fuerant ab annis viginti, omnes, præter Caleb & Josue. Dicit autem, *secundùm magnitudinem misericordiæ tuæ*, quia ad Deum ex justitia pertinet punire peccata; remittere verò, ad eumdem pertinet ex misericordia. Et, quoniam ea quæ maxima sunt nequeunt sine magna misericordia remitti, istud autem murmurationis peccatum erat valdè magnum, ideò magnitudine misericordiæ opus erat ut remitteretur, & propterea Moyses petit dimitti secundùm magnitudinem misericordiæ Dei.

[ *Sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto usque ad locum istum.* ] Sicut jam inde ab exitu de Ægypto misertus fuisti eis, & murmurationes eorum remisisti, ipsum populum non consumens, nec penitus delens.

[ ℣. 20. *Dixitque Dominus: dimisi juxta verbum tuum.* ] Quomodò dimisit, cùm posteà puniverit? *Resp.* dimisisse, non quoad omnem pœnam temporalem, sed quoad illam quam erat comminatus, ne videlicet universum populum consumeret, ac deleret. Unde Dominus Moysi dicit: *Dimisi juxta verbum tuum*, id est, secundùm quod petijsti, Moyses autem non petierat peccatum remitti quoad omnem pœnam; sive, ne populus ullo modo puniretur, sed tantùm ne populus totaliter consumeretur. *Si quæras*, cur Moyses non petierit omnimodam remissionem: *Dici potest*, eum benè advertisse iram Dei talem esse, quòd non relinqueret illud peccatum sine aliqua punitione etiam exemplari: & quia Deus ita decreverat, ideò non inspiravit Moysi, ut pro totali remissione oraret.

[ ℣. 21. *Vivo ego:* ] Per vitam meam, seu per memetipsum qui sum vita, juro. Quid jurat? Id quod proximè sequitur.

[ *Et implebitur gloria Domini universa terra* . ] Per mirabilia opera quæ faciam, introducendo populum in terram promissionis, gloria nominis mei per universam terram divulgabitur, cunctisque innotescet majestas & fortitudo mea; sicut patet de siccatione Jordanis, de subversione Jerico & similibus. Respondent igitur hæc verba illis quæ Moyses petierat v. 17. dicens, *Magnificetur fortitudo Domini.*

[ *Attamen omnes homines qui viderunt Majestatem meam, & signa quæ feci in Ægypto, & in solitudine*, ] q. d. Licèt universam terram impleturus sim gloria mea, introducendo populum istum in terram promissam, nullus tamen de murmuratoribus intrabit

in

in illam, ſed omnes morientur in ſolitudine. Pro *attamen*, in Hebr. eſt vocula quæ reddi ſolet per *quod* vel *quia*: ſed non rarò etiam ſumitur pro adverſativa, *ſed*, vel *tamen*; & hoc modo eam interpres noſter hic accepit. Cùm dicitur, *qui viderunt Majeſtatem meam*, non agitur de illis qui viderunt eam in ſe, *Deum enim nemo vidit umquam*. Joan. 1. ſed de iis qui viderunt in portentis & ſignis mirabilibus omnem creatam virtutem excedentibus. Ille enim dicitur videre Majeſtatem Dei, qui videt talia opera fieri, qualia per nullam, niſi per divinam Majeſtatem ſeu potentiam fieri poſſunt. Unde, quod ſequitur, *Et ſigna*, rectè intelligitur poſitum expoſitivè pro; id eſt, ſigna.

[ *Et tentaverunt me jam per decem vices*,] Non eſt ſermo de tentatione expreſſa, & propriè dicta, ſed de murmurationibus quæ implicitam Dei tentationem continebant. *Has decem vices* quidam diſtinctè numerant, dicuntque *primam*, ſeu tentationem, ſeu murmurationem fuiſſe Exod. 5. quando præpoſiti filiorum Iſrael dixerunt ad Moyſen & Aaron, *Videat Dominus & judicet quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone*. *Secunda* fuit Exod. 14. Cùm viderunt Ægyptios poſt ſe juxta mare rubrum, & dixerunt: *Forſitan non erant ſepulchra in Ægypto*. *Tertia*. Exod. 15. propter aquas amaras. *Quarta*, Exod. 16. ob defectum carnium. *Quinta*, eod. cap. 16. cùm reſervaverunt Manna in diem ſequentem. *Sexta*, Exod. 17. in Raphidim ob aquæ penuriam. *Septima*, Exod. 32. quando dixerunt, Fac nobis Deos qui nos præcedant. *Octava*, hujus lib. cap. 11. ob laborem itineris. *Nona*, ibidem, quando deſideraverunt alios cibos quàm Manna. *Decima*, hoc cap. occaſione exploratorum, cùm voluerunt redire in Ægyptum. *Verùm*, ſi ſic omnia ad exactum numerum vellimus referre, *addi poſſet ea tentatio* qua egreſſi fuerunt de populo, ut colligerent Manna die Sabbati, contra Dei mandatum, Exod. 16. *& illa* qua pridiè quàm vellent reverti in Ægyptum, ſuſcitatum fuit murmur ab exploratoribus ſup. cap. 13. Quapropter *longè probabilius eſt*, non eſſe hic præcisè attendendum numerum denarium, ſed poſitum eſſe numerum certum pro incerto, eoque multiplici, ita ut ſenſus ſit, *per decem vices*, id eſt, valde ſæpè, ſicut Job 19. *En decies*, hoc eſt, multoties *confunditis me*, & 2. Eſd. 4. *Dicentibus nobis per decem vices*. Eccleſiaſt. 7. *Sapientia confortavit ſapientem ſuper decem Principes civitatis*. Zachar. 8. *Apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium*. Apoc. 2. *Habebitis tribulationem diebus decem*.

[ *Nec obedierunt voci meæ*, ] Qua juſſi ut aſcenderent in terram promiſſionis.

℣. 23. *Non videbunt terram pro qua juravi Patribus eorum*, ] Quòd eam darem ipſorum ſemini. Pro *non videbunt* in Hebr. eſt, *ſi videbunt*; ſed voculam *ſi* interdùm poni pro negativa, certum eſt: unde quod Marci 8. habemus, *Si dabitur generationi iſti ſignum*, Matth. 12. & Luc. 11. dicitur, *non dabitur ſignum*.

[ *Nec quiſquam ex illis qui detraxit mihi intuebitur eam*.] Diſtincta eſſe beneficia, *videre* terram promiſſionis, & eam *ingredi*, manifeſtum eſt ex capitibus 3. & ult. Deuteron. ubi conceſſum fuit Moyſi illam videre & contemplari, negatum autem illam ingredi: At murmuratoribus, tam his qui detraxerunt terræ, quàm illis qui detraxerunt Deo, ſive de ipſius potentia non confidentes, ſive de ipſo malè loquentes; utrumque negatur, & aſſeritur quòd nullus eorum iſtam videbit.

[ ℣. 24. *Servum meum Caleb, qui plenus alio ſpiritu* ] Quàm alii, tum exploratores, tum murmuratores; nam ipſe plenus erat bono ſpiritu, fidei in primis & ſpei ad ſperandum terram promiſſam, & obedientiæ, ad obſequendum Deo in omnibus; & Magnanimitatis, ad confidendum bonitati ac potentiæ divinæ, & ad aggrediendum quidquid juberet Deus pro ingreſſu in terram promiſſam.

[ *Secutus eſt me*,] In Hebr. *Implevit poſt me*: Hoc eſt, plenè me eſt ſecutus, dum meis promiſſis per omnia credidit, & confiſus eſt; atque magnitudinem potentiæ & bonitatis meæ ad expellendos Chananæos, & introducendum Hebræos propugnavit contra murmuratores. Quod dicitur de Caleb, & de Joſue intelligendum eſſe, conſtat ex verſu 6. cum aliquot ſeqq. ac inſuper ex verſu 38. hujus cap. & ex cap. 32. præſentis libri, atque ex reipſa: Nam Joſue non ſolùm eſt ingreſſus terram promiſſionis, ſed tamquàm Hebræorum dux eos in illam introduxit. Hic tamen non fuit nominatus, quia non ſemper oportuit ambos exprimere, ſed ſatis eſt quòd aliquando.

[ *Inducam in terram hanc quam circuivit*: ] Quam perambulavit cùm aliis qui miſſi fuerant, explorando.

[ *Et ſemen ejus poſſidebit eam*. ] Ejus quoque filii ſunt eam poſſeſſuri, ſicut Joſ. 14. factum narratur.

[ ℣. 25. *Quoniam Amalecites & Chananæus habitant in vallibus. Cras movete Caſtra* ] Amica hic eſt admonitio, quaſi Deus diceret; quoniam hoſtes veſtri Amalecitæ & Chananæi qui vobis inſidiantur ſunt vobis vicini, & indigni eſtis, ut opem, & auxilium meum ſentiatis, nolite hic diù eſſe, ſed cras movete Caſtra. *Si quæras*, quid opus hac admonitione, cùm populus à Moyſe juxta imperium Domini inſtructus, ſciret movenda tunc eſſe Caſtra, cùm nubes, ſeu columna nubis movebatur, ut patet ex hujus Lib. cap. 9. & Exod. ult. *Reſp.* fuiſſe opus, quia ordinariè quando nubes movebatur ipſa præibat oſtendens viam versùs terram Chanaan; nunc autem non erat oſtenſura viam versùs eam terram, ſed versùs mare rubrum, de quo exierant; Ne ergo ſuboriretur eis dubitatio, an etiam nunc deberent ſequi columnam nubis, & non ire versùs terram Chanaan, ſed retrocedere, conveniens fuit ut de hoc admonerentur, ſicut Exod. 14. admoniti fuerant, dum aliquo circuitu debebant reverti versùs Ægyptum. *Si prætereà quæras*, quomodo Amalecites & Chananæus hic dicantur habitare in vallibus, cùm inferiùs verſ. ult. dicantur habitare in montibus: Inter varias Reſponſiones, *ea videtur veriſimilior*, quæ dicit iſtos populos occupaſſe terram valde ſpatioſam, præſertim ſecundùm longitudinem, & quoſdam eorum habitaſſe in vallibus, quoſdam verò in montibus. Chananæus autem qui cum Amalecitis nominatur, non intelligitur populus qui terram Chanaan incolebat; ſed alius Amalecitis vicinus, cujus Rex fuit *Arad*, cum quo pugnarunt Hebræi infra cap. 21. ut quibuſdam viſum eſt, niſi *Arad* ſit nomen urbis, vel Regionis ut alii volunt.

[ *Et revertimini in ſolitudinem per viam maris rubri*. ] Hebræi jam pervenerant in Rethma, & in Cades Deſerti Pharan, erantque vicini terræ promiſſionis; ſed quia Deus ipſos pro murmure ſupradicto punire voluit, & annis multis vagari per deſertum, donec omnes murmuratores ibi morerentur, jubet ipſos reverti in ſolitudinem. *Nec refert*, quòd adhuc erant in ſolitudine. Quia vult eos in aliam partem ſolitudinis reverti, ad loca videlicet remotiora; & quidem *per viam maris rubri*, id eſt, per viam quæ alio itinere duceret ipſos verſus mare rubrum. Unde Manſione 32. quæ fuit ultima deſerti Pharan, tandem venerunt in Aſiongaber, quæ juxta Adricomium fuit Civitas & portus in littore maris rubri.

[ ℣. 26. *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen & Aaron*, ] Quæ prius ſoli Moyſi dixiſſe verſu 11. refertur, nunc ad utrumque loquitur Deus, ut Aaronis quoque rationem haberet, utpotè ſummi Pontificis.

[ ℣. 27. *Uſquequò multitudo hæc peſſima murmurat contra me?* ] Ob magnas & frequentes murmurationes, *peſſimam* eam vocat, ſicut etiam infra verſu 35.

[ ℣. 28. *Dic ergo eis: Vivo ego, ait Dominus*: ] Juramentum præponit Deus bis quæ dicturus eſt, ut populus intelligeret ea non tantùm eſſe comminatoria, aut pœnam in illis expreſſam revocari poſſe per populi pœnitentiam, ſed eſſe abſoluta, & apud Deum omninò decreta. Etſi paulò ante Deus dicatur locutus ad Moyſen & Aaron, jam tamen ſermonem dirigit ad Moyſen quia ipſum, cùm eſſet Legiſlator, maximè conveniebat referre ad populum ea quæ Deus volebat ſciri à populo, quamquàm id quod unus referebat, cenſeri poterat eſſe relatio utriuſque quatenùs uno proferente, alter ſua præſentia & aſſenſu approbabat: Fuiſſe autem Moyſen, cui Dominus hic legitur dixiſſe, *dic eis*, clarum eſt ex ſeq. verſu 39. ubi legitur Moyſes ad populum retuliſſe ea quæ hic jubentur.

[ *Sicut locuti estis audiente me.* ] Quando scilicet versu 3. dixerunt.

*In hac vasta solitudine utinam pereamus, & non inducat nos Dominus in Terram istam.*

[ *Sic faciam vobis.* ] *Discendum hinc* quid murmur & rebellio mereatur, quàmque Deo displiceat, quandoquidem propter illud tot centena hominum millia occiderit in Deserto, & exclusetit ab ingressu Terræ promissionis ne similiter excludamur ab ingressu Cœli per terram illam figurati.

[ ℣. 29. *In solitudine hac jacebunt Cadavera vestra.* ] Sermo est de solitudine Pharan quæ admodum ampla & vasta erat, & in qua Hebræi fecerunt Mansiones octodecim. Ex eo quod dicitur, *jacebunt*, non sequitur futurum quòd corpora eorum manerent insepulta, quamvis id quibusdam accidere posset, velut iis qui occiderentur in bello, sed tantùm significatur quòd morerentur in Deserto, nec sepelirentur in Terra promissionis, in qua ut sua corpora sepelirentur magnopere experierunt Jacob Genes. 46. & Joseph Genes. 50.

[ *Omnes qui numerati estis à viginti annis & supra, & murmurastis contra me,* ] Agitur de numeratione quæ cœpta est fieri anno secundo egressionis de Ægypto, prima die mensis secundi, sup. cap. 1. Unde consequens est computationem præsentem non esse accipiendam de illis qui tunc erant viginti annorum, quando lata fuit hæc sententia; sed de iis qui erant viginti annorum quando facta est numeratio.

[ ℣. 30. *Non intrabitis terram, super quam levavi manum meam, ut habitare vos facerem,* [Hoc est, de qua juravi, seu cum juramento promisi quòd facerem vos habitare in ea. Confer quæ diximus ad cap. 6. Exod. vers 8.

[ *Præter Caleb filium Jephone, & Josue filium Nun.* ] Hi duo soli excipiuntur à sententia data contra eos qui à viginti annis numerati fuerant, & murmuraverant. Unde sequitur omnes ab eo anno numeratos murmurasse, & propter murmur fuisse exclusos à terræ promissionis ingressu, morteque multatos. Quoniam verò hac sententia non comprehenduntur Levitæ, cùm ipsi non fuerint numerati à viginti annis; uti nec illi qui erant infra annum vigesimum, neque Mulieres; cùm ipsæ non venerint in Censum, quos tamen omnes, & præsertim mulieres, abstinuisse à murmuratione, non est verisimile; *dicendum* est, eos non idcircò intrasse in terram promissionis, sed quotquot murmuraverunt, sive in Levitis, sive ex natis infra annum vigesimum, sive ex mulieribus, mortui sunt in deserto sicut alii: Id enim importat generalis illa sententia versus 23. *Nec quisquam ex illis qui detraxit mihi intuebitur eam.* Cæterùm etsi omnes isti murmuratores puniti fuerint morte temporali, non propterea existimandum est omnes esse damnatos ad mortem æternam, sed qui seriò ad Deum conversi pœnitentiam egerunt, salvati sunt. *Sicut autem* ex tot centenis millibus hominum qui numerati fuerant cap. 1. soli Caleb & Josue intrarent terram promissionis, *ità* ex plurimis hujus mundi centenis millibus pauci Cœlum ingrediuntur, *Multi enim sunt vocati, pauci verè electi:* Matth. 20. conformiter ei quod cap. 7. habetur, Angustam portam, & arctam esse viam quæ ducit ad vitam, & paucos esse qui inveniunt eam. *Circa quam tamen doctrinam* non videtur aliena esse distinctio quam aliqui faciunt dicentes, quòd computando ex omnibus omninò hominibus plures damnentur quàm salventur; quoniam ante Christi Adventum rara fuit Dei cognitio, & post eum plurimi non audierunt Evangelium, multique eorum qui illud audierunt, non crediderunt, vel non secundùm illud vixerunt. Ex his quoque qui Christiano nomine censentur, comprehendendo Hæreticos, Schismaticos, Apostatas, fideles improbos, major est numerus damnatorum quàm salvatorum. At ex illis qui Fideles intra Ecclesiam moriuntur, probabile est plures salvari, quàm damnati, multi enim suscepto baptismo decedunt ante adultam ætatem, & ex adultis multi piè vivunt, & qui labuntur in peccata mortalia plurimi per Sacramentum Pœnitentiæ resurgunt, & specialiter circa extremum vitæ. His conformia habet Sylvester in *Rosa aurea* super Dominicam Septuagesimæ, Ubi *quærens* utrùm Christiani eligendi ad gloriam sint pauciores damnandis ad pœnam, *benè respondet* soli Deo notam esse hujus quæstionis veritatem, *probabiliter* tamen dici posse quòd major pars Christianorum habentium fidem rectam, & viventium in Obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ salvatur.

[ ℣. 31. *Parvulos autem vestros, de quibus dixistis quòd prædæ hostibus forent,* ] Contra id quod Hebræi vers. 3. dixerant se interficiendos si terram promissionis intrarent, uxores autem, & parvulos ipsorum ducendos captivos; Deus promittit parvulos non ducendos captivos, sed ab eo in terram illam introducendos, ut eam possideant: De uxoribus nihil dicit, idque propterea, juxta Abulensem, quia pueri qui erant ætate parvuli non poterant murmurare, & ideò introducti sunt in terram: Uxores autem potuerunt murmurare, & verisimile est, quòd cum viris suis murmuraverint, si non etiam magis quàm ipsi, & idcircò non fuerunt in Chanaam introductæ, sed in deserto mortuæ.

[ *Introducam: ut videant terram, quæ vobis displicuit.* ] *Ut videant.* Alii ex Hebræo vertunt, *Et scient; 70. Et hæreditate possideant.* In Hebr. enim non est simplex verbum *videndi*, sed quod scientiam cum experientia importat; ideoque sensus est, quòd Deus illos parvulos introducet in terram promissam, ut in ea habitent, eamque possideant. Meritò additur, *quæ vobis displicuit*; quemadmodum enim Psalm. 105. dicitur, *pro nihilo habuerunt terram desiderabilem*, atque ut tum superiori, tum præsenti capite habemus, dixerunt terram illam devorare habitatores suos, & voluerunt reverti in Ægyptum.

[ ℣. 32. *Vestra cadavera jacebunt in solitudine:* ] Sive sepulta, sive insepulta.

[ ℣. 33. *Filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta,* ] Non uno videlicet loco consistentes, vel habitantes, sed huc illuc euntes per desertum, & diversas mansiones in eo facientes. *Difficultas autem est*, quomodò dicantur futuri vagi annis 40. cùm hæc contigerint anno secundo egressionis de Ægypto, & ab exitu de Ægypto usque ad ingressum in Terram Chanaan non fluxerint anni quadraginta duo, sicut mendosè apud 70. tot anni exprimuntur Jos. 5. sed solùm anni quadraginta. Nam Exod. 7. Moyses scribitur fuisse octoginta annorum, & Aaron 83. quando locuti sunt ad Pharaonem paulò ante egressum Hebræorum de Ægypto: Aaron autem qui mortuus est ultimo anno peregrinationis eorum per desertum, solùm erat in morte centum viginti trium annorum, ut habetur inferiùs cap. 33. Et Moyses qui eodem anno obiit quo Aaron, tantùm centum & viginti annorum. Consequens igitur est annos totius peregrinationis per desertum, fuisse duntaxat quadraginta; & propterea sive ab exploratione terræ promissæ ob quam concitatum fuit murmur, sive ab ipso murmure usque ad ingressum in illam, non sunt plusquam triginta octo anni cum medio, vel circiter, seu triginta novem inchoati. Dicuntur tamen 40. vel juxta phrasim aut consuetudinem Scripturæ, quæ numerum perfectum exprimit, quamvis reipsa sit paulò major aut minor. Hac ratione solemus dicere Septuaginta interpretes, & Septuaginta Christi Discipulos, cùm fuerint septuaginta duo. Judicum etiam cap. 9. Abimelec dicitur occidisse 70. filios Jerobaal, cùm tamen solùm occidisset 69. servato nimirum à morte Joathan, qui erat septuagesimus. Vel dici potest filios vagatos in Deserto annis quadraginta, aut quia ibi fuerunt fere 40. annis, aut quia fuerunt usque dum complerentur anni 40. ab exitu de Ægypto; ut sit phrasis similis cum ea qua Exod. 12. dictum est, quòd *habitatio filiorum Israel in Ægypto fuit quadringentorum triginta annorum*, quia pervenit usque ad 430. annum, vel à promissione seminis facta Abrahæ, vel ab ejus exitu de Ur Chaldæorum.

[ *Et portabunt fornicationem vestram,* ] Id est, pœnam fornicationis vestræ sustinebunt. In Heb. est plurale *Fornicationes vestras*. Fornicatio autem non accipitur propriè, prout est species Luxuriæ, sed Metaphoricè pro recessu à Deo, & pro rebellione contra ipsum. Sicut enim mulier quæ declinat à viro cui est obligata, & alteri jungitur, fornicationem seu adulterium committit, sic anima quæ per legem est Deo alligata, si ab ipso recedat, nolens ei, seu ejus præceptis obedire, fornicari dicitur. Et familiare quidem est Sa-

eſt Sacra Scriptura Idololatriam, per quam à Dei cultu receditur, vocare fornicationem: At, hic latiùs ſumi debet, ſcilicet pro qualibet rebellione contra Deum. *Quoniam porrò* præſens ſermo procedit de filiis innoxiis, qui neque murmuraverunt, neque ſua culpa promeruerunt differri ab ingreſſu in terram promiſſionis, *quæri poteſt*, quomodò juſtè portaverint pœnam iniquitatis Patrum ſuorum. *Reſp.* quòd juſtè, quia dilatio ingreſſus in terram illam, non fuit propriè pœna reſpectu filiorum, ſed tantùm reſpectu parentum, qui ex hoc magis affligebantur quòd non ſolùm ipſi eſſent excluſi ab illa terra, ſed filii quoque ſui non poſſent eam ingredi, uſque dum anni quadraginta eſſent expleti. *Accedit*, quòd iſta dilatio multùm cederet in commodum filiorum: *Primò*, ut interim ætate & robore creſcerent, idoneique redderentur ad pugnandum cum Chananæis. *Secundò*, ut etiam creſcerent numero, & ſic magis poſſent terram Chanaan replere. *Tertiò*, ut parentum pœna fieret eis medicina, ac diſcerent non murmurare, dum ab infantia experirentur quantùm Deo diſpliceret murmuratio, & quomodò illam puniat.

[ *Donec conſumantur Cadavera Patrum in Deſerto*,] Quod non ita explicandum eſt, *donec totaliter putreſiant & vertantur in pulverem*, ſed ſic, uſque quò moriantur: Nam ſtatim ac omnes murmuratores mortui ſunt; illi qui non peccaverant, tranſierunt in eam partem terræ Chanaan quam Amorrhæi occupabant, *infra cap.32*. Et poſteà tranſierunt Jordanem loca reliqua occupaturi.

[ ℣.34. *Juxta numerum quadraginta dierum, quibus conſideraſtis terram*:] Ut ſicut quadraginta dies impenderunt conſiderando terram, comprehenſo videlicet tempore profectionis & reverſionis, ita quadraginta annis vagentur in ſolitudine: Non quòd toto illo temporis ſpatio ſemper eſſent profecturi vel ambulaturi, ſed quia uſque ad finem illius futuri eſſent in Deſerto, nunc huc nunc illuc euntes, nec inde egreſſuri ante finem illorum annorum.

[ *Annus pro die imputabitur*.] Unus annus computabitur pro uno die, & tot annis remanebunt in deſerto, quot diebus exploraverunt terram. *Neque putandum eſt* hoc eſſe contra rationem divinæ juſtitiæ, ea eo quòd Exploratores non totis quadraginta diebus murmuraverint, & quamvis murmuraſſent, non tamen dies æqualitatem durationis haberet ad annum. *Nam*, in puniendo peccatorum quantitas pœnæ non debet reſpondere durationi actus peccati, ſed ejus gravitati, ſecundùm ea quæ diximus Supplem. quæſt.99. art. 1. Gravitas autem peccati Exploratorum facilè merebatur quadraginta annorum pœnam, imò & majorem. *Ex his* intelligi poteſt quòd in numero quadragenario non ſervetur proportio dierum culpæ ad annos pœnæ, ſed congruitas quædam numeri dantis occaſionem culpæ ad numerum quo infligebatur pœna.

[ *Et quadraginta annis recipietis iniquitates veſtras*,] Per annos 40. recipietis pœnam iniquitatum veſtrarum.

[ *Et ſcietis ultionem meam*: Experiemini ultionem quam ſum inflicturus. Sed *quæri poteſt*, quomodò verum eſſe queat quòd tot fuerint anni vagationis per deſertum, quot fuerunt dies Explorationis terræ: Cùm dies Explorationis fuerint 40. & anni vagationis ſolùm 39. iique non pleni, ſed inchoati: *Reſp.* Quòd licèt à tempore murmuris per Exploratores ſuſcitati non plures anni fuerint quàm 39. inchoati: A tempore tamen exitus de Ægypto fuerunt 40. Cùm autem Deus vult numerum annorum vagationis reſpondere numero dierum Explorationis terræ, computat omnes annos quibus fuerint in Deſerto, eorum initium ſumendo à primò ingreſſu in Deſertum, ſive ab exitu de Ægypto, declaratque illos omnes eſſe in pœnam, non quidem illius peccati quod ſecutum eſt, ſed partim ejus, partim eorum quæ anteà commiſerunt, tum in adoratione vituli, tum murmurando, & contra Deum rebellando multis illis vicibus, de quibus ad verſum 22. Huc pertinet quod verſu 33. diximus haberi in Hebr. pluraliter, *Fornicationes veſtras*; quòdque in præſenti tam noſter Textus, quàm Hebræus habet, *iniquitates veſtras*.

[ ℣.35. *Quoniam ſicut locutus ſum, ita faciam omni multitudini huic peſſimæ*,] Dicitur univerſaliter *omni*, quia maxima pars murmuravit.

[ *In ſolitudine hac deficiet, & morietur*.] Quidam Hebræi volunt omnes murmuratores qui mortui ſunt in Deſerto, fuiſſe ad minùs ſexaginta annorum, & qui citiùs complebat ſexaginta annos citiùs moriebatur: Sed abſque fundamento loquuntur; & veroſimilius eſt eos qui gravius peccaverunt, citiùs fuiſſe mortuos, ſicut decem Exploratores qui cum Joſue & Caleb iverant, citò mortui ſunt; quos omnes fuiſſe ſexagenarios, nullo argumento doceri poteſt, utì nec eos qui ſtatim leguntur ab Amalecitis & Chananæis percuſſi. Videri poteſt Abulenſis quæſt.93.

[ ℣.36. *Igitur omnes viri, quos miſerat Moyſes ad contemplandam terram, &c.*] Anticipatione utitur Moyſes prius narrans id quod demum contigit poſtquàm ipſe retuliſſet populo, & locutus eſſet univerſa quæ Deus præceperat.

[ ℣.37. *Mortui ſunt atque percuſſi in conſpectu Domini*.] Prius eſt percuti quàm mori, & propterea ſenſus eſt, quòd percuſſione mortui ſunt. De genere mortis nihil dicitur. Satis certum eſt quòd omnes morte repentina mortui ſunt, & quidem eodem die ad exemplum & terrorem aliorum, ſive peſte, ſive quovis alio genere percuſſi fuerint. Quod dicitur, *In conſpectu Domini*, Abulenſis rectè interpretatur, *adhuc præſente Deo*, quia ſcilicet erant apud oſtium Tabernaculi, quò Populares convenerant ad Moyſen; Vel immediatè ut ſententia data eſt. Sicut (inquit) ſi Judex mandaret aliquem jugulari, & immediatè jugularetur, iſte diceretur jugulari coram judice.

[ ℣.38. *Joſue autem filius Nun, & Caleb filius Jephone, vixerunt ex omnibus qui pertexerant ad conſiderandam terram*.] Ex omnibus Exploratoribus qui fuerant duodecim, ſoli Joſue & Caleb non ſunt percuſſi, nec mortui, quia non murmuraverant, ſed murmurantibus acriter reſtiterant.

[ ℣.39. *Locutuſque eſt Moyſes univerſa verba hæc ad omnes filios Iſrael*,] Sententiam mortis quam Deus coram Moyſe & Aarone tulit adverſùs murmuratores, Moyſes tamquàm Legiſlator & Dux populi denuntiat omnibus Iſraelitis, etiam illis qui non murmuraverant; expediebat enim quòd omnes eam noſſent. Sic autem loquitur omnibus ut qui non poſſent eum audire præ multitudine, ab aliis acciperent quæ dicta erant.

[ *Et luxit populus nimis*.] Non tam quia peccaverant, quàm propter pœnam eis inflictam, & propter ſubitam mortem Exploratorum.

[ ℣. 40. *Et ecce manè primo ſurgentes*.] Die ſequente promulgationem ſententiæ, & mortem Exploratorum.

[ *Aſcenderunt verticem Montis*:] Hoc eſt, aſcendere voluerunt, ſeque paratos ad aſcendendum exhibuerunt: Quòd enim noodum aſcendiſſent, patet ex eo quòd Moyſes, non in monte, ſed in Caſtris exiſtens dehortatur eos ne aſcendant.

[ *Atque dixerunt: parati ſumus aſcendere ad locum, de quo Dominus locutus eſt*:] In terram videlicet Chanaan.

[ *Quia peccavimus*.] q. d. Quia antè peccavimus nolendo ire, nunc volumus ſupplere, citò eundo. *Sic; Dum vitant ſtulti vitia in contraria currunt*. Priùs, quando Deus juſſerat, noluerunt aſcendere timiditate quadam & puſillanimitate victi: Jam cùm Deus mandat ut revertantur in ſolitudinem per viam maris rubri: nimia audacia & præſumptione freti aſcendere volunt, & contra Dei præceptum de facto aſcendunt.

[ ℣.41. *Quibus Moyſes: Cur, inquit, tranſgredimini verbum Domini*,] Tam illud quo juſſerat ut reverterentur; quàm alterum, quo mortis ſententiam tulerat, & certiores fecerat quòd nullus eorum intraret terram promiſſam.

[ *Quod vobis non cedet in proſperum*?] Q.d. Quod vobis malè cedet: Minus quippe dicitur, & plus intelligitur, quemadmodùm 2. Paralip. 24. *Quare tranſgredimini præceptum Domini quod vobis non proderit*. Et Sap. 1. *Cuſtodite vos à murmuratione quæ nihil prodeſt*.

[ ℣. 42. *Nolite ascendere;* ] Ne ascendatis. Moysen fuisse à Deo jussum ista dicere, expressum est Deuter. 1. ubi Dominus sic ad eum loquitur ; *Dic ad eos , nolite ascendere : Non enim est Dominus vobiscum* , tamquàm videlicet adjutor. Etsi Arca in qua Dei Majestas apparebat, & ubi peculiari modo ipse censebatur præsens , non esset cum illis , non est tamen hoc quod verbis illis significatur, sed sensus est, abesse ab illis divinum favorem & auxilium, Deumque non adjuturum ipsos.

[ ℣. 43. *Amalecites & Chananæus ante vos sunt.* ] In locis nimirum illis ad quæ Hebræi rectè tendebant.

[ *Quorum gladio corruetis ,* ] Cùm ipsi sint valde fortes , plurimumque adversùm vos animati, vos autem divino auxilio sitis destituti.

[ *Eo quod nolueritis acquiescere Domino,* ] Jubenti ut revertamini in solitudinem, & non ascendatis.

[ ℣. 44. *At illi contenebrati* ] Septuaginta & alii ex Hebr. vertunt, *& vim facientes* . Significatur autem , quòd tum cupiditate progrediendi , tum superbia excæcati impetuosè ascenderunt , unde Deuteron. 1. Moyses illis improperans dicit : *Tumentes superbia ascendistis.*

[ *Ascenderunt in verticem montis,* ] In quo Amalecitæ & Chananæi habitabant , qui statim Hebræos invaserunt.

[ *Arca autem Testamenti Domini & Moyses non recesserunt de Castris .* ] Hoc est, de loco Castrorum . Idemque judicium est de Josue, Caleb, aliisque piis qui multitudinis consilio non acquiescebant , & speciatim de Levitis saltem illis qui occupati erant circa Tabernaculum; nominatim tamen exprimitur Moyses tamquàm Princeps populi . *Cujus exemplo* docentur Pastores & Rectores diligenter pro suo populo orare, & ipsius desiderio non acquiescere , contra ea quæ Deus jubet.

[ ℣. 45. *Descenditque Amalecites & Chananæus qui habitabat in Monte :* ] Deuter. 1. dicitur Amorrhæus qui habitabat in montibus esse egressus, & hos Hebræos persecutus; unde sequitur , vel quòd Amorrhæi se junxerint Amalecitis & Chananæis , vel quòd Chananæus hic pro Amorrhæo ponatur , nomen scilicet generale populorum istius terræ.

[ *Et percutiens eos atque concidens, persecutus est eos usque Horma.* ] Hoc est usque ad locum qui posteà vocatus est Horma, sive Anathema , ab Hebræis videlicet infra cap. 21. quando ipsi nihil acceperunt eorum quæ ibi erant, sed cuncta in Dei honorem destruxerunt. Per anticipationem ergo locus iste vocatur hic Horma, qui erat in extremis finibus terræ Chanaan.

## CAPUT XV.

*Qua libamenta ingressi terram offerenda sint, ac primitiæ separanda ; Pœna peccati per ignorantiam aut superbiam commissi : Lapidatur qui Sabbato ligna collegit : Fimbriæ ac vitta per quatuor angulos palliorum ponenda.*

[ ℣. 1. LOcutus est Dominus ad Moysen, ] Quando hæc locutio facta fuerit, & præcepta quæ hic sequuntur, data, incertum est . *Probabiliter sentiunt,* qui dicunt quòd in monte Sina cum reliquis cæremonialibus data fuerint , sed quòd Deus ea repetierit post latam contra populum mortis diuturnæque peregrinationis sententiam ; idque tum memoriæ, tum majoris observationis causa.

[ ℣. 2. *Cùm ingressi fueritis terram habitationis vestra* , ] Sive, ad quam inhabitandam pergitis. Ideò sic loquitur Deus, quia durante peregrinatione per Desertum, Israëlitæ non sacrificabant, neque leges cæremoniales servare tenebantur; cùm ibi non semper eis suppetere possent , quæ forent necessaria, sed demùm cùm ingressi essent terram Chanaan, eamque pacificè possent possidere.

[ *Quam ego dabo vobis* , ] Tamquàm Dominus illius ut & omnium aliarum rerum . Per quod Deus amputat populo Hebræo occasionem superbiæ , ne sibi viribusque suis attribueret expugnationem & possessionem terræ Chanaan , & ne diceret in corde suo , Fortitudo mea , & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt , sed recordaretur Domini Dei sui , quòd ipse vires ei præbuerit , ut impleret pactum suum , Deuteron. 8.

[ ℣. 3. *Et feceritis oblationem Domino in holocaustum , aut victimam ,* ] Non pauci addunt , *Pacificam* ; Sed neque in Hebr. neque apud 70. reperitur ; nec est de textu : Quamvis præsens dispositio de ea intelligatur . Disponitur enim de Libaminibus seu Libamentis quæ erant quædam appendices aliquorum Sacrificiorum, debebantque cum illis adhiberi , Et hujusmodi præter salem qui in omni oblatione offerri jussus est , Levit. 2. erant simila , vinum , oleum , & Thus : Quæ tamen non omnibus sacrificiis adhiberi oportebat , sed holocaustis solùm, & victimis pacificis ; non autem hostiis pro peccato , nisi in casu quo specialiter mandaretur, velut in mundatione leprosi Levitic. 14.

[ *Vota solventes, vel sponte offerentes munera,* ] Hoc est, sive sacrificia offeratis ex voto, sive sponte, sive ulla obligatione voti aut legis.

[ *Aut in solemnitatibus vestris* ] Aut offerentes holocaustum vel victimam in vestris solemnitatibus juxtà rationem cuique diei præscriptam . Intelligi idem servandum fuisse in jugi, sive quotidiano sacrificio . Nam hoc disertè mandatur Exod. 29. Et generale erat, quòd nullum holocaustum, nulla hostia pacifica offerretur absque libamentis, nisi holocaustum esset ex turturibus aut columbis.

[ *Adolentes odorem suavitatis Domino, de Bobus , sive de ovibus:* ] Significatur , quòd quicumque offerret bovem vel ovem in sacrificium, offerre deberet ea libamenta de quibus sequitur ; offerre enim aliquid ad cremandum super Altare, dicitur *adolere* ; & quicumque offerebat holocaustum vel hostiam pacificam , faciebat eam super Altare cremari vel in toto , vel in parte , & hoc erat adolere boves, vel oves . Dicitur , *odorem suavitatis Domino*, non quòd odor ex illis animalibus crematis exhalatus, esset secundùm se suavis , vel Deo gratus, sed quoniam ex fide, & devotione , obedientiaque offerentium, ista oblatio Deo placebat . Cùm additur , *de bobus , sive de Ovibus* , sub bobus comprehenduntur vituli & vaccæ , tamquàm animalia ejusdem generis ; similiter sub ovibus, Agni & Arietes, imò & Capræ & hirci, secundùm ea quæ Levit. 1. diximus.

[ ℣. 4. *Offeret quicumque immolaverit victimam , sacrificium similæ,* ] Quicumque immolaverit, id est ; qui ad immolandum attulerit , seu obtulerit ; Nam immolare propriè erat Sacerdotum quibus solis competebat, Laici autem non per se immolabant , sed offerebant animalia , ut per Sacerdotes immolarentur : Et tunc debebant simul offerre sacrificium similæ, hoc est , similam , tamquàm additamentum quoddam ad sacrificium ex victima , ut Levitic. 2. dictum est . Determinatur autem quantitas similæ , & quid cum ea esset offerendum , dicendo ,

[ *Decimam partem Ephi ,* ] Hoc est , unum gomor, ut habetur Exod. 16.

[ *Conspersa oleo,* ] Ista simila debebat esse conspersa, seu commixta oleo, ita ut loco aquæ adhiberetur oleum ad faciendam pastam.

[ *Quod mensuram habebit quartam partem hin :* ] Istud oleum non erat ad libitum offerentis , sed ipse debebat infundere quartam partem mensuræ quæ vocabatur *hin*, id est , libras tres cum quatuor unciis : Nam *hin* erat mensura continens tredecim libras, & aliquantò plus.

[ ℣. 5. *Et vinum ad liba fundenda* ] Sive ad libandum , seu fundendum , non solùm super similam , sed etiam super victimam , aut victimæ partem quæ cremanda erat . *Opinantur quidam* non totum vinum fuisse fundendum , sed aliquam duntaxat ejus partem , reliquam autem cessisse in usum Sacerdotum . *Quoniam verò* Scriptura non alium hujus vini usum indicat quàm ad libandum ; *aliis probabilius videtur*, quòd totum deberet libari seu fundi, nec de illo quidquàm rediret ad usum Sacerdotum.

[ *Ejusdem mensuræ dabis in holocaustum sive in victimam.* ]

*mam*. ] Pro libamine dabit vinum ejuſdem, menſuræ eum oleo, ſive fiat holocauſtum, ſive victima pacifica.

[ *Per Agnos ſingulos* ] Id eſt, in oblatione cujuslibet Agni. Hæc verba non ad ſequentia, ſed ad præcedentia referunt Textus Hebræus, & 70. Interpretes ſimiliterque Vatablus, Cajetanus, Abulenſis, Dionyſius, Lorinus, Cornelius, Marius, Bonfrerius; ita ut quod ſequitur.

[ ℣. 6. *Et Arietes* ] Hunc ſenſum habeat, *& per Arietes?* vel, *per Arietes autem*; id eſt, in cujuslibet Arietis oblatione.

[ *Erit ſacrificium ſimila duarum decimarum*, ] Eſt ergo diſcrimen, quòd ſi offerebantur Agni in holocauſtum, aut in hoſtiam pacificam, in oblatione ſingulorum oportebat adhibere unam decimam ſimilæ, ſive unum Gomor: Si verò offerebantur Arietes, in cujuſque illorum oblatione debebant adhiberi duæ decimæ, ſive duo gomor ſimilæ, major ſcilicet menſura pro ariete, quàm pro Agno; ſicut & Arietis hoſtia major eſt quàm Agni. Nam Agnus intelligitur qui agebat annum, eademque eſt ratio oviculæ, hæduli, ſeu parvi hirci; Aries autem qui annum impleverat.

[ *Quæ conſperſa ſit oleo tertiæ partis hin:* ] Sicut augetur hic ſimila ſupra eam quæ offerebatur cum Agno, ita augetur oleum, quia oleum erat ad commiſcendum ſimilam, quæ cùm majoris eſſet quantitatis, majori indigebat olei quantitate.

[ ℣. 7. *Et vinum ad libamentum tertiæ partis ejuſdem menſuræ offeret* ] Intelligitur tertia pars menſuræ *hin*: In libando namque ſemper ſtatuitur eadem menſura vini, quæ olei.

[ *In odorem ſuavitatis Domino*. ] Ut ex devotione offerentium ſit Deo gratum, ſicut odor ſuavis ſolet eſſe gratus hominibus.

[ ℣. 8. *Quando verò de bobus feceris* ] offerre volueris.

[ *Holocauſtum aut hoſtiam, ut impleas votum* ] Id eſt, hoſtiam votivam, ſeu quam ex voto teneris offerre, [ *vel pacificas victimas* ]

[ ℣. 9. *Dabis per ſingulos boves*, ] Sive, in cujuſque bovis immolatione.

[ *Simila tres decimas conſperſa oleo quod habeat medium menſuræ hin:* ] Quando immolabatur bos; ſub quo vitulus, nulla ætatis facta diſtinctione, comprehenditur, oportebat adhibere plus ſimilæ quàm in immolatione arietis, nimirùm tres decimas, & ad eam ſimilam plus olei, ſcilicet medietatem menſuræ hin.

[ ℣. 10. *Et vinum ad liba fundenda* ] Sive ad libandum, ſeu fundendum.

[ *Ejuſdem menſuræ* ] Moraliter, *Perfuſio vini ſuper hoſtiam*, denotat eam offerri debuiſſe cum alacritate & lætitia, quoniam *vinum lætificat cor hominis*, Pſalm. 103. idemque eſt de oleo, quod ut ibidem ſignificatur, *exhilarat faciem*; *ſimila* verò, ſicut de pane additur, *cor hominis confirmat*: Et ſicut *majori hoſtiæ plus libamenti jubetur addi*, ita majori pio operi *plus olei & vini*, id eſt, plus devotionis & hilaritatis dandum eſt.

] ℣. 11. *Sic facies* ℣. 12. *Per ſingulos boves, & Arietes, & Agnos, & Hædos*. ] Sic libamenta ſimilæ, olei, ac vini offerens in ſingulorum boum immolatione, ſicut jam eſt præſcriptum; & in Arietis etiam immolatione, offeres ea quæ pro ipſius ſacrificio juſſa ſunt; & in Agni quoque ſeu hœduli immolatione, ſimiliter ea quæ pro Agni ſacrificio ſunt dicta.

[ ℣. 13. *Tam indigenæ quàm peregrini* ℣. 14. *Eodem ritu offerent ſacrificia*. ] Cum iiſdem hoſtiis, iiſdemque libamentis, & ejusdem quantitatis. *Indigenæ* ad Litteram dicuntur quaſi *inde geniti*, ſicut indigenæ Romani vocantur qui in urbe Roma ſunt geniti; qui autem *aliunde veniunt*, vocantur *Advenæ*, vel peregrini: At hic non accipiuntur Indigenæ & peregrini ſeu Advenæ, reſpectu alicujus terræ, ſed reſpectu fidei & cultus divini qui erat apud Hebræos; ita ut quotquot nati eſſent ex parentibus Hebræis, & in ritu Hebræo, dicerentur indigenæ: Qui verò ex Gentilitate veniſſent ad Judaiſmum, vocarentur peregrini & Advenæ, ſeu proſelyti, quomodò habent 70. Interpretes.

[ ℣. 15. *Unum præceptum erit atque judicium tam vobis, quàm Advenis terræ*. ] Judicium intelligi poteſt eſſe idem quòd præceptum ſeu ſtatutum; Et ſignificatur præceptum de ritu immolandi datum illis qui ſunt Hebræi genere, debere ſervari etiam ab iis qui ad Judaiſmum ſunt converſi. Hæc lex ita repetitur & inculcatur; *tum* ut Hebræi eſſent promptiores ad recipiendum Gentiles qui veram Religionem amplecti vellent; *tum* ut Gentiles faciliùs inducerentur ad eam amplectendam; *tum* ut intelligeretur diſparem cultum, & falſæ Religionis cum vera profeſſionem & exercitium, non debere, quantùm fieri poteſt, admitti. *Allegoricè* etiam ſignificatur myſterium vocationis Gentium ex quibus unà cum Hebræis coaleſceret Eccleſia.

[ ℣. 18. *Cùm veneritis in terram quam dabo vobis*, ] Novum præceptum traditur, non ante quoque obſervandum, quàm ingreſſi eſſent terram promiſſionis, eò quòd in Deſerto, Sacerdotes & Levitæ non indigebant panibus, cùm haberent quotidie Manna, ſicut reliqui omnes.

[ ℣. 19. *Et comederitis de panibus Regionis illius, ſeparabitis primitias Domino* ℣. 20. *de cibis veſtris*. ] Senſus eſt, cùm de panibus qui ex frugibus illius terræ fient, volueritis comedere: priuſquàm comedatis, primitias ſeparare debetis. *Panem* aliquando ſumi pro omni cibo conſtat, hoc tamen loco non ita ſumitur, ſed pro eo quod communiter nomine panis ſignificari ſolet, id eſt, pro pane prout ab aliis cibis diſtinguitur. Non enim jubetur ut Hebræi de quolibet cibo primitias ſeparent (id quod ſupra modum grave fuiſſet) ſed tantùm ut de panibus, ita ut quotieſcumque panes conficerent, ante omnia ſepararent de maſſa farinacea unum panem dandum Domino, ſeu Domini Sacerdotibus & Levitis. *Confirm*. Tam in Hebræo, quàm apud 70. hæ primitiæ vocantur *primitiæ conſperſionis*, hoc eſt, Maſſarum ſubactarum, quod propriè panibus convenit. *Ex his ſequitur*, quòd præter primitias frugum & fructuum, offerri deberent aliæ primitiæ, ſcilicet panum quotidianorum; cum hoc tamen diſcrimine, quòd illæ tantùm ſemel in anno dari deberent, iſtæ ſæpiùs; ſemel nimirùm, aut bis, vel ter per hebdomadam, ſecundùm quod frequentiùs aut rariùs panem coquebant. *Deinde*, illæ debebant ferri ad Templum, ſeu ad Tabernaculum, non iſtæ, ſed diſtribuebantur Sacerdotibus & Levitis, qui permixtim habitabant, tum in urbibus 48. de quibus inf. cap. 32. & Joſ. 21. tum in aliis in quibus licebat eis habitare, ſicut ex Deuteronomii 12. intelligi poteſt. Nec Levitis difficile erat in omnibus illis locis conſtituere aliquos qui ejuſmodi primitias pro ipſis reciperent. Cùm dicitur, *de cibis veſtris*, cibi ſumuntur pro *panibus*, conformiter eis quod præcedit, *de panibus Regionis illius*.

[ *Sicut de areis primitias ſeparatis*, ]

[ ℣. 21. *Ita & de pulmentis dabitis primitiva Domino*. ] *De areis*, id eſt de granis quæ ponuntur in area: Et ſub areis *probabile eſt* comprehendi torcularia, quoniam de his quoque ſolvebantur primitiæ, ſcilicet de vinea ſeu de uvis, quemadmodum ad cap. 23. Exodi fuit dictum. Pro, *de pulmentis*, Liranus ſcribit haberi in Hebræo *de paſtis*, hoc eſt, de Maſſis farinæ ſubactis; conſentiuntque Interpretes, ſicut priùs per *cibos*, ita nunc per *pulmenta* ſignificari panes. Quò pertinere poteſt quòd olim veteres longo tempore uſi fuerunt pulte, non pane, ut eſt apud Plinium lib. 18. cap. 8. Abulenſis quæſt. 27. arbitratur iſtas panum primitias non ita ſtrictè ſolvi debuiſſe ſicut decimæ, & frugum ac fructuum primitiæ: Sed cùm idem videatur eſſe modus præcipiendi, cumque illa quæ mox ſequuntur contra tranſgreſſores generalia ſint, non plus à peccato excuſandi videntur harum fraudatores quàm aliarum, niſi fortè propter levitatem materiæ.

[ ℣. 22. *Quòd ſi per ignorantiam præterieritis quidquam horum, quæ locutus eſt Dominus ad Moyſen*, ]

[ ℣. 23. *Et mandavit per eum ad vos, à die qua cœpit jubere & ultra*, ] Seu, & deinceps. Sub ignorantia comprehenditur oblivio, inconſideratio, & inadvertentia, ſermoque eſt de peccatis poſt legem latam commiſſis, & de præceptis

hue

huc usque datis sine ulla exceptione, vel etiam posteà dandis.

[℣. 24. *Oblitaque fuerit facere multitudo: offeret vitulum de armento, holocaustum in odorem suavissimum Domino, & sacrificium ejus ac liba;* ] Vitulo additur, *de armento*, propter majorem expressionem, cùm constet vitulos non nisi de armento esse, hoc est, de grege majorum animalium. Holocaustum propriè accipitur pro eo quod totum cremabatur super altare, non autem pro vitulo qui cremabatur extra Castra, quod non erat propriè sacrificium holocausti, sed hostia pro peccato. Cùm dicitur, *sacrificium ejus ac liba*, designatur appendix eorum quæ ad holocaustum, sicut & ad hostiam pacificam de more addebantur; & per sacrificium significatur simila, in Hebræo enim est *Mincha*; per liba autem, liquores olei & vini, quos præter similam adhiberi oportebat.

[*Ut ceremonia postulant*, ] Sicut cæremoniæ à Deo præscriptæ postulant.

[ *Hircumque pro peccato:* ] Quoniam verò cap. 4. Levit. jussum est, ut pro peccato multitudinis offerretur vitulus, nihilque dictum vel de holocausto, vel de hirco, *quidam existimant* sermonem ibi esse de peccato contra jus divinum naturale; hìc autem de eo quod est contra jus divinum positivum. Sed contra facit in primis, quòd in Levitico, cùm de peccatis, & victimis, Sacerdotis, Principis, & hominum privatorum agitur, de quibusvis eorum peccatis contra quodcumque jus divinum sermo est; ergo similiter quando agitur de peccatis & victimis multitudinis, cùm textus nihil diversum significet. *Deinde*, non apparet ratio quare exigantur plura pro peccato contra jus divinum positivum commisso, quàm pro illo quod est contra jus divinum naturale. *Potiùs dicendum videtur*, præsentem legem esse diversam ab ea quæ habetur Levit. 4. & quod ibi tacitum fuit de hirco pro peccato, hìc suppleri, sicut & de vitulo qui offerendus erat in holocaustum: Nam vitulus de quo illic agitur, non erat holocaustum, sed hostia pro peccato. Conferri possunt quæ tum ibi, tum cap. 9. dicta sunt.

[℣. 25. *Et rogabit Sacerdos pro omni multitudine filiorum Israel: & dimittetur eis*, ] Ista dimissio inprimis intelligitur quoad pœnas temporales transgressoribus legis à Deo comminatas. Deinde etiam quoad culpam & pœnam æternam, pro illis qui verè essent pœnitentes; nulla tamen ejusmodi remissio fiebat per se, seu virtute talia operia, hoc est, ex opere operato, sed ratione adjunctæ devotionis & obedientiæ partim offerentis victimas, partim Sacerdotis, quod est ex opere operantis.

[ *Quoniam non spontè peccaverunt.* ] Non significatur quòd prorsùs involuntariè peccaverint, si enim abesset omne voluntarium, nullum esset peccatum; sed innuitur quòd non omninò scientes ac volentes peccaverint, sicut faciunt illi qui neque ignorantia laborantes, neque metu aliquo perculsi peccant; sed aliquid in eis fuerit minuens voluntarium. Hoc autem ideò additur, quia, peccatum ejus qui omninò scienter, id est, ex superbia vel contemptu legem transgrederetur, non expiabatur sacrificio, quemadmodum inferius v. 31. explicabitur.

[ *Nihilominus offerentes incensum Domino pro se, & pro peccato atque errore suo*: Ista cum præcedentibus sic sunt jungenda: Quoniam non omninò voluntariè, sed per ignorantiam peccaverunt, dimittetur eis peccatum suum; ita tamen ut nihilominùs offerant id quod ad peccati expiationem lege præscriptum est, scilicet incensum seu sacrificium, sive victimam quæ Deo incendatur, non enim hìc sumitur incensum pro Thymiamate, sed pro hostia quæ in Dei honorem inceditur, vel tota, vel ex parte. Id quod ex Levitic. 5. confirmari potest, ubi pro peccato prohibetur adhiberi Thus, ac insuper ex textu Hebr. præsentis loci qui sic habet: *Obtulerunt oblationem suam ignitionem*, seu holocaustum; *Domino, & peccatum suum*, id est, hostiam pro peccato suo.

[℣. 26. *Et dimittetur universa plebi filiorum Israel, & advenis qui peregrinantur inter eos:* ] Cujus ratio est, quoniam tam advenæ quàm Indigenæ, eadem lege, eodemque ritu sacrificii tenebantur, supra v. 13.

[℣. 27. *Quòd si anima una nesciens peccaverit*, ] Anima pro homine ponitur, & sermo est de homine privato qui per ignorantiam peccaverit.

[ *Offeret Capram anniculam* ] Hoc est, quæ expletis septem diebus ætatis non complevit annum: Tamdiù enim vocabatur annicula. Conferantur dicta Levit. 4. de sacrificio pro peccato personæ privatæ.

[℣. 30. *Anima verò, quæ per superbiam aliquid commiserit*, ] In Hebr. *Quæ fecerit in manu excelsa*. Quoniam verò qui in manu excelsa facit quidpiam sibi prohibitum, hoc per contemptum & superbiam facit, quasi neminem se superiorem agnoscendo vel curando. Ideò B. Hieronymus optimè sensum reddidit.

[*Peribit de populo suo:* ] Ex sententia Judicis, si apud eum fuerit sufficienter convictus interficietur: Alioquin à Deo ipso.

[℣. 31. *Verbum enim Domini contempsit*, ] Nolens ei obedire, tametsi nulla vel ignorantia laboraret, vel infirmitate moveretur.

[ *Et præceptum illius fecit irritum:* ] Etsi non quoad obligationem, certè quoad finem & usum, qui est obedire præcepto: Irritum enim censetur fieri præceptum, quando non servatur, cùm ad hoc detur ut servetur. *Ex his patet*, quòd si quis in veteri lege peccaret ex superbia, vel contumacia, omninò spontè, sciens nimirùm ac volens, de industria, data opera, ex malitia, vel ex formali contemptu, nihil curando præceptum, ejus peccatum non expiabatur aliquo sacrificio, sed morte puniebatur. *Neque refert* quòd Levit. 6. injungitur sacrificium pro peccato animæ quæ peccasset contempto Deo, quia contemptus ibi sumitur largiùs, prout scilicet reperitur in omni peccato mortali; hìc autem strictiùs, pro contemptu nimirum formali, seu quasi formali.

[℣. 32. *Factum est autem, cùm essent filii Israel in solitudine, & invenissent hominem colligentem ligna in die Sabbati*, ] Quando hoc contigerit, & in qua parte solitudinis, incertum est; sicut etiam ignotum est quis fuerit ille homo. Videtur tamen præsenti loco referri occasione ejus quod jussum est morte puniri eum qui per superbiam peccasset, & consequenter sermonem esse de illo qui sciens & volens transgressus est præceptum Sabbati, nulla vel necessitate pressus, vel ignorantia ductus.

[℣. 33. *Obtulerunt eum Moysi & Aaron & universæ multitudini.* ] Quia nimirum ad Moysen tamquam Principem & summum Sacerdotem extraordinarium; ad Aaronem autem ut summum Pontificem ordinarium pertinebat de causa ista cognoscere. Ideò verò universæ quoque multitudini fuit oblatus, sive quia erat aliquid magnum & novum, sive quia ipsa convenerat die Sabbati ad audiendum de rebus divinis disserentes.

[℣. 34. *Qui recluserunt eum in carcerem*, ] Sive, ut est in Hebræo, *posuerunt eum in custodia*, sicut Levit. 24.

[ *Nescientes quid super eo facere deberent.* ] Sciebant eum esse plectendum morte qui die Sabbati faceret opus servile, juxta legem Exod. 31. sed nesciebant quo genere mortis. Fortè & ignorabant an collectio lignorum esset tale opus, ob quod in Sabbato factum, mors deberet infligi. Deus autem respondet & morte illum plecti, & lapidari debere, & quidem à toto populo, ut sic universus populus videretur vindicare injuriam Deo per transgressionem præcepti ejus factam, & accenderetur ad zelandum pro ejus honore. *Ex his liquet*, Sabbatum fuisse in deserto observandum quantùm ad vacationem ab operibus servilibus, etsi quoad sacrificia illo die offerenda demum obligarit in terra promissionis, non enim post discessum è Sinai, ea obtulerunt extra terram illam.

[℣. 36. *Cumque eduxissent eum foras, &c.* ] Non ipso die Sabbati, sed posteà; illicitum enim erat quemquam eo die morte plectere, tametsi manifestè convictum. *Si quæras*, cur festa novi Testamenti non pariter obligent sub pœna supplicii mortis: *Resp.* Quoniam Lex nova non est Lex timoris, sicut Lex vetus, sed Lex amoris, ideoque Christiani non similiter timore sunt compellendi.

[℣. 38. *Loquere Filiis Israel, & dices ad eos, ut faciant*

*ciant ſibi fimbrias per angulos palliorum.* ] Pro *per angulos*, io Hæbræo eſt *ad alas:* Sive autem per *angulos*, ſive per *alas*, ſignificantur extremitates illarum ſcilicet veſtium quæ vocantur *pallia:* per quæ generatim ſignificantur veſtes laxæ & fluidæ, quales Apoſtolorum picturæ, tam veteres quàm novæ, nobis exhibent, non autem *toga*, quarum Scriptura non meminit, ſed palliorum frequenter. Per *fimbrias* non intelliguntur *Philacteria*, de quibus Exod.13. dictum eſt; ſed fila fluida & libera, ſicut io relarum extremitatibus pendent,

[ *Ponentes in eis vittas hyacinthinas:* ] Hoc eſt parvos limbos coloris hyacinthini, ſeu violacei & cœleſtis.

[ ℣. 39. *Quas cùm viderint, recordentur omnium mandatorum Domini,* ] Harum ergo tum fimbriarum, tum vittarum finis unus fuit, ut Judæi illas intuentes reducerentur in memoriam mandatorum Dei. Ad quod etſi per ſe, & ex natura ſua ooo valerent, ex divina tamen inſtitutione valere poterant. Quò etiam pertinebat color hyacinthinus ſecundùm ſe natus in cœleſtem conſiderationem provocare. Alius earum finis fuit, ut Hebræi ab aliis nationibus diſtinguerentur, & ut quemadmodùm occulta circumciſionis nota ab eis diſcernebantur, ſic exteriore, & omnibus conſpicuo ſigno ab iiſdem diſtinguerentur. Quod Chriſtus morem ſuæ gentis obſervans fimbrias habuerit, patet ex Luc.8. ubi mulier fimbriam veſtimenti ejus rangens legitur eſſe ſanata. Mulierem quoque Samaritanam agnoviſſe Chriſtum eſſe Judæum, non ſolùm ex lingua, ſed etiam ex fimbriis, tradit B. Thomas in caput.4. Joan. S. Hieronymus in caput 23. Matth. ſcribit Phariſæos auram popularem captantes feciſſe ſibi grandes fimbrias, & acutiſſimas in eis ſpinas ligaſſe, ut ambulantes & ſedentes interdum pungerentur, & quaſi hac admonitione retraherentur ad officia & miniſteria Dei.

[ *Nec ſequantur cogitationes ſuas.* ] Dicitur aliquis ſequi cogitationes ſuas, quando quidquid ſibi in mentem venit hoc operatur.

[ *Et oculos per res varias fornicantes*, ] q. d. Ne ſequantur oculos qui per res varias fornicantur, dum videlicet in multa viſibilia feruntur modo fornicario: Sicut enim fornicator concupiſcit videos eam cui non ſibi licet conjungi; ita oculus eùm viderit varia quæ deſiderari non debent, cenſetur fornicari, ſi ea deſideret.

[ ℣.40. *Sed magis memores præceptorum Domini.* ] Ex proprio ſcilicet habitu, ſive ex inſpectione fimbriarum & vittarum quas ex Dei mandato geſtant.

[ *Faciant ea,* ] Propter eum qui præcipit.

[ *Sintque Sancti Deo ſuo.* ] Sanctos intellige, tum ut ſint populus ad Dei cultum deſtinatus, & à cæteris Gentibus per illas fimbrias ſegregatus & diſtinctus: tum ut per memoriam practicam & executionem præceptorum Dei, ſint juſti ac mundi.

[ ℣. 41. *Ego Dominus Deus veſter, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut eſſem Deus veſter.* ] Id eſt, ut hoc tam inſigni beneficio vos provocarem, ac magis obſtrictos redderem ad me colendum. Deus quidem eſt omnium, velint nolint, Deus creatione, gubernatione, & Dominio: Sed peculiariter eſt Deus illorum qui ipſum piè colunt, ipſique obediunt. Et hoc modo Hebræorum Deus eſſe debebat.

## CAPUT XVI.

*Core, Dathan & Abiron ſeditionem movent, hoſque vivos terra abſorbet, & ignis interficit 250. viros offerentes incenſum, & alios 14700. murmurantes conſumpſit incendium.*

[ ℣. 1. E*Cce autem Core filius Iſaar, filii Caath, filii Levi* ] Per illud *Ecce*, denotari poteſt grande aliquid eſſe narrandum, enorme videlicet quorumdam piaculum, & exemplare eorum ſupplicium. *Quando hæc contigerint*, non eſt certum; ſatis tamen probabile quòd anno ſecundo egreſſionis de Ægypto, ſcilicet paulò poſtquàm Aaron ejuſque filii conſecrati fuerunt Sacerdotes; Core autem qui Conſobrinus erat Aaronis, eſſet prætermiſſus, & in Levitarum ordine relictus. Præſentis Capitis initium tale eſt io Hebræo. *Et accepit*, vel *tulit Core*, quod Septuaginta Interpretes rectè tranſtulerunt, *& locutus eſt*, quoniam eos quibuſcum loqui, & conſilium ſuum communicare volebat Core, ſeorſum traxit ſeu accepit. Quod initium ſine jactura ſententiæ omiſſum eſt à noſtro Interprete, quia ſufficienter ineſt in iis quæ poſuit. Ex hoc quòd Core vocatur filius Iſaar collato cum cap.6. Exod. ubi Amram & Iſaar leguntur eſſe Fratres ex eodem Patre geniti, conſtat Aaronem & Core fuiſſe filios duorum fratrum, atque adeò Conſobrinos.

[ *Et Dathan atque Abiron filii Eliab, Hon quoque filius Pheleth de filiis Ruben,* ] Pro, de filiis Ruben. In Hebr. & 70. legitur, *Filii Ruben*, unde fit conſequens id non ſolùm referri ad Hon, ſed etiam ad præcedentes Dathan & Abiron, quos proinde etiam de Tribu Rubeo fuiſſe hinc haberi poteſt; clariùs autem ex Deuteron. 11. ubi cùm Dathan & Abiron dicuntur filii Eliab, mox ſubditur; *qui fuit filius Ruben.* Inferius quoque cap.26. hujus Libri, Ruben legitur genuiſſe Phallu, & Phallu Elia Patrem horum Dathan & Abiron.

[ ℣.2. *Surrexerunt contra Moyſen,* ] Conſideranti quod ſequitur, *cumque ſtetiſſent adverſum Moyſen & Aaron*, dubium eſſe non poteſt quin etiam contra Aaron ſurrexerint; ſed ſolus Moyſes nunc exprimitur tamquam Princeps & principalis:

[ *Aliique filiorum Iſrael ducenti quinquaginta viri* ] De qua Tribu hi fuerint, ambigitur. Dionyſius exiſtimat omnes fuiſſe de Tribu Levi; idque confirmari poteſt ex eo quòd omnes contenderent de Sacerdotio, habere orque ſinguli ſua thuribula ad incenſum Deo offerendum; non appareat autem aliarum Tribuum viros voluiſſe ſibi arrogare Sacerdotium: Aliqui tamen exiſtimant eos permixtim fuiſſe de diverſis Tribubus, & contendiſſe pro Sacerdotio; quoſdam, eo quòd eſſent de Tribu Levi, ſicut Aaron; alios, quia erant primogeniti: Olim autem primogeniti fuerunt Sacerdotes.

[ *Proceres Synagogæ,* ] Hoc eſt, Principes, ſeu qui aliquam habebant præeminentiam in populo,

[ *Et qui tempore Concilii per nomina vocabantur,* ] Qui nominatim evocari ſolebant ad Concilium. *Si dicas*, tam Principes, quàm univerſum populum convocari debuiſſe ad Concilium tubis argenteis, ſup. cap.10. ideoque hos non nominatim fuiſſe vocandos; *Marzilla Reſpondet* iſtos Principes dupliciter vocari ſolitos, & per propria nomina, & etiam per tubam. *Primò* enim eis intimabatur per Nuncios, quòd tali die debebant ad Concilium convenire, ubi de tali, & tali negotio agendum erat. *Deinde*, ipſo die Concilii, ut omnes ad eamdem horam convenirent, clangor tubarum inſonabat. *Si quæras*, quid hi ſeditioſi prætenderent? *Reſpondeo*, quòd Core, cùm eſſet ex filiis Caath, ſicut Aaron, & quidem primogenitus Iſaar, volebat ſibi ac familiæ ſuæ non minùs deberi Sacerdotium quàm familiæ Aaronicæ, ut etiam ex ſequentibus clarum eſt, ubi Thuribulis acceptis cum ſua caterva contendit contra Aaron coram Domino; Dathan autem & Abiron, cùm eſſent de Tribu Ruben qui fuerat primogenitus filiorum Jacob, eſſentque in ea Tribu Principes viri, infra cap.26. conabantur ad ſe pertrahere Ducatum populi.

[ ℣.3. *Cumque ſtetiſſent adverſum Moyſen & Aaron, dixerunt: Sufficiat vobis,* ] Satis vobis ſit eſſe aliis æquales, ne velitis eſſe majores, nec ambiatis præeſſe: Quamvis enim Sancti ſitis, utpotè Deo appliciti, non ob hoc tamen exiſtimare debetis vos eſſe ſuper alios.

[ *Quia omnis multitudo Sanctorum eſt*, ] Quia omnis hic populus Hebræorum ſanctus eſt, utpote per fidem, veramque Religionem & cultum Deo applicitus, & per pactum in Sina initum ei quodammodò conſecratus.

[ *Et in ipſis eſt Dominus:* ] Cum eis habitans io Tabernaculo, eos dirigens nutriens, ac protegens.

[ *Cur elevamini ſuper populum Domini?* ] Subjiciendo vobis reliquam multitudinem; volendoque illi præeſſe ex præſumptione veſtra, & non ex ordinatione divi-

divina. Hi namque seditiosi nolebant agnoscere Moysen ex Dei voluntate esse Ducem populi, & ex ejusdem jussu Aaronem & filios ejus constitutos esse Sacerdotes, sed ex humano fraternoque affectu Moysi. *In his porrò rebellibus*, depingitur nobis expressa quædam imago hæreticorum; qui sub prætextu quòd omnis multitudo Sanctorum sit, & quòd omnes in libertatem filiorum Dei sint vocati, Sacerdotium & Primatum de Ecclesia tollere nituntur: Non tam ut omnes qui in Ecclesia sunt pares constituantur, quàm ut ipsi dominatum accipiant. Hinc Cyprianus Epist. 55. ad Cornel. Papam. *Neque* inquit, *aliundè hereses oborta sunt, aut nata sunt Schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice* Christi *cogitatur*. Hinc intelligi potest quàm tumultuosa sit ambitio, & quantùm mali causet.

[℣. 4. *Quod cùm audisset Moyses, cecidit pronus in faciem:* ] Prostravit se in terram super faciem suam ita se coram Deo humiliando, eumque deprecando, ut ipsum doceret, quid facere, seu respondere deberet. Quo obtento, sive cùm Deus voluntatem suam illi inspirasset, surrexit de terra. Audivit murmur & Aaron, adversùm quem steterant seditiosi, & non solùm contra Moysen, ut patet ex versu præcedenti, sed potior erat Auctoritas Moysi, & ipse honestius fratrem defendebat, proque illo respondebat (cum ageretur de Pontificia dignitate) quàm ipse pro seipso.

[℣. 5. *Locutusque est ad Core, & ad omnem multitudinem:* ] Ejus videlicet, quemadmodùm Hebræa & Græca exprimunt; id est, ad omnes illos qui partes Core sequebantur, Cùm enim multitudo populi nondum insurrexisset, sed demum postea, versu scilicet 41. non potest præsens locutio intelligi esse facta, ad omnem populi multitudinem, sed tantùm ad congregationem seu multitudinem quæ erat cum Core.

[ *Manè, inquit, notum faciet Dominus qui ad se pertineant*, Manè hoc est, die crastina ante meridiem. Pro, *qui ad se pertineant*, In Hebræo est, *qui sunt ejus*. Cùm autem omnes homines, imò & omnes creaturæ sint Dei Creatoris, ad eumque pertineant velut ad suum Creatorem & Dominum, sciendum est aliquos esse Dei, & pertinere ad Deum peculiari ratione, secundùm quam alii ad eum non pertinent, nec sunt ejus; illi nimirum qui ab eo electi sunt ad speciale aliquod ministerium, ad quod alios non elegit. Et ita hic accipitur, significaturque quòd Deus demonstraret signo aliquo visibili, qui essent ab eo electi ad sacrum ministerium illi exhibendum. Ad hunc locum allusisse videtur Apostolus, quando agens de Prædestinatione scripsit 2. ad Tim. 2. *Cognovit Dominus qui sunt ejus*, sicut & dum subjungit, *Discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini*, ad id quod hic sequitur, *Recedite à Tabernaculis hominum impiorum*.

[ *Et Sanctos applicabit sibi:* ] Quos ad Sacerdotale ministerium segregavit, eos sibi applicabit, signo scilicet externo ostendens se velle, quòd ipsi munus illud exerceant.

[ *Et quos elegerit.* ] ad istud munus.

[ *Appropinquabunt ei.* ] Fungentur Sacerdotio.

[ ℣. 6. *Hoc igitur facite: Tollat unusquisque Thuribula sua, Tu Core, & omne Concilium tuum:* ] Hoc est, omnes qui sunt de tua factione. Moyses, divino, ut credere par est, instinctu, offert Core & sociis ejus quoddam experimentum quo cognosceretur quem Deus elegerat ad Sacerdotium istud de quo contendebant: Hoc autem in eo consistebat quòd quilibet ipsorum offerret Thymiama, & cum illis Aaron, qui modus erat facilis & expeditus. Neque conveniebat ut fieret experimentum per aliquod aliud officium Sacerdotale, veluti offerendo victimas, accendendo lucernas, ponendo panes propositionis super mensam, quia nec brevi tempore, nec sine magno sumptu & labore potuissent tot viri hostias immolare; nec adeò promptum erat Lucernas, quæ tantùm erant septem, à tam multis concinnari: Panes verò propositionis in Sabbatho dumtaxat ponebantur. Cujusmodi porrò fuerint ista Thuribula, non omninò liquet: *Probabile tamen est*, aut nostris fuisse similia, aut instar receptaculorum ignis quibus prunæ imponuntur ad fovendum in mensa calorem ciborum. Cùm autem Moyses dicat, *Tollat unusquisque thuribula sua*; consequens est ea non fuisse Thuribula quæ servabantur in Sanctuario; Illa enim non erant istorum virorum, sed erant Sanctuarii; & prætereà, Thuribula Sanctuarii erant sanctificata ex eo tempore quo Tabernaculum fuit consummatum, cùm omnia vasa Sanctuarii fuerint tunc oleo sancto uncta ut sanctificarentur, quemadmodum habetur Exod. 30. & 40. horum autem Thuribula non erant hactenus sancta, sed sanctificata fuerunt in mortibus peccatorum, sicut inferius hoc eodem capite dicitur. Hæc igitur Thuribula ducenta quinquaginta, erant virorum illorum ad quos loquitur Moyses, quæ vel domi habebant; vel sibi comparaverant, quando cœperunt suam conspirationem; vel ab aliis commodato acceperant.

[℣. 7. *Et hausto.* ] id est accepto, [*cras igne*, ] De Altari videlicet holocaustorum in quo semper ardere debebat ex præcepto Levit. 6.

[*Ponite desuper Thymiama* ] De cujus compositione disponitur Exod. 30.

[*Coram Domino:* ] In Altari nimirùm Thymiamatis quod erat in loco qui vocabatur *Sancta*, atque ita coram *Sancta Sanctorum*, ubi Deus peculiariter esse & habitare censebatur.

[ *Et quemcumque elegerit*, ] Quem Deus per evidens signum monstraverit esse à se electum ad officium Sacerdotale (hoc autem monstraturus erat cremando impios, & conservando alios.)

[ *Ipse erit Sanctus:* ] Manebit à cæteris segregatus, & Sacerdos, fungeturque Sacerdotali officio.

[ *Multum erigimini filii Levi.* ] In Hebr. *Multum vobis filii Levi*. Scilicet arrogatis, multumque superbitis, quòd non contenti sorte vestra, qui estis sacrorum ministri, & ad Divina ministeria destinati, Sacerdotium vobis vindicare vultis, & non tantùm in me & Aaronem insurgitis, sed in Deum quoque qui ordinem hunc totum instituit.

[ ℣. 8. *Dixitque rursùm ad Core: Audite filii Levi.* ] Ex his, ut & ex versu præcedenti clarum est, in seditione Core, si non omnes, certè permultos fuisse Levitas, quandoquidem Moyses peculiariter alloquatur filios Levi.

[ ℣. 9. *Num parum vobis est*, ] Q. d. Non deberetis reputare pro modico, sed pro magno, ideoque oportet vos omninò esse contentos.

[*Quòd separavit vos Deus Israel ab omni populo*, ] Vos vestramque tribum eligendo ad speciale munus, aliis de populo prætermissis.

[ *Et junxit sibi*, ] Vos peculiariter transferendo in sortem Domini.

[*Ut serviretis ei in cultu*, ] Sive in servitio [*Tabernaculi*] seu in iis quæ spectant ad Tabernaculum, etsi non in ipso Sanctuario. Nam Levitæ qui solùm erant Levitæ, & non Sacerdotes, non poterant sacrificia offerre, nec Thymiama adolere, nec lucernas accendere, nec panes propositionis inferre; sed illorum servitus, ministeriumque in cultu Tabernaculi erat, vasa Sanctuarii custodire, portare in itinere, in circuitu Tabernaculi castrametari, ipsum Tabernaculum deponere cùm esset proficiscendum, erigere quando manendum. Quibus posteà accesserunt officia Janitorum, & Cantorum 1. Paralip. 23. cum aliquot seqq.

[ *Et staretis coram frequentia populi*, ] Seu coram populo ad Divina congregato. Dicebantur autem ibi stare; quia illi erant tum ministrantes, tum parati ad ministrandum; cæteri verò populares erant spectatores & auditores eorum quæ fiebant & dicebantur.

[ *Et ministraretis ei.* ] In Hebr. & 70. est plurale *eis*; Chaldaicè, *pro eis*; sed hæc omnia in idem redeunt: Nam Core & cæteros Levitas separaverat Deus ut ei servirent pro populo. *Discendum hinc*, quòd magna sit dignitas esse Levitam, & esse Divinis ministeriis applicatum.

[ ℣. 10. *Idcircò ad se fecit accedere, & omnes fratres tuos filios Levi, ut vobis etiam Sacerdotium vendicetis*, ] Q. d. An Deus idcircò te tuosque Fratres, omnes scilicet qui sunt de Tribu Levi elegit ad sibi serviendum, ut præter beneficia vobis peculiariter præstita, etiam Sacerdotium arripiatis?

[ ℣. 11. *Et omnis globus tuus stet contra Dominum*, ]

Et ut

Et ut omnis multitudo quæ tecum est; sive, ut omnes qui tibi adhærent, ducenti quinquaginta viri, Deo rebellent, volentes ejus institutionem infringere & evertere?

[ *Quid est enim Aaron, ut murmuretis contra eum?* ] Aaron quid ex se est? Non est ex seipso Sacerdos: neque accepit, sive, neque usurpavit Sacerdotium, imò nec illud ambivit, sed à Deo ad illud fuit vocatus. Aut, quid est Aaron, ut sibi usurpare posset Sacerdotium, si Deus illud ei non contulisset? Ut contra eum murmuretis, quasi absque Dei jussione illud assumpserit?

[ ℣. 12. *Misit ergo Moyses ut vocaret Dathan & Abiron filios Eliab.* Verisimile est quòd etiam Hon qui pariter erat de Tribu Ruben, & cum his initio capitis fuit nominatus. Poterat Moyses quos volebat ad se vocare, quia erat Princeps Summus: Istos autem ideo vocavit, quia non erant præsentes, quando Moyses prædicta locutus fuit Core, & sociis ejus; sed vel non venerant cum illis, vel recesserant priùs quàm Moyses daret responsum. Causa porrò vocandi illos fuit, ut eos induceret ad desistendum à seditione, & à petitione Ducatus populi.

[ *Qui responderunt: Non venimus.* ] Nolumus venire.

[ ℣. 13. *Numquid parum est tibi quòd eduxisti nos de terra quæ lacte & melle manabat,* ] Hoc est de Ægypto.

[ *Ut occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri?* ] Q. d. Parvum nè malum tibi videtur, nec hoc fecisse sufficit tibi, quòd nos eduxeris de Ægypto, ubi victus affluenter suppetebat, ita ut præ fructuum ubertate, terra illa, lacte; & præ eorum dulcedine, videretur melle manare, cum nunc versemur in vasta quidem, sed horrida, & sterili solitudine, in qua necesse est nos mori fame & siti. Hoc inquam malum nobis fecisse, tibi non est satis, nisi prætereà dominatum usurpes, nosque premas servitute. Sic rebelles de terra Ægypti loquebantur, & adversùm Moysen insurgebant, obliti quantis à Deo beneficiis per Moysen essent affecti, & nondum experti terræ promissæ fertilitatem. *Improborum* & ingratorum est ingenium, collata beneficia vel oblivisci, vel deprimere, præsertim dum ad alia aspirant.

[ ℣. 14. *Revera induxisti nos in terram quæ fluit rivis lactis & mellis,* ] &c. Ironica est hæc affirmatio. Q. d. egregiè profectò nos induxisti in terram quæ præ fructuum ubertate & suavitate dici potest fluere lac & mel, sicut promiseras, cùm è contrario nos induxeris in desertum valde sterile, & maximè aridum.

[ *An & oculos nostros vis eruere?* ] In Hebr. *Num oculos virorum istorum effodies?* Quæ lectio cum nostra concordat, si dicamus istos factiosos & se, & alios circumstantes demonstrasse. Potest autem sermo illorum accipi de morali occulorum eruitione, hoc sensu. Ideo nè nos ad te vocas, ut oculos nostros, & eorum qui nobiscum sunt præstringas ne videamus techinas quibus uteris, tum ad Aaroni fratri tuo deferendum Sacerdotii dignitatem, tum ad principatum super omnes assumendum, sicut tuis præstigiis omnes nos decepisti, ut de Ægypto sequeremur te in hoc Desertum aridum & sterile. Nihil tamen vetat illorum seditiosorum verba intelligere de reali & Physica evulsione oculorum, imò verisimilius est illos de ea esse locutos, cùm essent contra Moysen valde exacerbati; unde repetunt. [ *Non venimus.* ] Ad jussionem tuam venire nolumus.

[ ℣. 15. *Iratusque Moyses valde, ait ad Dominum.* ] Ex zelo divini honoris irascitur Moyses quòd videret rebelles istos tam obstinatè repugnare ordinationi Dei, & pro grandi malo æstimare beneficium eductionis de Ægypto, ideoque non est culpandus.

[ *Ne respicias sacrificia eorum:* ] Loquitur Moyses aut de sacrificiis propriè dictis, si qua fortè rebelles & seditiosi tentarent offerre; aut de oblatione incensi quam sequenti die erant facturi, & quæ largo modo potest dici sacrificium. Neque talia dicit quasi metueret ne Deus gratas haberet oblationes eorum, sed juxta usitatam figuram minus dicit, & plus intelligit. *Ne respicias,* id est, signo aliquo evidenti ostende quòd eorum oblationes & sacrificia tibi displiceant.

[ *Tu scis quòd ne Asellum quidem umquam acceperim ab eis,* ] Pro *Asellum,* 70. habent *desiderium,* eo nomine rem desideratam, seu desiderabilem intelligentes, & sensus est, tu scis quòd ne minimam quidem rem quæ desiderari posset, ab eis loco muneris acceperim, multò minùs extorserim.

[ *Nec afflixerim quempiam eorum.* ] Prout duri Principes affligunt subditos, unde liquet ipsos iniquissimè me arguere tyrannidis & duri Dominatus.

[ ℣. 16. *Dixitque ad Core: Tu, & omnis Congregatio tua state seorsum coram Domino, & Aaron die crastino separatim.* ] Non est intelligendum quòd Core cum sociis uno die starent ad ministrandum, & die sequenti Aaron, sic enim putari potuisset fraudem aliquam intervenisse: Sed illud, *die crastino,* ad utrumque membrum pertinet; & sensus est, quòd die sequenti simul comparere deberent, ab invicem tamen sejuncti, Core cum sibi adhærentibus ab una parte, & Aaron ab alia parte, ut per signum à Deo dandum intelligerentur qui ex Dei voluntate fungi deberet Sacerdotio, utrùm Aaron; an aliquis de sociis Core. Locus autem in quo omnes stare seu comparere debebant, designatur his verbis, *Coram Domino,* qui erat atrium, in quo altare holocaustorum situm erat, de quo sumi oportebat Carbones, ut super thuribula ponerentur.

[ ℣. 17. *Tollite singuli thuribula vestra, & ponite super ea incensum, offerentes Domino ducenta quinquaginta thuribula:* ] Proceres seditiosi qui adhærebant Core, & de Sacerdotio contendebant cum Aarone, erant ducenti quinquaginta, sup. v. 2. Cùm ergo singuli suum haberent Thuribulum, consequens est fuisse ducenta quinquaginta Thuribula. *Offerre* autem *thuribula,* est in eis adolere incensum, sive Thymiama, non verò ipsamet thuribula Deo offerre.

[ *Aaron quoque teneat thuribulum suum.* ] Cum prunis videlicet ac incenso. Istud thuribulum erat ex Sanctuario, quia Aaron erat Summus Pontifex; non similiter alia.

[ ℣. 18. *Quod cùm fecissent,* ] Proceres nimirùm ducenti quinquaginta, qui soli ad Moysen & ad Tabernaculum venerunt, quando juxta condictum oportebat adolere incensum, Core, Dathan, Abiron, & Hon domi manentibus, &, sive ex superbia, sive ex metu punitionis à Deo infligendæ nolentibus venire.

[ *Stantibus Moyse & Aaron,* ] In altera parte atrii ante fores Tabernaculi.

[ ℣. 19. *Et coacervassent adversùm eos omnem multitudinem ad ostium Tabernaculi,* ] Illi proceres Core incentore & adjutore concitaverunt populi multitudinem, ut adversùm Moysen & Aaronem convenirent, conatique fuerunt illi persuadere quòd non esset expediens Principatum manere penes Moysen, & Sacerdotium penes Aaronem. Cùm autem populus soleat esse multùm mutabilis, in eorum sententiam facilè fuit inductus. Atque hinc est quòd populi multitudinem, velut istis seditiosis consentientem, Deus disperdere voluit, nisi Moyses iram ejus avertisset.

[ *Apparuit cunctis gloria Domini.* ] Specialis aliquis & extraordinarius fulgor è columna nubis emicuit, & omnibus apparuit, per quem indicabatur Dei præsentia & Majestas; idque eo fine, tum ut compesceretur populus ne violentiam inferret Moysi & Aaroni, tum ut fidem adhiberet iis quæ Moyses erat dicturus.

[ ℣. 20. *Locutusque Dominus ad Moysen & Aaron, ait:* ] Angelus Deum repræsentans, inclinata nube, seu columna nubis versus Moysen & Aaron, formavit de illa vocem sensibilem, eamque ad illos direxit, dicens.

[ ℣. 21. *Separamini de medio Congregationis hujus, ut eos repentè disperdam.* ] Non beneplaciti, sed signi tantùm voluntate totam illam multitudinem volebat statim disperdere, nec solos Proceres ducentos quinquaginta, sed alios etiam qui cum ipsis erant peccato Procerum consentientes. Ita porrò loquitur Deus, seu Angelus in persona Dei, ut Moyses & Aaron provocarentur ad citò orandum pro multitudine.

[ ℣. 22. *Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt: Fortissime Deus spirituum universæ carnis,* ] In oratio-

oratione, ad pœnam avertendam, nominant fortitudinem, quia peccatorum pœnas remittere, summæ est fortitudinis, juxta illud quod Ecclesia canit Dominica 10. post Pentecosten, *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas.* Qua de re diximus 1. p. q. 25. art. 3. ad 3. Dicitur autem *Deus spirituum universæ carnis*, tum quòd omnium spirituum qui in quacumque carne vivunt, ipse est conditor, conservator, & gubernator; tum quia cognoscit omnia quæ sunt in quolibet spiritu, utpotè scrutator omnium cordium, & cunctarum cogitationum discretor. Volunt hac ratione Moyses & Aaron obtinere à Deo ne populum disperdat, quoniam etsi peccaret, non tamen peccabat ex malitia; sed ex inductione Core, & aliorum ipsi adhærentium, q. d. Tu Domine qui nosti corda omnium, & qua intentione quisque feratur in id quod agit, scis multitudinem istam, non directè studio rebellandi peccare, sed deceptam à rebellibus qui eam concitarunt:

[ *Num uno peccante, contra omnes ira tua desæviet*] An propter unius Core, & paucorum cum ipso rebellantium peccatum omnes exterminabis, etiam illos qui nonnisi ab aliis decepti peccant?

[ ℣. 23. *Et ait Dominus ad Moysen :* ] Ad Moysi & Aaronis orationem volens parcere multitudini, solosque seditionis Authores & Principes disperdere. *Ex quo* intelligi potest, quantæ sint efficaciæ justorum, tametsi paucorum, preces pro peccatoribus, etiam plurimis.

[ ℣. 24. *Præcipe universo populo ut separetur à Tabernaculis Core, & Dathan & Abiron.* ] Etiam de Tabernaculo Hon intelligi debet qui cum illis tribus initio capitis recensetur Author seditionis; non tamen exprimitur, fortassis quia non ita erat magnus Princeps sicut alii. Hujus autem præcepti ratio erat, ne alioquin populus eodem quo illi exitio involveretur, si non esset ab eorum Tabernaculis separatus. *Si quæras*, Quare populus non jubetur separari à Tabernaculis ducentorum quinquaginta seditiosorum, sicut à Tabernaculis Core, Dathan & Abiron: *Dici potest* cum Abulense q. 13. quòd illi non erant in suis Tabernaculis, nec in illis erant perituri, sed occupabantur in Sanctuario offerentes incensum, ubi etiam combusti fuerunt, & non à terra absorpti; Core autem, & Dathan, & Abiron, atque etiam Hon, manebant in suis Tabernaculis, nec volnerant esse cum reliquis incensum adolentibus. *Si ulterius quæras*, cur populus jubetur recedere à Tabernaculo Core, cùm Core non esset in eo, sed ivisset cum ducentis quinquaginta viris, cum quibus etiam fuit combustus: *Aliquis fortè respondebis*, quòd licèt Core cum istis igne perierit, dictum tamen est ut alii ab ejus Tabernaculo recederent, quia Deus volebat aliquos qui in Tabernaculo ejus erant, & ad eum pertinebant, ibi perire, filios videlicet ipsius. *Sed contra est*, quòd inferiùs cap. 26. legitur factum esse grande miraculum, *ut Core pereunte, filii ejus non perirent. Potiùs ergo videtur dicendum*, quòd Core non fuit cum ducentis illis quinquaginta viris incensum adolentibus, & consequenter quòd cum illis non fuerit combustus, sed à terra absorptus, ut posteà latiùs dicetur.

[ ℣. 25. *Surrexitque Moyses*, [ De terra in qua pronus jacebat cum Aarone Deum orans ne totam multitudinem deleret.

[ *Et abiit ad Dathan & Abiron :* ] Sub quibus etiam intelligitur Hon, qui erat de eadem tribu, & cum aliis insurrexerat. Sed & Core quoque intelligitur, quia ad ejus etiam Tabernaculum ire debebat Moyses, ut juberet ab ejus Tabernaculo recedere omnes qui propè erant.

[ *Et sequentibus eum senioribus Israel*, ] Hoc est, honorabilioribus, & qui majoris erant authoritatis in populo.

[ ℣. 26. *Dixit ad Turbam :* ] Ad populi scilicet multitudinem quæ erat in circuitu Tabernaculorum Dathan & Abiron, & reliquorum, de quibus jam dictum.

[ *Recedite à Tabernaculis hominum impiorum*, ]
70. *à Tabernaculis* hominum durorum istorum: quæ versio, etsi quibusdam non probetur, nequaquàm tamen est improbanda; cùm à nostra non discrepat: Nam per *duros*, intelligimus illi qui in malitia erant obdurati; quòd autem tales essent impii, manifestum est.

[ *Et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.* ] Id est, in pœnis & suppliciis peccatorum ipsorum.

[ ℣. 27. *Cùmque recessissent à Tentoriis eorum per circuitum*, ] Cùm populus Moysi monitis obtemperans recessisset ab eorum tentoriis circùm circà.

[ *Dathan & Abiron egressi stabant in introitu papilionum suorum, cum uxoribus & liberis, omnique frequentia,* ] Isti de interiori parte suorum tentoriorum egressi ad illorum ostia, ibi manebant superbia tumidi, ut viderentur à populo, & ut innuerent se nihil eorum timere quæ Moyses dicebat. Similiterque ad Tentoriorum ostia manebant uxores, & Liberi eorum, totaque familia, quæ per frequentiam designatur, eo quòd esset frequens & numerosa, constans videlicet ex famulis & ancillis, variisque parvulis; nam per liberos, intelliguntur adultiores.

[ ℣. 28. *Et ait Moyses : In hoc scietis quòd Dominus miserit me, ut facerem universa quæ cernitis*, ] Me scilicet fecisse, tum in suscipienda populi gubernatione, tum in distribuendo Principatum Sacerdotii, ministeriaque Sacerdotum & Levitarum, & alia ejusmodi.

[ *Et non ex proprio ea corde protulerim :* ] Et non fecerim ea sequens proprii cordis cupiditatem & ambitionem.

[ ℣. 29. *Si consueta hominum morte interierint*, ] Sive nimirùm quæ ex morbo proveniat, sive quæ ex defectu naturæ:

[ *Et visitaverit eos plaga, qua & cæteri visitari solent*, ] Si aliqua simili pœna Deus illos puniat, qua Judæos punire solet, veluti, igne, fame, peste, bello, & aliis de quibus Levit. 26. & Deuteron. 28.

[ *Non misit me Dominus :* ] *Quidam dicunt* Moysen orasse Deum, & ab illo impetrasse, ut morte insolita necarentur: *Sed* quoniam hujus rei nullum est fundamentum, *potiùs dicendum est*, Moysi nihil tale petenti Deum revelasse quid esset facturus, seu qua morte esset eos puniturus.

[ ℣. 30. *Sin autem novam rem fecerit Dominus*, ] In Hebr. *Si creationem creaverit Dominus:* Hoc est, si rem omninò insolitam, & separatam ab his quæ aliàs fieri solent, fecerit:

[ *Ut aperiens terra os suum deglutiat eos* ] Quòd terra habeat os propriè dictum, quorumdam Hebræorum fuit fabula; cùm terra sit inanimata, imò insensibilis; sed metaphoricè tribuitur illi os, quia patitur aliquando hiatum, seu voraginem, intra quam absorbentur homines, aut aliæ res quæ ibi concluduntur & pereunt.

[ *Et omnia quæ ad illos pertinent*, [ Cujusmodi erant illorum Tabernacula, & aliæ res in eis contentæ.

[ *Descenderintque viventes in infernum*, ] Si videritis quòd ipsi descendant, seu descendere incipiant in infernum adhuc vivi.

[ *Scietis quòd blasphemaverint Dominum.* ] Opus scilicet Dei attribuentes homini, dum Sacerdotium Aaroni ex divina voluntate collatum, calumniati sunt, velut non ex ordinatione Dei, sed ex Moysi voluntate & favore ei delatum: Quod enim Dei est, creaturis tribuere, blasphemum esse, diximus 2. 2. quæst. 13. art. 1.

[ ℣. 31. *Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum:* ] Sententiæ prolationem statim secuta est ejus executio, ne si dilata fuisset, alicui alteri causæ tribueretur, quàm divino decreto. Et quamvis ex naturalibus causis fieri possit quòd terra disrumpatur, dehiscat, & aperiatur, per vehementiam videlicet spirituum qui occultè in ea continentur; hæc tamen diruptio fuit supernaturalis & miraculosa, cùm contigerit statim ut Moyses eam prædixit, & quidem præcisè sub pedibus Core, Dathan, Abiron, & Hon; seu ubi sita erant eorum Tabernacula, & non alibi: si autem fuisset naturalis, non præcisè ibi accidisset; præsertim, cùm Tabernacula Dathan, Abiron & Hon Rubenitarum separata essent à Tabernaculo Core, qui erat de tribu Levi.

[ ℣. 32. *Et aperiens os suum, devoravit illos cum Tabernaculis suis, & universa substantia eorum.* ]

Locu-

Locutio est metaphorica, per quam significatur quòd terra dehiscens, & quasi seipsam divina virtute aperiens absorbsit illos rebelles & seditiosos; omnes scilicet eos de quorum Tabernaculis jusserat populum recedere, hoc est Core, Dathan, & Abiron, ac etiam Hon. Simul autem terra omnium illorum Tabernacula absorpsit, & substantiam universam, seu opes & possessiones omnes, sub quibus comprehenduntur uxores, filii, famuli; & ancillæ ipsorum; ita tamen quòd excipiendi sint filii Core, de quibus cap. sequenti 26. habemus factum esse grande miraculum, *ut Core pereunte, filii illius non perirent.*

[℣. 33. *Descenderuntque vivi in infernum operti humo,*] Terra statim se suumque hiatum concludente, ipsorum corpora manserunt sub illa. Sermo autem hic est de inferno damnatorum, in quem non sic vivi descenderunt, ut in eum pervenerint anima & corpore constantes, atque adeò viventes, sed quia vivi erant quando cœperunt descendere; mortui autem sunt in ipso descensu, seu in via ad infernum, terra nimirùm, quæ aperta fuerat, se concludente, in qua universa corpora quidem illorum manserunt mortua, sed animæ in infernum pervenerunt in æternum damnatæ.

*Quæri tamen potest primò.* Utrùm omnes qui dicuntur hic à terra absorpti sint æternaliter damnati. *Respondeo probabile esse* quòd omnes adulti, cùm in flagranti crimine, vel rebellionis, vel consensus in rebellionem sint mortui, nam uxores, liberos, famulos, ac famulas consensisse suis Dominis rebellantibus credibile est, qui quidem pœnitere potuerunt in descensu ante mortem, sed pœnituisse, haud facilè probari potest. Parvuli autem qui necdum ad usum rationis pervenerant, & ab originali peccato per circumcisionem mundati erant, solùm temporali, & non æterna morte perierunt.

*Quæritur secundò.* Quomodò parvuli innocentes potuerant justè cum nocentibus occidi? *Resp.* quòd tamquàm possessio parentum; & quia Deus est Dominus vitæ & mortis, quam proinde ab unoquoque exigit quando ei placet.

*Quæritur tertiò.* Sitnè verum, Core fuisse absorptum à terra cum Dathan & Abiron? *Sunt enim* boni Authores qui negant, contendentes eum cum ducentis quinquaginta incensum offerentibus igne periisse. *Primò*, quia soli Dathan & Abiron leguntur noluisse venire ad Moysen sup. ver. 12. soli ergo ipsi manentes in suis tentoriis absorpti à terra fuerunt. Unde vers. 25. Moyses dicitur abiisse ad Dathan & Abiron, qui erant in Tabernaculis, nulla de Core facta mentione; similiterque paulò post, ipsi soli leguntur stantes in introitu suorum Tabernaculorum, & non Core. Sed & Deuteron. 11. de his quoque solis dicitur, quòd terra aperto ore ipsos absorbuit, sicut & Psalm. 105. *Aperta est terra, & deglutivit Dathan, & operuit super Congregationem Abiron.* Ubi altum est de Core silentium. *Secundò*, Core jussus est vers. 16. venire cum suis die sequenti, & incensum offerre, idque factum esse narratur vers. 18. Unde fit consequens quòd Core non manserit in suo Tabernaculo, sed fuerit cum ducentis quinquaginta viris suæ factionis incensum offerentibus. *Tertiò*, Thuribula eorum qui incensum obtulerunt in laminas producta leguntur inferiùs Altari affixa, *ut haberent filii Israel quibus commonerentur; ne quis accedat alienigena, & qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino, ne patiatur sicut passus est Core, & omnis congregatio ejus.* Ubi Core ponitur inter eos qui incensum obtulerunt, & incendio perierunt. *His non obstantibus Respondeo* B. Augustini Epist. 48. & aliorum non paucorum *sententiam esse verisimiliorem*, quòd Core una cum Dathan, & Abiron à terra fuerit absorptus. Si enim Core non fuisset in suo Tabernaculo, & cum eo absorbendus, non esset ratio præcipiendi universo populo ut separaretur à Tabernaculis Core, Dathan, & Abiron, sed satis fuisset à reliquorum duorum Tabernaculis esse separatum. *Accedit*, quòd inferiùs cap. 26. tam claris verbis dicitur Core fuisse absorptus à terra, ut non possit dici clariùs. Verba sunt: *Et aperiens terra os suum devoravit Core morientibus plurimis, quando combussit ignis ducentos quinquaginta viros.* Verum quidem est paulò aliter in Hebr. legi, sic nimirùm: *Et aperuit terra os suum, & deglutivit eos* (scilicet Dathan, & Abiron) *& Core in moriendo Cœtum*, hoc est, dum moreretur Congregatio. Sed ista lectio potest optimè cum nostra conciliari, capiendo Core in quarto casu, ut sensus sit, deglutivit eos, & etiam Core; omninoque videtur sic esse concilianda, cùm versio nostra, vulgata sit Authentica, majorisque Authoritatis quàm aliæ, & nihil cogat aliter interpretari. *Denique*, pro grandi miraculo ibidem reputatur, quòd Core pereunte, filii ejus non perierint; Si autem ipse non perijsset hiatu terræ, sed incendio, non fuisset grande miraculum ipsos non perijsse cum Patre, sicut nec miraculum fuit reliquorum seditiosorum filios non perijsse incendio cùm suis Patribus, quia non erant cum ipsis.

*Ad primum* verò alterius sententiæ argumentum Resp. neg. Conseq. Soli quidem Dathan & Abiron noluerunt ad Moysen venire, sed hoc erat pridiè quàm offerri deberet incensum, quando Core aderat Moysi, & cum eo loquebatur, ad quem proinde non erat mittendum ut veniret: Sequenti verò die quando juxta condictum adolendum erat incensum, Core, vel non ivit ad Sanctuarium cum ducentis quinquaginta viris suæ factionis; vel si ivit, eosque duxit ad Atrium, inde recessit priusquàm incensum adolerent, venitque ad suum Tabernaculum, sicut sciebat Dathan & Abiron esse in suis. Unde supra diximus, quòd cùm legitur Moyses venisse ad Dathan & Abiron, intelligendus sit venisse quoque ad Core, tametsi non exprimatur; quia debebat præcipere populo ut à Tabernaculo Core recederet. Similiterque intelligendum est quòd Core steterit ad introitum sui Tabernaculi, quando Moyses præcepit populo ut inde recederet. Quòd autem de solis, interdum Dathan & Abiron dicitur quòd terra eos deglutivit, non idcircò Scriptura negat Core fuisse absorptum, sed peculiaris aliqua fuit ratio hoc aliquando dicendi de illis, & silendi de Core; veluti, quòd cum illis totæ illorum familiæ fuerint absorptæ, non similiter tota familia Core; idque verisimiliter propereà, quia filii Core non fuerunt complices Paterni criminis, neque injuriosi fuerunt in Moysen, sicut uxores, Liberi, ac Domestici Dathan & Abiron. De his namque Scriptura refert quòd Moyse præcipiente ut turba recederet à Tabernaculis hominum impiorum, ipsi exierunt ad introitum suorum Papilionum, ibique manserunt; quod verisimile est eos in irrisionem Moysi & in contemptum comminationis ejus fecisse. At de filiis Core nihil hujusmodi habet Scriptura, imò potiùs ostendit illos bonis moribus fuisse præditos, quandoquidem posteri eorum fuerunt in templo Cantores, & præfuerunt operibus ministerii 1. Paralip. 6. 9. 26. & alibi. *Ex his patet* quid ad argumentum secundum sit dicendum. *Ad 3. verò Resp.* Core illic poni inter eos qui Sacerdotium ambierunt, & ideò morte percussi sunt; non tamen dici quòd simili morte cùm illis, uti nec dicitur quòd incensum obtulerit.

[℣. 34. *At verò omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit clamorem pereuntium,*] Juxta præceptum Moysi, populus recesserat à Tabernaculis hominum impiorum, & aliquantò procul circumcirca stabat prospiciens eventum rei per Moysen prænuntiatæ, statim autem ut audivit inconditos clamores, ejulatus, & ululatus eorum qui absorbebantur à terra, timore perterritus ab eorum Tabernaculis longius fugit.

[*Dicens: ne forte & nos terra deglutiat.*] Quoniam etsi non essent sibi conscii criminis ob quod terra illos deglutiebat, timebant tamen pari pœna involvi, partim propter loci propinquitatem, partim propter alia sua peccata quæ similem fortè pœnam mererentur.

[℣. 35. *Sed & ignis egressus à Domino,*] Hoc est, divitus immissus; sive interim ex Thuribulis prodierit, sive potiùs ex columna nubis in qua Deus suam præsentiam testabatur.

] *Interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum.*] Habentes scilicet in suis Thuribulis ignem desumptum ex Altari holocaustorum, & desuper incensum ut ponerent in Altari Thymiamatis; quamvis verosimilius sit non multos ad illud intrasse,

igne

igne statim corripiente tam eos qui intrabant, quàm cæteros qui intraturi fuissent. Eorum porrò qui comburebantur non memoratur clamor fuisse auditus, neque aliorum fuga; *partim* quòd citissimè absoluta fuit combustio, *partim* quòd alii essent extra Tabernaculum, etiam extra illud Atrium in quo situm erat Altare holocaustorum. *Observatione etiam dignum est*, quòd ignis ille nec cortinis, nec aliis rebus ad Tabernaculum pertinentibus nocuit, sed tantùm hominibus impiis, quòdque nihil eorum inveniatur superfuisse post incendium, præter Thuribula: *Ex quo* colligi potest horum peccatum fuisse gravius, quàm peccatum Nadab & Abiu, qui Levit. 10. igne perierunt, neque tamen corpora, neque vestimenta eorum fuerunt consumpta.

[ ℣. 37. *Præcipe Eleazaro filio Aaron Sacerdoti ut tollat Thuribola quæ jacent in incendio*, ] Seu in loco incendii ubi combusti erant ducenti quinquaginta Proceres. Præceptum dari jubetur Eleazaro, qui erat minor Sacerdos, & non Aaron qui erat summus Sacerdos, quia Deus volebat ostendere de quo genere deberent deinceps esse Sacerdotes secundùm seriem generationis, nimirùm de Aaronis per Eleazarum.

[ *Et ignem hucilluque dispergat:* ] Non ponat in Altari holocaustorum, quia est profanatus, utpotè ad usum impium applicatus à seditiosis: Quia tamen inde acceptus fuerat, jubet Deus ut huc illuc spargatur, nimirùm intra Atrium ne conculcetur à populo.

[ *Quoniam sanctificata sunt* ] Seu digna quæ à profanis usibus arceantur, *partim* ex eo quòd ignis facer fuit in illis positus ad incensum adolendum; *partim* ex eo quòd deputata sunt ad designandum aliquid Sanctum: Hoc enim ipso quo Levitæ puniti sunt perperam illis utendo, monstratur sanctitatem requiri ad benè iis utendum. Dicitur autem.

[ ℣. 38. *In mortibus peccatorum:* ] Hoc est, quando illi sunt mortui, quia idem fuit tempus mortis eorum, & sanctificationis Thuribulorum. Quamquàm & dici possint *sanctificata in mortibus peccatorum*, quia per sanctam justitiam, justamque vindictam quam Deus exercuit in Proceres illis Thuribulis ex ambitione Sacerdotii abutentes, ipsa sunt reddita Sancta, seu ad profanos usus non revocanda.

[ *Producatque ea in laminas, & affigat Altari*, ] Scilicet holocaustorum. Non debebat Eleazarus ista per se facere, sed per manus Artificum, cùm nec aptè extendi, nec convenienter affigi possent, nisi opera peritorum Artificum. Hujus Thuribulorum in laminas efformatorum affixionis ad Altare, duæ sunt causæ. Una,

[ *Ex quòd oblatum sit in eis incensum Domino, & sanctificata sint*, ] Sive, ideoque digna conjungi sacris rebus, cujusmodi est Altare. Alia.

[ *Ut cernant ea pro signo & monimento filii Israel.* ] Ut ea Thuribula in laminas producta filii Israel videant pro signo rememorativo peccati & pœnæ seditiosorum qui Sacerdotium ambierunt, & pro monimento seu admonitione, ut nihil tale unquàm audeant.

[ ℣. 39. *Tulit ergo Eleazar Sacerdos Thuribula ænea, in quibus obtulerunt hi quos incendium devoravit*, ] Eleazar tum per se, tum per alios coadjutores ex loco incendii accepit Thuribula quæ omnia erant ænea, in quibus ducenti quinquaginta Proceres obtulerant, eaque detulit, seu deferri curavit ad Artifices, ut in laminas producerent ac Altari holocaustorum affigerent, ubi quotidiè videri possent tum à Levitis, tum ab aliis.

[ ℣. 40. *Ut haberent posteà filii Israel, quibus commonerentur, ne quis accedat alienigena*, ] Alienigena vocatur hic quilibet non Sacerdos, etiamsi esset Hebræus, imò Levita; Unde quod sequitur

[ *Et qui non est de semine Aaron*, ] Est explicatio præcedentis. Idem enim hic valet. *esse Alienigenam*, &c, *non esse de semine Aaron*.

[ *Ad offerendum incensum Domino*, ] Nam hoc erat unum ex officiis quæ propria erant Sacerdotum.

[ *Ne patiatur sicut passus est Core, & omnis Congregatio ejus*, ] Ne subita & violenta morte puniatur, sicut punitus fuit Core, & omnes ei adhærentes, dum illum terra absorbuit, hos verò ignis consumpsit.

[ ℣. 41. *Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra Moysen & Aaron dicens: Vos interfecistis populum Domini.* ] Populus Hebræus magnitudine punitionis inflictæ attonitus, & similem quoque sibi infligendam veritus, non ausus est ipso die quidquam dicere; sed mox ut timor ille desiit, sequenti die insurrexit contra suos Principes Moysen & Aaron, *tum* præteritorum beneficiorum quæ à Deo per ipsos acceperat oblitus; *tum* recentis illius, quo Deum placaverant ne repentè multitudinem disperderet, sicut in præsenti cap. habetur. *Ex quibus* intelligi potest quanta fuerit illius populi duritia, & ingratitudo, imò cæcitas; cùm interfectionem rebellium planè divinitùs factam ascribunt illis, quos nihil tale fecisse perspicuum erat.

[ ℣. 42. *Cumque oriretur seditio, & tumultus increscerет*, ] Ista seditio erat populi contra Moysen & Aaron insurgentis, & verbis asperioribus murmurantis: Increscebat autem tumultus, quia fiebat majus murmur, usque eò quòd vim illis inferre pararent, ac lapidibus obruere vellent.

[ ℣. 43. *Moyses & Aaron fugerunt ad Tabernaculum fœderis.* ] Pro, *fugerunt*, in Hebr. est, *respexerunt*, eodem sensu: Nam *respicere ad Tabernaculum*, idem ibi valet, quòd se ad illud eundo convertere, & quasi confugere, auxilii petendi causa.

[ *Quod postquam ingressi sunt, operuit nubes*, ] Columna nubis quæ solebat esse elevata, & stare supra Tabernaculum, descendit, illudque operuit.

[ *Et apparuit gloria Domini.* ] Illa nubes apparuit solito fulgidior & terribilior, per quod significabatur specialis Dei præsentia, ut sic furor populi comprimeretur, ne auderent intrare ad Moysen & Aaron, eisque vim inferre.

[ ℣. 44. *Dixitque Dominus ad Moysen:* ] Loquens ei de medio Cherubim super Propitiatorium, secundùm ea quæ habentur cap. 7. Etsi autem solus Moyses nominetur, ad Aaronem quoque locutum esse Dominum verisimile est.

[ ℣. 45. *Recedite de medio hujus multitudinis*, ] Jam ab ea recesserant quando venerant in Tabernaculum, sed Deus volebat ut totaliter recederent de loco Castrorum; cùm autem essent intra Sanctuarium, erant in medio Castrorum, quia Tabernaculum situm erat in medio Castrorum.

[ *Etiam nunc delebo eos.* ] Priùs delevi aliquam partem eorum comburendo & in terra submergendo, nunc aliam delebo. Vel sensus est, anteà volui delere totam multitudinem, sed vobis orantibus non delevi; nunc volo eam penitùs delere, ideò ab illa recedite.

[ *Cumque jacerent in terra*, ] Suppliciter orantes ne Deus deleret multitudinem, ac interim revelatum esset Moysi quòd Deus plaga magna populum percutiebat.

[ ℣. 46. *Dixit Moyses ad Aaron: Tolle Thuribulum*, ] Unum scilicet ex illis quæ pertinent ad Sanctuarium.

[ *Et hausto igne de Altari*, ] Holocaustorum scilicet, [ *mitte incensum desuper, pergens citè ad populum, ut roges pro eis:* ] Non moreris eundo, quoniam si moreris, totus populus peribit.

[ *Jam enim egressa est ira à Domino, & plaga desævit.* ] Ira pro effectu iræ ponitur, & sensus est: Jam enim ex Dei voluntate & jussu punitio exercetur, & est magna plaga in populo. Cæterùm, etsi Moyses præcipiat Aaroni ut festinet; ex Sap. tamen 18. liquet tantùm spatii fuisse, ut Aaron potuerit induere vestes Pontificias, Poderem nimirùm, & Diadema: Cùm enim ibi præsens historia recitatur, Textus dicit, quòd *in veste poderis quam habebat* Aaron, *totus erat orbis terrarum* &c. quòdque *magnificentia Dei in Diademate capitis illius sculpta erat*.

[ ℣. 47. *Quod cùm fecisset Aaron*, ] Sive, cùm accepisset Thuribulum, & ei imposuisset ignem atque Thymiama.

[ *Et cucurrisset ad mediam multitudinem, quam jam vastabat incendium, obtulit Thymiama:* ] Hinc patet, quòd præter morem, incensum hic oblatum fuerit extra Altare Thymiamatis, imò & extra Tabernaculum, sed ex divina voluntate & dispensatione. Quod hic dicitur *incendium*, vox Hebræa generaliter significat plagam, & cladem, ideoque *non omninè liquet* quodnam genus plagæ fuerit;

fuerit; *probabile tamen est* fuisse verum incendium à Deo, seu ab ejus Angelo missum. Hoc porrò Thymiama non obtulit Aaron super aliquod Altare, cùm nullum ibi esset; sed vel ponens thuribulum super terram, ibique genua flectens, vel illud manu tenens, flexisque genibus Deum orans.

[ ℣. 48. *Et stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est*, ] Ne plaga ulteriùs sæviret, populumque vastaret.

[ *Et plaga cessavit*. ] Ex quo patet efficacia oblationis incensi per Aaronem factæ, & orationis ejusdem: Cui non dubium est suas quoque preces junxisse Moysen qui interea erat in Tabernaculo. Ad hanc plagam respexisse petatur Apostolus 1. ad Cor. 10. dicens: *Neque murmuraveritis sicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore*. Ex illa enim pœna subjunctâ colligitur eum loqui de murmure quo contra Moysen & Aaron murmuravit omnis multitudo filiorum Israel dicens; *vos interfecistis populum Domini*, præsertim cùm Sap. 18. ubi res hic gesta commemoratur, ejusdem exterminatoris fiat mentio, significeturque quòd Aaroni Pontificalibus induto, & oranti cessit exterminator. Qui quis fuerit, etsi non omninò certum, verosimilius tamen est fuisse Angelum bonum populi Israelitici ductorem, de quo dictum legitur Exod. 23. *Non dimittet cum peccaveris*.

[ ℣. 49. *Fuerunt autem qui percussi sunt quatuordecim millia hominum, & septingenti*. ] Percussos intellige usque ad mortem, id est, occisos; & ex hoc quòd tam multi fuerint occisi, conclude valdè magnum fuisse populi peccatum.

[ *Absque his qui perierant in Seditione Core*. ] Cujus scilicet seditionis, Core fuerat præcipuus Author. Perierant autem in ea seditione ducenti quinquaginta viri incensum offerentes, ac insuper Datban, Abiron, & Hon cum integris eorum familiis, ac etiam ipse Core.

[ ℣. 50. *Reversusque est Aaron ad Moysen ad ostium Tabernaculi fœderis* ] Ubi pro populo sollicitus orationi vacabat, dum Aaron munere Sacerdotali fungebatur.

[ *Postquàm quievit interitus*. ] Postquàm plaga totaliter cessavit, ita ut nullus ampliùs interiret. *Ex hoc* benè colligit Abulensis Ridiculum esse Rabbi Salomonis dictum, quòd Aaron duxerit captum Angelum mortis ad Dominum in Tabernaculo, & ibi precibus Moysi jusserit Deus ut cessaret plaga: Nam tunc Aaron rediisset in Tabernaculum priusquàm cessaret plaga, cujus contrarium significatur in Textu.

## CAPUT XVII.

*Sumptis virgis à duodecim tribuum principibus, sola Aaronis virga floruit, ac fructum produxit, servataque est in Tabernaculo testimonii.*

[ ℣. 1. **E**T *locutus est Dominus ad Moysen, dicens:* ] Quo præcisè tempore Dominus ea quæ sequuntur locutus fuerit, non omnino constat; dicendum tamen quòd anno secundo egressionis de Ægypto, statim post ea quæ capite præced. narrata sunt. Nam ibi dictum de murmuratione contra Moysen & Aaron pro Sacerdotio, hic autem adhibetur remedium contra illam. *Cohibebo à me*, ait *Dominus querimonias filiorum Israel quibus contra vos murmurant*. Ex quo apparet, quòd paulò ante murmuraverant. Cæterùm, cùm non solùm contra Aaron murmuraverint pro Sacerdotio, sed etiam contra Moysen pro principatu populi; *Quæri potest*, cur nunc non simili aliquo miraculo confirmatus fuit Moysi Principatus, sicut confirmatum est Sacerdotium Aaroni. *Resp.* Rationem *unam* esse, quia Tribus Ruben quæ ratione primogenituræ maximè videbatur posse sibi vendicare Principatum, ingenti miraculo jam repulsa fuerat, quando Dathan & Abiron, qui ex ea Tribu erant, hiatu terræ absorpti fuere. Quare nihil erat quòd cæteræ Tribus prætenderent. *Secunda ratio est*, quòd Moyses non vellet Principatum ad se, & ad suos posteros pertinere, sicut volebat, & probabat Sacerdotium spectare ad fratrem suum Aaronem, ejusque posteros. Hic ergo quæstio erat de Sacerdotio perpetuo, at non de perpetuo Principatu. Ita Estius, qui etiam addit, quòd cùm Moyses esset Levita, nec filios suos imbueret arte regendi populi, sed applicaret ministerio Tabernaculi, sicut cæteros Levitas, nulla poterat esse suspicio Moysen velle Principatum stabilire in sua posteritate; ac per consequens nullo signo, vel miraculo erat opus ad Principatum ejus confirmandum.

[ ℣. 2. *Loquere ad filios Israel, & accipe ab eis virgas singulas per Cognationes suas*, ] Cognationum nomine intelliguntur Tribus, quia tribus tantùm, seu Principes earum debebant dare virgas pro numero ipsarum, juxta id quod sequitur.

[ *A cunctis Principibus Tribuum, virgas duodecim*, ] Ubi Abulensis monet illud, *à cunctis*, non accipi distributivè, sed collectivè: Quia non significatur quòd à qualibet Tribu accipiendæ essent duodecim virgæ, sed quòd ab omnibus simul; ab unaquaque nimirùm tribu, una virga: Et quoniam erant duodecim Tribus, consequenter erant duodecim virgæ.

[ *Et uniuscujusque nomen superscribes virgæ suæ*. ] Superscribes, id est, superscribi facies; neque enim Moyses per seipsum debebat nomina scribere super virgas. *Quæritur autem*, cujus nomen esset superscribendum virgæ, Tribusne, an Principis Tribus. *Multis videtur* quòd ipsius Tribus, ita ut in virga Tribus Ruben scriberetur *Ruben*, & sic de aliis. *Verumtamen probabilius* est quòd nomen Principis esset scribendum: Nam in Hebr. ita legitur; *viri nomen scribes super virga ejus*. Ubi per virum non alius intelligitur quàm Princeps Tribus, & quod in Editione nostra habemus, *uniuscujusque*, meliùs & commodiùs videtur referri ad Principes, quàm ad Tribus; quamvis in idem recidat, sive Tribus, sive Principis Tribus nomen fuerit inscriptum, vel suprascriptum, quod idem valet. Scriptum autem fuit cujusque nomen vel atramento, vel in ipso cortice virgæ, vel incisione, ut non sit necesse membranas virgis alligatas agnoscere, qui modus non fuisset occasionem pravæ suspicionis, an Moyses non commutasset membranas. *Si petas*, cur nomina Principum Tribuum fuerint virgis inscripta, cùm non tantùm ipsi contendere possent de Sacerdotio, sed etiam quilibet alii de populo. *Resp.* quoniam virga cujusque Principis repræsentabat totam Tribum, similiterque nomen Principis inscriptum totam etiam tribum referebat, & ideò repudiata una virga, eo quòd non floreret, tota tribus censebatur à Sacerdotio repelli: Si autem una virga floreret, sicut virga Aaron floruit, ipse cum sua familia admittendus erat ad Sacerdotium, quemadmodùm admitti debuit Aaron.

[ ℣. 3. *Nomen autem Aaron erit in Tribus Levi*, ] Id est, in virga Tribus Levi; ita scilicet ut nomen Aaron scriberetur super virgam quæ accipiebatur pro tribu Levi. Cujus ratio reddi potest, quia Aaron erat Princeps Tribus Leviticæ, cùm esset senior fratre suo Moyse, atque ita filius primogenitus Amram, sicut Amram fuerat primogenitus Caath, & Caath primogenitus Levi, Qui volunt non Principum, sed tribuum nomina virgis inscripta fuisse, censent id esse particulare, quòd in virga quæ Tribum Levi repræsentabat non fuerit scriptum Levi, sed Aaron; quia contentio de Sacerdotio quæ erat inter familias Leviticas jam finita erat per interitum Core, & ducentorum quinquaginta virorum: Ac proindè non remanebat quæstio de Sacerdotio Aaron cum aliis familiis ex tribu Levi, sed tantùm cum reliquis tribubus. Et ea determinanda erat per hoc quòd virga Aaron germinaret.

[ *Et una virga cunctas seorsum familias continebit*. ] *Seorsum*, legendum est, non ut quidam, *eorum*; Nec significatur fuisse unam virgam communem quæ esset decima quarta, continentem nomina cunctarum familiarum, sed sensus est, quòd virga una continebit in-

Integram tribum, seu cunctas familias totius tribus; non sic tamen, quasi inscribendæ essent illæ cunctæ familiæ, vel cunctarum familiarum nomina; sed quoniam pro integra tribu, atque adeò pro cunctis familiis istius tribus substituetur; & quidem seorsùm à cæteris virgis, quæ suas quoque Tribus & familias seorsim continebunt.

[ ℣. 4. *Ponesque eas in Tabernaculo fœderis*, ] Causa hujus est, quia Deus peculiariter ibi censebatur esse; Virgæ autem illæ serviebant ad inquirendam & demonstrandam voluntatem Dei in aliquo signo sensibili: Fuerunt ergo omnes virgæ positæ in Tabernaculo; sed in qua Tabernaculi parte, non perindè certum est: *Verosimilius est* quòd in Sancto Sanctorum, quoniam virga Aaron jussa est postmodùm referri in locum in quo simul cum aliis virgis posita fuerat: Quòd autem relata fuerit in Sancta Sanctorum, patet ex cap. 9. ad Hebr. ubi Apostolus scribit Tabernaculum quod dicitur Sancta Sanctorum, habere aureum thuribulum & Arcam Testamenti, in qua Urna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat.

[ *Coram testimonio*, ] Id est, coram Arca testimonii: Quæ ideò vocatur *Testimonium*, quia in ea erat Testimonium, seu Tabulæ Legis, quæ erant Testimonium tum fœderis inter Deum & populum initi, tum voluntatis Dei, quid scilicet Deus vellet à populo fieri.

*Ubi loquar ad te*. ] Ubi soleo tibi loqui, & ubi ad te loquar, declarans quid de istis virgis fieri velim. Quòd autem Deus ad Moysen loqui soleret in Sancta sanctorum, scilicet de propitiatorio, & de medio duorum Cherubim, constat ex præsentis Lib. cap. 7. & ex cap. 25. Exod. quamvis interdum etiam ei loqueretur ad ostium Tabernaculi, ut sup. cap. 12.

[ ℣. 5. *Quem ex his elegero, germinabit virga ejus:* ] Sermo est de electione ad Sacerdotium quod esset futurum ac permansurum in eo, & in familia ejus quem Deus elegisset.

[ *Et cohibebo à me querimonias filiorum Israel, quibus contra vos murmurant*. ] Auferam à me, & cessare faciam murmurationes quibus contra vos murmurant. Per hoc quod dicit *à me*, Deus indicat se servorum suorum causam facere suam; quia qui servos Dei spernit, Deum spernit. Luc. 10. *Ex quibus* colligere est murmurationes quæ contra Superiores legitimos suscitantur, Deum censere suscitari contra se.

[ ℣. 6. *Locutusque est Moyses ad filios Israel:* ] Omnia nimirùm illa quæ Deus ei dixerat de signo futuro ad manifestationem Sacerdotii, & de virgis per singulas tribus dandis.

[ *Et dederunt ei omnes Principes virgas per singulas tribus*. ] Omnes Principes tribuum dederunt virgas suo nomine inscriptas, ita ut de qualibet tribu unus tantùm esset Princeps dans virgam.

[ *Fueruntque virgæ duodecim absque virga Aaron*. ] *Sunt qui* nostram versionem carpant tanquàm non legitimam, velintque non tredecim virgas fuisse, sed tantùm duodecim, sicut solùm fuerunt duodecim tribus, *Eorum fundamentum est*, quòd in Hebræo sic legatur: *Fuerunt virgæ duodecim, & virga Aaronis in medio virgarum eorum*; hoc est, ut ipsi volunt, virga Aaron erat una ex illis. *Sed omnino tenendum est*, fuisse duodecim tribus præter tribum Levi, sicut ex hujus Lib. cap. 1. & 2. liquet, ubi recensentur duodecim tribus, earumque Principes duodecim non comprehensa tribu Levitica, de qua utroque cap. dicitur quòd *Levitæ non sunt numerati inter filios Israel*. Tribus namque Joseph divisa fuit in duas, scilicet in tribum Ephraim & tribum Manasse, conformiter dispositioni quam fecerat Jacob Genes. 48. ut proindè in universum fuerint tredecim tribus, quamvis in sorte, & in hæreditate terræ promissionis dividenda, solùm numerentur 12. sicut etiam in collocatione Castrorum. *Ex his* consequens est fuisse duodecim virgas, præter virgam Aaron, prout textus noster indicat; ea autem comprehensa, fuisse tredecim, quia singulæ tribus unam virgam dederunt, ac etiam tribus Levitica eam quæ dicitur Aaronis. *Neque his adversatur* lectio Hebræa; nam ejus sensus convenienter ipse potest assignari: Et virga Aaron cum illis duodecim, non quidem una ex ipsis, sed diversa, cum eis tamen collocata: Qui sensus ideò recipiendus est, quòd cum nostra versione conveniat, quam utpotè Authenticam, non licet rejicere.

[ ℣. 7. *Quas cùm posuisset Moyses coram Domino in Tabernaculo Testimonii:* ] Virgas illas duodecim Principum, ac insuper decimam tertiam quæ inscriptum habebat nomen Aaronis, Moyses præsente ac cernente universa multitudine, ne qua fieret suspicio fraudis intulit in Sancta sanctorum, easque posuit coram Arca fœderis ubi Deus se peculiariter præsentem exhibebat.

[ ℣. 8. *Sequenti die regressus* ] Scilicet in Sancta sanctorum, populi multitudine, sicut priùs, spectante, ut omnis abesset suspicio fraudis.

[ *Invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi:* ] Hoc est, virgam cui inscriptum erat nomen Aaronis, quæ virga erat virga tribus, seu familiæ Levi.

[ *Et turgentibus gemmis eruperant flores, qui, foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt*. ] Exprimitur modus quo virga illa germinavit, quòd scilicet primò, si non temporis, saltem naturæ ordine, natæ fuerint quædam gemmæ, eæque turgentes seu inflatæ, quibus se aperientibus eruperunt flores & folia, foliis autem se dilatantibus eruperunt fructus, nimirùm Amygdalæ: ut proinde *in amygdalas deformari*, sit forma vel figura florum desinente, materiam quæ in gemmis continebatur transformari in fructus amygdalarum. Non tamen est necesse quòd ista omnia fuerint successivè facta, sed simul fieri potuerunt, sicut ea quæ miraculosè fiunt non rarò fieri solent in instanti. *Cur autem* ista virga fructum illum potius protulerit quàm alium, incertum est. *Quidam existimant* hanc esse rationem, quòd ea virga esset Amygdalina, baculus scilicet Amygdalo sumptus. *Alii addunt*, quòd cùm Amygdalus prima inter arbores floreat, fructumque proferat, appositè significaverit tribum Leviticam, & ex ea Aaronem ejusque familiam cæteris omnibus esse prælectam ad Sacerdotium. Fertur, ait Philo Lib. 3. de vita Moysi, Amygdalus etiam postremò omnium amittere folia, æstatem ferens diutissimè salvo virore frondium: per quod significari potest longum & quasi perennem futurum virorem Sacerdotii Aaronici. Pro *Amygdalis*, quidam reddunt *nuces*, sed sine magna discrepantia, quia nux generale nomen est, convenitque omnibus quæ duro operimento teguntur, cujusmodi etiam est Amygdalus.

[ ℣. 9. *Protulit ergo Moyses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israel: videruntque & receperunt singuli virgas suas*. ] Moyses cunctis Principibus, ac etiam multitudine populi spectantibus, omnes virgas, numero scilicet tredecim, quæ in Sancta sanctorum illatæ fuerant, inde extulit ad cunctos filios Israel, ut omnibus notum esset, cujusnam virga germinasset. Ipsi autem attentè illas considerantes, viderunt unam germinasse, floruisse, & fructum produxisse, alias verò duodecim mansisse aridas, & unusquisque Principum recepit virgam quam dederat. Reticet Scriptura quid Moyses tunc locutus fuerit ad Principes, & ad populum: Vix tamen dubium esse potest, quin ad eos quædam dixerit, rei tam novæ seriem & circumstantias explicando, auditoresque adhortando ad obedientiam, & ad sacrorum Reverentiam.

[ ℣. 10. *Dixitque Dominus ad Moysen:* ] Post aliquantam moram qua singuli Principes virgas suas receperunt, sufficienterque agnoverunt solam Aaronis virgam germinasse.

[ *Refer virgam Aaron in Tabernaculum Testimonii*, ] Hoc est, in eam partem Tabernaculi in qua servatur Testimonium, seu tabulæ Decalogi nimirùm in Sancta sanctorum, ubi anteà cum aliis duodecim virgis posita fuerat. *Quidam asserunt* hanc virgam in Arca fœderis, seu Testimonii jussam esse poni; *sed improbabiliter*: *Primò*, quia textus significat jussam esse reponi in eo loco in quo priùs fuerat cum

cæ-

cæteris, priùs autem fuerat extra Arcam, scilicet coram illa, ut ex superiori versu 4. habetur. *Secundò*, quia longitudo Arcæ tantùm habebat duo & semis cubitos Exod. 25. ideoque non benè potuisset capere virgam Aaronis quæ erat longior: *Tertiò*, quia disertis verbis dicitur 3. Reg. 8. quòd in Arca non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb; idemque repetitur 2. Paral. 5. Dicere autem hanc virgam fuisse in Arca tempore Moysi, sed non tempore Salomonis, de quo in Libris Regum & Paralipomenon sermo est, caret omni fundamento, cùm neque Scriptura, neque traditio id significet. *Deinde*, si Moyses jussu Dei virgam illam in Arca posuisset, quis fuisset ausus eam inde tollere? *Neque his obstat*, quòd cap. 9. ad Hebræos Apostolus videatur significare virgam hanc fuisse in Arca, cum de Arca loquens dicit, in qua urna aurea habens Manna; & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ Testamenti. *Rectè* siquidem intelligi potest urnam & virgam dici fuisse in Arca, quia erant juxta Arcam, quemadmodùm ex Hebræo interpretatur Estius. More enim Scripturæ quippiam in loco aliquo esse dicitur, si fit in loco condigno. Sic Luc. 9. Moyses & Elias dicebant excessum quem Christus completurus erat in Jerusalem. Et capit. 13. dicitur, non capit Prophetam perire extra Jerusalem; cùm tamen Christus non fit occisus intra Jerusalem, sed propè eam, in monte Calvariæ. Præpositio ergo, *in*, apud Apostolum, more Hebræo, aptè sumitur, & complectitur tam ea quæ propriè in Arca erant, uti erant tabulæ Legis, quàm ea quæ juxta Arcam erant, uti erant urna & virga.

[ *Ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israel.* ] Ad hoc jubetur ista virga reponi in Tabernaculo, ut ibi servetur, in signum quòd filii Israel rebellarunt, & murmuraverunt contra Dei ordinationem, qua jusserat Aaronem consecrari Sacerdotem; & quòd ad murmur illud sedandum, illa virga miraculosè germinaverat, & fructus produxerat. Simul autem ista virgæ asservatio serviebat ad cohibendum posteros, ne in simile peccatum murmurationis contra Sacerdotium Aaronicum inciderent.

*Sed quæritur*, utrùm ista virga remanserit in Tabernaculo virens & florens, an verò emarcuerit? *Abulensis* quæst. 11. & post eum Cornelius, Marzilla, & Marius, censet mansisse florentem, *quia* servabatur ut probatio rerum gestarum: marcida autem virga nihil probaret. *Si enim* diceretur quòd floruerat ad probandum Sacerdotium Aaronis, illi non crederent qui murmurare vellent, si non amplius esset florens. *Confirmatur*. Quoniam Manna semper idem suique simile & incorruptum fuit in Tabernaculo servatum, similiterque Tabulæ Legis, ergo & virga.

*Alia quæstio est*, quænam fuerit hæc virga Aaronis. *Sunt* qui volunt eamdem fuisse cum virga Moysi, quia tum ipse tum Aaron communiter utebantur ad edenda signa & prodigia quæ Deus per illam volet per instrumentum suum faciebat, voluntque id constare ex Num. 20. *Abulensis* tamen, Oleaster, Marzilla, Cornelius, & alii quidam scribunt fuisse diversam: *quia* hæc virga, etsi vocetur virga Aaronis, eo quòd nomen Aaronis esset illi inscriptum, erat tamen virga tribus Levi; ea autem qua usus fuit Moyses ad mirabilia patranda, non erat alicujus tribus, sed erat baculus pastoralis quo usus fuerat dum pascebat Oves Jethro: *Nec verisimile est*, quòd nunc adhibitus fuerit pro tribu Levitica; sic enim valdè impar fuisset virgarum sors, cæterique Principes prorsus suspectum habuissent Aaronem & Moysen, si ipse fratri suo consignasset virgam quæ tot mirabilium fuerat operatrix, cum alii communem tantùm baculum seu virgam haberent; & consequenter ipsum germinantis & florentis virgæ miraculum, non attribuissent causæ Aaronis pro Sacerdotio, sed ipsi virgæ miraculosæ, ac dixissent, suasque quoque virgas fuisse germinaturas, floresque & fructus daturas, si virgæ similiter miraculosæ fuissent eis: Et sic non fuisset sedatum murmur de Sacerdotio Aaronis. *Ad id*

quod ex cap. 20. opponitur, *Resp.* Inde fieri probabile quòd virga quam jussus est Moyses tollere ad aquam de petra dandam esset virga Aaronis quæ floruit, & quæ hic jussa est servari in Tabernaculo; inde tamen non habetur virgam illam Aaronis eamdem esse cum virga Moysi præcedentium signorum operatrice, cùm de hac te nihil ibi dicatur, poteritque virga ista Aaronia, tametsi diversa à virga Moysi, assumi ad miraculum istud patrandum. Dico *probabile* quoniam Abulensis, Oleaster, & Marailla arbitrantur virgam, de qua inferius cap. 20. non fuisse virgam Aaronis, sed virgam Moysi, quæ, licèt non sit expressum, custodiebatur in Tabernaculo ad rei memoriam; quemadmodùm virga Aaron ibi servabatur pro ipsius Sacerdotio.

[ *Et quiescant querelæ eorum à me*, ] Cessent eorum queri de Sacerdotio quod Aaroni & ejus familiæ delatum est, quia manifestè cognoscent Deum ita statuisse.

[ *Ne moriantur*. ] Ne plaga mortis puniantur, si adhuc conquerantur de Sacerdotio in Aaronem, ejusque solam familiam translato: Quod eveniret, si apud eos non maneret signum florentis virgæ.

[ ℣. 11. *Fecitque Moyses sicut præceperat Dominus*. ] Retulit omnino virgam in Sancta sanctorum.

*Virga Aaron* figura fuit Crucis Christi, quæ sicut Amygdalus, exteriùs est amara, sed dulcem ac suavem, utilissimumque fructum interiorem habet, & semper floret, ac fructum producit. Plura videri possunt apud Augustin. serm. 99. de tempore qui in Appendice est sermo quadragesimus.

[ ℣. 12. *Dixerunt autem Filii Israel ad Moysen: Ecce consumpti sumus, omnes perivimus*. ] Ita legendum in præterito, non in futuro, *peribimus*, ex Hebræo & Græco constat: Sicut autem graviter afflicti suam miseriam deplorantibus familiare est uti hyperbole; ita nunc Israelitæ maximè afflicti propter plagas præcedentes, & novo isto signo perculsi, ac veriti ne quid simile ipsis accidat, sermone hyperbolico dicunt, *Consumpti sumus, omnes perivimus*, quia plurimi de suo corpore perierant, plusquàm scilicet quindecim millia, sicut patet ex dictis versu 49. cap. 16. & metus erat ne ipsi quoque perirent. Hæc dixerunt, non murmurando contra Deum aut Moysen, unde nec propterea puniti fuerunt, sed desolationem suam ostendendo, & remedium è Moyse petendo.

[ ℣. 13. *Quicumque accedit ad Tabernaculum Domini, moritur*. ] Hoc est intelligendum de illis qui indebitè accedunt, usurpantes officium sibi non conveniens, sicut patuit suprà de Core & suis.

[ *Num usque ad internecionem cuncti delendi sumus?* ] Quod si non: Dicite ergo nobis qualiter faciendum sit, ut non cuncti deleamur. Et ad hoc responsio patet ex initio cap. seq.

## CAPUT XVIII.

*De onere Sacerdotum & excubiis Levitarum: primitiæ & oblationes ac sacrificia Sacerdotibus, decima autem Levitis assignantur, qui earum decimam rursum dabant Aaron.*

[ ℣. 1. **D***ixitque Dominus ad Aaron: Tu, & Filii tui*, ] Cùm sitis Sacerdotes. [ *Et domus Patris tui tecum*, ] est, tribus, seu familia Levi, atque adeò Levitæ omnes.

[ *Portabitis iniquitatem Sanctuarii:* ] Sanctuarium non habebat, nec habiturum erat aliquam iniquitatem: sed *iniquitas Sanctuarii* vocatur quæ fieret erga Sanctuarium, illicitè accedendo, vel tangendo illud, aut usurpando officium ad ipsum pertinens. Cùm dicitur, *portabitis iniquitatem Sanctuarii*, sensus est, quòd si quid à Laicis committatur contra reverentiam Sanctuarii, vobis imputabitur, & propter hoc puniemini; quia ex officio vobis incumbit eos arcere, & impedire. Datur ergo remedium in fine

fine capitis præced. petitum, quo populus eximator à metu cladis & plagæ divinæ propter irreverentiam quæ ab aliquo Laico committeretur contra Sanctuarium; ob quam timeri posset ne Deus non solùm in delinquentem, sed etiam in populum desæviret. Remedium autem est, quia decernitur hic pœnam talis irreverentiæ non esse exigendam à populo, sed à Sacerdotibus & Levitis, si quid simile per eorum incuriam, vel negligentiam, aut dissimulationem contingat. Pro *portabitis iniquitatem Sanctuarii*, 70. habent, *Accipietis peccata Sanctorum*, ubi *Sanctorum*, non est masculinè accipiendum, quasi sermo sit de peccatis quæ Sancti committunt, sed in neutro genere, sicut dicimus Sanctum, & Sanctorum: ut proinde *peccata Sanctorum* dicantur, quæ admittuntur contra Sancta, seu contra Sanctuarium. *Accipere* autem *illa peccata*, est illorum pœnas in se recipere, vel sustinere. Et sic ea lectio nostræ versioni concordat.

[ *Et tu & filii tui simul sustinebitis peccata Sacerdotii vestri*. ] Portabitis pœnam peccati, si fortè aliquid à vobis committatur in Officio Sacerdotali quod ad vos spectat,

[ ℣. 2. *Sed & fratres tuos de tribu Levi*, ] Caathitas scilicet, nam Aaron erat de Caath, ideoque Caathitæ peculiariter dicuntur fratres ejus, etsi alioquin omnes Levitæ appellari possint fratres Aaronis; cùm & ipse, & illi ex eodem Patre, nimirùm ex Levi descenderent,

[ *Et sceptrum Patris tui sume tecum*, ] Hoc est, Tribum Leviticam, seu raliquos omnes Levitas, Meraritas videlicet & Gersonitas.

[ *Præstoque sint, & ministrent tibi:* ] Assumes istos ad hoc quòd parati sint ad ministrandum tibi, & de facto tibi ministrent quandocumque opus fuerit. *Non existimandum*, quòd Levitæ ministrarent Aaroni exercendo quidpiam Officii Sacerdotalis: sed ministrata debebant faciendo officia sibi convenientia, ut custodiendo Sanctuarium, excubando circa illud, ipsum deponando quando Castra erant movenda; & erigendo cùm erat quiescendum, vasaque ejus portando; habendo etiam olei, thuris, salis, & farinæ curam, secundùm quod Aaron eis ordinabat, per se, vel per suos filios.

[ *Tu autem & filii tui ministrabitis in Tabernaculo Testimonii*. ] Sacrificia offerentes, & cætera quæ ibi sunt agenda, facientes:

[ ℣. 3. *Excubabuntque Levitæ ad præcepta tua*, ] q. d. Vigilabunt, & diligenter attendent ad præcepta tua, ut ea impleant:

[ *Et ad cuncta opera Tabernaculi:* ] Seu quæ circa Tabernaculum ipsis agere incumbit.

[ *Ita dumtaxat, ut ad vasa Sanctuarii & ad Altare non accedant*, ] Non præsumant tangere vasa instrumenta cultus divini, nisi fuerint involuta, nec officium Sacerdotale usurpent, tentando sacrificare in Altari. Sermo est de Altari holocaustorum qood erat magis obvium, utpotè in atrio, sed multò magis arcebantur Levitæ ab altari Thymiamatis quod in Sancta erat situm, nisi cùm tradereutur eis involuta ad portandum, deponendum, reponendum.

[ *Ne & illi moriantur*. ] Propter suam temeritatem, [ *Et vos pereatis simul*. ] Propter vestram negligentiam; Sacerdotibus enim incumbebat impedire Levitas, ne quid ejusmodi facerent, ideoque morte puniendi erant, si non impedirent. Per hoc autem quòd Levitæ arcentur ab ingressu Sanctuarii, & ab actu offerendi sacrificium. Glossa observat *Moraliter* significari, quòd Clerici qui sunt sub Sacerdotibus, etiam in aliis sacris Ordinibus constituti, non debent exercere actus pertinentes ad Sacerdotium.

[ ℣. 4. *Sint autem tecum, & excubent in custodiis Tabernaculi*, ] Vigilent custodiendo Tabernaculum, ne quis ex alienigenis ad illud propiùs accedat, sive castrametando, sive aliter.

[ *Et in omnibus caremoniis ejus*. ] Vigilabunt etiam Levitæ diligenterque attendent ad explendas omnes cæremonias Levitico ministerio proprias circa Tabernaculum, de quibus ad v. 2. dictum est,

[ *Alienigena non miscebitur vobis*. Per alienigenam intelligitur quisquis non esset de tribu Levi, qui prohibetur misceri Levitis, quantùm ad ea quæ erant de Levitarum officio, non autem quantùm ad politicam & communem conversationem. Etsi autem ejusmodi sententia frequenter repetatur, id tamen non fit superfluè, sed ut tenacitèr imprimatur memoriæ.

[ ℣. 5. *Excubate in custodia Sanctuarii*, ] Ad Sacerdotes, eosque solos jam loquitur: mox enim addit,

[ *Et in ministerio altaris:* ] Quod solis Sacerdotibus conveniebat. Jubentur ergo Sacerdotes diligenter advigilare, & observare, ne quis, etiam ex Levitis, accedat ad Sanctuarium, seu ad Tabernaculum, sive ad ministrandum, sive ad curiosè aliquid videndum; ac etiam vigilanter autem ministrare in altari, caventes ne quis alius in illo ministret.

[ *Ne oriatur indignatio super filios Israel*. ] Ne alioqui magna super totum populum plaga immittatur à Deo instar hominis graviter irati se gerente; Cùm enim Sacerdotes & populus unum corpus; unamque Rempublicam constituant, interdum Deus peccata Sacerdotum punit in populo, & vice versa, populi peccata in Sacerdotibus, tamquàm qui sunt ejusdem corporis membra, hoc etiam attento, quòd neque illi, neque isti careant peccatis quæ tali occasione puniri possint.

[ ℣. 6. *Ego dedi vobis fratres vestros Levitas* ] Levitæ vocantur Fratres Sacerdotum, quia erant eorum consanguinei, utpotè ex eadem Tribu. Eos dicit Deus se dedisse Sacerdotibus.

[ *De medio filiorum Israel*, ] Quia eos segregavit, & à reliquo populo Israelitico separavit, ut subservirent Sacerdotibus, non in quibuslibet rebus, neque in ministeriis domesticis, sed in iis quæ spectabant ad Tabernaculum custodiendum, erigendum, deponandum, portandum: Hoc enim est quod sequitur. *Ut serviant in ministeriis Tabernaculi ejus*. *Et tradidi donum Domino*. Id est, mihi. Sunt enim verba Domini de se loquentis in tertia persona, juxta morem Hebræis familiarem. *Si petas*, quomodò Dominus potest dici quòd sibi dederit Levitas, cùm ex cap. 3. & 8. constat populum dedisse Deo Levitas, sicque fuisse Deum qui Levitas accepit à populo ipsos pro primogenitis offerente. *Resp.* Dominum dici *dedisse sibi donum Levitas*, quia populo inspiravit & fecit ut ipse Levitas Deo offerret in donum.

[ ℣. 7. *Tu autem, & filii tui custodite Sacerdotium vestrum:* ] Diligenter exequimini ea quæ sunt officii Sacerdotalis, & ne permittatis quemquam non Sacerdotem se illis ingerere: Ad solos Aaronem & filios ejus hæc loquitur, quia ipsi soli erant ordinati Sacerdotes.

[ *Et omnia quæ ad cultum Altaris pertinent, & intra velum sunt, per Sacerdotes administrabantur*. ] Ad cultum, sive ad ministerium, aut ad servitium Altaris holocaustorum, de quo hic sermo est, pertinere censenda sunt ea quæ in Altari, vel circùm Altare fiebant, velut ad ignem in eo fovendum ac nutriendum, ad cineres ex eo educendos, ad victimas occidendas, dividendas, cremandas, & ad libamenta cum eis offerenda. Velum porrò erat duplex. Unum dividens Sanctum ab Atrio; intra quod erat Altare Thymiamatis, Candelabrum, & Mensa propositionis: Alterum, separans Sanctum à Sancto Sanctorum, intra quod erat Arca & propitiatorium. Ab utroque loco arcentur Levitæ, cùm omnia quæ ibi erant, per solos Sacerdotes administrari deberent.

[ *Si quis externus* ] Id est, qui non sit Sacerdos, [ *accesserit, occidetur*, ] vel per Judices, vel si ipsi noluerint, aut non potuerint, à Deo, sicut supra c. 16. contigit in Seditione Core, ubi Moyses & Aaron non poterant resistere tantæ multitudini, & Deus peccatores illos occidit.

[ ℣. 8. *Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum*. ] Attribuuntur hic Sacerdotibus ea quæ ad victum erant eis necessaria, & convenientia honestæ illorum remu-

remunerationi. Nomine autem primitiarum, non intelliguntur peimi fructus de area, vel torculari, vel ſimilibus; ſed generaliter omnia quæ quocumqne modo Deo offerebantur, ſive ſuper Altare eſſent offesenda, ſive ſolùm elevanda coram Deo; nam vox Hebræa illa omnia ſignificat. *Et confirm.* ex eo quòd ſtatuitur hic generalis propoſitio eorum quæ deincepx dicenda ſunt, & ſpeciatim in ſequentibus recenſenda; ſicut etiam ex verbis proximè allegandis clarum eſt. *Dat autem Deus Aaroni*, & in eo cæteris quoque Sacerdotibus cuſtodiam primitiarum, ſeu donorum, & oblationum; quia committit illi curam & adminiſtrationem eorum, tum ut ipſe illa impendat in ſuos uſus, tum ut Sacesdotibus inferioribus diſtribuat, ſeu diſtribui curet.

[*Omnia quæ ſanctificantur à filiis Iſrael*,] Quæ Iſraelitæ Deo offerunt, [*tradidi tibi, & filiis tuis*] *At dices:* Multa de ſacrificiis non poterant venire in uſum Sacerdotum, ut adipes, & quædam alia quæ in Dei honorem cremari debebant, vel cedere in uſum offerentium, de quibus in Levitico. Aliqua etiam pertinebant ad Sanctuarium, ſicut dimidii ſicli qui dabantur à tranſeuntibus ad numerum Exod. 30. & pecunia quæ offesebatur 4. Reg. 12. quomodò igitur omnia quæ Iſraelitæ offerebant Deo, cedebant Sacerdotibus? *Reſp.* Cum Abulenſe propoſitionem illam univerſalem, non prorsùs univerſaliter eſſe intelligendam, ſed ſecundùm limitationes jurium Sacerdotalium quæ Scriptura variis in locis ſpecialiter exprimit: Ita ut ſepoſitis holocauſtis, & partibus quibuſdam aliarum victimarum, vel quarumdam oblationum, omnia planè quæ offerebantur Deo, Sacerdotibus cederent.

[*Pro officio Sacerdotali*] Sive pro labore quem impenditis in exequendis illis quæ Sacerdotale officium requirit. Alii ex Hebr. vertunt, *ad ungendum*, alii, *propter unctionem*, hoc eſt, quia uncti eſtis in Sacerdotes, officioque Sacerdotali fungimini. 70. Habent, *tibi dedi ea in honorem*, ſive in manus honorarium.

[*Legitima ſempiterna.*] Ut jura iſta ſempee vobis competant, debitoque ſint ex Lege irrevocabiliter ſtatuta: Semper autem intellige, quamdiu veteris Legis ſtatus durabit.

[℣. 9. *Hoc ergo accipies de his quæ ſanctificantur, & oblata ſunt Domino.*] Incipit ſpeciatim recenſere quænam ſint illæ primitiæ ſeu oblationes, vel oblationum partes quæ cedere debebant in jus Sacerdotum. Et quamvis non omninò ſint eadem, *ſanctificari*, & *offerri Deo*; nam ea quæ per votum erant Deo promiſſa, jam esant ſanctificata, ſeu Deo obligata, etiamſi non eſſent realiter ei oblata. Rectè tamen notat Abulenſis pro eodem hic poni *oblata*, & *ſanctificata*; quia omnia quæ aliquo modo ſunt, aliquando offeruntur. Es Hebr. alii ſic reddunt: *Hoc erit tibi de Sanctitate Sanctitatum de igne.* Q. d. hoc tibi provenier de rebus ſacratiſſimis, quibus ſcilicet Laici veſci non poſſunt, & quæ ſic offeruntur, ut aliquid eorum igne cremetur.

[*Omnis oblatio, & ſacrificium, & quidquid pro peccato atque delicto redditur mihi,*] *Oblationem* & *Sacrificium* aliqui pro eodem accipiunt: Alii diſtinguunt. Senſus autem eſt, quidquid offertur Deo, & omnis victima quæ ipſi immolatur ex præſcripto legis, ac inſuper omnis hoſtia pro peccato, & pro delicto, de quibus Levit. 7. dictum eſt.

[*Et cedit in Sancta Sanctorum,*] Hoc eſt, efficitus valdè Sanctum, ſeu excellenter Sanctum.

[*Tuum erit, & filiorum tuorum.*] Ad vos pertinebunt, ſaltem ſecundùm aliquam eorum partem. Significatur ergo quòd de ſacrificiis quæ efficiebantur valdè Sancta, aliquid proveniebat Sacerdotibus; ut de holocauſto, pellis: De hoſtia pro peccato, vel delicto, ea quæ non debebant cremari in honorem Dei: De partibus illis hoſtiæ pacificæ quæ non ſanctificabantur nihil proveniebat Sacerdoti: ſed de partibus ſanctificatis, pectuſculum, & armus dexter, eis cedebat.

[℣. 10. *In Sanctuario comedes illud:*] Per Sanctuarium neque intelligitur locus qui vocabatur *Sancta*, neque is qui dicebatur *Sancta Sanctorum*, cùm in eis nemini liceret comedere; ſed *Atrium Tabernaculi* quod dici poteſt *Sancta Sanctorum*, relativè ad comedendum; quia nullus locus erat Sanctior ad uſum comedendi. Omnia ergo quæ ex rebus ſanctificatis cedebant ſolis Sacerdotibus, in Atrio, ſeu in locis juxta Altare holocauſtorum diſpoſitis comedi debebant.

[*Mares tantùm comedent ex eo,*] Nimirùm ſacrificio pro peccato atque delicto, de quo immediatè præcedit, nam de hoſtia pacifica etiam Mulieres comedere poterant, Levit. 10.

[*Quia conſecratum eſt tibi.*] Quidam legunt, *quia conſecratum eſt Domino:* At, veram lectionem non habere *Domino*, ſed, *Tibi*, es Textu Heb. & 70. liquet. Senſus autem eſt, ideò ſolos maſculos poſſe comedere de hoſtiis pro peccato & delicto, quoniam illæ ſoli Aaroni, & Sacerdotibus tamquàm aliquid Sanctiſſimum, erant reſervatæ & ſegregatæ.

[℣. 11. *Primitias autem, quas voverint & obtulerint filii Iſrael,*] Non accipiuntur hic primitiæ *propriè* psout ſunt primi fructus; neque etiam univerſaliter pro donis quæ vel ex voto, vel ſpontè offerebantur, cum ad horum comeſtionem requiratur munditia in comedente, ex primitiis autem, & ex aliis ſpontè oblatis quæ non immolabantur, etiam immundi poterant veſci; Sed per primitias intelligi videntur omnia ſelectiſſima quæ filii Iſrael dono darent ad immolandum.

[*Tibi dedi, & filiis tuis, ac filiabus tuis, jure perpetuo.*] Hoc non intelligitur quantùm ad jus percipiendi, ſed quantum ad eſſe licitum comedere de illis: Soli namque Sacerdotes habebant jus percipiendi iſtas primitias; filiæ autem eorum, vel etiam uxores, non habebant jus eas percipiendi, cùm jus illud eſſet propter Officium Sacerdotale, mulieribus verò nullum ejuſmodi Officium licebat, ſed tantùm habebant jus de illis veſcendi.

[*Qui mundus eſt in domo tua, veſcetur eis.*] Oportebat eos qui iſtis primitiis veſcerentur eſſe & de familia Sacerdotis, & mundos legaliter, ſeu puros ab immunditia legali, ideoque non eſſe leproſos, ſeminifluos, menſtruatas, pollutionem patientes; neque tetigiſſe mortuum, vel oſſa ejus reperta in agro, neque comediſſe animal immundum, & alia ejuſmodi. Maculæ autem, ſive naturales deformitates, ut claudicatio, cæcitas, gibboſitas, lippitudo, jugis ſcabies, etſi arcerent à ſacro miniſterio faciendo, non tamen impediebant de dictis primitiis comedere.

[℣. 12. *Omnem medullam olei, & vini, ac frumenti, quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi.*] Pro *Medullam*, alii ex Hebræo reddunt, *pinguedinem*, optimè autem Interpres noſter dedit *Medullam:* Quia medulla ſignificat optimum quod eſt in se. Agitur autem hic de primitiis *propriè*, prout ſunt primi fructus qui de optimis offerri debebant. Et ſenſus eſt. Quidquid pinguiſſimum ſeu optimum fuerit, olei, vini, frumenti, & ſimilium rerum quarum primitias Iſraelitæ debent offerre Deo, tibi dedi, ut in uſus tuos cedant. De diverſitate porrò primitiarum, ut & de illarum quantitate, videantur quæ diximus ad cap. 23. Exod.

[℣. 13. *Univerſa frugum initia, quas gignit humus, & Domino deportantur, cedent in uſus tuos:*] Frugum initia, intelliguntur primitiæ frugum terræ, uvarum videlicet, ficuum, olivetorum, malogranatorum, frumentorum, quæ juxta præſcriptum legis deferebantur, & offerebantue Deo. Et hæ omnes cedebant Sacerdotibus, vel ad cibum, vel ad alias ipſorum neceſſitates. *Obſervat* autem Abulenſis differentiam inter *decimas* & *primitias*, quòd decimæ ſolvebantur non ſolùm de terræ naſcentibus, ſed etiam de omnibus animalibus, tam mundis, quàm immundis, quæ ad uſum hominum pertinebant, ſcilicet de Aſinibus, Bobus, Hircis, Equis, Aſinis, Camelis: Primitiæ autem non ſolvebantur de pecoſibus, nec reperietur umquàm in veteri Teſtamento quòd dicantur primitiæ, niſi de terræ naſcentibus. Rationem adfert, quoniam oblatio primogenitorum habebat quamdam rationem primitia-

rum, sive ipsamet offerrentur; ut munda; sive redimerentur, ut immunda: Et si primitiæ debuissent solvi de animalibus, hoc esset de primogenitis, quia illa sunt prima, & primitiæ dicuntur de primis.

[ *Qui mundus est in domo tua, vescetur eis.* ] Si nimirùm ex illis primitiis aliquid fuerit Deo immolatum & sacrificatum: Nam aliàs, si soli Sacerdoti offerrentur, & nulla pars Deo super Altare, poterant comedi à quibusvis, etiam immundis. Oportet enim scire, quòd ex primitiis interdum aliqua pars cremabatur super Altare, ut pars manipuli spicarum, & pars panis oblati in primitias in Festo Pentecostes Levit. 23. & propter illas partes sic in honorem Dei crematas, omnes aliæ quamdam contrahebant sanctificationem, ob quam cedere debebant in cibum ministrorum & familiæ ipsorum, nec nisi à mundis comedi. Interdum verò nihil de primitiis cremabatur in honorem Dei, sed totæ cedebant in jus Sacerdotum, & de his poterant comedere, vendere, permutare, donare, nec requirebatur munditia in comedente. Simile erat de Decimis quæ proveniebant Levitis. Nam eas ad omnem honestum usum poterant transferre, & in necessitates suas expendere, sicut infra de illis dicit Deus; *Nihil aliud possidebunt decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum & necessaria separavi.* *Usus* dicit, ait Abulensis, quæst. 15. quantùm ad sumptionem in cibos; *necessaria* dicit, quantum ad commutationes, venditiones, & donationes, & alios contractus quos facere poterunt de fructibus decimarum.

[ ℣. 14. *Omne quod ex voto reddiderint filii Israel, tuum erit.* ] Si videlicet illud voverint, non ad immolandum Deo, sed tantùm ad oblationem: Quod autem vovebatur ad immolandum, si erat idoneum immolationi, debebat immolari, & ex eo Sacerdoti proveniebant sua jura secundùm qualitatem sacrificii: Sed si non erat aptum immolari, debebat vendi, seu redimi, & ejus pretium cedebat Sacerdoti. Conferenda sunt quæ Levit. 23. diximus.

[ ℣. 15. *Quidquid primum erumpit è vulva cunctæ carnis, quam offerunt Domino,* ] Hoc est, quidquid primò nascitur, seu omne primogenitum cunctæ carnis. Et ne putaretur sermonem fieri de omnium omninò animalium primogenitis; cùm tamen omnia illa primogenita offerentur Deo; nec pro omnibus illis daretur pretium, statim additur, velut restrictio.

[ *Quam offerunt Domino*; ] Sive, quæ aliquo modo dantur Deo. Non enim hic accipitur *offerre* pro *immolare*, cùm homines non immolarentur, & tamen hominum primogenita deberent dari Deo; sed accipitur pro *quocumque modo tribuere*, vel in se, vel in alio quasi æquivalenti: Et sic primogenitum hominis offerebatur Deo, quia dabatur pretium pro illo.

[ *Sive ex hominibus, sive de pecoribus fuerit, tui juris erit:* ] Primogenita, sive fuerint hominum, sive pecorum, ad Sacerdotes pertinebunt: Nam pro primogenito hominum dabatur pretium, & illud cedebat Sacerdoti supr. cap. 3. Ex illis porrò quæ Exod. 13. præscribuntur, hæc omnia intelligenda veniunt de primogenitis masculini sexus, sicque una scriptura per aliam scripturam est explicanda.

[ *Ita dumtaxat, ut pro hominis primogenito pretium accipias,* ] Quinque nimirùm siclos pro quolibet primogenito aliarum Tribuum. Nam primogeniti Levitarum, non erant redimendi, sed manebant sacro ministerio deputati, secundùm ea quæ diximus Exod. 13.

[ *Ita dumtaxat, ut pro hominis primogenito pretium facias,* ] Sermo est de animali, quod etsi non esset immundum secundùm speciem, sicut est equus, mulus, camelus, erat tamen immundum per accidens, ut est ovis clauda, manca, cæca, quæ idcircò non poterat Deo immolari: Nam Hebræi mundorum solùm animalium, puta, ovis, bovis, capræ, & hominis primogenita Deo offerebant; non autem immundorum, nisi solius Asini, ut eod. cap. 13. dictum est.

[ ℣. 16. *Cujus redemptio erit post unum mensem, siclis argenti quinque,* ] *Ambiguum est* quid referat Relativum *cujus*, videtque posset referendum esse ad animal immundum, quod proximè præcedit, nisi obstaret quòd pecorum primogenita possent octavo die offerri, Exod. 22. & Levit. etiam 22. pariterque tunc redimi, si essent immunda; quòdque nusquàm illa jussa sunt redimi quinque siclis, sed juxta æstimationem Sacerdotis Levit. 27. Referendum ergo est ad hominis primogenitum, de quo præcedit; nam solius hominis primogenitus offerri debebat Deo post mensem, & redimi quinque siclis; neque enim necessarium erat quòd præcisè ad finem mensis offerretur, sed oportebat quòd non ante. Et hinc putatur invaluisse apud Judæos consuetudo, ut quamvis Infantes offerri, ac redimi possent ante Matris Purificationem, quæ fiebat quadragesimo die à partu, eodem tamen die quo purificabatur Mater, ipsi offerrentur ac redimerentur: Quam consuetudinem etiam observavit B. Virgo Dei-para Luc. 2. *His non obstat*, quòd de hominis primogenito nihil sit proximè dictum; satis namque est quòd dictum fuerit aliquantò remotiùs; cum in Sacris Litteris, relativum aliquando referatur ad id quod remotius est, & non ad id quod propinquius; sicut ad Hebr. 9. cùm dicitur, *Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant Candelabra, & Mensa, & propositio panum, quæ dicitur Sancta*; relativum *quæ* non refertur ad id quod proximè antecessit, id est, ad *propositionem panum*, sed ad illud quod erat remotius, hoc est, ad *Tabernaculum*: Neque enim est sensus propositionem illam panum appellari Sanctam, sed quòd Tabernaculum illud primum communi nomine vocaretur *Sancta*, vel *Sanctum*; utpotè ad cujus distinctionem Tabernaculum secundum, seu altera pars Tabernaculi, vocabatur *Sancta Sanctorum*.

[ *Pondere Sanctuarii.* ] Isti sicli debebant esse ponderis justissimi, ita ut singuli eorum tanti essent ponderis quanti erat siclus qui servabatur in Sanctuario, tamquàm regula vel mensura cui omnes alii sicli deberent respondere. Conferantur quæ de siclo dicta sunt ad c. 30. Exodi.

[ ℣. 17. *Primogenitum autem bovis & Ovis & Capræ non facies redimi, quia sanctificata sunt Domino.* ] Quia sunt peculiariter Deo consecrata, utpotè deputata ut Deo immolentur. Dico *peculiariter*, quoniam alia primogenita erant etiam aliquo modo sanctificata Deo, seu ab usibus communibus segregata in cultum Dei, at non sic, ut ipsa secundùm se possent ac deberent immolari: Nam primogenitum Asini redimendum erat ove, aut alioqui occidendum Exod. 13. hominis autem primogenitum redimi debebat quinque siclis. Hæc autem ordinatio intelligenda est de illis primogenitis bovis, ovis, & capræ, quæ non haberent maculam aut defectum, ratione cujus inidonea essent in sacrificium offerri, secundùm ea quæ Levit. 22. dicuntur; nam tunc æstimari debebant, & pretio redimi, & pretium cedebat Sacerdotibus, sicut fiebat de animalibus immundis quæ vovebantur c. 27. Levit.

[ *Sanguinem tantum eorum fundes super Altare, & adipes adolebis in suavissimum odorem Domino.* ] Ista sanguinis effusio fiebat in honorem Dei, sicut etiam adipis concrematio. Et cùm dicitur, *In suavissimum odorem Domino*, Significatur quòd propter fidem, devotionem, & obedientiam offerentium, ita erat grata Deo ista adipum concrematio, sicut solet pergratus esse hominibus odor aliquis suavissimus.

[ ℣. 18. *Carnes verò in usum tuum cedent,* ] Ita ut nulla eorum pars debeat Deo, seu in honorem Dei cremari super Altare, nec aliqua dari Laico suum primogenitum offerenti. Qua in re oblatio primogenitorum similis erat hostiæ pro peccato, cujus etiam carnes omnes proveniebant Sacerdotibus, etsi non esset similis quantum ad causam.

[ *Sicut pectusculum consecratum, & Armus dexter, tua erunt.* ] Sicut ex hostia pacifica pectusculum, & armus dexter ad te pertinent, ita ut quivis ex tua familia possit, si mundus est, ex illis comedere; ita in oblatione hostiæ primogenitorum; om-

omnes ejus carnes ad te pertinebunt ; & omnes mundi de tua familia, etiam mulieres, comedere ex illis poterunt.

[ ℣. 19. *Omnes primitias Sanctuarii, quas offerunt filii Iſrael Domino, tibi dedi, & filiis ac filiabus tuis.* ] Reperitur generalis ſententia de omnibus variis oblationum generibus, quæ in Sacerdotum jura tranſibant ; & per primitias Sanctuarii, hoc eſt, quæ in Sanctuario, ſeu in Tabernaculo offeruntur, non ſolùm intelliguntur primi fructus, ſed omnia quæcumque offerebantur Deo, quemadmodùm ex verſu 8.

[ *Jure perpetuo.* ] Seu in perpetuum, quamdiù ſcilicet duraverit ſtatus Judæorum, eorumque Sacerdotes, & ſacrificia.

[ *Pactum ſalis eſt ſempiternum coram Domino, tibi ac filiis tuis.* ] Quod aliqui legunt *pactum ſalutis* vel *pacis*, erroneum eſt, & contra fidem tam Hebræorum, quàm Græcorum Codicum, Scripturæ autem ſenſus eſt ; Pactum hoc quod tecum & cum filiis tuis facio de vobis dando jura prædicta, eſt *pactum ſalis* ; hoc eſt, firmum, ſtabile, & perpetuum, durans ſicut ſal quod natum eſt conſervare carnes à corruptione, quodque propterea Symbolum eſt incorruptionis. Illud ergo, *ſempiternum*, additum eſt ad explicandum quid per *pactum ſalis* ſit intelligendum, pactum ſcilicet perpetuum. Vocatur autem pactum, quoniam illa Dei donatio erat conditionata, viciſſim ſcilicet ex parte Sacerdotum requirens quòd deberent ſervire Deo & Tabernaculo.

[ ℣. 20. *Dixitque Dominus ad Aaron:* ] Tamquam ad Sacerdotum ac Levitarum Principem ; unde quod Aaroni dicitur, Interpres rectè intelligens ipſi ut Principi, atque adeò omnibus Levitis dictum, pluraliter vertit quod ſequitur.

[ *In terra eorum* ] Fratrum veſtrorum, ſeu Hebræorum [ *Nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos :* ] Ineptè Vviclef hinc nitebatur probare non licere Clericis novi Teſtamenti habere poſſeſſiones. Lex enim hæc erat cæremonialis, eſtque jam abolita. *Deinde*, per eam non prohibebatur Sacerdotibus aut Levitis omnis poſſeſſio, etiam agrorum, cùm ex 3. Reg. 2. conſtat Abiathar Sacerdotem habuiſſe agrum in Anatoth. Jeremias quoque emit agrum à filio Patrui ſui Jerem. 32. Et Barnabas Levites poſſedit agrum quem Actor. 4. vendidiſſe dicitur. Sacerdotes quoque & Levitæ urbes habuerunt ad habitandum, & ſuburbana ad alenda pecora, inferiùs cap. 35. & Joſ. cap. 14. Sed ſignificatur quòd Sacerdotes & Levitæ non eſſent habituri partem in communi terræ promiſſionis diviſione, quòdque non eſſent ullam ejus portionem poſſeſſuri ſegregatam ab aliis tribubus. Quod omninò ita contigit, cùm terra illa in duodecim Tribus fuerit diſtributa, omiſſa Levitica.

[ *Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael.* ] Iſta eſt cauſa quare Levitæ non deberent habere aliquam partem inter reliquos filios Iſrael, quia ſcilicet Deus erat eorum pars & hæreditas. Quod aliqui ſic explicant ; quia debebant in Deo contemplari, & quia Deus erat bonum eorum in quo oportebat ipſos manere : Sed ad *Tropologiam* iſta pertinent ; *Litteralis ſenſus eſt*, ut Deus dicatur eſſe pars & hæreditas Sacerdotum & Levitarum, quoniam ea quæ ex ſacrificiis Deo competebant, & tam primitias, quàm decimas & reliquas oblationes Deo factas, ipſe cedebat ac donabat Sacerdotibus & Levitis.

[ ℣. 21. *Filiis autem Levi dedi omnes decimas Iſraelis* ] *Incertum eſt* quinam per filios Levi hic intelligantur : Utrùm generaliter, qui erant de Tribu Levi, comprehenſis Sacerdotibus, an peculiariter Levitæ, prout à Sacerdotibus diſtinguuntur, ſeu Miniſtri inferiores ; ſunt enim boni Authores in utramque partem. *Aſſentiendum* tamen videtur poſterioribus, & dicendum quòd ſicut Sacerdotibus cedebant primitiæ, oblationes & ſacrificia, ita Levitis inferioribus cederent omnes decimæ, etſi non abſque onere, de quo ad verſ. 26. Et conſequenter quemadmodùm Sacerdotes habebant partes ſacrificiorum, & alia jura Sanctuarii in poſſeſſionem, ſic Levitæ habebant decimas loco ſortis & poſſeſſionis ſuæ. Confirmatur, Sacerdotes participabant de decimis in quantùm Levitæ decimas decimarum à ſe perceptarum dabant Sacerdotibus, teſtante hoc B. Hieronymo in cap. 26. Ezechiel. Cùm ait, *Ex ipſis decimis Levita, hoc eſt, inferior Miniſtrorum gradus, decimas dabat Sacerdotibus*. Et Epiſt. 128. ad Fabiolam, *Æditui & Janitores accipiunt decimas, & rurſum, decimas decimarum offerunt Sacerdotibus*. Non eſt autem ſolidum aliquod fundamentum dicendi quòd Sacerdotes bis reciperent decimas, ſemel æquali jure cum Levitis, ac deinde ab ipſis Levitis. Manet ergo per filios Levi hic intelligi Levitas inferiores, qui ſoli immediatè accipiebant decimas à reliquis Tribubus. Neque his repugnat quòd 2. Eſdræ 10. dicitur, erit autem Sacerdos filius Aaron cum Levitis in decimis Levitarum : Non enim per hæc ſignificatur quòd Sacerdos æqualiter cum Levitis concurreret ad decimas recipiendas, ſed tantùm quòd ex Decimis quas percipiebant Levitæ, etiam participabant Sacerdotes, accipiendo videlicet iſtas decimarum decimas : In quem ſenſum accipienda quoque ſunt quæ Joſephus Lib. 4. Antiquit. cap. 4. ſcribit de Moyſe, *à toto populo decimas annui fructus exegit, Levitis ſimul ac Sacerdotibus conferendas*.

[ *Pro miniſterio quo ſerviunt mihi in Tabernaculo fœderis :* ] Non ſignificatur Levitas vendere, aut pretio ſubjicere ſuas operas quas exercerent in Tabernaculo erigendo, deponendo, portando, & cuſtodiendo ; ſed quòd ex ordinatione Dei decimæ illis deberentur ratione miniſterii quod exhibebant, & deinceps exhibituri erant circa Tabernaculum. *Si dicas*, Levitæ qui habitabant diſperſi per varias Tribus longè à Tabernaculo vel Templo, non occupabantur ſacro miniſterio, cum illud ſolùm fieret circa Tabernaculum vel Templum ; ergo non poterant accipere decimas ratione ſacri Miniſterii. *Reſp.* Neg. Conſeq. quia omnes debebant eſſe parati ad miniſtrandum, & ratione hujus obligationis poterant accipere. *Probabile* quoque eſt, quòd omnes vicibus ſuis miniſtrabant, ſaltem poſtquàm David claſſes Sacerdotum & Levitarum inſtituit, ut eſt in Lib. 1. Paralip. quòdque miniſtrabant in his quæ ad Deum pertinent, docendo populum verum Dei cultum, & legem ac cæremonias, maximè ubi erant Synagogæ : Nam in Synagogis conſuetum fuiſſe legi Libros Moyſi & Prophetarum per omne Sabbathum, ex actibus Apoſtolorum, & aliunde conſtat.

[ ℣. 22. *Ut non accedant ultrà filii Iſrael ad Tabernaculum,* ] Q. d. Idcircò Levitis aſſigno decimas ratione Miniſterii quod exhibere debent circa Tabernaculum, ne filii Iſrael qui ſunt ex aliis Tribubus habeant occaſionem accedendi ad Tabernaculum ; quam occaſionem capere poſſent, ſi Levitis non eſſet benè proviſum de neceſſariis, ſic enim facilè eſſent negligentiores in ſuis officiis, ac ſpecialiter in cuſtodia Tabernaculi. Quod dicitur, *ut non accedant ultra*, perindè valet, ac ut futuris temporibus numquàm accedant : *Neque* neceſſe eſt ſic iſta accipere, quaſi ſignificetur quòd aliquando acceſſerint, cùm ſtatim ab erecto Tabernaculo conſecrati fuerint Sacerdotes & Levitæ, eorumque officia diſtincta, ſup. cap. 8. & Levit. 8. *Niſi fortè* aliquis dicere velit quòd aliquando acceſſerunt, tunc nimirùm, quando Core cum ſuis uſurpare voluit ſummum Sacerdotium cap. 16. At hoc non accedit per negligentiam Levitarum, ſed per ſeditionem rebellium quibus Moyſes & Aaron reſiſtere non poterant.

[ *Nec committant peccatum mortiferum,* ] Hoc eſt, quòd morte ſit puniendum, etiam in hoc ſæculo : Per ſe enim & directè ſermo eſt de morte temporali, conſequenter autem etiam de æterna.

[ ℣. 23. *Solis filiis Levi mihi in Tabernaculo ſervientibus,* ] Veriſimile eſt ſermonem eſſe de iiſdem Levitis de quibus v. 21. qui ſcilicet erant inferiores Sacerdotibus, quibus ſolis Deo ſervientibus in Tabernaculo erigendo & cuſtodiendo.

[ *Et portantibus peccata populi* . ] Id eſt, qui

pœnas peccatum populi levituri erant, si per eorum negligentiam aut dissimulationem aliquis de populo accederet ad Tabernaculum.

[*Legitimum sempiternum erit in generationibus vestris.*] Prædicta Lex de decimis per Levitas recipiendis erit apud vos perpetua.

[*Nihil aliud possidebunt*, ℣.24. *Decimarum oblatione contenti*,] Levitæ neque de juribus Sacerdotum, neque de bonis populorum aliquid aliud possidebunt, sed contenti esse debent decimis quas eis assignavi.

[*Quas in usus eorum & necessaria separavi.*] Per quod ostenditur quòd Levitæ non solùm poterant comedere de decimis, sed etiam in alia sibi necessaria commutare, seu vendendo, seu aliter contrahendo.

[℣. 26. *Præcipe Levitis, atque denuntia;*] Levitas intellige ut supra, eos qui erant Sacerdotibus inferiores. Soli namque illi tenebantur solvere decimam decimæ.

[*Cum acceperitis à filiis Israel*,] Ab aliis Israelitis qui non sunt de Tribu Levi.

[*Decimas, quas dedi vobis, Primitias earum offerte Domino*,] Per primitias intelligitur decima pars decimarum, ideò namque sequitur,

[*Id est decimam partem decimæ*,] Jubet ergo hic Deus ut Levitæ decimarum quas percepturi sunt à reliquis Israelitis, decimas offerant Deo, id est, Dei Sacerdotibus. Quæ quidem & *Decimæ* vocantur & *Primitiæ*; *Decimæ* quantùm ad summam, quia erant pars decima; *Primitiæ* autem, ob duas rationes. *Una est*, quia dabantur primò: Cùm enim Levitæ acceperant decimas à populo, priusquàm eas, seu aliquid earum converterent in suos usus, separabant ex illis decimam partem dandam summo Sacerdoti. *Altera*, quia erant optima quæque & selecta, sicut versu 29. disponitur; & sic erant primæ partes quoad ordinem dignitatis.

[℣. 27. *Ut reputetur vobis in oblationem primitivorum, tam de areis, quàm de Torcularibus:*] Ut hæc oblatio decimæ decimarum perinde vobis sit, ac si ex agris vestris ea collegissetis, & ex areis ac Torcularibus vestris ea provenissent; ob idque etiam apud Deum ad favorem ejus promerendum perinde vobis prosint, ac si è fundis vestris processissent.

[℣.28. *Et universis*] Subintelligenda videtur ex præcedentibus præpositio *de*:

[*Quorum accipitis primitias, offerte Domino*,] Q. d. Et de universis omninò rebus quarum ab aliis Israelitis accipitis decimas (nam hæ per primitias significantur) offerte Domino, Domini videlicet Sacerdotibus. *Sunt* qui sic distinguunt, commate posito ante primitias: *Et universis*, seu, *de universis quorum accipitis, primitias offerte Domino*: Ut *primitias* referatur ad *offerte*; & ad *quorum*, subaudiatur, *decimas*: Ut sensus sit; de universis quorum accipitis decimas offerte primitias Domino.

[*Et date Aaron Sacerdoti.*] Non ut sibi soli, solisque suis usibus reservet, sed ut etiam inter Sacerdotes inferiores distribuat, secundùm ea quæ diximus ad v. 21. Quibus consentit Philo Lib. de honoribus Sacerdotum. *Ex hoc loco* B. Th. 2. 2. q. 87. art. 4. ad 3. tradit quòd sicut Levitæ debebant Aaroni dare decimam partem omnium decimarum quas à populo recipiebant, ita nunc Clerici tenerantur Summo Pontifici dare decimam partem suorum bonorum Ecclesiasticorum, si exigeret: Non quòd Lex hic statuta nunc obliget; sed quia naturalis ratio dictat ut illis qui de communi multitudinis statu curam gerunt, provideatur unde possunt exequi ea quæ sunt in communem salutem. Non solet tamen Pontifex talem decimam exigere, sive quòd aliunde sit ei provisum, sive ob alias causas. Conferantur quæ ad illum art. 4. diximus.

[℣. 29. *Omnia quæ offeretis ex decimis, & in Donaria Domini separabitis*,] *Decimas* & *Donaria* videtur Interpres accepisse ut Synonyma, ut proinde *offerre ex decimis* & *separare in donaria*, non aliter differant, quàm quòd *offerre* dicat ipsam solutionem actualem, quæ fit de fructibus Decimarum, *separare* autem *in donaria*, est priusquàm fiat solutio partem aliquam segregare quæ solvatur.

[*Optima & electa erunt.*] Quidam addunt, *cuncta*: Quod Correctores omiserunt, utpotè sufficienter expressum in Principio sententiæ, *Omnia quæ &c.*

*Notent hoc illi Christiani* qui in decimis aliisque oblationibus vilissima dant Deo, ejusque Ministris, meliora sibi reservantes, facti similes Cain, & dissimiles Abel, quorum ille deteriora offerebat, iste potiora: Unde Genes. 4. dicitur quòd Deus respexit ad Abel & ad munera ejus; ad Cain autem & ad munera illius non respexit. *Sunt quoque* imitatores Cain illi qui Liberos deformiores, hebetiores, debiliores, aut illegitimos non tam Deo offerunt, quàm ad Clericatum vel Religionem trudunt, subinde etiam invitos.

*Circa* hujus versiculi sententiam ex Abulense quæst. 24. *Observandum est*, eum Legi satisfacturum fuisse qui daret bona fide quæ essent paulò meliora, vel quæ putarentur æquè bona esse ac illa quæ reservabantur; Quia non erat absolutè præceptum dare meliora. Unde infra solùm ponitur peccatum, si sibi reservarent pinguia & egregia. Sed ut oblatio multùm reputaretur eis ad meritum, meliora dare debebant. Si autem de industria eligerent id quod erat pejus, vel non ita bonum, peccabant, utpotè sibi meliora retinentes.

[℣. 30. *Dicesque ad eos: Si præclara & meliora quæque obtuleritis ex decimis, reputabitur vobis quasi de area & torculari dederitis primitias:*] Ita erat Deo gratum, & ita cedet in vestram utilitatem, sicut si de propriis frumentis quæ in area conduntur, & de propriis uvis quæ Torculari teruntur offerretis primitiva præstantissima.

[℣. 31. *Et comedetis eas in omnibus locis vestris, tam vos quàm familia vestra:*] Unde patet quòd de Decimis non soli Levitæ poterant comedere, sed tota ipsorum familia, quòdque in comedentibus non requirebatur mundities. Locus autem ad earum comestionem deputatus nullus erat, sed ubicumque essent, illis vesci poterant cum suis domesticis, uxoribus, Liberis, servis, & ancillis. Imò poterant etiam illas aliis donare, & vendere.

[*Quia pretium est pro ministerio*,] Pretium impropriè sumitur, pro victus scilicet stipendio eoque debito; Laborantibus enim circa sacrum Ministerium debet suppeditari victus. Unde Apostolus 1. ad Cor. 9. *Si nos vobis spiritualia seminavimus; magnum est, si carnalia vestra metamus?* Et August. tom. 9. tract. de Pastorib. cap. 2. *Unde vivitur, necessitatis est accipere: Charitatis est præbere; non tamquam venale sit Evangelium, ut istud sit pretium ejus quod sumunt qui annuntiant unde vivant. Si enim sic vendunt, magnam rem vili pretio vendunt. Accipiant sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Domino.* Pro *pretium*, in Hebræo est *Merces*, *propriè tamen* ea quæ Sacrorum Ministri accipiunt à populo non sunt etiam *Merces*, cùm neque dentur, neque recipiantur ut fiat æqualitas & commutatio temporalium pro spiritualibus, sed ut stipendium sustentationis. Conferantur quæ 2. 2. dixi ad quæst. 100. art. 2. ad 1.

[℣. 32. *Et non peccabitis super hoc, egregia vobis & pinguia reservantes*,] Quod bifariam exponi potest; vel per modum imperii, quasi diceret; Volo ne peccetis reservando vobis pinguia & egregia de Decimis: Sive, non reservate vobis talia, alioquin peccabitis. Vel per modum consecutionis; offerendo optima quæque & electa, fiet quòd non peccabitis reservando vobis egregia & pinguia.

[*Ne polluatis oblationes filiorum Israel, & moriamini.*] Ne Deo ingratas reddatis oblationes Israelitarum, & ob hoc moriamini, seu pœna mortis puniamini. Indecens quippe est offerre Deo quæ minùs bona, minùsque sincera sunt: Et inde fit quòd ejusmodi oblationes tamquàm immundas Deus aversetur & rejiciat.

## CAPUT XIX.

*Ex cinere vaccæ rufæ fiebat aqua expiationis, qua variæ immunditiæ abluebantur: De moriente in Tabernaculo, & vaſe non habente operculum, ac tangente cadaver hominis.*

[ ℣. 1. L*Ocutuſque eſt Dominus* ] Quando locutus fuerit Deus ea quæ ſequuntur, non liquet. *Omninò tamen videtur dicendum* quòd non primo, ſed ſecundo demùm anno Egreſſionis de Ægypto, poſt conſecrationem ſcilicet Sacerdotum; quia hîc Eleazar vocatur Sacerdos, non fuit autem Sacerdos antequam conſecraretur. *Probabile quoque eſt* hæc contigiſſe mortuis Nadab & Abiu; quoniam vacca rufa ſtatim jubetur tradi Eleazaro Sacerdoti ut eam immolet: Cùm autem Nadab & Abiu eſſent ſeniores, videtur alteri eorum potius fuiſſe tradenda, ſi eſſent adhuc ſuperſtites. *Inſuper veriſimile eſt*: hæc dicta & facta fuiſſe mox ut Sacerdotum conſecratio fuit completa. Cùm enim vaccæ rufæ cineres aquiа permixti ſervirent ad purgationem Levitarum, & Sacerdotum, qui Tabernaculum adire, tangere, & portare debebant, nec iſta poſſent facere niſi mundi, immunditiam verò facilè contraherent, opus habuerunt iſtis cineribus ut poſſent expiari. Iſta ergo vaccæ rufæ immolatio, non ſolùm in Terra Chanaan fuit obſervata, ſed etiam, & quidem priùs, in Deſerto.

[ *Ad Moyſen & Aaron*, ] Ad utrumque loquitur Deus. Ad Moyſen, quia ipſe erat Interpres inter Deum & populum, ejuſque erat præcipere populo ut ritum hîc traditum obſervaret: Ad Aaron autem, quoniam ad Officium Sacerdotale pertinebat ſequens immolatio.

[ ℣. 2. *Iſta eſt Religio* ] Iſta eſt cæremonia & ritus [ *victimæ quam conſtituit Dominus* ] quam Religionem, ſeu quem ritum Dominus ordinavit fieri ad expiandum Iſraelitas ab immunditiis quas illos contrahere contingeret.

[ *Præcipe filiis Iſrael*, ] Quamvis Deus loqueretur ad Moyſen & Aaron; iſtud tamen verbum dirigitur ad Moyſen, quia ipſius erat præcipere populo, & Dei mandata deferre ad populum. Aaron autem erat Princeps in Officiis Sacerdotalibus, dictaque ſunt ei iſta quia erat Sacerdos.

[ *Ut adducant ad te vaccam rufam* ] Communi ſumptu populi quærendam & adducendam fuiſſe iſtam vaccam, Textus innuit, hoc ipſo quo jubet præcipi filiis Iſrael ut eam adducant; expreſsè autem tradunt Lyranus, Dionyſius Carthuſianus, Abulenſis, & alii dicentes, quòd quia pro totius Plebis expiatione immolabatur, exhibebatur de communi ſumptu, & adducebatur per quoſdam Deputatos ex parte Communitatis. Jubentur accipere vaccam rufam, hoc eſt, rubei coloris, in memoriam peccati quod commiſerunt in adoratione vituli aurei, Exod. 32. *Et dicitur vacca, magis quàm vitulus*, ait B. Thomas 1. 2. q. 102. art. 5. ad 5. quia ſic Dominus Synagogam vocare conſuevit, ſecundùm illud Oſeæ 4. *Sicut vacca laſciviens declinavit Iſrael*. Et hoc fortè ideò, quia vaccas in morem Ægypti coluerunt, ſecundùm illud Oſeæ 10. Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ. *Addi etiam poteſt*, per ſexum fœmineum inſinuari infirmitatem: Et quia color rubens, ſeu ſanguineus eſt Symbolum peccati, iſta vacca colore ſuo ſignificabat hominem peccatorem eſſe reum ſanguinis ſeu mortis.

[ *Ætatis integræ*, ] In Hebr. ſolùm habetur, *Integram*, ſeu *perfectam*: Quod noſter Interpres commodè accepit de perfectione ætatis, ac conſequenter ſtaturæ & molis. Nam integritas corporis, ſequenti conditione exprimitur, dicendo

[ *In qua nulla ſit macula*, ] Id eſt, nullum corporis vitium. Iſta enim Phraſi non ſignificatur varietas coloris, ſicut macula vulgariter ſumitur, ſed deformitatis & defectus, quemadmodum Levit. 22.

[ *Nec portaverit jugum:* ] Sive, quia non decebat ſerviſſe homini victimam quæ adhibenda erat ad expiationem hominum; ſive, quia Deus volebat ut quæ ad ſuum cultum erat applicanda, non fuiſſet priùs ad humanos uſus applicata. *Hinc liquet* Judæos non ſolùm bobus araſſe, & plauſtra egiſſe, ſed etiam vaccis. Hinc illud Judicum 14. *Si non araſſetis in vitula mea*. Et Oſeæ 10. *Ephraim vitula docta diligere triturare*. Philiſthini quoque Judæis contermini, plauſtrum in quo erat Arca, vaccis agebant. 1. Reg. 6.

[ ℣. 3. *Tradetiſque eam Eleazaro Sacerdoti.* ] Cur non mandetur tradi Aaroni, *una ratio eſt*, quia hujus victimæ immolatio non erat feſtiva & ſolemnis, ſed lugubris, quam idcircò non neceſſe erat fieri per Summum Pontificem. *Altera*, quia non erat aliquid multùm honorabile & excellens, cùm tota fieret extra Caſtra. Non tollitur tamen ex hoc quin ſummi Sacerdotes deinceps poſſint vaccæ rufæ immolationem facere; cùm omnia quæ ad minores Sacerdotes pertinebant, majores facere poſſent; ſed hac prima vice non licebat Aaroni facere; quia Deus determinatè juſſit fieri per Eleazarum.

[ *Qui eductam extra Caſtra, immolabit in conſpectu omnium:* ] Cùm Eleazarus vaccam iſtam acciperet in Caſtris à tota multitudine, educebat eam de Caſtris, multitudine ipſum ſequente; & tunc extra immolabat illam vidente toto populo; idque propterea, quia immolabatur ad tollendas totius populi immunditias. Ideò autem extra Caſtra: *Primò*, quia Deus volebat eam vaccam in loco mundo cremari, ejuſque cineres conſervari in loco etiam mundo; in Caſtris autem locus erat immundus propter multitudinem hominum & pecorum eum calcantium, variaſque ſordes. *Secundò*, ut iſta vacca quaſi ſuſceptura omnes Hebræorum immunditias, pro quarum expiatione ſervandi erant ejus cineres, ſignum eſſet omnia peccata tolli è Caſtris. *Tertiò*, in deteſtationem peccati idololatriæ, juxta B. Thomam in 1. 2. *Quartò*, ut ſignificaretur Chriſtum pro peccatis totius humani generis extra urbem eſſe paſſurum. *Ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt*, ait Apoſtolus ad Hebr. 13. Cùm autem omnia alia Judæorum ſacrificia deberent offerri non ſolùm intra Caſtra, ſed etiam coram Tabernaculo & ad altare, huic ſoli peculiare fuit quòd offerretur extra Caſtra. Atque hinc eſt quòd nonnulli hanc immolationem negant fuiſſe ſacrificium: Beatus tamen Thomas dicto art. 5. & alii communiter habent pro ſacrificio; non quidem quòd haberet omnes proprietates ſacrificii vel holocauſti; vel pacifici, vel pro peccato; ſed quòd ex divina inſtitutione haberet peculiares ſuas qualitates, & maximè accederet ad hoſtiam pro peccato. *Septuaginta* hîc ita vertunt; *Et occident eam in conſpectu ejus*, nimirùm Eleazari: quaſi non ipſe Eleazarus occiderit, & immolaverit vaccam iſtam, ſed alius quiſpiam coram illo: *Verùm*, tam in Hebræo, quàm in noſtro Textu non eſt aliud ſuppoſitum verbi *mactabit*, vel *immolabit*, quàm Eleazarus, ideoque dicendum eſt quòd ipſe immolaverit. In Hebræo ſic legitur, *Mactabit eam ante eum*, ubi noſter Interpres relativum *eum*, intellexit referri ad populum, ideoque vertit, *In conſpectu omnium*. Nec refert ſi in Hebr. non præcedebat vocabulum, populus; ſatis enim eſt populum includi, quando dicitur, *Loquere ad filios Iſrael*.

[ ℣. 4. *Et tingens digitum in ſanguine ejus, aſperget* ] Ut ſignificaretur, ait B. Thomas per hoc ſacrificium emundari populus ab univerſitate peccatorum, intingebat Sacerdos digitum in ſanguine ejus, & aſpergebat contra fores Sanctuarii ſeptem vicibus, quia ſeptenarius numerus univerſitatem ſignificat. Et ipſa etiam aſperſio ſanguinis pertinebat ad deteſtationem Idololatriæ, in qua ſanguis immolatitius non effundebatur, ſed congregabatur, & circa ipſum homines comedebant in honorem Idolorum.

[ *Contra fores Tabernaculi ſeptem vicibus*, ] Non debebat Eleazarus redire in Caſtra, vel ad Tabernaculum, ut eam aſperſionem faceret, ſed exiſtens extra Caſtra, juxta locum immolationis vaccæ, debebat ſe convertere verſus Tabernaculum & ejus introitum, ſicque aſpergere, ſicut ſi eſſent ad fores ipſius; quomodo Daniel. 6. dicitur quòd ipſe apertis feneſtris orabat contra Jeruſalem, exiſtens tamen in Chaldæa: Et 3. Reg. 8. Salomon prævidebat id aliquando facturos pios viros, ut in terra inimicorum orarent contra Templum. Ideò autem jubetur fieri contra fores Tabernaculi, in quo Deus peculiari modo erat, ut ſignifi-

significaretur, quòd sicut per immunditias & peccata erant Deo obstricti, ita aspergendo versùs Tabernaculum expiabantur coram Deo quantùm ad pœnas lege comminatas. *Colligunt hinc aliqui*, quòd cùm Israelitæ pervenerunt in Terram Chanaan, vaccæ rufæ immolatio fieri debuerit in loco ubi erat Tabernaculum vel Templum, quamvis extra illud, & extra communem habitationem ac Civitatem; *tum quia* erat functio Sacerdotalis, functiones autem Sacerdotales non poterant fieri longè à Tabernaculo, vel Templo; *tum quia* non potuisset alioquin ita aptè & convenienter fieri aspersio contra fores Tabernaculi, si longiùs abfuisset. Videtur ergo quòd tunc vacca rufa traderetur Sacerdoti in loco ubi erat Tabernaculum, vel Templum, quam deinde educebat extra, ibique immolabat.

[ ℣. 5. *Comburetque eam cunctis videntibus, tam pelle & carnibus ejus, quàm sanguine & fimo flammæ traditis.* ] Eleazarum non per se vaccam illam combussisse Textus clarè indicat, cùm dicit quòd etiam ille qui combusserit eam, erit immundus, ipsum manifestè distinguens ab Eleazaro; de quo tamen dicitur quòd *comburet eam*, quia ipso præsente, annuente, ac jubente alius comburebat, & quidem coram tota multitudine, ut omnes viderent id quod ad omnium expiationem erat necessarium. Cum pelle, carnibus, fimo, & sanguine, intelligendum est adipes quoque debuisse igni tradi, quia nihil de ista vacca reservabatur, vel in Sanctuario comburebatur; ut nec aliquid sanguinis fundebatur ad basim altaris, quemadmodum fiebat in sacrificiis pro peccato. Lyranus scribit istam vaccam sic totam fuisse comburendam, ad denotandum quòd de peccato Idololatriæ nulla conditio vel circumstantia debebat in populo remanere; sive, ut significaretur quòd Idololatria totaliter erat extirpanda, & omne quod ad Idololatriam pertinebat, ait S. Thomas.

[ ℣. 6. *Lignum quoque cedrinum, & hyssopum, coccumque bis tinctum Sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat.* ] Ista tria Deus jubet in ignem injici per Sacerdotem, quamvis non ipse, sed alius vaccam combureret; ideò fortassè, quia res illæ multùm sunt mysticæ; & ministerium circa illas neque erat difficile, neque Sacerdotem dedecebat.

*Quidam putant* eas res impositas fuisse igni ad reprimendum fœtorem exhalantem de carnibus cum pelle & fimo combustis, *sed hoc non videtur multùm probabile*, cùm coccus bis tinctus nihil faciat ad odorem, sed tantùm ad colorem; cumque ad expellendum fœtorem potius adhibendum fuisset Thus, & aliud hujusmodi, quàm lignum cedrinum, & hyssopus, quæ ad eam rem parùm possunt conferre. *Potius ergo videtur cum B. Thoma dicendum*, ista tria fuisse adhibita ad significandum, quòd sicut *ligna cedrina* non de facili putrescunt, & *coccus bis tinctus* non amittit colorem, & *hyssopus* retinet odorem, postquam fuerit desiccatus: ita etiam hoc sacrificium erat in conservationem ipsius populi, & honestatis, & devotionis ipsius. Vel *lignum cedrinum* erat in signum tollendæ corruptionis immunditiarum legalium, *hyssopus* significabat expellendum fœtorem earum, & *coccus bis tinctus*, seu *grana rubea* designabant hominis vivacitatem. *Sunt* qui dicant per *coccum*, qui diu colorem servat, insinuatum fuisse, quòd cineres vaccæ erant per totum annum servandi pro purificatione populi; & addunt quòd cineres vaccæ annuatim fiebant, sicut modò fit *Chrisma*, aliis tamen existimantibus quòd per annos plures servarentur.

[ ℣. 7. *Et tunc demùm lotis vestibus & corpore suo,* ] Sermo est de Sacerdote qui vaccam immolaverit. *Monet Abulensis*, quòd ista lotio non fiebat aquis lustrationis, quæ sunt aquæ commixtæ cineribus vaccæ rufæ, quia hæ non erant ad lavandum, sed ad aspergendum. Et si quis lavaretur his aquis, magis redderetur immundus propter commixtionem cinerum. Oportebat ergo accipere aquas viventes, quæ sunt aquæ fluviorum, fontium, vel puteorum manantium, ut eis fieret lotio vestium & corporis. Locus porrò huic lotioni deputatus nullus erat; & in Deserto, ut haberetur ratio decori, verisimile est quòd fieret in aliquo tentorio, ex qualicumque materia esset confectum.

[ *Ingredietur in Castra,* ] Atque adeò ad communem habitationem. Non statim post lotionem, sed post solis occasum; quamvis enim lotio esset manè aut meridiè facta, debebat manere extra Castra, usque dum Sol occidisset, quoniam ista legalis immunditia eo usque perseverabat, unde statim sequitur.

[ *Commaculatusque* ] Idest, legaliter immundus, [ *eris usque ad vesperum.* ]

[ ℣. 8. *Sed & ille qui combusserit eam, lavabit vestimenta sua & corpus, & immundus erit usque ad vesperum.* ] Ac per consequens solùm redibit ad Castra post solis occasum.

[ ℣. 9. *Colliget autem vir mundus* ] Diversus tam à Sacerdote qui vaccam immolavit, quàm ab illo qui eam combussit.

[ *Cineres vaccæ,* ] Sub quibus tamquam principalibus etiam intelliguntur cineres ligni cedrini, hyssopi, & cocci bis tincti, qui erant iis permixti.

[ *Et effundet eos extra Castra in loco purissimo,* ] *Effundere* non hìc significat *spargere*, quia si cineres dispergeret in ventum, aut minutatim per diversa loca projiceret, nullius essent utilitatis; cùm tamen servire deberent ad expiationem immunditiarum legalium, sed *effundere* sumitur pro in loco aliquo ponere; quia enim sunt exiles, quando ponuntur vel jaciuntur in aliquod vasculum, vel in alium locum, videntur effundi instar liquoris. Ita sumitur verbum *effundi* Levit. 1. v. 16. & cap. 4. v. 12. Reponebantur autem hi cineres in aliquo vase mundo, locoque quieto, ad quem è loco immolationis transferebantur, ubi motu ventorum non dispergerentur, nec ab animalibus brutis violarentur. Et locus iste erat etiam extra Castra, ad aliam scilicet partem Castrorum.

[ *Ut sint multitudini filiorum Israel in custodiam, & in aquam aspersionis:* ] Hoc est, ut diligenter custodiantur ab Israelitis, & ex illorum permixtione cum aqua, fiat aqua aspersionis, per cujus aspersionem tollantur immunditiæ legales. Cum enim quispiam aliquam earum contraxisset, alius vir mundus posita aqua in vase, mittebat modicum de illis cineribus in eam, & accepto aspersorio de hyssopo, illam spargebat super immundum, & sic ipse lustrabatur, purificabaturque; sed ita, ut usque ad occasum solis censeretur immundus. Quod dicitur de multitudine filiorum Israel, intelligendum est de omnibus omninò Israelitis comprehendendo Sacerdotes ac Levitas; quia omnibus necessaria erat purificatio ab immunditiis, imò frequentiùs Levitis & Sacerdotibus, ut possent in Sanctuario ministrare; sicut modò Sacerdotes pluries confiteri debent quàm sæculares, ut idonei fiant ad missam faciendam.

[ *Quia pro peccato vacca combusta est.* ] Pro peccato, idest pro immunditiis legalibus quæ hìc peccati nomine intelliguntur. q.d. Idcirco jubeo cineres illos custodiri, & ex eis fieri aquam aspersionis; quia ista vacca ad hoc fuit combusta, ut ejus cineres essent ad emundationem immunditiarum quas juxta legem incurrunt Israelitæ. *Observant Interpretes*, quòd cùm post occupatam à Judæis terram promissionis; Israelitæ immundi per totam regionem essent dispersi, nec possent omnes pro suarum immunditiarum expiatione ire ad Tabernaculum, factum esse quòd in singulis urbibus, imò & domibus, haberent de vaccæ rufæ cineribus in aliquo vase mundo repositis, ut singuli contracta immunditia, possent per eos in aquam missos expiari; sicut nunc Chrisma, oleum infirmorum, & oleum Catechumenorum in loco Cathedrali consecrata, distribuuntur per singulas Parochias. *Huc adferunt quidam*, quòd in Cana Galilææ positæ fuerint sex hidriæ secundùm purificationem Judæorum Joan. 2. dicentes illas continuisse aquam lustrationis. *Sed verius est*, non esse illic sermonem de ea Judæorum Purificatione, qua secundùm Legem Moysi purificabantur ab immunditiis per legis constitutionem introductis; ex his enim immundi erant usque ad vesperam, nec ab illis emundari poterant in Conviviis: *Verùm*, ea purificatio intelligenda est quæ secundùm traditionem seniorum introducta fuit & recepta apud Judæos, de qua Marci 7. dicitur: *Pharisæi, & omnes Judæi, nisi crebrò laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum, & à foro nisi baptizentur, non come-*

*comedunt; & alia multa sunt quæ tradita sunt illis servare Baptismata Calicum, & urceorum, & æramentorum & lectorum.* In eum ergo usum aderunt istæ sex hidriæ.

[ ℣. 10. *Cumque laverit, qui vaccæ portaverat cineres, vestimenta sua, immundus erit usque ad vesperum.* ] Cùm sola vestimentorum lotio hìc nominetur, consequens est corpus non debuisse lavari; ideò verisimiliter, quia hujus immunditia censebatur minor quàm ejus qui vaccam immolaverat vel combusserat. *Quem non faciat intentum*, ait Augustinus quæst. 33. in Numeros, *quod post oblationem, de singulis quibusque dicitur; Et immundus erit usque ad vesperum? Neque hìc tantùm, sed in omnibus, aut penè in omnibus talibus mundationibus hoc dicitur. Ubi nescio utrùm aliquid aliud possit intelligi: nisi quod omnis homo post remissionem plenissimam peccatorum, permanendo in hac vita, contrahit aliquid unde fit immundus usque ad ejusdem vitæ finem, ubi et dies iste quodammodò clauditur, quod significat vespera.*

*Quæstio moveri solet*, Quare is qui vaccam rufam immolabat reddebatur immundus, ac etiam is qui eam comburebat, atque is etiam qui cineres ejus colligebat; cùm ipsa immolaretur & combureretur, ejusque cineres colligerentur ad expiandum ab immunditiis. *B. Thomas* dicto art. 5. ad 5. rationem unam adfert, quòd quia hoc sacrificium pro peccato Idololatriæ offerebatur, idcircò in ejus detestationem, tam vaccam comburens, quàm ejus cineres colligens, & aquam cui cinis vaccæ mixtus fuit, aspergens, reputabatur immundus, ut per hoc ostenderetur quòd quidquid quocumque modo ad Idololatriam pertinebat, immundum erat. *Aliam* addit Dionysius, ad designandum quòd Sacramenta & sacrificia illa legalia non habuerunt in se sanctitatem, & sanctificandi virtutem, licèt ex institutione divina, atque ex offerentium fide, obedientia, & devotione purgarent. *Dici quoque potest*, cum Abulense, quòd cineres vaccæ, seu carnes ejus, dum comburebantur cum pelle, fimo & sanguine, erant de se aliquid immundum, ut cadaver hominis, vel morticinæ aliorum animalium; ideò mundos qui ea tangebant faciebant immundos, sed ex sola Dei voluntate immundos purgabant. Ab ista porrò immunditia purificabantur per solam vestimentorum ablutionem, ait B. Thomas, nec indigebant aspergi aqua lustrationis propter hujusmodi immunditiam; quia sic esset processus in infinitum: Ille enim qui aspergebat eam aquam fiebat immundus. Et sic si ipse seipsum aspergeret, remaneret immundus: Si autem alius eum aspergeret, ille immundus esset, & similiter ille qui illum aspergeret, & sic in infinitum.

*Ad Allegoriam quod attinet*, Ex veterum Patrum, atque ex B. Thomæ citato superiùs art. 5. sententia, per *vaccam rufam* significatur Christus secundùm infirmitatem carnis assumptæ, quam sexus fœmineus, utpotè infirmior, designat; sanguinem autem passionis ejus designat *vaccæ color*. Quò etiam pertinere potest id quod sponsa Cantic. 5. dicit; *Dilectus meus candidus & rubicundus: Candidus* scilicet ex Divinitate, *rubicundus* ex sanguine: Ac insuper etiam *Candidus* per justitiam vitæ. Erat autem vacca illa *ætatis integra*, ad significandum *tum* quòd Christus in *ætate integra* & maximè vegeta esset passurus; *tum* quòd omnis ejus operatio futura esset perfecta. Debebat *carere omni macula*, quia Christus quem figurabat omnis peccati expers fuit, ut qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus Isa. 53. & 1. Petri 2. *nec portasse jugum*, quod servitutis est symbolum; quia Christus nec peccati nec Diaboli servitutem est expertus. Hanc vaccam ex Legis præcepto *adducebant* Israelitæ ad Moysen, & Christum occidendum adduxerunt ad Pilatum, cupientes videri agere secundùm Legem; Dicebant enim Joan. 19. *Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori.* Præcipitur *tradi Eleazaro Sacerdoti*; quia Christus occidendus in manus Sacerdotum est traditus. *Immolatur extra Castra*, quia Christus extra portam passurus erat. *Intingit Sacerdos digitum in sanguine ejus*, quia per discretionem quam digitus significat, mysterium Passionis Christi est considerandum & imitandum. *Aspergitur* contra Tabernaculum, per quod designatur Synagoga vel ad condemnationem Judæorum non credentium, vel ad purificationem credentium: Et hoc *septem vicibus*, *aut* propter septem dona Spiritus Sancti quæ merito Passionis Christi conferuntur Ecclesiæ, *vel* propter septem Sacramenta, quæ Christi meritis & sanguine plena sunt, Sacerdotumque ministerio conferuntur; *vel* propter septem dies in quibus omne tempus intelligitur. *Combustio vaccæ usque ad cineres*, significat Christum igne charitatis non tantùm tormenta & cruciatus passum, sed consumptum *usque ad cineres*, idest, usque ad separationem animæ à corpore; ita ut ex una parte relinqueretur *solus cinis*, sive solum corpus terrenum. Omnia ad vaccam pertinentia, *pellis, caro, sanguis, fimus, isto igne sunt cremata*, quia Christus totum se in usus nostros expendit: Neque tantùm *pellem & carnem* tormentis exposuit, & *sanguinem* suum fudit; sed etiam Crucis ignominiam & innumera opprobria, quæ aptè per *fimum* possunt indicari, charitatis ardore exsorbuit. Potest insuper dici esse significatum, quòd omnia quæ ad Christi Incarnationem pertinent sint *igne cremanda*, hoc est, spiritualiter intelligenda. Nam per *pellem & carnem* exterior Christi operatio significatur: per *sanguinem* subtilis & interna virtus exteriora facta verificans: Per *fimum*, lassitudo, sitis, & omnia hujusmodi ad infirmitatem pertinentia. Adduntur *Cedrus* quæ significat altitudinem spei, vel contemplationis, *hyssopus* significans humilitatem, vel fidem; & *coccus bis tinctus* significans geminam Charitatem, per hæc enim Christo passo adhærere debemus. *Cinis colligitura viro mundo*, quia reliquiæ passionis pervenerunt ad eos gentiles qui non fuerunt culpabiles in morte Christi. *Cineres apponuntur aquæ ad expiandum*, quia ex Passione Christi Baptismus sortitur virtutem emundandi peccata. *Qui vaccam immolabat, fiebat immundus, & etiam qui eam comburebat, & qui cineres colligebat, & qui aquam aspergebat*, *vel* quia Judæi ex occisione Christi, per quam peccata nostra expiantur, facti sunt immundi, & hoc *usque ad vesperum*, hoc est, usque ad finem mundi, quando reliquiæ Israel convertentur: *vel* quia illi qui tractant Sancta intendentes emundationi aliorum, facilè aliquas immunditias contrahunt *usque ad vesperum*, sive usque ad finem præsentis vitæ.

*Ad Allegoriam quoque spectat*, quòd hæc aqua expiationis significabat aquam nostram benedictam, de qua videri potest Alexander primus Epist. 1. ad Orthodoxos.

*Moraliter autem* quisque fidelis *vaccam rufam mactat*, quando carnis lasciviam extinguit & mortificat. *Adhibemus lignum cedrinum, hyssopum & coccum bis tinctum*, quando cum maceratione carnis offerimus Deo sacrificium fidei, spei, & Charitatis, Hyssopus quippè interna nostra mundare consuevit, & per B. Petrum dicitur Actor. 15. *Fide purificans corda eorum. Lignum cedrinum non de facili putrescit*, & spem cœlestium terminus non consumit, unde & 1. Petri 1. dicitur: *Regeneravit nos in spem vivam per Resurrectionem Jesu Christi ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem. Coccus rubeo colore flammescit*, quia quem implet Charitas incendit. Unde Lucæ 12. habetur: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur? Sed bis tinctus coccus* offerri præcipitur, ut ante interni Judicis oculos charitas nostra Dei & proximi dilectione coloretur. Ex hoc porrò quòd Deus *rubei coloris vaccam* immolari jusserit, non debent ullum suæ superstitionis patrocinium assumere vani observatores qui certi alicujus coloris animal offerunt in honorem Dei vel Sanctorum, ad morbos pecorum vel præcavendos, vel sanandos; quia nec eamdem, nec similem ejus rei faciendæ rationem habent; quamvis si adhibeantur ad esum, Medicos audire conveniat, ad intelligendum an Coloris varietas conjuncta sit tali varietati complexionis aut temperamenti quæ ad sanitatem naturaliter conducat.

[ *Habebunt hoc filii Israel & advenæ, qui habitant inter eos, Sanctum jure perpetuo.* ] Relativum *hoc* quidam referunt, non ad præcedentia, sed solùm ad sequentia: Abulensis tamen, Dionysius, & alii intelligunt de iis quæ præcedunt, isto sensu. Hoc quod dictum est de expiandis immunditiis per cineres vaccæ

rufæ

rufæ aquæ permixtos, erit & Judæis & Proselytis Sanctum, idest, firmum ac stabile, tamquam Lex perpetuò duratura, toto nimirùm tempore status Reipublicæ Judaicæ.

[ ℣. 11. *Qui tetigerit cadaver hominis, & propter hoc septem diebus fuerit immundus:* Contactus humani cadaveris majorem inducebat immunditiam legalem, quàm contactus morticini pecorum, fortè ideò, quia Cadaver humanum fœtidius est cæteris; unde Bernardus cap. 3. Meditat. *Nihil aliud est homo quàm sperma fœtidum, saccus stercorum, cibus vermium: Post hominem vermis, post vermem fœtor & horror.* Quoniam ergo immunditia ex contactu humani cadaveris censebatur major quàm ex contactu morticini pecorum; ideò durabat per septem dies, cùm alia terminaretur ad solis occasum. Contactus autem generaliter est intelligendus, sive esset contactus ad sepeliendum, sive ad lavandum, sive ad alia funeris officia honesta, & utilia, imò necessaria: & sic pro bono opere aliquis reddebatur immundus, neque hoc erat inconveniens, quia ista immunditia non erat peccatum, sed quædam irregularitas, quomodò etiam in novo Testamento irregularitatem incurrunt, qui noxios justè morti adjudicant.

[ ℣. 12. *Aspergetur ex hac aqua die tertio & septimo, & sic mundabitur.* ] Aspersio autem hæc cum ramulo hyssopi facienda erat per hominem mundum, infra versu 18. Ideoque non sunt audiendi qui dicunt hominem immundum aspersisse seipsum. Cur autem illis diebus facienda esset ista aspersio, præter voluntatem Legislatoris, non apparet certa aliqua ratio: Congrua tamen hæc afferri potest, quòd numerus septenarius est symbolum perfectionis, in cujus proinde quasi medio, idest, die tertio, & fine, hoc est, die septimo, Deus voluit aspersionem fieri, ut censeretur expiatio ab ea immunditia, quæ major erat quàm aliæ multæ, esse perfecta: Unde quod dicitur, *Et sic mundabitur*, hunc sensum habet: Istis aspersionibus completis erit totaliter mundus, ita ut nihil ei restet agendum pro sua legali mundatione.

[ *Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari.* ] Non est sensus, quòd numquam deinceps mundari posset, sed quòd licèt die septimo à contracta immunditia computando aspergeretur, non per hoc liberaretur à sua immunditia; sicque significatur priorem aspersionem necessariò requiri, ut posterior posset prodesse; sicut etiam requirebatur posterior ut prior prodesse posset ad emundationem. *Si quæras*, Quid igitur facere debebat is qui non curaverat se die tertio aspergi. *Resp. cum Dionysio*, quòd oportebat eum de novo computare septem dies in quibus maneret immundus, & in quorum tertio & septimo aspergeretur. Insuper autem debebat pro legis transgressione offerre sacrificium, de quo mox dicitur.

[ ℣. 13. *Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinum*, ] Hoc est, Cadaver hominis mortui: *anima* enim pro *homine* sumitur, sicut sæpè aliàs.

[ *Et aspersus hac commistione non fuerit*, ] Commistionem vocat aquam vaccæ rufæ cineribus permixtam.

[ *Polluet Tabernaculum Domini*, ] Si nimirùm non purificatus in Tabernaculum, vel in Templum veniat. Quæ pollutio non erat aliqua immunditia Tabernaculi (nam si hoc esset, Deus juberet illud expiari) sed erat irreverentia quæ irrogabatur Tabernaculo, ex hoc quòd immundus auderet illud accedere.

[ *Et peribit ex Israel:* ] Occidetur, ex Judæis quidem sententia, si sit notorium quòd existens immundus iverit ad Tabernaculum, alioquin Deo peccatum ejus ulciscente. Et non solùm hoc erat in contaminatione super mortuo, sed etiam si quis quacumque alia immunditia inquinatus accederet ad Tabernaculum antequam esset expiatus, similiter peribat.

[ *Quia aqua expiationis non est aspersus, immundus erit, & manebit spurcitia ejus super eum.* ] Quamdiu non adhibuerit prædictam purificationem lege præscriptam, semper manebit ejus immunditia, nec (quidquid agat) poterit fieri capax accedendi Tabernaculum, vel Templum: Unde sequitur eos non loqui conformiter Sacræ Scripturæ, qui dicunt immunditiam ex contactu Cadaveris durasse tantùm septem dies, ita ut iis elapsis, per se expiraret ac cessaret: Nam talis immundus debebat aqua Expiationis aspergi, sicque purificari; alioquin manebat immundus.

*Ad mores quod attinet, Cadavera* sunt peccata quæ Apostolus ad Hebr. 9. vocat opera mortua. *Tactus* autem *Cadaveris*, est consensus in peccatum.

[ ℣. 14. *Ista est Lex hominis qui moritur in Tabernaculo:* ] Sive suo, sive alieno. Tabernaculi fit mentio, quoniam in Deserto, ubi jam erant, & ubi legales hæ cæremoniæ servabantur, Hebræi habitabant in Tabernaculis: Postquam verò venerunt in terram Chanaan, idem servare debebant quantùm ad eos qui moriebantur in aliqua domo. De morientibus autem extra Tabernaculum, & extra domum, posteà disponitur.

[ *Omnes qui ingrediuntur tentorium illius, & universa vasa quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus.* ] Decernitur hic quòd omnes qui intrabant Tabernaculum, sive Tentorium (hæc enim sunt Synonyma) in quo jacebat cadaver, erant immundi septem diebus. Quod solùm intelligitur de eo tempore quo Cadaver ibi erat. Nam licèt post mortem alicujus, tentorium maneret septem diebus immundum, illi tamen qui ingrediebantur, non efficiebantur immundi, nisi ibi esset cadaver, quemadmodum Abulensis observat, qui per vasa quæ hic statuuntur septem diebus immunda; ideoque ad humanos usus non applicabilia, docet intelligi omnia supellectilia, sicut sunt vasa vinaria, vel aquatica, & vasa ciborum, vestes item & stramenta lectorum: Vestes tamen quibus induti erant, non fuisse immundas, probabiliter docet Lorinus. A vasis quoque immundis excipienda sunt illa quæ interiorem quamdam capacitatem habent, si erant superiùs cooperta. Nam hæc exceptio videtur indicari verbis sequentibus.

[ ℣. 15. *Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit.* ] Per hæc enim non obscurè significatur quòd vasa quæ haberent operculum, vel ligaturam desuper, non contrahebant immunditiam, quamvis essent in Tabernaculo, vel domo ubi erat Cadaver. Ita Lyranus, & Dionysius, à quibus alii quidam dissentiunt interpretantes vas non habens operculum decerni immundum non tantùm secundùm se, sed etiam secundùm liquorem in eo contentum, voluntque propterea eum, quantumcumque esset pretiosus, debuisse effundi, & foras abjici. Id quod non facile est probare. Ratio autem cur vasa operculum vel ligaturam desuper habentia, non decernerentur esse immunda, videri potest hæc esse, quòd in hujusmodi vasis sæpè continentur liquores pretiosi, quòdque ex cadavere nihil Physicæ corruptionis in illa afflaretur, sicut in ea quæ nullum habebant operculum. *Per vas quod non* habet cooperculum nec ligaturam, B. Th. dicto art. 5. ad 4. tradit significari hominem qui non habet aliquod velamen taciturnitatis, & quia non constringitur aliqua censura disciplinæ. Etsi porrò id quod hic dicitur de vase non habente operculum vel ligaturam desuper, quidam sic aliquando accipiant, quasi universim, etiam extra casum domus mortuariæ, decernatur tale vas esse immundum, neque ullo umquam tempore eo esse utendum; huic tamen Scripturæ conformius est non sic generaliter accipere, cùm ut ex contextu apparet, solùm hic statuatur tale vas fore immundum, si fuerit in Tabernaculo vel domo in qua quis moritur; ob idque & simili cum rebus cæteris aspersione esse purificandum. De pecoribus quæ in domo vel Tabernaculo morerentur, quia Lex nihil statuit; non videtur asserendum quòd pariter immunditiam contraherent qui eam ingrederentur, ut nec vasa quæ intra illam erant.

[ ℣. 16. *Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui, sive os illius, vel sepulchrum, immundus erit septem diebus.* ] Maxima erat, multisque tum personis, tum rebus communis immunditia quæ apud Judæos ex humanis Cadaveribus contrahebatur, sicut ex præsenti cap. constat; ideòque ipsi non habebant sepulchra juxta Templum, aut in urbibus, ne in ea incurrendo pollurentur; sed extra eas in agris, vel in locis separatis: Quod & apud Gentiles fuit practicatum. *In novo autem Testamento*, ubi omnia cæremonialia veteris legis dudum sunt abolita, nullæ immunditiæ legales contrahuntur ex Cadaverum

huma-

humanorum contactu: Et ideò Christianorum corpora sepeliuntur, vel in Cæmeteriis, ut dum viventes ad Missam & ad alia divina officia conveniunt, ex tumulorum sive aspectu, sive præsentia, incitentur ad orandum pro animabus carorum suorum ibi sepultorum; utque quasi jugem habeant mortis & Resurrectionis aliquando futuræ imaginem. Quæ omnia non pariter locum habebant apud Judæos, qui passim non tantam habebant curam animarum defunctorum, nec tantam notitiam Resurrectionis.

[ ℣. 17. *Tollentque de cineribus combustionis atque peccati,* ] Hoc est, de cineribus vaccæ quæ combusta est pro peccato, sive pro expianda immunditia legali: Hæc enim est quæ nomine peccati hic intelligitur. In Heb. & apud 70. sic habetur: *Et sument immundo* &c. id est, pro immundo.

[ *Et mittent aquas vivas super eos in vas.* ] Aquæ vivæ cujusmodi sunt fontanæ, fluviales, & puteales jugiter manantes dicuntur ad distinctionem earum quæ sumerentur de cisterna, vel stagno, seu lacu.

[ ℣. 18. *In quibus cùm homo mundus tinxerit hyssopum, asperget ex eo omne tentorium, & cunctam supellectilem,* ] Iste erat ritus purificandi, sumebatur aliquid de cineribus vaccæ rufæ, & cum eis miscebatur aqua viva. Facto autem aspersorio de hyssopo, illud tingebatur in aquis mixtis, & homo mundus aspergebat isto aspersorio super eos qui erant expiandi: Et si domus vel tentorium contraxerat immunditiam, propter aliquem ibi mortuum, aspergebat totam domum, seu totum Tentorium, omniaque ejus supellectilia, vasa nimirùm & vestes, & quidquid ibi erat.

[ *Et homines hujuscemodi contagione pollutos:* ] Etiam asperget homines qui sunt polluti ex contactu mortui, vel alicujus quod est in domo mortui. Tota autem ista aspersio eodem modo fiebat super homines & supellectilia, die scilicet tertio & septimo; unde sequitur.

[ ℣. 19. *Atque hoc modo mundus lustrabit* ] Id est, mundabit, seu purificabit [ *immundum tertio & septimo die.* ] Nemo quippe de immundis poterat aspergere de aqua expiationis, idque ad reverentiam istius cæremoniæ. Hoc loco subintelligendum videtur id quod versu 12. fuit expressum, si aspersio non esset facta die tertio, non posse die septimo fieri emundatio. Totus ritus purificationis non fiebat die tertio, solùm enim aspergebantur aquæ; die autem septimo fiebat aspersio, ac insuper lotio corporis & vestium, juxta illud.

[ *Expiatusque die septimo, lavabit & se & vestimenta sua,* ] Facta expiatione per aspersionem aquæ cineribus mixtæ, immundus seipsum lavabit, & vestes suas, illas nimirùm quibus indutus erat quando contraxit immunditiam. Non fiebat hæc lotio in aquis expiationis, quia illæ solùm serviebant ad aspergendum; sed in aquis simplicibus, iisque viventibus. Non lavabantur etiam supellectilia, quia solùm jubentur lavari homines, & eorum vestes.

[ *Et immundus erit usque ad vesperum.* ] Postquàm facta fuerit ista aspersio & lotio, homo non statim erit perfectò mundus, sed ejus immunditia durabit usque ad Solis occasum; ita ut si esset de Sacerdotibus, non liceret adhuc ei tota illa die ministrare, vel de sanctificatis comedere, sed tantùm post occasum Solis.

*Moraliter*, dies *tertius* & *septimus* quibus facienda erat aspersio significare possunt tres virtutes Theologicas, & septem dona Spiritus Sancti quæ homini conferuntur, quando mundatur à peccatis. Et quemadmodùm *is qui die tertio aspersus non fuerat, non poterat emundari die septimo*, ita qui tres virtutes Theologicas non accipit, non potest consequi septem dona Spiritus Sancti, atque adeò nec emundari.

[ ℣. 20. *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ,* ] Observat Abulensis duo hic juberi. *Unum*, ne quis omittat totaliter purificationem: *Alterum*, ne omittat ordinem illius, vel partem. Non enim solùm peccaret qui hoc genus expiationis contemneret, verùm etiam qui scienter ordinem immutaret: Ut si priùs lavaret vestimenta & corpus, & posteà aspergeretur aquis lustrationis; vel si omitteret aliquid, veluti si tantùm expiaretur aquis illis, & nollet lavare vestimenta & corpus. *Perire de medio Ecclesiæ*, idem est quod perire de multitudine populi, seu ex Israel, sive occidi. Vel ergo aliquis *publicè* contemnebat ritum illum Purificationis, aut partem illius, vel *occultè*. Si *publicè*, occidendus erat per Judices: Si *occultè*, Deus occidebat. Si autem *per oblivionem* omisisset, quando recordabatur debebat aspersiones resumere, & pro delicto offerre Agnam, sive capram, secundùm quod Levit. 5. præscriptum est. Si verò *non recordaretur*, non imputabatur ei ad peccatum.

[ *Quia Sanctuarium Domini polluit, & non est aqua lustrationis aspersus.* ] Non sumitur vocula *&* copulativè, quasi assignentur duæ causæ distinctæ, sed ponitur pro *cùm*, q. d. polluit Sanctuarium ad illud accedendo, cùm non sit aspersus aqua lustrationis sicut Lex jubet.

[ ℣. 21. *Erit hoc præceptum legitimum sempiternum.* ] Hoc quod jam dictum est de modo contrahendi immunditiam super mortuo, & de modo expiandi eam, est præceptum lege stabilitum, ut duret in sempiternum, toto videlicet tempore status Judaici. *Cæterùm*, an hic modus expiandi per aquam, & cinerea vaccæ rufæ, communis esset ad tollendas omnes immunditias, an verò proprius ad expiandas non omnes omninò immunditias, sed omnes dumtaxat eas quæ ex contactu mortuorum contrahebantur, incertum est. *Abulensis* quæst. 15. ita communem fuisse tradit, ut oppositum etiam existimet probabile, cùm in præsenti capite non agatur de alia immunditia, quàm de contracta ex mortuo.

[ *Ipse quoque qui aspergit aquas, lavabit vestimenta sua:* ] Quamvis enim anteà mundus esset, ex ea nihilominùs aspersione reddebatur legaliter immundus; ad quam tamen immunditiam tollendam non debebat aquis expiationis aspergi, sed tantùm vestimenta quibus erat indutus, lavare aqua simplici & vivente, sicque ad vesperum cessabat ejus immunditia.

[ *Omnis qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit usque ad vesperum.* ] Si omnis, ergo & is qui alium aspergebat, & etiam ille qui aspergebatur; qui quidem ea aspersione purificabatur à priori immunditia quam contraxerat ex mortuo, sed incurrebat hanc minorem quæ cum lotione vestium terminabatur ad vesperam. *Ex his intelligi potest* bonos Authores non immeritò aquas lustrationis sive expiationis comparare lixivio, quod licèt sit immundum, pannos tamen emundat.

[ ℣. 22. *Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet:* ] *Quidam* hæc interpretantur de immundo naturaliter, qui nimirùm immundus erat ex lepra, ex fluxu seminis, sanguinis, vel menstruorum; talis enim sic erat immundus efficeret: *At* de Leprosis, seminifluis, aut menstruatis, nihil toto isto cap. dictum est: *Ideo alii verisimilius* censent immundum hic eum intelligi qui esset immundus majore illa immunditia septem dierum, ex contactu humani cadaveris, sepulchri, & cæterorum quæ hic præcedunt. Nam contextus hanc interpretationem videtur requirere.

[ *Et anima quæ horum quidpiam tetigerit, immunda erit usque ad vesperum.* ] Anima pro homine ponitur, & significatur, quòd non solùm ea quæ tangebat immundus ex mortuo, reddebantur immunda, sed etiam quòd illi qui tangebant personam, vel rem immundam, fiebant immundi minore illa immunditia quæ finiebatur ad vesperam cum lotione verisimiliter corporis & vestium. Relativum ergo *horum*, videtur esse referendum ad illa quæ immundus ex mortuo contrectaverat.

CA-

## CAPUT XX.

*Maria moritur: Murmuranti populo aqua contradictionis è petra fluit: Negantque transitum Edom, discedunt ad montem Hor: Ubi consecrato in summum Sacerdotem Eleazaro, moritur Aaron Pater ipsius.*

[ ℣. 1. V*Eneruntque filii Israel, & omnis multitudo* ] Per *filios Israel*, intelliguntur Hebræi genere; per *omnem multitudinem*, omnes advenæ, seu Proselyti qui fuerant ad Hebræorum Religionem conversi, & comitabantur Hebræos.

[ *In Desertum Sin*, ] Ex cap. 16. Exod. constat Hebræos in Desertum Sin venisse decimo quinto die mensis secundi post egressionem de Ægypto: Sed aliud est *Sin* de quo illic, & aliud Sin de quo hic. Nsm prior per Ssmech Litteram scribitur, interpretaturque *Rubus*, sive *odium*, hæc autem per *Sade*, & vertitur in *Mandatum*, ait Hieronymus Epist. 127. & in priore fuit Hebræorum Mansio octava, in hoc posteriore trigesims tertia: In illo, fuerunt anno primo egressionis de Ægypto, die nimirum trigesimo; in hoc, anno quadragesimo. Unde quod sequitur.

[ *Mense primo:* ] Interpretes communiter intelligunt de meose primo anni quadragesimi. Nam Moyses solùm refert gesta trium annorum in Deserto, primi videlicet & secundi à csp. 12. Exod. usque huc: Et anni qusdragesimi, ab hoc cap. & deinceps; reliqua ideò verisimiliter subticens, quòd nihil memorabile contigerit. *Confirm.* Hæc intelligi non possunt de primi vel secundi anni mense primo, quia manserunt in Deserto Sinai, usque ad anni secundi mensem secundum, cujus die vigesima inde abierunt in solitudinem Pharan: Oportet ergo intelligere anni quadragesimi mensem primum; præsertim cùm hoc primo mense mortua fuerit Maria, certum autem sit eam non potuisse esse mortuam primi vel secundi anni mense primo, cùm mense tertio fuerit Leprosa in Haseroth cap. 12.

[ *Et mansit populus in Cades.* ] Diversa est *hæc Cades* ab *ea* ex qua missi fuerunt Exploratores cap. 13. Nam *illa* erat in Deserto Pharan, *hæc* in Deserto Sin: *In illa*, fuit decima quinta Mansio Hebræorum; *in hac*, trigesima tertia. *Ex quibus* hoc etiam concludi potest, miraculum aquæ fluentis è Petra, quod statim hic describitur, diversum esse ab illo quod Exod. 17. narratur: Nam illud contigit in undecima mansione, apud *Raphidim*, priusquam ventum esset ad montem Sinai, idest, anno primo exitus de Ægypto; hoc autem accidit in mansione trigesima tertia apud *Cades* in Deserto *Sin*, sub initium anni quadragesimi. *Quibus adde*, quod præsenti cap. murmurantes dicunt: *Utinam periissemus inter Fratres nostros coram Domino:* Id quod Exod. 17. dicere non poterant, quia populus nulla adhuc plaga fuerat à Deo percussus. Conferantur quæ ad istum Exod. loc. diximus.

[ *Mortuaque est ibi Maria*, ] De Sorore sua loquitur Moyses. Et quamvis ipsa esset in toto populo valde honorabilis, utpotè Prophetissa, & Summi Sacerdotis, summique Principis Soror, nullum tamen honoris titulum ei tribuit, fortassis ne sibi ipsi videretur adulari. *Neque refert*, quòd Exod. 15. illam vocaverit *Prophetissam*, quoniam hoc faciendi rationem ibi habebat, ut nimirùm intelligeretur quare ipsa præ aliis mulieribus se Ducem illis præberet in Cantici decantatione. Mortus autem est Maria *ibi*, hoc est, *in Cades*, de qua præcedit; quatuor mensibus ante Aaronem, hic enim mortuus est primo die mensis quinti, anni quadragesimi, ut dicitur infra cap. 33. & undecim mensibus ante Moysen; nam ipse mortuus est sub finem ejusdem anni, Deuteron. ult. Qua porrò ætate mortua fuerit Maria, dicendum est, quòd anno circiter centesimo trigesimo: Erat enim facilè decennio senior Moyse, Moyses autem hoc anno defunctus est, cùm esset centum viginti annorum.

[ *Et sepulta in eodem loco.* ] Etsi de planctu funebri nihil dicatur, sicut Scriptura non omnia solet exprimere; credibile nihilominùs est eum fuisse exhibitum pro more inter Hebræos usitato erga personas honorabiles, ut patet in præsenti cap. post mortem Aaronis, & Deuteron. ult. post mortem Moysi. Unde Josephus Lib. 4. Antiquit. cap. 3. aliàs 4. scribit Mariam sepultam esse publico sumptu magnificè, & fuisse luctum 30. dierum.

[ ℣. 2. *Cumque indigeret aqua populus*, ] Non est credendum quòd nulla penitùs aqua esset in Cades, quia tunc à principio fuissent conquesti, cùm venissent in illum locum, sed aliqui erant fontes & putei qui populo illic morante citò fuerunt exsiccati, quia pauci erant pro tanta multitudine hominum & pecorum.

[ *Convenerunt adversùm Moysen & Aaron:* ] Non dicitur quòd venerunt ad Moysen & Aaron, sed quòd adversùm eos convenerunt, seu congregati sunt, ut scilicet contra illos contenderent & murmurarent.

[ ℣. 3. *Et versi in seditionem*, ] Litigantes, & clamantes, & quasi ad pugnandum parati. Ex quo mirari licet populi ingratitudinem & malitiam.

[ *Utinam periissemus inter fratres nostros coram Domino.* ] Qui in diversis seditionibus à Deo percussi interierunt. Illud *coram Domino*, vel idem est quòd coram Altari holocaustorum, ubi ducenti quinquaginta viri incendio extincti sunt, sup. cap. 16. *vel* idem valet quòd Domino percutiente: Quia quando Deus pœnas infligit, ibi præsens esse dicitur ut infligens. Benè autem monet Dionysius non esse putandum quòd isti optaverint æternaliter periisse per condemnationem finalem, ut quidam exponunt: Qui solùm significant mortem illam fuisse illis optabiliorem, quàm præsentem & diuturnam sitis afflictionem. Quorum tamen verba non necesse est simpliciter prout sonant accipere, velut ex corde procedentia, sed potiùs videntur hyperbolicè dicta ad ostendendum internæ suæ tristitiæ magnitudinem.

[ ℣. 4. *Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem*, ] Ecclesiam Domini vocant populum fidelem, Hebræorum scilicet multitudinem, & Congregationem; etsi alloquin nomen Ecclesiæ communius & frequentiùs intelligatur de Cœtu fidelium novi Testamenti, ut probavimus Lib. 3. Controversiar. q. 1. art. 1. *Malè* accusant Moysen & Aaron, cùm non tam ipsi eduxissent populum Hebræum in Desertum, quàm Deus præcedens in columna nubis & ignis, ac ducens quò vellet; Ideoque licèt verba dirigantur ad Moysen & Aaron, verè tamen murmur populi est contra Deum, ut hic quoque dicere potuerint quod Exod. 16. leguntur dixisse: *Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.*

[ *Ut & nos, & nostra Jumenta moriamur?* ] Similem Phrasim habemus Exod. 16. Et quemadmodum illic vocula *ut*, non finem, sed consecutionem & eventum significat, ita in proposito: Non enim volebant Hebræi dicere quòd Moyses & Aaron ad hunc finem eduxissent illos in solitudinem, ut in ea morerentur; sed quòd ex ea eductione nihil aliud eveniret, quàm quòd ipsi morerentur, ac etiam ipsorum jumenta.

[ ℣. 5. *Quare nos fecistis ascendere de Ægypto*, ] Quàm cæca perversitas! quasi possent ignorare Deum ipsos in signis & portentis maximis eduxisse de durissima servitute Ægypti, sic contra ejus servos murmurant.

[ *Et adduxistis in locum istum pessimum*, ] Superlativis utuntur Hebræi. Sensus est, in locum istum malum. Quare malum, causam subdunt.

[ *Qui seri non potest*, ] Et sic patitur defectum fructuum quos profert terra per humanum laborem exculta; ac etiam eorum quos sponte gignit; ideò enim adjiciunt.

[ *Qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata*, ] Fructus istos nominant velut communiores qui gigni solent in terris uberibus, & quos in Ægypto gustaverant. Quorum tamen querela erat valde irrationabilis; cùm quotidiè haberent Manna, cibum omne delectamentum in se habentem, & omnem saporem suavitatis. Sap. 16.

[ *Insuper & aquam non habet ad bibendum?* ] Plus apparentiæ habebat hæc querela, cùm aqua sit hominibus ac jumentis maximè necessaria: Quia tamen frequenter ac diu experti erant Deum in Deserto providisse ipsis in quibusvis necessitatibus, non murmurare, sed orare debuissent.

[ ℣. 6. *In-*

[ ℣. 6. *Ingressusque Moyses & Aaron, dimissa multitudine, Tabernaculum fœderis,* ] Quidam audent carpere nostram versionem dicentes nullam in Hebræo fieri mentionem dimissæ multitudinis. Sed quamvis nihil dicatur de multitudine dimissa seu remissa in sua sententia, sit tamen mentio multitudinis dimissæ, hoc est relictæ, cùm dicitur quòd *Moyses & Aaron venit à facie* Congregationis; quo significatur quòd multitudine relicta ubi erat ante Tabernaculum, ipsi fuerint illud ingressi ut Deum orarent, & ut in loco Sancto orantes citiùs exaudirentur (Loci quippe sanctitas & consecratio non parùm ad orationis exauditionem conferunt) atque ut segregati à Turba, devotiùs precarentur; quies enim & solitudo juvant ad orandum devotiùs.

[ *Corruerunt proni in terram,* ] Qui est ritus semet ipsum humiliantis. Quæ deinceps sequuntur, usque *& apparuit*, cum Hebræis & Græcis omittunt Textus Latinus Regii Operis, & Textus Rabani Commentario adjunctus.

[ *Clamaveruntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus audi clamorem hujus populi, & aperi eis Thesaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut satiati, cesset murmuratio eorum.* ] Qua autem occasione fuerint omissa, & quomodò exciderint ex Hebræo, incertum est; *certum tamen* quòd retineri debeant, quòdque ad Sacræ Scripturæ Textum pertineant æquè ac cætera: *Tum* quòd non dubium sit hæc ipsa orasse Moysen in præsenti necessitate, *tum* quòd feria sexta post Dominicam tertiam Quadragesimæ Epistola Missæ legi soler cum omnibus illis verbis: Concilium verò Tridentinum sess. 4. in Decreto de Libris Canonicis decrevit Libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, suscipiendos esse pro sacris & Canonicis: Indeque probavimus quasdam partes Librorum Esther, Danielis, Marci, Lucæ, & Joannis, esse Scripturam Sacram & Canonicam Lib. 1. Controversiar. quæst. 1. art. 26. *His non obstat* quòd populus non legitur clamasse ad Dominum orando pro aqua, id quòd verba Moysi significant; quamvis enim id expressè & disertè non oraverit, voces tamen eorum clamosæ & querulosæ satis ostendunt eos implicitè illam petiisse.

[ *Et apparuit gloria Domini super eos.* ] Moysen & Aaron. Fulgor novus & magnus emicuit è columna nubis, aliis eum videntibus, in signum quòd Deus petitioni ipsorum annueret.

[ ℣. 7. *Locutusque est Dominus ad Moysen,* ] Etiam Aaron oraverat, sermo tamen ad Moysen dirigitur ut ad principaliorem.

[ ℣. 8. *Tolle Virgam,* ] Non est improbabile sermonem hic esse de Virga Aaronis, quæ cap. 17. legitur floruisse, & jussa reponi in Tabernaculo; *Probabilius tamen est* agi de Virga Moysi, seu qua Moyses fuit usus ad patranda mirabilia in Ægypto, & ad divisionem maris rubri: Hæc enim est Virga qua Deus voluit Moysen uti ad miraculorum plurimorum patrationem, cùm prædicta Virga Aaron solùm fuerit assumpta pro confirmatione Sacerdotii ipsius. *Huc facit*, quòd apud 70. hic ita legitur dictum Moysi, *sume Virgam tuam*, & versu 11. dicitur in Hebræo quòd Moyses percussit petram virga sua. *Neque refert* non dici de Virga Moysi, eam in Tabernaculo repositam fuisse, sed tantùm de Virga Aaron: Quia sacræ Litteræ multa silent quæ facta sunt, & alio loco facta esse insinuant; nec videtur posse dubitari Virgam tot mirabilium operatricem fuisse ad futuram rerum memoriam reservatam: Nec dicendum est Virgam illam esse eamdem cum Virga Aaronis ob rationem cap. 17. assignatam.

[ *Et loquimini ad Petram coram eis,* ] Quid loqui deberent, non exprimitur. *Verisimile est*, quòd hæc aut similia verba: *Petra, in nomine Domini da aquas.* Petra eligitur, velut maximè aquis opposita ob siccitatem, ut omnis suspicio removeretur. Adhiberi jubetur sermo, non quòd Petra esset capax audire vel intelligere, sed ut via miraculi, ipsaque nominis Dei invocatio magis appareret, & ut qui aderant magis excitarentur ad attendendum ac considerandum quid fieret.

[ *Et illa dabit aquas.* ] Ex illa manabunt aquæ. Non quòd aquæ continerentur in Petra, sed quia Deus modo supernaturali mox esset eas in Petra producturus, & facturus quòd ex ea fluerent.

[ *Cumque eduxeris aquam de Petra, bibet omnis multitudo, & jumenta ejus.* ] Tanta erumpet aquarum abundantia, ut sufficiat toti populo, ac etiam ejus jumentis, per quæ omnis generis pecora intelliguntur. Scribunt varii illam aquam suffecisse quamdiù Hebræi fuerunt in illa mansione: Eam verò quæ fluxit in Raphidim, etiam postquam inde recesserunt, perstitisse fluere, Deo faciente ut propter conditionem loci deinceps naturaliter flueret.

[ ℣. 9. *Tulit igitur Moyses Virgam, quæ erat in conspectu Domini,* ] Sive in Tabernaculo, ubi post ejus erectionem reposita fuerat in memoriam tot signorum quæ Moyses per illam fecerat.

[ ℣. 10. *Congregata multitudine ante Petram,* ] Non omnes poterant in angusto loco consistere ante Petram, sed dicitur *multitudo congregata ante eam*, quia principales de populo ibi stabant, & cæteri accedebant prout poterant.

[ *Dixitque eis:* ] Moysi & Aaroni dictum erat, *Congrega Multitudinem, & loquimini ad Petram;* quia tamen non erat conveniens quòd ambo simul loquerentur, Moyses tamquam principalis loquitur, & quidem suo, & fratris nomine, ut patet ex seqq.

[ *Num de Petra hac vobis aquam poterimus ejicere?* ] Horum & quorumdam sequentium occasione, *tria quæri possunt. Unum*, utrùm in præsenti negotio non peccaverint Moyses & Aaron. *Secundum*, Si peccaverunt, in quo peccaverunt. *Tertium*, Quàm grave fuerit illorum peccatum. *Ad 1. Resp.* ipsos haud dubiè peccasse: Id enim Scriptura clarè affirmat *tum* hoc cap. cùm Dominus ad eos dicit: *Quia non credidistis mihi ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in Terram quam dabo eis.* Et posteà de Aarone dicit Dominus: *Incredulus fuit ori meo. Tum* Deuteron. 32. *Prævaricati estis contra me in medio filiorum Israel ad aquas contradictionis. Ad 2. variæ sunt responsiones;* Ea tamen verisimilior est quæ Moysi & Aaronis peccatum constituit in aliqua incredulitate: Incredulitatem enim manifestè significant Scripturæ jam allatæ; ut proinde ista verba, *num de Petra hac vobis aquam poterimus ejicere*, cum dubitatione & velut ambiguè protulerit Moyses: Et quidem non tantùm ex sua, sed etiam ex Aaronis mente & sententia, quam tum ex verbis, tum ex gestu, & nutu illius agnoscebat. Unde Dionysius hic scribit, quòd Moyses in persona sui ac Aaron dubitando dixerit: *Numquid de Petra &c. Non tamen existimandum* est illos de potentia Dei dubitasse, sed solùm de effectu: Non enim dubitaverunt, possetnè Deus de Petra eis aquam ejicere, sed utrùm reverà esset aquam de Petra daturus populo tam rebelli, & an ejus promissio, fortè non seria & absoluta, non esset suo effectu frustranda propter populi malitiam: Sicque fuerunt tentati, & vacillaverunt considerantes populum toties rebellem, & non statim ob oculos ponentes Dei bonitatem & patientiam. *Si dicas* ipsos potuisse rationabiliter dubitare, an promissio illa divina sic esset absoluta ut secuturum esset miraculum: *Negandum est.* Absolutè enim Deus ad Moysen dixerat, *Tolle virgam, & congrega populum Tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad Petram, & illa dabit aquas;* ideoque non dubitanter loqui debebat Moyses, sed absolutè id facere quod Deus jusserat. In hanc sententiam intelligi possunt quæ habet B. Aug. q. 19. super Numeros, & Lyranus super hoc cap. *Ad 3. Resp.* Moysi & Aaronis peccatum non fuisse plusquam veniale; quia nullo modo dubitaverunt de Dei potentia, sed solùm aliquantulùm dubitaverunt & vacillaverunt de effectu promissionis, seu de ejus eventu. Hinc Augustinus Lib. 16. contra Faust. cap. 16. *Arguitur Moyses voce Divina quòd ejus fides ad aquam de Petra ejiciendam aliquantulum titubaverit &c. Verùm, absit ut credamus hinc eum esse alienatum ab æterna societate Sanctorum. Neque refert* istud eorum peccatum à Deo punitum fuisse prohibitione ingressus in terram promissionis: Peccata enim venialia pœnis temporalibus puniri, non debet mirum videri, & specialiter quando cum pœnis mysterium aliquod significatur, quemadmodum in præsenti. Mysterium enim hoc datur intelligi, juxta B. Aug. q. 53. quòd nec vetus Sacerdotium

(cujus

( cujus personam gerebat Aaron ) nec ipsa Lex ( cujus personam gerebat Moyses ) introducunt populum Dei in Terram hæreditatis æternæ, sed *Josue*, in quo erat typus Domini Jesu Christi. Subdit Augustinus: *Cum ambobus Fratribus, idest, Aaron & Moysi dicitur, ut apponantur ad populum suum: Manifestum est non esse illos in ira Dei qua separat à pace sancta societatis æternæ. Unde manifestatur non solùm Officia, sed etiam mortes eorum signa fuisse futurorum, non supplicia indignationis Dei.* Quibus verbis non obscurè significat hoc peccatum Moysi leve, atque adeò veniale fuisse, & mortem ei non tam fuisse supplicium, quàm castigationem in signum rei futuræ. Istum porrò Moysi lapsum in ejus senectute permisit Deus, *tum* ut in tanto honoris & virtutum fastigio recordaretur se hominem, ac per consequens labilem & infirmum esse; *tum* ut quique etiamsi sanctissimè vivere satagerint, in humilitate se contineant, sibique ipsis dicant, *Qui stat, videat ne cadat;* & cum metu ac tremore salutem suam operari pergant.

[ ℣. 11. *Cumque elevasset Moyses manum, percutiens Virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ,* ] Seu copiosissimæ. Ad primum ictum non fluxerunt aquæ propter Moysi dubitationem; ea qua dubitatione, & animi nonnulla perturbatione verisimiliter factum est, quòd cùm jussus esset loqui ad Petram, non fuerit ad eam locutus, sed solùm eam virga percusserit: Ad secundum verò ictum aquæ fluxerunt propter impletionem Divini promissi.

Duplex percussio *Allegoricè* referri potest ad duo ligna Crucis rectum, & transversum: Nam *Petra* Typum habuit Christi; & *Virga*, Crucis: Accedente autem Cruce ad Christum, gratia copiosissimè ex eo fluxit.

[ *Ita ut populus biberet & jumenta.* ] Additur, *& jumenta:* Quia Hebræi expresè de illis meminerant in suo murmure.

[ ℣. 12. *Dixitque Dominus ad Moysen & Aaron: Quia non credidistis mihi,* ] Etsi de Dei virtute non diffiderint, neque dubitaverint; verbo tamen ejus quo promisit aquam de Petra, non firmiter adhæserunt, sed titubaverunt, ac dubitaverunt, utrùm promissionis illius effectus esset omninò futurus, & non potiùs propter populi tam rebellis malitiam impediendus.

[ *Ut sanctificaretis me coram Filiis Israel,* ] Ut in conspectu multitudinis honoraretis me, seu occasionem daretis me laudandi & honorandi, absque hæsitatione faciendo id quod jusseram, atque ita ostendendo quòd sum sanctus & verus in promittendo, & in implendo promissa. Si enim accepto Dei mandato, & juxta illud congregata multitudine, simpliciter & sine ulla hæsitatione locuti fuissent ad Petram, illa non dedisset aquarum abundantiam; & populus novo isto miraculo obstupescens prorupisset in laudem Dei; cùm è contrario ipsis vacillantibus & dubitantibus; nihilque ad Petram loquentibus, ne quidem post Petræ percussionem aqua abundanter fluente Deum laudaverit; unde patet quòd Deum non sanctificaverant coram filiis Israel.

[ *Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* ] Quidam notant *populos* dici plures Tribus quæ erant unus populus totalis, sed plures populi particulares: *Nihil tamen vetat* dicere numerum pluralem positum esse pro singulari, *populum*, sive *Synagogam*, vel *Congregationem*, quomodo 70. & alii vertunt ex Hebræo. Moyses quidem pervenit in terram promissionis citra Jordanem, nimirùm ad Regna Og & Sehon, earumque terram attribuit Ruben & Gad, & dimidiæ Tribui Manasse inf. cap. 21. & 32. sed non transivit Jordanem, nec venit in Chanaan, quæ erat terra longè major, eaque per reliquas Tribus occupanda, & cujus termini circumscribuntur cap. 34. sequenti. Et de hac procedit sententia contra Moysen & Aaron lata: Quamvis enim non sit negandum istorum duorum Regum terram fuisse promissam Hebræis, de illa tamen non intelligitur, quando Moysi dicitur quòd non sit ingressurus terram promissionis, sed de ea quæ erat trans Jordanem. *Si quæras* quomodò ob præsens peccatum dicuntur Moyses & Aaron non ingressuri Terram promissionis; cùm jam ante videantur amisisse privilegium eam intrandi, quando scilicet Dominus juravit quòd præter Caleb & Josue, nullus de populo esset illam intraturus. *Resp.* eos non amisisse, quia quod dicitur cap. 14. solùm procedit de iis qui numerati fuerant à 20. annis, & murmuraverant contra Deum, ut ex Textu constat; Levitæ autem non fuerant cum aliis numerati, Deo id prohibente cap. 1. Et propterea Moyses & Aaron illis verbis non excludebantur ab ingressu Terræ promissæ, cum essent de numero Levitarum, neque murmurassent contra Deum.

[ ℣. 13. *Hæc est aqua contradictionis,* ] Seu litis & jurgii, quemadmodum alii ex Hebræo vertunt.

[ *Ubi jurgati sunt filii Israel contra Dominum,* ] Ubi populus Israeliticus contradixit & murmuravit contra Dominum, excitans contra servos ejus, & contra Duces suos seditionem, ac graviter conquerens quòd eò deducti essent: Quæ omnis murmuratio & querela cedebat tandem contra Deum qui author erat illius profectionis totiusque itineris. *Hinc intelligimus*, quòd contra ministros Dei contendere; est contendere contra Deum, conformiter ei quod Exod. 16. Moyses dixit contra ipsum & Aaronem murmurantibus; *Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Quibus consonat sententia Salvatoris Luc. 10. *Qui vos spernit, me spernit*, Neque audiendi sunt qui per filios Israel intelligi volunt Moysen & Aaron qui ad aquas contradictionis peccaverunt; quamvis enim quodammodò contradixerint Deo, inquantùm ei non crediderunt, non firmiter ejus verbo adhærentes: propriè tamen contradictio fuit populi ad servos Dei & ad Deum ipsum. Sic patet inferius cap. 27. *Quia offendistis me in Deserto Sin in contradictione multitudinis*, seu quando multitudo Israelitica contra me litigavit, & jurgata est.

[ *Et sanctificatus est in eis.* ] Hoc est, Sanctus & laudabilis inter Israelitas apparuit. Dando enim miraculosè aquam rebellibus, & murmuratoribus, bonitatem, potentiam, & clementiam suam demonstravit, & occasionem dedit populo eum de novo laudandi, sanctificandi, & magnificandi.

[ ℣. 14. *Misit interea* ] Alii ex Hebræo vertunt *Et misit*, [ *nuncios Moyses.* ] Ista Legatio instituta est post persoluta justa Mariæ defunctæ, & post sedatum murmur ex defectu aquæ, cùm jam propè essent Hebræi ut ingrederentur terram promissionis.

[ *De Cades* ] Ubi populus manebat, ut initio cap. dictum est.

[ *Ad Regem Edom,* ] Erat enim hæc Cades vicina Idumææ, & per eam transeundum erat Hebræis, ut rectè tenderent in Chanaan.

[ *Hæc mandat Frater tuus Israel:* ] Hæc nobis dedit in mandatis, hæc nobis jussit ut tibi diceremus. Non enim significatur quòd Israel mandet, seu præcipiat Regi Edom; cùm statim post, eum observet, sed quòd suis Nunciis præcepit, quid isti Regi debeant dicere. Per *Israelem* populus Israeliticus intelligitur, qui dicitur Frater Edom, quia Idumæi & Israelitæ descendebant ex duobus fratribus, scilicet ex Jacob qui & Israel vocatus est, & ex Esau aliter Edom dicto.

[ *Nosti omnem laborem, qui apprehendit nos,* ] Per *laborem* non intelligitur labor jucundus, qualis est eorum qui venantur, piscantur, vel aucupio vacant: sed molestus & calamitosus, ita ut *labor* hic idem valeat quòd molestia, calamitas, & afflictio. Dicunt autem quòd noti erant Idumæis labores quos Hebræi sustinere debuerant; *tum* quia terra Idumæorum non multùm distabat ab Ægypto, ut nec à Deserto ubi plurima passi erant Hebræi; *tum* quia valde famosæ, passimque aliis Gentibus cognitæ erant eorum calamitates & molestiæ.

[ ℣. 15. *Quomodò descenderint Patres nostri in Ægyptum,* ] Dicunt *Patres nostri*, quia de illis qui jam vivebant, nullus in Ægyptum descenderat, sed omnes ibi, vel in Deserto nati fuerant: qui verò illuc descenderant, intelliguntur Jacob ejusque filii ac Nepotes de quibus Genes. 46. & Exod. 1. Nam isti omnes vocantur Patres hujus populi.

[ *Et habitaverimus ibi multo tempore*, Nimirum, usque ad quadringentesimum trigesimum annum à promissione seminis facta Abrahæ Genes. 12. secundùm ea quæ diximus Exod. 12.

[ *Affli-*

[ *Afflixerintque nos Ægyptii, & Patres noſtros:* ] Prout in Exodo deſcribitur.

[ ℣. 16. *Et quomodo clamaverimus ad Dominum, & exaudierit nos,* ] De iſto clamore dicit Deus Exod. 3. *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto; & clamorem ejus audivi propter duritiam eorum qui præſunt operibus.* Et mox: *Clamor filiorum Iſrael venit ad me.*

[ *Miſeritque Angelum, qui eduxerit nos de Ægypto.* ] Quoniam Angelus nomen eſt officii, ſignificatque Nuncium, Moyſes autem fuit Nuncius à Deo miſſus ad Iſraelitas ex Ægypto liberandos, *ſunt* qui per *Angelum* hic intelligunt Moyſen: Sed *veriſimilius* eſt intelligi verum Angelum, ſeu ſpiritum Angelicum, cùm conſtat talem à Deo fuiſſe miſſum qui præcedat Iſraelitas in via dirigendo eos per columnam nubis & ignis; de hoc enim habemus Exod. 14. *Tollenſque ſe Angelus Dei qui præcedebat Caſtra Iſrael, abiit poſt eos, & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens poſt tergum ſtetit inter Caſtra Ægyptiorum & Caſtra Iſrael.* Quæ manifeſtum eſt non de Moyſe dicta eſſe ſed de vero Angelo; ſicut & quod cap. 23. promittit Deus dicens, *Præcedetque te Angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum &c.* Ac rursùm cap. 33. ubi ad Moyſen ita loquitur: *Et mittam præcurſorem tui Angelum, ut ejiciam Chananæum & Amorrhæum.*

[ *Ecce in Urbe Cades, quæ eſt in extremis finibus tuis, poſiti,* ] Ex quo Hebræi fuerunt egreſſi de Ægypto, non videntur ullam urbem muratam ingreſſi, donec occupaverunt terram duorum Regum Amorrhæorum Sehon, & Og; Id enim non permiſiſſent Incolæ: Et propterea quod hic dicunt, vel non intelligitur de Urbe murata, ſed de vico (nam & vicos Urbium nomine appellari, conſtat ex præſentis Lib. cap. 13. v. 20. & aliunde) vel dicuntur eſſe in Urbe Cades, quia non procul ab ea aberant; quomodò Chriſtus Luc. 9. & 13. ſignificabatur moriturus in Jeruſalem, hoc eſt, propè eam.

[ ℣. 17. *Obſecramus, ut nobis tranſire liceat per terram tuam.* ] 70. Non plus habent quàm *Tranſibimus per terram tuam:* quæ verba per modum hortantis vel orantis dicta intelligi debent, ſicque cum noſtra verſione conveniunt. Interpres tamen rectè addidit, *Obſecramus;* quoniam in Hebræo eſt vocula *na* quæ eſt orantis vel hortantis.

[ *Non ibimus per Agros, nec per vineas,* ] q. d. nullum veſtris frugibus damnum inferemus: non tranſibimus per agros excultos, nec per vineas plantatas.

[ *Nec bibemus aquas de puteis tuis,* ] Neceſſe erat Hebræos per terram Idumæorum tranſeuntes bibere de aquis, ac de puteis eorum, cùm ibi magna ſit ſiccitas, nec aliunde poſſent illuc aquas adducere tantæ hominum ac pecorum multitudini neceſſarias, ſed ſenſus eſt, quòd non biberent de puteis eorum ſine pretio, ſecundùm quod Deuteron. 2. Deus eis præceperat dicens: *Cibos emetis ab eis pecunia, & aquam emptam hauritis & bibetis. Sed gradiemur via publica.* 70. dicunt *via Regia.* Significat autem *via Regia* tritam, publicam, & maximè apertam viam, quæ non ad alicujus privati jus vel dominium aut proprietatem pertineat, ſed penes eum ſit qui ſuperiorem non recognoſcit.

[ *Nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinantes,* ] Non declinabimus à via publica, neque in dexteram, neque in ſiniſtram, ut introeamus in agros vel vineas, aut ad eos qui extra viam habitant.

[ ℣. 18. *Cui reſpondit Edom: Non tranſibis per me,* ] Seu per terram & ditionem meam.

[ *Alioquin armatus occurram Tibi.* ] *His ſimiles ſunt,* qui cùm ſanguinis cognatione & ærumnarum proximi conſideratione movendi eſſent ad compaſſionem, & ad opem ferendam, ſuorum incommodorum inani metu ea ipſi negant quæ rationabiliter poſſent ac deberent præſtare.

[ ℣. 19. *Dixeruntque Filii Iſrael:* ] Relato ad Moyſen alioſque Iſraelitas reſponſo Idumæorum, iterùm miſſi fuerunt Nuncii qui eumdem tranſitum rogarent.

[ *Si biberimus aquas tuas nos & pecora noſtra, dabimus quod juſtum eſt: nulla erit in pretio difficultas,* ] Ne putentur valde vile pretium & pro arbitratu proprio daturi, tali eos ſuſpicione liberant. Sed *quæri poteſt,* cur Iſraelitæ non loquantur de cibis emendis, ſicut de aqua? *Una Reſponſio eſt,* Nuncios etiam de cibis fuiſſe locutos, tametſi Scriptura id non exprimat: Cùm enim Deus præcepiſſet ut Hebræi ab Idumæis cibos pecunia emerent, non minùs quàm aquam, Deut. 2. veriſimile eſt Nuntios utrumque dixiſſe. Si tamen non dixerint utrumque, *Secunda Reſponſio eſt* eos voluiſſe aſſecuraſſe Idumæos de aquis; quia facilius eſt aquas rapere quàm cibos. *Addi poteſt,* non fuiſſe neceſſe quòd aliquid dicerent de cibis, quia poterant eſſe contenti de Manna quod quotidiè habebant de Cœlo; nec opus erat, ſi vellent, quòd de aliis hominum cibis eſſent ſolliciti: Quoad cibos autem pecorum, poterant eos ſecum deferre, aut de illis ita proſpicere, ſicut hactenus in Deſerto fecerant.

[ *Tantùm velociter tranſeamus.* ] Solùm concede, ut per terram tuam velociter tranſire poſſimus: De reliquo non erit difficultas.

[ ℣. 20. *At ille reſpondit: Non tranſibis. Statimque egreſſus eſt obvius, cum infinita multitudine, & manu forti,* ] *Quæritur* 1. Si Rex Edom ſcivit quæ Deus fecit pro Hebræis in Ægypto & deinceps, quomodò fuit auſus occurrere ad reſiſtendum? *Reſp.* Quòd excæcavit eum malitia ſuà, ſicut anteà Ægyptios, & poſteà Chananæos, qui etiam viſa ſtatione ſolis per integram diem exierunt ad pugnandum contra Iſrael Joſ. 10. & 11. *Quæritur* 2. Quomodò vera ſint quæ hic dicuntur, cùm videantur illis oppoſita eſſe quæ leguntur Deuter. 2. Ubi Moyſes ſic ad Sehon Regem Heſebon per Nuncios ad eum miſſos loquitur; *Tantum eſt ut nobis concedas tranſitum ſicut fecerunt filii Eſau?* *Reſp.* Idumæos primò quidem negaſſe Iſraelitis tranſitum, maximè per medium ſui territorii, poſteà tamen conceſſiſſe, ut circa extremos fines ſuos tranſirent. *Quæritur* 3. Quarè Hebræi petierunt tranſitum per Idumæam, cùm tenerentur ſequi ducatum columnæ nubis; quæ ſi duxiſſet per Idumæam, nullus iter eorum impedire potuiſſet *Reſp.* Moyſen noluiſſe per terram illam tranſire abſque Regia conſenſu, ad bella vitanda, quia Dominus juſſerat ne præliarentur contra Idumæos. Deuter. 2.

[ ℣. 21. *Quamobrem divertit ab eo Iſrael.* ] Iſraelitæ receſſerunt de via quæ recta in Idumæam ducebat, & circuierant ejus fines; tandemque per aliquam ipſius partem pacificè tranſierant, juxta illud Deuteron. 2. *Cumque tranſiiſſemus Fratres noſtros filios Eſau qui habitabant in Seir &c. venimus ad iter quod ducit in Deſertum Moab.*

[ ℣. 22. *Cumque Caſtra moviſſent de Cades,* ] *Si petas,* quare Columna nubis duxerit Iſraelitas ut irent in Cades, cùm Rex Edom non eſſet tranſitum conceſſurus: *Reſp.* Quoniam erat in via per quam erant tranſituri, & terram Edom circuituri.

[ *Venerunt in montem Hor,* ] Quia Deuteron. 10. Aaron ſcribitur mortuus & ſepultus eſſe in *Moſera,* dicendum eſt eumdem montem fuiſſe *binomium,* vocatumque fuiſſe & *Hor* & *Moſera:* *Moſeroth* autem de qua Numer. 32. diverſus eſt locus à *Moſera,* cum in Moſerath fecerint Manſionem 27. In *Moſera* verò, ſive in *Hor,* trigeſimam quartam.

[ ℣. 24. *Pergat, inquit, Aaron ad populos ſuos:* ] Hic moriatur. Hic tranſeat à ſtatu viventium, ad ſtatum ad quem majores ejus tranſierunt, ideſt, ad ſtatum mortuorum. *Quidam* per hanc phraſim; *Congregatus* vel, *appoſitus eſt ad populum ſuum, aut ad Patres ſuos,* ſignificari putant idem quod eſſe appoſitum ad cœtum juſtorum: Sed cùm ea Phraſis legatur dicta de Iſmaele Geneſ. 25. de cujus bono fine non conſtat; atque etiam de Aſtyage Gentili Daniel. 13. *Verius eſt* quòd hoc non ſignificet. *Plus apparentiæ eſt* dicere quòd importet immortalitatem animæ. Cum enim iſte ſermo, *Pergat Aaron ad populos ſuos,* non poſſit verificari de Aaron quoad Corpus, quia corpus ejus per mortem non adunabatur ad corpora populorum ejus (non enim ſepeliendus erat in ſepulchro Patrum ſuorum, qui erant ſepulti in Ægypto, & in Hebron) conſequens eſt quòd verificetur de Aaron quoad animam; de qua, niſi immortalis eſſet, non verificaretur; *Congregabitur ad populos ſuos,* res enim quæ non eſt, non congregatur: Immortalitas igi-

tur animæ, populique multi in alia vita, clarè significantur in Littera hac. Ità Cajetanus.

[ *Non enim intrabit terram quam dedi filiis Israel*, ] Dicit, *quam dedi*; quia, etsi nondum dederat quantùm ad effectum, unde versu 12. dixit, *quam dabo eis*; dederat tamen quantùm ad suam præordinatione & promissionem quæ omninò sortitura erat effectum.

[ *Eò quòd incredulus fueris ori meo, ad aquas contradictionis.* ] Dubius nimirùm, & hæsitabundus ad ea quæ dixeram, secundùm ea quæ ad versum 10. explicata sunt. Quæ incredulitas Moysi & Aaroni communis fuit; sed quia nunc solùm fertur sententia de morte Aaron propinqua, de ipso solùm dicitur quòd fuit incredulus: De Moyse autem posteà similiter dicitur cap. 27. quando venit tempus moriendi ejus, & anteà de utroque in hoc ipso cap.

[ ℣. 25. *Tolle Aaron & filium ejus cum eo*, ] Assume tecum, Aaronem & filium ejus, scilicet Eleazarum qui erat major natu quàm Ithamar.

[ *Et duces eos in montem Hor.* ] Etsi non exprimatur, omninò credibile est Moysen eis indicasse voluntatem Dei tum de morte Aaronis ibi futura, tum de successione Eleazari in ejus Officium.

[ ℣. 26. *Cùmque nudaveris Patrem veste sua*, ] Non de usuali & quotidiana veste sermo est, sed Pontificali, imo de Pontificalibus: *singulare* enim pro *plurali* positum est. Unde alii quidam ex Heb. vertunt, *vestibus suis*. Estque id conforme sequentibus ubi dicitur: *Cùmque Aaron spoliasset vestibus suis*. Hinc fit verisimile Aaronem induisse in Castris vestes Pontificias, atque ita indutum ascendisse in montem Hor; *tum* ut cum decore & gloria iret moriturus, *tum* ut Eleazarus illis ibi indueretur. *Quòd porrò* Deus noluerit quemquàm de populo videre summi Sacerdotis excessum, aut sepulchrum, significare potest Sacerdotum infirma non esse detegenda.

[ *Indues ea Eleazarum filium ejus:* ] Etsi Aaron non indueretur ordinariè vestibus Pontificalibus, nisi in Sanctuario, jam tamen iis fuit extra illud indutus, ut dum iisdem exueretur, significaretur Pontificiam dignitatem ab eo transire ad ejus filium: *Neque videtur* alia intercessisse consecratio Eleazari in Summum Pontificem, quàm ista vestitio indumentorum Pontificalium. Cùm autem apud Judæos Pontificatus fuerit hæreditarius, & filius non posset vivente Patre fieri Pontifex, per divinam voluntatem, & dispensationem aliter hic factum est.

[ ℣. 27. *Fecit Moyses ut præceperat Dominus: & ascenderunt in montem Hor coram omni multitudine.* ] Quæ spectabat quidem Moysen cum Aarone & Eleazaro ascendentem, sed in una montis parte manebat, Deo sic per Moysen jubente. *Credibile est* quòd Moyses populo intimaverat Aaronem in monte esse moriturum; ob quam causam discessum ejus è Castris mira attentione contemplabatur.

[ ℣. 28. *Cùmque Aaron spoliasset vestibus suis*, ] Pontificalibus nimirùm.

[ *Induit eis Eleazarum filium ejus.* ] Hocque solo ritu eum fecit Pontificem: Et statim post mortuus ibi est Aaron sine morbo prævio, sine vulnere, sine vitæ tædio, placida prorsus, honesta, & suavi morte. *Observant quidam* per hoc quòd Aaron nudatus sacris vestibus, statim fuit corporaliter mortuus, *moraliter* esse significatum, quod mox ut Prælati aliique Clerici nudantur vestibus virtutum, moriuntur spiritualiter, etiamsi adhuc corporaliter vivant, juxta illud Apoc. 3. *Nomen habes quod vivas, & mortuus es.* Per hoc autem quòd *Aarone nudatis indutus fuit ejus filius*, significatur quod aliquibus à gratia cadentibus, alii surrogantur. Qua de re aliquid diximus 1. p. q. 23. artic. 6. *Ex his patet* quòd sicut Aaron non sumpsit sibi honorem Pontificalem, sed ad eum vocatus fuit à Deo; Similiter Eleazarus, qui à Moyse jussu Dei constitutus hic fuit Pontifex.

[ ℣. 29. *Illo mortuo in montis supercilio*, ] Seu cacumine, [ *descendit cum Eleazaro* ] eoque Pontificalibus Patris sui induto. *Varia* hic quæri possunt. *Primùm*, quare Deus voluerit Aaronem mori extra Castra, & extra conspectum multitudinis. *Secundùm* quis ipsum sepelivit. *Tertiùm* An Moyses & Eleazarus contraxerint immunditiam de qua Levit. 21. *Ad 1. Resp. Abulensis* q. 18. Rationem esse, quia Deus volebat Aaroni dare mortem specialem: Ipse enim sanus erat, & per se ascendit in montem, statimque ut ibi fuit, mortuus est, nullo languore præcedente, & sine aliqua mortis angustia, ad quod videndum populares non erant idonei. *Addi potest cum Lorino*, quòd populus non vidit Aaronem morientem, ut nec posteà Moysen, ne pronus ad idola, eos vel eorum corpora coleret ut numina *Ad 2. Resp.* quòd Eleazarus sepelivit Aaronem, adjuvante, si opus fuit Moyse; *tum* ob honorem Aaroni debitum; *tum* ut novus Pontifex sepulturæ Officium exhiberet defuncto. *Ad 3. Resp.* Neque Moysen neque Eleazarum contraxisse ullam immunditiam legalem: quia Deus hoc ipso quò jubebat eos assistere Aaroni morienti, in sua lege, & legali immunditia dispensabat.

[ ℣. 30. *Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron*, ] Hoc vidit, seu intellexit multitudo, *tum* ex relatione Moysi & Eleazari; *tum* ex eo quòd ipsi redirent sine Aarone, quodque Eleazarus esset indutus ejus vestibus Pontificalibus.

[ *Flevit super eo triginta diebus* ] Nomine *fletus* intelligendus est planctus publicus, & cæremoniæ quæ ad illum spectabant. Et quemadmodum planxerunt Aaronem triginta diebus, ita Moysen totidem diebus posteà planxerunt Deuter. ult. ac etiam antea Jacobum Genes. 50. Nam quod ibi dicitur de 70. diebus, convenienter ita potest accipi, ut post impensos 40. dies in condiendo corpore, juxta consuetudinem Ægyptiorum, apud quos Joseph erat valde magnus aliis triginta diebus planxerint, & sic in universum dies 70. impenderint in planctu.

[ *Per cunctas familias suas.* ] Quod *dupliciter* intelligi potest. *Vel* quòd totus populus non conveniebat ad simul plangendum; quia erat nimiùm numerosus, sed singulæ familiæ seorsim, quemadmodum Zachar. 12. scribitur de planctu magno, quòd fieret *per familias & familias seorsum: per familias domus David seorsum, & mulieres eorum seorsum: Per familias domus Nathan seorsum, & mulieres eorum seorsum* &c. *Vel*, ut *flere per cunctas familias*, sit nullam fuisse familiam quæ non fleret; *sive* id facerent *seorsim*, *sive* ordine illo non servato. *Ex prædicto autem tricenario* videtur Ecclesia morem accepisse faciendi pro Defunctis memoriam triginta dierum.

## CAPUT XXI.

*Vincitur ab Israel rex Chananæus: serpentes in populum ob itineris tædium murmurantem immittuntur, quorum morsibus erectus serpens æneus medetur: Sehon & Og reges vincuntur.*

[ ℣. 1. QUod cùm audisset Chananæus Rex Arad, ] *Arad* est nomen civitatis vel Regionis in qua Rex ille habebat suam Regiam.

[ *Qui habitabat ad meridiem*, ] Terræ scilicet Chanaan, sed extra ipsam, ut propriè sumitur terra promissionis. *Quidnam porro sit illud* quod Rex iste audiverat, statim sequitur.

[ *Venisse scilicet Israel per Exploratorum viam*, ] Quæ verba etiam in Textu Hebræo leguntur, tametsi Abulensis id neget. 70. Retinuerunt vocem Hebræam *Atharim* quæ Exploratores significat. Sensus autem est, quòd Rex ille audiverat Israelitas per eam viam venisse, per quam diu anteà, anno nimirùm secundo egressionis de Ægypto, iverant Exploratores à Moyse missi, sup. cap. 13. *Quòd autem* hæc contigerint post mortem Aaronis, quemadmodum præsens Textus indicat, ex sequenti cap. 33. *potest Confirmari:* Ibi enim refertur quòd postquàm Aaron mortuus esset, in Hor, Chananæus Rex Arad, qui habitabat ad meridiem, audivit filios Israel venisse in terram Chanaan. Ubi non exprimitur quidem quòd per Exploratorum viam venerint, sed satis est quòd hic exprimatur, ubi eadem historia texitur.

[ *Pugnavit contra illum, & victor existens, duxit ex eo prædam.* ] Quanta fuerit præda quam isti Chananæi tulerunt ex Israelitis, incertum est; certum tamen

fuisse

fuisse notabilem; cùm ex ejus occasione permoti fuerint Israelitæ ad faciendum votum quod sequitur. Unde *quod quidam voluerant* unam tantùm ancillam, & quidem ex Ægyptiis, fuisse captam, *non est verisimile:* Plus enim importat *Esse victorem & Ducere prædam; Neque* unius solius ancillæ captura tantæ fuisset apud Hebræos considerationis, ut propter eam emitterent votum subsequens. *Quærunt aliqui* causam quare Deus permiserit Israelitas cadere coram his Chananæis. Sed *non alia videtur quærenda*, quàm quòd cor eorum non erat rectum coram eo.

[ ℣. 2. *At Israel voto se Domino obligans, ait: Si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes ejus.* ] In Hebr. dicitur; *Anathematizabo urbes eorum.* 70. habent, *anathemabo eum, & civitates ejus*, quomodo & legit Augustin. q. 40. in Numeros, addens q. 41. quòd *ut nihil inde victor in suos usus auferret, sed totum in pœnam luendam voveret, hoc erat anathemare, quod vulgò dicitur devotare.* Hoc ergo votum Israelitarum, fuit votum quod Hebraicè *Cherem*, Græcè, anathema vocant. De quo diximus Levit. ult. ad vers. 28. Scribit autem Abulensis q. 4. *anathema* reperiri *tripliciter* posuum. *Uno modo*, quando & homines, & pecora, & omnia quæ in urbe erant disperdebantur, nullo eorum reservato, neque ad usum Sanctuarii, neque ad usus humanos. *Tale anathema* jussit Deus fieri urbes Hebræorum apostatantium ad Idola, ut scilicet occisis omnibus hominibus & pecoribus, congregaretur omnis suppellex urbis in platea, ibique tota cremaretur Deuteron. 13. *Secundò*, Quando civitas tota destruebatur, & homines ac pecora peribant, cum suppellectilibus, reservato tamen auro, argento, ferro, & ære ad usus Sanctuarii, quomodò factum fuit in urbe Jericho, Jos. 6. *Tertius modus anathematis erat*, cùm tota civitas destruebatur, ita ut fieret tumulus sempiternus, & nemo in ea habitaset, occidebanturque homines, pecora tamen & suppellectilia, aurum quoque argentum, & quæ nomine prædæ possunt intelligi cedebant in partem Judæorum, sicut factum est in urbe Hai Jos. 8. In præsenti autem sermo est de anathemate juxta primum modum: promittebant enim delere ac subvertere urbes, non tantùm occidendo homines, sed omnia perdendo quæ in urbibus erant. *Si quæras*, quomodò potuit esse licitum votum de interficiendis hominibus. *Resp.* quia ipsi erant hostes Dei, ac etiam populi Judaici quos bello injusto aggressi fuerant; & propterea sicut Hebræi poterant eos occidere, ita poterant votum de illis occidendis facere.

[ ℣. 3. *Exaudivitque Dominus preces Israel*, ] Votum ergo quod emiserant fuerat deprecatorium, & illi preces junxerant.

[ *Et tradidit Chananæum*, ] Non utique sine armis, sed audaciam & vires dando Hebræis, ipsamque victoriam.

[ *Quem ille interfecit subversis urbibus ejus*, ] totaliter destructis cum omnibus quæ in illis erant, sive hominibus, sive pecoribus, sive aliis rebus.

[ *Et vocavit nomen loci illius Horma, idest, anathema.* ] Quæ postrema verba sunt per Interpretem addita pro explicatione vocabuli *Horma*. Est autem *Horma, perfectum illud anathema*, quo urbs aliqua sic destruitur, ut necatis ejus incolis, præda non cedit victoribus, sed divino cultui applicatur. Hic est locus de quo supra cap. 14. dicitur quòd Amalecites & Chananæus persecutus est Hebræos usque Horma; sed ibi ponitur per anticipationem, quia ille locus nondum sic vocabatur quando accidit id quod ibi narratur. Cùm autem multæ Civitates, fuerint destructæ, quando dicitur, *vocavit nomen loci illius Horma*, vel locus singulariter ponitur pro plurali; vel sensus est, quòd nomen terræ illius ita vocatum fuerit.

*Moraliter*, pro *Arad*, quod interpretatur *descendens* intelligitur Diabolus *Rex* Inferni, qui videns fideles per *Israelitas* significatos anhelare ad *terram viventium*, nititur eos impedire, & aliquando eos debellat ac deprædatur, sicut Rex Arad *victor existens duxit* prædam ex filiis Israel. Sed quoniam varius est eventus belli, non debent fideles ex hoc desperare; verùm, Implorato Dei auxilio fortiùs resistere & pugnare.

[ ℣. 4. *Profecti sunt autem & de monte Hor*, ] post victoriam scilicet de Chananæo obtentam: Unde consequens est hoc bellum Chananæorum contra Judæos gestum fuisse in eo monte, vel circa illum, neque Israelitas inde recessisse, quousque subverterunt urbes eorum.

[ *Per viam quæ ducit ad Mare rubrum*, ] Non quòd redierint ad illam partem maris rubri per quam transierunt in exitu de Ægypto Exod. 14. sed cum Mare Rubrum sit diffusum per Deserta Arabiæ per quæ transibant Hebræi, & ad multas partes flectatur, sicut fluvii qui non recto itinere procedunt, variis vicibus venerunt circa Mare Rubrum per diversas vias, ut jam dicto loco Exod. quando transierunt illud; & quando egressi de Elim fixerunt Tentoria super Mare Rubrum, ut dicitur inferiùs cap. 33. ac insuper supra cap. 14.

[ *Ut circumirent Terram Edom*, ] Quia Idumæi noluerant Hebræis concedere transitum per suam terram.

[ *Et tædere cœpit populum itineris ac laboris:* ] Ex Hebræo alii vertunt, *Et abbreviata est anima populi in via.* Vel, *Et angustiis affecta est anima populi in via.* Hoc est, populus cœpit animo cadere, languere, & tædere, propter viam tam longam & laboriosam. Jam enim annis 40. vagabantur per Desertum, & metuebant ne hoc adhuc diù duraret, cùm non recta via pergerent ad Terram promissam. Et quamvis Deus laborem itineris eorum minueret; quòd tamen non penitus eum tolleret, ex Deuteron. 25. clarum est. *Horum porro Hebræorum tædium* figura erat acediæ illorum quos in vita spirituali piget vel *tædet proficere*, quique propterea facilè in *murmurationes* labuntur. Remedium autem maximè obvium & opportunum est, in memoriam revocare divinas promissiones, culpasque proprias ob quas Deus interdum relinquit fideles in ariditate; ac insuper ad orationem se convertere exemplo Christi, qui cùm ante suam passionem cœpit pavere & tædere, Patrem oravit.

[ ℣. 5. *Locutusque contra Deum & Moysen*, ] Nihil hic legitur populus directè & expresè contra Deum dixisse; sed murmurando contra Moysen ex consequenti etiam contra Deum murmurabant: Quia non aliud erga eos agebat Moyses quàm Deus vellet. Huc proinde facit illud Luc. 10. *Qui vos spernit me spernit.*

[ *Cur eduxisti nos de Ægypto*, ] Conqueruntur de eductione ex Ægypto, quoniam post eam secuta sunt omnia adversa quæ in deserto passi sunt, & prælegissent manere in durissima Ægypti servitute, potiùs quàm in Desertum venire; magisque mori in Ægypto vivendo illic in satietate usque ad mortem, quàm pati angustias & difficultates solitudinis.

[ *Ut moreremur in solitudine?* ] Non volunt dicere quòd Moyses ad hoc eduxerit eos de Ægypto, ut morerentur in solitudine, sed quòd ex illa eductione id sequitur, ita quòd vocula *ut* non causam significet, sed eventum & concomitantiam.

[ *Deest panis, non sunt aquæ:* ] Superiori cap. conquesti sunt adhuc alia deesse, sed hic exprimunt communiora, & maximè ad vitam humanam necessaria, juxta illud Eccli. 29. *Initium*, hoc est, præcipuum *vitæ hominis; aqua & panis.*

[ *Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.* ] Anima vel pro homine, vel pro ejus appetitu ponitur. *Quoniam autem* sic conqueruntur de Manna, *Rabbi Salomon scribit* illud ita fuisse leve, ut nihil gravaret stomachum Hebræorum, sicut alii cibi, nec aliquid excrementi emitterent, proptereaque illos timuisse ne intra viscera putresceret, & mortem eis adferret. *Sed istud omninò est ridiculum:* Nullus enim cibus ita tenuis esse potest, quin aliquid habeat de impuro quod non sit conveniens ad transeundum in substantiam aliti, quodque idcirco natura rejicit: Manna autem erat cibus ab Angelis quidem factus, unde Psalm. 77. vocatur *Panis Angelorum*, sed ex materia præexistente. *Arguit autem Cajetanus* cæcitatem Hebræorum; quòd conquerantur de panis levitate, cùm levitas sit in pane maximè desiderabilis. *Cæterùm*, quomodò nauseare potuerint super Manna, cùm de illa dicatur Sap. 16. quòd deserviret uniuscu-

jusque voluntati, videri potest explicatum sup. cap. 11.

[ ℣. 6. *Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes*, ] Per *Dominum*, Deus Pater intelligi potest, ita tamen ut etiam intelligatur Christus; dicit enim Apostolus 1. ad Cor. 10. *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & à serpentibus perierunt*, respiciens utique ad præsentem historiam. *Qui locus* valet ad destruendam Hæresim Photini qui negabat Christum fuisse ante Mariam: Imò *generaliter* adversùs eos qui Christum Deum negant; certum enim est Deum serpentes illos misisse in populum murmuratorem; idque *vel* ex Arabiæ Deserto, in quo jam versabantur Hebræi, & ubi tales serpentes abundant; *vel* ex Africa ubi etiam est maxima eorum copia, *vel* noviter producendo. *Igniti* vocantur, non quòd per aerem volantes flammas emitterent, sed quia suo flatu vel morsu mirum in modum homines adurerent: Unde alii pro *ignitos*, vertunt *urentes*, estque in Hebræo *Seraphim*, quo nomine vocatur primus Angelorum Ordo ab ardore Charitatis. Huc pertinet quòd Deuteron. 8. dicitur Deus ductor fuisse populi Hebræi in solitudine, *magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, & Scorpio, ac Dipsas*, qui sic vocatur à siti quam vehementissimè accendit. Cujus porrò speciei fuerint hi serpentes sive igniti, sive urentes, non admodùm necesse est quærere; cùm *verisimile sit* fuisse diversarum specierum quæ Sapientiæ 16. notantur per sævam bestiarum iram, & per morsus perversorum Colubrorum. *Aptè* autem murmuratores puniuntur *serpentibus*, quia murmuratores & detractores *acuunt linguam suam sicut serpentis, & venenum aspidum sub labiis eorum*. Psalm. 139. Et, *si mordeat serpens in silentio, nihil eo minùs habet qui occultè detrahit*, Eccles. 10. *Observant* non fuisse missos Leones, Ursos, aut similes bestias, sed serpentes: Quia cùm ab Exordio mundi Deus serpenti dixerit; *Terram comedes*; contra manducantem Manna & murmurantem, decebat mitti serpentem comedentem & murmurantem, quod ejus murmur per sibilum significatur.

[ *Ad quorum plagas & mortes plurimorum*, ] Cùm ab illis serpentibus multi percuterentur, ac plurimi inde morerentur.

[ ℣. 7. *Venerunt ad Moysen, atque dixerunt: Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum & Te:* ] Vexatione dante ipsis intellectum, agnoscunt peccatum suum, & pro remedio veniunt ad Moysen, per experientiam scientes quòd Deus est misericors, & ad pœnitentiam peccatorum flectitur, præsertim intercedente Moyse, qui medius erat inter Deum & populum.

[ *Ora, ut tollat à nobis serpentes.* ] Non statim omninò impetravit populus quod petebat, quia ipsi cupiebant auferri serpentes, ut nequaquàm deinceps percuterent populum; Deus autem abstulit quidem mortem, non tamen percussionem: Dedit enim remedium ut percussi non morerentur, sed non impedivit ne amplius percuterentur, cùm idcircò jusserit æneum serpentem erigi, ut qui adhuc mordebantur, eum aspiciendo sanarentur; nec non & qui jam antea morsi erant, sed non mortui. Ita decuit tractari duros cervice & rebelles contra Dominum; ne si tota plaga statim fuisset ablata, facilitas veniæ præberet eis incentivum delinquendi. Aliquanto igitur adhuc tempore duravit plaga serpentum, sed ita ut nullus eorum moreretur qui percussi aspicerent serpentem æneum: Posteà autem paulatim tota plaga fuit ablata.

[ *Oravitque Moyses pro populo*, ] Tametsi populus ille frequenter offenderet Moysen, ipse tamen non desinebat orare pro eo, sicut etiam supra ex cap. 14. 16. 20. & aliunde patet: In visceribus enim Charitatis eum diligebat, atque ut pius Pater defectus Hebræorum patienter tolerabat, nec umquàm eos odio habebat: Sicque formam & exemplum dabat quod meritò imitari deberent *Pastores & alii Superiores*.

[ ℣. 8. *Et locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem æneum*, ] In Hebræo non habetur hic *æneum*, sed tantùm, *fac seraph*, idest, fac ustorem vel urentem: Aut, *fac ignitum*, sive, fac serpentem qui habeat similitudinem serpentis igniti, & urentis; talis autem est serpens æneus, quia æs rubet instar ignis. Atque hæc est *una ratio* quare hic serpens fuerit ex ære fabricatus. *Alia addi potest*, quoniam æs multùm est ductile, & obediens Artifici, nec est admodùm magni sumptus. Requirebatur autem serpens valdè magnus, ut posset videri per omnia Castra quæ continebant plusquàm sexcenta millia peditum, præter senes, & pueros, & fœminas: Si verò non esset exorbitanter magnus, non potuisset videri ab omnibus ita longè latèque diffusis. Ut autem tam magnus fabricaretur ex auro vel argento, sumptus nimiùm excrevisset.

[ *Et pone eum pro signo:* ] Hebr. *Pone eum super vexillum*, vel, *super perticam*. 70. *Pone eum super signum*, sed signum accipiunt pro pertica, vel vexillo, vel alio Synonymo. Duplex autem sensus reddi potest. *Unus*, Serpentem illum eleva, & pone super pertica seu ligno aliquo erecto & eminenti, ut de quocumque loco Castrorum videri possit ab illis qui percussi fuerint à serpente ignito, & ita sanari. *Alter*, pone illum, ut in sublime elevatus sit signum ad quod qui aspexerint, sanabuntur.

[ *Qui percussus aspexerit eum, vivet.* ] Qui ab ignitis serpentibus fuerit percussus, si serpentem hunc æneum aspexerit, in vita servabitur, & sanabitur. Non quòd ille vim aliquam naturalem ad sanandum haberet, sed quia tales omnes supernaturali sua virtute Deus erat sanaturus. Unde Sap. 16. *Qui conversus est, non per hoc quod videbat sanabatur, sed per te omnium Salvatorem*. Fuit autem iste Serpens æneus *Figura* Christi *Domini* in cruce erecti, *cujus intuitu* per fidem, obedientiam, & contritionem *sanamur à lethalibus* peccatorum nostrorum *vulneribus*. Sicut enim ille Serpens *habebat formam serpentis*, sed *non venenum*; Ita Christus assumpsit formam peccatoris, & non peccatum. Huc proinde pertinent verba Christi de seipso Joan. 3. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in Deserto, ita exaltari oportet filium hominis; ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam*. Ex his intelligi potest serpentem æneum fuisse quoddam signum rei sacræ, propriè tamen non fuit Sacramentum; quoniam ut B. Thomas docet in 4. dist. 1. non erat signum rei sacræ in quantùm est sacrans, seu sanctificans, quia non ad hoc adhibebatur ut aliquis sanctificationis effectus perciperetur; sed solùm effectus exterioris curationis. Et similis, inquit, est ratio de imagine Crucis, quæ ponitur tantùm ad repræsentandum.

[ ℣. 9. *Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo:* ] Non possumus hinc apertè colligere Serpentem istum fuisse transversaliter affixum per modum Crucis: Quia tamen passim ita sentiunt Catholici, eratque is affigendi modus facilior, non videtur ab eo recedendum.

[ *Quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.* ] Divina, ut diximus, & nulla naturali serpentis ænei virtute. Nec solùm illi sanabantur qui post eum erectum percussi, ipsum aspicerent, sed ii quoque qui antequàm esset erectus percussi erant, & adhuc vivebant. *Utrùm verò* cum sanitate percussorum ab ignitis serpentibus per aspectum serpentis ænei simul afferretur mors illi serpenti qui percusserat, *incertum est*. *Negantibus assentimur*, cùm sacer Textus nihil de eo dicat, *idque serviat* ad intelligendum perpetuam nobis superesse pugnam cum diabolo, licèt in sublimi loco pendeat ignominiosè prostratus. Illum porrò serpentem æneum in memoriam tanti beneficii, tantique miraculi, secum devexerunt Israelitæ in Terram Chanaan, ibique diu servaverunt. Et quamvis dum populus in deteriora prolapsus est, eo abuti cœperit ad Idololatriam, & adolere ipsi incensum, quod est signum divini honoris, justissimè ab Ezechia sublatus sit, & confractus 4. Reg. 18. Imò, ne quid in illius nomine sonaret sacrum aut antiquum, quod renovaret memoriam ad nefarium & sacrilegum cultum, nomen mutavit, & vocavit *Nohestan*. Q. d. in illo serpente nihil esse virium, nihil magnum quod ab homine prudente coli, atque observari debeat; cùm nihil aliud sit quàm vile quoddam æs, id enim valet *Nohestan* quod idem valet ac æs. Et quia formam habet diminutivam, aliquid etiam vilius indicat, quasi dicas, merum æs aut ærulum, vel metallulum. Nihilominùs tantum abest quòd ille serpens æneus quando formatus est fuerit oc-

casio

caſio Idololatriæ, ut Macarius ſenior hom. 11. inter eas quæ extant Tom. 2. Biblioth. Patrum ſcripſerit ita de illo Deum ordinaſſe, *quod eum ſpectantes ſanabantur, at qui terrenis caris, Idolorum cultura, voluptatibus Satana, & quacumque impietate detinebantur, hoc ſaltem modo erigerentur aliquatenus ad ſuperiora, atque ad id quod eſt altiſſimum ſuper omnem creaturam.*

*Si quæras*, Cur à S. Gregorio Lib. 9. Epiſt. 4. reprehenditur Serenus Epiſcopus Maſſilienſis quòd fregerit imagines in quibus populus committebat Idololatriam, & non reprehenditur Ezechias quòd ſerpentem æneum confregerit. *Gloſſa juris Canonici* ad Canon. *Quia ſancta*, d. 63. *reſpondet* quòd ſerpens iſte fuit temporalis ad ſanandum vulnera, unde ceſſante cauſa, ceſſare debuit effectus; ſed cauſa imaginum perpetua eſt, ut habeatur in eis memoria Dei.

[ ℣. 10. *Profectique filii Iſrael caſtrametati ſunt in Oboth.* ] Non venerunt ea monte *Hor* immediatè in *Oboth*, ſed primò venerunt in *Salmona*, & deinde in *Phunon;* iſtas enim duas manſiones interceſſiſſe priuſquàm venirent in Oboth, liquet ex ſeq. cap. 33. Hinc colligunt quidam Iſraelitas non fuiſſe à ſerpentibus percuſſos in Oboth, quia videtur innui quòd poſt illam percuſſionem, eò venerunt. Sed neque percuſſi fuerunt in monte Hor, quia cùm ab eo monte diſceſſiſſent, populus cœpit tædere ob laborem itineris, & murmurare; propter quod murmur miſſi fuerunt ſerpentes. Videtur ergo quòd aliquanto tempore ambulaverint poſt montem Hor, & ſerpentes demùm invenerint in Salmona, vel in Phunon, vel in utroque loco. *De Moralitate* iſtarum ut & aliarum manſionum, videatur B. Hieronym. Epiſt. 127.

[ ℣. 11. *Unde egreſſi fixere tentoria in Jeabarim,* ] Hæc manſio immediatè ſecuta eſt eam quæ fuerat in Oboth, ut ex cap. 33. patet, ubi etiam habetur quòd Jeabarim erat in finibus Moabitarum.

[ *In ſolitudine, quæ reſpicit Moab contra Orientalem plagam.* ] Significatur quòd Jeabarim erat in ea parte ſolitudinis quæ Hebræis erat contra plagam Orientalem terræ Moab, ideſt, in Oriente ejus; nam in Hebr. ſic dicitur: *In deſerto quod eſt contra faciem Moab ab ortu Solis.*

[ ℣. 12. *Et inde moventes, venerunt ad Torrentem Zared.* ] Iſte torrens erat ante introitum terræ Moab, in extremitate ſolitudinis in qua erat Jeabarim. In Catalogo Manſionum inf. cap. 33. non nominatur Torrens Zared, non quòd nequaquam ibi hæſerint, cum ex Deuter. 2. oppoſitum haberi poſſit; ſed quia juxta eum torrentem fecerunt illam manſionem quæ poſt Jeabarim proximè ſecuta eſt, & cap. illo 33. vocatur *Dibon-Gad.*

[ ℣. 13. *Quem relinquentes, caſtrametati ſunt contra Arnon,* ] Ideſt, habentes Arnon è regione, & ante proſpectum ſuum, versùs eam plagam ad quam proficiſcebantur, ſcilicet ad Amorrhæos. Hæc manſio videtur eſſe illa quæ inferiùs cap. 33. vocatur *Helmondeblathaim* in quam venerunt egreſſi de Dibon-Gad. Arnon juxta S. Hieron. in locis Hebraicis, eſt nomen rupis in ſublime porrectæ inter Moabitas & Amorrhæos, ac inſuper ſecundùm eumdem, eſt etiam nomen torrentis ſeu fluvii è rupe illa manantis, & in mare mortuum influentis, eoſdemque Moabitas diſterminantis ab Amorrhæis.

[ *Quæ eſt in Deſerto, & prominet in finibus Amorrhæi. Siquidem Arnon terminus eſt Moab, dividens Moabitas & Amorrhæos.* ] Iſta quippe Regna erant juncta in ſuis extremitatibus, & terra Moab à terra Amorrhæorum dividebatur per torrentem tranſeuntem inter utramque.

[ ℣. 14. *Unde dicitur in Libro Bellorum Domini:* ] Quia ſit iſte Liber, & quando ſcriptus, *omninò eſt incertum*, quia pridem intercidit.

[ *Sicut fecit in Mari rubro, ſic faciet in Torrentibus Arnon.* ] Qualiter Deus fecit in mari rubro, ſubmergendo Ægyptios, & protegendo Hebræos, talia fuerit in Arnon, pugnando pro Hebræis, & debellando Sehon Regem Amorrhæorum.

[ ℣. 15. *Scopuli Torrentium inclinati ſunt, ut requieſcerent in Ar,* ] Ita hic legendum *in Ar*, quæ eſt urbs Moabitarum, & non *in Arnon*. Senſus eſt, quòd Scopuli Torrentium, ſeu rupes è torrentibus prominentes, in quibus Amorrhæi latebant inſidiantes Hebræis Arnon tranſituris, inclinatæ ſunt, & in planitiem devolutæ, oppreſſeruntque Amorrhæos ibi latitantes, non abſimili modo quo aquæ maris rubri operuerunt Ægyptios: Vel, ita complanatæ ſunt, ut viam apertam & facilem Hebræis exhiberent, ſicut mare rubrum præbuiſſe Hebræis tranſmeabile. Sic autem rupes illæ ſunt inclinatæ, ut requieſcerent in Ar, hoc eſt, ut devolverentur in vallem quæ vergit ad civitatem Ar.

[ *Et recumberent in finibus Moabitarum.* ] Sive, & terminos terræ Moab contegerent.

[ ℣. 16. *Ex eo loco apparuit puteus, ſuper quo* ] Seu de quo [ *locutus eſt Dominus ad Moyſen:* ] Hoc eſt, ex eo loco digreſſis, & proficiſcentibus Hebræis, apparuit Puteus: Non enim ſic intelligendum eſt quòd ille puteus fuerit in loco ubi inclinati ſunt ſcopuli, ſed quòd ex eo loco tranſierunt ultra, & ibi datus fuit iſte puteus: Unde in Hebr. habetur, ait Lyran. *Ex hoc loco ad puteum.* Q. d. Ex hoc loco venerunt ad illum locum ubi datus eſt puteus. Poſtquam enim Iſraelitæ ex torrentibus Arnon abierunt, cœperunt laborare penuria aquarum, pro qua levanda, Moyſes Deum oravit; Deus autem Moyſi puteum oſtendit dicens.

[ *Congrega populum, & dabo ei aquam.* ] Deus revelavit Moyſi locum ex quo populus eſſet aquam bibiturus, juſſitque populum ibi congregari, ut Divinam proviſionem evidentiùs agnoſceret. Dicitur autem quòd *apparuit puteus;* quia Hebræi priùs non viderant, nec ſciebant ibi eſſe locum putei. Puteum porrò intellige, non ex quo haurienda eſſet aqua fune, ſicut fit ex puteis noſtratibus; quoniam tantæ hominum & pecorum multitudini ſatiandæ, hoc parùm, aut nihil fuiſſet; ſed locum qui inſtar fontis abundanter aquam daret. Erat ſcilicet locus aliquis excelſior in quo, velut in Concha valde vaſta, continebatur aqua, ſimulque inde fluebat copiosè.

[ ℣. 17. *Tunc cecinit Iſrael Carmen iſtud:* ] Inventa aqua, Iſraelitæ cœperunt in gratiarum actionem Deum laudare, & ſequens Canticum ei dicere.

[ *Aſcendat puteus.* ] Seu aqua putei. Continuò ebulliat, & è fundo putei aſcendat aqua.

[ *Concinebant:* ] Iſtud verbum non eſt pars Carminis vel Cantici, ſed eſt interpoſitum à Moyſe narrante quid fieret. Carmen autem conſiſtebat in illis verbis, *Aſcendat puteus*, uſque ad partem illam, *De Mathana.*

[ ℣. 18. *Puteus, quem foderunt Principes, & paraverunt Duces Multitudinis* ] Significatur quòd Principes ac Duces populi cum Moyſe congregati foderunt illum puteum ac paraverunt, quatenus ſcilicet ſuis baculis viatoriis terram percuſſerunt in loco eis deſignato, eamque leviter excaverunt, Deo autem cætera peragente, aqua inde fluxit abundantiſſimè, non minùs quàm ex puteo, & fonte maximo.

[ *In Datore Legis,* ] Hoc eſt, per Datorem Legis, Deum videlicet qui legem dedit principaliter; vel Moyſen, qui miniſterialiter; & ex cujus tum precibus, tum merito data fuit hæc aqua. Pro *in Datore legis*, Cajetanus, Abulenſis & quidam alii dicunt juxta Hebræum haberi, *in Sculptore*, ſenſu tamen non abſimili: Nam & Deus, ſeu Angelus in perſona Dei ſcripſit, ſeu ſculpſit Decalogum in Tabulis; & Moyſes Tabulas illas ex utraque parte ſcriptas attulit Exod. 32. & 34.

[ *De Solitudine Matthana:* ] Quaſi diceretur quòd Hebræi de ſolitudine profecti ſunt *in Matthana*, quomodò quidam hic legunt; alii autem volunt ſubintelligendum: Sed B. Hieronym. Epiſt. 127. Manſione 39. vult iſta verba eſſe partem Cantici, & in eo Cantico prophetari, quà deinceps tranſituri eſſent Hebræi.

[ ℣. 19. *De Matthana in Nahaliel:* ] Exprimuntur hic aliqua loca per quæ populus Iſraeliticus tranſivit nec manſit, ideoque non recenſentur cap. 33. inter Manſiones: Licèt, ut Abulenſis notat, veriſimile ſit aliquem ex his locis coincidere cum aliqua illarum manſionum; quia ponuntur hic tria loca ab *Arnon* uſque ad *Phaſga*, ſcilicet, *Matthana*, *Nahaliel* & *Bamoth*, ſimiliterque cap. 33. totidem, nimirùm, *Dibon-gad*, *Helmondeblathaim*, & *Montes Abarim;*

Unde fieri potest quòd aliqua coincidant, etiamsi habeant diversa nomina.

[ *De Nabaliel in Bamoth,* ] Abulensis notat hic poni tamquam mansionem quæ coincidit cum illa quæ vocatur Mansio apud Montem Abarim: Quia Bamoth est apud montem Abarim circa radices Phasga. Non est autem hic sermo de Bamothbaal, de qua Jos. 13. quæ fuit Urbs Tribus Ruben, sed de Bamoth valle, vel juxta vallem.

[ ℣. 20. *De Bamoth, vallis est in Regione Moab, in vertice Phasga,* [ Quæ sententia valde est difficilis intellectu: Quomodò enim Bamoth potest esse vallis, cùm *Bamoth* Hebraicè sonet *Excelsa*; & quomodo vallis Bamoth potest esse in vertice Phasga, cùm valles non sint in verticibus montium? *Resp.* Difficultates istas uno horum modorum enodari posse. *Vel* dicendo non significari quòd Bamoth sit vallis, sed quòd euntibus de Bamoth occurrat vallis quæ est in regione Moab, ad quam venerunt Hebræi quando exiverunt de Bamoth: *Vel* sensum hunc reddendo, de Bamoth per interjectam vallem Hebræi venerunt ad verticem montis Phasga. Erat autem Phasga pars montium Abarim, eaque valde alta. Cum dicitur, *quod respicit contra Desertum*, significatur quòd Mons Phasga ad Desertum vergeret.

[ ℣. 21. *Misit autem Israel Nuncios ad Sehon Regem Amorrhæorum,* ] Non continuatur hæc narratio cum præcedentibus, quasi ista Nunciorum missio facta fuerit postquam Israelitæ venerunt in Bamoth: Jam enim deleti erant duo Reges Amorrhæorum, priusquam illuc venirent, unde Moyses Deuteron. 2. dicit se Nuncios illos misisse de Cademoth; cùm essent scilicet in extremitate Regni Sehon: Et quod hic dicitur *Misit*, exponi potest per præteritum plusquam perfectum, *Miserat*. Neque ulla est contradictio, cùm hic dicitur quòd Israel misit nuncios quos in Deuteron. Moyses dicit se misisse, quia & populus eos misit annuente Moyse, & Moyses annuente populo, communi scilicet consilio. *Sehon* vocatur *Rex Amorrhæorum*, non quòd ipse omnium Amorrhæorum esset Rex, cùm & Og fuisse Regem Amorrhæorum expressum sit Deuteron. 3. & plures eo tempore fuisse Reges Amorrhæorum ex Jos. 5. evidenter constet: Sed ita vocatur ad differentiam Regis Edom, & Regis Moab, de quorum terris supra dictum est.

[ ℣. 22. *Non bibemus aquas ex puteis,* ] Nimirùm te nolente, & absque pretio.

[ ℣. 23. *Egressus est obviam in Desertum, & venit in Jasa,* ] Sehon nolens populo Israelitico concedere transitum per terram suam, exivit ei obviam, & venit in aliquam partem terræ suæ, quæ quòd parùm culta & habitata esset, vocatur Desertum, & pervenit usque ad urbem Jasa, circa quam Israelitæ venerunt, Deo jubente ut progrederentur, etiamsi Sehon negasset transitum.

[ *Pugnavitque contra eum.* ] Sehon contra Israelem.

[ ℣. 24. *A quo percussus est in ore gladii,* ] Hoc est, in acie gladii. Nam *Acies gladii* vocatur *os ejus*: Quoniam sicut os animalis devorat, seu consumit cibum; ita Acies gladii consumit homines.

[ *Et possessa est terra ejus ab Arnon usque Jeboc, & filios Ammon;* ] Terra Regis Sehon fuit ab Israelitis occupata, & possessa à torrente Arnon, usque ad torrentem Jeboc, & usque ad terram filiorum Ammon; quam cur Israelitæ non occupaverint etiamsi esset vicina, *ratio una* mox sequitur.

[ *Quia forti præsidio tenebantur termini Ammonitarum.* ] *Alia vero*, eaque potissima, ratio exprimitur Deuteron. 2. quia scilicet Deus præceperat Israelitis, ne pugnarent contra Ammonitas, dixeratque quòd ipsis non daret de terra eorum. *Si dicas*, ex Jos. 13. constare Deum Israelitis dedisse de terra Ammonitarum, cùm ibi dicatur Moysen dedisse Tribui Gad dimidiam partem terræ filiorum Ammon: *Resp.* Deum nihil de terra Ammonitarum, quam ipsi Ammonitæ occupabant, & possidebant, dedisse Israelitis; de ea tamen quam Ammonitæ aliquando possederant, sed jure belli hostes ipsis eripuerant, aliquam partem dedit. Talis autem erat ea dimidia pars terræ Ammonitarum quam Moyses dedit Tribui Gad, Sehon enim bello illam eripuerat è potestate Ammonitarum.

[ ℣. 25. *Tulit ergo Israel omnes Civitates ejus,* ] Israelitæ abstulerunt omnes Civitates Regis Sehon, easque in suum Dominium redegerunt, & habitaverunt in urbibus Amorrhæorum,

[ *In Hesebon scilicet, & viculis ejus.* ] Hoc est, & in locis minoribus ei adjacentibus. In Hebr. sonat, *& in omnibus filiabus ejus.* More enim Hebræo, urbes & viculi quæ subjiciuntur Metropoli, *per Metaphoram* vocantur ejus *filiæ*; quia dependent à Metropoli, sicut filiæ à Matre.

[ ℣. 26. *Urbs Hesebon fuit Sehon Regis Amorrhæi, qui pugnavit contra Regem Moab: & tulit omnem terram quæ ditionis illius fuerat, usque Arnon.* ] *Arguere posset quispiam*, quomodo filii Israel occupaverunt Hesebon, & habitaverunt in ea, cùm ipsa esset urbs Moabitarum, vetitum autem fuerit Israelitis pugnare contra Moabitas. *Sed huic objectioni occurrit præsens Littera*, docetque quòd ista urbs aliquando quidem pertinuerit ad Moabitas, sed Rex Sehon pugnavit contra Regem Moab, eamque ipsi abstulit, & sic jure belli facta est Regis Sehon, ac per consequens Israelitæ potuerunt eam invadere, cùm non ampliùs esset de Terra Moabitarum, sed de Amorrhæorum,

[ ℣. 27. *Idcircò dicitur in Proverbio:* ] *Proverbium*, hoc est, *Carmen Proverbiale*, cujusmodi solebant olim cantari ad laudem victorum, vel ad exprimendam calamitatem eorum qui devicti erant: Et vocabatur *Proverbium*, quia erat sententia valde communis, & quæ versabatur quasi in ore omnium: Tale erat quod occiso Goliath puellæ canebant; *Percussit Saul mille, & David decem millia.* 1. Reg. 18.

[ *Venite in Hesebon,* ] Hic incipit Carmen Proverbiale, & durat usque ad illa verba, *Habitavit itaque* exclusivè. Sunt autem verba vel Idumæorum & Ammonitarum, irridentium & insultantium de Moabitis, ob eorum cladem; vel ipsorum Amorrhæorum qui victores evaserant, principemque Civitatem ceperant; & tum se, tum alios cum jactantia exhortabantur, ad extruendam, ampliandam, & fortificandam urbem pro Rege Sehon.

[ *Ædificetur, & construatur Civitas Sehon:* ] Regi nimirùm Sehon, sive in honorem ipsius. Fuerat quidem priùs constructa, sed dum Rex Sehon eam vi expugnavit, bona parte destruxit, fuitque propterea opus reædificatione, ad eam stabiliendam & firmandam.

[ ℣. 28. *Ignis egressus est de Hesebon, flamma de Oppido Sehon,* ] Posterius est repetitio præcedentis sub aliis verbis, ad ornatum sermonis, sicut sæpè fit quando more Rethorum utimur. Significatur autem, quòd flamma belli (*sive propriè* illam intelligamus, sicut in bellis urbes conflagrare contingit vero igne, *sive metaphoricè* pro clade & vastatione) multùm pervagata est diversas Moabitarum Urbes, ipsamque regionem penetrando & disperdendo.

[ *Et devoravit Ar Moabitarum,* ] Urbem sic dictam, quæ putatur fuisse Regia, & Caput Moabitarum.

[ *Et habitatores Excelsorum Arnon.* ] Etiam consumpsit & perdidit eos de Moabitis qui habitabant in rupibus Arnon, ibique habebant Excelsa suorum Deorum.

[ ℣. 29. *Væ tibi Moab,* ] Carmen convertitur ad miseriam Moabitarum, qui & terram magnam perdiderant, & dominio suo exciderant.

[ *Periisti popule Chamos.* ] Eadem est sententia: Moab enim vocatur *populus Chamos*, quia *Chamos* erat Idolum quod Moabitæ peculiariter colebant; sicut *Moloch*, vel *Melchom* erat Idolum Ammonitarum: Et hinc est quòd quando Salomon ædificavit Templa Diis uxorum suarum, fecit *Templum Chamos* Idolo Moabitarum, & aliud *Moloch* Idolo Ammonitarum 3. Reg. 11.

[ *Dedit filios ejus in fugam,* ] Suppositum verbi *dedit*, rectè intelligitur esse *Chamos*, qui cùm non esset Deus, neque ullum robur haberet, non potuit Moabitas cultores suos protegere, sed permisit eos fugere, ne occiderentur ab Amorrhæis. In Hebr. dicitur: *Dedit filios ejus evasores*, quæ cum versione nostra conveniunt, si sic explicentur: Filios ejus in eo statu & loco constituit, ut necesse haberent quærere viam

& ratio-

& rationem evadendi: Hoc enim faciunt qui fugam capere compelluntur.

[ *Et filias in captivitatem, Regi Amorrhaeorum Sehon.* ] Et permisit etiam quòd filiæ Moabitides captivæ ducerentur à Sehon Rege Amorrhæorum.

[ ℣. 30. *Jugum ipsorum disperiit ab Hesebon usque Dibon,* ] *Jugi* nomine, significatur Imperium & potestas: Ut sensus sit; quòd Moabitarum Dominium cessavit ab urbe Hesebon, usque ad urbem Dibon; quòdque tota ditio quæ inter duas illas urbes competebat Moabitis, fuit illis adempta.

[ *Lassi pervenerunt in Nophe, & usque Medaba.* ] Moabitæ fugientes Amorrhæos ex fuga lassi pervenerunt ad eas urbes quæ vocantur Nophe & Medaba.

[ ℣. 31. *Habitavit itaque Israel in terra Amorrhæi.* ] Huc usque extenditur carmen quod abierat in Proverbium de pugna & victoria Amorrhæorum contra Moabitas, quod Moyses adduxit ad probandum, quòd Hebræi, quamvis non possent pugnare contra Moabitas, potuerunt tamen pugnare ad occupandum Hesebon, & alia quædam loca olim ad Moabitas pertinentia; quia jam non ampliùs pertinebant ad Moabitas, sed ad Amorrhæos; neque appellabantur loca vel terræ Moabitarum, sed Amorrhæorum; ex quo scilicet Amorrhæi inde expulerant Moabitas. Quod autem hic dicitur Israel habitasse in terra Amorrhæi, non est intelligendum de toto populo Israelitico, sed de aliquibus ex illo; Tribus enim Ruben, Gad, & dimidia Manasse, ex communi totius populi consensu, cœperunt ibi habitare.

[ ℣. 32. *Misitque Moyses qui explorarent Jazer:* ] *Cuipiam mirum videri potest*, quare ad Og Regem Basan non fuerint per Moysen missi nuncii, nec requisitus transitus per ejus terram, sicut missum fuit ad Regem Sehon. *Resp.* rationem esse, quia Sehon occupabat terras Moabitarum, nec Hebræi volebant inferre nocumentum terris eorum quibuscum pugnare prohibiti erant. Og autem ejusmodi terras non possidebat; & Hebræis jussum erat occidere omnes Amorrhæos, ac multò magis licitum eorum terras capere, nullum fœdus feriendo cum illis. *Deinde*, Og non expectatis Nunciis qui transitum peterent, ultrò occurrit Israelitis pugnaturus contra illos. *Jazer* erat Civitas Amorrhæorum quam possidebat Og, & quæ posteà fuit Tribus Gad.

[ *Cujus ceperant viculos,* ] Parva scilicet rura, & loca non murata. *Quidam* hæc referunt ad missos Exploratores qui plus fecerint quàm eis injunctum erat. Cùm enim jussi fuerint urbem explorare, etiam viculos ceperunt, & ea quæ deinceps sequuntur fecerunt. *Sed*, cùm non sit verisimile quod ipsi absque aliorum adjutorio urbem ceperint (non enim multi ad explorandum mitti solent, sed pauci) *potiùs videtur dicendum*, quòd Exploratores, sicut urbem non ceperunt, ita nec ceperint ejus viculos, quòdque omnia quæ nunc narrantur, referri debeant ad filios Israel, non verò peculiariter ad Exploratores.

[ *Et possederunt habitatores.* ] Non est intelligendum quòd Israelitæ istos habitatores possederint in servos, vel tributarios, vel confœderatos, quoniam ut ex Deuteron. 20. constat, præceptum Dei erat ut omnes occiderent; nec Moyses permisisset contra illud eos in vita servari: sed sensus est, quòd habitatores illos subjugarunt; ac in suam potestatem redegerunt, ipsos nimirum occidendo, & expellendo, ipsorumque bona omnia occupando.

[ ℣. 33. *Verteruntque se, & ascenderunt per viam Basan,* ] Postquam illi qui fuerant missi exploraverunt urbem Jazer, Israelitæ converterunt se ut ascenderent ad Regnum Basan, ubi Og dominabatur.

[ *Et occurrit eis Og Rex Basan* ] Cùm sciret Israelitas esse propè suum regnum, & metueret idem sibi eventurum quòd Sehoni, paravit se ad bellum priusquàm Israelitæ magnam sui Regni partem ingrederentur.

[ *Cum omni populo suo,* ] Cum toto suo Exercitu: Nam *populi* nomen accipitur pro Exercitu & militibus; unde quod supra in Hebr. dicitur Sehon *collegisse omnem populum suum*, in Textu nostro dicitur, *Exercitu congregato.*

[ *Pugnaturus in Edrai.* ] Quæ erat una ex præcipuis Civitatibus Regni Og; unde ipse aliquando dicitur regnasse in Edrai, ut Jos. 13.

[ ℣. 34. *Dixitque Dominus ad Moysen: Ne timeas eum,* ] Regis Og, quia erat celebris Gigas, adventus & cum Exercitu numerosissimo occursus terrere poterat Hebræos, quamvis de altero Rege victores: Ideò Deus animum addit Moysi, non tam propter ipsum qui bona fiducia plenus erat, quàm propter populum diffidere & murmurare solitum; Et idcircò quæ ad Moysen loquitur, Moyses deinde retulit populo: Sicut fecit Judas Machabæus 2. Machab. 15. recitans somnium fide dignum, & ita suos lætificans & roborans.

[ *Quia in manu tua tradidi illum, & omnem populum ac terram ejus:* ] Nondum ista tradiderat Deus cum effectu: Sed dicitur *tradidisse*, ob certitudinem eventus, quia infallibiliter & proximè erat traditurus. Ita Prophetæ multa solent enuntiare futura per verba temporis præteriti.

[ *Faciesque illi sicut fecisti Sehon Regi Amorrhæorum* ] Quod *per modum præcepti* quidam accipiunt; *sed* quoniam ejusmodi præceptum sufficienter continetur in proximè præcedentibus, *alii* intelligunt esse *Prædictionem futuri*. q. d. Tibi denuntio, quòd ita occides eum, & accipies terram illius, sicut fecisti Regi Sehon.

[ *Habitatori Hesebon.* ] Capta quippe illa urbe de manu Moabitarum Sehon ut plurimùm ibi habitabat, vocabaturque interdum peculiariter Rex Hesebon.

[ ℣. 35. *Percusserunt igitur & hunc cum filiis suis,* ] *Percutere* in bello, communiter accipitur pro *occidere*. Ideo sensus est; quòd & hunc Regem occiderunt Israelitæ, ejusque filios. *Utrùm proprii* ejus filii intelligantur, an *generaliter* illi qui erant de ipsius Regno, sicut Genes. 23. Ephron dicitur tradidisse Abrahæ agrum & speluncam *videntibus filiis populi sui*, incertum est: Quia tamen distinguuntur *Filii*, & *universus populus*, magis videtur quòd intelligi debeant filii ex Og geniti, qui in eodem bello fuerunt interfecti. *Neque his obstat* quòd Deut. 3. habetur: *Solus quippe Og restiterat de stirpe Gigantum*; Et tamen si Og habuisset filios ipsi essent de stirpe Gigantum: *quia* non fit comparatio cum descendentibus ex Og, sed cum præcedentibus.

[ *Universumque populum ejus usque ad internecionem,* ] Percusserunt totum populum omnes occidendo, & nemini parcendo. Nec solùm intelligitur de populo qui cum Rege Og convenerat ad bellum, sed etiam de illo qui manebat in urbibus: quia Rege & Exercitu debellato, Moyses omnia loca Regni istius occupavit, & omnes interfecit, juxta præceptum inferiùs cap. 33. & Deuteron. 20. expressum.

[ *Et possederunt terram illius.* ] Alii ex Hebr. reddunt, *Hæreditarunt*, sive, tamquam hæreditario jure tenuerunt, quia Deus in partem hæreditatis eam illis dabat.

*Pro moribus*, Notari potest, quòd ad Regem Basan Israelitæ nec Legatos miserunt, nec ab eo transitum petierunt, sed continuò confligunt cum eo, eumque ac populum ejus superant: Quoniam *Basan* interpretatur *turpitudo*, nullus autem nobis debet esse accessus ad turpitudinem, nec *per eam transitus*, sed statim omninò est cavenda & extirpanda.

## CAPUT XXII.

*Bis vocatur Balaam à rege Balac, ut Israelitis malediceret; quem Angelus asina loquente corripit.*

[ ℣. 1. P*Rofectique castrametati sunt in Campestribus Moab,* ] *Observant Abulensis, & quidam alii*, quòd quando Israelitæ pugnaverunt contra prædictos Reges, habebant Castra sua in aliquo loco fixa; ex quo, relictis ibi impedimentis, seu sarcinis, cum uxoribus, Liberis & pecoribus, viri bellatores prodibant ad pugnam, quando erat pugnandum, & ad quem redibant finita pugna. Debellatis autem istis Regibus, moverunt Castra, & profecti fuerunt. *Non exprimitur* de qua mansione profecti fuerint, sed *dicendum* est, quòd de Montibus Abarim, quia cap. 33. legitur quòd profecti de Mon-

tibus Abarim transierunt ad Campestria Moab; de quibus nunc dicitur quòd *castrametati sunt in Campestribus Moab*. Scriptura distinguit Terram in *Montosam*, in *Campestria*, & in *planitiem*. Inf. cap. 33. *Venerunt in Montes Abarim; profectique de Montibus Abarim, transierunt ad Campestria Moab &c. in planioribus locis Moabitarum*. Et Jos. 11. *Habitabant in Montanis, & in Planitie, & in Campestribus quoque*. *Montosa loca* dicuntur quæ sunt excelsa, & abundant Montibus: *Planities* continet loca multùm æqualia: *Campestria* sunt media inter Montes & plana: non totaliter scilicet montosa, nec totaliter plana. Vocantur *Campestria Moab*, non quòd modò pertinerent ad Regem Moabitarum, sed quia olim pertinuerant ad eum, postea tamen ad Sehon qui bello abstulit ea Moabitis. Fuit hæc 42. adeòque *ultima* Mansio filiorum Israel in Deserto, in qua quæ contigerunt, sequentibus capitibus continentur.

[*Ubi trans Jordanem Jericho sita est*.] Non est sensus quòd urbs Jericho sita esset in illis Campestribus, sed quòd è regione illorum Campestrium trans Jordanem, seu ab alia parte Jordanis: Ut quis enim ex illis locis iret in Jericho, debebat transire Jordanem. Unde quando Israelitæ transierunt Jordanem, prima Civitas ad quam venerunt Exploratores, fuit Jericho, Jos. 1.

[ ℣. 2. *Videns autem Balac filius Sephor* ] Iste Balac erat Rex Moabitarum ut v. 4. dicitur.

[ *Omnia quæ fecerat Israel Amorrhæo*, ] Quòd Og, & Sehon Reges potentissimos eorumque populos debellaverat & occiderat.

[ ℣. 3. *Et quòd pertimuissent eum Moabitæ*, ] Sibi subditi, qui nimirùm præ timore Israelitarum se submiserant Regi Balac.

[ *Et impetum ejus ferre non possent*, ] Ejus scilicet Israelis, seu populi Israelitici. Sentiebant enim Moabitæ se esse viribus impares, ideoque si invaderentur ab Israelitis, debere succumbere. Nesciebant Moabitæ Deum præcepisse filiis Israel ne pugnarent contra illos, Deut. 2. si enim hoc scivissent, non ita vehementer timuissent.

[ ℣. 4. *Dixit ad majores natu Madian*; ] Madianitæ erant vicini & amici Moabitis; ideò Balac Rex Moabitarum adhibet Madianitas in consilium, ut de communi consilio inveniant rationem qua Israelitæ (quos utrique valdè metuebant) possint exterminari. *Sic* in periculis rerum temporalium homines magna sollicitudine sibi quàm primùm prospicere conantur de remedio contra calamitates, & quidem tantò diligentiùs, quantò res quarum amissionem metuunt, sunt digniores: quemadmodùm Balac fuit *de Regno suo* sollicitus. *At* de salute animæ, deque Regno cœlesti, quibus nihil nobis debet esse charius, paucorum est ista sollicitudo. Ita homines sæpè excæcantur.

[ *Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quomodò solet bos herbas usque ad radices carpere*. ] q. d. Populus Hebræus omnes nos interficiet, & quidem sine difficultate, quomodò bos sine difficultate herbas vorat. *Abulensis & quidam alii* scribunt ideò poni similitudinem *de bove*, quia ovis & capra summitates herbarum decerpunt, ita ut multùm de herbis remaneat, bos autem usque ad radices vorat, ita ut nihil maneat. Ita populus Judæorum se habet. Quando alii Reges Gentium aliquas terras bellando vincunt, non omnes interficiunt, contenti sub sua potestate subjicere incolas; At hic populus omnes omninò quos reperire potest occidit, nec ullum relinquit, sicut patet in Regibus Og & Sehon.

[ *Ipse autem erat eo tempore Rex in Moab*. ] Hoc additur ad significandum quomodo pertinuerit ad Balac ea facere quæ mox sequuntur: Ad Regem enim pertinet esse sollicitum de malis quæ possunt suo populo incidere. *Quidam* per hoc etiam volunt insinuatum quòd Balac non esset Rex Moabitarum naturalis & hæreditarius, sed vel jure belli, vel per spontaneam subjectionem.

[ ℣. 5. *Misit ergo Nuncios ad Balaam filium Beor Ariolum*, ] Communicato cum Madianitarum Primoribus consilio, Balac misit Nuncios ad Balaam, tunc vatem celebrem, atque, ut hîc dicitur, *Ariolum*. Quo nomine significari solent Divinatores, somniorum Interpretes, Magi, Augures, & alii similibus illicitis artibus dediti. *Ideoque* argumentum hinc sumi potest pro sententia quæ dicit Balaam non Dei, sed Dæmonum fuisse Prophetam. *Neque refert* quòd Hebræa non eum vocant *Ariolum*, sed habeant vocem *Pethor*, vel *Pethora*, quæ est nomen loci; unde Deuteron. 23. vers. 2. in Textu Hebræo legitur *De Pethor*, ubi noster dicit, *De Mesopotamia Syriæ*, dici enim potest nostrum Interpretem voluisse diversis in locis diversas ejusdem vocis interpretationes sequi: & interdum accepisse illam *appellativè* pro *Ariolo*; aliàs autem, ut *nomen proprium loci*. *Accedit* quòd nostra versio vulgata est authentica, ideoque nequaquàm postponenda Hebrææ; & quòd 70. Interpretes Balaam Jos. 13. vocant *Ariolum*, ubi alii *Divinatorem* vertunt. *Cæterùm*, qualis in veritate Propheta fuerit Balaam, *variant Scriptores*. Sed *verius est*, eum non solùm fuisse impium, avarum, & munerum amatorem, sed Idololatram quoque, & solitum consulere Dæmones, ac ab eis exquirere quæ scire cupiebat; ideoque Prophetam Diaboli. *Ita enim sentiunt* omnes illi quos 2. 2. quæst. 172. art. 6. citavimus. Et *Confirmari potest*, non solùm ex perversa voluntate quam habuit maledicendi populo Dei, & ex eo quod 2. Petri 2. dicitur amasse Mercedem iniquitatis: atque ex scandalo fornicationis & Idololatriæ (de quo inferiùs cap. 25. quod dedit Israelitis; sed etiam ex auguriis quæ quæsivit, & ex holocaustis quæ seq. cap. 23. obtulit, non Deo, sed Diabolo.

[ *Qui habitabat super flumen terræ filiorum Amon*, ] *Super*, id est, *juxta*; & *sensus est*, quòd Balaam habitabat juxta flumen terræ Ammonitarum; nimirùm in Mesopotamia, ubi superior pars istius fluminis priùs Mesopotamiam irrigat, deinde terram filiorum Ammon.

[*Ut vocarent eum, & dicerent: Ecce egressus est populus ex Ægypto, qui operuit superficiem terræ*, ] Sive, ut est in Hebr. *oculum terræ*, hoc est, tanta multitudine, ut totam terræ superficiem, seu quidquid de terra potest cerni oculo operiat. Est sermo hyperbolicus, ad significandum maximam populi Israelitici multitudinem.

[*Sedens contra me*. ] Sua Castra, seu acies disponens ad pugnandum contra me. Ita enim existimabat Rex Moab ignarus Dominum dixisse Moysi Deut. 2. *Non pugnes contra Moabitas*.

[ ℣. 6. *Veni igitur, & maledic populo huic*, ] *Scribunt aliqui* dictum fuisse Regi Balac quòd populus Hebræus plus vincebat verbis & precibus, quàm armis, sicut patuit Exod. 17. de victoria contra Amalec; & propterea ipsum vocasse Balaam, ut maledicendo Israel, verba verbis opponeret. *Per hunc autem Balac* qui arcto positus recurrit ad Balaam pro auxilio, significantur illi qui in infirmitatibus, aut aliis necessitatibus recursum habent ad Divinos & Magos. Et sicut Balaam *multos ob hoc sumptus fecit*, & *nullum inde fructum reportavit*: Ita illi expensas quidem faciunt, sed absque fructu. Huc pertinere potest, quòd cùm Ochozias ægrotavit 4. Reg. 1. & misit consulere Deum Accaron, Elias mortem propterea ei prænuntiavit, quæ & mox secuta est. Dixit porrò Balac per suos Nuncios ad Balaam; *veni, & maledic*, quia existimabat quòd quamvis Balaam malediceret existens in terra sua, illa maledictio nihil proficeret contra Israelitas ob defectum præsentiæ. Volunt enim Dæmones sibi quasdam cæremonias observari, etiamsi sint inutiles & superfluæ: *tum* ut persuadeant illis inesse virtutem, *tum* ut ipsi magis honorentur. *Alia est ratio* Exorcismorum & aliarum sacrarum cæremoniarum; quia fideles sciunt illas non per se requiri, quasi Deus non valeret absque illis effectus facere; sed adhibentur ex Præcepto Ecclesiæ ad honorem rerum sacrarum, & ad devotionem excitandam, ut diximus 3. p. q. 71.

[ *Si quomodo possim percutere, & ejicere eum de terra mea*. ] Si quem superare non possum bellando, cùm sit nobis fortior, aliquo saltem alio modo possim

sim eum destruere, & de terra mea, in cujus finibus jam sunt, ejicere.

[ *Novi enim* ] Per experientiam, & per rumorem, diversorumque eventuum relationem didici quòd ] [ *quod Benedictus sit cui benedixeris, & maledictus in quem maledicta congesseris.* ] Hoc est, quòd tuæ benedictiones & maledictiones sint efficaces, quòdque bona eveniant sicut prædicis & apprecaris, & mala similiter. Rex Moab, & alii plures observaverant aliquando accidisse prospera & adversa quæ Balaam prædixerat, & hoc attribuebant virtuti verborum ejus, sed errabant: Talia enim conjecturaliter cognoscebat *partim* ex Astris, *partim* à Dæmone instructus.

[ ℣. 7. *Perrexeruntque Seniores Moab, & majores natu Madian,* ] Utriusque Regni Proceres proficiscuntur, eò quòd causa esset communis, & tam unus quàm alius populus ab Israelitis timeret.

[ *Habentes divinationis pretium in manibus.* ] In Hebr. & 70. pro *Divinationis pretium*, habetur, *Divinationes*, eodem sensu. Sicut enim *peccatum* aliquando sumitur, vel pro *pœna peccati*, vel pro *hostia peccati expiatrice*; ita *divinatio* sumitur pro *pretio* quo impetratur vel solvitur divinatio.

[ ℣. 8. *Manete hic nocte, & respondebo quidquid mihi dixerit Dominus.* ] *Dubium esse potest* quem Dominum consulere vellet Balaam. Cùm autem esset Idololatra, non credimus quòd Dominum Deum, sed Dæmonem sibi familiarem à quo solebat responsa accipere. Magi enim & Arioli Dæmonem sibi apparentem solent vocare Principem & Dominum, exhibendo ei reverentiam. *Neque his obstat* quòd pro *Dominus* in Hebræo extat proprium veri Dei nomen *Jehova*, quod Diis Gentium est incommunicabile. *Quidam enim* arbitrantur Balaam non protulisse istud nomen, sed expressisse Nomen quo Moabitæ solebant Deum appellare; Moysen autem Hebraicè scribentem posuisse nomen Hebræum, quod apud Hebræos est proprium Dei nomen. Aut, si Balaam istud nomen protulit, ejus notitiam & pronuntiationem didicerat vel ab Hebræis, apud quos erat celebre, vel aliunde. Quamvis enim Balaam non cuperet consulere Deum Hebræorum, qui solus est Deus, simulabat tamen se velle, verum Deum consulere: Motis quippe Magorum præsertim cupidorum qualis erat Balaam, est, sic apud homines agere, ut & Deum consulere, & ab eo responsa accipere videantur, quò ipsa pluris fiant, ipsique magis honorentur, & majus lucrum consequantur.

[ *Manentibus illis apud Balaam, venit Deus,* ] Non ille quem volebat Balaam consulere, sed Angelus bonus in persona Dei. Volens enim Deus impedire Dæmonem, ne contra Israelitas aliquid diceret, vel ageret cum Balaam, non permisit eum cum ipso loqui, sed Angelum suum misit, qui sive in corpore assumpto visibiliter, sive tantùm per vocem humanam, sive in phantasia, loqueretur in visione cum Balaam. Utrùm autem Angelus in vigilia, an in somno venerit, incertum est; satis certum quòd nocte.

[ ℣. 9. *Quid sibi volunt homines isti apud te?* ] Non quasi ignoraret interrogat, sed ut arrepta propriæ confessionis occasione, & pravæ intentionis declaratione, ipsum averteret à maledictione populi Hebræi propter quam accersebatur.

[ ℣. 10. *Respondit: Balac filius Sephor Rex Moabitarum &c.* ] Ex tam exacta narratione legationis cum expressione tituli Regis, probabiliter colligi potest, Balaam habuisse voluntatem faciendi id quod rogabatur: Ideò namque videtur expressisse illum qui mittebat esse Regem, ut ostenderet esse dignum cujus petitioni acquiesceret.

[ ℣. 11. *Si quo modo possim pugnans abigere eum.* ] Intendebat Balac armis & bello populum Israeliticum è suis finis finibus ejicere, sed quò felicius facilliusque id posset, implorat operam Arioli, ut populo isti vellet maledicere.

[ ℣. 12. *Dixitque Deus ad Balaam: Noli ire cum eis, neque maledicas populo:* ] Idem Angelus in persona Dei loquens, non solùm vetat Balaam ire ad Regem Balac cum Nunciis ab eo missis, sed etiam ne ex luco in quo erat malediceret populo, additque hanc rationem.

[ *Quia benedictus est.* ] Quia ego illi benedixi, & deinceps benedicam, seu benefaciam dando illi prospera, ut hostes suos vincat, & Terram Chanaan obtineat.

[ ℣. 13. *Qui manè consurgens dixit ad Principes,* ] Qui ad eum missi fuerant ex Moabitis & Madianitis.

[ *Ite in terram vestram, quia prohibuit me Dominus venire vobiscum.* ] Non addit quòd Dominus etiam prohibuit maledicere populo, fortè ideò, quia valdè cupiebat maledicere si posset, eamque voluntatem retinebat.

[ ℣. 15. *Rursùm ille multò plures, & nobiliores quam ante miserat, misit.* ] Verisimile est quòd Balac existimavit confictam esse excusationem Balaam qua dixit se à Deo prohibitum esse ire cum Nunciis: Aut quòd illa prohibitio non esset à Deo vero qui favebat Hebræis, sed ab aliquo alio qui per Ariolum flecti posset, & exorari, ideoque bos Nuncios misit.

[ ℣. 16. *Sic dicit Balac filius Sephor:* ] Non cognominant Regem, quia res ipsa, cum ab eo missi essent, loquebatur quòd esset Rex.

[ ℣. 17. *Paratus sum honorare te,* ] Magna omninò reverentia te excipere & prosequi: Nec hoc tantùm, sed etiam.

[ *Quidquid volueris, dabo tibi:* ] Duo promittit Balac, honorem & divitias, quæ hominum hujus mundi corda maximè movent. Veni & maledic populo isti. In Hebr. & 70. *Maledic mihi populum istum. Mihi*, id est, *propter me*, seu *in gratiam mei:*

[ ℣. 18. *Respondit Balaam: Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus, vel minus loquar.* ] ut quidquam vel minimum loquar contra Dei voluntatem. Non est existimandum Balaam sic arreptitio furore actum, ut in ejus libera potestate non esset loqui vel tacere, aut alia loqui quàm quæ Deus inspirabat; teste enim Apostolo 1. ad Cor. 14. *Spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt:* Sed quòd nec vellet, nec auderet alia loqui, ne alioqui graviter puniretur. Etsi enim Balaam esset impius & Avarus, hactenus tamen reverebatur Deum, quòd non audebat ejus verbis & mandato resistere, ob vindictam quam ab eo timebat.

( ℣. 19. *Obsecro ut hic maneatis etiam hac nocte, & scire queam quid mihi rursùm respondeat Dominus.* ] Istud *etiam hac nocte*, referri potest ad Nuncios anteà missos, ut quemadmodùm illi nocte manserant, ita hi manere velint. Vel, *sensus est*, quia manserant per totum diem præcedentem, etiam velint per noctem manere. Balaam sufficienter informatus erat, Dei voluntatem esse quòd neque iret ad Regem Balac, neque populo Israelitico malediceret; quid enim his verbis clarius, *Noli ire cum eis, neque maledicas populo.* Et ne qua superesset causa dubii, Deus rationem apertam illi attulerat dicens, *quia benedictus est.* Itaque constans esse debebat Balaam, & bos Nuncios non lactare ulla spe, neque iteratum à Deo responsum expectare. Sed cupiditas munerum speciosè promissorum, quibus illibenter carebat, eum excæcavit.

[ ℣. 20. *Venit ergo Deus* ] Seu Angelus bonus in persona Dei, [ *ad Balaam nocte, & ait ei: Si vocare te venerunt homines isti, surge, & vade cum eis.* ] Non hoc dicit Deus, quasi nesciret ad quid venissent isti homines, sed ut declararet non esse suam directam intentionem quòd iret cum illis; verùm, quòd hoc permitteret ob ejus & aliorum pertinaciam. *Sunt* qui verba illa, *surge, & vade cum eis*, interpretantur ut dicta *ironicè*; quomodò 3. Reg. ult. Michæas dixit Regi Achab, *ascende & vade prosperè, & tradet eam Dominus in manus Regis;* sed expressa conditio quæ statim hic additur.

[ *Ita dumtaxat ut, quod tibi præcepero, facias.* ] Ma-

Magis indicat hîc contineri permissionem, & quidem non rei simpliciter malæ, sed bonæ, sub conditione tamen licita & honesta. *Ex his* intelligi potest quòd Deus aliquando per importunas preces concedit iratus, ea quæ propitius non concederet. Quomodo etiam Num. 11. concessit Hebræis carnes, & *cùm adhuc essent Esca in ore ipsorum ira Dei ascendit super eos.* Psalm. 77.

[ ℣. 21. *Surrexit Balaam mane, & strata asina sua profectus est cum eis.* ] Spe lucri inescatus Ariolus permissionem licèt quasi extortam statim amplectitur, & se dat itineri.

[ ℣. 22. *Et iratus est Deus.* ] Ad modum irascentis se habuit, ostenditque se velle punire Balaam, quia ibat cum animo maledicendi Hebræis, ut patet ex his verbis Angeli; *Ego veni ut adversarer tibi, quia perversa est via tua mihique contraria:* Quia scilicet ibat spe lucri; & ea mente ut malediceret illi populo, cui Deus nolebat maledici. De quo proinde 2. Petri 2. dicitur, quòd *mercedem iniquitatis amavit.*

[ *Stetitque Angelus Domini in via contra Balaam,* ] Stetit, nunc in medio viæ latioris, de qua nonnihil posset Asina declinare, cui soli visibilem se exhibebat Angelus, & non ipsi Balaam. Quemadmodùm enim Sancti apparent in corporibus gloriosis, quibus volunt, & aliis se abscondunt, ita Angeli.

[ ℣. 23. *Cernens Asina Angelum stantem in via, evaginato gladio, avertit se de itinere,* ] Timens videlicet mortem quam Angelus minabatur, si transiret. Sic Deus Arioli dementiam confudit, quòd prohibitionem factam per Angelum Asina transgredi non auderet, quam ipse cupiditate victus transgredi conaretur.

[ *Et ibat per agrum.* ] Extra semitam quam ante cœperat.

[ *Quam cùm verberaret Balaam, & vellet ad semitam reducere,* ] Nihil adhuc sciens de Angelo se opponente.

[ ℣. 24. *Stetit Angelus in angustiis duarum maceriarum, quibus vinea cingebantur.* ] Maceriæ illæ erant sepimenta quædam, sive ex lateribus, sive ex aliis materiis, ad tutandas vineas opportuna: Et inter duas tales macerias erat locus angustus ubi Angelus stetit.

[ ℣. 25. *Quem videns Asina, junxit se parieti,* ] Viderat priùs Asina Angelum in via, & ob hoc declinaverat per Agros: Nunc autem quia vidit Angelum inter macerias, ubi erat locus angustus, volens ei dare locum, junxit se uni parieti, seu maceriæ.

[ *Et attrivit sedentis pedem. At ille iterum verberabat eam:* ]

[ ℣. 26. *Et nihilominùs Angelus ad locum angustum transiens,* ] Ad locum angustiorem quàm anteà.

[ *Ubi nec ad dexteram nec ad sinistram poterat deviare, obvius stetit.* ] Contra Asinam, non permittens illam transire.

[ ℣. 27. *Cumque vidisset Asina stantem Angelum, concidit sub pedibus sedentis.* ] Ingenti metu perterrita, nec valens ultra procedere.

[ *Qui iratus, vehementiùs cædebat fuste latera ejus.* ] *Sic* viscera impiorum sunt crudelia, ut jumentorum suorum non misereantur; & è contrario ita interdum addicti sunt jumento sui corporis, ut eo ad malum uti non desinant.

[ ℣. 28. *Aperuitque Dominus os Asinæ, & locuta est:* ] Deus aperuit os Asinæ per Angelum, eumque verisimiliter Michaelem qui præsidebat populo Hebræorum. Sic autem aperuit, ut voces, & sermonem formaret, ita ut ex ore Asinæ viderentur procedere, quemadmodùm contigit quando serpens locutus fuit cum Eva Genes. 3. Locutio ergo hæc asinæ neque fuit propriè dicta locutio, neque actio ejus vitalis: Nam *loqui* est conceptum suum voce exprimere; Asina autem non poterat concipere nec intelligere quid voces illæ per os ejus prolatæ significarent, *Deinde* actio vitalis debet elici ab anima, & in eadem recipi, illa autem locutio non fuit ab anima Asinæ elicita, sed ab Angelo producta in ipsius ore.

[ *Quid feci tibi? Cur percutis me? ecce jam tertiò?* ] Ad istas Asinæ voces humanis similes non exhorruit Balaam: Quoniam vehementi ira concitatus non consideravit sibi negotium esse cum Bruto, unde & pergit illud alloqui, perinde ac si esset ratione præditum.

[ ℣. 28. *Respondit Balaam: Quia commeruisti, & illusisti mihi: Utinam haberem gladium, ut te percuterem.* ] Hoc est, occiderem. Ita excæcatus Balaam non advertit suum proprium damnum futurum, si Asinam occideret, neque territus fuit loquente Asina.

[ ℣. 30. *Dic quid simile umquàm fecerim tibi.* ] q. d. Cùm hactenùs sueris solitus me uti & vehi, neque umquàm senseris me tibi rebellem, facilè potuisti præsumere & intelligere quòd non volui tibi illudere, aut contumacem exhibere, sed quòd aliquid valdè insolitum acciderit, ob quod coacta sum sic hodie agere.

[ ℣. 31. *Protinùs aperuit Dominus oculos Balaam,* ] Non quòd anteà essent clausi, sed impediti erant ne viderent Angelum in humana specie apparentem, sibique obsistentem; cum autem nunc vidit.

[ ℣. 32. *Quia perversa est via tua,* ] Ob perversam intentionem qua proficisceris ad Balac, ut Hebræis maledicas. Notandum porrò quòd Principes qui venerunt vocare Balaam, nec Angelum viderunt, nec ejus colloquium cum Balaam audierunt, quia ipsi tamquàm ductores paululum antecedebant, & ipse eos sequebatur.

[ ℣. 33. *Et nisi Asina declinasset de via, dans locum resistenti, te occidissem, & illa viveret.* In Hebr. *Ipsam vivificassem.* Unde *quidam Hebræi colligunt* istam Asinam fuisse mortuam statim postquàm fuit locuta; idque non in honorem Balaam, sed humani generis, ne superstes esset Asina quæ hominem ratione convicerat. *Verùm*, hæc Scriptura nihil ejusmodi significat: Non enim aliud per eam significatur, quàm quòd Angelus fuisset occisurus Balaam, & non Asinam, nisi ea declinasset. Nam *vivificare* non plus importat quàm vivam relinquere.

[ ℣. 34. *Dixit Balaam: Peccavi, nesciens quod tu stares contra me:* ] Scire hoc poterat ac debebat Balaam ex v. 20. sed nolebat intelligere.

[ *Et nunc si displicet tibi ut vadam, revertar.* ] Non poterat ignorare Balaam quin suum iter ea voluntate susceptum qua proficiscebatur, displiceret Deo, Deique Angelo; jam enim audierat; *Perversa est via tua, mihique contraria:* Sed simulat se habere voluntatem satisfaciendi Angelo; cùm interim nihil magis cuperet quàm cœptum iter prosequi, & Hebræis maledicere.

[ ℣. 35. *Ait Angelus: Vade cum istis.* ] Nuda permissio est, non imperium. Non nominat hic Angelus Principes, uti nec priùs. *Quid sibi volunt homines isti*; Et, *Si vocare te venerint homines isti:* Quod quemdam contemptum importat, *significatque* nihili apud Deum fieri Principes à veri Dei notitia alienos.

[ *Et cave ne aliud quàm præcepero tibi loquaris.* ] Hoc ad vehemens lucri desiderium reprimendum additur.

[ *Ivit igitur cum Principibus.* ] Perrexit ire cum Legatis qui missi fuerant ad eum accersendum.

[ ℣. 36. *Quod cùm audisset Balac,* ] Venire scilicet Balaam, [ *egressus est in occursum ejus,* ] tum honoris causa, tum ad eum demulcendum, ut promptior esset maledicere Hebræis.

[ ℣. 37. *Dixitque ad Balaam: Misi nuncios ut vocarent te; cur non statim venisti ad me?* ] Ita loquitur Balac admirans quòd Balaam non statim venisset ad primam ejus vocationem.

[ ℣. 38. *Cui ille respondit: Ecce adsum:* ] q. d. Etiamsi tardè venio, ecce tamen adsum. [ *Numquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo?* ] Præoccupat Balaam ut à se avertat indignationem Regis Balac, ostenditque tardum suum adventum parùm aut nihil posse proficere,

vel

vel obesse, quia non loquetur id quod vellet, sed quod Deus jubebit.

[ ℣. 40. *Cumque occidisset Balac boves & oves, misit ad Balaam, & Principes qui cum eo erant, munera.* ] Juxta morem Gentilibus familiarem ad adventum Balaam, Balac instituit magnum Epulum, sicut in Festis & Triumphis fieri solet; indeque misit partes & muneta non solùm ad Balaam, sed etiam ad Principes qui comitati eum fuerant, & ex voluntate Regis cum eo versabantur honoris causa. Non ergo hic Principes intelliguntur primarii quidam quos Balaam secum adduxerit; cùm duos tantùm Pueros secum adduxerit, sed alii qui ipsum quæsierant, & ei adhærebant.

[ ℣. 41. *Mane autem facto duxit eum ad excelsa Baal,* ] *Excelsa Baal* sunt loca eminentiora in quibus colebatur Baal. Ideo Balac voluit ducere Balaam in locum illum excelsum; *tum* ut inde contemplaretur Castra Israel quibus volebat maledici; *tum* ut Idolo Baal immolaret, sicque faceret Idolum sibi propitium contra Hebræos.

[ *Et intuitus est extremam partem populi.* ] Balaam inde vidit totum populum, ad una scilicet extremitate usque ad aliam; hunc enim sensum postulare videtur, quòd cap. seq. legitur Balac dixisse ad Balaam: *Veni mecum in alterum locum unde partem Israel videas, & totum videre non possis. Inde maledicito ei.*

*Ex his intelligere licet* ad quanta scelera trahat cupiditas quæ radix omnium malorum dicitur: ad Tim. 6. Et quòd gratiæ gratis datæ quæ apud homines pariunt famam, non multùm sunt appetendæ, præsertim sine Charitate: Quodque per simplices & Idiotas Deus interdum reprehendit Sapientes hujus sæculi, sicut per Asinam loquentem reprehensus fuit Balaam. *Subjugale* enim *mutum animal hominis voce loquens prohibuit Prophetæ insipientiam.* 2. Petri 2.

## CAPUT XXIII.

*Balaam loco maledictionis, benedicit semel ac iterùm populo Israel, multa de illo vaticinatus.*

[ ℣. 1. *Dixitque Balaam ad Balac: ædifica mihi hic septem aras,* ] Cui aras istas extrui curaverit Balaam, utrùm Deo Hebræorum, seu Deo vero, an Dæmoni quem Idololatræ colebant tamquàm Deum, *quæri potest*: Sed *Resp.* quòd Dæmoni. Neque enim Balac Idololatra permisisset construi Aras, aut sacrificia offerri Deo quem non colebat, imò nec cognoscebat. *Deinde*, sacrificium quod hic erat immolandum, erat ipsius Regis sacrificium; ita enim illud vocat Balaam: Non est autem verisimile quòd Rex offerret sacrificium, alteri quàm ei quem ipse pro Deo habebat. *Accedit*, quòd istæ Aræ fuerunt erectæ in Excelsis Baal. Septem autem jussit erigi, verisimiliter in honorem septem planetarum à quibus vitam humanam regi Gentiles existimabant, illi præsertim qui Astrologiæ addicti erant, sicut erat Balaam.

[ *Et para totidem vitulos, ejusdemque numeri Arietes.* ] Frequenter incerti alicujus numeri taxatione aliquid vanum aut superstitiosum reperitur; ea tamen sola non sufficit ad convincendum de superstitione. Nam & Abraham septem agnos dedit Abimelech Genes. 21. & Deus Job ult. jubet sumi septem tauros & septem Arietes in holocaustum: Balaam tamen hunc numerum superstitiosè observasse, *vix dubium est*, quærebat enim augurium, ut patet ex cap. seq. ubi dicitur quòd cùm vidisset Balaam placere Deo, ut benediceret Israeli, nequaquàm abiit, ut ante perrexerat, ut Augurium quæreret: Ante ergo quæsierat augurium, tunc scilicet quando aras statuit, & victimas occidit.

[ ℣. 2. *Cumque fecisset juxta sermonem Balaam, imposuerunt simul vitulum & Arietem super Aram.* ] Hoc est, super quamlibet Aram unum vitulum & unum Arietem, ut ibi cremarentur.

[ ℣. 3. *Dixitque Balaam ad Balac: Sta paulisper juxta Holocaustum tuum, donec vadam, si forte occurrat mihi Dominus,* ] Holocaustum illud vocat *Holocaustum Balac*, quia non solùm fiebat expensis Balac, sed etiam pro ipso, ad obtinendam scilicet maledictionem populi Hebræorum, quam ardentissimè desiderabat: Etsi autem Balaam hic significet se velle consulere Deum, non tamen Deum verum volebat consulere, sed eum quem tam ipse quàm Balac colebat, & pro Deo habebat, hoc est, dæmonem sibi familiarem; eum videlicet cui holocaustum offerebat. *Nec refert* quòd pro *Dominus* in Hebr. habetur veri Dei nomen *Jehova*; *verisimile enim est* Balaam non espressisse istud nomen, sed usum fuisse eo nomine quo Moabitæ solebant appellare Deum. Moysen verò Hebræis & Hebraicè scribentem posuisse nomen Dei Hebræum. Dicit Balaam, *Donec vadam*, quia suum dæmonem consulturus, & quid responsi daturus esset rogare cupiens, secessum quærebat; idque variis ex causis: *una est*, quòd dæmones magis apparere solent in tenebris & solitudine, cùm sint spiritus tenebrarum, & quæ faciunt per occulta & privata pacta facere potiùs quàm per signa publicæ justitiæ. *Altera*, quòd eorum apparitio fieri solet per abstractionem à sensibus, & cum aliqua horribili passione corporis: Cavebat autem Balaam ne si aliis præsentibus talis apparitio ipsi fieret, tam ipse, quàm illa contemneretur. *Accedit*, quòd dæmones plerumque turpes formas assumunt in quibus appareant, Deo impediente ne assumant alias: Non fuisset autem ex honore Balaam, si in aliorum præsentia dæmon apparuisset illi in aliqua turpi specie.

[ ℣. 4. *Cùm abiisset velociter, occurrit illi Deus.* ] Hoc est, Angelus bonus ex persona Dei. Quamvis Balaam nec Deum, nec Dei Angelum requireret, Deus tamen Angelum suum misit qui in forma visibili appareret Ariolo, eumque impediret ne in Hebræos maledicta jaceret, sicut volebat: Quomodo cùm Pythonissa dæmonem pro Saule consuleret 1. Reg. 28. bonus Spiritus apparuit.

[ *Locutusque ad eum Balaam: Septem, inquit, Aras erexi, & imposui vitulum & Arietem desuper.* ] Super quamque Aram unum vitulum, & arietem unum. Honoris causa Balaam prior alloquitur eum qui sibi apparebat, & ad gratiam ejus captandam, dicit quòd Aras extruxit, eisque victimas imposuit. Non tamen exprimit *cui*, fortè quia dubitabat essetne Angelus bonus qui apparebat, an dæmon; tacitè tamen innuit quòd ei qui sibi occurrebat, sed mentiebatur: Sciebat enim quòd in honorem Baal, seu dæmonia sui, ea paraverat, & non in honorem Dei, neque ejus Angeli.

[ ℣. 5. *Dominus autem posuit verbum in ore ejus,* ] Ei dixit quid respondere deberet: Dicitur enim in Scriptura generaliter *ponere verbum in ore alicujus*, qui eum instruit seu docet quod dicere debeat. Unde 2. Reg. 14. Joab dicitur posuisse in ore Mulieris Thecuitis verba quibus commodissimè posset impetrare reditum Absalonis.

[ *Et ait: Revertere ad Balac,* ] Qui manebat apud sua Altaria, expectans quando Balaam, qui inde secesserat rediret.

[ ℣. 6. *Reversus invenit stantem Balac juxta holocaustum suum,* ] Vocatur *Holocaustum Balac*, quia pro ipso offerebatur.

[ *Et omnes Principes Moabitarum:* ] Non est necesse omnes omninò Principes Moabitarum intelligi, sed omnes qui Regem comitati fuerant venientem ad Excelsa.

[ ℣. 7. *Assumptaque Parabola sua, dixit:* ] *Parabolam* vocat *sermonem qui sequitur*, quia continet sententiam quamdam sublimem & obscuram, seu verborum ac rerum pondere gravem.

[ *De Aram adduxit me Balac* ] 70. habent, *ex Mesopotamia*. Inf. Deut. 23. dicitur, *de Mesopotamia Syriæ*, quæ in Hebræo vocatur *Aram Naharaim*, id est, *Aram*, sive *Syria* quæ est inter duos fluvios, Euphratem scilicet & Tigrim. Ne Balaam putaretur spontè venisse ad maledicendum Hebræis, quibus tamen non maledicit, excusationem præmittit, ostendens se à Rege Balac vocatum & adductum.

[ De

[ *De montibus Orientis:* ] Non accipiuntur *montes Orientis* pro illis qui sunt in extremitate terræ habitabilis versùs Orientem, sed relativè ad Terram Moab, secundùm quod quilibet locus propinquior Orienti quàm alius, dici solet Orientalis respectu ejus. Quomodo Magi dicuntur Matth. 2. *venisse ab Oriente*, quia venerunt ex aliqua terra quæ magis erat Orientalis quàm Judæa. Dicitur autem *de Montibus Orientis*, quia terra illa Orientalis de qua venerat Balaam, erat montosa.

[ *Veni, inquit, & maledic Jacob: Propera, & detestare Israel.* ] Per *Jacob* & *Israel* intelligitur universus populus Israeliticus. Quidam distinguunt *Detestari* & *Maledicere*, quasi plus sit unum quàm alterum; quem enim detestamur, longiùs à nobis rejicimus. Nihil tamen vetat illa ut Synonyma accipi, & dicere eamdem sententiam repeti, tum ad exaggerationem, tum ad ornatum.

[ ℣. 8. *Quomodò maledicam, cui non maledixit Deus?* ] Potest esse *Litote* pro eo, *cui benedixit Deus*, juxta id quod cap. præced. dictum legimus, *ut non malediceret populo huic, quia benedictus est*. Nomen Dei hoc loco Hebraicè est *El*: Quia verè *El* significat Deum, quatenus est fortis. *Cajetanus aptè notat* hic illud poni, ac si Balaam apertiùs dixisset; Quomodò maledicam ei cui non maledicit is in cujus fortitudine consistit *benedicere*, & *maledicere*?

[ *Qua ratione detester, quem Dominus non detestatur?* ] Eadem est hæc sententia cum superiore. Sed *observat Cajetanus* hic in Heb. haberi nomen *Jehova*; quod cùm denotet summum Deum fontem essendi, aptè nominatur circa effectum iræ; nam quod Interpres appellat *Detestari*, Hebraicè *ad iram spectat*, quasi diceretur: *Cur irascar contra quem non irascitur Jehova?* Cur populus erga quem fons essendi nullum monstrat signum punitionis, me iratum habeat, cùm à fonte essendi omnes pendere sit perspicuum?

[ ℣. 9. *De summis silicibus videbo eum,* ] Non maledicam isti populo, sed magis delectabor videndo eum de summitate silicum, & de locis eminentioribus. Erat autem ista delectatio, quia jucundum erat videre Castra Israel pulchro ordine disposita, & per Tribus ac vexilla distributa: De quibus proinde cap. seq. exclamat: *Quàm pulchra Tabernacula tua Jacob, & Tentoria tua Israel! Et de collibus considerabo illum*. Eadem est sententia cum præcedente, significans quòd Balaam istum populum bono ordine dispositum cum voluptate contemplaretur de locis eminentibus.

[ *Populus solus habitabit,* ] *Solus*, id est, ab omnibus aliis populis segregatus, & *in primis* quoad Religionem & cultum Dei: Reliquis enim Nationibus Idola colentibus, solus populus Israeliticus mansurus erat in unius Dei cultu cum suis legibus & cæremoniis planè diversis ab aliarum Nationum ritibus. Segregandus *præterea* erat ab aliis quoad vitam, mores, & Connubia, imò & quoad habitationem & conversationem.

[ *Et inter Gentes non reputabitur.* ] Non numerabitur inter Gentiles, nec inter eos censebitur; neque sub generali nomine populorum aut Gentium comprehendetur; sed proprio nomine vocabitur, atque distinguetur: Et erit populus eximius, velut Dei peculium, de quo ad cap. 19. Exod. *Neque his adversatur*, quòd Israelitæ interdùm Idola coluerint, quia nihilominùs ad verum Deum Deique cultum redibant; aliæ autem Gentes in sua Idololatria persistebant, nec ad Deum convertebantur.

[ ℣. 10. *Quis dinumerare possit pulverem Jacob*, Hoc est, multitudinem hominum qui de Jacob per Generationem nascentur. Conforme hoc est promissioni quam Deus fecit Abrahæ Genes. 13. *Faciamque semen tuum sicut pulverem terræ. Si quis potest hominum numerare pulverem terræ, semen quoque tuum numerare poterit.*

[ *Et nosse numerum stirpis Israel?* ] Tanta erit multitudo Israelitarum, quòd non poterit numerari. In Hebr. sonat, *& numerum quarti*, seu, *quartæ partis Israel*. Q. d. Tantum abest ut totus populus Israel possit numerari, ut ne quarta quidem eorum pars sit numerabilis. *Si contra dicas*, quòd Judæi erant pauciores aliis populis, juxta illud Deuter. 7. *Non quia cunctas Gentes numero vincebatis vobis junctus est Dominus, & elegit vos, cùm omnibus sitis populis pauciores*: Imò, pauciores etiam erant quàm Chananæi, ut constat ex eo quòd non poterant replere terram Chananæorum. Ideò enim Deus non dedit illam simul Judæis, nec in uno mense, vel anno, donec augerentur, ne terra in solitudinem redigeretur, & crescerent contra eos bestiæ, dum terra esset inhabitata, Exod. 23. & Deuteron. 7. *Resp.* cum his benè consistere præsentem prædictionem; Nam Israelitæ jam tunc erant in maxima multitudine, ac deinceps futuri erant sicut pulvis terræ, quemadmodùm etiam Abrahæ promissum legimus Genes. 22. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas Cœli, & velut arenam quæ est in Littore Maris*, & posteà impletum 3. Reg. 3. ubi populus Israel dicitur infinitus, *qui numerari, & supputari non potest præ multitudine*.

[ *Moriatur anima mea morte justorum,* ] *Anima* pro *homine* ponitur, nimirùm pars pro toto per *Synecdochen*. Et *sensus est*. Utinam ego moriar, sicut isti justi morientur? Prævidebat enim eos in Lege Domini, ac in bono statu morituros. Sic accipitur *Anima* Judic. 16. quando Samson dicebat; *Moriatur anima mea cum Philisthiim*: Et 1. Machab. 2. ubi dicuntur *mortui usque ad mille animas hominum*. Per *Justos* intelligit *Hebræos*, tum quòd non pauci eorum justi essent, tum quòd Cœtus ille justitiam veramque Religionem profitebatur, & exercebat.

[ *Et fiant novissima mea horum similia.* ] Talis sit mors mea, qualis erit mors istorum. Est repetitio sententiæ præcedentis. *Sic* homines carnales sibi optant mortem spiritualium, quorum tamen vitam imitari nolunt. Volunt quippe gaudere cum Sanctis, & tribulationem mundi nolunt sustinere cum ipsis, ut loquitur Aug. serm. 47. de Sanctis. 70. partem hanc aliter vertunt; ita scilicet: *Et fiat semen meum ut semen istorum*: Respicientes ad posteritatem de qua præcedit. Pro quo sciendum, quòd vox Hebræa non solùm significat *novissimum & finem*, sed etiam quidquid alterum sequitur posteriùs, cujusmodi est semen, seu posteritas, & hanc significationem secuti fuerunt 70.

[ ℣. 11. *Dixitque Balac ad Balaam: Quid est hoc quod agis?* ] Non ignorans quærit, sed admirans, multumque indignans, & ut Ariolo det occasionem respondendi. Ob similem rationem Deus initio mundi à primo homine petiit, *Adam ubi es?* Genes. 3. & cap. 4. à Cain: *Ubi est Abel frater tuus?*

[ ℣. 12. *Cui ille respondit: Nam aliud possum loqui, nisi quod jusserit Dominus?* ] Non erat nuda jussio, cui non est licitum contravenire, sed insuper erat illuminatio Intellectus, & efficax motio voluntatis & linguæ ad enuntiandum ea quæ sunt benedictionis; cum qua consistere non poterat quòd Ariolus ea loqueretur quæ alioquin loqui voluisset. Unde non sequitur quòd necessitatus fuerit ad loquendum contra præsentem suam voluntatem, sed tantùm quòd efficaciter motus fuerit, ut hic & nunc vellet loqui, ac de facto loqueretur, alia quàm priùs loqui voluerat, & quàm vellet, si non ita moveretur efficaciter à Deo in oppositum.

[ ℣. 13. *Dixit ergo Balac; veni mecum in alterum locum unde partem Israel videas, & totum videre non possis; inde maledicito ei.* ] Superstitiosè agit Balac quasi Balaam ideò benedixisset Hebræis, quia totum populum viderat, aut quia locus ille esset præ aliis fortunatus: Sperabat autem quòd ex locorum diversitate, aspectuque diverso posset obtinere maledictionem sive propter varios Deos quos Idololatræ locorum præsides æstimabant; sive propter Cœli & Astrorum diversam influentiam, *sive* propter aliam causam. Simili errore videntur Syri laborasse, qui cùm essent ab Israelitis devicti, dicebant 3. Reg. 20. *Dii montium sunt Dii eorum, ideò superaverunt nos: Sed melius est ut pugne-*

pugne-

*pugnemus contra eos in Campestribus , & obtinebimus eos.*

[ ℣. 14. *Cùmque duxisset eum in locum sublimem,* ] Hebr. *In agrum* , seu locum *speculatorum* , hoc est, idoneum ad speculandum, sive eminùs intuendum.

[ *Super verticem montis Phasga* , ] Hic porrò locus, quamvis esset multùm altus, propter quod *sublimem* eum vocat noster Interpres , ita tamen erat situatus , ut ex eo totus populus Israel non posset simul videri , ideoque erat ad propositum Regis Balac.

[ *Ædificavit Balaam septem Aras* , ] Similes illis de quibus v. 1.

[ *Et impositis supra vitulo atque Ariete* , ] Super quamlibet earum duas victimas imposuit, vitulum unum, & Arietem unum, sicut anteà v. 2.

] ℣. 15. *Dixit ad Balac : Sta hic juxta holocaustum tuum* , ] Vocat *holocaustum ipsius Balac* , etsi dicatur Balaam ædificasse Aras, quia Regis authoritate, præcepto, & sumptu ædificatæ sunt , & victimæ pro ipso oblatæ . Cùm dicitur , *Sta hic* , non necesse est urgere situm loci, sed idem valere potest, quod *mane hic* , non recedas hinc.

[ *Donec ego obvius pergam* , ] Deo videlicet , quem volebat denuò consulere ; hoc est , dæmoni , quem tam Balaam , quàm Balac colebat . Conabatur Balaam auguriis tentare , an Deus tandem non ei permitteret maledicere Israelem, sicut ipse vehementer optabat.

[ ℣. 16. *Cui cùm Dominus occurrisset* , ] In Heb. est, *Jehova* . Etsi Balaam non inquireret Deum , sed dæmonem sibi familiarem ; Deus tamen populi sui curam gerens, nec volens eum maledici , dæmonem prævenit, ac impedivit , mittens Angelum suum, in quo seu per quem in persona Dei loquentem , ipse apparuit, & locutus est.

[ *Posuissetque verbum in ore ejus,* ] Ei suggessisset illa quæ volebat ipsum loqui.

[ *Ait : Revertere ad Balac* , *& hæc loqueris ei.* ] Dices ei quæ infra sequuntur, & quæ jam tibi revelavi.

[ ℣. 17. *Reversus invenit eum stantem juxta holocaustum suum* , ] Ibi expectantem quid responsi adferret Balaam.

[ *Et Principes Moabitarum cum eo.* ] Qui Regem fuerant comitati dum ascenderet in montem.

[ ℣. 18. *At ille assumpta Parabola sua* , *ait :* ] Balaam cœpit proponere Parabolam suam, sermonem scilicet rerum pondere gravem, & sublimem, quem Deus ei revelaverat.

[ *Sta Balaac.* ] Esto præsens animo, [ *& ausculta* , ] Aures habe attentas ; quod etiam significatur per id quod sequitur . [ *Audi fili Sephor :* ] Ista quoque ejusdem personæ repetitio , signum est requisitæ attentionis.

[ ℣. 19. *Non est Deus quasi homo , ut mentiatur , nec ut filius hominis , ut mutetur .* ] Q. d. Non est ò Balac , quod me interroges quid locutus sit Deus , aut cur ambigas de responso , cùm me referente audieris ipsum non velle quòd populo Hebræo maledicam . Fixa, rata , & immutabilis est ejus sententia : Non enim Deus est sicut homo qui mentiatur , nec ut filius hominis , ut à suo proposito mutetur . Posterior sententia est repetitio prioris . Idem enim est , *homo*, & *filius hominis*, & ista duo verba, *Mentiri* , & *Mutari* pro eodem ponuntur , quamvis non omninò idem significent . Apud 70. sic præsens sententia legitur : *Non quasi homo Deus suspenditur , neque quasi filius hominis minas patitur* , quomodo etiam est apud Cyprian. Lib. 2. adversùs Judæos cap. 20. Quorum sensus Editioni nostræ conformis reddi potest , *Deum non suspendi* , id est , non cohiberi , nec retardari , quo minus sua consilia ad exitum perducat ; *nec minis ab ullo deterreri* , ne quod vult , perficiat. *Hic opponi potest* , quod Jerem. 18. dicit Deus: *Si pœnitentiam egerit Gens illa à malo suo quod locutus sum adversùs eam, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei* . Sed *Resp.* ea quæ Deus prænunciat dupliciter posse considerari . *Vel* secundùm quod sunt in ejus præscientia & voluntate absoluta : *Vel* secundùm quod sunt in causis secundis ; sive , prout eorum natura vel merita postulant . *Si priori modo spectentur* , prænunciatio firma est & immutabilis , semperque & invariabiliter eveniunt quæ sic sunt prænuntiata : *Si posteriori* , non semper , nec invariabiliter eveniunt . *Neque propterea sequitur* ullam esse mutationem in Deo , quia ejusmodi prænunciationes sunt conditionatæ , & non absolutæ . Conferantur ea quæ diximus 2. p. quæst. 19. artic. 7. Quod autem in præsenti capite dicitur , juxta priorem modum est accipiendum ; & quod ex Jeremia adfertur , juxta posteriorem : Sermo enim est de pœna quam Deus erat comminatus non inferenda ; comminatio autem pœnæ inferendæ intelligebatur cum conditione , si pœnitentiam non agerent.

[ *Dixit ergo, & non faciet? locutus est, & non implebit?* ] Interrogativè hæc sunt legenda , eorumque *sensus est* , quòd Deus omninò faciet quod dixit : Efficiet, ne ego maledicam Israelitis.

[ ℣. 20. *Ad benedicendum adductus sum.* ] Non ait, *veni ad benedicendum* : quia non ea mente venit, sed cum intentione maledicendi . At Deus Ariolum permisit ire ad Balac: imò ad eum duxit, eo fine, ut Israelitis benediceret.

[ *Benedictionem prohibere non valeo.* ] Non quasi libertas ipsi eriperetur ; sed quia ita potenter ejus intellectum illustravit , ac voluntatem efficaciter movit , ut piè , & libenter , atque ex animo benedictionis verba proferret ; neque simul consisterent . *eum sic moveri ad benedicendum* , & *non benedicere* ; sicque non poterat non benedicere *in sensu composito* . *Si quæras* , utrùm populo Israelitico profuerit hujus mali ac malevoli Prophetæ benedictio : *Resp.* Profuisse . Deus enim per illum populo isti benedixit, quemadmodùm legitur Jos. ult. ubi etiam effectus benedictionis habetur ; *Et liberavi vos de manu ejus* . Ex quo Estius ait ostendi benedictiones malorum Sacerdotum, sive in Sacramentis Ecclesiæ, sive quascumque alias vice Dei prolatas super fideles, haudquaquàm esse inanes, Deo scilicet , etiam per malos benedictionis effectum exhibente . Conferri possunt quæ diximus 2. 2. q. 83. art. 16. 3. p. q. 82. art. 6. Supplem. quæst. 71. art. 3.

[ ℣. 21. *Non est Idolum in Jacob, nec videtur Simulachrum in Israel* . ] Quidam distingunt inter *Idolum* & *Simulachrum* ; sed verisimile est quòd usurpentur pro eodem ; quòdque significetur id quod Deuter. 32. dicitur ; *Dominus solus Dux ejus fuit , & non erat cum eo Deus alienus* , eo videlicet tempore Israelitas nulla coluisse Idola , sed solum verum Deum , qui etiam solus , exclusis Idolis , eos ducebat . *Si contra dicas* , B. Stephanum Act. 7. objicere Judæis ex Amos 5. quòd totis 40. annis servierint Idolo Rempham : *Quidam respondent* Balaam loqui de cultu publico, & de eo quod proponebatur omnibus ex Moysi & Principum præscripto. *Si prætereà dicas* Jos. 24. Hebræos moneri ut auferant Deos alienos , unde sequi videtur quòd eos haberent ; pro tota hac difficultate enodanda , *Dicendum videtur* , quòd quamvis Israelitæ illo 40. annorum spatio quibus fuerunt in Deserto , aliquando coluerint Idola , sicut ex verbis B. Stephani apparet , eo tamen tempore quo Balaam hæc locutus est , anno videlicet 40. egressionis de Ægypto , non ampliùs illa colebat , *saltem publicè* , ut nec aliquamdiu posteà illa coluit . Dicitur enim Jos. 23. *Adhæreatis Domino Deo vestro , quod fecistis usque in diem hanc* . Et cap. 24. *Servivitque Israel Domino cunctis diebus Josue & Seniorum qui longo vixerunt tempore post Josue* . Id quod repetitur Judic. 2. Dixi , *saltem publicè* , quibusdam enim *non improbabilis videtur* , quòd etsi tempore Balaam non publicè colerentur Idola ab Israelitis , aliqui eorum illa colerent privatim & in occulto . *Sed verisimilius est* , quòd sicut verba sonant , nullum reverà esset Idolum in populo Israel , nec cum eo esset Deus alienus , *etiam occultè* . Cùm enim Achan in Anathemate Jericho furatus fuit regulam auream , & pallium coccineum , cum ducentis siclis , resque tota esset occulta, iratus Deus percussit populum , & ad extremum ipse Achan

periit

periit cum omnibus quæ ad eum pertinebant Jos. 7. & tamen non erat ibi Idololatria: Quantò magis irasceretur Deus si quis Idola coleret, quamvis occultè. *Non videtur ergo* quòd tunc temporis Deus tolerasset Idololatriam, si qua fuisset *etiam occulta*. Ita post S. Augustin. quæst. 29. super Josue ratiocinatur Abulensis quæst. 10. sup. cap. 24. Josue; ubi etiam ad verba ex illo cap. objecta *Respondet* sensum illorum esse, ut auferant Deos alienos de cordibus suis: Quamquàm enim realiter non haberent aliquos Deos, fortè eos habebant in mente cum proposito colendi; hos autem auferre debebant de cordibus suis. *Potest etiam dici cum Estio*, quòd monentur *auferre*, id est, *non recipere Deos alienos*, sed constanter permanere in cultu veri Dei.

[ *Dominus Deus ejus cum eo est*, ] Per verum scilicet sui cultum, & auxilium. Q. d. Ille populus nullum Deum agnoscit, neque colit, præter eum qui solus est verus Deus, & qui propterea præsto est eum adjuvare, & de hostibus victoriam dare.

[ *Et clangor victoriæ Regis in illo*, ] In eo populo sunt buccinæ quibus clangitur quando eundum est ad Bellum, & illæ buccinæ sunt signum victoriæ Regis, seu quam Dominus Deus Rex est daturus. Ut enim ex cap. 10. patet, Deus ordinaverat, ut quando exirent ad bellum contra hostes, illis buccinis clangerent, & Deus recordaretur eorum dans victoriam.

[ ℣. 22. *Deus eduxit illum de Ægypto*, ] Q. d. Ne mireris ea quæ de populi hujus victoriis significo; Deus enim qui Dus & Rex est ejus, is est qui eduxit illum de Ægypto in portentis, & mirabilibus potentiæ suæ operibus.

[ *Cujus fortitudo similis est Rhinocerotis*. ] Pronomen *Cujus* ambiguum est quem referat, Deum, an populum. *Verisimilius est* quòd *Deum*: Dei enim fortitudo prædicatur qui eduxit Israelitas de Ægypto in manu forti. Nec magis absurdum est Deum comparari Rhinoceroti, quàm Leoni. Pro *Rhinocerotis* 70. habent, *Monocerotis*, sive, *Unicornis*, tam hic, quàm cap. seq. Et Deuter. 33. & Job 39. Sancti quoque Gregor. Lib. 31. Moral. cap. 13. Isidorus Lib. 12. Originum. cap. 2. Petrus Damianus Lib. 5. Epist. 16. & Lib. 2. Epist. 18. *Rhinocerota*, & *Monocerota* habent pro eodem animali. Sed Plinius Lib. 8. cap. 20. & 21. Calepinus & alii non pauci, diversa faciunt; ita ut *Rhinoceros* sit animal coloris buxei habens in nare unum cornu, genitus hostis Elephanto. Cornu ad saxa limato, præparat se pugnæ, in ea maximè alvum, quòd mollior sit, petens Elephantum prosternit. Ea Pausania duo illi attribuunt cornua, unum insigni magnitudine de naribus exiens, alterum quod supernè erumpit, exiguum quidem, sed validissimum. Quo pertinet quòd Scriptura plura cornua Rhinoceroti tribuit Deuter. 33. dicens, *Cornua Rhinocerotis cornua illius*. At *Monoceros* describitur asperrima fera, reliquo corpore similia equo, capite cervo, pedibus Elephanto, cauda apro, mugitu gravi, uno cornu nigro media fronte duorum cubitorum eminente, & hanc feram negant vivam capi. Quoniam porrò tam *Monoceros*, quàm Rhinoceros est animal fortissimum, propterea utrumque est Symbolum fortitudinis, ac etiam Dei qui fortissimus est. Qui de naturis animalium laboriosa investigatione sudaverunt, scribunt Monocerotem tantæ esse fortitudinis, ut nulla venantium virtute capiatur. Sed Virgo ei puella proponitur, quæ venienti sinum aperit, quo ille, omni feritate postposita, caput deponit, absque libidinis tamen fœditate, sicque soporatus velut inermis capitur. *Per quæ significari potest Deus omnipotens* qui *Beatissimæ Virginis* MARIÆ speciem concupivit, ac in ejus utero quievit, ac tandem ab inimicis suis captus fuit. *Sunt* qui hæc negent, ac fabulis annumerent. *Sed* pro vera historia referunt Sancti Gregorius, Isidorus, Petrus Damianus, & Rupertus Lib. 2. in Numeros cap. 20. Quòd autem pro *Rhinocerote*, quidam reddant *Monocerotem*, vel *unicornem*, inde factum videtur, quia vox Hebræa utrumque animal significat, unde & D. Hieron. eam *modò* reddit *Rhinocerota*, ut hic & cap. seq. & Job 39. *modò Monocerota*, vel *Unicornem*, Ps. 21. 77. 111. & Isa. 34. Qui autem *Rhinocerota* vocant *Unicornem*, non habent rationem secundi cornu, eo quòd comparatione alterius sit perexiguum, & non eodem situ cum illo.

[ ℣. 23. *Non est Augurium in Jacob, nec Divinatio in Israel.* ] *Augurium* est quando ex garritu, vel alio motu avium, inquiritur cognitio futurorum. *Divinatio*, quando modo indebito prænunciantur futura, vel enunciantur occulta. Et sub istis duabus speciebus intelligitur omnis incantatio, omneque maleficium. Laudat ergo Balaam Populum Israeliticum, quòd sicut non colit Idola, sed solum Deum; ita non est deditus auguriis, divinationibus, aliisve superstitionibus.

[ *Temporibus suis dicetur Jacob & Israeli quid operatus sit Deus*. ] Futuris sæculis dicetur populo Israelitico quæ & quanta Deus pro illo fecit, ac etiam, ubi res & negotii magnitudo postulabit, ei revelabitur per Summos Sacerdotes, vel per Prophetas quid Deus adhuc pro eo sit facturus. Illud enim, *quid operatus sit*, non solùm ad præterita pertinet, sed etiam ad futura, quæ more Prophetico, propter certitudinem eventus, exprimuntur per præterita; quod intelligentes 70. reddiderunt per futurum, *quid perficiet Deus*.

[ ℣. 24. *Ecce populus ut leæna consurget*, ] Pergit commendare populi Israelitici fortitudinem, quòd ipse instar leænæ sit fortiter & audacter in hostes suos insurrecturus. De leæna loquitur, quoniam ipsa dum catulos sibi sublatos esse reperit, ferocior & fortior est Leone. Addit tamen & de Leone, quod ad eamdem sententiam pertinet.

[ *Et quasi Leo erigitur:* ] Fortiter nimirùm & impavidè contra suos Adversarios.

[ *Non accubabit donec devoret prædam*, Non cessabit à præliis, donec hostes debellet, terramque sibi promissam occupet.

[ *Et occisorum sanguinem bibat*. ] Et ita delectetur hostes interficere, eorumque sanguinem fundere, sicut Leo solet delectabiliter sugere sanguinem animalium quæ cepit. Cùm enim Lex esum sanguinis severè prohiberet Levit. 7. 17. & alibi, non sunt hæc verba, sicut sonant, accipienda; sed figuratè. Et quoniam Israelitis Deus jusserat Deuter. 20. ut Chananæos omnes interficerent; ideò delectari poterant in effusione sanguinis illorum, non ex crudelitate, sed propter ad impletionem divinæ justitiæ, juxta illud Psal. 57. *Lætabitur justus cùm viderit vindictam*.

[ ℣. 25. *Dixitque Balac ad Balaam: Nec maledicas eis, nec benedicas.* ] Adeò molestè tulit Balac faustas prædictiones à Balaam prolatas de populo Israel, ut quasi desperans obtinere maledictionem ardentissimè concupitam, & metuens ne iterùm illi populo benedicat, velit Ariolum penitùs abstinere, nullumque ampliùs verbum de eo facere. *Sic* mali nolunt audire laudes proborum, nec sermones de virtutibus. Saul 1. Reg. 18. non poterat ferre laudes Davidis à Puellis decantatas; nec Magnates Holofernis præclara Gesta Hebræorum Judith. 5.

[ ℣. 27. *Et ait Balac ad eum: Veni, & ducam te ad alium locum: Si fortè placeat Deo ut inde maledicas eis*. ] Citò mutat Rex sententiam, & rursùm vult tentare, an ex alio loco, ipsi forsitan magis fortunato, non permitteretur Ariolus maledicere Hebræis: Ariolus autem munerum avidissimus, & ad maledicendum promptissimus superstitioni Regis consentit, Regemque comitatur.

[ ℣. 28. *Cumque duxisset eum super verticem Montis Phogor*, ] Abulensis existimat hunc montem non fuisse alium ab eo in quo priùs steterant, sed aliam ejusdem montis partem; additque quòd non vocatur *Montis Phogor*, quasi esset nomen ejus proprium, sed quòd erat nomen Idoli habentis Templum in monte illo, juxta quod Deuter. 3. dicitur, *Mansimusque in valle contra Phanum Phogor*.

[ *Qui respicit solitudinem*, ] Qui inclinatur versùs desertum in quo erant Israelitæ; sicque Balaam poterat ex isto loco videre partem aliquam Castrorum Israelitarum secundùm quod superstitio Balac requirebat.

[ ℣. 29.

[ ℣. 29. *Dixit ei Balaam : Ædifica mihi hic septem Aras , &c.* ] Jam bis eodem numero Aræ fuerant erectæ , illisque impositæ victimæ , & frustra : Ac nihilominùs impius Ariolus , tametsi frequenter increpatus , & maledicere prohibitus , perseverat in pessima voluntate maledicendi ; imò Regi consentiens, quærit occasionem exequendi suam pravam voluntatem.

*Hæ benedictiones* in populum Hebræum prolatæ , spiritualiter applicari possunt populo Christiano qui de suis hostibus , præsertim invisibilibus : victoriam divina gratia adjutus reportat. *Sed quæri potest*, Quare Deus noluerit permittere quòd Ariolus populo Israelitico malediceret , cùm ejus maledictiones nihil ipsi nocere possent , nisi Deus permitteret : Et ex hoc magis notificaretur divina potentia , quando etiam diabolo maledicente cum suo Propheta , appareret quòd nihil possent contra populum Dei . *Resp.* Duas ob causas , Deum noluisse quòd Ariolus malediceret Hebræis . *Una est* , quia si eis maledixisset, Balac & Moabitæ de tali maledictione confisi pugnassent contra Israelitas , conatique fuissent eos de terra sua expellere , juxta illud cap. 22. *Veni & maledic populo huic , quia fortior me est , si quomodo possim percutere , & ejicere eum de terra mea :* Hoc autem erat contra Dei dispositionem , qui nolebat populum suum de terra illa ejici , nec valebat quòd Hebræi contra Moabitas pugnarent . Dicebat enim Deuteron. 2. *Non pugnes contra Moabitas , nec ineas adversùs eos prælium . Altera est* , quia magis manifestabatur Divina potentia per hoc quòd dæmones , & eorum Propheta , non possent proferre verbum sine permissione divina , quàm si pronunciarent maledictionem quæ non haberet effectum . Sed & in hoc quoque magis manifestabatur quòd tam diabolus quàm ejus Propheta compellebatur enunciare ea quæ aliàs nullo modo vellet dicere ; quemadmodùm Balaam fuit compulsus : Qui cùm esset Ariolus famosissimus, hinc patuit dæmonum artificia nihil valere , contra Dei voluntatem.

## C A P U T XXIV.

*Balaam tertiò benedicit , & prospera vaticinatur de Israel , & de Christo : Item de Amalecitis , Cinæis , & Romanis .*

[ ℣. 1. *Cumque vidisset Balaam quòd placeret Domino ut benediceret Israeli* , ] *Vidisset* , id est , *cognovisset* . Etiam anteà Balaam hoc cognovit , ut ex cap. 22. & 23. constat , ubi Deus per lumen Propheticum illustrabat intellectum Arioli , sed speculativum dumtaxat , non autem practicum ; neque voluntatem permovebat , nisi in actu benedictionis : Et ideò quamvis cognosceret quid Deus vellet , non tamen inclinabatur ad illud faciendum . At nunc Deus movit intellectum Practicum Arioli , ad judicandum quòd populus Hebræus nequaquàm esset maledicendus : Et voluntatem efficaciter movit ut inclinaretur ad hoc quòd deinceps vellet ei benedicere . Atque hæc fuit revelatio per quam Balaam nunc cognovit Deum absolutè velle , ut benediceret Hebræis : Facta autem illi est statim post erectas Aras , & victimas eis impositas quando non aliud ei restabat quàm quærere augurium , an posset maledicere.

[ *Nequaquam abiit, ut ante perrexerat, ut augurium quæreret :* ] Non abiit ut augurium quæreret , sicut fecerat aliis duabus vicibus . Non sumitur hic *Augurium propriè & strictè* , sed *generaliter* pro qualibet superstitiosa divinatione : Non enim anteà quæsierat aves , vel ex avium motu aliquid cognoscere , sed iverat ad Dæmonem sibi familiarem consulendum , etsi Dæmonem Deus per Angelum bonum impediverit :

[ *Sed dirigens contra Desertum vultum suum* , ] Sermo est de Deserto in quo filii Israel quiescebant, id est , de Campestribus Moab , ad quæ propterea se convertit Balaam , quia Deus ita illi inspiravit , ut inde caperet occasionem populo benedicendi.

[ ℣. 2. *Et elevans oculos , vidit Israel in Tentoriis commorantem per Tribus suas :* ] Quælibet enim tribus habebat sua Castra & Tentoria seorsim ab aliis , & in medio illarum erat Tabernaculum fœderis , ut ex cap. 2. patet.

[ *Et irruente in se spiritu Dei* , ] Seu spiritu Prophetico , lumine scilicet supernaturali divinitùs ei dato ad intelligendum , & annunciandum abscondita.

[ ℣. 3. *Assumpta parabola ait :* ] Inchoans suam parabolam , seu sermonem Propheticum , & parabolicum , utpotè obscurum , & sententiosum , ait :

[ *Dixit Balaam filius Beor :* ] Quamvis Balaam esset Ariolus , & Dæmonis Propheta , certum nihilominùs est , quòd divino spiritu non pauca prædixerit , specialiter in præsenti cap. Deo volente ejus ministerio uti in populi sui gratiam . Quoniam verò multa quæ sequuntur Prophetico Spiritu prænovit , ac prædixit , *quidam arbitrati sunt* Patrem ipsius fuisse Prophetam , propter Regulam Hebræorum de qua B. Hieron. in principio Commentarii super Sephon. qua tradunt cujuscumque Prophetæ Pater aut Avus ponatur in Titulo , ipsos quoque Prophetas fuisse . *Verùm* , eam Regulam non affirmat Hieronymus esse veram , sed magis dubitat utrùm ita sit ; subjungit enim : *Hoc si verum est , Sophonias Propheta nomine Prophetico , & gloriosa majorum suorum stirpe generatus est* . Sed etsi admitteretur , de Prophetis Judæorum intelligenda esset , non ad Prophetas Gentilium expendenda . Causæ porrò apponendi nomen Patris ad nomen filii , variæ esse potuerunt ; ut quòd hoc esset loco cognitionis , vel ut distinguerentur ab aliis ejusdem nominis , vel ob generis claritatem demonstrandam , vel ob gratam majorum suorum memoriam, vel ad mysterium aliquod declarandum,

[ *Dixit homo , cujus obturatus est oculus :* ] Quidam ex Hebræo vertunt contrario modo : *Cui aperti sunt oculi* , eisque favet versio 70. Interpretum quæ habet : *Homo verè videns :* Et Eugubinus à Sixto Senensi Lib. 5. Bibliothecæ relatus Annot. 125. suspicatur B. Hieronymum *non ita vertisse* sicut habet nostra versio , sed *deesse* in nostris Codicibus *Negationem* , ut dicendum sit ; *Cujus non est obturatus oculus* , Verùm , nostra versio cùm juxta Trid. Concil. sess. 4. sit Authentica , eamque habent S. Gregorius Lib. 15. Moral. cap. 23. Rupertus , Liranus , Author Glossæ , & alii ; omnino retinenda est ; beneque ostendit Oleaster vocem Hebræam significare , *obturare* , & *claudere* , non autem *aperire* , Quapropter, si dicamus quod cùm Balaam exciperet revelatione Dei , clausis erat oculis corporis ; *sed* aperiebantur illi oculi mentis , inveniemus quomodò & *obturati* , & *aperti* erant ei oculi. Ut proindè hujus Scripturæ *sensus sit* ; dixit homo cujus obturatus est oculus , id est , cui oculus obturatur dum ei fiunt revelatione , vel , qui antequàm ei fiat revelatio , oculum cordis habet obturatum , non videns aliquid divinum.

[ ℣. 4. *Dixit auditor sermonum Dei* , ] Qui sermones Dei audire solet , ab eo , seu ab ejus Angelo revelationem accipiens.

[ *Qui visionem omnipotentis intuitus est* , ] Qui revelationes ab Omnipotente sibi factas intellexit.

[ *Qui cadit* , ] Sive in somnum , sive in mentis alienationem , vel Ecstasim , [ *Et sic aperiuntur oculi ejus* . ] Oculi scilicet mentis per lumen Propheticum ad videndum ea quæ ipsi revelabantur . Quæ tamen non sic intelligenda veniunt , quasi ad omnem revelationem ita caderet Balaam , quando enim apparuit ei Angelus in via , & locutus est cap. 22. non cecidit , ut neque tunc quando irruente in eum spiritu divino locutus est v. 2. sed quod aliquando ita fiebat.

[ ℣. 5. *Quàm pulchra Tabernacula tua Jacob , & Tentoria tua Israel ?* ] Commendat Balaam Castra Israelitarum ex *quinque :* Et *primùm* , ex *pulchritudine* , dicens : *Quàm pulchra* &c. ubi sicut *Jacob* & *Israel* eumdem populum significant , ita *Tabernacula* & *Tentoria* ponuntur pro iisdem , sitque diversis verbis

ejus-

ejusdem rei repertio ad ornatum sermonis. Illa autem pulchritudo consistebat in convenientissimo ordine quo Castra erant, non confusa, sed disposita per Tribus & familias cum Tabernaculo fœderis quod erat in medio.

[ ℣. 6. *Ut valles nemorosæ*, ] Alii ex Hebr. vertunt: *Sicut Torrentes extensa sunt*. *Secundo*, commendat *ab extensione* & *varietate*; Erant enim longè latèque extensa, sicut torrens qui longè, latèque diffunditur; & instar nemoris, quod variis arboribus est distinctum, diversitate hominum abundabant.

[ *Ut Horti juxta fluvios irrigui*, ] *Tertiò*, commendat ab *amœnitate hortorum qui sunt juxta fluvios*, & qui propterea possent ex eis irrigari, dantque fructum suum in tempore suo, juxta illud Psalm. 1. *Et erit tamquam lignum quod plantatum est juxta rivos aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*. *Quarto*, commendat à *firmitate* & *permanentia*, cùm ait.

[ *Ut Tabernacula quæ fixit Dominus*, ] Illa enim Tabernacula quæ Deus figit, stabilia sunt ac firma. Ita erat populus Israel quem nemo poterat concutere manentem in lege Dei, quia Deus solidè illum conservabat. *Quidam observant*, vocem Hebræam significare non solùm *Tabernacula*, sed etiam *Casiam*, de qua Psalm. 44. hic tamen *convenientius*, dictum Tabernacula, quia Casia non figitur; sermo autem hic est de iis quæ figuntur. *Quintò*, eadem Castra commendantur ab *eminentia*, cùm dicitur:

[ *Quasi Cedri propè Aquas*. ] Sicut enim Cedri, cùm sint Arbores pulchræ & altæ, maximè crescunt, si sint propè aquas, quibus pro alimento valdè indigent: Ita populus Hebræus eminebat, & excellebat præ aliis, existens propè aquas, id est, propè Deum qui infundebat eis abundanter alimenta, & omnia quibus indigebant, per annos 40. sic habitans cum eis per solitudinem, ut nihil eis deesset Deuteron. 2. Unde & gloriabantur Deuter. 4. quòd non esset alia Natio tam grandis quæ haberet deos appropinquantes sibi, sicut Deus ipsis aderat.

[ ℣. 7. *Fluet aqua de situla ejus*, ] Ad Litteram, per *situlam*, intelligitur *Prosapia*, & per *aquam*, *populi*; juxta illud Apoc. 17. *Aquæ quas vidisti populi sunt*: Sensusque est, quòd *sicut* ex situla plena prodeunt aquæ abundanter; *ita* ex Prosapia & posteritate Jacob multi populi orientur, quod etiam per sequentia significatur.

[ *Et semen illius erit in aquas* ] Seu, In Gentes [ *multas*. ] Id est, valdè multiplicabitur. *Mysticè*. significatur *Messias*, seu Christus descensurus ex posteritate Patriarcharum, & habiturus plurimos ab eo spiritualiter descendentes, quos & per redemptionem sibi gignet, & per doctrinam Evangelii.

[ *Tolletur propter Agag, Rex ejus, & auferetur regnum illius*. ] *Propter Agag*, intellige, *reservatum*; Sauli namque Regi Israel præcepit Deus ut interficeret omnes Amalecitas, & nemini parceret, ipse autem pepercit Agag Regi eorum. Quamobrem iratus Deus ipsum Saulem Regem abstulit, permittendo eum à Philisthiim occidi. Regnum quoque abstulit ab ejus stirpe, & transtulit ad Davidem, ejusque stirpem, ut patet ex 1. Reg. 15. & seqq. *Atque hoc est* quod Balaam divino spiritu motus hic prophetat. *Alii* ex Hebr. aliter hæc reddunt: *Ascende*, vel, *Exaltabitur præ Agag Rex ejus, & elevabitur Regnum ejus*. q. d. Quòd Rex Israel prævalebit Regi Agag, ipsum debellando, quòdque ex eo tempore Regnum Israel amplificabitur. Quod quidem ita accidit; nam Saul debellavit Agag, & posteà Regnum Israeliticum fuit amplificatum, maximè sub Davide & Salomone: Prior tamen explicatio retinenda est, sicuti & versio nostra præferenda quoque est Lectioni quam exhibent 70. Interpretes; *Et exaltabitur Gog*, vel, *supra Gog regnum ejus*: Vera enim Lectio est, *Agag*, non *Gog*, ut ex Hebræo, Chaldæo, & vulgata lectione habetur.

[ ℣. 8. *Devorabunt Gentes hostes illius*, ] Suppositum verbi *devorabunt* est vox *Israelita*, quæ includitur in Jacob & in Israel, sive in populo Israelitico de quo præcedit. In Hebræo legitur in singulari *Devorabit*, seu, *Comedet*, sed in Scriptura frequens est, quòd dum loquitur de aliquo populo modò loquatur in *singulari*, *modò* in *plurali*, quia ejusmodi vox ita est singularis numeri, ut complectatur plures. Hæc porrò nomina, *Gentes hostes illius*, non sic ponuntur, quasi unum sit primi casus, alterum quarti, sed utrumque est quarti: Et unum ponitur per appositionem ad alterum, ut *sensus sit*, quòd Israelitæ devorabunt Gentes, quæ sunt hostes Israelis; hoc est, Gentes sibi inimicas & hostiles. Devorabunt autem, *non propriè*, cùm non essent eos comesturi, sed *figuratè*; quia erant totaliter illos consumpturi & deleturi: quomodò Ignis Isa. 5. dicitur *devorare stipulam*, quia eam consumit. Hunc sensum *confirmat*, quòd Liranus ait sic haberi in Hebræo: *Devorabit* (scilicet Israel) *Gentes hostes suos*, quodque Oleaster scribit Hebræa significare, *Comedet Gentes angustatores suos*.

[ *Ossaque eorum confringent*, ] Totam fortitudinem inimicorum Gentium conterent, seu robur earum, quod nomine *ossium* designatur, in quibus totius corporis est fortitudo: Neque enim intelligenda est fractio ossium *propriè*; sed est *Metaphora*, secundùm quam intelligi quoque potest quod sequitur.

[ *Et perforabunt sagittis*. Ut per hoc significetur maxima in hostibus debilitatio. Totius autem hujus sententiæ *sensus est*, Israelitas perfectam de suis hostibus reportaturos victoriam, eosque consumpturos, & penitùs disperdituros usque ad ossa, ablato scilicet ab eis omni robore, ac velut medulla ex ipsis ossibus hausta, ut indicant 70. qui dicunt, *Et crassitudines eorum emedullabit*.

[ ℣. 9. *Accubans dormivit ut Leo, & quasi Leæna*, ] *Præterita* ponuntur pro *futuris*, more satis familiari Prophetis propter certitudinem eventus. Continetur enim hic Prophetia, & prædicitur quòd populus Israeliticus post hostes suos in circuitu superatos, esset in summa pace quieturus, & gentibus vicinis futurus terribilis, instar Leonis & Leænæ, quem nullus auderet bello lacessere, hoc enim est quod additur.

[ *Quam suscitare nullus audebit*. ] Et hæc impleta fuere 2. Reg. 8. & 10. ac posteà tempore Salomonis.

[ *Qui benedixerit tibi, erit & ipse benedictus*: ] Similis omninò est hæc sententia illi quæ Genes. 27. reperitur in benedictione Jacob. Contra quam *si opponas* Balaam non fuisse benedictum, tametsi benedixerit populo Hebræo: *Resp.* Sententiam hanc esse intelligendam, nisi ponat obicem: cum autem posuit Balaam.

[ ℣. 10. *Iratusque Balac contra Balaam*, ] Quidam ex Heb. reddunt, *Et iratus est furor*, vel, *Et incaluit nasus Balac*; quia in naso solet vehementis iræ signum apparere.

[ *Complosis manibus*: ] Tum ut Prophetiam interturbaret, ne plura audiret quàm vellet, tum ut indignationem suam ostenderet.

[ *Ad maledicendum inimicis meis vocavi te*, ] Israelitæ non erant hostili seu inimico animo contra Moabitas, cùm non vellent eis nocere, ut patet ex Deuter. 2. sed Balac existimabat ipsos esse suos inimicos.

[ ℣. 11. *Revertere ad locum tuum* ] In Hebr. & 70. magis exprimitur indignatio. *Fuge in locum tuum*.

[ *Sed Dominus privavit te honore disposito*. ] Non permittens quòd maledicetes Hebræis, sicut ego cupiebam. Quem Dominum intelligeret Balac, incertum est. Non apparet quòd *Dominum Deum*, quia eum non cognoscebat; & si cognovisset, ad ejus cultum fuisset conversus. *Ideo* aliqui putant præter plures deos quos Balac colebat, ipsum existimasse aliquem alium ei ignotum esse potentiorem, qui & minorum deorum opera prohibebat; & impediverat ne Balaam malediceret Hebr. *Sed* nihil vetat dicere quòd Balac intelligeret *verum Deum* tametsi eum non cognosceret. Naturali siquidem ratione poterat

rat scire esse verum Deum, quamvis, quis ille esset, nesciret. *Nec inde sequitur*, quòd ad ejus cultum suisset conversus, cùm longè plus sit ad Deum colendum converti, quàm simpliciter eum agnoscere, ut & per se patet, & ex eo quòd Malefici Exod. 8. non fuerunt conversi, quamvis dicerent: *Digitus Dei est hic*, ut nec illi *qui cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*. Ad Rom. 1.

[ ℣. 13. *Non potero præterire sermonem Domini Dei mei*, ] Non potero neque aliud, neque aliter loqui quàm Deus jusserit; nec quidquam sive boni, sive mali proferam ex corde meo. Ille dicitur *proferre ex corde suo*, qui loquitur ea quæ ipse animo concipit, & non ea quæ alius ipsi dicit.

[ ℣. 14. *Verumtamen pergens ad populum meum, dabo Consilium*, ] Sciebat Ariolus, quòd quamdiu Spiritus Dei ipsum moveret ad loquendum, non posset populo Israel maledicere, sed cogitabat quòd in recessu de terra illa hujusmodi spiritus ab eo recederet, & tunc permitteretur agere & loqui secundùm suam voluntatem; sicque daret Regi Balac consilium contra filios Israel, sicut & fecit. Quodnam porrò fuerit illud Consilium, hic non exprimitur; sed ex diversorum locorum collatione intelligi potest, Balaam suasisse Regi Balac, ut pulcherrimæ mulieres Moabitibus & Madianitides tamquam cibos vendituræ, aut negotiaturæ collocarentur juxta Castra Israel cum suis Idolis & cibis Idolo consecratis, sicque pellicerent eos ad fornicationem tum carnalem, tum spiritualem, idest, idololatriam. Unde seq. cap. 25. Israel legitur fornicatus esse cum filiabus Moab, & initiatus esse Beelphegor. Quòd autem hoc fuerit juxta Consilium Balaam Moyses disertis verbis affirmat infrà cap. 31. dicens: *Cur fœminas reservastis? Nonnè ista sunt quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam?* Et Apocal. 2. *Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere & fornicari*. His *opponi posset* quòd Consilii Balaam executio differenda erat in extrema tempora, juxta illud.

[ *Dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.* ] Scandalum autem de quo cap. 25. brevi post hæc tempora contigit. Sed *Resp.* juxta phrasim in sacris Litteris usitatam per *extrema tempora*, per *novissimos dies*, & *alia hujusmodi*, non esse necesse intelligere *extrema mundi tempora*, vel, *tempus Messiæ*, cùm interdum tali sermone non plus significetur, quàm si diceretur; *futuris*, vel *subsecuturis temporibus*, quamvis illa non valdè diù sint differenda. Ut Gen. 41. *Congregamini, ut annunciem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis*, hoc est, posterioribus, seu secuturis temporibus: Et quod Dan. 2. dicitur, *Quæ ventura sunt in novissimis temporibus*, sic versic. 45. explicatur, *quæ ventura sunt posteà*. Similiterque quod 1. ad Tim. 4. dicitur de *novissimis temporibus*. Et 2. ad Tim. 3. de *novissimis diebus*, idem valet ac secuturis temporibus. Quapropter etsi executio Consilii Balaam non sit dilata usque ad finem mundi; imò nec ad tempora Messiæ, rectè tamen facta dicitur *extremo tempore*, quia facta est sequentibus temporibus. *Sunt* qui versum hunc aliter ex Hebræo reddunt, sed sensus collatus aliis locis congruit, est propterea retinendus.

[ ℣. 15. *Sumpta igitur parabola, rursum ait*: ] Non cohærent hæc sequentia cum præcedentibus, quasi Balaam hic proponat Consilium quod ante promiserat; sed est inchoatio materiæ omninò diversæ, & Vaticinium de Christo, & de varia constitutione quarumdam Gentium eventisque earum. Vocula *igitur* non tam habet vim illativam, quàm conjunctivam, & sermonis continuativam, vel inceptivam. *Sensus est*: Cùm Balaam esset abiturus, irruente in eum spiritu Prophetico, rursum incœpit loqui parabolicè, seu sententias aliquas graves, & obscuras enuntiare.

[ ℣. 16. *Dixit auditor sermonum Dei*, ] Qui audit ea quæ Deus dignatur loqui, & revelare.

[ *Qui novit doctrinam altissimi*, ] Qui cognoscit ea quæ Deus docet.

[ *Et visiones omnipotentis videt*, ] Videt Omnipotentem in suis effectibus, videt ea quæ Deus revelat.

[ *Qui cadens apertos habet oculos*, ] Qui in somnum, vel etiam in mentis alienationem decidens, apertos habet oculos mentis, quia ejus intellectui revelantur ea quæ Deus vult ipsum cognoscere.

[ ℣. 17. *Videbo eum, sed non modò*: ] Quem referat relativum *eum*, ambigitur. Sed *omninò dicendum est* quòd referat *Deum*, seu *Messiam*, de quo præcedit, *auditor sermonum Dei*, q. d. videbo *eum*, cujus sermonum sum auditor; *eum*, cujus Altissimi doctrinam nosco; *eum*, cujus omnipotentis visiones video. *Sensus* ergo *hujus vaticinii est*, quo Balaam significet se visurum, aut etiam se videre spiritu Prophetico Messiam in carne venturum: Sed non modò, supple, veniet, at demùm post tempora multa. Quomodo etiam intelligi potest quod sequitur.

[ *Intuebor illum, sed non propè*. ] q. d. Eumdem illum per intellectum à Deo illustratum video, sed non propè adest; & si nosse placeat quo tempore id sit futurum, aliquod indicium erit; quod

[ *Orietur Stella ex Jacob, & consurget virga de Israel*: ] Quod quidem vel ad *stellam illam* pertinet quæ in Christi nativitate magis apparuit; unde & dicunt *stellam* fuisse *signum nati Regis*. Vel ad ipsum Christum, qui Apoc. 22. *stella* vocatur: Et ita eodem pertinebunt, *Stella ex Jacob*, & *virga de Israel*: *Stella*, propter Sanctitatis splendorem, *virga*, propter Regiam dignitatem.

[ *Et percutiet Duces Moab*, ] Hebr. *Transfiget Angulos Moab*. Est autem Idioma Scripturarum, ut *Angulum* pro *Rege*, vel *Regno* ponant, eo quòd populus contineat. Hinc Isaj. 19. Ægyptus vocatur *Angulus populorum*. Hujus porrò Scripturæ *sensus est*, quòd ille cujus virga Regia seu sceptrum describitur, tum per se, tum per suos percutiet ac interficiet Duces Moab, eos sibi, suæque fidei ac Religioni subjiciendo, pravos eorum mores ac vitia occidendo, & in viros alios mutando. Cùm autem hoc futurum esset generaliter erga peccatores, *si quæras*, quare peculiariter dicatur de Ducibus Moab: *Resp.* Rationem esse, quòd hæc in Terra Moab gererentur, & cum Rege Moab esset negotium.

[ *Vastabitque omnes filios Seth*. ] Necando ipsorum improbos mores & vitia. *Si quæras*, quinam intelligantur per filios Seth. *Resp.* quòd omnes homines totius mundi; quia post diluvium nulli fuerunt superstites præter Noe cum suis, qui omnes descenderunt ex Seth.

[ ℣. 18. *Et erit Idumæa possessio ejus*: ] Significatur quòd *Messias* sibi subjiciet Idumæos, eosque tamquam suos possidebit, ad se nimirùm, verique Dei cultum conversos. Nominatim autem loquitur de Idumæis, qui erant hostes Israelitarum, sicut Esau, à quo Idumæi, erat adversarius fratris sui Jacob; ut intelligeremus multò magis ad Christum venturas, eique subjiciendas alias gentes.

[ *Hæreditas Seir cedet inimicis suis*: ] Ad eumdem sensum pertinet; quia per *Seir* significatur Idumæa. Sicut ergo Idumæa est possessio Christi, ita Seir cessit Christo in hæreditatem. Dicitur autem, quòd *cedet inimicis suis*, hoc est, Christo & *Apostolis*; quia boni & mali sunt inimici ex natura oppositionis.

[ *Israel verò fortiter aget*. ] Per *Israelem* intelliguntur *Israelitæ secundum spiritum*, idest, *probi Christiani*, qui dicuntur *fortiter acturi*, quia significatur quòd de impiis, & de impietate sunt triumphaturi, gentilitatem ad fidem convertendo, peccatoresque alios vero Dei cultui subjiciendo.

[ ℣. 19. *De Jacob erit qui dominetur*, ] Absolutè & universaliter. Ille autem est Messias, sive Christus, aut certè *Imperator* aliquis *Christianus*.

[ *Et perdat reliquias Civitatis*. ] Quæ Civitas intelligatur, non liquet: *Probabile est* quòd *Romana*. Illa enim per Antonomasiam rectè potest designari nomine Civitatis, cùm fuerit Caput Imperii, ac etiam Gentilitatis. Prædicitur autem quòd is qui ex Jacob erat dominaturus, *perdet reliquias urbis Romæ*; quia quotquot ibi restarent Gentiles & Idololatræ, omnes erat subjugaturus, & ad verum cultum conversurus, totamque Idololatriam ex illa urbe eliminaturus, sicut factum est, Christo per suos Apostolos, virosque Apostolicos prædicante.

[ V. 20. *Cumque vidisset Amalec*, ] Hoc est, Regionem Amalecitarum, quam, vultu ad eam converso, potuit corporeis oculis videre, utpotè in monte, & in loco eminente existens, in eo scilicet à quo posteà contemplatus fuit Terram promissionis, Deuteron. 34.

[ *Principium Gentium Amalec*, ] Non sic accipienda est hæc Scriptura, quasi Amalec sit simpliciter Principium Gentium, quia fuit filius Eliphaz filii Esau Gen. 36. ante quem fuerunt variæ Gentes. Sed dicitur *Principium Gentium*, vel quia initio cum Gentes esse cœperunt, etiam Amalec erat Gens, & quidem una ex præcipuis: Vel quia Amalec fuit prima Gens, quæ Israelitis egressis de Ægypto bellum movit. Exod. 17. Ut proinde ejus quod hic dicitur *sensus sit*: Principium Gentium hostilium Israeli fuit Amalec, unde Chaldæus vertit, *Principium Bellorum Israel fuit Amalec*.

[ *Cujus extrema perdentur*, ] 70. *Semen eorum peribit*. q. d. quorum tandem posteritas penitùs exterminabitur, ut 1. Reg. 15. factum est.

[ V. 21. *Vidit quoque Cinæum*, ] *Cinæi* sunt *posteri Jethro* qui fuit *Socer Moysi*; quorum *aliqui* hoc ipso tempore quo Balaam vaticinabatur, erant in Castris Hebræorum: Post divisionem verò Terræ Promissionis, *quidam* secesserunt versus Amalecitas, ut ex 1. Reg. 15. colligitur: *Alii* manserunt in Tribu Juda, de quibus Judic. 1. dicitur, quòd *ascenderunt de Civitate palmarum cum filiis Juda in desertum sortis ejus quod est ad meridiem Arad, & habitaverunt cum eo*. Sicut autem Balaam ex monte excelso Phasga vidit Amalec, ita videt & Cinæos, simulque spiritu Prophetico videt quam sortem habituri essent in terra Chanaan.

[ *Et assumpta parabola, ait*: ] Prophetizando dixit.

[ *Robustum quidem est habitaculum tuum*: ] Degis enim modò inter ea tribus quæ fortissimæ sunt, & in Chanaan habitabis in sorte tribus Juda, utique fortissima.

[ *Sed si in petra posueris nidum tuum*, ] Etiamsi habueris habitationem fortissimam. *De petra* dicitur, quia habitatio super petram est fortissima, ut ex Matth. 7. patet.

[ *Et fueris electus de stirpe Cin*, ] Plurimùm hic variant versiones, sed retinenda est nostra vulgata: Cujus *sensus est*, quamquam præ omnibus aliis Gentilibus electus sis, utpotè de stirpe Cin Soceri Moysi, ut tum in Deserto, tum in Terra promissa associeris Hebræis. Hinc colligunt *Cin*, unde *Cinæi* dicti sunt esse nomen stirpis, vel Familiæ.

[ *Quamdiu poteris permanere?* ] q. d. Non valdè diu permanere poteris.

[ *Assur enim capiet te*. ] Hoc contigit sub Salmanazar Rege Assyriorum, qui 4. Reg. 17. transtulit decem Tribus in terram Medorum; simul enim cum eis transtulit Cinæos, hoc est, progeniem Haber Cinæi, qui pridem anteà recesserat ab aliis Cinæis, ut habetur Judic. 4. & habitabat in sorte Nephtalim. Nam cum Nephtalitæ fuerint tunc abducti, cùm eis Cinæi qui commorabantur inter eos etiam abducti fuerunt, aliis Cinæis, qui in sorte Juda habitabant, ibi remanentibus: Ex quibus orti sunt *Rechabitæ*, qui Jerem. 35. laudati reperiuntur.

[ V. 23. *Heu! quis victurus est, quando ista faciet Deus?* ] Exclamatio est maximè admirantis gravitatem & multiplicitatem calamitatum quas spiritu Prophetico videbat eventuras: Et quod dicitur; *Quando ista faciet Deus*, non est referendum ad ea quæ hic præcedunt, sed ad ea quæ sequuntur.

[ V. 24. *Venient in Trieribus*, ] Id est; In magnis Navibus. *Trieris* enim est genus magnæ navis quæ à tribus ordinibus sic denominata est. Ejusdem mentio habetur Ezechiel. 30. versic. 9. Daniel. 14. versic. 30.

[ *De Italia*, ] In Hebr. est, *De Cethim*, quod pro Insulis Judææ transmarinis poni solet, cujusmodi est Italia.

[ *Superabunt Assyrios*, ] Prædicit Balaam quòd Romani sunt pugnaturi contra Assyrios, eosque devicturi, quemadmodum & Hebræos; Unde sequitur.

[ *Vastabuntque Hebræos*, ] Quod maximè contigit quadraginta duobus annis post Christi passionem, sub Tito, & Vespasiano.

[ *Et ad extremum etiam ipsi peribunt*, ] Romani videlicet, sicut accidit sub Alarico & Genserico Regibus Gothorum, & ampliùs accidet in fine mundi sub decem Regibus, de quibus Apoc. 17.

[ V. 25. *Surrexitque Balaam, & reversus est in locum suum*. ] Postquam Balaam non potuit maledicere Hebræis, & annuntiavit ea quæ jam dicta sunt, itineri se dedit; & rediit in locum unde venerat; hoc est, in Mesopotamiam Syriæ: Quòd enim ex ea venerit, ex Deut. 23. clarum est. *Si dicas*, eum non rediisse in Mesopotamiam, sed in terram Madian, cùm in ea post paucum tempus fuerit occisus, infrà cap. 31. *Resp.* ipsum à Madianitis persuasum ivisse in Madian, sed anteà rediit in Mesopotamiam.

[ *Balac quoque via, qua venerat, rediit*. ] Accepto tamen priùs à Balaam Consilio ad nocendum Judæis, de quo ad vers. 14.

## CAPUT XXV.

*Ob fornicationem Israel cum Madianitis jubet Deus Principes suspendi: Ipsique Phinees dat perpetuum Sacerdotium, eò quòd divino zelo Zambri, & Cozbi pugione confodisset.*

[ V. 1. *Morabatur autem eo tempore Israel in Setim*, ] Eo tempore quo gerebantur ea quæ jam præcesserunt, Israelitæ manebant in Setim, in tentoriis scilicet suis quæ habebant in Setim. Est autem *Setim* locus propè Jordanem, ita verisimiliter vocatus, quia ibi erat copia *lignorum Setim*, quæ qualia essent, diximus Exod. 25. *Quoniam verò*, ut ex Josue 2. & 3. patet, post mortem Moysi missi fuerunt de Setim Exploratores in Terram Chanaan; & mox de Setim Israelitæ venerunt ad Jordanem, *Dicendum est* hanc fuisse *ultimam* eorum Mansionem citrà Jordanem, quæ infrà cap. 33. appellatur *Abel-satim*, idest, *Luctus Setim*, quia ibi luxerunt culpam & pœnam suam, cæsis nimirùm ibi viginti quatuor millibus hominum propter Idololatriam.

[ *Et fornicatus est populus cum filiabus Moab*. ] Ex Consilio scilicet quod Balaam dederat Regi Balac: Mulieres namque Moabitides ornatu suo, suisque blanditiis pellexerunt Israelitas ad carnalem cum eis fornicationem, ac etiam ad spiritualem, sive ad Idololatriam. Ad utram priùs non liquet. *Probabile est* quòd quosdam priùs ad unam, alios priùs ad alteram, ut diversa sunt hominum ingenia. Ex eo quòd dicitur, *cum filiabus Moab*, non est existimandum Israelitas fuisse fornicatos cum solis puellis, & Mulieribus Moabitarum: Statim enim hic sequitur fornicatio Hebræi cum Madianitide; & cap. 31. de fœminis Madian dicitur, quòd illæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam. Sed hic peculiariter de filiabus Moab agitur, quia in Campestribus Moab fiebant, & sub Rege Moab.

[ V. 2. *Quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua*. ] Seu Deorum suorum. *Verisimile est*, quòd Idola quædam secum attulerant, quibus sacrificare cupientes, induxerunt suos Amasios Hebræos, ut & de immolatis comederent, & ipsis quoque Idolis immolarent. *Sic* Libido illaqueat & excæcat mentes Luxuriosorum: Quomodo etiam posteà Salomon amore mulierum inductus fuit, ut sequeretur Deos alienos, & *coleret Astarthen Deam Sidoniorum, & Moloch Idolum Ammonitarum*, 3. Reg. 11. *Propterea* practicandum est illud Eccli. 9. *Ne respicias Mulierem multivolam*; itemque istud, *Averte faciem tuam à muliere compta*: Quoniam ut ibi sequitur, *Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt*.

[ *At illi comederunt*, ] De Idolothytis videlicet.

[ *Et adoraverunt Deos earum*. ] 70. dicunt, *& manducavit populus de sacrificiis eorum, & adoravit Deos eorum*, ] Quod erat non solùm contra primum præceptum Decalogi, sed etiam contra illud quod Exod. 34. dedit Deus vetans ne Israelitæ communicarent cum Gentilibus, ne fortè invitarent eos ad comedendum de immolatis Idolo.

[ V. 3.

[ ℣. 3. *Initiatusque est Israel Beelphegor.* ] Pro *Initiatus*, 70. habent, *Consecratus*. Sensus est, quòd populus Israel se addixit, & consecravit cultui istius Idoli. Quodnam verò Idolum fuerit *Beelphegor*: Ex B. Hieronym. lib. 1. contra Jovin. cap. 12. in cap. 25. Isaj. & in cap. 4. Osee, discimus fuisse illud quod aliter appellatur *Priapus*, quodque alii vocant *Chamos*. Si *quæras*, quare Moyses non interfecit vel istas mulieres fornicantes, vel Hebræos qui fornicabantur cum illis. *Resp.* rationem esse quòd timeret commotionem & rebellionem populi. Cùm enim tantam ejus multitudinem cerneret declinare ad illas, ut viginti quatuor millia postmodum occisa fuerint; nec dubitaret quin multi eorum suos haberent amicos & fautores, meritò poterat metuere paucos sibi adjutores futuros, si tentaret eos punire: *Et propterea*, hoc non tentavit; sed ipse, cùm quibusdam aliis zelum Dei habentibus, flevit ante fores Tabernaculi. *Si dicas*, quòd Moyses non omisit illos peccantes punire ob timorem, quandoquidem posteà illos punivit, tot millia occidendo: *Responsio est*, quòd ante mandatum Dei de occidendo Idololatras & fornicantes, Moyses timuit aliquos punire, sed accepto Dei mandato, vigorem & audaciam sumpsit.

[ ℣. 4. *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos.* ] Videri potest relativum *eos*, referendum esse ad Principes, quasi ipsi omnes jubeantur suspendi: *Sed hoc est difficile creditu*, cùm *non sit verisimile* omnes Principes apostatasse à Deo; cùmque Princeps Tribus Simeon, qui cum Madianitide fornicatus est, non fuerit suspensus, sed confossus. *Accedit*, Moysen dixisse ad Judices, qui non differunt à Principibus, *Occidat unusquisque proximos suos qui initiati sunt Beelphegor*. Quapropter *aliorum sententia probabilior est*, quæ dicit Deum non jussisse accipi Principes populi ad hoc ut suspenderentur, sed ut per eos Inquisitio fieret, & recognitio haberetur de iis qui erant rei tum de fornicatione, tum de Idololatria: Ut proinde hujus Scripturæ *sensus sit*: Ad te voca, tibi ascisce cunctos Principes populi, ut cum eis cognoscere possis qui sint culpabiles: Quilibet enim Princeps poterat de suis Subditis per inquisitionem scire quinam peccassent.

[ *Et suspende eos*, ] Cura suspendi eos qui reperti fuerint peccasse, sive per Idololatriam, sive per fornicationem; relativum enim *eos*, non refertur specialiter ad Principes, sed ad illos qui fornicati sunt cum filiabus Moab, & qui initiati sunt Beelphegor, sive essent de Principibus, sive de Inferioribus. *Quoniam verò* isti peccatores non solùm jubentur suspendi, sed additur.

[ *Contra solem*, ] Vel ut alii reddunt, *Coram sole*, sciendum est, hoc idem valere, ac *in propatulo*, seu *publicè & manifestè*: Qualis Phrasis reperitur 2. Reg. 12. ubi Deus per Prophetam dicit Davidi: *Tu fecisti absconditè, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis*, idest, manifestè, & publicè.

[ *Ut avertatur furor meus ab Israel.* ] Qui alioquin in populum ipsum desæviret, partim tanto facinori consentientem, partim punire negligentem. *Unde intelligi potest*, quantum ad placandum Deum, & ad iram ejus avertendam momenti habeat justa in peccatores animadversio: Quod & ex sequenti facto colligere est, ubi cum Phinees zelo Dei commotus occidisset fornicantes, Scriptura addidit: *Cessavitque plaga à filiis Israel*. Et mox: *Dixitque Dominus ad Moysen; Phinees filius Eleazari filii Aaron Sacerdotis, avertit iram meam à filiis Israel, quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo.* Cæterùm, si apud Deum tantùm valet justa & severa punitio malorum; *è contrario intelligendum est* quantum ei displiceat, iramque ejus provocet, justitiæ neglectus, & relaxatio disciplinæ publicæ. Unde *sicut Phinees* per justitiæ severitatem *obtinuit* promissionem Sacerdotii, *ita Heli* per neglectum disciplinæ, *amisit* pro semine suo dignitatem Sacerdotii. 1. Reg. 2. *Et utinam* similis justitiæ neglectus in Hæreticos, aliosque homines perniciosos, etiam iram Dei in nos non provocet.

[ ℣. 5. *Dixitque Moyses ad judices Israel:* ] Moyses exequitur id quod ei dictum fuerat, *Tolle cunctos Principes*: Alloquitur enim Principes qui erant Judices populi, & jubet, ut

[ *Occidat unusquisque proximos suos qui initiati sunt Beelphegor.* ] Quoniam verò sive Judices, sive Principes non poterant nosse quinam initiati essent Beelphegor, nisi facta inquisitione, cùm constet non omnes eo peccato fuisse inquinatos; consequens est, rem judicialiter actam esse; & cùm dicitur, *Occidat unusquisque proximos suos*, sermonem fieri de illis qui facta inquisitione reperti essent deliquisse. Quo autem genere mortis occidi deberent, ex antecedentibus intelligi potest; non enim de alio genere sermo est, quàm de suspensione, de qua Deus dixerat, *Suspende eos in patibulis*. *Si quæras*, quomodo potuerint cognosci qui erant culpabiles. *Resp.* quòd per eos qui erant innoxii, & viderent alios vel idola colentes, vel Idolothytis vescentes, vel Tentoria Moabitidum, aut Madianitidum (quæ vera erant lupanaria) sponte intrantes. Talis enim introitus in ejusmodi rerum & temporum circumstantia, erat sufficiens argumentum quòd istis Meretricibus consentirent, sive in Idoli sui cultum, sive in fornicationem. Unde Phinees videns Zambri ingredientem Tabernaculum Madianitidis, eum insecutus est, ut occideret. *Neque est quod aliquis opponat* Israelitas pro carnali commixtione cum istis mulieribus non meruisse mortem. *Cùm enim* Deus Exod. 34. & Deuteron. 7. gravissimè prohibuerit Hebræis ne fœdera & matrimonia inirent cum alienigenis, pariter censeri debet etiam gravissimè prohibuisse, ne cum illis fornicarentur; *præsertim*, cùm ratio prohibitionis, ne videlicet ab illis pellicerentur ad cultum idolorum, tam in his, quàm in illis locum haberet.

[ ℣. 6. *Et ecce, unus de filiis Israel intravit coram fratribus suis ad Scortum Madianitidem*, ] Rei novitatem & indignitatem insinuant istæ particulæ. *Et ecce*. Fuit hic præ cæteris impudens & libidinosus: *Cùm enim oculus adulteri observet caliginem dicens, non me videbit oculus*. Job 24. *Quis me videt? Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me*. Eccli. 24. Solus hic tamquam de numero eorum *qui peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt*, palam & coram fratribus, idest, Contribulibus suis scortari non erubescit, ex eo fortassè majore fretus audacia, quòd esset Dux in Tribu Simeon.

[ *Vidente Moyse, & omni Turba filiorum Israel*, ] Intravit ad Scortum in præsentia Moysi, & omnium Israelitarum qui aderant. Versum hunc *aliter* ex Hebræo quidam reddunt, scilicet: *Appropinquare fecit*, seu *adduxit ad Fratres suos Madianitidem*, quasi significetur quòd quidam ex alio loco, etsi non multùm remoto, adduxerit fœminam Madianitidem ad fratres suos, sive in aliorum conspectu, ut ea intra suum Tabernaculum patens, & omnium oculis expositum abuteretur. Quæ diversitas ex punctis in Hebræo additis videtur profecta: Sed propter illa non est versio nostra vulgata deserenda; *hoc etiam addito*, quòd is de quo Scriptura loquitur, suæ libidinis explendæ gratia venit, non ut aliorum voluptati satisfaceret.

[ *Qui flebant ante fores Tabernaculi.* ] Partim ob gravitatem facinoris, partim ob metum ne Deus tantis sceleribus offensus totum populum disperderet. Flebant autem non ad ostium Tabernaculi interiùs, sed ad fores extra Atrium.

[ ℣. 7. *Quod cùm vidisset Phinees filius Eleazari &c.* ℣. 8. *perfodit ambos simul.* ] Quin rectè fecerit Phinees illos occidendo dubitari non potest; cùm Scriptura & factum ejus, & zelum approbet; imò remuneret, tum hic, tum Psal. 105. ubi dicitur, quòd *reputatum est ei in justitiam*. Cùm quibus conferenda sunt quæ leguntur Eccli. 45. & 1. Machab. 2. *Neque putandum est*, quòd privata authoritate illos occiderit, ut enim 2. 2. q. 60. artic. 6. tradit B. Thomas ex inspiratione divina zelo Dei commotus hoc fecit. *Deinde*, sufficientem Authoritatem habebat à Moyse divinitùs admonito, ac dicente ad Judices Israel (è quorum numero erat Phinees,) *Occidat unusquisque proximos suos qui initiati sunt Beelphegor*.

*Quæri autem potest*, Quare Moyses non est ipsemet insecutus istum fornicarium, ut eum vel impediret, vel confoderet, sicut fecit Phinees, cùm de zelo

Moysi non possit ambigi. *Resp.* Moysen orationi intentum pro populo, veritum esse ne si ab oratione desisteret, Deus tantis sceleribus offensus ipsum populum disperderet: Sicque existimavit suam orationem magis necessariam esse populo, quàm subitaneam istius facinoris vindictam. *Accedit*, quòd non sensit se peculiariter moveri ad vindictam de illo faciendam, talia autem non fiunt sine aliquo speciali motu Dei.

[ *Cessavitque plaga à filiis Israel.* ] Præter interfectionem humana manu factam, qua Judices suspenderunt, seu suspendi curaverunt Idololatras & fornicatores; aliam Deus plagam immisit qua Angelus peste, vel alio mortis genere percussit multos eorum qui erant culpabiles, idque indicat nomen *plaga*, quod præter interfectionem humana manu factam, significat supplicium aliquod divinitus fuisse inflictum. Et hoc infligi cœperat priùs quàm Zambri ingrederetur ad Scortum Madianitidem; cessavit autem postquam Phinees utrumque simul occidit.

[ ℣. 9. *Et occisi sunt viginti quatuor millia hominum.* ] Apostolus 1. ad Cor. 10. scribit cecidisse *viginti tria millia*. Quæ apparens dissonantia tolli potest dicendo numerum occisorum fuisse inter tria & quatuor millia supra viginti, & Moysen hic ulteriorem numerum scripsisse, Apostolum autem citeriorem.

[ ℣. 10. *Dixitque Dominus ad Moysen:* ℣. 11. *Phinees filius Eleazari filii Aaron Sacerdotis avertit iram meam à filiis Israel:* ] Fecit ut ab ulteriori punitione filiorum Israel desistam.

[ *Quia zelo meo commotus est contra eos,* ] Quia ex zelo honoris mei voluit vindicare offensam adeò gravem & publicam, quæ cum maximo scandalo committebatur contra me.

[ *Ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo.* ] Ne ego ipse ex desiderio vindicandi offensam in me factam, per me, absque hominum interventu, delerem filios Israel.

[ ℣. 12. *Idcircò loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei,* ] *Pax fœderis*, est securitas de fœdere inviolabiliter servando, quo nimirùm securè & pacificè frueretur. De qua autem re esset illud fœdus hæc sequentia indicant.

[ ℣. 13. *Et erit tam ipsi, quàm semini ejus pactum Sacerdotii sempiternum,* ] Per quæ significatur, non quòd ipse per se futurus esset Sacerdos in perpetuum, vel usque ad finem mundi; sed quòd in suis posteris habiturus esset Sacerdotium longo tempore quamdiu scilicet Lex vetus staret, & Judæorum Respublica perseveraret. *Dices*, Phinei tamquam primogenito Eleazari Summi Sacerdotis, debebatur jure hæreditario jam per Deum constituto munus summi Sacerdotii, seu Pontificatus: Quid ergo beneficii hic promittitur Phinei? *Resp.* Promitti vitam longiorem & assecurari quòd non moreretur ante Patrem; quòdque dignitas illa maneret in ejus domo seu familia, nec auferetur à suis successoribus. *Si dicas*, summum Sacerdotium non mansisse in successoribus Phinees; cùm translatum fuerit ad Heli qui erat de familia Ithamar, fuerintque post Heli alii summi Sacerdotes de eadem Familia Ithamar, scilicet ejus filius, Nepos, & Pronepos, donec summum Sacerdotium rediit ad Sadoc qui erat de Familia Phinees 3. Reg. 2. *Variæ sunt Responsiones. Una*, quòd promissio de Sacerdotio mansuro in Phinees, ejusque familia, *fuerit promissio juris*, etsi *non facti*: Hoc est, quòd Summum Sacerdotium jure deberetur familiæ Phinees in perpetuum: Etsi contingere posset, quòd pro aliquo tempore esset aliquis de alia familia. *Secunda*, quòd promissio perpetui Sacerdotii facta Phinees fuerit *conditionata*, si posteri sequerentur pietatem Patris, neque ob sua peccata mererentur privari honore Pontificatus, qualia peccata fuere in posteris Phinees, qui propterea fuerunt ad tempus illo honore privati. *Tertia*, quòd promissio perpetuitatis Sacerdotii seu Pontificatus, non contineret nullum futurum Pontificem qui non esset de posteritate Phinees; sed quòd Pontificatus sic esset futurus in Phinees, ejusque posteris; quòd quamdiù perseveraret status Reipublicæ Hebræorum, Familia Phinees non esset jugiter eo spolianda, sicut Familia Heli fuit eo spoliata; sed quòd semper illi adhæreret. Cujus proinde promissionis vi factum est, ut Pontificatus rediret ad posteros Phinees, ac in eis maneret usque ad finem Religionis Judaicæ. Quapropter sicut promissio facta Davidi de Regno in perpetuum apud ejus posteritatem mansuro, non exclusit Captivitatem Babylonicam, nec Regni spoliationem ad tempus, ita promissio Sacerdotii perpetui in posteris Phinees, non exclusit aliquanti temporis interruptionem.

[ *Quia zelatus est pro Deo suo,* ] Quia zelo honoris Dei commotus est, non ferens ejus offensam per fornicationem & idololatriam, sed eam vindicare studens, etiam cum maximo vitæ suæ periculo. Cùm enim occideret Principem unius Tribus, & fœminam ex Madianitarum Principe natam, promptum erat metuere, ne aliqui in eum insurgerent.

[ *Et expiavit scelus filiorum Israel.* ] Deum placavit, fecitque ne Deus pergeret in populum desævire. Vel *Expiavit scelus*, idest, abstulit & punivit grande peccatum, quod incurrissent filii Israel, si factum mansisset impunitum.

[ ℣. 14. *Erat autem nomen viri Israelitæ.* ] Ad fidem historiæ pertinet expressio nominum, & conditionis personarum de quibus narratio instituitur. Sed & ad majorem laudem Phinees conveniebat hic exprimi nomina & dignitates eorum quos ipse interfecit; quia quantò ipsi erant Majores, tantò magis poterat timere illos occidere, sed zelus honoris Dei prævaluit in ipso.

[ ℣. 17. *Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos:* ] Hostes est *quarti casus*, perinde ac si diceretur Israelitis: Madianitæ experiantur vos hostes suos, & eos occidite.

[ ℣. 18. *Quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos.* ] Non moventes bellum contra vos apertum, sed fraude utentes ad vos delendum, unde sequitur.

[ *Et decepere insidiis per Idolum Phogor,* ] Ad cujus cultum inducti fuerunt Israelitæ.

[ *Et Cozbi filiam Ducis Madian sororem suam,* ] Sicut *Fratres* vocantur qui sunt ex eadem gente seu Natione, unde Exod. 2. Moyses scribitur egressus *ad fratres suos*, & cap. 4. *vadam & revertar ad fratres meos in Ægyptum*: Pari ratione *Sorores* intelliguntur quæ sunt de eodem populo.

[ *Quæ percussa est in die plagæ,* ] Quando grassabatur plaga à Deo immissa propter Idololatriam & fornicationem Israelitarum cum Moabitis & Ammonitis.

[ *Pro sacrilegio Phogor.* ] Propter sacrilegam adorationem Beelphegor; non enim ob solam fornicationem corporalem fuit occisa, sed etiam propter Idololatriam: *Quæret quispiam*, quare Deus jubet occidi Madianitas per filios Israel, parcens Moabitis? *Resp.* Deum non omninò pepercisse Moabitis cum Deut. 23. jubeat eos non admitti in Ecclesiam Domini, etiam post decimam generationem, inter alia dicens, *quia conduxerunt contra te Balaam*. Tum addit: *Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum*. Nihil tamen hic contra illos statuit, idque duas ob causas. *Una est*, propter merita Loth, erant enim Moabitæ de stirpe Loth Genes. 19. Dixit autem Deus Israelitis Deuteron. 2. ne pugnarent contra Moabitas, hac ratione subjuncta; *non enim tibi dabo quidquam de terra eorum, quia filiis Loth tradidi Ar in possessionem*. Sicut ergo Deus nolebat quòd Israelitæ acciperent Terram Moabitarum, quia illam dederat filiis Loth; ita, imò à fortiori propter eum nolebat quòd eos occiderent, cùm terra sit propter hominem. *Secunda causa erat*, propter Ruth; imò propter Christum, qui erat descensurus ex Ruth; ideòque delendi non priùs quàm Ruth esset nata: Posteà verò Israelitæ intulerunt Moabitis magna bella, ut ex 2. Reg. 8. patet.

## CAPUT XXVI.

*Numerantur Israelitæ per singulas tribus, qui bello apti, sunt terram promissionis ingressuri.*

[ ℣. 1. *Postquam noxiorum sanguis effusus est,* ] *Sunt* qui hæc intelligant de effuso sanguine Madianitarum, de quibus infrà cap. 31. dicentes ista per *Anticipationem* hic poni. Sed quoniam nulla est

est necessitas agnoscendi talem Anticipationem, convenientiùs accipiuntur de occisione Israelitarum qui peccaverant fornicando cum filiabus Moab, & Madian, & Idololatriam committendo.

[ *Dixit Dominus ad Moysen, & Eleazarum filium Aaron Sacerdotem:* ] Locutio hæc facta est ad ostium Tabernaculi per columnam nubis ibi incubantem, ad Moysen & Eleazarum, quia isti duo erant Principes populi. Non est facta in *Sancto Sanctorum*, quia licèt Moyses posset illud ingredi quoties oportebat Deum consulere, id tamen non licebat Eleazaro, nisi semel in anno, scilicet in festo Expiationis Levit. 16.

[ ℣. 2. *Numerate omnem summam filiorum Israel.* ] Id est, omnem multitudinem Israelitarum. *Summa* enim hic *impropriè* sumitur, non pro eo quod ex numeratione colligitur, sed pro ipsa multitudine. Numerata fuit universa multitudo Israelitarum antequam fabricaretur Tabernaculum, ut ex cap. 38. Exod. versic. 25. liquet; ac rursum post ejus fabricationem hujus Lib. cap. 1. anno 2. egressionis de Ægypto. Sed omnes qui tunc fuerunt numerati, mortui jam erant, præter Caleb, & Josue, propter murmur Exploratorum, de quo cap. 13. & 14. Ideòque alia nunc instituitur numeratio quando in proximo ingressuri erant terram promissionis, ut illa congruè dividi posset, & constaret summa eorum qui illam ingrederentur.

[ *A viginti annis & supra,* ] Hoc ita fiebat, quia ante 20. annos non erant apti ad bellum, nec accipiebant possessionem distinctam à possessione parentum.

[ *Per Domos & Cognationes suas,* ] Idest, per familias & Tribus suas, ut hac ratione possent numerum distinctiùs habere, & commodiùs recensere.

[ *Cunctos qui possunt ad bella procedere.* ] Qui (quod ad ætatem pertinet) idonei sunt procedere ad pugnandum; sive interim aliunde contingeret aliquos eorum ad hoc esse inidoneos, ut ex defectu roboris, sive non. Fœminæ non veniunt in computum, non solùm quia non sunt aptæ ad bella, sed vel maximè, quia non erant accepturæ possessiones in divisione terræ, nec successuræ Patribus in aliqua parte possessionis immobilis, nisi in defectum Liberorum Masculorum, qui est casus seqq. cap. 27. expressus, de quo etiam Josue 17. habetur.

[ ℣. 3. *Locuti sunt itaque Moyses & Eleazar Sacerdos.* ] Quod non ita est accipiendum, quasi vel ambo simul loquerentur, vel unus repeteret ea quæ alter dixerat: Prius enim illud non fuisset conveniens, & posterius fuisset inutile: Sed quia unus, isque verisimiliter Moyses, utpotè Senior, & præstantior, loquebatur sui & alterius nomine, veluti dicendo: *Deus apparuit nobis, jussit ut hæc vobis nuntiaremus.* Neque his obstat, quòd Moyses esset linguæ impeditioris, ideòque Deus illi dederit Aaronem per quem loqueretur Pharaoni Exod. 4. Quamvis enim propter impedimentum linguæ non videretur conveniens quòd Moyses loqueretur ad Pharaonem solus sine Aarone, ne verba ejus contemnerentur aut negligerentur à Pharaone, qui Moysi dignitatem non satis habebat perspectam; coram populo tamen Hebræo, multoties ipse per seipsum fuit locutus, quia satis cognoscebant ac reverebantur Moysen velut virum eximium à Deo missum & excellentem, quemque propereà libenter audiebant dicentes ei Exod. 20. *Loquere tu nobis, & audiemus.*

[ *In Campestribus Moab super Jordanem,* ] Idest, *circa* seu *propè Jordanem*; quomodo dicitur Luc. 14. de Socru Petri, quòd Christus *stans super illam imperavit febri:* Erant scilicet intra magnam planitiem seu vallem per quam Jordanis labebatur.

[*Contra Jericho.* ] Erat quippè Civitas illa ex alia parte Jordanis prima in terra Chanaan. Quid verò locuti fuerint Moyses & Eleazar, etsi non disertè exprimatur, facilè intelligi potest esse hoc quod Deus jusserat, ut numerarentur omnes masculos Hebræorum à viginti annis & supra, ideòque se disponerent per Tribus & Familias, ut numerus omnium posset accipi.

[ ℣. 5. *Ruben primogenitus Israel.* ] In sequenti enumeratione non servatur Ordo dignitatis Tribuum; quia secundùm illum prima erat Tribus Juda, quæ in omnibus quæ ad honorem pertinebant, præponebatur aliis. Non servatur quoque ordo Nativitatis, ut patere potest conferenti hoc caput cum Gen. cap. 29. & 30. Sed servatur ordo Castrametationis & vexillorum: Ita scilicet ut primò computarentur omnes qui ad idem vexillum pertinent, deinde qui ad aliud. Erat autem totus Israel divisus in quatuor vexilla, & sub quolibet vexillo erant tres Tribus, quemadmodum cap. 2. diximus.

[ ℣. 7. *Hæ sunt Familiæ de stirpe Ruben: quarum numerus inventus est, quadraginta tria millia & septingenti Triginta.* ] Anno secundo egressionis de Ægypto, numerati sunt de Tribu Ruben à vigesimo anno & supra, quadraginta sex millia quingenti, ut cap. 1. habetur. Nec idem numerus personarum, nec eædem personæ requirendæ sunt in hac computatione, & in ea quæ refertur hujus Lib. cap. 1. quia juxta sententiam contra murmuratores latam cap. 14. nullus de ibi numeratis ingressurus erat Terram Chanaan præter Caleb & Josue; ideòque omnes fuerunt mortui ante hanc numerationem, ut etiam habetur in fine præsentis cap.

[ ℣. 9. *Isti sunt Dathan & Abiron Principes populi,* ] Hoc est, magni nominis ac famæ in populo, ut qui solerent vocari ad negotia majoris momenti.

[ *Qui surrexerunt contra Moysen & Aaron,* ] Volentes sibi vendicare Ducatum populi, & summum Sacerdotium, ut cap. 16. fuit dictum.

[ *Quando adversus Dominum rebellaverunt:* ] Hoc ipso quo repugnabant ordinationi Dei, qui summum Sacerdotium statuerat pertinere ad Aaronem.

[ ℣. 10. *Et aperiens terra os suum devoravit Core,* ] Opinati fuerunt nonnulli Core quidem in seditione mortuum, at non hiatu terræ. Sed superiùs cap. 16. satis luculentè ostendisse nos credimus eum unà cum Dathan & Abiron fuisse absorptum.

[ *Et factum est grande miraculum, ut,* ℣. 11. *Core pereunte, filii illius non perirent.* ] Cum enim terra dehiscens absorberet Core, filii conservati sunt in aere penduli, quousque terra se recluderet, eò quòd non essent participes, nec consentientes peccato Patris. Fuisse filios Core viros bonos, & inter Levitas, in reverentia; intelligi potest ex eo, quòd plures Psalmos decantarunt, qui etiam nunc eorum nomine inscribuntur; quòdque familia Core tamquam superstes numeratur inter Levitas, inferiùs v. 58.

[ ℣. 12. *Filii Simeon,* ] Genes. 46. & Exod. 6. sex numerantur filii Simeonis; hic autem, ut & 1. Paralippom. 4. solùm 5. quia Aod sine Liberis mortuus est, sicque nec familiam, nec sortem habuit in Terra Chanaan. De hac Tribu numerati fuerunt cap. 2. 59. millia, trecenti; hic autem solùm numerantur viginti duo millia, ducenti: Unde consequens est, eam nunc fuisse diminutam ad 37. millia, & centum, quod plerique attribuunt plagæ ob fornicationem cum Madianitide, de qua cap. 25. *verisimile enim est*, plures fuisse sui Ducis peccatum secutos. Et hinc est quòd Tribus Simeon fuit conjuncta cum Tribu Juda, sortemque accepit in ejus sorte Josue 19.

[ ℣. 41. *Filii Benjamin.* ] Plures numerantur Filii Benjamin Genes. 46. sed aliqui eorum sine Liberis mortui fuerant.

[ ℣. 53. *Istis dividetur terra juxta numerum vocabulorum in possessiones suas.* ] Ut pro numero familiarum & Capitum, quæ diversa solent habere vocabula, seu nomina, terra dividatur, & à singulis possideatur: *Vocabulum* enim sumitur pro re, seu pro persona nominata.

[ ℣. 54. *Pluribus majorem partem dabit, & paucioribus minorem: Singulis, sicut nunc recensiti sunt, tradetur possessio:* ] Per singulas Tribus intelligenda videntur Capita familiarum, à quibus deinde fieret ulterior divisio in reliquos.

[ ℣. 57. *Hic quoque est numerus filiorum Levi per familias suas:* ] Solùm hic numerantur quinque familiæ Levi, cùm Exod. 6. fuerint octo; quia tantùm hic recensentur præcipuæ.

[ ℣. 62. *Fueruntque omnes qui numerati sunt, viginti tria millia generis Masculini, ab uno mense & supra.* ] Cap. 3. commutati fuerant primogeniti Hebræorum

rum in Levitas unius mensis & supra; *tam* ad paucitatem Levitarum multitudini primogenitorum adæquandam, *tum* ad Levitarum dignitatem declarandam: eadem de causa hic jubet illos numerari tanquam suos, ut qui olim servierant redemptioni Primogenitorum: qui autem necdum expleverant mensem, huic redemptioni non serviebant, unde non censebantur Levitæ, nec ad Deum pertinebant.

[ ℣. 65. *Nullusque remansit ex eis, nisi Caleb filius Jephone, & Josue filius Nun.* ] Excipiendi sunt Levitæ, è quibus supererant Moyses, Eleazar, Ithamar, & fortè multi alii qui numerati fuerant in Sina, & jam erant ætatis maturæ.

## CAPUT XXVII.

*Filiæ Salphaad Patri succedunt in hæreditatem: dicitque Dominus Moysen moriturum, ubi ex monte Terram promissionis conspexerit.*

[ ℣. 1. A*Ccesserant autem filiæ Salphaad,* ] Hujus murmuris & querimoniæ causa fuit præceptum isto cap. 26. datum v. 53. & seqq. de terra distribuenda illis, qui in censum & enumerationem venerant: qui omnes cum essent masculi, consequens videbatur cunctas fœminas ab hæreditate in terra promissionis adeunda excludendas, nisi Deus aliter ordinaret.

[ ℣. 2. *Steteruntque coram Moyse & Eleazaro Sacerdote, & cunctis Principibus populi ad ostium Tabernaculi fœderis,* ] Quia juxta ostium Tabernaculi erat Tentorium Moysi, atque ad illud, vel certè ad vicinum atrium Tabernaculi conveniebant Seniores populi à Moyse convocati ad Concilium.

[ ℣. 3. *Pater noster mortuus est in Deserto, &c. Sed in peccato suo mortuus est:* ] Filiæ excusant Patrem, voluntque ipsum quidem peccasse, & in peccato suo mortuum esse, non tamen in peccato murmuris concitati sub Corè, sed in aliquo alio. Quod *quidam* volunt fuisse, de quo *Dominus* in Evangelio Joan. 8. dixit, *In peccato vestro moriemini.* Unde & Apostolus ad Hebr. 3. *Quibus*, inquit, *juravit Dominus non introire in requiem ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt? Et videmus quia non potuerunt introire propter incredulitatem.* Sed hujus incredulitatis non apparet ullum indicium. *Alii* privatum quoddam peccatum intelligunt, propter quod perierit Salphaad, sed *non est verisimile* de privato ac peculiari quodam peccato locutas fuisse ejus filias, cùm nulla necessitas id exigeret. Quare *sensus simplicissimus, maximèque germanus est* Salphaad mortuum quidem esse in deserto; non tamen ob seditionem illam memorabilem concitatam sub Core, sed propter causam cæteris omnibus qui in deserto perierunt communem: Quia peccaverunt murmurando & non credendo promissis Dei. Quapropter non magis non debemus privari successione paterna, quod quidem ad præsens delictum attinet, quàm cæteri quicumque qui Parentibus in deserto mortuis succedunt. Ubi notandum, quòd qui in Deserto moriebantur, existimabantur perire, & ab ingressu terræ promissæ prohiberi, propter peccata in Deum, vel murmurando, vel non credendo commissa; adeò ut nec Moyses, nec Aaron, & Maria fuerint ab hac punitione immunes. Dicunt autem, *Nec fuit in Seditione quæ concitata est contra Dominum sub Core*, quia quamvis seditio illa legatur concitata à Core, & sociis ejus: Alii tamen aliarum Tribuum plurimi seditioni ab illis concitatæ consenserint. Ubi venit observandum, quòd apud Hebræos, si proles aliqua esset mascula, illa esset hæres omnium, ita ut filiæ nullam hæreditatis partem adire possent, quia per masculos, & non per fœminas familiæ conservabantur, & distinguebantur. Fuit autem per Dei providentiam in veteri Testamento tanta cura conservationis, & distinctionis familiarum, tum propter jura primogenituræ, & certitudines familiarum secundùm successiones hæreditatum, ut certò constaret quænam familia esset proximè juncta illi, quæ in locum emorientis deberet succedere; atque ut liquidò constaret Christum ex Judæis, & ex Juda natum esse, juxta Prophetiam Genes. 49. datam.

[ *Date nobis possessionem inter Cognatos Patris nostri.* ] Alii ex Hebræo reddunt, *In medio Fratrum*, sed phrasi Hebræa, *Cognati* vocantur *Fratres.*

[ ℣. 4. *Retulitque Moyses causam earum ad judicium Domini.* ] Moyses super hac quæstione Deum consuluit.

[ ℣. 6. *Justam rem postulant Filiæ Salphaad: Da eis.* ] Jube eis dari in terra Chanaan, nec enim Moyses erat illam ingressurus, ac per consequens nec ullam possessionem erat ibi consignaturus.

[ *Possessionem inter Cognatos Patris sui,* ] Adierunt ergo istæ filiæ hæreditatem, non jure suo, sed Paterno; unde dicuntur Patri succedere in hæreditate illa quam Pater habuisset in terra Chanaan, si eò usque vixisset.

[ ℣. 8. *Homo cùm mortuus fuerit absque filio, ad filiam ejus transibit hæreditas:* ] Sermo est de hæreditate quæ consistebat in re immobili, de cujusmodi parens non poterat disponere, neque per Testamentum, neque aliter. De mobilibus autem poterat disponere, sive per testamentum, sive per alium contractum, etiam in utilitatem filiarum. Si verò moreretur ab intestato, bona mobilia devolvebantur ad proximè junctos sanguine, eo modo quo immobilia, nisi quòd de mobilibus pars quædam perveniret ad filias, non similiter pars bonorum immobilium, excepto casu, quo absque liberis masculis decederet, essetque necessarium ad Patris nomen & Familiam conservandam.

[ ℣. 11. *Eritque hoc filiis Israel Sanctum lege perpetua,* ] Sanctum, idest, firmum & inviolabile. In Hebræo. *Et erit filiis Israel in Statutum judicii.* Hoc est, in Statum secundùm quod Judicibus erit judicandum, & ferenda sententia.

[ ℣. 12. *Ascende in montem istum Abarim,* ] Abarim est mons, vel plurium montium continuatio in confinibus Amorrhæorum, & Moabitarum. Illum jubetur Moyses ascendere: tum ut ex eo contempletur terram promissionis; additur enim: [ *Et contemplare inde Terram, quam daturus sum filiis Israel.* ] Tum ut ibi moriatur, quemadmodum Textus indicat.

[ ℣. 13. *Cùmque videris eam, ibis & tu ad populum tuum,* ] Ibi morieris, & descendens ad Limbum Patrum.

[ ℣. 14. *Quia offendistis me in Deserto Sin in contradictione multitudinis, nec sanctificare me voluistis coram ea super aquas,* ] In Hebræo est comparatio, *Sicut offendistis*, ut sensus sit: Quemadmodum noluistis me sanctificare, & potentiam meam celebrare coram populo murmurante propter aquas: Ita vicissim non dignabor vos ingressu terræ, quam daturus sum filiis Israel. *Ex quo colligunt quidam* Moysen talia verba protulisse, ex quibus videretur de Dei potentia dubitare; hoc enim est quòd dicitur Deum *non sanctificasse*; *sanctificatur* enim Deus ab homine, quando ejus sanctitas, potentia vel bonitas hominis Testimonio commendatur. *Mystica* designari hic potest per hoc quòd neque Aaron, neque Moyses permissi fuerint ingredi terram promissionis, quòd nec vetus Sacerdotium, cujus personam gerebat Aaron, nec ipsa Lex repræsentata per Moysen, possunt introducere populum fidelem in terram æternæ hæreditatis, sed solus Jesus Christus, per Jesum Navem figuratus.

[ ℣. 16. *Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc:* ] Petit provideri hominem qui sit super universam multitudinem populi Hebræi. Relinquit Deo electionem & judicium, non audens id sibi arrogare, etsi probè nosset idoneitatem Josue, neque vel suos, vel fratris filios commendat, quamvis eorum affectu valdè haberet commendatos.

[ ℣. 17. *Et possit exire & intrare ante eos,* ] Qui possit esse Dux & ductor eorum in omni opere tam bellico, quàm civili. Id enim Hebræi significant per istam Metaphoram sumptam à Pastoribus educentibus gregem.

[ ℣. 18. *Tolle Josue filium Nun, virum in quo est spiritus,* ] Spiritum intelligit prudentiam, pietatem, fortitudinem, & reliquas virtutes tanto operi necessarias.

[ *Et*

[ *Et pone manum tuam ſuper eum.* ] Ut hac Cæremonia Joſue inſtituatur Dux populi, & ſucceſſor tuus, ſicque majori ſpiritu & gratia donetur ad munus iſtud opportunè. Non fuit autem hic ritus nuda cæremonia exterius adhibita, ſed fuit Cæremonia ſacra deſerviens plenitudini poteſtatis quam Moyſes impertiebatur Joſue.

[ ℣. 19. *Qui ſtabit coram Eleazaro Sacerdote & omni multitudine:* ] Poſtquam ſcilicet fuerit adductus, & coram Eleazaro ac populo conſtitutus populi Dux.

[ ℣. 20. *Et dabis ei præcepta cunctis videntibus,* ] Præcepta illa intelliguntur, quæ pertinebant ad Officium Principis benè gerendum, maximè ut cum Chananæis rem ſtrenuè ageret, divino fretus auxilio, nec eos metueret.

[ *Et partem gloriæ tuæ,* ] In Hebræo, *De gloria tua*, vel *de decore tuo*, Sive autem legatur, *de gloria tua*, ſive, *partem gloriæ tuæ*, non ſignificatur gloria Moyſi per hoc fuiſſe ex parte aliqua diminuenda, ſed quòd Joſue futurus eſſet ſocius ejus gloriæ quæ erat in Moyſe, ita tamen ut non æqualem cum Moyſe gloriam eſſet habiturus. Nam de Moyſe dicitur Deuteronomii ultimo; *Non ſurrexit ultrà Propheta in Iſrael ſicut Moyſes.* Accepit ergo partem gloriæ, quia non parem, ſed minorem, atque inferiorem gloriæ excellentiam eſt conſecutus. Patet id etiam ex ſequentibus. Nam jubetur Joſue in omnibus conſulere Eleazarum ſummum Sacerdotem; Moyſes autem in omni re dubia per ſe, & immediatè oraculum divinum conſulebat. Quænam porrò fuerit gloria Moyſi communicata Joſue non omninò convenit: *Alii* cornuum & radiorum ejus ſplendorem accipiunt, etſi non tantum, quantus in Moyſi vultu & radiis emicuit. *Alii* hanc gloriam nihil aliud fuiſſe volunt, quàm laudem & commendationem novi Principis apud populum. *Alii* virtutes animi quæ virtutes Moyſi æmularentur. *Alii* hoc ita accipiunt, ut Moyſes quamdiu viveret cum Joſue tamquam novo Principe communicaret ſuam authoritatem, poteſtatem & gloriam, omniaque Principum inſignia, ut in poſterum ei non tamquam Miniſter ſerviret, ſed tamquam princeps aſſideret conſulendo & regendo. *Juxta quæ* intelligendo Scripturam, non ſignificatur quòd populus poſſet eſſe tardior ad obtemperandum Moyſi, ſed quòd deberet eſſe promptior. Ratio autem cur eam gloriam Deus voluerit eſſe communicatam cum Moyſe adhuc vivente, ſtatim exprimitur; [ *Ut audiat eum omnis Synagoga filiorum Iſrael,* ] Sive ut hoc ei authoritatem det apud populum, & populus diſcat ei parere.

[ ℣. 21. *Pro hoc ſi quid agendum erit, Eleazar Sacerdos conſulet Dominum.* ] *Pro hoc*, Joſue ſcilicet, ſi quid majoris momenti in rebus ad Principatum, & ad communem utilitatem erit agendum, Eleazar Sacerdos conſulet Dominum: Non ipſe Joſue per ſeipſum, ſed pro illo, & ad ejus nutum, Eleazar.

[ *Ad verbum ejus,* ] Scilicet conſulentis Dominum, & Domini ſententiam referentis, [ *egredietur & ingredietur ipſe, & omnes filii Iſrael cum eo, & cætera multitudo.* ] *Sunt* qui hæc ad bellum referunt, ſed *abſque neceſſitate*, cùm in Textu nihil addatur eò pertinens. Ideò *alii* de quovis negotio magni momenti interpretantur, ut *ſenſus ſit*, quòd actiones ſuas inſtituent. *Cæterùm*, an contra hoc præceptum fecerit Joſue, quando cum Gabaonitis fœdus iniit ac juramento firmavit Joſue 9. non liquet, *veroſimilius eſt* quòd non fecerit contra; quia juraverat abſolutè & ſine ulla conditione, quamquam ſi ſciviſſet illos eſſe Chananæos, non ita illis peperciſſet; ſed videns quòd ad Deum convertebantur, cùm conſuluiſſet, qui veriſimiliter juſſiſſet eis parcere: Ideò enim eos videtur moviſſe timore ſui nominis, ut ſic veniam obtinerent. *Neque putandum eſt*, quòd Joſue fecerit contra præceptum de Chananæis protsùs delendis, quia illud erat datum ex præſuppoſito quòd indurati manerent, unde cap. 11. Joſue dicitur, quòd Domini ſententia fuit, ut indurarentur, & delerentur.

[ ℣. 22. *Cùmque tuliſſet Joſue, ſtatuit eum coram Eleazaro Sacerdote & omni frequentia populi.* ] Ut eum conſtitueret Ducem ac Principem totius populi.

[ ℣. 23. *Et impoſitis capiti ejus manibus,* ] Moyſes impoſuit manus ſuas ſuper caput Joſue ad inſtituendum eum Principem. Præcedit v. 18. *Pone manum tuam ſuper eum;* ſed de utraque manu hoc eſſe intelligendum, ex Deut. ult. patet ubi dicitur, quòd *Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas.*

## CAPUT XXVIII.

*Sacrificia quotidiana diei ſeptimi ac calendarum. Et de duabus ſolemnitatibus Azymorum & Hebdomadarum.*

[ ℣. 2. *PRæcipe filiis Iſrael, & dices ad eos:* ] Ea quæ hic ſequuntur.

[ *Oblationem meam, & panes, & incenſum odoris ſuaviſſimi.* ] Erant quatuor miniſteria Sacerdotalia, quæ intra Sanctuarium fiebant; ſcilicet, Oblatio Sacrificiorum, Oblatio Panum, Incenſio Lucernarum, & Oblatio Thymiamatis: Sed ſolùm hic proſequitur de uno, ſcilicet de Oblatione ſacrificii, de Panum autem propoſitione, Incenſione Candelarum, & oblatione Thymiamatis nihil hic dicitur, quia non habebant aliquam difficultatem, aut varietatem, cùm ſemper eodem modo fierent.

[ ℣. 3. *Hæc ſunt ſacrificia quæ offerre debetis: Agnos anniculos immaculatos duos quotidie.* ] *Agnos anniculos* vocat qui annum agerent, nec minores eſſent octo diebus. Hi debebant eſſe immaculati, carentes nimitùm maculis, læſione, & deformitate: Et debebant *quotidie* offerri *duo*, unos *mane*, alium *veſperè*. Dicitur autem, *duos quotidie*; quia, ſive in diebus feſtis, ſive in aliis, ſemper offerri debebant duo Agni; cum ea tamen diverſitate, quòd in feſtis ſemper offerendi erant iſti duo Agni, & inſuper ſacrificia ad diem feſtum pertinentia; in reliquis autem diebus, ſolùm duo Agni.

[ *In holocauſtum ſempiternum:* ] Vocatur *Sempiternum*, quia tamdiu durare debebat, quamdiu durabat ſtatus Reipublicæ Judæorum, & quamdiù eſſent in Terra Chanaan, cùm extra illam non eſſet locus ad ſacrificia.

[ ℣. 5. *Decimam partem Ephi ſimilæ,* ] Farinæ, vinum & oleum erant libamenta quæ ſemper cum ſacrificiis offerebantur, præterquam in ſacrificio pro peccato.

[ *Quæ conſperſa ſit oleo puriſſimo,* ] *Simila* erat farina delicata, ſuper quam oleum fundi debebat, idque valdè purum.

[ *Et habeat quartam partem Hin,* ] *Hin* erat menſura liquidorum, & dividebatur per Sextarios.

[ ℣. 6. *Holocauſtum juge eſt,* ] Oblatio iſtorum Agnorum cum ſuis Libamentis eſt *holocauſtum juge*, ſeu quotidie offerendum pro ſtatu Legis Moſaicæ.

[ *Quod obtuliſtis in monte Sinai,* ] Hoc additur, quia poſt montem Sinai non immolaverunt aliqua animalia facientes ſacrificium.

[ *In odorem ſuaviſſimum incenſi Domini.* ] Id eſt, in odorem qui emittitur de re incenſa. Non enim ponitur incenſum pro Thure, ſed pro ipſo ſacrificio quod incendebatur, ac totum cremabatur ſuper Altare. Unde obſervant Interpretes, quòd Agnus qui mane cremabatur, debebat totus cremari Deo, quaſi ſummo omnium Domino, ſicque ei fieri holocauſtum. Et qui offerebatur veſperè, ſimiliter erat totus cremandus, ut tam initio, quàm in fine diei Deum latriâ colerent, & cum eo die clauderent, ſicut cum illo diem inceperant. *Quis ergo Chriſtianus* mane, aut veſperè orationem omittat, qua ſe ſuaque omnia Deo commendet pro beneficiis nocturnis ac diurnis? Idem Agnus debebat eſſe *Anniculus*, hoc eſt; non excedere annum; & eſſe *immaculatus*, ſive integer, & abſque vitiis corporis. Quòd eſſet albus, vel niger, vel haberet corporis maculas albas aut nigras, impertinens erat, quia hoc non tollebat corporis integritatem. Cùm quoque Agno ſua libamenta erant adhibenda, quia ſic Deus ordinaverat.

[ ℣. 7. *Et libabitis vini quartam partem hin per agnos ſingulos in ſanctuario Domini.* ] Hoc eſt, inter Atrium Tabernaculi altaris holocauſtorum.

[ ℣. 8. *Alterumque Agnum ſimiliter afferetis ad veſperam* ]

*tam* ] q. d. Etiam offeretis; alterum Agnum ad solis occasum. Et hoc erat holocaustum vespertinum.

[ ℣. 9. *Die autem Sabbathi offeretis duos Agnos anniculos immaculatos*, ] Scilicet præter illos duos qui erant quotidiè offerendi, unus mane, alius vesperi.

[ ℣. 11. *In Calendis autem* ] Quidam Libri addunt, *Mensium*: Idest, in Mensium Exordiis. Sed hæc Commentatis serviunt, & nequaquam sunt de Textu *Calenda* erant *primus dies mensis*, quæ & *Neomenia*, sive *Novi-lunium* dicitur; eo quòd Hebræi menses suos computarent secundùm cursum Lunæ, ab uno videlicet Novi-lunio ad aliud, ita ut prima dies mensis semper incideret in Novi-lunium. Licèt autem Novi-lunium, & prima dies mensis semper in eamdem diem incideret, non tamen semper incidebant in eamdem horam. Ab uno namque Novi-lunio ad alterum, semper erant viginti novem dies, & duodecim horæ. Et cum dies quælibet habeat 24. horas, fiebat quòd mensis Hebræorum haberet alternis vicibus, nunc dies 29. nunc 30. junctis scilicet horis excrescentibus ad constituendum diem trigesimum. *Ex his* intelligi potest, annum apud Hebræos incœpisse aliquando ante Æquinoctium vernum, aliquando post illud: Menses quoque illorum non ex æquo respondisse mensibus Romanis solaribus, cùm non essent æquales. Exod. 1. 2. quæst. 102. artic. 4. ad 10. *observandam est*, Neomæniam à Deo fuisse institutam ad recolendum beneficium Divinæ Gubernationis: Nam hæc inferiora præcipuè variantur secundùm motum Lunæ, & ideò celebrabatur in novitate Lunæ; non autem in ejus plenitudine, ad evitandum cultum Idololatrarum, qui in tali tempore sacrificabant Lunæ.

[ *Offeretis holocaustum Domino*, ] Ut primitias tam temporis & Mensium, quàm frugum Deo dependerent, & ab eo peterent faustum & salutarem totius mensis decursum.

[ ℣. 12. *Et tres decimas similæ oleo conspersæ* ] Sicut pro vitulo tres decimas, & pro Ariete duas offerebant, ita pro Agno unam decimam similæ.

[ ℣. 13. *Et decimam decimæ similæ ex oleo* ] Decima decimæ, erant una decima, decima scilicet pars Ephi.

[ ℣. 15. *Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in holocaustum sempiternum cum libamentis suis.* ] *Quæritur primò*, Quomodo hircus dicatur pro peccato offerendus in holocaustum? Si enim erat victima pro peccato, non potuit esse holocaustum: Vel si erat holocaustum, non potuit esse pro peccato. *Quæritur secundò*, Quomodo holocaustum sempiternum? Si iste hircus tantùm offerebatur in Calendis. *Quæritur tertiò*, Quomodo offerebatur cum libamentis? cùm hostiis pro peccato non adderentur libamenta? *Ad hæc sunt qui respondent* in Hebræo sensum esse perspicuum, nec hisce difficultatibus locum superesse, cùm ibi dicatur hircum hunc pro peccato esse offerendum, [ *super* ] id est, [ *præter* ] holocaustum juge, quod Hieronymus vocat holocaustum sempiternum.

[ ℣. 16. *Mense autem primo, quarta decima die mensis, Phase Domini erit*, ] Celebrabitur Pascha, de quo, ut & de Cæremoniis eo spectantibus plura diximus Exod. 12.

[ ℣. 17. *Et quinta decima die solemnitas: Septem diebus vescentur Azymis.* ] Facto videlicet initio ab ipso die in qua cum lactucis agrestibus comedebant Agnum Paschalem.

[ *Vers.* 18. *Quarum dies prima venerabilis & sancta erit:* ] Hoc additur ad distinctionem primæ diei Paschalis ab aliis, cùm in illa, sicut & in septima vacare deberent ab operibus servilibus, unde hic sequitur.

[ *Omne opus servile non facietis in ea*, ] q. d. nullum. Etsi enim in ejusmodi festo non omnia opera essent prohibita, omnia tamen illa erant prohibita, quæ erant servilia.

[ *Vers.* 19. *Offeretisque incensum holocaustum Domino*, ] Pro *Incensum*, Hebræa dicunt, *Ignitionem*, hoc est, victimam quæ crematur igne; & significat Holocaustum. Quæ autem esset illa victima, statim explicatur, dicendo, quòd in Festo Paschæ offerentur in holocaustum duo vituli, unus aries; & septem Agni cum suis libamentis, & hircus unus pro peccato.

[ ℣. 20. *Et sacrificia singulorum ex simila.* ] Cùm quolibet istorum animalium offeretur suum sacrificium quod est ex simila, hoc est, sua oblatio.

[ *Quæ conspersa sit oleo*, ] Nunquam enim in sacrificio Pacifico, vel holocausto ponebatur victima arida, sed semper conspergebatur oleo.

[ *Tres decimas per singulos vitulos*, ] Cùm quolibet vitulo dabuntur tres decimæ de simila, eaque oleo conspersa, ac etiam vino.

[ *Et duas decimas per Arietem*, ] Duæ decimæ de simila offerentur cum Ariete.

[ *Vers.* 21. *Et decimam decimæ per Agnos singulos*, ] Cum quolibet septem Agnorum offeretur una decima decimæ de simila.

[ *Vers.* 22. *Et Hircum pro peccato unum*, ] Abulensis exponit de Hirco Calendarum, qui offerebatur pro peccato populi, & non pro aliquo peccato determinato.

[ *Ut expietur pro vobis*, ] Ut fiat expiatio.

[ *Vers.* 23. *Præter holocaustum matutinum quod semper offeretis.* ] q. d. Ista sacrificia supra posita erant *præter holocaustum matutinum*, quod numquam omittetur, etiamsi contingeret mille Agnos anniculos mane esse offerendos: Quia ille Agnus pertinebat ad juge sacrificium matutinum. Ob quam quoque rationem omitti non poterat Agnus vespertinus, quantumcumque multi Agni essent offerendi, vel oblati. De quo tamen Textus nihil exprimit: quia non erat ratio dubitandi de Agno Vespertino, sicut de matutino, quia videri potuisset omittendus, quando satis multa alia animalia mane offerebantur, nisi Deus aliter ordinasset.

[ *Vers.* 24. *Ita facietis per singulos dies septem dierum in fomitem ignis*, ] Hoc est, ad nutrimentum ignis.

[ *Et in odorem suavissimum Domino*, ] Quia Deus susciperet odorem valdè suavem de istis sacrificiis.

[ *Qui surget de Holocausto, & de libationibus singulorum*, ] Qui odor surget de Carnibus crematis in holocaustum, & de libationibus istorum singulorum dierum: Quia in quolibet eorum fiebant illa sacrificia cum suis libamentis. Et odor quidem ille, cùm esset de carnibus crematis, & de libamentis victimarum, non erat secundùm se gratus; sed Deus habebat eum suavem & gratum propter devotionem offerentium.

[ ℣. 25. *Dies quoque septimus celeberrimus & sanctus erit vobis:* ] Hoc ponitur propter diversitatem celebrationis in vacatione ab operibus servilibus: Nam inter primum & septimum diem intercesserant quinque dies non celebres: Ne ergo idem putaretur de septimo, conveniebat exprimi quòd erat celeberrimus, idest, multùm celebris seu colendus & sanctus, hoc est, specialiter Deo applicitus propter observantiam à laboribus.

[ *Vers.* 26. *Dies etiam primitivorum*, ] Seu primorum fructuum. Sermo est de *Pentecoste*, seu *Quinquagesima*, quæ celebrabatur die quinquagesima post diem azymorum, & aliter vocabatur *Festum Hebdomadarum*: Quia computabantur septem hebdomades post illum diem azymorum, & tunc fiebat istud festum. Quoniam verò singulæ domus peracta messe offerebant in templo duos panes triticeos benè coctos, ob eam rationem dies ille vocabatur *dies primitivorum*.

[ *Quando offeretis novas fruges Domino.* ] Non quòd tunc offerrent fruges in spicis, vel in granis purgatis, sed in panibus coctis, qui vocari possunt propriè *fruges* secundùm nominis originem; *fruges* enim à *fruendo* dicuntur, quia illis fruimur in cibum.

[ *Expletis hebdomadibus*, ] Computabantur enim septem hebdomades post Festum azymorum, quæ faciunt dies 49. & sequenti die erat festum Pentecostes.

[ *Venerabilis & sancta erit:* ] Propter solemnitatem Festi.

[ ℣. 27. *Offeretisque holocaustum in odorem suavissi-*

*vissimum Domino*, ] Quia inde efflabatur odor qui erat Deo gratissimus.

[ *Vitulos de armento duos*, ] Tam hic, quàm alibi frequenter dicitur, *de armento*: Quia vituli semper sunt *de armento*; cùm *armentum* significet congregationem magnorum Animalium, scilicet boum, equorum, camelorum, sicut *Grex* importat congregationem minorum animalium, ut porcorum, ovium, caprarum.

[ ℣. 28. *Atque in sacrificiis eorum simila oleo conspersæ tres decimas* ] *In sacrificiis eorum*, Id est, in Libamentis istorum sacrificiorum oportet ponere tres decimas similæ oleo conspersæ.

[ ℣. 29. *Per Agnos decimam decimæ*, ] Pro singulis Agnis offeretis Decimam decimæ de simila: Ideò quippe additur; *Qui simul sunt Agni septem*.

[ *Hircum quoque* ℣. 30. *Qui mactatur pro expiatione*: ] Offeretis etiam hircum qui in diebus festorum mactari solet pro expiatione peccati.

[ *Præter holocaustum sempiternum* ] Q. d. Ista offeretis ultra Holocaustum sempiternum; sive, ultra juge sacrificium, quod quotidiè offerendum erat mane & vesperi, quodque vocatur *sempiternum*, *partim quia* quotidiè debebat sine intermissione offerri: *partim* quia semper erat duraturum toto tempore quo duraret status Judæorum.

## C A P U T XXIX.

*Solemnitates mensis septimi, & quid in eis offerendum sit. Nempè solemnitas tubarum; expiationis, & Tabernaculorum quæ octo diebus varias habent oblationes.*

[ ℣. 1. MEnsis etiam septimi prima dies venerabilis & sancta erit vobis. ] Erat enim festa *dupliciter*, propter Neomæniam & Festum Tubarum: Debebantque offerri sacrificia utrique festo propria, post juge sacrificium Agni.

℣. 3. *Et in sacrificiis eorum, simila oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos*, ] In Hebr. & 70. *Per vitulum*: Neque enim in Festo Tubarum offerebatur annis singulis plusquàm unus vitulus.

[ ℣. 6. *Præter Holocaustum Calendarum* ] Ista omnia offerentur, & præterea offeretur quoque holocaustum in Calendis offerri solitum.

[ *Cum sacrificiis suis*, ] Hoc est, cum suis Libamentis.

[ *Et holocaustum sempiternum cum oblationibus solitis*. ] Offeretis etiam sacrificium quotidianum quod semper offerri debet mane & vesperi, idque cum suis libationibus.

[ ℣. 7. *Decima quoque dies mensis hujus septimi erit vobis sancta atque venerabilis*, De festo Expiationis sermo est, quando fiebat expiatio, seu purificatio pro omnibus peccatis populi. Quod aliter vocabatur *Dies propitiationis*, quia tum Deus exhibebat se propitium, & miserebatur.

[ *Et affligetis animas vestras*: ] Seu vos ipsos, per jejunium scilicet isti diei proprium.

[ ℣. 11. *Absque his quæ offerri pro delicto solent in expiationem*, ] Q. d. Omnia illa offerentur, & præter hæc etiam offerentur omnia alia quæ pertinent ad expiationem.

[ *Et holocaustum sempiternum, cum sacrificio & libaminibus eorum*. ] Prætec jam dicta, etiam offeretur juge sacrificium, quod ex nulla ratione omitti poterat, & offerri debebat cum *Mincha* seu cum farce, quod addi solebat jugi sacrificio.

[ ℣. 12. *Quinta decima verò die mensis septimi, quæ vobis sancta erit atque venerabilis*, ] Erat enim tunc *festum Scenopegia*, seu *Tabernaculorum*, quod per septem dies celebrabatur: Unde hic præscribuntur victimæ singulis ejus diebus offerendæ, eæque ferè eædem quolibet die, scilicet Arietes duo, & Agni quatuordecim: Nisi quòd primo die offerrentur vituli tredecim; secundò, duodecim; tertiò, undecim; & ita consequenter diminuendo semper offerebantur: Die autem octavo, qui erat *Cœtus*, seu, *Collecta*, tantùm offerebant vitulum unum, arietem unum, & Agnos septem.

[ *Celebrabitis solemnitatem Domino septem diebus*. ] Non quòd omnibus illis diebus deberent vacare ab operibus servilibus, sicut in primo, sed quoniam peculiaria semper offerenda erant sacrificia.

[ ℣. 14. *Et duas Decimas Arieti uno, idest, simul arietibus duobus*. ] Unicuique arietum duas decimas jungetis, tot nimirùm uni, quot alteri.

[ ℣. 15. *Et Decimam decimæ Agnis singulis*, ] In singulorum Agnorum oblatione offeretis unam decimam Ephi.

[ ℣. 35. *Die octavo, qui est celeberrimus*, ] Seu valde celebris: Quamvis enim ille dies esset solemnia, Judæi tamen non obligabantur eo die manere in Tabernaculis quæ de ramis arborum fecerant, ut nec in eis manebant, sed solùm septem diebus præcedentibus: Octavus autem dies fuit additus ad faciendam collectam, qui vocatur *celeberrimus*, non quòd esset celebrior die primo, cùm in utroque vacarent à laboribus, sed respectu dierum intermediorum qui non erant festi sicut dies octavus.

[ ℣. 39. *Hæc offeretis Domino in solemnitatibus vestris: præter vota*. ] Significatur quòd ista omnia tenebantur Judæi offerre ex Lege ipsis data, etiam præter vota: Sive, etiam posito quòd seipsos voto obligassent ad aliqua sacrificia offerenda; Per hujusmodi enim vota non liberabantur ab obligatione offerendi ea quæ Lex præscribebat.

[ *Et oblationes spontaneas*. ] Nam hæ non poterant surrogari in locum victimæ alicujus per Legem præscriptæ.

[ *In Holocausto, in sacrificio*, ] Sive offerrent holocausta, sive sacrificia, hoc est, oblationes ex simila. Benè enim monet Abulensis non hic significari *sacrificium pro peccato*, sed *similam*, quæ offerebatur cum carne Animalis.

## C A P U T XXX.

*De voto ac juramento virorum, & quando puellarum & uxorum vota seu juramenta rata sint, vel irrita.*

[ ℣. 2. ET locutus est ad Principes Tribuum filiorum Israel: ] Quæ sequuntur, rectè intelligitur Moyses esse locutus ad totam multitudinem, quia pertinebant ad totum populum: Nominantur tamen specialiter *Principes*, quia ipsi erant Principaliores in populo, & per eos ad populum erant refecenda.

[ ℣. 3. *Si quis virorum votum Domino voverit*, ] Quia vir denotat ætatem perfectam, hæc sunt intelligenda de eo qui est ætatis perfectæ, & sui juris: si enim aliquis esset minor, & in potestate alterius, votum non teneret.

[ *Aut se constrinxerit juramento*: ] Quamvis enim votum & juramentum differant, quia tamen utrumque importat quòd fiat Deo, & juramentum involvit promissionem soli Deo factam; propterea eadem est juramenti quæ voti ratio, quod attinet ad obligationem: Semper autem intelligendum est tam juramentum quàm votum esse de re licita. Nam si esset de illicita, sicut malè promitteretur, ita malè, imò & pejus impleretur. Exempli causa, si juraret vir se defensurum urbem contra Legitimum suum Principem: *ipse* & jurando graviter peccavit, & isto suo juramento non tenetur; & si voluerit implere, graviùs peccabit, sicut Herodes, qui quod imprudenter juraverat, sceleratè implevit occidendo Joannem Baptistam. *Observandum præterea*, legem hanc de juramento, aut voto, non comprehendere eos qui sunt in alterius potestate. Nam *servi* nihil possunt jurare aut vovere, per quod aliquo pacto impediatur servitium Domino debitum: Nec *Religionem professi* possunt vel vovere, vel implere votum, sine arbitrio ejus qui super ipsos est; ut nec *Filiusfamilias* potest ea vovere, vel implere in quibus est Patri subjectus, sine ejus consensu. At de rebus ad statum totius vitæ pertinentibus, velut de ingressu Religionis, vovere, & implere possunt sine parentum consensu.

[ *Nen*

[ *Non faciet irritum verbum suum*, ] Nec votum, nec juramentum suum violabit.

[ ℣. 4. *Mulier si quidpiam voverit, & se constrinxerit juramento, quæ est in domo Patris sui, & in ætate adhuc puellari* : ] Sub *muliere* etiam intelligendus est *puer* in ætate puerili, propter eamdem rationem. Et quod est in Textu nostro, *in ætate puellari*: Hebraicè sonat, *in pueritiis suis*; idest, in Adolescentia sua, dum scilicet adhuc moratur apud Patrem nondum nupta: Non enim significatur irritari posse votum puellæ propter ætatis immaturitatem, sed irritari posse à Patre, *quia* cum Patre habitat, & nondum est nupta: Nam si nupta sit, poterit irritari per Maritum. Loquitur autem Moyses de voto earum rerum quæ ad convictum domesticum spectant, ut de jejunando, de abstinendo à certis cibis, de certo vestitu, de proficiscendo ad Templum, & offerendis muneribus: non autem de ea re quæ pertineret ad dispositionem totius vitæ, ut de ingressu Religionis, de continentia perpetuò servanda, qualia vota non erant tunc in usu, nec opus esset hæc à Patre irritari, si puella non haberet ætatem sufficientem discernendi de talibus; quia ante illam ætatem, ipso jure naturæ, vota ejusmodi non essent obligatoria.

[ *Si cognoverit Pater votum quod pollicita est, & juramentum quo obligavit animam suam, & tacuerit, voti rea erit* : ] Obligata erit servare votum. Dicitur, *Si cognoverit Pater*, quia priusquàm Pater factus sit conscius voti suæ filiæ, illudque irritaverit, filia tenetur illud implere, si deliberatè voverat. Sub Patre etiam *Tutores* intelliguntur; quoniam Patre mortuo, ipsi succedunt in jus paternum. *Ex Cajetano observant interpretes* non hic agi de quacumque notitia quam Pater habeat, sed de notitia quam ipse habeat à sua filia *directè*, vel *indirectè* cupiente habere Patris consensum aut licentiam exequendi suum votum: *qui etiam addunt*, quòd si Pater taceret factus conscius voti filiæ, hoc ipso confirmabat ejus votum; quia is videtur consentire qui tacet in eo quo præjudicatur, vel subtrahitur aliquid suo juri vel potestati: Sicut faciebat puella quæ per ejusmodi votum se subtrahebat è paterna potestate & regimine: *quamquàm non appareat* quòd nudum Patris silentium *omnino* confirmaret tale votum filiæ, nisi propter præsentem Legem positivam. *Si quæras* de voto filiæ io quod Pater saltem tacitè semel consenserat: *Dicendum est* illud fuisse absolutè ratum, nec licuisse postea filiæ illud irritare; *imò* nec Patri. *Si tamen* ipsa puella posteà nuberet licebat Marito statim post Matrimonii contractum ejus votum irritare, æquè ac si votum fuisset in Matrimonio factum; quoniam alioqui Matrimonium fuisset viro nimis onerosum.

[ ℣. 6. *Sin autem statim ut audierit, contradixerit Pater* : ] Quod dicitur *statim*, non oportet sic intelligere; quasi oportuerit Patrem eo momento contradicere voto suæ filiæ, quo illud audiverat, sed *moraliter* accipiendum est, ut significetur quòd eo ipso die debebat contradicere, quo voti notitiam acceperat, nisi fortè justum aliquod temporis intervallum desideraret ad deliberandum, quod non videtur fuisse illi negandum.

[ *Et vota, & juramenta ejus irrita erunt*, ] Defectu videlicet consensus requisiti ex parte parentis.

[ ℣. 7. *Si maritum habuerit, & voverit aliquid, & semel de ore ejus verbum egrediens animam ejus obligaverit juramento*: ] intellige, *aut voto*, propter eamdem rationem. *Sunt* qui per *maritum* hic intelligunt *Sponsum* cui puella nondum sit nupta, sed solùm promissa, ut iste casus distinguatur ab eo qui ponitur versu 11. *Sed aliis* probabilius est, utroque loco agi *de marito*, & non de *Sponso*: Hic quidem de marito qui sit in domo Patris puellæ cum ipsa; posteà verò de eodem marito in cujus domo habitet puella, & non ampliùs in domo Patris.

[ ℣. 8. *Quo die audierit vir, & non contradixerit, voti rea erit*, ] Erit ad votum exolvendum obligata.

[ ℣. 9. *Sin autem audiens statim contradixerit, &c. propitius erit ei Dominus*. ] Deus nihil ab ea exiget, neque ob votum non servatum ullam ab ea exiget pœnam.

[ ℣. 10. *Vidua, & Repudiata quidquid voverint, reddent*. ] Hinc videri potest Repudiatam perinde ut viduam esse solutam à lege viri, & à vinculo Conjugii. Sed apositè habet *Estius* repudiatam esse solutam, non secundùm veritatem, sed legis permissione & conniventia; ideoque lex illa loquitur sicut de soluta: Præsertim quia cum esset à viro dimissa, nec ampliùs cum eo habitaret, ejus vota non poterant ab ipso cognosci: *Imò*, vir eam dimittens, quantùm in se erat, liberam illam faciebat ad vovendum, & agendum quid vellet, atque ita relinquebat illam suo juri. *Observant quidam* non hic agi de potestate viri quam habet, secundùm quod est maritus, in corpus suæ conjugis; ( sic enim etiam mulier poterat irritare vota sui viri, quatenùs redderent eum ineptum ad opus thori conjugalis ) sed quatenùs est caput Familiæ quam habet gubernandam. Quoniam porrò jam dispositum est de muliere quæ virum non habet, neque habitat in domo parentis; *Quæri potest* de illa quæ virum non habens ad domum Patris rediit, sitne in Patris potestate ejus vota irritare: *Ad quod negativè Respondendum videtur*; Cùm enim per Matrimonium fuerit emancipata, numquàm posteà redit sub paternam potestatem.

[ ℣. 11. *Uxor in domo viri cum se voto constrinxerit & juramento*, ] Copulativa *&*; pro disjunctiva *vel* ponitur, sicut est in Hebræo.

[ ℣. 12. *Si audierit vir, & tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet quodcumque promiserat*. ] Quia ista viri taciturnitas est apertum judicium consensus in votum uxoris.

[ ℣. 13. *Sin autem extemplo contradixerit, non tenebitur promissionis rea* : ] Non obligatur ista promissione.

[ ℣. 14. *Si voverit, & juramento se constrinxerit, ut per jejunium, vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam*, ] Hoc est, seipsam. De quibuslibet votis hic agi *verisimilius est*, & non tantùm de votis abstinentiæ: Verba enim Scripturæ sunt generalia, ideòque comprehendunt quælibet vota.

[ ℣. 15. *Quòd si audiens vir tacuerit, & in alteram diem distulerit sententiam; quidquid voverat atque promiserat, reddet: quia statim ut audivit, tacuit*. ] Ex iis quæ decreta erant tum de uxore, tum de puella ætatis adhuc puellaris, nasci poterat *quæstio*, quid si postquàm maritus vel parens tacuit, firmatumque est per eorum Taciturnitatem votum, ipsi posteà repugnent ac nolint votum impleri: *Cui difficultati* Deus occurrit statuens quòd in ejusmodi casu possit uxor & filia non implere votum, quia non convenit uxorem aut filiam reluctari marito vel parenti; ipsum tamen sive maritum sive parentem, luiturum pœnam voti non servati, si absque rationabili causa impediat illud servari. Unde sequitur:

[ ℣. 16. *Sin autem contradixerit postquàm rescivit, portabit ipse iniquitatem ejus*. ] Q. d. Mulier quidem absolvetur à voto suo, neque peccabit quòd votum non impleat; vir tamen erit peccati reus, si votum uxoris malè cassaverit, & iniquitas mulieris transibit ad virum, ut authorem voti non impleti: *Intellige* verò iniquitatem mulieris materialem, nam ipsa erat à peccato immunis. *At dices*: Si maritus irritabat votum uxoris eo die quo illud cognoscebat, rectè faciebat; utebatur enim jure suo: Quænam ergo iniquitas erat illi portanda? *Resp.* quòd illa quam committebat irritando votum, si sine causa illud irritabat in re pia, & irrationabili. *Observant interpretes* potissimùm hic fieri mentionem votorum jejunii & afflictionis corporalis, quòd in hujusmodi frequentiùs contingat maritos resistere uxoribus, eò quòd ista magis pateant, nec possint inscio marito servari; quòdque talium usurpatio quotidiana solet esse maritis multùm odiosa; vel quia per istas corporales afflictiones non rarò forma & habitus earum concidit, vel quia fiunt minùs potentes ad munia domestica, ad reddendum debitum, ad lactandum proles. Quoad cætera autem officia quæ sine familiæ præjudicio fieri pote-

poterant, etiam nolente marito, debebant ſervare, ſi ejuſmodi erant, quæ ſine ulla offenſione ac perturbatione poſſent fieri. *Ex his* intelligi poteſt has leges de votis votorumque irritatione, non eſſe, per omnia, juris naturæ, ſed eſſe, ex parte, juris poſitivi, & quidem cæremonialis aut judicialis quæ jam ceſſant.

[ ℣. 17. *Iſta ſunt Leges, quas conſtituit Dominus Moyſi, inter virum & uxorem, inter Patrem & filiam, quæ in puellari adhuc ætate eſt,* ] Ita ſanxit Deus de puella, ſive ſit nubilis, ſive nupta, vel vidua.

[ *Vel quæ manet in parentis domo,* ] Necdum ſcilicet emancipata, nec viro tradita, ſed adhuc innupta tametſi grandæva.

## C A P U T XXXI.

*Cæſis Madianitis juſſu Dei, virgines ſolæ reſervantur, ſubſtantia ex æquo dividitur pugnantibus & plebi, primitiæ Sacerdoti, ac Levitis traduntur, gratiæ Deo cum donariis offeruntur.*

[ ℣. 2. ULciſcere prius filios Iſrael de Madianitis, ] In fine cap. 25. Deus ordinaverat ut Iſraelitæ ſumerent ultionem de Madianitis, ſed nihil dixerat de tempore. Quoniam verò multum offenſi fuerant Iſraelitæ à Madianitis, cùm Madianitæ duxerunt fœminas ad Caſtra Iſrael, ut inducerent Iſraelitas ad fornicationem, & Idololatriam, propter quæ ſecuta fuit plaga magna ſuper Iſrael, ſupra cap. 25. Ideò Deus nunc jubet Moyſi ut priuſquàm moriatur ſumat ultionem de Madianitis. *Non hoc ſenſu,* quaſi Moyſes ultionem expeteret, & tamquàm vir pugnator, ipſe per ſeipſum eſſet occiſurus Madianitas, ſicut Samuel 1. Reg. 15. occidit Regem Amalec; cùm Moyſes ad bellum iſtud profectus non fuerit, ſed quia ejus authoritate ac voluntate gerendum eſſet iſtud bellum.

[ *Et ſic colligeris ad populum tuum.* ] Morieris, & ibis ad Sanctos qui ſunt in Sinu Abrahæ.

[ ℣. 3. *Statimque Moyſes, Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam,* ] In hoc oſtenditur zelus Moyſi tamquàm viri Paſtoris, & deſiderium adimplendæ voluntatis Dei, etiam cum dilatione propriæ beatitudinis,

[ *Qui poſſint ultionem Domini expetere de Madianitis.* ] *Ultio Domini* vocatur, non ſolùm quia Dei juſſu erat ſuſcipienda, ſed etiam quia agebatur de vindicanda injuria Deo per peccatum illata.

[ ℣. 4. *Mille viri de ſingulis Tribubus eligantur* ] Madianitæ erant valdè multi, ſcilicet una Gens tota cum quinque Regibus: Deus tamen voluit quòd ex Iſraelitis pauci bellarent; ut manifeſtaretur quòd victoria magis eſſet à Deo, quàm ab hominibus. Voluit etiam quòd eligerentur mille viri de ſingulis Tribubus, ne qui erant bellaturi eſſent corde pavidi, & pavere facerent corda aliorum, ſi de Bello fugerent. De Levitis tamen noluit aliquos ad pugnam procedere, ſicut de qualibet alia Tribu, *partim* quia ſolùm proceſſerunt duodecim millia virorum, hoc eſt de ſingulis Tribubus mille; *partim* quia Levitæ non computantur nomine Tribuum, ſed ſeparati erant in uſum Tabernaculi, & ad cultum Dei, ſup. cap. 1.

[ ℣. 5. *Dederuntque millenos de ſingulis Tribubus,* ] Hoc eſt, de qualibet Tribu mille, atque ita in univerſum duodecim millia; qui dicuntur *expediti ad pugnam,* quia ſepoſitis omnibus aliis impedimentis, non habebant aliquid quod impediret eos pugnare.

[ ℣. 6. *Quos miſit Moyſes cum Phinees filio Eleazari Sacerdotis,* ] Illos miſit Moyſes, quia ipſe erat Princeps & Dux aliorum. Et cum eis miſſus fuit Phinees tamquàm unus de præcipuis Ducibus Belli, vir ſtrenuus, & zeloſus pro honore Dei, ſicut patuit cap. 25. Quiſnam verò hujus Belli Dux fuerit, non omnino liquet. *Veriſimile eſt,* non alium fuiſſe quàm Joſue: Ipſe enim erat recenter creatus Princeps populi, idque Deo ſic volente, cap. 27. Et conveniebat quòd in ipſo præfecturæ ejus exordio, authoritatem ſibi conciliaret, probaretque zelum tuendi honoris Dei, quem anteà oſtenderat, in ſe permanere. *Deinde,* cùm Moyſes & Eleazarus obviam iverint redeuntibus ex prælio, quomodò Joſue non numeraretur cum illis, ſi non fuiſſet Dux Belli?

[ *Vaſa quoque ſancta,* ] Hebraizantes horum nomine intelligunt Arcam fœderis, & Laminam Pontificiam. Sed *de Arca quidem* invenitur quòd aliquando portaretur in bello, veluti contra Jericho Joſ. 6. & contra Philiſtiim 1. Reg. 4. idque ut Deus per eam repræſentatus hoſtes ſuos diſperderet. At *de Lamina* non ſimiliter; cùm hæc eſſet ornamentum Summo Pontifici proprium Exod. 28. In bellis autem nullus erat hujus laminæ uſus. Per *vaſa* ergo *ſacra* non neceſſe eſt aliud intelligere quàm *Arcam fœderis,* quæ multa complectebatur, utpote Propitiatorium, & Cherubim, ipſamque Virgam Aaron & Decalogum.

[ *Et Tubas ad clangendum tradidit ei.* ] Seu ejus curæ & cuſtodiæ, de quibus ſupra cap. 10. actum eſt.

℣. 7. *Cumque pugnaſſent contra Madianitas, atque viciſſent,* ] illos omnes occidendo.

[ *Omnes Mares occiderunt,* ] Non ſolùm populares, ſed etiam Majores, cùm & ipſi peccaſſent.

[ ℣. 8. *Et Reges eorum, Evi, & Recem,* ] Tota terra Madian erat diviſa in quinque Reges ſeu Principes, qui erant parvi Reges, vocanturque hìc *Principes Gentis,* ſcilicet Madianitarum.

[ *Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio.* ] De Balaam habemus cap. 24. quòd reverſus eſt ad locum ſuum, qui veriſimiliter erat in Meſopotamia. Nam ſupra cap. 23. ubi Balaam dicit, *de Aram adduxit me Balac,* 70. habent ex Meſopotamia: Et Deuteron. 23. Textus noſter dicit eum veniſſe *de Meſopotamia Syriæ;* dicendum igitur eſt quòd Balaam ad aliquod ſpatium ſit reverſus, ac deinde hoſpitio apud Madianitas exceptus, ubi poſteà unà cum populo Madian fuit interfectus ab Iſraelitis, ſicque impeditus ne in domum ſuam rediret.

[ ℣. 9. *Ceperuntque Mulieres eorum, & parvulos,* ] Apprehenderunt omnes Mulieres Terræ Madian tam adultas, quàm parvulas, conformiter Legibus diverſarum Gentium, quæ in Bello parcebant mulieribus; ac etiam conformiter Legi Moſaicæ, qua juſſum erat quòd quando Hebræi pugnarent contra aliquam Gentem quæ non erat de terra poſſeſſionis eorum, ſi illa reciperet pacem oblatam, ſerviret Judæis ſub tributo, & neminem occiderent: Si autem non reciperet pacem, ſed armis ſe defenderet, occiderent omnes maſculos, reſervatis Mulieribus & parvulis, ut habetur Deuter. 20. Hic autem pugnabatur contra Gentem quæ erat extra Terram promiſſionis.

[ *Quidquid habere potuerant, depopulati ſunt:* ] *Depopulari,* eſt *deſtruere;* hìc autem accipitur pro *prædari:* Quia Judæi prædati ſunt quidquid Madianitæ poſſidebant, & ea quæ non potuerunt abducere ſecum, combuſſerunt; unde ſequitur.

[ ℣. 10. *Tàm urbes quàm viculos & Caſtella flamma conſumpſit.* ]

[ ℣. 12. *Reliqua autem utenſilia portaverunt ad Caſtra in Campeſtribus Moab.* ] Non fuerunt hæc aliò aſportata quàm præda hominum & Jumentorum de qua præcedit, nam omnia fuerunt, ad eumdem locum delata, nimirùm ad Caſtra: Sed vocula *autem,* hìc idem valet quòd *etiam.*

[ ℣. 13. *Egreſſi ſunt autem Moyſes & Eleazar Sacerdos,* ] Ad congaudendum & congratulandum victoribus ex Prælio redeuntibus.

[ ℣. 14. *Iratuſque Moyſes Principibus Exercitus, &c.* ℣. 15. *Ait: Cur fœminas reſervaſtis?* ] Q. d. Malè feciſtis, debuiſſetis enim illas occidere. Intelligebat autem de fœminis quæ cognoverant viros; nam poſteà ſolas eas occidi juſſit: Et increpat illos,

non

non quia egerint contra Legem ( nam per legem istæ Mulieres, cùm non essent de terra Chanaan, non debebant occidi, ) sed quia fecerant contra intentionem Dei & contra rationem: Nam Deus jusserat ut Israelitæ pugnarent contra Madianitas, quia ipsi eos deceperant, & fecerant eos peccare in Deum ( supra cap. 25. ) hoc autem per fœminas factum fuerat: Unde hic sequitur.

[ ℣. 16. *Nonnè ista sunt. quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam*, ] Ad filios enim Israel venerant, ut illos deciperent pertrahendo ad Idololatriam, & fornicationem, etsi fingerent se venire ad vendendum eis Cibaria. Unde Apoc. 2. dicitur, quòd *Balaam docuit Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere, & fornicari.*

[ *Et prævaricari vos fecerunt in Domino* ] Quia scilicet fecerunt, quòd peccaretis contra Deum.

[ *Super peccato Phogor*: ] Sive in peccato Idoli Phogor, quod Judæi commiserunt, illud Idolum colendo.

[ *Unde & percussus est populus*? ] Plaga nimirùm illa, de qua cap. 25.

[ ℣. 17. *Ergo cunctos interficite quidquid est generis masculini, etiam in parvulis*: ] Fuit hoc isti bello proprium, quòd parvuli ex Dei & Moysi mandato interficerentur; idque *partim* ob enormitatem criminis à Madianitis contra Hebræos commissi: *Partim*, ne isti parvuli, cùm adolevissent, vellent ulcisci parentum suorum necem. Humana quidem potestate, non possunt parvuli pro parentum peccatis interfici, sed Deus qui vitæ & mortis est Dominus, ea lege non tenetur.

[ *Et Mulieres, quæ noverunt viros in coitu, jugulate*: ℣. 18. *Puellas autem & omnes fœminas virgines reservate vobis*: ] Per eas quæ à viris erant cognitæ decepti fuerant Hebræi fornicando cum illis, poterantque deinceps per illas decipi: Ad quod malum cavendum, omnes illæ jubentur occidi. Non erat autem illud periculum ab illis quæ necdum erant cognitæ, ideò jubentur reservari, *vel* ad hoc ut eas venderent, *vel* ut eis tamquàm Ancillis uterentur. *Sed quæritur*, quomodò internosci potuerint Virgines ab aliis? *Resp.* potuisse internosci ab ætate & conditione puellari, per quam dignosci possunt Mulieres corruptæ ab integris, illo præsertim tempore, quo non solebant Virginitatem colere: Et si de quibusdam esset dubium, per Moysen Divinitus illustratum illud solvebatur.

℣. 19. *Et manete extra Castra septem diebus*. ] Quibus durat legalis immunditia contracta super mortuo, qualem vos contraxistis in Bello contra Madianitas.

[ *Qui occiderit hominem, vel occisum tetigerit, lustrabitur die tertio & septimo*. ] Juxta legem de qua superiùs cap. 19. Fieri autem debebat ista lustratio, seu purificatio per aquam expiationis.

[ ℣. 20. *Et de omni præda, sive vestimentum fuerit, sive vas, & aliquid in utensilia præparatum, de caprarum pellibus, & pilis, & ligno expiabitur*. ] Omnes res quæ de præda fuerant adductæ erant immundæ, quia vel erant in domibus morientium, vel contigerant ipsos morientes, sive essent vestimenta mortuorum, sive vasa quæcumque aurea vel argentea, vel alia ad usus varios ordinata. Et hæc poterant expiari aut per ignem, si erant ejusmodi quæ possent ignem ferre, aut per aquas expiationis. *Utensilia* vocantur quælibet instrumenta ad usus varios præparata.

[ ℣. 21. *Eleazar quoque Sacerdos, ad viros Exercitus qui pugnaverant, sic locutus est: Hoc est præceptum Legis, quod mandavit Dominus Moysi*: ] Hucusque non reperitur scriptum istud præceptum, sed *vel* hic, *vel* aliàs Deus viva voce illud Moysi tradidit. Solebat enim omnia sua Moysi dicere, & commendare, ut posteà tum ad Sacerdotes, tum ad populum referret.

[ ℣. 22. *Aurum & Argentum & æs, & ferrum, & plumbum, & stannum*, ℣. 23. *& omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur*. ] Abulensis quæst. 8. *Quærit*, quare hic ponuntur omnia metalla purganda, & servanda; in destructione autem Jericho tantùm ponuntur quatuor? *Respondet autem* esse diversitatem, quòd Jericho fuit consecrata Deo, ita quòd nihil inde liceret accipere quod ad usus humanos proveniret. Inter Metalia autem solùm quatuor applicabantur cultui divino; scilicet, Aurum, Argentum, æs, & ferrum: Ideoque ista quatuor fuerunt reservata in destructione Jericho, & in Thesauris Domini posita. Destructio autem Madian non fuit consecrata Deo, sed facta est ad utilitatem multitudinis populi Israel: Ideò omnes Greges & Armenta, omniaque Madianitarum suppellectilia fuerunt perdenda.

[ ℣. 24. *Et lavabitis vestimenta vestra die septimo, & purificati posteà Castra intrabitis*. ] Cùm feceritis omnia quæ de purificatione sunt dicta.

[ ℣. 26. *Tollite summam eorum quæ capta sunt*, ] Non tantùm hominum, sed etiam pecorum.

[ ℣. 27. *Dividesque ex æquo prædam, inter eos qui pugnaverunt, egressique sunt ad bellum, & inter omnem reliquam multitudinem*. ] Quod non sic accipiendum erat, quasi tantum prædæ deberet cedere singulis qui manserant in Castris quantum singulis qui pugnaverant, laboreque suo victoriam obtinuerant; sed ita, ut qui in Castris manserant, haberent omnes simul tantum quantum illi qui pugnaverant. Unde fit consequens singulos eorum qui in Castris manserant, longè minus habuisse præ aliis, cùm in maximo essent numero. Habemus quidem 1. Reg. 30. constitutum, ut æqua sors esset euntis ad pugnam, & manentis ad sarcinas, sed ea Lex ibi demum posita fuit, & non erat ante constituta.

[ ℣. 28. *Et separabis partem Domino ab his qui pugnaverunt* ] Jubetur ut ex medietate prædæ obveniente militibus detur Eleazaro & Sacerdotibus *una anima*, hoc est, unum animal *de quingentis tam ex hominibus, quàm ex bobus, asinis & ovibus*. Vox Hebræa quæ hic habetur tam oves quàm capras comprehendit, & propterea in Textu nostro sub ovibus, capræ censeri debent esse comprehensæ, tam hoc, quàm seq. versibus.

[ ℣. 29. *Et dabis eam Eleazaro Sacerdoti*, ] Pro ipso scilicet & aliis Sacerdotibus inter quos istæ primitiæ erant dividendæ.

[ ℣. 30. *Ex media quoque parte filiorum Israel accipies quinquagesimum caput &c. Et dabis ea Levitis, qui excubant in custodiis Tabernaculi Domini*. ] Hoc est, quorum officium est custodire, & asservare ea quæ spectant ad Tabernaculum, & circa illud excubare.

[ ℣. 49. *Et ne unus quidem defuit*. ] Omnes supersunt salvi & incolumes.

[ ℣. 50. *Ob hanc causam offerimus in donariis Domini*. ] Singuli totum aurum, vasaque aurea quæ in isto bello rapuerant, Deo offerunt: *Primò* quidem ut ostenderent se gratos esse Deo, qui victoriam illis dederat planè incruentam. Deinde ut Sacerdotes ita provocarentur ad Deum pro ipsis orandum. *Morem olim fuisse*, prædam ab hostibus reportatam, vel bonam ejus partem Deo offerre, habemus 2. Reg. 8. de Davide, & 1 Paralip. 16.

[ *Periscelides, & Armillas, Annulos & Dextralia, ac Murænulas*, ] *Periscelides* sunt quædam crurum ornamenta, de quibus etiam Isa. 3. *Armillæ* putantur fuisse ornamenta circa Armos, sicut *Annuli* sunt ornamenta manuum, & *Dextralia* brachii dextri, & *Murænulæ* colli.

[ ℣. 51. *Omne aurum in diversis speciebus*, ] in diversas formas artificiosè elaboratum, [ *Pondo sedecim millia*. ] *Pondo*, non est in Hebræo, neque hic significat *libram*, sed *pondus*; & *sensus est*, quòd ex præda oblata fuerint in auro ad pondus sexdecim millium siclorum.

[ ℣. 53. *Unusquisque enim quod in præda rapuerat, suum erat*. ] Quidam hoc intelligunt ideò subjungi, quia cùm Bellatores possent jure belli retinere ea quæ de inanimatis rapuerant tamquàm suum, eo quòd indè nihil debebatur Tabernaculo vel Sacerdotibus, aut Levitis, tamen ex devotione totum dederunt,

propre-

propterea quòd Deus eos omnes reduxisset salvos de prælio. Sed hujus intelligentiæ *nulla est necessitas*, cùm in Hebræo non plus significetur quàm spontaneam oblationem auri & ornamentorum, factam fuisse à solis Principibus Exercitus, idest, à Tribunis & Centurionibus: Multos autem Gregarios sua spolia sibi retinuisse, nec ejusmodi oblationem fecisse.

[ ℣. 54. *Et susceptum intulerunt in Tabernaculum Testimonii*, ] quod erat coram Arca & Propitiatorio.

[ *In monimentum filiorum Israel*, ] Ut Deus esset eorum memor, & eis esset propitius.

## C A P U T XXXII.

*Filiis Ruben, & Gad & dimidia tribui Manasse portio datur trans Jordanem, modò fratres suos in Terram promissionis armati præcedant.*

[ ℣. 1. **F***ilii autem Ruben & Gad habebant pecora multa*; ] His etiam jungebatur media tribus *Manasse*, licèt non hic exprimatur. Patet hoc ex decursu capitis, & specialiter ex versu 33. Ubi Moyses legitur dedisse Filiis Gad & Ruben, & dimidiæ Tribui Manasse Regnum Sehon Regis Amorrhæi, & Regnum Og Regis Basan, & terram eorum cum urbibus suis per circuitum: Unde perspicuum est eamdem fuisse petitionem eorum quæ Ruben & Gad.

[ *Et erat illis in jumentis infinita substantia.* ] Hoc est, multa valde. *Quidam putaverunt* quòd abstinuerint à propriis pecoribus comedendis, ne aliis fratribus invidiam facerent. Sed absque necessitate: Cùm enim essent carnales, nec ulla lege urgerentur, *non est verisimile* quòd spontè abstinuerint ab esu carnium eis permissarum; præsertim attenta illorum maxima abundantia. *Et* ad quid alioqui tantam eorum copiam haberent, si non ad vescendum; eo quoque considerato quòd invidiæ periculum non esset, cum & alii rebus diversis abundarent, easque pretio inter se commutarent.

[ *Cumque vidissent Jazer & Galaad aptas animalibus alendis terras*, ] Jazer fuit urbs à Philadelphia seu Rabba Ammonitarum distans decem millibus. Terra Galaad ita per anticipationem hic vocatur. Cùm enim Galaad fuerit filius Machir filii Manasse, filii Joseph, ea terra nondum poterat vocari Galaad tanto tempore priùs quàm Galaad terram illam occuparet.

[ ℣. 3. *Nemra & Hesebon*, ] Nemra fuit in Tribu Ruben, sicut & Hesebon, quæ Levitis ascripta est.

[ ℣. 4. *Terra, quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel, Regio uberrima est* ] Sermo est de terra Sehon Regis Amorrhæi, de quo sup. cap. 21.

[ ℣. 5. *Nec facias nos transire Jordanem.* ] Scilicet ad capiendam ibi sortem in terra promissionis.

[ ℣. 6. *Numquid Fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos hic sedebitis?* ] Ita loquitur Moyses timens ne ex metu Chananæorum & bellorum cum illis ineundorum detrectent transire Jordanem, & ire in Chanaan, qui tamen metus, ut posteà paruit: non fuit verus.

[ ℣. 8. *Nonnè ita egerunt Patres vestri, quando missi de Cadesbarne ad explorandam terram?* ] Supra cap. 13.

[ ℣. 9. *Cumque venissent usque ad vallem botro*, ] Hic locus isto cap. 13. vocatur *Torrens botri*; & non significatur quòd seditio populi & tumultus fuerit in loco isto suscitatus; sed quòd postquàm venissent in vallem botri, & ibi lustrassent omnem Regionem, indeque redivissent ad Castra Israelitarum.

[ *Subverterunt cor filiorum Israel*; ] Faciendo eos pavere, & dicendo gentes illas esse fortissimas, & quòd non possent eis repugnare.

[ *Ut non intrarent fines, quos eis Dominus dedit.* ] Nondum dederat terminos terræ promissionis actualiter possidendos, dederat tamen secundùm promissionem veracissimè implendam.

[ ℣. 10. *Qui iratus juravit, dicens*: ℣. 11. *Si videbunt homines isti*, ] Forma est juramenti execratorii. Voluerunt quidam *si* positum esse pro *non*; quasi Scripturæ hujus, & aliarum hujusmodi similium *sensus sit, si videbunt terram*, idest, *non videbunt terram. Si introibunt in requiem*, idest, *non introibunt in requiem meam*. Sed *verius est* quod 2. 2. quæst. 89. art. 1. diximus esse sermonem *eclypticum* hoc aut simili modo supplendum. *Si videbunt homines isti terram, non sim Deus. Si introibunt in requiem meam, habear ego mendax*; Vel alio simili modo: Reticet autem Scriptura talem execrationem, non tam ad indicandum affectum in ejusmodi sermone, quàm ob reverentiam personæ quæ sic jurans introducitur, de qua execratorium aliquid audire horrescunt piæ aures.

[ *Et noluerunt sequi me*, ] In Hebr. sonat. *Non impleverunt post me*: Hoc est, non plenè, & constanter sunt mihi obsecuti, sive, non firmiter mihi adhæserunt, sed aversi à me fuerunt, volentes in Ægyptum redire. Sermo autem est de Exploratoribus qui cap. 13. missi fuerant explorare terram promissionis. Et hanc Phrasim paulò post, ita noster Interpres de Josue & Caleb reddidit. *Isti impleverunt voluntatem meam*, idest, perfectè obediverunt mihi. *Ex quo* intelligi potest contra hodiernos justitiæ bonorum operum oppugnatores; ita justos in sacris litteris commendari, ut non tantùm dicantur facere voluntatem Dei, ejusque mandata, sed etiam implere, & perficere: Non quòd omni prorsùs peccato careant, sed quoniam multa faciant bona, in quibus nihil pravum aut vitiosum reperitur.

[ ℣. 13. *Iratusque Dominus adversum Israel, circumduxit eum per desertum quadraginta annis*, ] Sermo est de ipso populo, in quo etsi essent aliqui innoxii; ipsi tamen propter alios vagati fuerunt per Desertum annis 40. Deo alia ipsorum peccata sic vindicante. Et similiter parvuli filii istorum murmuratorum puniti sunt pro Patribus, manendo illis 40. annis in Deserto, secundùm ea quæ superiùs cap. 14. leguntur.

[ *Donec consumeretur universa generatio, quæ fecerat malum in conspectu ejus.* ] Idest omnes homines qui murmuraverant contra Deum.

[ ℣. 14. *Et ecce, inquit, vos surrexistis pro Patribus vestris, incrementa & alumni hominum peccatorum*, ] In Hebræo pro istis duabus vocibus, *Incrementa & Alumni*, est unica vox, sed quæ multiplicationem & augmentum significat. *Non est culpandus Moyses* quasi præcipitanter & temerè ista dixerit; quia sciebat illum populum esse durum & cervicosum, ideoque dignum qui verbis durioribus compellaretur, servata interim cordis mansuetudine. *Neque* fuit ulla præcipitantia judicii, sed tantùm dura allocutio priusquàm absolutè de re sibi proposita responderet. *Deinde*, Israelitarum petitio sic nudè proposita, ut ab illis proponebatur, digna erat severiori reprehensione: Erat enim irrationabile ut illæ Tribus statim occuparent & possiderent terram, quam non solæ subjecerant, sed populus totus. Et ideò necesse erat quòd si hæ Tribus vellent adire possessionem istius terræ, vicissim aliquid præstarent reliquo populo, id quod versibus posteà sequentibus promittunt se facturos, cum spondent quòd ipsi sint præcessuri fratres suos armati trans Jordanem, & cum eis expugnaturi habitatores terræ Chanaan; nec antè redituri, quàm fratres adepti sint Terram promissam. *Quæri potest*, quare petitio Tribuum Ruben & Gad non derogavit divinæ promissioni, qua Deus posteritati Abrahæ promiserat terram Chanaan, cùm harum tribuum possessio fuerit extra illam terram. *Diversæ Responsiones* dari possunt: *Una est*, Terram Chanaan non fuisse promissam toti posteritati Abrahæ, nec toti posteritati Isaac, ideoque non esse necesse referri ad totam posteritatem Jacob, sed satis esse quòd Deus illam dederit posteris Abrahæ, Isaac, & Jacob, etsi non dederit omnibus, sicut etiam non omnes perierunt. *Secunda Responsio est*, Sub terra Chanaan quæ promissa erat comprehendi Regiones adjacentes & contiguas: sicque etiam in illis tribubus imple-

impleta fuit Divina promissio; *plenissimè autem*, si dicamus illas Regiones *directè & expressè* contineri sub promissione; erant enim Terræ Amorrhæi, Terram autem Amorrhæi Deum promisisse constat ex Genes. 15.

[ ℣. 15. *Quòd si nolueritis sequi eum, in solitudine populum derelinquet*, ] Non jam versabantur in solitudine, sed fieri tamen poterat, ut Deus iratus eos juberet in solitudinem redire, in eaque ipsos ob varias rebelliones deleret.

[ ℣. 16. *Parvulis quoque nostris urbes munitas*: ] Scilicet fabricabimus. Rubenitæ & Gaditæ erant vicini Moabitis, Idumæis, Chananæis, ideoque ad custodiam parvulorum non est dubium quin aliqui viri Bellatores manserint in urbibus. Viri quidem robusti & bellicosi omnes fuerunt ad bellum profecti; at non omnes omninò viri: Quidam enim ad bellum minùs apti erant, & hi vacabant Agriculturæ, & urbibus custodiendis, aliisque vel mechanicis, vel civilibus operibus. *Neque existimandum est* solas mulieres cum suis Parvulis tot annorum spatio relictas fuisse in urbibus trans Jordanem, ita ut nulli adessent viri quorum auxilium & consortium ob multas causas erat eis necessarium, maximè ob metum hostium. Nam etsi abessent viri bellicosi, alii tamen tantisper poterant sustinere hostem, si fortè supervenirent, dùm viris bellicosis ultra Jordanem militantibus nunciaretur.

[ ℣. 20. *Expediti pergite coram Domino* ] Seu in præsentia Domini, scilicet coram Arca & Columna nubis quæ Dominum repræsentabat. Unde illud, *Coram Domino*, potest duobus modis intelligi; *vel* ut sit idem quòd habere Deum inspectorem & testem sicut Ecclesiast. 2. *Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam*: *Vel*, ut sit habere Deum faventem, & annuentem; sicut Judic. 18. *Dominus respicit viam vestram.*

[ ℣. 21. *Et omnis vir Bellator armatus Jordanem transeat*, ] Quod non de omnibus omninò viris accipiendum est; cùm non sit verisimile quòd urbes illas Rubenitarum & Gaditarum voluerit relinqui absque omni subsidio, sed omnes eos intelligit quos non esset designaturus in præsidium.

[ ℣. 22. *Et subjiciatur ei omnis terra*: ] Hoc est, tota terra quæ intra fines à Deo promissos continetur.

[ ℣. 23. *Scitote quoniam peccatum vestrum apprehendet vos.* ] Sive, quòd peccati vestri meritas pœnas luetis.

# F I N I S.

INDEX

# INDEX
## LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,
### Quæ in hoc toto Opere citantur, & explicantur.

*Primus Numerus, denotat paginam; Secundus, columnam primam vel secundam.*

### EX GENESI.



### EX EXODO.

## EX LIBRO LEVITICI.



## EX LIBRO NUMERORUM.



## EX DEUTERONOMIO.



## EX LIBRO JOSUE.



EX

### EX LIBRO JUDICUM.



### EX RUTH.



### EX LIB. I. REGUM.



### EX LIB. II. REGUM.



### EX LIB. III. REGUM.



### EX LIB. IV. REGUM.



### EX LIB. I. PARALIPPOMENON.



### EX LIB. II. PARALIPPOMENON.



### EX LIB. I. ESDRÆ.



### EX LIB. II. ESDRÆ.



### EX LIBRO TOBIÆ.



### EX LIB. JUDITH.

## EX ESTHER.



## EX JOB.



## EX PSALMIS.

## EX PROVERBIIS.



## EX ECCLESIASTE.



## EX CANTICIS CANTICORUM.



## EX LIBRO SAPIENTIÆ.



## EX ECCLESIASTICO.



## EX ISAIA.

## EX JEREMIA.



## EX THRENIS.



## EX EZECHIELE.



## EX DANIELE.



## EX OSEA.



## EX JONA.



## EX HABACUC.



## EX SOPHONIA.



## EX ZACHARIA.



## EX MALACHIA.



## EX LIB. I. MACHAB.



## EX MATTHÆO.



Cap. 2.

### *EX MARCO.*



### *EX LUCA.*



### *EX JOANNE.*



### *EX ACTIS APOSTOLORUM.*



### *EX EPIST. B. PAULI APOST. AD ROMANOS.*



### *EX EPISTOLA I. AD CORINTHIOS.*

## EX EPISTOLA II. AD CORINTHIOS.



## EX EPISTOLA AD GALATAS.



## EX EPISTOLA AD EPHESIOS,



## EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES,



## EX EPISTOLA AD COLOSSENSES.



## EX EPISTOLA I. AD TIMOTHEUM.



## EX EPISTOLA II. AD TIMOTHEUM.



## EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.



## EX EPISTOLA S. JACOBI.



## EX EPIST. I. B. PETRI APOSTOLI.



## EX EPISTOLA II. B. PETRI.



## EX EPISTOLA I. S. JOANNIS.



## EX APOCALYPSI.



INDEX

# INDEX
## RERUM NOTABILIUM,
### Quæ in hoc Opere continentur.

*Primus Numerus, denotat paginam: Secundus, columnam primam vel secundam.*

Cre-

## D.

## E.



Edom

F.



G.

H.



I.

L.

M.

N.

O.



P.



Pau-

## Q.



## R.

S.



Ser-

## T.



Talen-

V.



Vi

# F I N I S.